BIBLIOTECA NAZ
8
E
27
NAPOLI

PETRI SIMONIS TILETANI EPISCOPI YPRENSIS

DE VERITATE LIBRI SEX:

Et reliqua eius, quæ ſuperſunt, multæ eruditionis & pietatis OPERA.

Collegit & recenſuit, pro ſuo in amicum defunctum affectu,
P. IOANNES DAVID, SOC. IESV *Sacerdos.*



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
cIↃ. IↃC. IX.

Bibliothecæ Domus professæ Neap. Soc. Iesu

REVERENDISSIMO
DOMINO
D. CAROLO MASIO
EPISCOPO YPRENSI

IOANNES DAVID *Societatis* IESV *Presbyter*
L. M. DD.

CYPRIVS ille Philoſophus Dæmonax, cui ſcientia nomen indiderat, rogante quodam amico, aliquantò antequam è viuis excederet, de ſepultura ecquid mandaret; Ne quid, ait, vos res illa ſollicitos habeat: *Odor enim me ſepeliet*. Innuebat vir ſapiens, cadauer ipſum odore ſuo, tamquam iure quodam, poſtulaturum, vt terræ mandaretur, tametſi hoc nemo cogitaret. Ab hoc non abludere potuit Auctor iſtorum operum, quæ in lucem emittimus; ſi roganti mihi, paucis ante obitum menſibus, num quid tandem haberet maturum prælo, non quod defodieretur in terram, ſed quod aliquando lucem aſpiceret; auſpica-

tiore, quàm ille Philoſophus, ſenſu reſpondiſſet; *Odor ipſe producet in lucem:* niſi pro ſua modeſtia hiſce mihi verbis reſpondere maluiſſet: *Si quid mihi humanitus contigerit, nonnihil fortaſsis reperietur.* Et ſanè, odor eruditionis, facundiæ, & comitatis eius, tam ſuauis, támque iucundus, quo iam olim omnium afflauerat animos, effecit; vt mox ab eius è vita diſceſſu, ad ſagaciter inueſtigandum, quidquid operum ipſius inueniri poſſet, toto pectore incumberemus: vt lumen, quod ipſe quodam modeſtiæ modio, ad id vſque tempus occultarat; ſuper candelabrum, omnibus conſpicuum vſuíque futurum, aliquando locaretur.

Cúmque ab intimis eius amicis, Teſtamenti executoribus, Dominis, Cornelio Cocx Rythouio, Iudoco Eelbo D. Iacobi apud Yprenſes Paſtore, & Antonio Hantſamo, Eccleſiæ Cathedralis Yprenſis Canonicis, iuſta omnia, de more, defuncto curantibus, quæreretur, quis fœtui huic poſtumo in lucem edendo manum adhiberet: ego illis, non dico aptus, ſed pro antiqua numquam antiquata neceſſitudine, iuſtus debitor huic pio muneri ſum viſus. Quod tametſi non exigui laboris fore conſpicerem: tamen, qui viuo obſequium omne ſemper deferre paratus fui, nolui hoc ipſum mortuo denegare:

acce-

accedente præſertim Superiorum meorum & calculo & ſtimulo.

Supererat, vt de patrono cogitaretur, cui & opus iſtud dicaretur, quique ſuo nomine, ceu clypeo quodam inexpugnabili, pium hunc defuncti laborem defenderet; ſi quem fortè non puderet (quod eſt in prouerbio) barbam vellere mortuo leoni. At, nec difficilis fuit hîc deliberatio. Cui enim iuſtiùs, atque decentiùs, pupilli huius operis tutela deferretur, quàm ei, à quo & humanitas ſingularis in eadem Epiſcopali dignitate id efflagitat vt velit, & auctoritas ac nominis claritudo donat vt poſſit? Vt, cuius quotidie in munere paſtorali verſatur, virtutes aſſequitur, derelictas inhabitat atque exornat ædes; eumdem in ſuarum lucubrationum volumine, quaſi tabula quadam, viuis animi coloribus expreſſum, ſibi loquentem contempletur.

Habeat igitur REVERENDISSIMA D.T. atque eo candore accipiat, cùm meum, tum executorum Teſtamenti eius ſuprà memoratorum, beneuolum animum atque ſtudium: quo totum hunc docti ac pij viri conatum, ei L. M. dicamus & conſecramus. Quem eò impenſiùs in lucem emittimus, & ſub veſtri nominis ſplendore poſteritati mandamus; quòd nonnulli, qui perſpectam Auctoris eruditionem non habebant,

æquò minùs de ipſius vel doctrina vel facundia iudicabant. Det omnium donorum dator Reverendissimae D. T. vt, ſicut per templum Virtvtis in adiunctam Honoris ædem penetrauit; ita in munere omnium maximo, optimis quibus cœpit pergat auſpicijs: ac nomine ſuo patrocinante, ex deceſſoris ſui laboribus, eum in animis legentium referat fructum, quem boni omnes exoptant, nos etiam meritò expectamus.

PRAE-

PRAEFATIO
AD
LECTOREM.

OPERA PETRI SIMONIS, *ſecundi Ypren-ſium Epiſcopi, benigne Lector, tibi in manus damus. Argumentis conſtant doctis, pijs, ac varijs: quæ plurimùm ad fidei Catholicæ confirmationem, & ad morum commendationem, cuiuis erudito lectori facere videbuntur. Ipſe quidem, tametſi vt hæc ſcriberet amicorum rogatu inflecti ſe tandem paſſus eſt; numquam tamen induci potuit, illa vt viuus in lucem emitteret. Quo factum eſt, vt mihi potiſsimùm poſtumi huius fœtus educendi labor imponi debere iudicaretur ab omnibus, qui & ipſum & me norant, ac perpetuam à primis annis inter nos familiaritatem (quam* VERIDICI *noſtri liminari ad ipſum Epiſtola fusè deduxi) perſpectam habebant. Onus quidem non detrectaui, quod adhuc ſpiranti non ſemel obtuleram: verumtamen (vt quod res eſt dicam) conſpecto ſcriptorum volumine, quod non ſolùm mihi eſſet accuratè perlegendum, & à mendis amanuenſium innumeris vindicandum, verumetiam vſquequaque prælo aptandum; non parum expaui. Vt enim auctor eruditè, ſolidè, ſtylo eleganti & fluido cuncta conſcripſiſſet; non tamen in libros aut capita quidquam (quod ſibi extremæq; haud dubium manui reſeruarat) partitus erat: ſed continuo filo argumentum proſequens ad finem vſq; perduxerat. Ita vt iuxta materiæ partitionem, ex ipſo ſenſu collectam, & libri, & ſingulo-*

rum capita, corúmque argumenta, mihi fuerint diſtinguenda: præſertim in primario òpere de VERITATE; quod idem in APOLOGIA Veritatis Catholicæ, ceteriſq́; Tractatibus, fuit faciendum. Orationes porrò, Conciònes, & Exhortationes eas dumtaxat huic operi illigauimus, quas Latinè, præſertim ad Clerum habuit: nihil quotidianarum concionum attigimus; quòd illas omnes, vt habitas ita deſcriptas quoque Teutonicè, Monaſterio cuidam Virginum, mediante ſorore, teſtamento legarit. Conſule itaque boni, bone Lector, noſtram operam: quam ad maiorem Dei gloriam, in defuncti gratiam, & tuam vtilitatem, lucens impendimus. Vale & fruere.

IN-



PETRVS SIMONIS EPISCOPVS IPRENSIS.

Ipra *tui vultum* Petri *cognoſce* Simonis,
Proximus a primo qui tibi Præſul erat.
Pabula bis denos verbi tibi præbuit annos;
Viuidus exemplis, eloquioque potens.
Nunc ſilet; at viuax æternum clamat imago
Paſtoris *vocem noueris* Ipra *tui*.

INDEX OPERVM

PETRI SIMONIS *Epiſc. Yprenſis.*

De VERITATE Libri ſex.
VERITATIS CATHOLICAE Apologia, contra Caluinum.
De EPIPHANIA DOMINI Tractatus.
De PVERO IESV cum Doctoribus in templo diſputante diſſertatio.
De IESV CHRISTI cum Moyſe & Elia Colloquio Tractatus.
De HAERESIOS Hæreticorumque natura Tractatus.
ORATIONES & EXHORTATIONES variæ.

DE

DE VERITATE,

FILIA TEMPORIS,

à tribus monſtris ſeu peſtibus in anguſtias redacta, ac profundo ſcrobe ſeu puteo demerſa,

Elegia F. PETRI BACHERII, *Dominicani, S. Theologiæ Doctoris.*

ERGONE perpetuis damnabere DIVA tenebris?
  Si potes, è latebris exere triſte caput.
Cui tantum de te licuit? Quis denique cæco,
  Dic age, te puteo merſerit? INVIDIA:
Inuidiæque dolis armata CALVMNIA: præſtò eſt
  Tertia, clamoſi LIS rabioſa fori.
Sic ternæ (infandum!) ſua iungunt agmina peſtes;
  Has fama eſt triplices explicuiſſe acies.
Stat contrà Virgo, DIVINI haud indiga VERI,
  Neſcia fortunæ cedere turbinibus.
Vertit & ad ſocios rorantia lumina cælos,
  Et Patris ætherei ſedula poſcit opem.
Sed quid agat? Miſeram circumſtant vndique telis:
  Pugnabit monſtris vna puella tribus?
Inuadunt vnam plures; rapiúntque, trahuntque;
  Et condunt atri carceris in barathrum.
Nec ſatis: obruitur ſtipulis, terraque, lutóque;
  Vix eluctetur pondere preſſa graui.
TEMPORE ſed victrix fit FILIA TEMPORIS; & diu
  Edita diuinâ mente latêre nequit.
Ecquis enim rapidum celarit veſtibus ignem?
  Aut poterit purum condere nube diem?
Erumpunt, & clauſa fremunt, & clauſtra refringunt:
  Produntur radijs flammaque ſolque ſuis.

Et

Et ſupereſt aliquid, quod lucida & ignea VERO
   Scripta, vetet, latebris eruta, luce frui?
Ite aliò peſtes, LIVOR, LIS perfida cede,
   Confuſiſque dolis cincta CALVMNIA, abi.
Fortior en veſtro VERI VIS emicat antro:
   Si ſapitis, trepidam præcipitate fugam:
Pœnas de vobis capiat ne irata VIRAGO,
   Vindicis hac PETRI freta SIMONIS ope.

AD AVCTOREM,

Vt Opera ſua in lucem emittat atque euulget,
eiuſdem BACHERII *Epigramma.*

AN dubitatis adhuc pudibundi exire libelli
   E tenebris? Nam vos muta quid vmbra premit?
Quin potiùs ſileat ſpurcorum pagina vatum,
   Et lateant Paphiæ lubrica furta deæ.
At tua ſcripta, Pater, multâ cum fruge legentur,
   Quæ geſtant caſto dogmata ſancta ſinu.
Nectar & ambroſiam ſpirant: & carcere claudis?
   Aëre nec donas liberiore frui?
Sed, Metuo, dices, mordacis vulnera Momi:
   Eſſe volo obliquâ tutus ab inuidiâ.
PETRVS es; & metuis? Solidis infligere dentem,
   Ne malè mulctetur, LIVOR iners metuat.
BACHERIVM ſi audis; tum iure vocabere SIMON:
   Eſt aliquid, fidis credere conſilijs.
Fœtibus (eia) tuis pedicas & vincula deme:
   Nam, lucem tantam ſub modio eſſe, nefas.

IN-

IN VERITATEM.

QVAE virgo caſti flore pectoris virens
Rapit tuentem? VERITAS *equidem audio,*
Ignara multis, prædicata pluribus.
Sed nuda pares. Nam paratum reſpuo;
Fucos refuto. Cultus incultus placet,
Simplexq́; cerni in memetipſa gaudeo.
Etiam ſedendo? Nempe ſic pacem colo:
Sic amo quietem; quam, me qui colunt, tenent.
Etiámne petrâ ſuper vt inſideas rudi?
Rudi, at quadratâ. Talis immotam decet,
Fretamq́; rerum certitudine, & modo:
Nec hac nec illac cerea inflecti, viam
Rectamq́; regiamq́; ſecura ambulo.
Etiámne cauſſa, calce cur mundum premas?
Meo ſubactum ſcilicet neſcis iugo:
Tunc cùm voluptas, blandulum ſæcli malum,
Armata fraude fraudis impotens ruit.
Huiuſce palmæ præfero palmam in vicem.
At ille, læuâ quem geris liber manu,
Eccuius inſtar? Inſtar eſt ſcientiæ
Scaturientis, mentis illimi alueo.
Et ille Phœbus aureâ emicans manu?
Me prodit vnam nubila ignorantiæ
Illuminando eliminare protinus.
Huc ergo, quiſquis erutus caligine,
Clarum micantis cautus affectas iubar,
Hac curre verſus: VERITATEM *amplectere:*
TENE TENENTEM; *te ſequentem ne fuge.*

PETRI SIMONIS TILETANI EPISCOPI YPRENSIS

DE VERITATE LIBER PRIMVS:

De ſumma atque æterna VERITATE.

PROOEMIVM.

TAMETSI ego lucubrationes aliorum non ſolùm probare & collaudare conſueui, verùm etiam non raròad eas illos ſum adhortatus: numquam tamen in animum meum inducere potui, vt ipſe cuipiam operi, in lucem emittendo, manum adhiberem. Neque id tam quorumdam iocandi modo deterritus, quo ſcriptoribus, ac nouis præſertim auctoribus, moroſiores interdum ac moleſtiores eſſe ſolent; illud Eccleſiaſtæ in ipſos torquendo; *Faciendi plures libros nullus eſt finis*: quàm propenſione quadam ingenij (quod cuique ſuum eſt proprium) ab eiuſmodi cœpto alieniore. Nam, alioquin, Scripturæ illius ſacræ ſententia, non hoc tantùm ſenſu conſiſtit, quo, iuxta Poëtam,

— Tenet inſanabile multos Scribendi cacoëthes:

verumetiam, quo tam multa ſemper typis & chartis digna, tamq́ue fœcundum S. Scripturæ agrum, tamq́ue innumera Religionis noſtræ ſcitu & notatu digna myſteria eſſe intelligimus, quibus opus eſt in tam ingenti hac Chriſti familia, vt numquam dictorum ſcriptorumq́ue ſatis eſſe queat, quo infinitorum hominum appetitui fiat ſatis; iuuenturq́ue illi, quibus ægrotorum more, inter quamplurima fercula delectus habendus eſt, quò languentem vtcumque ſtomachum refocillent, & tandem aliquando diuerſis adiuti modis & mediis, priſtinæ (ſi fieri poteſt) incolumitati reddantur. Ego tamen, non obſtante illo meo more, ad vltimam ferè ſenectam teſſaci, victus amicorum, Prælatorum, doctorumq́ue virorum tum importunis precibus, tum lege amicitiæ, tum pondere auctoritatis; quod vnicè & nominatim fui rogatus, de VERITATE quædam concipere ſum aggreſſus. Dumque pauca, ſubſtantiæ fermè ac

naturæ ipſius præcipuas partes complectentia, ſummoperè (vt illi quidem aiebant) viſa placuiſſent; inſtare non deſierunt, donec ſeriò (quãtum equidem hoc in argumento valerem) rem illam exantlarem. Ea tamen lege, vt non niſi poſt huius vitæ periodum emanarent. Vt, ſi vna ex parte, ab ingenito mihi naturæ inſtinctu, de nihil edendo, victus amicorum prece, deflecterem; alteram ſaltem partem ſeruarem intactam, qua communem hanc lucem, meus hic mecum fœtus non videret: ratus fore ſatis, ſi me demum mortuo, ille eſſet victurus: iuxta Poëtæ illius ſolatium;

Si poſt fata venit gloria, non propero.

Tametſi Dei gloriam, Lectorumque vtilitatem, potiſſimùm hîc ſpectandam ſum arbitratus. Hoc eſt igitur opus, de VERITATE, in ſex libros diſtinctum: in quo, vt debito ordine de ÆTERNA VERITATE exordiri poſſimus; primùm, ad planam toti tractatui ſternendam viam, pauca breuiter diſtincteque de Propoſitionis veritate præmittemus.

CAPVT PRIMVM.

De Veritate propoſitionis, obiter: tum de VERITATE *æterna.*

DVPLEX eſt Veritas; vna rei ſeu naturæ, altera intellectus ſeu propoſitionis. Veritas rei nihil aliud eſt quàm eius eſſentia: Veritas autem propoſitionis eſt enuntiatio ſeu ſignificatio verbalis conceptus mentis. Vtriuſque autem veritatis ratio in quadam conformitate, rectitudine, vel æqualitate conſiſtit. Veritas enim intellectus, eſt conformitas mentis ſiue intellectus ad rem intellectam. Quæ veritas per orationem aperitur, enuntiatur, foraſque producitur. Ita vt tunc oratio ſeu propoſitio vera ſit, quando rei eſt inrellectæ, ſiue in mente conceptæ, conformis. Falſa autem, quando à mentis ſiue intellectus conceptione deficit, aliterque ſonat, quàm intellectus habet. Alij dicunt; Oratio ſiue enuntiatio vera eſt, quæ enuntiat id, quod reuerà ita eſt. Exempli cauſa, vera eſt, Deus eſt omnipotens, Adam fuit, Chriſtus iudicabit mundum. Non eſt quidem Adam, ſed verum eſt fuiſſe. Et hæc, Adam fuit, ita ſignificar ſicut eſt, nempe illum fuiſſe. Alij denique; Affirmatio vel negatio vera eſt, inquiunt, quando ita in intellectu repræſentatur, ſicut eſt in rebus. Quod tunc quidem eſt, cùm ea ſecundùm affirmationem coniunguntur in intellectu, quæ ſecundùm rerum naturam conueniunt, & eo modo quo conueniunt. Vt cùm cogito, hominem eſſe animal; vera eſt intellectus hæc affirmatio: quoniam ita cogito, vt res habet. Coniungo enim per intellectum quæ ſecundùm rei naturam conueniunt. Genus enim coniungo ſpeciei, quæ ſecundùm naturam ad idem ſpectant. Signanter autem adiectum eſt, & eo modo quo conueniunt. Cùm enim cogito, omne animal eſſe hominem, non eſt in illa cogitatione veritas: quoniam ea quæ conueniunt, non eo modo coniungo quo conueniunt: non enim ſecundùm totam ſuppoſitorum vniuerſitatem genus cum ſpecie conuenit. Vera tamen eſt iſta ſeu cogitatio ſeu propoſitio; Omnis homo eſt animal: quoniam hîc eo modo coniunguntur genus & ſpecies, quo ſecundùm rem conueniunt. Vide Phyſicam Titelmanni lib. 11. cap. 19.

Veritas autem rei, eſt conformitas rei ſeu naturæ ad ſuam cauſam efficientem & producentem. Ita vt tale quidlibet ſit, quale auctor vel artifex ipſius eſſe voluit.

Quemadmodum enim noſtri intellectus conceptio dicitur vera, inquantum æquatur ſeu conformatur naturæ ſeu proprietatibus rei ſeu propoſitionis: ſic res ipſa dicitur vera, quando conformatur rationi, ſeu conceptui exemplari, quam habet in mente auctoris. Exempli cauſa: Vera domus dicitur, quæ talis eſt, qualis in mente artificis antè concepta fuit. Docet autem ſanctus Thomas in prima parte Summæ, q. 16. art. 6. & 8. veritatem

tem propriè ac ſolùm eſſe in intellectu: res autem omnes & propoſitiones dici veras à veritate duntaxat quæ eſt in intellectu. Sicuti ſanitas eſſe dicitur in homine ſano, in medicina, in vrina. ſed non vniuocè; hoc eſt, eodem modo, & ſimiliter. Verè enim & propriè ſanitas eſt in homine, ſiue in alio animali. Ab illa autem ſanitate dicitur & vrina ſana, & potio medica: ſed diuerſa ratione. Medicina enim ſana dicitur, quia ſanitatis cauſa eſt, atque ad ſanitatem recuperandam conficitur & ſumitur: vrina verò ſana vocatur, quia ſanitatis ſignum eſt. Sic & res quælibet & propoſitio, vera dicuntur, quia reſpondent conceptui intellectus.

Intellectus autem ipſius veritas in eo conſiſtit, quòd habeat conformitatem ad res intellectas. Et hinc intelligere licet, qua ratione veritas ſit mutabilis. Nimirum quia mutatur conformitas vel ſimilitudo intellectus ad rem intellectam. Quemadmodum videlicet quæuis alia ſimilitudo mutatur ac diſſimilis redditur, ex mutatione alterius extremi: ſic veritas mutatur ſiue ex mutatione intellectus, ſiue ex mutatione rei. Contingit enim intellectum nunc aliter atque aliter de re immutata iudicare: ſicuti etiam alij atque alij de re eodem modo ſe habente aliam opinionem concipiunt. Rurſus intellectu eodem modo ſe habente, rem mutari contingit: vt qui nunc ſtat, mox ſedeat. Vnde propoſitio illa, Petrus ſtat, quæ vera erat illo ſtante, falſa redditur ſedente. Si ergo ſit aliquis intellectus in quo nulla eſſe queat opinionis mutatio, vel cuius acceptionem ac iudicium nulla res poſſit effugere, in illo intellectu eſt veritas immutabilis. Qualis eſt ſolus intellectus Dei: vnde illius quoque intellectus veritas, immutabilis eſt. Noſtri autem intellectus veritas mutabilis eſt ex duplici cauſa iam dicta.

Sicut autem omnia artificialia ſe habent & comparantur ad intellectum humanum à quo ſunt; ſic vniuerſa naturalia comparantur ad intellectum diuinum à quo producta ſunt. Vnde, ſicut artificialia dicuntur vera, quia naturam & perfectionem ſuam conſequuntur iuxta conſilium, intentionem, & voluntatem artificis; ſic res naturales appellantur veræ, quia perfectionem ſuam habent ſecundùm diſpoſitionem ſapientiæ Dei, vel ad imitationem & ſimilitudinem conceptus mentis & intellectus Dei. Et hinc illud quod Geneſ. 1. dicitur, Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant bona, duplicem habere ſenſum poteſt. Bona erant omnia, quia ſic planè facta vt Deus voluerat ac decreuerat, mentiſque Dei conceptui ex omni parte conformia. Itaque plena erant optimæ ac certiſſimæ veritatis: id quod Deo iucundum erat cernere. Deinde bona erant, quia hominibus (in quorum gratiam facta erant) vtilia multumque eis variæ commoditatis allatura, ad vſum & finem, in quem creata erant, aptiſſima.

Vtroque iam dicto modo Deus excellentiſſimè verus eſſe dicendus eſt. Veritas enim intellectus illi rectiſſimè conuenit, quia ipſe omnia perfectiſſimè atque intimè cognoſcit: non ſolùm quia Auctor omnium, ſed etiam quia in omnibus intimè præſens. Nec præſentia tantùm cognoſcit aut præterita etiam vt nos; ſed futura quoque; & cognouit ab æterno: imò etiam quæ poſſibilia tantùm ſunt, etſi nec fuerunt vnquam, nec futura ſint.

Conuenit etiam illi ſecundùm naturam ſuam veritas rei: quia diuinum eſſe, eſt ſummè perfectum, diuinoque intellectui quàm maximè conforme: imò potiùs vnum cum illo. Deus ſic eſt plane, ſicut eſſe voluit ab æterno. itemque naturam ſuam, omnemque ſuam perfectionem pleniſſimè intelligit & cognoſcit. Quare, ſeu veritatem rei ſeu intellectus conſideremus, vtroque modo eſt ſummè & maximè verus; imò potiùs ſumma & maxima veritas. Adhæc veritas naturæ, ſeu mentis diuinæ, cauſa & fontalis origo eſt omnis veritatis creatæ. Nihil enim ſine certiſſima & ſumma ratione facit aut producit; ſed cuncta ſecundùm mentis ſuæ, vt ita loquar, exemplar clariſſimum, ac rectæ rationis pleniſſimum. Vnde iuxta ſententiam Sapientis: Sicuti cum ſumma ſapientia omnia condidit; ita certo ac debito numero, pondere & menſura, cuncta diſponit. Sap. 11.

Et ſic D. Auguſtinus intelligit illud Ioannis 1. Quod factum eſt in ipſo vita erat. Sicut artifex quidquid facit, facit ad exemplar, quod habet in mente ſua; ſic Deus quidquid fecit, ad exemplar fecit æternæ ſapientiæ mentis ſuæ. Quamquam non ſunt duo in Deo, ſapientia eius, & mens ſiue intellectus eius: nec diſtincta ſunt in illo ſapientia eius, intellectus eius, natura eius, potentia eius, & multa ſimilia: ſed omnia illa in Deo vnum & idem ſunt. Sed nos de Deo loquimur vt poſſumus, iuxta captum infirmæ noſtræ mentis; & ſecundùm conſuetudinem rerum humanarum. Hoc certum eſt, omnia quæ creauit talia eſſe penitus, ſicuti eſſe voluit quum crearet; imò antequam crearet, ab æterno; atque vt talia ſemper ab eo perfectiſſimè cognoſci. Deinde quidquid veritatis ſeu rectitudinis,

integritatis,bonitatis,perfectionis eſt vllis in creaturis,ſiue in natura illarum ſiue in mente & cogitatione,ſiue in verbis,ſermone, elocutione earum,hoc totum à Deo eſſe.

Diuinus intellectus, eſt regula & menſura vera, iuſta, infallibilis, omnis veritatis creatæ. Adeò vt propterea vnumquodque verum vel falſum ſit, quia à Deo & coram Deo tale cenſetur : & quidquid Deus verum ac rectum iudicat , neceſſe eſt tale eſſe ; quidquid nobis videatur : ſicut ars vel ratio ſeu iudicium artificis, regula dicitur rerum artificialium , quæ per artem fiunt . Sed quoniam artifex etiam optimus & peritiſſimus multis modis falli poteſt , ideò non eſt neceſſe , artificialia omnia conformari ſemper iudicio cuiuſuis artificis . ideoque regula illa quæ ex parte vel ratione artificis ſumitur , non eſt certæ atque indubitatæ veritatis. At verò intellectus Dei nulla ratione errare, falli,vel decipi vnquam poteſt : proinde ſemper oportet creata omnia illius intellectus iudicio conformari. Adeò vt ſi quis tam ab omni ſenſu ac ratione alienus eſſet , vt exiſtimet Deum falli poſſe,illo caſu verum non erit verum , nec falſum falſum ; ſed verum potiùs erit falſum,& falſum verum:omniumque rerum ordo turbabitur, decor & pulchritudo obſcurabitur,natura & ſubſtantia peruertetur. At cùm in omni ordine rerum primum dicatur perfectum,cauſaque & regula & menſura poſteriorum: Deus autem benedictus ſimpliciter & veraciter primus ſit rerum omnium ; conſequitur,eum maximè naturaliter verum eſſe ; omniſque veritatis ſecundæ cauſam primam, ideam, ſiue exemplar æternum,regulam inuiolabilem,& menſuram certiſſimam. Illud quod eſt cauſa vt alia ſint vera,eſt veriſſimum ; inquit Ariſtoteles 2. Metaphyſicorum.

Lex omnium artium,cùm ſit omnino incommutabilis , mens verò humana , cui talem legem videre conceſſum eſt, mutabilitatem pati poſſit erroris ; ſatis apparet , ſupra mentem noſtram eſſe legem,quæ veritas dicitur : nec iam illud ambigendum eſt,incommutabilem naturam quæ ſupra omnem naturam ſit, Deum eſſe ; & ibi eſſe primam vitam,& primam eſſentiam, vbi eſt prima ſapientia. Nam hæc eſt illa incommutabilis veritas,quæ lex omnium artium rectè dicitur , & ars omnipotentis artificis. Itaque, cùm ſe anima ſentiat nec corporum ſpeciem motumque iudicare , ſecundùm ſeipſam ; ſimul oportet cognoſcat, præſtare ſuam naturam ei naturæ , de qua iudicat: præſtare autem ſibi eam naturam ſecundùm quam iudicat,& de qua nullò modo iudicare poteſt. Sic D. Proſper ſententia cccxxxvj.

Deus æternus atque omnipotens, ſicut ſolus verè eſt; (vnde ſibi hoc nomen tribuit di-
Exod 3. cens : Qui eſt,miſit me ad vos.) ſic & verè ſolus verus eſt : imò veritas ipſa potiùs : imò rectiùs æterna, ſumma, & prima veritas . Ita nimirum , vt omnia alia illius reſpectu ſint mera vanitas,nihilque veritatis habeant. Eſſe, & veritas , à ſe inuicem diſiungi non poſſunt. Non poteſt oſtendi vel cogitari eſſentia,ſine veritate. Quantum quiſque vel res quęlibet habet de eſſe,tantum habet de veritate . Vnde omnipotens Deus , quia eſſe habet ſummum , fortiſſimum , imò infinitæ perfectionis ; ideò ſumma etiam eſt atque infinita veritas. Deinde,ſicut fons eſt Deus omnis eſſentiæ in omnibus creaturis ; ſic fons eſt in iiſdem omnis veritatis. Veritas enim ſemper (vt dictum eſt) eſſentiam conſequitur. Tertiò,omnis Dei voluntas,omne verbum eius , eſt ipſiſſima veritas . Sed de hoc poſtmodum latiùs.

CAPVT II.

Ens, vnum, verum, & bonum, in omnibus creaturis inueniri; ſed ſingulariter in Deo.

QVATVOR ſunt præcipuè ſecundùm præcipuos Philoſophos & Theologos quæ ambiunt omnia: ens, vnum, verum, & bonum: quę ſunt quatuor dictiones omnium communiſſimæ. Hæc quatuor ſunt in Deo & in rebus omnibus : ſed longè aliter in Deo quàm in cæteris. Hæc enim omnia Deus habet à ſeipſo: reliquæ verò creaturæ eadem habent à Deo. Primùm autem videbimus quomodo ſint in creaturis.

Quæcumque ſunt poſt Deum , habent cauſam efficientem, exemplarem, & finalem,
Rom. 11. hoc eſt quod Apoſtolus ait , Ab ipſo , & per ipſum, & in ipſo ; ſiue, vt Græca habent , in ipſum ſunt omnia. Si ergo res conſideramus vt à Deo auctore factæ ſunt , ſic rectè entia appellantur. quia nimirum ab illo velut à cauſa efficiente eſſe participant . Si illas accipimus

plmus quatenus exemplari ſuo ſiue ideę mentis diuinæ quadrant & reſpondent, ad quam factæ ſunt, hac ratione dicuntur veræ. Vera enim imago Regis vocatur, quæ vero Regi benè aſſimilatur. Si conſideremus res prout ad Deum tamquam ad finem vltimum tendunt; bonæ dicuntur: ſi verò vnaquæq; res ſecundùm ſe abſolutè accipiatur, vna vocatur.

Eſt autem hic ordo inter hæc quatuor, vt primùm vnumquodque concipiatur ſub ratione entis. Nam priùs efficit agens vnumquodque, quàm illud in ſe ſit aliquid; alioqui non ſecundùm totum quod eſt, ab agente eſſet. Quo fit, vt nihil penitus ſit poſt Deum: idque ens ab alio, ens finitum, ens participatum.

Enti verò ſuccedit vnum. Tertia eſt veritas. Quia poſtquam eſt aliquid in ſe, videndum an tale ſit, quale eſt exemplar ad quod formatum eſt: cui ſi ſimile inuenitur, & ſic veritatem obtineat, reliquum eſt vt in illud ipſum velut in affine & cognatum per bonitatem ſe conuertat. Hæc autem omnia eſſe æquali ambitu, facile cuiuis eſt intelligere. Da aliquid eſſe; certè & vnum eſt. Nam qui vnum non dicit, nihil dicit. Eſt enim quidquid eſt à ſe indiuiſum & ab aliis diuiſum, quæ non ſunt ipſum. Hoc autem quum dicimus, intelligimus vnum: ſiue vt alij loquuntur, quod eſt idem ſibi, & ab aliis alterum. Verum eſt etiam neceſſariò.

Nam ſi eſt homo, exempli cauſa, verus vtique homo eſt. Idemque dictu eſt, hoc non eſſe verum aurum, & non eſſe aurum. Propterea D. Auguſtinus definiens in Soliloquiis quid ſit verum: Eſt, inquit, id quod eſt. Quod non ita accipi debet, vt idem ſit ens, quod verum. Sunt enim illa tametſi re idem; ratione tamen diuerſa. Quare vnum per aliud definiri non debet. Sed hoc dicere voluit Auguſtinus, tunc dici rem veram, quum eſt id quod vocatur, & eſſe dicitur: vt, tunc verum eſt aurum, quum aurum eſt, & non aliud quàm aurum.

Denique & bonum eſt quidlibet, quatenus eſt. Ac multum errare videtur Olympiodorus, dicens, aliud eſſe ens & bonum: idque hoc argumento. Quòd bonum ſimpliciter omnes deſideramus; non autem eſſe ſimpliciter, ſed benè eſſe tantùm; ideoque fieri frequenter, vt quum male ſit quibuſdam, non eſſe deſiderent. Quod de damnatis certè ſic habet; teſte etiam ſacra Scriptura. Non aduertit ille, ſicut multiplex eſt eſſe, ita multiplicem eſſe bonitatem. Eſt enim primò eſſe naturale rerum: vt eſſe hominē, eſſe leonem, eſſe lapidem. Quod eſſe, naturalis bonitas ſemper conſequitur. Sunt alia eſſe, quæ aduentitia dici poſſunt; vt homini, eſſe ſanum, eſſe bonum, pulchrum, ſapientem. Quemadmodum autem eſſe bonum, pulchrum, ſapiētem, alia entia ſunt ab humanitate, ita alia bona ſunt. Aliud enim bonum humanitas; qua homo eſt homo: aliud bonum ſapientia; qua non homo ſimpliciter, ſed homo ſapiens efficitur. ſicut & hęc aliud, & illa aliud ens eſt, & dicitur.

Sicut ergo omnia appetunt bonum, ſic omnia appetunt eſſe. Et primò quidem eam appetunt bonitatem, quæ eſſe naturale conſequitur: quoniam hæc fundamentum eſt ſequentium bonitatum quæ illi adueniunt, vt ſine illa ſtare non valeant. Quomodo enim erit felix, qui omnino non erit? Verùm non illa eis ſufficit bonitas, quam tunc adipiſcuntur, quum primùm ſunt: ſed cupiunt accedere & reliquas, quæ primam illam exornent & abſoluant. Sicut autem rectè dicimus præter primam bonitatem & alias ab eis bonitates appeti: ita verè dicere poſſumus, præter primum eſſe deſiderari ab iis & alia eſſe: quia, aliud eſt eſſe hominem, aliud felicem hominem. Et ſi quis det fieri poſſe vt quis nolit eſſe, ſi non ſit felix: non inde ſequetur aliud eſſe bonum, aliud ens: ſed aliud eſſe ens hominem, aliud felicitatem; paritérque aliam bonitatem hominis, aliam felicitatis. quarum primam homo non vult, niſi habeat & ſecundam.

Proinde verè dicitur, vnumquodque quatenus eſt, eatenus eſſe bonum. Vidit Deus cuncta quæ fecit, & erant valde bona. Quid ni autem bona eſſent, quum à bono eſſent opifice, qui ſui ſimilitudinem ſuæque bonitatis participium imprimit omnibus quæ ab ipſo ſunt? Geneſ. 1.

Iam verò in eſſe rerum, cernere & admirari conuenit potentiam conditoris: in veritate autem, artificis ſapientiam; quòd tam pulchrè & perfectè omnia ad mentis ſuæ exemplar facere potuit: in bonitate rerum, amantiſſimi creatoris liberalitatem: in vnitate, vnicam Dei conditoris ſimplicitatem, vel ſimpliciſſimam vnitatem. Quæ vnumquodque ſibi, tum inter ſe inuicem omnia, tum verò cuncta etiam ad ſeipſum vniuit; vt vnumquodlibet ad ſuipſius amorem & conſeruationem, deinde ad aliorum, poſtremò ad Dei amorem, vocet.

Hæc autem omnia perfectiſſimè quoque in Deo ſunt. Non quidem in reſpectu ad

cauſam quam non habet (ipſe enim omnium cauſa à nullo eſt, nec recipit aliquid) ſed alia quadam ratione, eaque duplici. Primum quatenus conſideratur, non vt cauſa aliorum, ſed in ſeipſo, vt ſit vniuerſitas omnis actus, ac plenitudo ipſius eſſe. Quam intelligentiam ſequitur vnitas Dei: ita vt ne quidem concipi queat oppoſitum. Vnde etiam apertè ſtatim liquet, quantùm aberrent, qui plura prima principia, plures deos, conſtituunt.

Hinc etiam ſequitur eſſe veriſſimum. Quum enim eſſe habeat non apparens aut fluxum, vel mobile, ſed firmum, æternum, ſemper idem, & eodem modo permanens, eſſeque ipſiſſimum; conſequitur, ipſam eſſe & ſummam veritatem. Sed & ipſa erit bonitas. Boni enim tres ſunt conditiones, vt ſcribit Plato in Philebo; vt ſit perfectum, ſufficiens, expetendum.

Iam diuinum eſſe, quod concipimus, erit perfectum; quia illi nihil deerit, quum ſit omnia. Erit ſufficiens aliis; quia illud poſſidentibus nihil deeſſe poterit, quum in illo vno ſint omnia. Erit expetendum; quia ab illo, & in illo ſunt omnia quæ aliqua ratione expeti poſſunt. Deus ergo in ſeipſo pleniſſima entitas, omnia entia in ſe concludens: indiuidua vnitas, ſolidiſſima ac certiſſima veritas, beatiſſima bonitas.

Et hæc illa videtur eſſe quaternitas per quam Pythagoras iurabat, vocabatque principium ſemper fluentis naturæ, hoc eſt omnium quæ in mundo ſunt, quæ ſunt naturâ fluxa omnia & caduca. Iuramus autem per ea quæ firma, quæ ſancta, quæ diuina ſunt. Quid autem ſanctius, firmius, diuinius ente primo, vnitate ſumma, veritate & bonitate ſuprema, vt iam oſtendimus?

Poſſumus nihilominus has quatuor appellationes Deo tribuere, vt rerum omnium cauſa eſt. Sed tunc totus rerum ordo quem nunc diximus inuertetur. Primò enim vnus erit; quia prius in ſe intelligitur quàm intelligatur in cauſa aliorum. Secundò erit bonus, tertiò verus, quartò ens. Inter cauſas enim, finalis prior eſt exemplari, & exemplaris efficiente.

Primùm enim appetimus habere, quo ab iniuriis hominum ac tempeſtatum protegamur: tum formam ſiue ideam domus mente concipimus postremò ex materia illam extrinſecus ædificamus. Quare, ſi quemadmodum ſuprà definiuimus, bonum ad cauſam finalem, verum ad exemplarem, ens ad efficientem ſpectat; Deus vt cauſa eſt, primò boni, tum veri, poſtremò entis, rationem habebit.

Capvt III.

Quomodo rectè intelligi ac dici queat, Vnum eſſe ente maius & ſuperius.

Ad meliorem dictorum intelligentiam, vtque ad diuinæ naturæ & perfectionis aliquanto clariorem notitiam peruenire valeamus; videndum, quid ſit, quod quidam aduerſus prædicta ex Ariſtotele affirmare velint, Vnum & ens non eſſe conuertibilia, nec ſimiliter aut æqualiter de Deo dici poſſe; ſed vnum eſſe ente latius ac ſuperius. Vocabulum ens, duplici modo accipi atque intelligi poteſt. Primùm, vt quum ens dicimus, omne id intelligamus quod eſt extra nihil, ſeu cui adeſt eſſe, & quod dici nihil, verè non poteſt. Hac ſignificatione vox iſthæc communiter vſurpatur ab omnibus. Qua ſignificatione cum vno ſanè prorſus conuertitur, tamque propriè de Deo dici poteſt quàm vnum.

Exod. 3. Et ſic Moyſes ipſe, (vt alios Philoſophos taceam) Deo ens propriè tribuit, quum Deum ſcribit de ſeipſo dicentem; Ego ſum qui ſum. Quod Græcè ibi legitur ad verbum, Ego ſum ens. Quin ipſimet qui volunt vnum ente eſſe generalius; quum dicant & fateantur, enti opponi non ens, ſiue nihil, ſicut multitudo opponitur vni, concedent neceſſariò illud quod non eſt ens, eſſe nihil, ſiue non ens. Sicuti, quod non eſt vnum, eſt multitudo ſiue multum. Quare, ſi eandem ſeruent legem locutionis, fateantur oportet, Deum aut nihil eſſe (quod aures ipſæ reformidant) aut eſſe ens. Adeoque ens quum hoc modo accipitur, dici poteſt neceſſariò de re qualibet, aut eſſe eam aut non eſſe, ſeu nihil eſſe. De nullo autem vtrumque ſimul dici aut cogitari poteſt. Quum ergo extra omnia nihil ſit præter ipſum nihil, ſi hoc modo ſumptum ens ſolum nihil à ſe excludit, omnia ambiat neceſſe eſt, non minus quàm vnum: nec fieri poteſt vt ente ſit quidquam communius, dum hoc modo ſumitur.

Sed poteſt entis nomine & aliud quiddam ſignificari, nomenque illud aliter accipi quàm nunc diximus. Iuxta quem modum perſpicuum erit verè dici poſſe aliquid ente excellentius eſſe & ſuperius. Quod vt recte intelligamus, notandum eſt, nominum alia eſſe concreta (vt Grammatici pariter & Theologi loquuntur) alia abſtracta. Concreta ſunt, calidum, lucens, candidum, homo: Abſtracta, calor, lux, candor, humanitas. Eſt autem hęc illorum vis & diuerſitas, vt quod Abſtractum dicitur, id ſignificet quod à ſe tale eſt, non ab alio: Concretum autem id denotet, quod non à ſe, ſed alterius beneficio tale eſt. Sic lucens luce lucet, candidum candore candidum eſt, & homo humanitate homo eſt. Quoniam verò nihil ſeipſum participat, neque eadem conditio eidem rei & à ſe & ab alterius participatione ineſſe poteſt; ſequitur, vt quod abſtractum eſſe dicitur, à concreto nominari non poſſit. Quare non rectè dicitur, candor candidus eſt, nigredo nigra eſt: quin ridiculus erit qui ſic loquatur: non quia candor niger ſit, aut calor frigidus; ſed quia tantùm & candor à nigredine, & calor abeſt à frigiditate, vt quæcumque candida ſunt, candore ſint candida; & quæcumque calent, caloris participatione caleſcant. Quædam ergo negamus rei cuipiam ineſſe, aut quia non habet, vt cùm dicimus nigrum non eſſe album: aut quia excellentius & perfectiori ratione habet, quàm habere eam ex tali locutione ſignificamus; vt cùm dicimus albedinem non eſſe albam: non quòd ſit nigra, ſed quia non ſolùm ideò non eſt nigra, quia alba eſt, ſeu quia habet albedinem, ſed quia ipſa albedo eſt, quæ omnia alba faciat. Veniamus ad propoſitum: Ens faciem & ſimilitudinem habet nominis concreti; idem enim valet ens, atque id quod eſt: cuius abſtractum eſt hæc dictio, eſſe: vt nimirum ens dicatur quod ipſum eſſe participat. Sicuti lucens dicitur quod lucem participat; & videns cui ineſt ipſum videre.

Ad hanc ergo exactam entis ſignificationem ſi reſpiciamus, negabimus ens eſſe non ſolùm quod non eſt, vel quod nihil eſt, ſed illud etiam quod adeò eſt, vt ſit ipſum eſſe. hoc eſt, quod à ſe, & ex ſe eſt: cuiuſque participatione omnia ſunt quæ ſunt. Sicuti non id ſolùm negabimus calidum quod eſt expers caloris, ſed etiam quod eſt ipſe calor. Tale autem eſt Deus, qui eſt totius eſſe plenitudo: qui ſolus à ſe eſt, non ab alio, & à quo ſolo, nullo intercedente medio, ad eſſe omnia proceſſerunt.

Hac ergo ratione verè dicimus, Deum non eſſe ens, ſed ſupra ens. Itemque ente aliquid eſſe ſuperius: Deum nimirum ipſum: cui quoniam vnius datur appellatio, conſequitur hinc, vt vnum ſupra ens hoc modo ſumptum fateamur. Vocamus autem tunc Deum vnum, non tam ſignificando quid ſit, quàm quomodo ſit omnia quæ ſunt, & quomodo ab ipſo alia ſint. Vnum enim (inquit Dionyſius Areop.) dicitur Deus, quia vnicè eſt omnia. Rurſus vnum dicitur, quia ita principium omnium eſt quæ ſunt, ſicut vnitas principium eſt omnium numerorum.

CAPVT IIII.

Meliùs adhuc & penitiùs examinantur nomina Dei, ad intelligendam perfectionem ſummam & infinitam naturæ eius. Doceturq́ue, quónam modo per quatuor velut gradus ad caliginem aliquouſque perueniatur in qua Deus habitat.

Vide infrà ex Auguſtino. Capite 6.

DEVS ſolus verè (vt diximus) & perfectiſſimè eſt. Ita eſt vt ſit omnia, & quidem eminentiſſimè & perfectiſſimè. Sic eſt, vt omnem perfectionem in ſe abſolutiſſimè contineat, & vt omnem imperfectionem longiſſimè à ſe excludat. Poſſumus autem quidquid imperfecti rationem habet in creaturis duplici ratione conſiderare. Alterum quum quid in aliquo eſt quod in genere illius rei minùs perfectum eſt. Alterum quum ſuo quidem in genere perfectum eſt, ſed ideò non ſimpliciter perfectum, quia illius tantùm vnius generis perfectionem habet; multis exiſtentibus generibus ſuis perfectionibus præditis extra ipſum, quæque in illo non includuntur. Vt autem prius illud exemplo declaremus; cognitio ſenſualis, ſeu ſenſitiua, non ideò ſolùm imperfecta eſt, quia cognitio tantùm eſt, & non eſt appetitio, ſed etiam quia infirma & imperfecta cognitio eſt. Idque tum quia organo eget bruto & corporali, tum quia extrema tantùm atque externa rerum attingit: ad intima autem, id eſt ad ipſam ſubſtantiam, non peruadit. Quin & cognitio

humana, quæ rationalis dicitur, imperfecta eſt; quia vaga, incerta, laborioſa. Denique, intellectualis cognitio mentium Angelicarum, imperfecta quoque oſtenditur; vel ob id ſaltem, quòd extra ſe quærit quod intra ſe plenè non poſſidet; lucem videlicet veritatis, qua eget aſſiduè, quaque perficitur. Demus aliud exemplum in vita, re nobis notiſſima. Vita quæ eſt in herbis & plantis, imò quæ in omni corpore, non ideo ſolum imperfecta eſt, quia vita eſt tantùm & non cognitio, ſed quia non pura vita: potius autem viuificatio quædam ab anima in corpus deriuata, ſemper fluens, ſemper admixta morti: magis denique mors dicenda quàm vita. Incipimus enim tunc mori, quum primùm incipimus viuere; & mors cum vita à prima natiuitate ſemper ſimul progreditur. Tumque demum deſinimus mori, quum viuere deſinimus; id eſt quum à corpore mortis huius per mortem abſoluimur. Quid ergo Angelorum vita, qui corpus non habent, mortem neſciunt, eſtne illa perfecta? Nequaquam. Accipiunt enim illam hauriuntque ſemper extrinſecus ab alio, nempe ab Deo, vero omnis vitæ atque vnico fonte. Niſi enim illorum vitam viuificus radius diuinæ lucis perenniter foueret, extingueretur illicò, totaque dilaberetur in nihilum.

Illa demum vera & perfecta vita eſt in ſuo genere, quæ ſemper vita eſt; quæque non ab alio, ſed à ſeipſa atque in ſeipſa & per ſeipſam vita eſt. Illa non poteſt non eſſe vita. Quod de nullius creaturæ vita dici poteſt, ne Angelorum quidem. Poteſt enim illa non eſſe vita; quia & aliquando non fuit vita: priuſquam eſſent Angeli videlicet. Et niſi illam Deus ſuæ vitæ virtuniſque radio conſeruaret aleretque continuò, ſtatim, vt iam diximus, vita eſſe deſineret. Non aliter atque lampas extinguitur, oleo deficiente; lumenque oculorum noſtrorum, ſolis luce ſubtracta. Deus ergo ſolus, quia in ſe ipſo & à ſeipſo vitam habet, non ab alio; ideò ſolus ſemper viuit, nec poteſt non viuere. eſtque fons verus tum ſuæ ipſius vitæ, tum vitæ omnium aliorum viuentium. Illa ſola eſt vera & perfecta vita. Et

Ioan. 5. hoc illud eſſe videtur quod Dominus ait; Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo. Quibus verbis Dei vitam non obſcure diſtinguit, a vita omnium aliorum viuentium. Hoc eſt ergo primum quod de diuinæ naturæ perfectione ſentiendum eſt: vt nimirum quum Deum cognoſcentem & viuentem facimus, his omnibus cognitionis & vitæ imperfectionibus eum liberemus. Sed non hoc ſatis. Reſtat enim altera, & ea quidem non parua quoque imperfectio, quam paulò antè paucis in voce cognitionis notauimus: nunc poterimus in conditione vitæ obſeruare. Concipe vitam perfectiſſimam; quæ tota ſit vita & pura vita, nihil habens mortale, nihil mortis admixtum: quæque nullo egeat extra ſe, per quod duret ſtabilis, & permaneat. Quemadmodum & cognitionem concipere poſſumus, vt illud etiam exemplum retumamus, qua & omnia & ſimul & perfectiſſimè cognoſcantur. Cui & hoc inſuper adiicere licet, cognoſcentem in ſeipſo omnia hæc cognoſcere; vt non extra ſe quærat veritatem quam cognoſcat, ſed ipſe illa ipſa ſit veritas. Horum vtrumque etſi in ſuo genere ſit perfectiſſimum, & tale omnino vt extra Deum eſſe non poſſit, nec vlli creaturæ competere: tamen ſic acceptum, & à ſe inuicem diſtinctum, adhuc diuinæ perfectioni minimè ſatisfacit, Deoque planè indignum eſt. Deus enim plena, omnimoda, & infinita perfectio eſt: ſed non ideò tantùm quia omnes particulares perfectiones & infinitas alias in ſe habet: tunc enim neque ipſe eſſet ſimpliciſſimus, neque infinita eſſent quæ in illo ſunt; ſed eſſet infinitum vnum ex multis infinitis numero, perfectione autem finitis, collectum. Quod vel dicere de Deo vel cogitare abſurdum eſt. Nam ſi vita quæ perfectiſſima quidem vita, ſed tantùm vita eſt, non etiam cognitio: & cognitio quæ perfectiſſima cogitari poteſt, ſed tantùm cognitio eſt non vita, vel appetitio: itemque appetitio ſeu voluntas perfectiſſima & optima quæ imaginari poſſit, ſed voluntas tantùm ſit non etiam vita vel cognitio, & multa in Deo ſimilia cogitentur, vel collocentur: manifeſte futurum, vt diuina vita finitæ ſit perfectionis. Quoniam etſi eam habeat perfectionem quæ vitæ eſt, non habet eam quæ eſt cognitionis, vel appetitionis, aut voluntatis. Idemque dicendum de cognitione & appetitione & ſimilibus omnibus, quamlibet in ſuo genere perfecta cogitentur, dum nihil aliud comprehendunt.

Tollamus ergo à vita non modò quod eam imperfectam vitam facit, ſed etiam quod facit eam vitam tantùm: itemque à cognitione, & à cæteris omnibus conditionibus perfectionis, quas in Deo ponimus, quæque in illo ſunt: tunc quod ex omnibus conſtabit & remanebit, neceſſariò tale erit, quale Deum intelligere conuenit, vnum ſcilicet perfectiſſimum, infinitum, ſimpliciſſimum. Et quoniam vita ens quoddam eſt, itemque ſapientia,

&

& iuſtitia, & veritas, & potentia ens eſt; ſi particularitatis ac terminationis conditionem his adimas, id quod tum ſupererit, non hoc aut illud ens erit, ſed ipſum ens, ens ſimpliciter, ens vniuerſale, omni perfectione ſiue omnium entium perfectione pleniſſimum. Similiter ſapientia bonum quoddam eſt: ſed hoc bonum quod eſt ſapientia, non illud bonum quod eſt iuſtitia, aut veritas, aut potentia. Vide Auguſtinum lib. 8. de Ciuit. Dei, cap. 6. & lib. 11. cap. 108. & lib. 15. de Trinit. cap. 5. & Bernardum ſerm. 80. ſuper Cantica. Tolle, inquit Auguſtinus, hoc, tolle illud; id eſt, tolle hanc limitationem particularem, per quam ſapientia ſic eſt bonum illud quod eſt ſapientia, vt non ſit bonum illud quod eſt iuſtitia, & ſimiliter iuſtitia ſic habeat bonitatem laudemque iuſtitiæ, vt non habeat illam quæ eſt ſapientiæ: tunc veluti in ænigmate faciem Domini videbis; id eſt omne bonum, ipſum bonum, ſimpliciter bonum, omnis boni bonum. Sic vita ſicut ens quoddam & bonum quoddam eſt; ita eſt & vnum quiddam. eſt enim perfectio vna ſiue vnius rei: pariterque ſapientia perfectio vna: & ſic de cæteris omnibus. Abiice particularitatem; remanet non hoc aut illud vnum, ſed ipſum vnum & ſimpliciter vnum. *Bernardus lib. 5. de Conſiderat.* Quum ergo Deus ille ſit qui ablata omni imperfectione omnia eſt; certè, quum à rebus omnibus, & quæ ſub ſuo genere, imperfectionem & ſui generis particularitatem abſtuleris, id quod remanet, Deus eſt, ac diuina perfectio. Deus ergo ipſum eſt vnum, ipſum bonum, ipſum verum. Sic mirabiliter in Deo omnia vnum tantùm ſunt, & vnum omnia.

Duos iam velut gradus aſcendimus, ad diuinam lucem, ſeu potiùs ad Dei caliginem tendentes quam inhabitat, à diuinis nominibus omnem purgantes maculam, quæ in rerum ſignificatarum imperfectione conſiſtit. Adhuc duo ſuperſunt gradus; quorum alter nominum deficientiam arguit, alter noſtræ intelligentiæ infirmitatem accuſat. Hæc nomina, ens, verum, vnum, bonum, concretum quid dicunt & quaſi participatum, vt antè in nomine ens oſtendimus. Proinde rurſus dicimus Deum ſuper ens, ſuper verum, ſuper vnum, ſuper bonum eſſe, vt rectè proprieque loquimur; quia ſcilicet eſt ipſum eſſe, ipſa veritas, ipſa bonitas.

Verùm adhuc in luce ſumus: Deus autem poſuit tenebras latibulum ſuum. Ad Deum ergo, veramque eius naturam & perfectionem, nondum peruentum eſt. Donec enim quod de Deo dicimus etiam intelligimus & comprehendimus, in luce verſamur. & tantò minora de Deo loquimur & ſentimus, quantò infinitâ ſuæ diuinitatis magnitudine, exigua noſtræ intelligentiæ capacitas minor eſt. *Auguſtinus ſerm. De verbis Domini, cap. 6.*

Ad quartum igitur gradum aſcendentes, intremus ignorantiæ lucem: & diuini ſplendoris caligine excæcati, clamemus cum Propheta: Cor meum & caro mea defecerunt in Deum meum. hoc vnum poſtremò de Deo dicentes, eſſe ipſum intelligibiliter & ineffabiliter ſuper id omne, quod nos de eo perfectiſſimum loqui poſſumus, vel concipere: ita eum ſuper ipſam quam conceperamus vnitatem, bonitatem, veritatem, ſuperque ipſum eſſe eminentiſſimè collocantes.

Huc reſpiciens Dionyſius Areopagita, poſt illa omnia quæ in myſtica Theologia & de Diuinis nominibus ſcripſerat, in calce eiuſdem libri, quaſi qui iam in caligine eſſet, & vt poterat de Deo ſanctiſſimè loqueretur, ſic poſt quædam alia eodem pertinentia exclamauit; Neque veritas eſt, neque regnum, neque ſapientia, neque vnum, &c. Quia nimirum hæc omnia particulares perfectiones ſignificant: quales in Deo nullæ ſunt.

Repetamus nunc breuiter & recolligamus quæ diximus. In primo gradu diſcimus Deum non eſſe corpus, vt Epicuræi, neque formam aut animam corporis, vt ſapientes Ægyptiorum (teſte Plutarcho) olim exiſtimarunt, & Varro Theologus ethnicus Romanorum. Vide quantum iſti omnes à vera Dei cognitione deficiant; in carcere quaſi in calce quieſcentes; & tunc ſe ad Dei faſtigia credentes perueniſſe, cùm humi adhuc iacentes pedem verſus eum nondum mouerunt. Sic enim nec perfecta Deus vita, neque ens perfectum, nec perfectus etiam eſſet intellectus, vt ex antedictis patet.

In ſecundo gradu diſcimus, Deum nec eſſe vitam, nec intellectum, nec intelligibile, ſed melius aliquid atque præſtantius his omnibus. Nam hæc omnia nomina particularem dicunt perfectionem, qualis in Deo nulla eſt: quum Deus ſua vnica perfectione, quæ ſua eſt infinitas, ſua Deitas, ſeu quæ eſt ipſemet, in ſe vniat & colligat illa omnia. Alij Theologi, & Philoſophi, hæc omnia, vitam, intellectum, ſapientiam, veritatem, & ſimilia infinita in Deo eſſe concedunt. Quod non malè etiam conceditur, ac dicitur, iuxta communem loquendi & ſentiendi modum penè omnium; nec pugnat hoc cum ſententia Dionyſij & aliorum qui hæc in Deo eſſe negant, nihilque horum Deum eſſe affirmant, vt

iam

iam audiuimus; ſed res explicatione indiget. Rectè enim dicere licet, in Deo eſſe ſapientiam, veritatem, &c. vel Deum eſſe veritatem, ſapientiam, &c. ſi illud Diui Auguſtini ante oculos habeamus, ſapientiam Dei non plus eſſe ſapientiam quàm iuſtitiam; & iuſtitiam Dei non magis eſſe iuſtitiam quàm ſapientiam, vitamque eius non plus eſſe vitam quàm cognitionem, nec cognitionem eius aliud eſſe quàm vitam; & ſic de ceteris. Omnia hæc in Deo, non ſunt Dei accidentia, (in Deo enim nullum eſt accidens) ſed ſunt eius eſſentia, & Deus ipſe: nam quidquid in Deo eſt, Deus eſt. Eius autem eſſentia, ſeú natura, vna eſt, & non plures. Omnia enim hæc in Deo ſunt vnum & idem: non quidem per confuſionem vel mixtionem, ſed per ſimplicem, ſummam, ineffabilem, fontalem vnitatem. In qua omnis actus, omnis forma, pulchritudo, perfectio, tamquam in penitiſſimo diuinæ immenſitatis theſauro, ſic penitus excellentiſſimè eſt concluſa, vt ſit non ſolum omnibus intima, ſed magis vnum cum omnibus, quàm ſingula ſint ſecum. Deficiunt hîc non ſolùm verba, ad huius ac talis rei elocutionem; ſed mentis etiam noſtræ vis ad conceptum & intelligentiam.

In tertio gradu plus aliquid nobis (dum tenebris appropinquamus) illuxit; vt nimirum Deum non modò imperfectum & quaſi mancum aliquod ens impia cogitatione non fingamus, quale eſſet ſi vel corpus, vel corporis anima, vel compoſitum aliquod ex his animal, diceretur: neque item particulare aliquod genus perfectionis, quamuis abſolutiſſimum faciamus; vt ſi vel vitam dicamus eſſe, vel mentem, vel rationem, aut voluntatem: ſed illis, & inſuper eo omni, quod nomina illa generalia ſignificant, ens, vnum, bonum, verum, quæ omnia ambiunt, maius & melius eſſe cognoſcamus.

In quarto gradu non ſolùm ſuper illa, ſed etiam ſupra omne nomen quod formari, ſupraque omnem notionem & intelligentiam quæ mente concipi à nobis queat, Deum eſſe fatemur. Ac tunc demum aliquo modo eum cognoſcimus, quum penitus neſcimus.

Ex quibus illud colligi poteſt, non ſolùm eſſe Deum (vt Anſelmus & multi non malè dicunt) quo nihil maius dici vel cogitari poteſt: ſed etiam quod in infinitum maius eſt omni eo quod cogitari poteſt. Vt vere illud de eo dicatur (iuxta Hebraicam veritatem Pſal. 64.) Tibi ſilentium, laus: hoc eſt, ſumma & veriſſima laus tua eſt de te ſilere: quum nihil dignè, nihilque verè de re dici queat, vel concipi.

Proinde cui nox, in hac re, die ipſo clarior non apparet, quique in tenebris de Deo non longè plura videt quàm in luce, nondum eſt ad huius ſacræ atque altiſſimæ ſapientiæ ſeu
Pſal. 138. veritatis veſtibula admiſſus. Nox illuminatio mea, inquit ille, in deliciis meis. Deus vbique eſt, & nuſquam eſt. In omnibus eſt, idque intime & magis in omnibus & ſingulis rebus quàm quælibet in ſeipſa: & in nullis tamen cognoſci gaudet, nec agnoſci poteſt. In omnibus cognitis, omnium notorum notiſſimus: nec minùs tamen omnium ignotorum ignotiſſimus. Cuius rei exemplum nonnullum eſt, anima in corpore noſtro. Sic rectè etiam dici poteſt; non hîc aut illic adorandum Deum, neque in monte Garizim, neque in Ieroſolymis, vt Dominus aiebat Samaritanæ; ſed vbique, & nuſquam. Neque nunc, vel tunc; ſed ſemper, & numquam. Et quamuis benè vbique adoretur, meliùs tamen nuſquam: nam in Deo. Et quamuis etiam benè ſemper, tamen meliùs numquam: nam in Deo ſimiliter, hoc eſt, extra & ſupra omne tempus; in æternitate videlicet.

Sed videte, quæſo, quæ nos cæcitas, quæ dementia teneat. Amare Deum, dum ſumus in corpore, multò magis poſſumus, quàm vel eloqui vel concipere: habereque illum citius longè, quàm cognoſcere. Amando autem illum, & minùs multò laboramus quàm volendo cognoſcere, & nobis plus proficimus; & illi quoque magis obſequimur atque gratificamur. Et tamen malumus ſemper quærendo per cognitionem numquam inuenire quod quærimus, & numquam peruenire quò tendimus; quàm amando poſſidere. Quem ſi non amando inuenire poſſemus, fruſtrà etiam inueniremus & haberemus.

CAPVT V.

Quæ vtilitas ex iam dictis, ad rectã vitæ rationem, ſit capienda.

DEINDE & illud notandum, quæri Deum meliùs, & citiùs inueniri, humilitate ac puritate cordis, quàm perſpicacitate ac ſubtilitate mentis. Proinde etiam videndum, ne dum altiſſima de Deo ſcrutari & cognoſcere laboramus, in humili atque infimo iaceamus; id eſt, indigna tantis rebus conditione viuamus. Illud potiùs aſſiduè meditemur,

hanc

hanc mentem noſtram, qua de Dei natura inquirimus & diſputamus, cuique diuina etiam ſanè aliquo-uſque peruia ſunt, ſicuti ex mortali ſemine non eſt, ſic felicem numquam niſi diuinæ mentis, à qua & ad quam facta eſt, poſſeſſione futuram: tantoque magis, dum hîc quaſi aduena peregrinatur, appropinquare felicitati ſuæ; quò magis, poſthabitâ omni curâ terrenorum, ad diuina ſeſe per veram humilitatem & puritatem erigit & aſcendit.

Multa diximus nunc & diſputauimus de ente, de vno, de vero & bono, quatenus hæc Deo conueniunt & propria ſunt. Si ergo cum Deo & apud Deum beati eſſe aliquando volumus (quis autem id nolit?) beatiſſimum & perfectiſſimum Deum imitemur. Quonam modo? Vnitatem in nobis, veritatem & bonitatem, quæ tam Deo ſunt propria, poſſideamus & conſeruemus.

Vnitatis pacem turbat ambitio & ſuperbia, animumque ſibi hærentem ſecumque habitantem extra ſe rapit, & in diuerſa quaſi lacerum trahit ac diſcerpit. Veritatis lux & ſplendor in cœno & caligine carnalis voluptatis amittitur. At verò bonitatem ſuraciſſima nobis furatur cupiditas, ſeu auaritia. Nam bonitatis proprium eſt, communicare libenter aliis quæ poſſideas. Vnde & Plato etiam, quum ab eo quæreretur cur Deus condiderit mundum; Quia bonus erat, inquiebat. Omne enim bonum eſt ſui communicatiuum, & maximè maximum.

Hæc ſunt ergo tria, concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ in mundo regnant, quæque ex mundo ſunt, & non ex Patre, inquit Ioannes: quum Pater ſit ipſa vnitas, ipſa veritas, ipſa bonitas. Fugiamus hinc igitur, nempe ex mundo iſthoc, qui totus in maligno poſitus eſt; ſi ad Patrem noſtrum peruenire volumus, vbi eſt pax vnifica, lux veriſſima, bonitas optima. Sed quis dabit pennas vt eò volemus? Amor eorum quæ ſurſum ſunt. Quis rurſus nobis adimet alas illas? Amor eorum quæ deorſum; libido ſeu cupiditas rerum terrenarum. Quas ſi ſequamur, perdemus pariter & vnitatem, & veritatem, & bonitatem. Neque enim ſumus vnum, ſi curuum terrenumque ſenſum, ſimulque ſpectantem cæleſtia rationem, virtutis fœdere non deuincimus: ſed duos in nobis principes, quaſi per temporum interualla regnantes, nunc Deum per legem mentis, nunc Baal per legem carnis ſequimur. Regnum noſtrum ſic in ſe diuiſum profectò deſolabitur. Quòd ſi ita erimus vnum, vt ſubiectâ ſenſui ratione, ſola imperet lex membrorum, falſa erit hæc vnitas; quia veri non erimus. Dicemur enim & apparebimus homines eſſe, id eſt animalia ratione viuentia, ducemque rationem ſequentia; & pro lege nobis erit ſenſualis appetentia, rationi contraria. Atque ita præſtigium faciemus illis qui nos videbunt. Rurſus, non reſpondebit imago ſuo exemplari. Inſtar enim Dei ſumus. Deus autem ſpiritus eſt: nos autem relicto ſpiritu vel carnales vel animales erimus, vt Apoſtolus ait. Quàm procul autem eo caſu à bonitate quoque futuri ſimus, nimis conſtat. Quòd ſi per veritatem ab exemplari noſtro non recedimus, reſtabit vt per bonitatem ad ipſum tendentes, illi aliquando penitus copulemur.

Quòd ſi tria hæc, vnum ſcilicet, verum, & bonum, perpetuo nexu ens conſequuntur; reliquum eſt, vt quum illa non ſimus, etiam non ſimus penitus: de vero eſſe loquendo. Et quamuis eſſe videamur, & viuere credamur; morimur tamen potiùs iugiter, quàm viuamus.

CAPVT VI.

Quomodo & quamobrem veritas approprietur Filio Dei, magis quàm Patri, vel Spiritui ſancto.

QVVM Deus dicitur eſſentialiter veritas eſſe, prima & ſumma veritas, omniſque veritatis creatæ cauſa, communis eſt veritas ſic ſumpta omnibus in Trinitate perſonis; conuenitque æquè Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Eſtque omnium trium vna eademq; veritas: ſicuti eſt vna eademque potentia, ſapientia, bonitas, &c. Hæc enim omnia, conditiones ſunt naturales diuinæ eſſentiæ, quæ vna eſt tantùm tribus perſonis. Imò idem propriè loquendo ſunt, quod eſſentia vel natura diuina, vt ex antedictis patet.

Attamen, communi more loquendi Doctorum & Theologorum, veritas propriè tribuitur Filio in diuinis: quemadmodum eidem etiam tribuitur ſapientia: Deo autem

Patri

Patri potentia,& Spiritui ſancto bonitas & charitas. Et hic fortè vſus moduſque loquendi,
Ioan 14. quo Filio Dei appropriatur veritas, ſumptus eſt ex Scripturis: ſiue iſtis, Ego ſum via, veritas & vita: Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt: ſiue aliis. Quamquam prædictæ Scripturæ Chriſto Filio Dei proprie veritatem aſſcribentes, de eo loqui videntur magis ſecundum humanam naturam, quam ſecundum diuinam: vt poſt latius declarabimus.

Et tamen non mala eſt ratio quamobrem Chriſto etiam ſecundùm diuinam naturam
Hebr. 1. veritas proprie tribuatur. Chriſtus enim tamquam Filius Dei imago Patris eſt, ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius, vt Apoſtolus ait. Et ſicuti de hominibus dicitur, quòd filios generant ad imaginem & ſimilitudinem naturæ ſuæ (quomodo etiam ſacra Scriptura de Adam loquitur Geneſ. 5.) ſic multò magis Deus Pater Filium ſuum ab æterno genuit ſuæ naturæ ſimillimum: adeoque per omnia ſimilem ſibi, vt ſecundùm naturam non ſit niſi vnus idemque ſecum.

Iam autem veritas in eo eſt proprie, quòd res aliqua reſpondeat & conformis ſit exemplari, ad quod facta eſt. Vera imago regis dicitur, quæ regis effigiem ac perſonam vere repræſentat. Falſum autem contra eſt, quod non reſpondet exemplari ſuo. Quum ergo Filius Dei ſit ipſiſſima ſimilitudo, imago & figura paternæ ſubſtantiæ, ita quidem vt nihil ſit differentiæ, nihil prorſus diſſimilitudinis inter ipſum & patrem; rectiſſimè Veritas appellatur.

Huc pertinet quòd Chriſtus ſecundùm diuinitatem ſuam nuncupatur frequenter in Sacris litteris verbum Dei, vel ſermo Dei. Verbo autem & ſermoni propriè conuenit veritas: eſtque maxima & præcipua laus ſermonis, quòd verus ſit: & verus propriè dicitur, quia conceptui mentis reſpondet, à qua proficiſcitur; vt ante oſtendimus, vbi de propoſitionis veritate diſſeruimus. Ita Chriſtus verbum Patris dicitur, quia menti eius ſeu naturæ totus reſpondet, perfectamque eius imaginem & ſimilitudinem gerit. Dicitur autem verbum ad ſimilitudinem verbi interni ſeu cogitationis mentis noſtræ. Vnde Auguſtinus 15. de Trinit. cap. 10. Quiſquis poteſt intelligere verbum, non ſolùm antequam ſonet, verùm etiam antequam ſonorum eius imagines cogitatione voluantur: (hoc enim eſt quod ad nullam pertinet linguam, earum ſcilicet quæ linguæ appellantur gentium, quarum noſtra lingua Latina eſt) iam poteſt videre per hoc ſpeculum, atque
Ioan 1. in hoc ænigmate, aliquam verbi illius ſimilitudinem de quo dictum eſt; In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Neceſſe eſt enim, quum verbum loquimur, id eſt quod ſcimus loquimur, ex ipſa ſcientia quam memoria tenemus naſcatur verbum: quod huiuſmodi ſit omnino, cuiuſmodi eſt illa ſcientia de qua naſcitur. Formata enim cogitatio ab ea re quam ſcimus, verbum eſt quod in corde dicimus. Quod nec Græcum eſt, nec Latinum, nec linguæ alicuius alterius: ſed cùm id opus eſt in eorum quibus loquimur perferre notitiam, aliquod ſignum, quo exprimatur & ſignificetur, aſſumimus. hoc ſignum eſt vel Græcum verbum, vel Latinum, vel linguæ alterius. Sed tranſeunda ſunt hæc, vt ad illud perueniatur hominis verbum, per cuius qualemcumque ſimilitudinem, ſicut in ænigmate, videatur vtcumque verbum Dei. Dico hominis verbum, quod neque prolatiuum eſt in ſono, neque cogitatiuum in ſimilitudine ſoni (omnia enim ſonantium verba linguarum in ſilentio cogitantur; & carmina percurruntur animo, tacente ore corporis) ſed quòd omnia quibus ſignificatur ſigna præcedit, & gignitur de ſcientia, quæ manet in animo, quando eadem ſcientia intus dicitur ſicuti eſt. Simillima eſt enim viſio cogitationis, viſioni ſcientiæ. Nam quando per ſonum dicitur vel per aliquod corporale ſignum, vt ſunt nutus vel litteræ ſcriptæ, non dicitur ſicuti eſt, ſed ſicut poteſt videri audirive per corpus. Quando ergo quod in notitia eſt, hoc eſt in verbo; tunc eſt verum verbum, & veritas. Sic accedit quantum poteſt iſta ſimilitudo imaginis factæ, ad illam ſimilitudinem imaginis natæ, qua Deus Filius Patri per omnia ſubſtantialiter ſimilis prædicatur. Animaduertenda eſt in hoc ænigmate etiam iſta verbi Dei ſimilitudo: quòd ſicut de illo verbo dictum eſt, Omnia per ipſum facta ſunt, vbi Deus per vnigenitum verbum ſuum prædicatur vniuerſa feciſſe, ita hominis opera nulla ſunt, quæ non prius dicuntur & formantur in corde. Eſt & hæc, in iſta ſimilitudine verbi noſtri, ſimilitudo verbi Dei; quia poteſt eſſe verbum noſtrum, quod non ſequatur opus; opus autem eſſe non poteſt niſi præcedat verbum. Sic & verbum Dei potuit eſſe & fuit ab æterno, nulla exiſtente creatura: creatura verò nulla eſſe poteſt, niſi per ipſum per quod facta ſunt omnia. Hæc Auguſtinus. Quibus verbis

addi

addi poteſt, quòd quemadmodum mens ſibi ipſi intus loquitur per verbum cogitationis & conceptionis ſuæ, atque in ea tum ſeipſam tum alia omnia quæ ſcit, videt & cognoſcit; ita & per Filium ſibi ipſi Pater loquitur. inque eo tamquam ſpeculo limpidiſſimo, & imagine veriſſima, ſeque omneſque creaturas ſuas perfectiſſimè contemplatur. Hinc ergo cognoſcimus, quemadmodum Chriſtus ſecundùm diuinam naturam ſuam rectè apteque veritas appelletur. Sed hîc nunc alia quædam naſcitur quæſtio; quam S. Auguſtinus, vt mouet ac proponit, ſic benè etiam egregieque diſſoluit: quare illius tantùm verbis vtemur. Sic habet tractatu 39. in Ioannem ſuper illa Chriſti verba Ioannis 8. Multa habeo de vobis loqui & iudicare: ſed qui miſit me, verax eſt. Tamquam diceret, inquit Auguſtinus: Ideò verum iudico, quia filius veracis veritas ſum. Pater verax, Filius verax. Quid putamus eſſe amplius? Cogitemus, ſi poſſumus. Quid eſt amplius, verax an veritas? pius homo an pietas? Sed plus eſt ipſa pietas. pius enim à pietate, non pietas à pio. Poteſt enim eſſe pietas, etſi ille qui pius erat factus eſt impius. ipſe perdidit pietatem, pietati nihil abſtulit. Quid item, pulcher an pulchritudo? Plus eſt pulchritudo quàm pulchet. pulchritudo enim facit pulchrum, non pulchet facit pulchritudinem. Caſtus an caſtitas? Caſtitas planè plus eſt quàm caſtus. ſi enim caſtitas non eſſet, vnde eſſet iſte caſtus non haberet: ſi autem noluerit eſſe caſtus, caſtitas integra perſeuerat. Si ergo plus pietas quàm pius, plus pulchritudo quàm pulchet, plus caſtitas quàm caſtus; numquid dicturi ſumus, plus veritas quàm verax? Si hoc dixerimus, Filium incipiemus dicere Patre maiorem. Ait enim apertiſſimè ipſe Dominus, Ego ſum via, veritas, & vita. Ergo ſi Fi- *Ioan. 14.*
lius veritas; Pater quid, niſi quod ait ipſa veritas, qui me miſit verax eſt? Filius veritas, Pater verax. Quid plus ſit, quæro; ſed æqualitatem inuenio. Verax enim Pater, non ab ea veritate cuius partem cepit, ſed quam totam genuit. Video planiùs eſſe dicendum. Omnis anima quoniam res eſt mutabilis, quamuis magna creatura, tamen creatura: quamuis corpore melior, tamen facta. Omnis ergo anima qupniam mutabilis eſt, hoc eſt, modò credit, modò non credit; modò vult, modò non vult; modò adultera eſt, modò caſta; modò bona, modò mala; mutabilis eſt. Deus autem, hoc quod eſt, eſt. Ideò proprium nomen ſibi tenuit, Ego ſum qui ſum. hoc & Filius, dicendo, Niſi credideritis quia ego ſum. Ad hoc pertinet: Tu quis es? Principium. Deus igitur incommutabilis eſt, anima mutabilis. Quando capit anima ex Deo vnde fit bona, participando fit bona: quomodo tuus oculus participando videt: nam lumine ſubtracto, non videt; cuius particeps factus videt. Quia ergo anima participando fit bona; ſi mutata cœperit eſſe mala, bonitas manet, cuius erat particeps bona. Bonitatis enim cuiuſdam particeps facta eſt, cùm bona eſſet; quâ mutatâ in peius, integra bonitas permanet. Si recedat anima, & mala fiat; non minuitur bonitas: ſi reuertatur & bona fiat; non creſcit bonitas. Factus eſt oculus tuus particeps lucis huius, & vides: clauſus eſt, hanc lucem non minuiſti; apertus eſt, hanc lucem non auxiſti. Hac data ſimilitudine fratres intelligite: Quia ſi pia eſt anima; eſt pietas apud Deum, cuius eſt particeps anima: ſi eſt caſta anima; eſt caſtitas apud Deum, cuius eſt particeps anima: ſi bona eſt anima; eſt bonitas apud Deum, cuius eſt particeps anima: ſi verax eſt anima; eſt veritas apud Deum, cuius eſt particeps anima. Cuius particeps ſi non fuerit anima; omnis homo mendax. Si omnis homo mendax; nullus homo de ſuo verax. Pater autem vetax, de ſuo eſt vetax: quia genuit veritatem. Aliud eſt, verax eſt homo iſte quia iam petcepit veritatem: aliud eſt, verax eſt Deus, quia genuit veritatem. Ecce quomodo vetax eſt Deus non participando ſed generando veritatem. Sic ille.

Quòd ſi de Filio Dei loquamur ſecundùm humanam naturam, & ſecundùm quod mediator factus eſt inter Deum & homines, illa conſideratione optimè illi & propriiſſimè veritas conuenit: idque multis modis, vt pòſt latiùs audiemus. In primis autem & præcipuè hac ratione & conſideratione veritas dicitur, quia omnes Dei promiſſiones impleuit, quæ factæ erant ab exordio mundi. Omnes enim promiſſiones Dei, ab initio mundi habebant quòd liberaturus eſſet aliquando humanum genus à peccato, à morte, à poteſtate diaboli, & perducturus ad vitam æternam. Hanc promiſſionem continebant in primis verba illa Dei, diabolo dicta ſtatim à primo hominis peccato: Inimicitias ponam *Geneſis 3.*
inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius: & ipſum conteret caput tuum. Idem repetebat Deus poſtea ad Abraham, Iſaac, & Iacob. quod nimirum in ſemine illorum benedicerentur aliquando omnes gentes. Idem promittebat deinde Dauidi regi. Denique omnes Prophetæ præcipuè illam Dei promiſſionem inculcabant, perque illam ſe & alios pios conſolabantur. Omnes illas promiſſiones impleuit Deus filius homo

factus, & per mortem ſuam genus humanum redimens à morte æterna. Hinc rectiſſimè illi veritas attribuitur. Et hoc propriè eſt, quod dicitur Ioannis 1. Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Sic Apoſtolus ait 2. Corinth. 1. Quotquot promiſſiones Dei ſunt, in illo eſt. hoc eſt, Quidquid Deus vnquam promiſit de ſalute futura humani generis, hoc per Chriſtum & in Chriſto impleuit. Hoc ſanè ad Chriſti & Dei Patris præcipuam & ſempiternam laudem commemorant in Canticis ſuis, Spiritu ſancto auctore compoſitis, tum Zacharias pater Ioannis Baptiſtæ, tum B. etiam Maria Dei genitrix. Ille quidem
Lucæ 1. ſic dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ. Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui. Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt, prophetarum eius. Hæc autem penè iiſdem verbis. Suſce-
Ibidem. pit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham & ſemini eius in ſæcula.

CAPVT VII.

De veritate verborum & promiſſionum Dei.

HACTENVS de veritate Dei diſputauimus, quæ naturam eius diuinam conſequitur, quæque in illo fuit ab æterno. An ſic vſpiam Scriptura ſacra de Dei veritate loquatur, neſcio. nunc certè mihi nulla talis ſcriptura occurrit. Sed eſt alia quædam veritas Dei, cuius vbique ferè locorum Sacræ litteræ mentionem faciunt: quæ nimirum conſiſtit in præſtatione promiſſorum, ſiue adimpletione quorumlibet verborũ Dei. Quæ veritas in Deo non fuit ab æterno, nec ad eius propriè diuinam eſſentiam pertinet, ſed creaturas concernit, euentuſque illos quos ei placet creaturis ſuis accidere, illiſve ſuperinducere. Quare nullis exiſtentibus creaturis, vel quum Deus nihil dicit aut ordinat in futurum, nulla in eo talis veritas locum habet. Talis quædam virtus aut res eſt Dei miſericordia. quæ non ſemper in eo fuit, ſed tantummodo ex quo creaturæ eſſe cœperunt. Nec tunc etiam ſtatim: ſed dumtaxat quando homines creaturæ Dei cœperunt eſſe miſeri, infelices, afflicti. Miſericordia enim præſupponit miſeriam. quæ vbi non eſt, ibi miſericordia locum habere non poteſt. Sic quum miſeri homines poſt peccatum in Deum admiſſum, iuſtamque eius vindictam mox ſubſecutam, variis modis indigere cœperunt ope atque auxilio Dei, Optimus & clementiſſimus Deus multa illis beneficia vltrò ac non rogatus præſtitit; alia autem nunc ſua etiam ſponte, nunc ad ſupplicem piorum hominum rogationem, in futurum tempus promiſit. Ibi tunc locum habere cœpit veritas Dei, de qua loquimur. Exempli cauſa; Promiſit Deus Abrahæ Geneſ. 18. quòd infra annum habiturus eſſet filium ex Sara vxore ſua. Hoc tum Saræ tum Abrahæ quoque ipſi mirum eſſe ac difficile videbatur; vt vix credere poſſent futurum eſſe: quemadmodum erat reuerà, ſecundùm naturæ vim atque ordinem, impoſſibile. Attamen liberauit Deus fidem, impleuitque promiſſum ſuum; natuſque illis eſt filius tempore conſtituto. Iam inde ab initio promiſerat Deus, ſe mundi redemptorem aliquando miſſurum, per quem genus humanum liberaretur à ſeruitute peccati, à dominio mortis, à tyrannide atque oppreſſione diaboli. Illa promiſſio, quia diabolum mundi principem non latebat, quum præcipuè illi ipſi fuiſſet à Deo primùm omnium indicata, totis viribus laborauit vt effectum illius impediret: totumque mundum omneſque eius Reges ac Monarchas ad illam impediendam promiſſionem excitauit. Quidquid enim paſſi vnquam ſunt Iſraëlitæ, genus Abrahæ, ab Ægyptiis, ab Aſſyriis, Babyloniis, Perſis, Græcis, Syris, Romanis, ſpatio annorum pluſquam duorum millium, factum & procuratum eſt à diabolo, Deo permittente in vindictam peccatorum populi ſui, non ſolùm vt temporaliter affligerentur (quamquam etiam illa ac tali oppreſſione hominum gaudet malus atque immundus ſpiritus) ſed præcipuè vt efficeret, ne ex populo illo, iuxta Dei promiſſionem, mundi Saluator aliquando naſceretur, qui homines è tyrannica poteſtate ſua atque e morte ac damnatione æterna liberaret, ſuumque infernale regnum deſtrueret. Sed quid effecit? Veritatem diuinæ promiſſionis impedire non potuit. Venit tandem, ac natus fuit, idque tempore à Deo ordinato & prædicto, qui promiſſus erat: impleuitque omnia exactè quæ iuxta Dei promiſſionem præſtare debebat. De hac veritate Dei loquitur propriè Apoſtolus Roman. 15. Dico autem, &c. Tales ſunt innumeri effectus veritatis Dei ac promiſſorum ipſius in Sacris litteris, ſed nos vnum atque alterum dumtaxat exempli cauſa in medium produ-

promiſimus. Huc pertinent Scripturæ illæ: Fidelis Deus in omnibus verbis ſuis, & ſan- Pſal. 144.
ctus in omnibus operibus ſuis. Verbum Domini manet in æternum. Cælum & terra Luca 21.
tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. Hoc eſt illud etiam quod Paulus Apo-
ſtolus dicit Roman. 3. Quid enim ſi quidam ex Iudæis non crediderunt in Ieſum Chri-
ſtum, & ſalui proinde non fuerunt, numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit?
hoc eſt, An ideo Deus non ſaluabit populum ſuum, vt promiſit, electoſque ſuos? Eſt au-
tem, inquit, Deus verax; omnis autem homo mendax: ſicut ſcriptum eſt, Vt iuſtificeris Pſal. 50.
in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

De eadem hac Dei veritate loquuntur Scripturæ multæ veteris potiſſimùm Inſtru-
menti, in quibus veritas miſericordiæ frequenter & eleganter coniungitur, Geneſ. 32. Mi-
nor ſum cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua quam expleuiſti ſeruo tuo. Item 24.
Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abſtulit miſericordiam &
veritatem ſuam à domino meo. 2. Regum 2. Retribuet vobis quidem Dominus miſeri-
cordiam & veritatem. Pſal. 53. Domine in cælo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad
nubes. 84. Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi. 88. Miſericordia & veritas præcedent
faciem tuam. item eodem Pſalmo Et veritas mea & miſericordia mea cum ipſo. 92. Ad
annuntiandum mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. 97. Recorda-
tus eſt miſericordiæ ſuæ & veritatis ſuæ domui Iſrael. 99. Quoniam confirmata eſt ſuper
nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum. Prouerb. 3. Miſericordia &
veritas non te deſerent. In quibus omnibus locis, & aliis qui nunc nobis non occurrunt,
Miſericordia ſignificat gratiam & beneuolentiam Dei erga homines, quâ iis vult, conſti-
tuit, promittit, benefacere: veritas autem in eo eſt, quòd bonam ſuam voluntatem, de-
cretum, ſeu promiſſionem, opere ſemper ipſo compleuit. Qua ſignificatione eadem illa
dicuntur etiam interdum de piis hominibus. Geneſ. 24. Quamobrem ſi facitis miſericor-
diam & veritatem cum domino meo Abraham. Prouerb. 14. Miſericordia & veritas
præparant bona. & 20. Miſericordia & veritas cuſtodiunt regem.

Sicut autem Deus verificauit & reipſa compleuit vaticinia Prophetarum tam ardua ac
difficilia creditu, de natiuitate, paſſione, morte, reſurrectione Filij ſui, deque ſancti Spiri-
tus miſſione, & conuerſione omnium Gentium; ita etiam certo certius implebit verba
ſua de vltima reſurrectione mortuorum, de extremo iudicio, deque illis quæ poſt iudi-
cium illud extremum ſequentur. Soluet promiſſum pauperum diſcipulorum ſuorum,
quibus dixit & promiſit: In regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis Matth 25.
ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael. Promiſ- Matth. 5.
ſum lugentium. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Et quomodo ſi mater Iſa 66.
blandiatur, ita ego conſolabor vos.

CAPVT VIII.

De veritate minarum ac ſuppliciorum impiis à Deo prædictorum.

QVEMADMODVM verax eſt Deus in complendis promiſſis ſuis erga filios & fi-
deles ſeruos ſuos; ſic non minùs verax eſt in adimplendis illis quæ minatur & præ-
dicit incredulis, malis, atque impiis omnibus. Minatus olim erat & prædixerat per ſer-
uum ſuum Noë ſe totum mundum aquis perditurum propter peccata. Non credebant
illud impij & ſcelerati homines: permanebant in peccatis edentes & bibentes, Deumque
& omnes eius comminationes ridentes. Sed venit tandem diluuium, & perdidit omnes.
Sic per ſeruum ſuum & Prophetam Ieremiam dixerat, ſe vrbem Ieruſalem vnà cum
templo ſacro flammis traditurum, omneſque Iudæos aut gladio aut fame perituros, aut
captiuos Babylonem abducendos, propter peccata ſua. Nemo hoc credere poterat, aut
volebat, futurum eſſe; donec re ipſa completum eſt. Ad eumdem modum nunc impij
homines non credunt futurum eſſe extremum iudicium, ignemque illis æternum para-
tum: vel ſi credunt non curant, nec metuunt, & ſic viuunt quaſi non credant. At ſuo tem-
pore experientur Deum veracem eſſe. Sicut enim omnia adimpleuit præterita, vti præ-
dixerat, ſic futura quoque omnia, vbi tempus conſtitutum aduenerit, implebuntur.

CAPVT IX.

Differentia gratiæ & veritatis Chriſti, à lege Moyſi.

Ioan. 1. HVc quoque referri poſſunt ſcripturæ illæ D. Ioannis, de veritate Chriſti; Vidimus
gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Et paulò
pòſt, Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. In quibus
ſententiis gratia & veritas eodem modo eodemque ſenſu accipiuntur. Et diſtinguitur per
hæc duo Chriſtus à Moyſe, nouum Teſtamentum à veteri, lex Euangelica per Chriſtum
allata à lege Iudaica, quam tradiderat Moyſes. Iudæi nullum ex omnibus patribus ſuis
pluris faciebant quàm Moyſen. idque propterea quòd legem eis diuinam tradiderat.
Quem idcircò etiam vſque adeò efferebant ſupra Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,
vt nullam comparationem admitterent. Hinc illæ eorum voces: Nos Moyſi diſcipuli ſu-
mus. item; Nos ſcimus quòd Moyſi locutus eſt Deus: hunc autem neſcimus vnde ſit.
Ioannes ergo Euangeliſta his paucis verbis Chriſti immenſam dignitatem ſupra Moy-
Ioan. 1. ſen, legiſque eius præſtantiam & vtilitatem ſupra legem Moyſaicam explicat. Lex per
Moyſen data eſt, inquit, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Quibus verbis
ſignificat, in lege Moyſis vt multa fuerint alia inſigni laude & commendatione digna, ta-
men nec gratiam fuiſſe nec veritatem. Quod vt melius intelligatur, notandum in lege
Moyſis duplicia ferè præcepta fuiſſe; quædam moralia quæ ad rectæ & bonæ vitæ inſti-
tutionem ſpectant; vt ſunt decem illa quæ inſcripta erant digito Dei in duabus tabulis la-
pideis, & nonnulla alia eò pertinentia: alia verò cæremonialia, quæ rationem contine-
bant & modum colendi Deum. De quibus agit præcipuè totus liber Leuiticus. Iam
vtraque hæc præcepta permagnum ſeu defectum ſiue imperfectionem habebant. Mo-
ralia enim præcepta carebant gratia, cæremonialia autem veritate. Quod ſic eſt intelli-
gendum: Præcipiebat Moyſes multa admodum lege ſua morali, ad morum honeſtatem
vitæque ſanctitatem pertinentia, ſed præcipiebat tantùm: gratiam autem & virtutem
hominibus dare, qua implere ac præſtare poſſent quod mandabat, id nequaquam pote-
rat. Homines autem ex peccato & naturæ corruptione non tantùm cæcitate laborant &
ignorantia, qua neſciunt quid bonum vel malum, quid iuſtum vel iniuſtum; ſed magna
etiam virium imbecillitate, qua etiam quod rectum & bonum nouerunt, præſtare non
poſſunt. Similes ſunt homini pauperi pariter & ægroto: qui & nihil prorſus habet quo vi-
uat, quóve ſe & familiam ſuam alat; & præterea magno oppreſſus morbo decumbit.
Huic ſi quis diceret, Si vis poſthac tota vita tua habere vnde honeſtè viuas, vtque liber ſis
ab omni metu paupertatis, vade ad illum locum & fac hoc vel illud, dabitur tibi pro la-
bore tuo, quod ſatis ſuturum ad honeſtè ſemper viuendum; ille ſanè aliquid diceret, be-
ne miſero & pauperi conſuleret, magnum illi beneficium præſtaret, modum & rationem
monſtrando qua ex omni ſua dura triſtique paupertate poſſet emergere: ſed quid tamen
hoc beneficium illi prodeſſet, ſi aliud nihil accederet? Poſſet reſpondere dicenti ſibi &
conſulenti; Magnam tibi gratiam habeo, quòd miſertus longæ & miſeræ paupertatis
meæ modum mihi oſtendis quo diues euadam: at hoc totum beneficium mihi inutile
eſt, quamdiu morbo hîc ita proſtratus iaceo: non poſſum enim ſic affectus præſtare quod
iubes: ne ſurgere quidem, aut me lecto leuare valeo, tantum abeſt vt miliaribus aliquot
iter facere queam, & laborare. Verùm, ſi quis veniret, qui pauperi illi & ægroto ſimilem
aliquam vel meliorem etiam rationem oſtenderet, aliquot dierum labore ampliſſimas
diuitias comparandi, & ſimul arte medicinæ illum confeſtim ſanaret, viribuſque & ſani-
tati reſtitueret, vt mox idoneus fieret ad proficiſcendum quò eundum eſſet, & laboran-
dum vt oporteret; is demum plenum perfectumque miſero homini beneficium præſta-
ret. Tale eſt diſcrimen inter Moyſen & Chriſtum, inter huius & illius legem. Moyſes
homini cæco & ægroto oſtendebat viam ſalutis æternæ: docebat quid malum, quid bo-
num; quid rectum, quid iniquum; quid Deus ab homine requireret vt illi placeret, ad re-
gnumque eius æternum peruenire poſſet. Aliquid erat hoc ſanè, imò multum erat ad-
modum. Non fecit taliter omni nationi, inquit rectè Propheta ille regius. Attamen hoc
homini ſolum nihil proderat: erat enim homo tam ægrotus & infirmus factus peccati
morbo, vt nihil eorum quæ lex præcipiebat præſtare poſſet. Iam verò aliud hinc & gra-
uius malum homini miſero accedebat: quum enim non modò infirmus ac debilis eſſet

per

per peccatum,ſicque omnibus animæ viribus deſtitutus vt nihil boni præſtare poſſet, ſed eſſet etiam malus totuſque peruerſus; euênit, vt cognita iam per legem voluntate Dei, omniquc auxilio priuatus ad eam implendam,grauius multò quàm antè peccaret. Nempe qui multa ante mala non faceret quæ ignorabat, & de quibus proinde non cogitabat; quum iam illi declarari per legem peccata & prohiberi cœperunt, tum maximè illa facere voluit,adeoque opere etiam ipſo perpetrauit. Scimus enim illam eſſe naturam & conditionem hominis mali,vt id maximè perpetrare velit, quod vetatur facere: non facturus frequenter, ſi nulla exſtaret prohibitio: quod Ethnici quoque ipſi non ignorarunt. Vnde ſcribitur de quodam inter eos legiſlatore, quum interrogaretur, cur nullam conſtituiſſet legem in paricidas, reſpondiſſe; quòd tale tamque immane flagitium neminem docere voluerit, magiſque ad perpetrandum inflammare prohibendo. Et hæc eſt ratio cur Paulus Apoſtolus legem Moyſis ſcribat iram operatam fuiſſe; hoc eſt, homines peiores faciendo,maiorem illis multò iram Dei conciliaſſe.Non quòd illa eſſet natura aut intentio legis, homines peiores facere: ſed quòd tam mala & peruerſa eſſet natura hominis,cui lex data & præſcripta erat. Qua de re latè diſputat multaque ſcribit Apoſtolus ad Roman. 7. Moyſes ergo per legem ſuam docere potuit hominem, quid faciendum eſſet ad vitam æternam conſequendam; efficere autem,vt homo,quod faciendum ſciebat, faceret, non potuit. Potuit homini morbum ſuum oſtendere, & medicum etiam à quo ſanandus eſſet; at verò ſanare lex ipſa non poterat. Hoc potuit & præſtitit homini per legem ſuam Euangelicam Chriſtus Dominus. Is & docuit hominem veritatem rectamq. ſalutis viam,omnemque Dei voluntatem aperuit, longè meliùs quàm Moyſes; & ſimul homini facultatem dedit implendi ipſo opere & præſtandi quod docuerat. Promeruit enim homini per mortem ſuam, & tamquam verus Dei Filius dedit etiam Spiritum ſanctum ,qui hominis peruerſam malamque voluntatem non minùs ſuauiter quàm potenter immutauit; vt quæ antè peccato tota addicta erat,legemque Dei oderat,iam è diuerſo odium peccati concipere, & verum erga Deum eiuſque legem amorem induere inciperet,ac præſtare quod mandaret; non iam ampliùs inuita vel timore pœnæ,ſed vltrò ac libenter: idque,etſi nullæ eſſent pœnæ propoſitæ non præſtantibus,nullave præſtantibus præmia repromiſſa. Hoc Dei auxilium quo ſic renouat mentem hominis,quo ſanat omnem infirmitatem eius, quo aufert ab ea omnem prauam affectionem & inclinationem ad peccatum, totamque ad virtutis ac iuſtitiæ amorem inclinat, atque ita idoneam efficit ad obtemperandum in omnibus libenter atque hilariter legi Dei, in Scripturis Apoſtolicis & Euangelicis gratia appellatur; eſtque propriè gratia noui Teſtamenti per Chriſtum allata:quæ omnibus & ſolis electis Dei filiis datur. De qua gratia vbique frequentiſſima mentio in Epiſtolis Paulinis. De illa etiam ſcribit D.Ioannes,dicens: Lex per Moyſen data, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. vt paulò antè; Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis.Et hanc differentiam veteris & noui Teſtamenti ſatis etiam diſertis verbis deſcripſerunt Prophetæ. Ieremias 31. Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael & domui Iuda fœdus nouum: non ſecundùm pactum quod pepigi cum patribus veſtris,in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Ægypti:pactum quod irritum fecerunt; & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum,& in corde eorum ſcribam eam:& ero illis in Deum & ipſi erunt mihi in populum,&c. Similis locus eſt Ezechielis: Dabo vobis cor nouum, & *Ezech.36.* auferam cor lapideum de carne veſtra; & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis & operemini.

CAPVT X.

Quid per veritatem in præfatis S. Ioannis ſententiis intelligendum.

ET hæc de gratia Chriſti ſeu noui Teſtamenti dicta ſint, iuxta verba Ioannis quæ tractamus, Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis. Item, Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Sed quid nunc eſt veritas, de qua iiſdem in ſententiis Euangeliſta loquitur,quamque gratiæ Chriſti ſemper adiungit? Quidam putant veritatis vocabulum

nihil ſignificare diuerſum à gratia Chriſti, ſed adiectum eſſe tantùm maioris declarationis ergo: ac ſi dicere voluiſſet Euangeliſta, exhibitam fuiſſe per Chriſtum gratiam quâ conſtat legis veritas: in lege enim adumbratam fuiſſe dumtaxat ſpiritualium rerum imaginem, in Chriſto autem ſeu per Chriſtum eiuſque gratiam vere & ſolide præſtitam. Sed clarior erit ſenſus, ſi veritas opponi intelligatur præcipuè legis Moyſaicæ cæremoniis: vt gratia quidem ſuppleat infirmitatem legis moralis, quemadmodum diximus; veritas autem repræſentet rem ipſam quam variæ legis cæremoniæ præfigurabant. Quomodo *Coloſſ. 2.* Apoſtolus in lege vmbram fuiſſe docet; in Chriſto autem corporis veritatem. Circumciſio legis, templum, ſeu tabernaculum, ſacrificia omnia, in quibus tantoperè gloriabantur Iudæi, non aliud quàm figuræ erant rerum & veritatis ipſius, quæ per Chriſtum erant exhibenda. Sicuti autem nulla eſt propemodum comparatio, ſiue vmbræ ad corpus, ſeu figuræ ad veritatem rei viuæ, cuius imago & figura eſt; ſic nullius pretij vel dignitatis fuere illi externi legis ritus, quantumlibet in iis ſplendoris eſſet, reſpectu illorum quæ præſtitit Chriſtus, in quæ illa omnia reſpiciebant. Quid enim eſt circumciſio carnis, ad ſpiritalem comparata, quam Chriſtus attulit ſuis? Quid eſt templum vel tabernaculum, ad Eccleſiam, quam Chriſtus ædificauit ex lapidibus viuis atque perpetuis? Quid ſacrificia pecorum, ad ſacrificium pretioſiſſimi corporis eius, quod ipſemet ſemel obtulit in ara crucis, quodque ſacerdotes noui Teſtamenti, vicarij eius, quotidie eius inſtitutione offerunt in altari? Ergo in illis vmbra tantùm & figura erat mortua; in his autem corpus eſt, res viua, ipſaque veritas.

Iam verò, etſi veritas iſthæc non malè dici queat ad veritatem religionis pertinere, de qua mox diſputabimus; tamen rectè etiam referri poteſt ad veritatem verborum ſeu promiſſorum Dei, qua de nunc agimus. Deus enim omnipotens quædam promittit ſeu fa- *Auguſtinus 17. de Ciuit. cap. 8.* cienda decernit verbis, quædam factis: in vtriſque autem promiſſis ac decretis æquè verus eſt. De iis quæ expreſſis verbis ſe facturum promiſit vel prædixit, plena eſt omnis Scriptura ſacra: & nos hic antè aliquot exempla retulimus. Cæremoniæ autem illæ omnes externæ legis veteris, dici poterant promiſſa fuiſſe factorum. Exempli cauſa: templum ſeu tabernaculum nihil erat aliud quàm promiſſio Dei, de alio quodam admirabili multoque digniori templo, quod ſuo tempore ædificaturus eſſet Chriſtus; ſacrificia illa ſimiliter promiſſiones vnius cuiuſdam ſummi & pretioſiſſimi ſacrificij, quod allaturus & oblaturus eſſet Chriſtus pro reconciliatione & ſalute totius mundi: ita vt quoties illa ſacrificia iterabantur, toties illos Deus memores redderet, & ſpem renouaret aduentus Vnigeniti ſui, ſacerdotis ſummi & perpetui, qui ſeipſum erat ſacrificaturus pro peccatis ipſorum, Deique iram placaturus pro toto humano genere. Sic ſingulæ aliæ cæremoniæ aliquid ſimile multoque maius ac dignius futurum promittebant per aduentum Chriſti in nouo Teſtamento. Sic exitus Iſraëlis de Ægypto, mare rubrum, columna nubis, manna, aqua de petra, &c. non ſolùm figuræ erant, ſed quoque promiſſiones quædam rerum futurarum. 1. Corinth. 10. Quin & Abraham, Iſaac, Sara, &c. futura promittebant tempore noui Teſtamenti. Galat. 4. Quum ergo Deus illa omnia per Chriſtum impleuit ac præſtitit, liberauit fidem ſuam, ſeque veracem eſſe in promiſſis ac decretis ſuis, declarauit. Hæc eſt igitur gratia & veritas, iuxta ſancti Ioannis Euangeliſtæ ſententiam, per Ieſum Chriſtum facta. Scripſit Rupertus Abbas Tuitienſis lib. 15. De victoria verbi Dei: opus ſanè eruditum & egregium. In quo nihil aliud agitur quàm quòd Deus in verbis & promiſſis ſuis verax eſſe probatur; & quidquid mente concepit vel propoſuit facere, non obſtantibus omnibus impiorum hominum & malorum dæmonum ſtudiis & conatibus, quibus ſemper ſeſe verbo Dei opponunt, eiuſque effectum fruſtrari conantur, factis ipſis ſuo tempore præſtitiſſe. Victoria autem verbi Dei, & victoria veritatis, vna eſt eademque.

PETRI

PETRI SIMONIS TILETANI EPISCOPI YPRENSIS

DE VERITATE LIBER SECVNDVS:

De VERITATE Religionis.

CAPVT PRIMVM.

Religio, res eſt homini naturaliter inſita.

OMNIS omnino veritas iure poteſt appellari veritas Dei; quia nimirum vel in eo ſolo ſita, vel ab eo profecta, vel demum ab eodem donata aut reuelata mortalibus. Vnde & quemadmodum dicitur Deus fidei, ſpei, patientiæ, conſolationis, miſericordiæ; quoniam videlicet hæc omnia hominibus à Deo auctore donantur; ſic etiam vocatur Pſal. 30. Deus veritatis. Quod de qualibet veritate creata vel increata poteſt intelligi & exponi: aliter tamen atque aliter, de alia atque alia veritate; vt nunc diximus.

Attamen non ineptè poſſumus aliam veritatem diuinam, aliam humanam nominare. Diuinam quidem, quæ Deo eſt propria, quæque nulla ratione hominibus poteſt aſſcribi: qualis illa omnis eſt veritas, de qua hactenus diſputauimus. Humanam autem veritatem dicere poſſumus, non modò quam cognoſcunt (nam hoc ex parte etiam diuinæ quoque, de qua ſuprà egimus, veritati conuenit) ſed etiam quam colunt, obſeruant, atque exercent homines, quæque amatores ſuos & cultores bonos & felices reddit. Hæc etiam non eſt vnius generis, vt pòſt audiemus. Sed inter has veritates prima & primaria videtur eſſe veritas religionis. Ex hac enim oritur omnis alia veritas humanæ vitæ, quæ vel ſermonem hominum concernit, vel actionem. Qualis enim ferè cuiuſque religio, talis & vita. Veritas autem religionis nihil aliud eſt, quàm verus cultus Dei, quo peruenitur ad vitam beatam. Religio res eſt cunctis hominibus naturaliter inſita, & ad quam naturæ ductu atque inſtinctu omnes mouentur; teſte etiam Cicerone lib. 1. de Legibus: Nulla, inquit, gens tam fera eſt & barbara, quę non (etſi ignoret qualem Deum habere debeat) tamen habendum & colendum ſciat. Deprehenſum eſt hoc, non ſolùm in nationibus variis terræ ſemper cognitæ, ſed etiam in nouo orbe nuper inuento. Repertæ enim ibi ſunt gentes permultæ, quæ ſine litteris, ſine legibus, ſine rege, ſine republica, ſine artibus vllis viuerent: non tamen ſine religione. Vt appareat verius & magis eſſe ſecundùm naturam religionem, quàm reliquas omnes artes inuentioneſque humanas: tamque propemodum naturale eſſe, religionem aliquam colere, quàm eſt edere vel bibere. Sicuti enim non eadem omnes edunt aut bibunt, nec iiſdem omnes delectantur, omnes tamen edunt aliquid; ſic de religione ſentiendum. Non eadem omnibus religio, aliqua tamen vnicuique. Ergo omnes religionem ſemper aliquam habuerunt; veritatem autem religionis omnes nequaquam tenuerunt. Quumque ſingulæ nationes, vel homines etiam, ſuam ſibi religionem confinxiſſent magna mentis cæcitate, vel à malis dæmonibus accepiſſent, de veritate religionis multa ſemper erat diſputatio; ſaltem apud vulgus hominum. vtpotè ſingulis

 genti-

gentibus, ciuitatibus, vel familiis,ſuam religionem, qualem à maioribus acceperant, pro optima veriſſimaque,adeoque pro illa quæ ſola eſſet religio, mordicus retinentibus,& ſecure in illa quieſcentibus: aliuſque omnibus qua vellent religione vti ſinentibus. Perinde enim erat malis dæmonibus, qui humano generi imperabant, qualem quiſque religionem coleret,modò malam,atque ab vnica religionis veritate alienam.

Et quamuis minimè dubitandum eſt, Noe Patriarcham filios & nepotes ſuos veram putamq. religionem, quam & à ſanctis maioribus ſuis didicerat, & à Deo acceperat, quicum propter inſignem pietatem ſuam familiariter loquebatur, diligentiſſime quoad vixit docuiſſe; poſteri tamen eius,illo mortuo, homines craſſi & parum religioſi,poſtquam præcipue in ſuas quiſque terræ plagas à ſe inuicem receſſerunt, vnum hoc commune principium retinentes, Deum aliquem colendum & adorandum eſſe, cætera omnia ad religionis veritatem pertinentia, à diabolo præcipue humani generis hoſte perpetuò illuſi & ſeducti,facile obliuioni tradiderunt.

Quum enim penitus carnales eſſent,ac ſenſibus tantummodò ducerentur, Deum autem cæli, naturæ Dominum rectoremque, non viderent;quæ intuitu pulchra in mundo ſpectabant, aut vtilia deprehendebant, iudicio illo ſuo hebetiſſimo, pro diis coluerunt. Is error à parentibus manauit ad poſteros: & auctus in dies, magnas de vetuſtate vires accepit:cui ſequentia tempora nefas exiſtimauerunt repugnare. Sic Deorum multitudo ac religionum tanta diuerſitas in mundum venit: dum alij, propter ſpeciem & magnitudinem, cælos, ſidera, elementa, adorauerunt; alij bruta animantia, à quibus aliquid commoditatis accipiebant; ſicut Ægyptij boues & vitulos: alij verò mortuos homines, propter beneficia ab illis accepta,vel alia ratione. Ita in dies augendis huiuſmodi religionum inſaniis magnum denſumque ſibi murum miſeri homines circumdabant, ne ad verum veri Dei cultum atque ad viam ſuæ beatitudinis peruenirent.

Longo tempore poſt Noë, extitit Abraham Chaldæus,vir multis modis egregius,qui cæli numen, & regem, verumque Deum, eiuſdem Dei ſingulari dono agnouit, coluit, adorauit; illi obſecutus eſt, ac toto fidit pectore. Hunc Deus poſtea, merito pietatis eius, numeroſiſſimâ poſteritate auxit: quam & ex cunctis mundi nationibus peculiariter ſibi delegit in populum ſuum. Hæc eſt gens Iſraelitica, ſeu Iudaica. Ex qua etiam mundi Redemptorem ſe daturum promiſit, qui totum orbem terrarum ad ſui cognitionem & cultum,atque ad certam ſpem ſempiternæ felicitatis conuerteret. Huic populo ex Abraham prognato ſe Deus ſenſim magis magiſque cognoſcendum præbuit: tandemque etiam ſcriptam legem è cælo quodammodò tradidit,quæ omnem rationem cultus Dei vereque religionis continebat. Sed quum cæcitas mentis & ignorantia Dei, indeque omne genus peccatorum, in mundo vbique locorum magis magiſque tractu temporis inualeſcerent, & ipſe quoque ille populus Dei longo iam tempore cœpiſſet legis ſuæ omniſque verę pietatis perparuam rationem habere; miſertus Deus humani generis, memorque pollicitationis ſuæ,miſit Filium ſuum,per quem hominis miſerabilem ruinam penitus repararet. Is demum veram lucem, veramque ſapientiam, itemque perfectam è malis omnibus redemptionem, ſecum è cælo attulit: aboliti ſque non ſolùm cunctis mundi totius vaniſſimis ac pernicioſiſſimis ſuperſtitionibus, ſed magna etiam parte legis Iudaicæ, ad id vſque temporis à Deo tantummodò inſtitutæ, nouam legem inſtituit, veramque & facilem Deum colendi,atque ad æternam perueniendi beatitudinem, rationem tradidit.

Hæc eſt Chriſtiana religio, per totum tandem orbem terrarum opera ac labore diſcipulorum Chriſti feliciter propagata. Quæ in eo poſita eſt,vt vnus veruſque Deus, Filiuſque eius Ieſus Chriſtus Deus & homo, fide,ſpe, & charitate,colatur. iuxta illud: Hæc eſt vita æterna,hoc eſt,hæc vera & ſola ad vitam ęternam via;vt cognoſcant te ſolum Deum verum,& quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Hæc eſt vnica atque ipſiſſima religionis veritas. Satis notum eſſe debet, quod compertum habemus locupletiſſimis teſtimoniis, veritatem in vtroque Religionis noſtræ inſtrumento pleniſſimè comprehenſam in poteſtate ſemper cultorum veri Dei fuiſſe: manaſſe tamen ad alios interdum veritatem; non germanam illam & incorruptam,ſed in Ægypti primùm officinis adulteratam, Athenis autem poſtea in Porticu,in Academia,& Lycæo,nunc ſedentariâ,nunc obambulatrice philoſophiâ,variè interpolatam:nec antè ſibi redditam, quàm Dominus Deus noſter in Iudæa, id eſt, in veritatis ipſius incunabulis, ad manum etiam viſendam hominibus porrexit. Deinde & Græcis etiam hominibus, & Latinis, Barbariſque intelligendam, miſſis quoquò gentium interpretibus,dedit.

CAPVT

CAPVT II.

Sententiarum ſelectarum explicatio, quæ Religionis naturam ob oculos ſtatuunt. Et primùm, Quomodo Deus vocetur ſpiritus.

DE hac veritate, de conditionibus, & proprietatibus, de effectibus, de fructibus, deque tota natura Religionis, exſtant ſententiæ quædam præclaræ in Sacris litteris, quarum nonnullas ad inſtructionem & conſolationem noſtram operæ pretium erit deinceps explicare. Atque in primis, omnium oculis conſpicua illa Chriſti ſententia; SPIRITVS EST DEVS: ET EOS QVI ADORANT ILLVM, IN SPIRITV ET VERITATE OPORTET ADORARE. Ioan. 4.

Argumentatur à conditione naturæ diuinæ. Perinde enim eſt ac ſi diceret: Quia Deus ſpiritus eſt, ideò illum in ſpiritu & veritate oportet adorare. Naturale eſt atque inſitum omnibus, vt vnuſquiſque pro naturæ ſuæ inclinatione illa quærat illiſque gaudeat quæ cognata ſunt & ſimilia naturæ ſuæ; auerſetur autem diſſimilia, & extranea. Quod terrenum eſt, terrenis rebus delectatur, cæleſtibus non afficitur. Animalis homo non percipit illa quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, inquit Apoſtolus. Quod verò cæleſte eſt, cæleſtibus delectatur, terrena auerſatur. Omne ſimile gaudet ſimili. Quare, ſi Deus eſſet corporeus, vtique corporali cultu gauderet, talemque requireret. quia verò non eſt corpus vel corporeus, ſed purus merusque ſpiritus, hinc pro naturæ ſuæ ratione, corporali cultu non gaudet. Alioqui firmum non eſſet, quod Chriſtus hîc dicit: Eos qui adorant Deum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Non dicit, Decet vel conuenit Deum in ſpiritu & veritate adorare, ſed oportet. Quare oportet? Quia fieri non poteſt vt Deus externo cultu tamquam ſibi proprio afficiatur. eſſet enim hoc contra naturam eius, ſpiritus enim eſt: ideò non corporalia vel externa ſed ſpiritualia atque interna quærit obſequia. Quæ tamen ratio moduſque loquendi, vt & alia hanc in ſententiam poſtmodum proferenda in medium, quàm nihil militent contra Eccleſiæ ritum, cæremonias, & externum modum colendi Deum, infrà diſertè docebitur, Cap. x. vbi hoc dubium fusè tractatur. Argumentum autem interim hoc ſumptum à natura diuina, omnium eſt fortiſſimum, clariſſimum, ac certiſſimum: adeò vt non piis tantùm & fidelibus, ſed Ethnicis etiam, ab omnique Dei vera cognitione alienis, cognitum fuerit. Ethnici enim omnes qui aliquo præcellebant ingenio, etſi parum admodum peneque nihil de vera Dei natura intellegebant; hoc tamen ſatis cognoſcebant, Deum non eſſe corporeum quiddam, ſed purum totumque ſpiritum. Vnde & neceſſariò ſequi intelligebant, eum eſſe colendum non externis rebus, nec corporalibus victimis, ſed internis & ſpiritualibus. Hinc illud Catonis: 1. Corinth. 2

Si Deus eſt animus, nobis vt carmina dicunt;
Hic tibi præcipuè ſit purâ mente colendus.

Et Perſius Satyra ſecunda:

Dicite Pontifices, in templo quid facit aurum?
Quin damus hoc ſuperis, de magna quod dare lance
Non poſſit magni Meſſala lippa propago?
Compoſitum ius faſq; animi, ſanctoſq; receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto?

Sed quomodo intelligendum eſt, Deum eſſe ſpiritum, vt hîc dicitur? vel quid per ſpiritum intelligemus, quum eum eſſe ſpiritum dicimus? Spiritus vocabulum, tam communi loquendi conſuetudine, quàm Scripturæ etiam ſacræ teſtimonio, tribuitur creaturis ſubtilioribus, quæque nec videri à nobis nec tangi poſſunt. Aër ſpiritus appellatur: vnde & reſpirare dicimur, dum aërem attrahimus vel emittimus. Et ventus dicitur ſpiritus, Pſal. 148. Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum. Et Ioannis 3. Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, &c. Et anima hominis, ſpiritus nuncupatur. vnde dicitur Deus inſpiraſſe in faciem hominis ſpiraculum vitæ. Et ſpiritum emittere dicuntur, qui moriuntur. Pſal. 30. In manus tuas commendo ſpiritum meum. Imò & beſtiarum animæ ſic appellantur. Eccleſ. 3. Quis ſcit an ſpiritus filiorum hominum aſcendat ſurſum, & ſpiritus iumentorum deorſum? Mens hominis, ſeu potior animæ pars, frequenter etiam ſpiritus

Galat. 5. ritus appellatur. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. Item: Spiritu ſeruio legi Dei, &c. Dona ſimiliter Spiritus ſancti, ſpiritus interdum nomine nuncupantur. Vnde illud; Requieſcet ſuper illum ſpiritus ſapientiæ & intellectus, &c. Item: Spiritum nolite exſtinguere, Theſſal. 5. Denique Angeli ſæpe dicuntur ſpiritus; idque tam boni quàm mali. Vide Auguſtinum lib. 14. cap. 1. de Trinitate. Quid ergo horum omnium intelligemus, aut concipiemus, quum Deum eſſe ſpiritum audimus, vel dicimus? Nihil omnium. Sed quum Deus ſpiritus eſſe dicitur, intelligemus eſſe ſubſtantiam vel naturam nobiliſſimam, quæ nec tangi, nec videri, nec vllis ſenſibus corporeis apprehendi queat. Quum enim omnia optima, nobiliſſima, præſtantiſſima inter creaturas ſint naturæ ſpiritualis; & quo quidque eſt naturæ præſtantioris, hoc magis remotum ſit à corpore; hinc eſt quòd Deum dicere volentes naturæ omnium nobiliſſimæ atque excellentiſſimæ, dicimus eſſe ſpiritum. Ita vt non aliud ferè ſit, Deum eſſe ſpiritum, quam non eſſe corpus vel corporeum. Agnoſcit hoc & Auguſtinus Epiſtola 174. & clariſſime D. Chryſoſt. Homil. 5. de incomprehenſibili Dei natura: Deus, inquit, eſt ſpiritus: ſed numquam hoc nomen diuinam ſubſtantiam exprimit. Vide reliqua apud eumdem auctorem.

Nos ergo de diuina ſubſtantia nihil aliud mente concipere poſſumus, quàm quòd non eſt corpus. Quòd ſi autem in rerum natura quæramus aliquid ad quod maxime Deus accedat, vel potius quod quàm maximè accedat ad ſimilitudinem naturæ diuinæ; nihil vicinius dari poteſt ex omnibus quæ nos nouimus, quàm ſpiritus ſiue anima noſtra. Multum quidem & hîc eſt differentiæ: ſed tamen nihil reperiri poteſt in creaturis omnibus nobis notis (Angelicam enim creaturam nos non nouimus) quod maiorem cum Deo cognationem habeat. Agnouerunt hoc vtcumque etiam ſapientes gentium. Ciceronis verba ſunt: Nec verò Deus ipſe alio modo à nobis intelligi poteſt, niſi mens quædam ſoluta, & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, omnia mouens. Pythagoras Deum vocauit animum, mentem verò, Thales Mileſius: Anaxagoras, infinitam mentem, quæ per ſeipſam moueatur. Virgilius VI. Æneidos:

Principio cælum, & terram, campoſq; liquentes,
Lucentemq; globum lunæ, titaniaq; aſtra,
Spiritus intus alit; totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Sic & Homerus de Deo ſentit: vnde ſua deſumpſit Virgilius. Et illa videntur eſſe carmina ſeu ſententiæ Poëtarum & Philoſophorum de quibus Cato loquitur dicens:

Si Deus eſt animus, nobis vt carmina dicunt.

Et hoc fortè eſt quod Apoſtolus ait gentilium ſapientes Deum cognouiſſe, & proinde inexcuſabiles eſſe, quòd quem ſpiritualis plane & præſtantiſſimæ naturæ cognouerant, illius gloriam & maieſtatem commutauerint in imagines hominum, volucrum, aut ſerpentium; talia nimirum idola & ſimulacra in templis pro diis adorantes. Scribit enim Auguſtinus, initio libri de vera Religione, ipſum etiam Socratem, etſi longè aliter meliuſque de Deo ſentiret quàm craſſum vulgus populi, tamen cum populo in templis idola adoraſſe: quomodo & apud Romanos Seneca, Cicero, & alij ſapientes faciebant.

Si ergo Deus non eſt corpus ſed ſpiritus, & quiddam menti humanæ plane incorporeæ ſimile, etſi infinitis partibus melius & nobilius; ſequitur, omnem cultum illi gratum, in mente conſiſtere, à menteque hominis proficiſci debere. Hoc eſt quod hîc dicitur, veros adoratores, hoc eſt, qui Deum verum vero modo adorant & colunt, in ſpiritu & veritate illum adorare debere.

CAPVT III.

Quid ſit Deum in ſpiritu & veritate adorare.

SED quid eſt, In ſpiritu & veritate adorare? & quid differunt inter ſe hæc duo, ſpiritus & veritas? Variis modis hoc exponitur à doctoribus variis. Primùm ſunt qui nullam inter hæc duo differentiam ponant, ſed vnum eſſe dicant interpretationem ſeu declarationem alterius. Hoc ipſum eſſe Deum in ſpiritu adorare, adorare eum in veritate. Quaſi is ſit ſenſus verborum Chriſti, Veri adoratores poſthac adorabunt Patrem in ſpiritu. Hoc demum eſt Deum vere, ſiue in veritate, & ſicut oportet, adorare: ſpiritu videlicet illum mentiſq; puritate ac deuotione colere, inuocare, adorare, laudare.

Ita

Ita ſi quis roget, quid ſit, Deum in veritate adorare, ſeu quis verè Deum adoret, reſpondere poſſet in hunc ſenſum; Qui ſpiritu & pura mente illum colit. Non eſt hæc ſanè mala aut inepta interpretatio. Reuera enim omnis verus Dei cultus in mentis puritate, humilitate, ſanctitate conſiſtit vt & ſupradictum eſt, & pòſt latiùs adhuc dicetur. Et frequenter in Sacris litteris plura verba iunguntur idem ſignificantia: vel quorum vnum alterius eſt declaratio.

Sed audiamus & alias interpretationes huius Scripturæ, bonas quoque & benè fluentes. Docebat ibi Dominus mulierem Samaritanam tam Samaritanorum ſuperſtitionem quàm Iudæorum religionem breui eſſe abolendam. Iudæi ſuam religionem ſeu cultum Dei dicebant ſolum eſſe bonum & verum: in quo non fallebantur. erat enim modus ille omnis colendi Deum ab ipſo Deo traditus & præceptus. Samaritani contrà, reiecto modo omni & forma religionis Iudæorum, ſuam religionem, quam ſe dicebant ab Iacob Patriarcha & cæteris illis ſanctis antiquis patribus accepiſſe, mordicus retinebant; illam ſolam Deo placere arbitrantes. In eo magnopere errabant. Vnde Chriſtus Samaritanæ dicebat: Vos adoratis quod neſcitis; nos adoramus quod ſcimus. quia ſalus ex Iudæis eſt. Deinde addit Dominus breui futurum, vt ambæ illæ religiones tollantur: Deumque longè aliter colendum quàm vel Samaritani tunc faciebant, vel Iudæi.

Mulier, inquit, venit hora, quando neque in monte hoc, (nempe in templo Garizim) neque in Ieroſolymis adorabitis Patrem: ſed veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Quibus verbis haud dubiè & Samaritanorum ſuperſtitionem tollit, & per conſequens etiam aliarum omnium gentium; & formam etiam religionis Iudæorum. Samaritanorum quidem omniumque totius mundi gentium religionem, tamquam per ſe malam & execrabilem: Iudæorum autem (etſi non per ſe malam) tamen velut imperfectam, atque ad tempus dumtaxat à Deo inſtitutam.

Quòd ergo Chriſtus dicit, adorandum eſſe in ſpiritu, putant quidam illum dicere contra Samaritanos & idololatras omnes toto orbe terrarum. Illi enim omnes Deum veluti corporeum, certo loco habitantem & quaſi affixum, imaginabantur. Samaritani Deum illum quidem colebant, quem Moyſes deſcribebat quinque libris ſuis, qui vnicus & verus Deus erat: ſed libros illos ſolos Moyſi recipientes, illoſque valde malè intelligentes, non iuxta interpretationem & doctrinam Prophetarum quos reiiciebant omnes, ſed iuxta ſenſum capitis ſui, Deum illum multò alium fingebant quàm erat.

Samaritani, inquit Chryſoſt. quod neſciebant colebant. quoniam localem & particularem Deum æſtimabant in ſolo templo montis Garizim habitantem, ibique velut concluſum; nihil de illo plus imaginantes, quàm de Idolis: quæ omnia apud varias gentes corporea erant. Aliud enim idolum hominem referebat, aliud bouem, aliud piſcem, vt Dagon Philiſtinorum Deus: aliud ſolem, lunam, ſtellas, &c. contra omnes iſtos docet Chriſtus adorandum eſſe Deum in ſpiritu. Sicuti enim ſpiritus eſt Deus non corpus, ſic eſſe colendum interno & ſpiritali cultu qui in cordis ſeu mentis puritate ac deuotione conſiſtit. Et quemadmodum Deus vbique locorum præſens eſt, maieſtate ac potentia ſpiritualis naturæ ſuæ; ita huiuſmodi interno & ſpirituali cultu toto orbe terrarum a cunctis hominibus coli & adorari poſſe, ac debere.

Quod verò ad Iudæos attinet, ſciebant illi quidem Deum verum quem colebant non eſſe corporeum, ſed ſpiritum vbique locorum præſentem, vbique dominantem, omnia in ſua poteſtate habentem, & ſimilia: ideoque etiam præcipuè mente & ſpiritu adorandum: ſed illi tamen Deum multis variſque rerum vmbris, figuris, inuolucris colebant, in quibus veritas ipſa non erat. Templum illorum Ieroſolymis, ſacrificia omnia externa quæ illic Deo offerebantur, & quidquid ad cultum Dei exteriùs in lege illorum præſcriptum erat, vmbræ tantùm erant alterius rei tamquam corporis, ſignaque & figuræ veritatis, quæ aliquando erat reuelanda & oſtendenda. Contra hos dicit, Colendum eſſe Deum in veritate: breuique etiam futurum, vt id fiat: vt omnes illæ figuræ externarum cæremoniarum apud Iudæos aboleantur, inque illarum locum veritas per illas ſignificata & præfigurata ſuccedat. Hoc factum eſt noui Teſtamenti tempore, ſtatim poſt aduentum Chriſti: imò in ipſo & cum ipſo eius aduentu fieri cœpit. vt rectè dixerit Chriſtus Samaritanæ, Venit hora, & nunc eſt. Præcipue verò impletum fuit perfectiſſime poſt vrbem Ieroſolymitanam deſtructam, templum euerſum, omnemque Iudæorum politiam ac religionem abolitam.

Iudæi in religione ſua externa, quam Moyſes legiſlator præſcripſerat, hærebant tam-

quam

quam in veritate; hoc eſt, quaſi in rebus quæ per ſeipſas Deo gratæ eſſent, neque ad aliquid aliud ac melius referrentur. Ideò & perpetuò religionem illam cultumque Dei duraturum exiſtimabant: nec ferre poterant quòd quiſquam diceret, omnia illa abolenda eſſe, putabant hoc eſſe magnam in Deum atque in religionem eius blaſphemiam. Vnde quum aliud in Stephanum non inuenirent, tota cauſa mortis & lapidationis eius erat,
Act.6.& 7. quòd quidam teſtarentur eum dixiſſe, Quoniam IESVS NAZARENVS deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyſes. Ita ſigna (vt benè frequenter D. ait Auguſtinus) pro veritate amplectebantur: & quæ dumtaxat ad tempus correctionis illis impoſita & præſcripta erant (vt Apoſtolus docet) pro rebus ſemper abſque vlla mutatione duraturis mordicus retinere volebant. Apoſtolus Coloſſ. 2. & Hebr. 10. vmbram rerum quæ in regno Chriſti futuræ erant, legalibus cæremoniis tribuit: ipſam autem veritatem, circumciſionis, ſabbati, purificationis variæ, ſacrificiorum, quam idem Apoſtolus Coloſſ. 2. corpus, Hebr. 10. veram rerum imaginem vocat, cultus ille omnis non habebat: vmbram autem illam in regno Chriſti tamquam ad exortum lucis euanituram. Contra iſtos, inquam, dicit hic Dominus, Deum à veris adoratoribus adorandum eſſe in veritate; hoc eſt, ſine vmbris illis omnibus & figuris Iudaicis.

CAPVT IIII.

Aliæ adhuc interpretationes adorationis Dei, in ſpiritu & veritate.

HÆC eſt igitur bona etiam Chriſti verborum interpretatio. Sed eſt tamen & alia ſententia, quæ diuerſo planè modo intelligit verba Chriſti, de Deo in ſpiritu & veritate adorando. Nempe, vt quod de adorando in ſpiritu dictum à Chriſto ſit contra Iudæos; de adorando autem in veritate, contra Ethnicos.

Iudæorum templum & cæremoniæ nihil aliud erant quàm figura & veluti corpus mortuum: huic opponitur ſpiritus & vita. Samaritanorum excelſa plena erant idololatriæ & falſitatis: his opponitur veritas. Duplex erat quodammodò religio ſeu cultus Dei in mundo, ante aduentum Chriſti: vna apud Iudæos, apud reliquas gentes altera. A Iudæis colebatur Deus carnaliter, externis & quaſi carnalibus ritibus, carnali ſpe, vnde & promiſſiones illorum omnes ferè carnales erant; vt patet in Leuitico & Deuteronomio. Gentes autem Deum colebant hypocriticè. Videbantur Deum colere valdeque religioſi eſſe: quum verè tamen non Deum colerent, ſed ſinguli ſua idola. Chriſtus ergo in vero Dei cultu duo coniungit, ſpiritum & veritatem: ſpiritum opponit carnali religioni Iudæorum; veritatem autem falſo & fictitio cultui gentium. Veri, inquit, adoratores deinceps Patrem adorabunt, non falſo cultu ſicut Samaritani & reliquæ gentes, ſed vero: non tamen etiam carnali cultu, quemadmodum Iudæi; ſed interno & ſpiritali, fide ſcilicet, ſpe, & charitate. Quum ergo dicit de ſpiritu, omnes tollit carnales cæremonias Iudæorum: quum autem nominat veritatem, abolet omnes ritus fictitios gentium. Facit vnum modum diuini cultus vbique terrarum, vt iam nulla ſit diſtinctio Iudæorum & gentium, Græcorum aut Romanorum, &c. ſed quicumque ex corde inuocauerit nomen Dei vere, certò ſalutem conſequatur.

Præter has autem omnes interpretationes, eſt adhuc & alia quæ textui Euangelico & Chriſti intentioni optimè omnium quadrare videtur. Vt nimirum hæc duo ſimul referantur, tam ad gentes omnes, quàm ad Iudæos: veliſque Chriſtus dicere, hactenus neque apud gentes (quod tamen ſatis notum erat) neque apud Iudæos quoque, Deum neque in ſpiritu neque in veritate adoratum fuiſſe: in vtroque peccaſſe, tam hos quàm illos; poſthac autem vtrobique Deum adoratum iri vt oportet, hoc eſt in ſpiritu & veritate. Quod vt rectè intelligamus, notandum eſt, duo ferè vitia perperuò regnare in hominibus carnalibus, omnis nationis, omnis generis, qui verum Dei cultum vel ignorant, vel non magnoperè ſcire atque obſeruare laborant: vnum, quòd cultum omnem Dei vel præcipuum ſanè collocant in rebus externis: alterum, quòd quum externis rebus, geſtibus, aut cæremoniis Deo ſeruiant, corde ab eo procul ſint alieni; quod eſt proprium hypocriſis vitium. Et hæc duo vitia ſic carnalibus hominibus ſunt communia, vt non illi ſolùm iis obnoxij ſint, qui in cultu Dei vel impias ſuperſtitiones vel humanas quaſuis traditiones ſequuntur

præter

prætet verbum Dei, ſed etiam qui religionem bunam cultúmque Dei habent diuinitus inſtitutum. Vt, exempli cauſa, loquebatur Dominus cum muliere Samaritana, de cultu ac religione vtriuſque gentis, tum Iudæorum tum Samaritanorum, abrogandis. Iudæi cæremonias habebant ac religionem à Deo vero ſibi traditam: Samaritani verò humanas traditiones ſeu adinuentiones ſequebantur in cultu Dei. Hac in re, magna erat inter eos differentia: ſed ambo tamen interea vtroque iam dicto vitio pariter laborabant. Vno quidem quod vel totum vel maximum & præcipuum Dei cultum in rebus ac cæremoniis externis ponebant: Altero verò quòd omnia illa pęne faciebãt per hypocriſim. Chriſtus itaque Samaritanam hanc docens, in illaque totam Eccleſiam ſuam, quibus in rebus vera adorantiu vetuſque & proprius Dei cultus conſiſtat, duobus vitiis, quæ iam diximus, duo hęc opponit, ſpiritum & veritatem. Spiritum quidem externo omni cultui, templorum, ſacrificiorum, corporalium, circumciſionis, Sabbati, & ſimilium. Loquitur autem Dominus de ſpiritu hominis ſeu mente, quod ſæpiùs in Sacris litteris cor appellatur: quoniam in corde præcipuè vita conſiſtit. Ad cor igitur, ſeu mentem hominis, pertinent omnia, quæ ad veram Dei adorationem cultumque ei gratum requiruntur: in illa ſola ſunt omnia, per illamque ſolam perficiuntur. Fides ſcilicet in Deum vera, ſpes, fiducia, ſubiectio & obedientia perfecta, timor, reuerentia, charitas, iuſtitia, pietas. Deus enim, cùm ſit ſpiritus, per ſe non delectatur puritate corporali, non templis, non ornatu parietum, non victimis pecudum, non vllis huiuſmodi rebus externis. Vbicumque mens eſt per fidem Euangelicam & charitatem pura à peccatis, ibi templum eſt Deo conſecratum, illoque dignum. Vbicumque preces puræ, deuotæ meditationes, ſanctæ cogitationes, humilitas mentis, timor Dei, amor in Deum & proximum ſincerus, ibi victimæ & ſacrificia ſunt Deo longè gratiſſima. Et hoc eſt quod Chriſtus hîc Samaritanæ dicit, Mulier crede mihi, venit hora quando neque in monte hoc, neque in Ieroſolymis adorabitis Patrem. Hoc eſt, nec tantùm in hoc monte Garizim, ſiue in templo quod hic eſt extructum, vt vos putatis: nec tantùm etiam in templo Ieroſolymitano coletur Deus verus grasſimis illi victimis, vt Iudæi exiſtimant, ſed vbicumque locorum. Atque ita, non aduerſatur verbis Chriſti, quod poſtea frequenter, etiam poſt aduentum Spiritus ſancti, Apoſtoli cæterique fideles Deum adorarunt, tum in templo Ieroſolymitano, tum etiam in Samaria, vt Sacræ docent litteræ. Senſus enim verborum Chriſti eſt, quòd non ſolum in illis locis ac templis, vt vterque ille populus de ſuo templo perſuaſum habebat; ſed vbique locorum Deo vero verus adorationis ac religionis cultus præſtaretur. Quod factum eſt, Euangelio per Apoſtolos Chriſti toto orbe terrarum promulgato. Tunc adoratus & honoratus fuit Deus vbique gentium & locorum, non quidem illis ac talibus ſacrificijs, qualia illi offerre ſolebant vel Samaritani vel Iudæi, ſed ſacrificijs fidei, ſpei, & charitatis, humilitatis, obedientiæ, reuerentiæ, & ſimilibus.

Hoc eſt Deum in ſpiritu adorare, videlicet non tam in templis materialibus quàm in interiore templo mentis: nec tam externis quibuſcumque muneribus aut cæremonijs, quàm internâ puritate ac deuotione cordis. Quod non modò Samaritani, cæterique gentiles, ſed ipſi quoque Iudæi parum admodum vel nihil habebant, aut intelligebant, de hac adoratione ſpiritus; idque non ſolum quando Chriſtus viuebat, quo tempore valdè à vera & ſincera pietate degenerarant; ſed anteà etiam cunctis pænè ſæculis, vt ex omnibus ſacris Scripturis ſatis eſt manifeſtum. Toti pendebant à templo ſuo; toti erant in Sabbato ſuo exteriùs obſeruando, in circumciſione carnali, in externis purificationibus, non ſolum quas Lex præſcribebat, ſed quas ipſi quoque illis ex propria inuentione adiecerant. De interiori verò pietate mentis parum erant aut nihil ſolliciti. Hinc illud frequenter obijcitur à Domino. Diſcite quid ſit, Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Item quòd *Matth. 9.*
foris mundi & ſancti erant, intus autem pleni immunditia. Hinc illud etiam olim apud *Oſea 6.*
eos: Templum Domini, templum Domini, templum Domini. Quaſi omnis Dei cultus *Ierem. 7.*
ſitus eſſet in cuſtodiendo atque ornando templo: illoque ſaluo, nihil illis poſſet mali accidere. Quaſi Deus ad omnia illorum flagitia conniuère debuiſſet, quia templum eius habebant, in eoque externi illi ſacrificia offerebant, templumque illud Deo tam gratum eſſet, vt nulla occaſione deſtrui pateretur. Rectiſſime igitur ac meritò dixit Dominus contra illos quoque, Deum adorandum eſſe in ſpiritu. Non illum quærere templum hoc materiale præcipue, ſed templum cordis: in eo, dum eſt purum & ornatum virtutibus, libentiſſime requieſcere. iuxta illud: Fili, præbe mihi cor tuum. *Prou. c. 23.*

CAP. V.

Quare Deus velit à nobis adorari in ſpiritu.

NON eſt autem mirum, requirere Deum à nobis adorationem in ſpiritu: neque externis aliquibus rebus coli velle, ſed internâ deuotione cordis; quia externa illa omnia honoris atque adorationis ſigna, præſtare poſſunt etiam peſſimi, & qui Deum oderunt, & præſtant frequenter: vti Herodes, & multi ſimiles apud Iudæos, qui Deo erant odioſiſſimi. An ergo tali cultu delectaretur Deus, quem hoſtes eius iurati illi præſtare poſſunt? Illum potius ac talem cultum deſiderat, quem offerunt ſoli amici eius: qui & eum amant ſincerè, & quos ipſe viciſſim diligit. Ille eſt cultus interior qui in ſpiritu hominis renouato conſiſtit, a puraque mente proficiſcitur.

Et hoc quoniam rectæ rationi conſonum eſt, ethnici quoque, qui præcipuè aliquo ingenio & doctrina ceteris præſtabant, probe intellexerunt: vt ante oſtendimus. Sed vnum præterea alterumque adijciendum teſtimonium quod illic prætermiſimus. Ariſtoteles in hunc modum ſcripſiſſe dicitur: Si dij rerum humanarum curam gerunt, vt rationi conſentaneum eſt; veriſimile eſt eos delectari re optimâ, ſibique ſimillimâ. ea autem eſt mens. Quam qui excolit, probeque affectus eſt, hunc Deo charum eſſe, conſequens eſt. hoc eſt illud planè quod hic dicit Chriſtus: Spiritus eſt Deus; proinde qui rectè adorant Deum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Socrates verò philoſophus ſic Deum oraſſe fertur: O amice patrum, ceteraque numina, date mihi obſecro vt intus pulcher efficiar; & quæ mihi extrinſecus adiacent, intrinſecus ſint amica. Quid Chriſtianus aliquis, recta fide imbutus, doctrinaque inſtructus Scripturæ ſacræ, rectius meliuſque petere à Deo poſſet? Ita Simon de Caſſia, in hunc locum; Veri adoratores ad adorandum non eligunt locum, velut in ſitu hoc aut illo adoratio vera conſiſteret. Illocalis non adoratur in loco; adoratio quam exigit, non agitur geſtu corporis, quod locum ad ſuas actiones inquirit; ſpiritu in interiori homine agitur. Corde creditur ad iuſtitiam; fide ſcilicet qua iuſtificamur. Fides inſita cordibus hominum geniculatur ante Deum. ipſa ſibi confitendo tribuit illi honorem & reuerentiam, amorem, timorem, illam omnipotentiam ineffabilem, ſapientiam infinitam, bonitatem incomprehenſibilem, æternitatem, immenſitatem, omnem virtutem, illam efficientiam per ſe ſufficientem, à nemine perturbabilem, & omnia illa ſoli regi Deo immortali & inuiſibili dumtaxat competentia, eo incomprehenſibili iure, quo alicui creatorum conuenire non poſſunt. Spiritu per ſpem aſcenditur in eum, cum deſperatione omnium ab ipſo factorum: in interioris hominis ſpiritu ſpes eſt, quæ ſupercæleſtem, cæleſtem, & ſubcæleſtem omnem creaturam poſtponit, quaſi nihili pendit, in illo, cum illo, de illo beari, non per alium ſperans; ſicque ipſum anima noſtra colit, ſicque veneratur, ſicque adorat, non in corpore, non in loco, ſed in ſpiritu charitas ipſa conſiſtit, quæ ad hoc ſuum prouehit poſſeſſorem, quòd ſic Deum Patrem colat, adoret, diligat, vt non ſolùm omnia extra ſe, verumetiam & ſe ipſum propter Deum contemnat. Vera Dei latria non in actu corporis, non in aptitudine, aut aptatione locorum, ſed in intellectuali per fidem & ſpiritali actione conſiſtit. Et in illa irrefragabili veritate, quam facit in colendo Deum, omne locale, temporale, corporale, viſibile, ſenſibile, perceptibile, fabile, narrabile, ſcriptibile, fingibile, comparabile, fallibile, variabile, mutabile, ſubiectibile, ſubijcibile, permixtibile, percutibile, indigibile, perturbabile, violabile, pœnale, quomodolibet defectibile aut miſerabile, ſeu indigibile, & quodlibet talium ab ipſo abſcribitur, & aſſcribitur omne quod ſummum & vnum & verum bonum decet eſſe ſiue agere; iſta porrò eſt veritas, qua pater omnium Deus adorandus eſt: quæ omnes ſimilitudines, imagines, opiniones, hæſitationes ab ipſo penitus procul pellit.

CAPVT VI.

De Dei adoratione in veritate.

ET hæc quidem dicta ſunt de adoratione Dei in ſpiritu. Quid nunc eſt ſecundùm poſtremâ hanc interpretationem, adorate Deum in veritate: hoc adiectū eſt a Chriſto,

contra multorum Deum adorantium hypocriſim & fictionem. Qua fit, vt quum valdè religioſè Deo ſeruire videâtur, admodumque ſanctè eum adorare, in rei veritate nihil minus faciant. Eſt autem hoc vitium valde familiare, quaſique perpetuum illis qui præcipuum Dei cultum in externis ritibus, pompis, cæremonijs collocant; quique parum habent de adoratione in ſpiritu. Qui enim videri volunt multa facere in gloriam Dei, valdeque illi ſollicitè ac religioſe ſeruire, ad quod externa illa omnia ferè adhibentur; illi mente plerumque à Deo ſunt alieni. Quemadmodum aliàs quoque, vbi multum eſt verborum, oſtentationis, iactantiæ; ibi dici ſolet parum rei eſſe. Contrà verò, qui interiori ſpiritu, totaque mentis & cordis integritate, Deum adorat, eique placere ſtudet; ſicuti is alienus eſt ab omni hypocriſi, ſic ſemper plenus eſt veritatis. Pugnant inter ſe, vni Deo inuiſibili placere velle cultu ſuo, hoc eſt deuotione mentis, quam ſolus Deus aſpicit, ſolumque requirit, & oſtentationi ſtudere, quod eſt hypocriſis proprium, inimicæ veritatis.

Ac proinde etſi neceſſariò Deum in veritate ſemper adoret, hoc ſenſu accipiendo veritatem, qui adorat in ſpiritu; tamen non ſine cauſa Chriſtus vtrumque expreſſit. Primùm videlicet, quia reuerà diuerſa ſunt, in ſpiritu & in veritate adorare; vt nunc oſtendimus; tametſi vnum ſemper alterum conſequatur. Deinde maioris explicationis & clarioris doctrinæ gratia. Tertiò quia ſciebat tum Samaritanos, tum Iudæos, vitio huic hypocriſis, quod veritati opponitur, tantoperè eſſe obnoxios. Iudæos certe huius vitij cauſa, tota Scriptura euangelica grauiſſime reprehendit. Nec tantum hypocriſis huius vitio ac fictionis in cultu Dei laborabant, quo tempore Chriſtus Dominus in terris apud illos agebat; ſed æque etiam antea, tempore Prophetarum. Vnde Iſaias propheta de illis dicebat ſuo tempore: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Atque *Iſaiæ 29.* vtinam hodie quoque inter Chriſtianos, qui ſpiritualem Dei cultum à Chriſto edocti ſumus, idem hypocriſis vitium non regnaret. Quàm multi enim ſunt vbique locorum, qui exercitia Chriſtianæ religionis obſeruant, dies feſtos ab Eccleſia indictos agunt, ad templum veniunt, Miſſam audiunt, die feſto Paſchæ peccata ſua confitentur, ſacram Euchariſtiam ſumunt; Sacerdotes verò Miſſam celebrant, horas Canonicas legunt aut cantant in Eccleſia; longè magis ex conſuetudine, & quia alios ſui ſimiles ſic facientes vident, quàm ex animo, ex vera deuotione mentis, ex amore & pia affectione erga Deum? Illi certe nequaquam dicendi ſunt Deum in veritate adorare. In veritate Deum adorat, qui adorat ex animo: qui corde credit & ſentit, quod vel ore dicit, vel opere præſtat. Qui verò, quum Deum adorat, eiúſve officium celebrat, corde alieno eſt ab eo quod facit, vel qui nulla mentis deuotione, nullâ Dei reuerentiâ vel amore tactus, ad illud accedit; vtique non adorat in veritate. Mens enim eius cum externo opere non conſentit; ac proinde etiam non adorat in ſpiritu. Spiritu enim adorare, vt antè diximus, eſt vera mentis puritate ac deuotione Deum colere, inuocare, laudare, celebrare, &c.

Cùm itaque ſpiritus ſit Deus, & ſpiritualibus delectetur, curandùm nobis erit vt ſpiritu illi placeamus; hoc eſt, vt reformemur ſpiritu mentis noſtræ, ſicuti & Apoſtolus Epheſ. 4. hortatur. Niſi enim ſpiritu illi iungamur & conformemur, nequit in nobis locum habere regnum eius: quod non eſt in externis obſeruationibus, ſed in cordibus credentium. Adhæret nobis corpus peccati corruptibile, terreſtre, & mortale; corda ſunt ex contagione originis noſtræ immunda, vt nulla poſſit inter nos ac Deum eſſe ſocietas nec corpore nec animo, niſi ſpiritu mentis noſtrę reformemur: ſicut & ſupra capite præcedenti Dominus admonuit dicens; Niſi quis renatus fuerit ex ſpiritu, non poterit videre regnum Dei. Eſt autem reformatio ſpiritus, repurgatio illa à carnalibus concupiſcentijs per fidem in Chriſtum, vera Dei & proximi dilectio, & obedientia diuinæ voluntatis. Reformationis huius ac renouationis argumentum eſt omnium certiſſimum, ſi ſpiritus noſter concupiſcat aduerſus carnem, & caro viciſſim aduerſus ſpiritum: ſi ſpiritus, reluctante corpore illo peccati, & externo homine, condelectetur legi Dei, illique conſentiat, quòd bona ſit; & quod bonum eſt amet, & facere cupiat. Hoc inquam domeſticum ſchiſma inter carnem ac ſpiritum, certum eſt renouati ſpiritus & interioris hominis indicium: nam extra hanc renouationem ſpiritus, inter carnem ac ſpiritum ſummus eſt ad peccandum conſenſus. Huc ſpectat quod D. Auguſtinus habet, Sermone duodecimo de verbis Apoſtoli in hunc modum; Si ſpiritus tuus à carne concupiſcente non diſſentit, vide totum vti ſit: vide, ne fortè carni mens tua conſentiat: vide, ne fortè ideò non ſit bellum, quia pax peruerſa eſt. Quam ſpem ergo habes, quòd poſſis vincere; ſi nondum cœperis pugnare? Et Sermone 45. de Tempore in hæc verba:

Reſiſtis concupiſcentiæ, & non conſentiendo vincis. Surgit concupiſcentia potandi, &c. noli eam cedendo ſatiare, ſed reſiſtendo necare. Agimus bonum certamen, quando concupiſcentiæ non conſentimus. In iſto bello eſt tota vita Sanctorum; & in hoc bello ſemper homo periclitatur, quouſque moriatur. Triumphus belli eſt, abſorpta eſt mors in victoria. Quotidie in hac vita concupiſcentia minui poteſt, finiri non poteſt. Hactenus ſanctus ille Doctor. Si obtineat itaque in nobis iſta ſpiritus renouatio, qua diuinæ voluntati iuſtæ ac ſanctæ (quamdiu in hac carne ſumus) adhærendum eſt; erimus cum Deo vnus ſpiritus, vt vt caro interim reluctetur, atque contraria prorſus affectet.

CAPVT VII.

Quinque quæſtiones ex iam prædictis emergentes: quarum hoc Capite prima diſſoluitur; vt ſequentibus reliqua.

SED iam naſcuntur hîc, ex iis quæ dicta ſunt, aliquot quæſtiones. Prima eſt; Si Deus adorandus eſt in ſpiritu & veritate, nec alius cultus, externus ſcilicet, aut corporalis, gratus eſt; cur talem cultum non quæſiuit, aut poſtulauit à populo ſuo Iſraëlitico, in veteri Teſtamento, ante aduentum Chriſti?

Secunda; Si tunc temporis etiam fortè ſpiritualem cultum quæſiuit, quamobrem vel qua intentione externam illam omnem, tamque multiplicem religionem inſtituit, in occiſione & oblatione pecudum, in templi vel tabernaculi erectione, in obſeruatione Sabbati, in circumciſione carnis, in tot purificationibus, lotionibus, vnctionibus, & ſimilibus?

Tertia: Quid eſt deinde quod dicit Samaritanæ, Venit hora, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate; quaſi videlicet nulli antea veri adoratores fuerint, qui ſic Deum adorauerint aut coluerint?

Quarta: Si verbum iſtud & prophetia Chriſti, de adorando Deo in ſpiritu & veritate, dicta eſt à tempore noui Teſtamẽti, vt eſt proculdubiò; qui fit, quòd adhuc externis multis & corporalibus ritibus ac cæremoniis vtimur in cultu Dei? Nam & templa habemus, eaque innumera propemodum toto Chriſtianiſmo, quum Iudæi vnum tantùm haberent: & multò plura altaria. & in templis organa, & cantum varium, & ornamenta ſacerdotalia, & vnctiones, aſperſiones, purificationes, & multa ſimilia.

Quinta: Quum hæc omnia ſint in cultu noſtro, inque exercitio religionis noſtræ; quid differat in externis ritibus & cæremoniis Chriſtiana religio à Iudaica?

Primæ quæſtionis ſolutio.

QVOD ad primam quæſtionem attinet, certũ eſt, Deum in veteri Teſtamento, immò iam inde à mundi primo exordio, ſemper ab iis qui illi placere & ſeruire voluerunt, ſpiritualem cultum quæſiſſe: neque vnquam externo cultu delectatum fuiſſe. Vnde & ſignificanter hic dicitur; Pater tales quærit qui adorent eum: in ſpiritu & veritate ſcilicet. Non dicit, Pater aliquando vel poſthac tales quæret: ſed ſimpliciter, tales quærit. Vt intelligamus Deum numquam alium cultum quæſiſſe præteritis ſæculis, vel quæſiturum in poſterum. Et hoc confirmat etiam ratio à Domino addita, nempe, Spiritus eſt Deus. & eos qui adorant Deum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Si propterea Deus ſpiritualiter adorandus eſt, quia ſpiritus eſt; quoniã numquã aliud fuit vel erit quàm ſpiritus, conſequitur numquam alio modo quàm ſpiritualiter adorari vel coli poſſe. Deus ſemper ſui
Heb. 13. ſimilis eſt. Chriſtus Ieſus heri & hodie, ipſe & in perpetuum, ait Apoſtolus. Et Pſalmographus antè: Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Semper ergo eamdem à cultoribus ſuis & ſimilem adorationem requirit. Et quidem poſt datam etiam legem inſignis hac de re & clariſſima ſcriptura eſt Deuteron. 10. Et nunc Iſraël, inquit Moyſes, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, ac ſeruias Deo tuo, in toto corde tuo, & in tota anima tua? Hic ecce totum habemus quod poſtulat à populo ſuo Dominus Deus, cultumque omnem quem ab eo requirit: vt nimirum timeant eum, & ament, & ſeruiant illi in toto corde, totaque anima ſua. Hæc autem omnis ſpiritualis eſt adoratio, cultuſque internus & inuiſibilis. Hanc qui Deo præſtat, nihil ab eo requiritur amplius.

Quod ſi hoc ita fuit poſt datam legem, æquè verum fuit vel multò magis ante legem.

[illegible] Geneſ 17. [illegible] & [illegible] dicat: [illegible] ambula- [illegible] Deo [illegible] præſtare [illegible] Micheas Prop [illegible] id vno [illegible] ambulare cum Deo tuo. Ni- [illegible] noſtras [illegible] conſilia, & cogitatio- [illegible] Et hoc totum eſt quod de [illegible] dicitur, qui Deo [illegible] Geneſ 6 Noe vir [illegible] atque [illegible] fuit in gene rationibus [illegible] cum [illegible] Deo [illegible] capite [illegible] præcedente: Et ambula- [illegible] Noe cum Deo A[illegible] cum Deo [illegible]quendi more Hebræorum, nihil aliud eſt, q[illegible] Deum eſſe [illegible] actiones & [illegible] omnia [illegible] conſcientia [illegible] Hæc eſt [illegible] hominis, omnis verus cultus quem Deo præſtare poſſu- [illegible] Quoniam [illegible] ille cultus ſit [illegible]ritualis, ſequitur, numquam Deum alium [illegible] ratione ad [illegible] voluiſſe [illegible] a prima [illegible], tametſi [illegible] ſatis tamen [illegible] eſt [illegible].

CAPVT VIII.

Quæſtionis ſecundæ declaratio.

SED nunc manet altera & ſecunda quæſtio, quæ cum dicta iam quæſtionis primæ de- [illegible] bene poſſe con[illegible] Si enim Deus [illegible] ſpirita- lem cultum [illegible] eſt quod in cultu ſuo per legem Moyſis tantam tamque multiplicem externarum rerum obſeruationem præcepit? Hic reſpondendum, id ne [illegible] a Deo factum, quod externis huiuſmodi [illegible]ibus delectaretur, ſed aliis de cau- [illegible] hic duas tantum [illegible] præter [illegible] afferemus. Primum [illegible] populus [illegible] Deus ſingularem [illegible] eſtauerat, quemque ad ſe colendum & adorandum [illegible] terræ nationibus gentibuſq; delegerat, per ſeſe vel ex ſeipſo colendi Dei [illegible] inueneret, qui [illegible] eſſent con[illegible]ntanei, ſed aſſueſcerent conſiſtere in [illegible] & [illegible] vbi Dei [illegible] ſine vllo [illegible] periculo [illegible] ac timore Deo [illegible].

Erat enim h[illegible] conſuetudinis apud omnes gentes vt [illegible] ſuis externo cultu ſacrificiorum & [illegible] ſeruirent. Quem cultum [illegible] ingenio ſingulæ nationes vt cuique [illegible], conſinxerant, vel acceperant à dæmonibus. Nam hoc [illegible] tura mortalium animis quemadmodum ſupra diximus vt Deum [illegible] quem habeant, [illegible] colant, eoque modo qualem [illegible]umque animi [illegible] attitudinem erga [illegible] habeant [illegible] Ne [illegible] Iſraele, [illegible] arbitrio vel iudicio fieret, viſum fuit Deo optimo [illegible] certos col[illegible] certos limites rel[illegible]gionis ſtatuere, intra quos ſe contin[illegible] deberent. Hæc [illegible] Deuter [illegible] 12. [illegible] diſperdiderit D[illegible] Deus tuus an- [illegible] & poſſed[illegible] [illegible] poſtquam te fuerint introg[illegible] & [illegible] cæremonias earum [illegible] ſicut [illegible] gentes iſtæ deos ſuos, ita & [illegible] colat. Non facies ſimiliter [illegible] Omnes [illegible] abom[illegible] quas [illegible] Dominus [illegible] & [illegible] & [illegible]. Quod [illegible] hoc [illegible] ne addas quicquam vel minuas.

Secunda ratio erat, vt omn[illegible] externis cæremoni[illegible] & figuri[illegible] & [illegible] Dei, & Chriſti [illegible] mund[illegible] [illegible] quaſi pedagogi vſq; ad tempus [illegible] & tam vari[illegible]bus melius inſtruerentur [illegible] & intelli[illegible] Meſſiæ v[illegible] ; omn[illegible] illo erant ad a[illegible] Apoſtolu[illegible] Galat. 4. & Hebr. 9. mu[illegible] & [illegible] rationes d[illegible] apparatus externi cultus [illegible] a Deo [illegible] cultu habi[illegible] fuit: quod [illegible] & [illegible] poteſt. [illegible]

Vnde legimus & Moyſen ipſum & Prophetas, qui poſt ſecuti, populoque legem interpretati ſunt, nihil tam ſæpe tamque ſerio feciſſe, quàm quod inuecti ſunt in ſtultam & peruerſam opinionem populi, qua ſe Deo probe ſatisfeciſſe putabant, quando vel externa illa ſacrificia ei obtulerant, vel purificationes ſeu lotiones exteriores iuxta legem ſeruauerant, vel externo modo Sabbatum celebrauerant, vel ſimilia. Qua de re loci ſunt pulcherrimi Iſaiæ 1. 58. 66.

Et quod ad circumciſionem attinet, quæ velut præcipua pars erat religionis Iudaicæ, & per quam tantopere ſibi placebant, ipſemet legiſlator Moyſes ſatis indicauit, quid de illa ſentiendum eſſet, quamque per ſe nullius pretij eſſet in oculis Dei: ſed ſpiritalem eſſe circumciſionem quam quæreret, quamque illa externa & carnalis ſignificaret. Vnde Deuteron. 10. Circumcidite, ait, præputium cordis veſtri, & ceruicem veſtram ne induretis amplius. Sic Ieremias 4. Nouate vobis nouale (hoc eſt, vt Paulus Apoſtolus loquitur, renouamini ſpiritu mentis veſtræ) & auferte (ait) præputia cordium veſtrorum. Quaſi dicat; Non eſt carnis circumciſio quam requiro, ſed ſpiritus. Sic cap. 7. de ſacrificiis externis agens: Holocauſtomata veſtra addite victimis veſtris, & comedite carnes. Quia non ſum locutus cum patribus veſtris, & non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocauſtomatum & victimarum: ſed hoc verbum præcepi eis dicens; Audite vocem meam, & ego ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, & ambulate in omni via quam præcepi vobis.

Ephe. 4.

Ad eumdem modum Propheta regius Pſal. 50. Si voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique; holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Videte quam manifeſtè inter ſacrificia externa & interna, inter carnalia ſpiritaliaque diſcernat; quæque Deo grata ſint per ſe, quæ non, definiat. Idem docet & Pſal. 39. & latiſſime Pſal. 49. Audi populus meus, & loquar; Iſrael, & teſtificabor tibi: Deus, Deus tuus ego ſum. Non in ſacrificiis tuis arguam te: holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper. Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſiluarum, iumenta in montibus & boues. Cognoui omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum eſt. Si eſuriero, non dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius. Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Immola Deo ſacrificiū laudis: & redde Altiſſimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. Et hoc eſt quod Chriſtus Dominus noſter docet, in hiſtoria euangelica, optimus legis Dei interpres, primum & maximum diuinæ legis mandatum eſſe dilectionem Dei, alterum verò dilectionem proximi. quæ ſunt vtique actiones cordis & ſpiritus. Et addit, in illis duobus mandatis totam legem & prophetas pendere; hoc eſt, ad ſolam illorum mandatorum obſeruationem referri. Vnde conſtat, amorem eſſe (operationem ſcilicet mentis & ſpiritus) quem ſolum propter ſe Deus in lege etiam Moyſis requirebat: cætera autem, propter illam tantum, non quod ſibi per ſe illa placerent.

Quem ſenſum etiam habet illud Apoſtoli ad Roman. 7. Legem eſſe ſpiritualem, hoc eſt, illa imprimis ab homine requirere, quæ ad ſpiritus renouationem, puritatem, & ſanctificationem pertinent: externa autem omnia, quæ præcipit, velut acceſſoria tantum eſſe, vt ſpiritualis cultus per illa melius promoueatur. Et hæc de ſecunda quæſtione.

CAPVT IX.

Tertiæ quæſtionis elucidatio.

TERTIA quæſtio iam non habet ſolutionem difficilem. Conſtat ex dictis, quotquot vllo vnquam tempore Deo placuerunt, illum in ſpiritu adoraſſe, cultumque illi ſpiritalem obtuliſſe. Quid eſt ergo quod Dominus hic ait: Venit hora quum veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate? Quaſi videlicet nemo Deum prius taliter adoraſſet. Sic loquitur Chriſtus, quia pauciſſimi Deum antea in ſpiritu & veritate adorauerant, ac prope nulli, facta præcipue comparatione verorum adoratorum, quos paulò poſt erat habiturus. Primum enim adorabatur antea tantummodo vt oportebat inter Iudæos: qui nullus erat populus propemodum, comparatione gentium omnium, ac nationum aliarum totius mundi. Deinde inter ipſos quoque Iudæos pauci admodum erant

qui

qui veram Dei adorandi rationem nouerant: omnibus fere toto animo ab externo illo cultu pendentibus, in eoque omnem ſuam fiduciam collocantibus, vt nunc audiuimus. Solet autem cõmuniter & recte dici: Quod paruum eſt, pro nihilo reputatur, quando videlicet comparatur cum longe maiori. Ita Chriſtus hic, dum veros adoratores veteris Teſtamenti cum veris adoratoribus noui Teſtamenti comparat, ſic loquitur, quaſi illic nulli fuerint, quia tam pauci erant: quum breui eſſet futurum, vt veri adoratores multiplicarentur propemodum in infinitum per totum mundum. Sed nõ amplius de tertia quæſtione.

CAPVT X.

Quæſtio quarta declaratur & diſſoluitur.

VENIAMVS ad quartam, in qua explicanda diutius nobis hærendum erit. ex hac enim quæſtione hæretici omnes noſtri temporis magnum argumentum (vt ipſis quidem videtur) ſumunt contra veritatem religionis noſtræ: quo magnopere nobis inſultant, quaſique triumphum agunt, ſed ante victoriam: vt ait Achab rex Iſrael de Benedad rege Syriæ; Ne glorietur diſcinctus æque vt accinctus. Putant autem ſe hic rem vnam inueniſſe, in qua Eccleſia Romana, ſeu Catholica, manifeſte recedit à verbo Dei, à doctrina Chriſti & ſacræ Scripturæ, proindeque certò conuincatur, non eſſe Eccleſiam Chriſti. Sic autem argumentantur: Chriſtus dixit, a filijs noui Teſtamenti Deum patrem adoratum iri in ſpiritu & veritate, hoc eſt, interiori cultu mentis, ſine externa cæremoniarum pompa, qualis vel apud Samaritanos erat & alios ethnicos, vel apud Iudæos quoque. Et quod docuit verbo, id ipſo quoque facto ſemper expreſſit: ipſe auctor religionis noſtræ, nullas nec ſeruabat nec inſtituebat cæremonias: nullus aderat externus cultus, nulla altaria, nulla oblationes, nullæ purificationes. Res ab eo gerebatur ſumma ſimplicitate, in agris, in deſerto, in montibus, in mari, in priuatis ædibus: & ſi ſemel atque iterum per annum ſe Ieroſolymam conferebat, faciebat id, non propter cultum illum externum, ſed ad prædicandum populo regnum cælorum. Eodem autem modo ſe habuerunt ac geſſerunt Apoſtoli, & tota Eccleſia quæ collecta fuit poſt mortem & aſcenſionem Chriſti. Apoſtoli vt ſimpliciſſime fuerant a Domino, ſine vllo cæremoniarum ſplendore, inſtituti, ita ipſi quoque Eccleſiam inſtituerunt. Nihil habuerunt vel tradiderunt de ſumptuoſis templis, altaribus, oblationibus, ſingulari veſtium apparatu, imaginibus auro vel argento conſpicuis, & reliquo pluſquam Iudaico ſplendore, qui regnat in Eccleſia Romana. Sic illi diſſerunt ac definiunt pro libitu ſuo. Quid autem ex his omnibus efficere volunt aut concludere? nempe, omnes externas cæremonias, quibus Eccleſia Romana in exercitio religionis vtitur, eſſe contra verbum Dei, contra mentem & doctrinam Chriſti. Quod vt melius perſuadeant, addunt tantum eſſe cæremoniarum externarum in cultu Dei apud Catholicos, vt in hac parte cum gentiles tum Iudæos vincamus. Quin etiam affirmare audent, peccari in Eccleſia Catholica non modo cæremoniarum nimia multitudine, ſed ineptitudine etiam, ſuperſtitione, & vanitate. alias etenim ex cæremonijs noſtris eſſe per ſe malas, impias, ſuperſtitioſas; alias vanas, inutiles, ſuperfluas. Hæc illi (inquam) non inſigni ſua proteruitate, enormiter impudentes & blaſphemi.

Quid vero nos ad hæc dicemus omnia? Hic campus aperitur latiſſimus diſputandi de cæremonijs eccleſiaſticis: ſed hoc nos minime hic faciemus. Qui ea de re legere vult & cognoſcere doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, habet ſcriptores doctoreſque Eccleſiæ eruditos & varios, qui materiam illam ex profeſſo fuſe tractarunt: veluti Hoſium in fine confeſſionis Polonicæ, Thomam VValdenſem de Sacramentalibus, & plures alios. Hic breuiter ſolummodo oſtendemus vſum cæremoniarum, quibus Eccleſia Catholica vtitur, neque eſſe contra veritatem religionis Chriſtianæ, nec contra Scripturam hanc quam tractamus, vllamve aliam, vel contra doctrinam Domini.

Primum autem, quid tandem per hoc ſibi volunt quod Chriſtus dicit, Deum patrem a filijs noui Teſtamenti adoratum iri in ſpiritu & veritate; quodque Chriſtus & Apoſtoli eius, nullis, vt dicunt, vſi ſunt cæremonijs in cultu Dei, inque exercitijs religionis Chriſtianæ? An igitur nullas penitus in nouo Teſtamento cæremonias admittere volunt in cultu Dei? hoc enim inde ſequi videtur, ſi verba Chriſti & exempla eius nude ac ſimpliciter accipiantur. Atqui ipſimet qui ſic noſtras cæremonias inſectantur, nullaſne omnino vſurpant in cultu Dei quem fingunt? Non audent hoc dicere: conuincerentur enim ſta-

3 Reg. 20.

[illegible] Sed [illegible] Nihil refert ad h[illegible]. Hoc enim [illegible] nec hoc eſſe [con]tra verbum Dei, [illegible] Chri[illegible].

Quam multas autem cæremonias habere liceat in cultu Dei, [illegible] erit. Non [illegible] vos hac in re iudices ad[illegible] demus hoc [illegible]. Sed [illegible] eodem [illegible], [illegible]loque (ni fallor) meliore, ipſo quoque iudice [illegible] re[illegible]mus. Non ſumus ergo vos iudices, non ſin[illegible] [illegible]ed ſit Eccleſia Dei: quod ſane æquiſſimum eſſe videtur.

Qu[illegible] d[illegible] [illegible] nullas [cær]emonias [illegible] eſſe per ſe [illegible], [illegible] la[illegible] [illegible] & ſuperfluas: ita nos idem [illegible] confid[illegible] pronunciamus de ip-ſis [illegible] cær[emo]nijs. Nullus hic [p]oteſt alius eſſe iudex legitimus, quam Eccleſia Dei. V-[illegible]camus [illegible] quid fideles omnes & Chriſti[illegible], qui præcipue vete[illegible], & [illegible] paſtores [illegible] [doc]tores populi Dei, hac de re ver[illegible] & [illegible] omni [illegible] [illegible] tempore, omni loco. Non eſt autem obſcurum, vtra pars Eccleſiæ Chriſti iu-[illegible] ac ſen[illegible] pro ſe habeat. Placet vero, vt res melius intelligatur, [illegible]que ape[illegible], v[illegible] aliquod e mul[tis] h[illegible] rei exemplum p[illegible] conue[illegible]bus eccleſia[illegible] Hymnos & Pſalmos Dauidic[os] ad Dei laudem atque ædificationem au[illegible] cantant ſacerdotes, vel ſacerdotio d[illegible]nati. Illam cærem[oni]am [illegible] [illegible] [illegible] Sed intelligunt omnes, num ipſi [illegible] cæremoniam [illegible]. Mulieribus omnis generis atque ætatis [illegible] cum vi[ris] Hymnos & Pſalmos in templis & conuentibus eccleſiaſticis modulari, non ſolum per-mittunt [illegible], ſed etiam iubent. Quis hoc vm[illegible] à m[illegible] [illegible] hæreticis [illegible] in Eccleſia [illegible] poteſt? Accuſatu[r] [illegible] H[illegible] [illegible] auctoribus eccleſi[illegible] Paulus Samoſatenus, ab Epiphanio Euchitæ ſeu Maſſal[iani]. Nec [illegible] h[illegible] ad[illegible] noſtri vel Paulum Apoſtolum, qui mulieres in eccleſia tacere [illegible] nec [illegible] morantur, omnemque [illegible], [illegible] ibidem [illegible] vetat. Et [illegible] vna caufa vel ratione idonea? Quid magis hominum mentes permouere ac pel-licere poteſt ad mollitiem ac libidinem, quam muliebris vocis dulciſſima ac [illegible] mo-dulatio? [illegible] multo etiam plures apud eos mulieres huiuſmodi [illegible] [illegible]tiones, quam miniſtrorum (vt vocant) concion[illegible] ſe a[illegible]xerunt. Si mulieri-b[us] loqui in publicis conuentibus non licet per Apoſtolum, an canere illic publice & v[illegible] ſi [illegible] licebit?

Dum ergo cæremonias Eccleſiæ Catholicæ [illegible] [illegible] clamitant, alias inanes ac ſu-perfluas (quod tamen numquam adhuc probarunt) multique egr[illegible] Scriptores [illegible] bonis m[illegible] rationibus pro[illegible] [illegible] videant quid bono [illegible] de [illegible] cære-monijs dici queat. Sed nos ver[illegible] & [illegible] Chriſti [illegible] Deus [illegible] no-ui Teſtamenti v[bi]que locorum adoratur [illegible] trem cæleſtem in ſpiritu & veritate. Quid hoc ſibi vult? nimirum [gr]atiam Dei noui Teſtamenti tempore talem futuram in re-gno Chriſti, vt [illegible] credentium [illegible] faciat & veracia. [illegible] t, [illegible], [illegible] Deum agnoſcere, reuereri, amare, inuocare, ad [illegible] ſpirare, laudare bonitatem eius, potentiam, ma[ieſta]tem, vbique locorum, etiam extra templa, vbicumque oc[caſi]o ſe præbuerit: [illegible] non ficte aut h[ypocriti]ce, ſed vere atque ex animo: hoc eſt in ſpiritu & veritate adorare. Quidquid externum [illegible] & tam ab impio quam pio præ-ſtari poteſt, non eſt cultus Dei [illegible] Dei in nouo Teſtamento proprius. Sed [illegible] eſt Dei cultus [illegible] Chriſti, [illegible] & p[illegible] præ[illegible], & [illegible] der[illegible] poteſt h[illegible]

Verum an hic verus & ſpiritualis Dei cultus nullas penitus ad[illegible] cæ-remonias? Admittit plane, imo & re[illegible] S[illegible] q[illegible] gestus carent[illegible], qu[illegible] pietas ipſa, [illegible]oque ſpiritus & veritas ſ[illegible] [illegible] mdiu præcipuè ſumus in hac carne mortali. Qualia ſunt, cùm oram[us] voce intelli[illegible]; & verbis vti, oculos & faciem in cælum ad Patrem noſtrum leuate, manus ad eum-

Timot. 2. dem e[illegible] (vt Paulus quoque Apoſtolus monet: L[illegible], inquit, puras manus) genua flectere, & ſimilia. Quæ omnia Dominum etiam Ieſum orando obſeruaſſe le-gimus: tametſi ipſe huiuſmodi cæremonijs nihil opus habebat. Sed partim [illegible] [illegible] noſtr[illegible], partim etiam quia natura [illegible] orationis hæc poſtular [illegible] ipſe quoque in adoratione & cultu Dei vti voluit. Præter hæc autem, ſunt & aliæ quæ-dam externæ cæremoniæ, quæ tantum abeſt vt obſint adorationi in ſpiritu & verita-te, vereque internæ deuotioni mentis, vt illam etiam ex[c]itent, alant, adaugeant [illegible] [illegible]us.

riùs Huc pertinent templa, altaria, cantus eccleſiaſticus, organa, veſtes ſacerdotales, imagines Chriſti & Sanctorum, luminaria, campanæ & hoc genus alia. Quæ pleraque omnia vel ab Apoſtolis ipſis, vel ab eorum proximis ſucceſſoribus, introducta ſunt in Eccleſiam & cultum Dei: vti ex Eccleſiaſtica hiſtoria & Patrum veterum monumentis liquet. Vt nimirum per hæc in infirmitate carnis noſtræ ad fidem, ſpem, charitatem, obedientiam, & reuerentiam Dei (qui internus eſt & ſpiritualis cultus Dei) proueharnur.

Proinde quod Dominus hîc dicit; Venit hora quando neque in monte neque in Ieroſolymis adorabitis Patrem, non ſignificat Deum Patrem in templis adorari nolle, vt multi hæretici interpretantur; ſed duplicem habet alium ſenſum, vtrumque bonum & benè quadrantem ad ſenſum Chriſti. Alter eſt, quòd non tantùm in templis adorandus eſſet Deus noui Teſtamenti tempore, ſed vbique locorum. Quemadmodum Paulus orauit & adorauit Deum, nunc in carcere, nunc in littore maris, nunc alibi. Sic latro in cruce orabat, Ezechias rex in lecto, Iob in ſterquilinio; Ananias, Azarias, Miſaël in fornace ardente, Ionas in ventre ceti, Daniel in lacu leonum, Ieremias in cœno; alij alibi.

Qui modus orandi vbique locorum, etſi in veteri etiam Teſtamento obſeruatus fuit à pijs omnibus, vt exempla nunc allata teſtantur, tamen hoc copioſiſſimè poſtea obſeruatum fuit, multoque etiam maiori fortè mentis deuotione in nouo Teſtamento toto orbe terrarum, etiam ab infimis & ſimpliciſſimis quibuſque.

Verùm, quia videtur Dominus loqui cum Samaritana, non de priuatis fidelium precibus, ſed de ſolemni & publico ritu precandi, in conuentibus eccleſiaſticis, melior videtur & conuenientior ſenſus verborum Chriſti, Deum poſthac adoratum iri, & ritè oratum ſecundùm voluntatem ſuam, non tantùm Ieroſolymis, vbi hactenus benè ac legitimè adoratus fuerat; nec tantùm in monte Garizim, vbi malè colebatur, iuxta illa Chriſti verba, Vos neſcitis quid adoratis; ſed templa extruenda, orationiſque & adorationis publicè loca illi dicanda eſſe toto orbe terrarum, in quibus à veris adoratoribus in ſpiritu & veritate coleretur. Et hoc velle etiam videtur prophetia illa Malachiæ Prophetæ primo cap. Non eſt mihi voluntas in vobis, nec munus ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco offertur & ſacrificatur nomini meo oblatio munda. Quamuis Malachias ibi non ſolùm prædicit Deum aliquando adoratum iri & honoratum puris ſacrificijs, ab omnibus gentibus, toto orbe terrarum; ſed etiam totum cultum & religionem Iudæorum, (quod quidem ad externas cæremonias attinet) abolitum iri. Quæ ambo Chriſtus quoque haud dubiè, cum Samaritana loquens, ſignificare ac prædicere voluit. At verò, quòd nullæ eſſent prorſus futuræ externæ cęremoniæ in cultu Dei noui Teſtamenti tempore, hoc eſt præter mentem atque intentionem Chriſti: nec id etiam declarant aut conuincere vllo modo poſſunt verba eius. Neque tam externum cultum omnem abrogauit, quàm contra morem Samaritanorum & Iudæorum internum illi præualere, huicque externum ſeruire voluit. Neque enim dicit adorandum eſſe Patrem in ſpiritu tantùm: ſed ſimpliciter & principaliter oportere in ſpiritu adorare. Quaſi videlicet, quouis externo cultu poſito, nihil adhuc perfecti cultus & veri ſit, niſi adſit internus. Mentem in primis in Deum efferri oportere, eique per fidem, ſpem, & charitatem adhærere, ſi ieiunia, preces externæ, vigiliæ, hymni, pectoris contuſiones, genuflexiones, manuum eleuationes, & ſimilia Deo grata futura ſint. Et hoc illud eſſe videtur, quod Socrates gentilium omnium Philoſophorum, tametſi nihil ſcripſit, doctiſſimus, & qui proxime omnium ad veritatem acceſſit, orabat, vti ſuprà memorauimus, vt intus ante omnia pulcher eſſet: omniaque exteriora interiùs amica eſſent: hoc eſt, ad internorum tantummodò pulchritudinem & perfectionem facerent. Talia cenſentur omnia quæ foris aguntur apud Deum qui ſcrutatur corda & renes: cuius oculis nuda & aperta ſunt omnia, qualis eſt intus voluntas atque intentio hominis. Hanc inſpicit iuſtus ille rerum æſtimator, non ea ſola quæ fiunt externè. Quæ ſi ſpiritu ſunt & veritate dilectionis deſtituta, plus ad prouocandam iram Dei facere videbuntur. Verum eſt enim quod à Propheta ſcriptum eſt. Omnis gloria filiæ regis ab intus. Intus videt Chriſtus, intus amat, intus alloquitur. Nec punit vel coronat niſi quę intus fiunt. Vnde tamen non ſequitur externa omnia mala eſſe, ſed tantummodò laudem

dem ſuam & meritum ab internis recipere. Quatenus videlicet ad internam pietatem excitandam vel promouendam referuntur.

Quod verò aduerſarij dicunt Chriſtum nullas vnquam veteris Legis cæremonias obſeruaſſe: tantumq́ue interdum Ieroſolymam ad templum veniſſe docendi populum & prædicandi cauſa, hoc manifeſte falſum eſt. Quemadmodum enim Chriſtus in infantia ſua, legem Moyſis pleniſſimè in omnibus obſeruauit, vti conſtat ex hiſtoria Euangelica; ſic non eſt dubitandum, quin poſteà in templo non ſolùm docuerit & prędicauerit, ſed fidem etiam ſuam cum cæteris fidelibus, ſtatis temporibus adorando, & ſacrificia præſcripta offerendo, publice proteſtatus fuerit. Et certe quum ante annum trigeſimum iam inde ab ipſa ſua pueritia cum parentibus ſuis quotannis in die Paſchæ Ieruſalem adorandi cauſa proficiſceretur, vt Lucas refert, quumq́; ſemel tantùm, anno ſcilicet ætatis ſuæ duodecimo, inter doctores ſedens ac diſputans inuentus fuerit, quid reliquis annis ibi fecerit, obſcurum eſſe non poteſt.

At ſaltem in adoratione & cultu Dei, nouo Teſtamento proprio, nec Chriſtus ipſe nec Apoſtoli cæremonias aliquas externas obſeruaſſe vel inſtituiſſe leguntur. Bene dictum, leguntur: neque enim ſequitur; Non leguntur externas aliquas cæremonias obſeruaſſe, ergo non obſeruarunt. Multa fecerunt & dixerunt, tum Chriſtus ipſe, tum Apoſtoli eius, quæ ſcripta non ſunt. Et notum eſt Chriſtum ipſum inſtituiſſe ad cultum Dei in nouo Teſtamento Sacramenta, vt hæretici fatentur, duo vel tria: vt verò Eccleſia Catholica rectiùs credit ac docet, ſeptẽ: quæ nihil aliud ſunt quàm externæ cæremoniæ. Fatemur tamẽ, Chriſtum Dominum & Apoſtolos perpaucas, ſiue in celebratione ſacræ Euchariſtiæ, ſiue in Baptiſmo, ſiue in aliis quæ ad Dei cultũ & religionis Chriſtianæ exercitiũ ſpectant, cęremonias aut ritus externos inſtituiſſe vel obſeruaſſe. Et cauſa fuit grauis, eaque non vna, id cur ita facerent. Primùm, initia rerum omnium ſemper tenuiora ſunt, paulatim verò creſcunt in maius. Ita in religione veteris Teſtamenti, quam Deus tamen ipſe omnem inſtituit, nequaquã tam multę, tam ſplendidæ & magnificę fuerunt cęremoniæ, quàm poſteà Dauidis Regis & Salomonis tempore. Tunc & templum ipſum demùm erectum fuit, caput propemodum religionis & cæremoniarum omnium. Tunc & cantores ordinati, qui per vices, tum viua voce, tum varijs inſtrumentis muſicalibus, Dei laudes cantarent: vt patet ex libris Paralipomenõn & aliis. Paupertas frequenter in cauſa eſt, vt multa non fiant ad gloriam Dei, quæ poſteà rebus melius ſe habentibus, Deiq́ue ſuperueniente benedictione, inſtituuntur. Illa occaſio in primis regnauit initio Eccleſiæ Chriſtianæ, vt notum eſt. At verò primaria cauſa, cur paucæ obſeruarentur externæ cæremoniæ in exordio religionis noſtræ, erat, quòd plena eſſent omnia iræ, odij, inuidiæ, & perſecutionis in Chriſtianos. Nuſquam eis pæne tutò licebat conſiſtere. Quare nec templa erigere poterant, nec multa altaria, non publice canere Dei laudes; nec multa alia facere, quæ ad decorem diuini cultus pertinent. ſecreto in priuatis ædibus, in cryptis locisque occultis & ſubterraneis, non ſine magna animorum anxietate ac timore, erant omnia peragenda. At poſteà, pace Eccleſiæ diuina benignitate ac fauore reddita, multiſq́ue non diuitibus ſolùm ac nobilibus viris Chriſtianam fidem amplectentibus, ſed regibus etiam & principibus; viſum fuit minimè conuenire, vt diuinus cultus tam ſimpliciter ac tenuiter perageretur.

Tacti fuerunt principes & rectores populi illa religione, illoq́ue ſpiritu moti, quo Dauid olim rex correptus erat, quum diceret Prophetæ Nathan; Videſne, quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium? Itaque ſenſim tales externos ritus in Dei cultu inſtituere cœperunt, quales diuini nominis magnificentia requirere videbatur: erigere templa atque altaria, ornare illa ſacris imaginibus, vaſis aureis & argenteis: cantus ſolemnes, organa & campanas & ſimilia adhibere. Tum vt hac ratione dignitas cultus Dei, maieſtaſq́ue diuini nominis, magis omnibus commendarentur, & res ſacræ à contemptu vindicarentur: tum præcipuè ad inſtructionem rudioris & ſimplicioris populi: vt virtus religionis noſtræ, operatio & fructus Sacramentorum, in ipſa actione externa cum ritibus & cæremoniis congruis, luculentius explicaretur, & ob oculos poneretur. In quibus etiam ritibus habita fuit ratio eorum, quæ viſa fuerunt ſeruire ad conſeruationem ordinis & decori in conuentibus, vbi Sacramentorum adminiſtratio celebranda fuit. Illa verò erant duplicia. conſtabant enim tum verbis, tum ritibus geſtibuſq́ue. Verbis quidem, vt ſunt lectiones ex Scripturis ſacris, exhortationes, gratiarum actiones, laudes & alia huius generis: quibus doctrina fidei, de gratia Dei, de merito paſſionis

Chriſti,

Chriſti, de virtute Sacramentorum, de vitiis & virtutibus traditur. Quibus non contenti, vt doctrina illa & commonefactio cum melius explicaretur, tum memoriæ tenacius infigeretur, magiſque & efficacius animos moueret, verbis illis adiecerunt certos ritus ac geſtus: vtpote in obſeruatione dierum feſtorum, tum in Chriſti Domini, tum in Sanctorum diuerſorum memoriam: in veſtibus ſacerdotalibus, in ornatu altarium, ac templorum, in luminaribus, calicibus aureis vel argenteis, & ſimilibus.

Eſt enim hominum pars multò maxima, qui cùm ſenſibus magis quàm intelligentia menteque moueantur, ſuis ipſi cogitationibus ad piè Deum colendum, eiuſque potentiam, bonitatem, miſericordiam contemplandam, & grata quadam recordatione atque affectione proſequendam, non facilè queant excitari. Quare non rarò fit, rebus vt his externis quæ in oculos incurrunt, quæque ſenſibus offeruntur pulſati ſæpiùs, & admoniti, curam tandem aliquam & meditationem homine Chriſtiano dignam ſuſcipiant. Horum ergo vtilitati & ſaluti cæremoniarum dignitate maximè proſpectum eſt.

CAPVT XI.

Quintæ quæſtionis ſolutio.

SVPEREST quinta quæſtio; ſed quæ ex omnibus iam dictis facilè ſolui poteſt & explicari. Etſi enim Chriſtiani in Dei cultu externas etiam cæremonias, eaſque nonnullas Iudaicis ritibus ſimiles habeamus & obſeruemus; non inde conſequitur, nos Iudaizare vel Iudæorum vmbratiles mortuaſque cæremonias reſumpſiſſe. Magna & multiplex eſt inter Iudæorum cæremonias & Chriſtianorum differentia. Et primùm quidem ſic dici poteſt, Chriſtianiſmum à Iudaiſmo differre, quòd ad externos ritus & cæremonias attinet; quemadmodum vetus Teſtamentum à nouo, Lex differt ad Euangelio. Nam quoniam Lex vetus etſi nonnumquam ea quæ ſpiritus ſunt exigat, tamen diligentiùs, frequentiùs & apertius exigit ea quæ corporalia ſunt: ob id Iudaiſmus cultus Dei eſt in his rebus maximè conſiſtens, quas maximè & apertius Lex exigit. Contrà cùm Euangelium ea quæ ſpiritus ſunt vel ſolum præcipue expoſcat, ideò Chriſtianiſmus cultus Dei eſt, in ſpiritu potiſſimùm ſitus; quamuis nec Iudaiſmus abſente ſpiritu Deo gratus fuerit, nec Chriſtianiſmus ſine cæremoniis conſtare poſſit. Deinde & in eo eſt differentia, quòd Iudæorum cæremoniæ pleræque aut ad hoc inſtitutæ fuerunt, vt vmbræ eſſent veritatis, tunc nondum intellectæ, ſed poſteà reuelandæ, aut per eas à cultu idolorum homines auocarentur: Chriſtianorum verò cæremoniæ ad hoc ſolùm inſtitutæ, vt quoniam per corporalia ſpiritus noſter hic interim indiget commoneri, per eas cultus ſpiritus excitetur, foueatur, atque augeatur. Vt omittam quòd illorum cæremoniæ operoſæ admodum erant, & ſimul numeroſæ, parum tamen fructuoſæ: noſtræ verò præter ſummam vtilitatem & neceſſitatem etiam faciles & paucæ. Quarum quædam, ſed pauciſſimæ, etiam à Chriſto inſtitutæ ſunt, qui quod erat præcipuum Chriſtianiſmi, præcipuè docens, reliqua Apoſtolis & Apoſtolorum ſucceſſoribus diſponenda commiſit, quæ pro conuerſatione cultus ſpiritualis eſſent neceſſaria. Quæ vt ab hominibus eſſent inſtituta, ita pro diuerſitate temporis & loci mutari poſſent, quando ita ratio & vtilitas ſpiritus expoſceret: cùm Iudæorum cæremoniæ legales vſque ad Chriſtum ſemper deberent eſſe fixæ & inuariabiles. Non ergo quoniam Chriſtianum in ſpiritu & veritate adorare oportet, ideò omnes cæremonias externas negligere & contemnere debet; imò quoniam in ſpiritu adorare debet, ob id & cæremoniarum curam habere debet, eò quòd, vt dictum priùs eſt, nobis in hoc mortali corpore exiſtentibus ſpiritus pendeat à corpore, quodque corporales ſint homines, inter quos eſt ſocietas in cultu ſpirituali. Vnde conſequitur cæremonias non tantùm vtiles eſſe & neceſſarias puſillis & imperfectioribus, ſed etiam perfectis: idque tum pro proprij ſpiritus prouocatione in Deum, tum vt in illa ſocietate qua inter ſe Chriſtiani in cultu Dei ſpirituali coniuncti ſunt, cum alijs foueantur atque conſiſtant. Tantùm curandum, vt ne alio fine cæremoniæ vel inſtituantur, vel ſuſcipiantur, quàm quatenus conducunt promouendo in Deum ſpiritui noſtro, aut alendæ ſocietati eorum qui cultu ſpirituali conſociati ſunt; & vt ne credantur illæ per ſeſe Deo gratæ eſſe, ſed quatenus ſeruiunt ſpiritui & charitati. Ita fiet, vt nec oneroſæ nimis, nec numeroſæ ſint cæremoniæ, nec illis ita affixi ſimus, vt quod præcipuum eſt, poſteriori habeamus loco. Erit autem vbi Deum colemus longè purius in ſpiritu & veritate quàm hîc interim licet, nempe in futura vita;

quando

quando mortali hoc corpore exuti, & toti ſpirituales effecti, Veritatem ipſam nudè &
apertè contemplabimur. Cuius cultus puriſſimi comparatione, noſter cultus quo Deum
hic colimus, veluti Iudaiſmus eſt, vt iam etiam liceat diſtinguere triplicem cultum veri
1. Dei, quemadmodum Chriſtus ſuo tempore diſtinxit hoc loco. Sunt enim qui, quemad-
modum olim Samaritani, Deum quem ignorant, malè colunt in monte, imitum hæ-
retici, Iudæi & Turcæ; qui in ſuperbis ſuis conciliabulis Deum malè cognitum malè
2. etiam adorant. Sunt qui, quemadmodum Iudæi adhuc in Ieruſalem Deum adorant, vt-
potè Chriſtiani catholici, qui in Eccleſia hic militante Deum colunt, in ſpiritu quidem
& veritate, ſi eorum cultus comparetur cum veteri Iudaiſmo: adhuc tamen in vmbris
3. & ænigmatibus, ſi comparetur cum puriſſimo illo Angelorum & beatorum ſpirituum
cultu, qui Samaritanorum & Iudæorum cultum perfectiſſimè abolet, omnibus tum er-
roribus tum vmbris depulſis.

CAP. XII.

Pulchra Veritatis elogia ex S. Scripturæ ſententijs deſumpta.

Ioan. 8. SI MANSERITIS IN SERMONE MEO, VERE DISCIPVLI MEI ERITIS, ET COGNOSCETIS VERITATEM, ET VERITAS LIBERABIT VOS.

Pulchra admodum, inſignis multumque notabilis ſententia, ad laudem, vtilitatem, effectumque mirabilem veritatis demonſtrandum. Quum autem Chriſtus hic diſcipulis ſuis in doctrina ſua manentibus cognitionem veritatis promittit, & per illam, libertatem, inquirendum eſt primùm, de qua vel quali veritate loquatur. Multiplex enim eſt veritas, vti ex antedictis patet, & magis etiam liquebit ex ijs quæ adhuc dicenda reſtant, multæque ſunt ſpecies veritatis, non in humanis tantum rebus, ſed in diuinis quoque. Quibus tamen hoc elogium tribui poſſe non videtur, quod à Chriſto hic veritati tribuitur, quum dicit, Cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Veritas eſt, eſſe Deum; veritas eſt, non eſſe plures Deos: veritas eſt, Deum eſſe omnipotentem, iuſtum, bonum, ſapientem, conditorem cæli & terræ, rectorem, conſeruatorem, moderatorem omnium. Veritas eſt, eſſe bonos ſpiritus ſiue Angelos, qui Deo ſeruiunt & noſtri curam gerunt: itemque, eſſe malos ſpiritus, Dei hominumque hoſtes perpetuos. Veritas eſt à malis ſpiritibus ſeductum eſſe humanum genus, & in mortem æternam pertractum. Veritas eſt, omnes homines eſſe peccato obnoxios, & non iuſtificari in conſpectu Dei omnem carnem. Tales ſunt innumeræ veritatis ſpecies. Quænam igitur illarum omnium liberos facit diſcipulos Chriſti illi firmiter & perſeueranter inhærentes? Nulla particularis veritas ex his omnibus quas nominauimus, vel ſimilis quæpiam, ſed veritas generaliter ſumpta pro omni doctrina Chriſti, quæ & prædictas omnes ſpecies veritatis & multò etiam plures includit. De qua apertiùs loquitur Dominus Ioannis 17. Sanctifica eos in veritate. Et quaſi, ſi quis eum interrogaret in qua vel per quam veritatem diſcipulos ſuos ſanctificari cupiat, addit ſtatim: Sermo tuus veritas eſt. De quo vel quali autem ſermone Dei loquatur, ibidem declarat dicens; Verba quæ dediſti mihi, dedi eis, & ipſi acceperunt & cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me miſiſti. Ergo cognitio Chriſti & doctrinæ quam tradidit nobis, præcipuè de mundi redemptione per mortem ipſius, eſt veritas illa, quæ nos & ſanctificat & liberat. Sanctificatio enim noſtra eſt libertas noſtra; vel certè magna libertatis pars vt paulò pòſt audiemus.

Dixerat Dominus multa paulò antè & præclara de dignitate perſonæ ſuæ, deque excellentia officij ſui à Deo ſibi commiſſi: vtpotè, Ego ſum lux mundi; qui ſequitur me, Io. 8. non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Vos de hoc mundo eſtis, ego non ſum de hoc mundo. Qui miſit me, verax eſt; & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo: Ego ſum principium qui & loquor vobis. Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum, & à meipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater hæc loquor, & qui me miſit mecum eſt, & non reliquit me ſolum; quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper. Quibus omnibus auditis teſtatur Euangeliſta multos illorum qui præſentes aderant, in illum crediſſe. His deinde dicebat Dominus, Si manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Vnde ſatis manifeſtum euadit, loqui illum de veritate ſermonis quem prædicauerat, & doctrinæ quam

næ quàm tradiderat: præcipuè verò quod filius Dei eſſet miſſus in terram propter ſalutem & redemptionem humani generis. Ita vt ſenſus verborum illorum, Si manſeritis in ſermone meo, &c. hic eſſe videatur; Benè admodum feciſtis credendo doctrinæ meæ: ſi in eo permanſeritis, promitto vobis futurum, vt intelligatis, me nihil eſſe mentitum eorum quæ dixi, tametſi Scribæ & Phariſæi me conentur falſitatis arguere: experiemini me verè eſſe filium Dei, miſſum à Deo Patre meo in terram, lucem & Saluatorem mundi. Sed quomodo dicit Dominus, Cognoſcetis veritatem, illis qui in ipſum iam crediderant? & permanentibus in fide & doctrina ſua veritatis cognitionem in præmium promittit; cùm ſine cognitione veritatis, credere in illum non potuerint? Quis enim credit in illum, de cuius verbis & doctrina dubitat? Reſpondendum, quòd nonnullam quidem haud dubie veritatis cognitionem habebant, quos alloquitur Dominus: ſed tamen valdè adhuc rudes erant, & vix elementarij in doctrina Chriſti; ideò non mirum, ſi ampliorem illis doctrinæ ſuæ & veritatis cognitionem promittat. Et generalis eſt ſententia, non ſolùm ad illos pertinens, qui tunc præſentes aderant, ſed ad omnes cuiuſuis generis vel perfectionis diſcipulos Chriſti.

Proinde quantumuis aliquis noſtrûm adhuc hodie in veritatis cognitione profecerit, nouis ſemper incrementis ſe opus habere ſciat. Nemo ad cognitioné veritatis magis propinquat, quàm qui intelligit in rebus diuinis, etiamſi multũ proficiat, ſemper ſibi supereſſe quod quærat. Nam qui ſe ad id quò tendit perueniſſe præſumit, non quæſita reperit, ſed in inquiſitione deficit, inquit ſanctus Leo Serm. 9. de Natiuitate Domini. Et D. Auguſtinus, de verbis Apoſtoli Serm. 15. Semper tibi diſpliceat quod es, ſi vis peruenire ad id quod nondum es. nam, vbi tibi placuiſti, ibi remanſiſti. ſi autem dixeris, Sufficit, periſti.

Hoc autem præmio dignatur Chriſtus perſeuerantiam ſuorum & conſtantiam, quòd ſe illis ſemper magis magiſque familiarem reddit: ita priora dona ſua nouis ſemper & maioribus cumulando, ſeque & lucem veritatis ac ſapientiæ ſuæ magis ſemper clariusque manifeſtando, ac tenebras ignorantiæ noſtræ abſtergendo, quæ Euangelij claritatem obſcurant. Vt ergo nobis ad plenum innoteſcat & pateſiat veritas, ſerio & conſtanter ad eam eniti oportet.

Eadem quidem eſt ſemper, non alia nec diuerſa veritas, quam ab initio ad finem vſque ſuos docet Chriſtus; ſed quos initio quaſi exiguis ſcintillis irradiat, tandem plena luce perfundit: & quos primùm parua fontis ſcaturigine irrorat, poſtmodum plenis quodammodò fluminibus ad ſarietatem potat. Poteſt verò hæc quæſtio & aliter ſolui. nempe, fieri poſſe, vt vera fides reperiatur in aliquo ſine cognitione veritatis illius cui creditur. Credebant iſti quidem vera eſſe quæ dicebat Dominus de ſeipſo, quòd eſſet lux mundi, filius Dei, Chriſtus à Prophetis promiſſus, & ſimilia: ſed veram tamen veritatis huius cognitionem non habebant. Quam nec illi tenebant qui dicebant, Nos ſperabamus quòd ipſe eſſet redempturus Iſraël. nec Philippus, quum diceret, Domine oſtende nobis Patrem. Et tamen ille ex iis erat de quibus dicebat Dominus: Pater meus amat vos, quia vos me amaſtis & crediḋiſtis quia à Deo exiui. Huic ergo ac tali fidei, ſi in ea perſiſtant, promittit hîc Chriſtus plenam veritatis cognitionem, hoc eſt, fidem illorum à varijs errorum tenebris admixtis purgare, atque ad claram rerum omnium neceſſariarum cognitionem perducere. Quemadmodum etiam Paulus ſcribit ad Philippenſes: Si quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. verumtamen ad quod peruenimus, in eadem permaneamus regula. hoc eſt, in fide ſuſcepta conſtanter perſeueremus. Sic planè Dominus hîc dicit; Si manſeritis in ſermone meo, ſiue in fide doctrinæ meæ, cognoſcetis tandem perſpicue omnem veritatem. *Phil. 3.*

Semper in ſchola doctrinæ Chriſtianæ prius eſt credere, quàm cognoſcere. In cuius rei confirmationem benè citant Patres illud Prophetæ; Niſi credideritis non intelligetis. hęc enim verba clarè ſignificant cognitionem veritatis rerumque cæleſtium non niſi ex fide eſſe. *Iſaiæ 7.*

De Samaritanis ſcriptum eſt, Ioannis 4. quòd primùm verba mulieris, quæ cum Chriſto collocuta erat, credebant. deinde verò, poſtquam ipſum Chriſtum audierant, dicebant: Iam non propter tuam loquelam credimus: ipſi enim audiuimus & ſcimus quia hic eſt vere Saluator mundi. Quis hîc non videt quomodo ſolidior & perfectior Chriſti ac veritatis cognitio fidem iſtorum ipſo Chriſto audito ſubſecuta ſit? Ita & Apoſtoli & illi de quibus hic loquitur Chriſtus, & alij multi, primum verbis Chriſti humiliter crediderunt: deinde verò, creſcente in illis Chriſti ſanctique Spiritus operatione, mentes

illorum ſenſim lucidiore ac pleniore veritatis omnis illuſtratione & cognitione [illegible] fuerunt. ita vt tandem ad perfectam cognitionis certitudinem peruenerint in qua acquieſcerent. Huius cognitionis principium eſt fides, quæ paulatim creſcens, ad hanc tandem ſcientiæ lucem & cognitionis veritatem pertingit. Pro hoc fidei incremento ora-
Luc 17. bant Apoſtoli dicentes; Domine adauge nobis fidem. Credebant quidem: verùm iuxta ſentiebant multa in animo imbecillitatem fidei & fluctuationem. Orabant ergo vt in fide confirmatiores facti, quæ credebant, certa & clara cognitione tenerent ac perſpicerent: vt amplius fluctuare deſinerent. Idem ſentiebat & petebat ille qui dicebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Ad hanc igitur veram cognitionem Chriſti & ſcientiam veritatis non peruenitur humanæ vi rationis vel induſtriæ, ſed ſtultitia fidei, vti
1. Cor. 3 Paulus Apoſtolus loquitur; nempe vt neceſſum ſit, nos ſtultos fieri ſecundum ſeculum, credendo firmiter quæ non intelligimus, vt ad ſapientiam & veritatis cognitionem perueniamus. Hanc rem multis quoque alijs egregijs verbis & ſententijs proſequitur D. Auguſtinus hunc locum interpretans.

CAPVT XIII.

Quibuſnam à Domino cognitio veritatis promittatur.

OBSERVANDVM hìc etiam diligenter, quibuſnam promittatur à Domino cognitio veritatis. Veri, inquit, diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem. Ergo veris Chriſti diſcipulis datur veritatis cognitio, malis autem & reprobis non illuceſcit veritas, quamlibet etiam docti ſint, & ſapientes ſecundum mundum. Philoſophi ethnicorum veritatem quæſierunt, ſed non inuenerunt. Nimirum nec vbi, nec quomodo oportebat, quæſierunt: cum nec Deum cognouerint, nec Filium eius, in cuius ſolius doctrina veritas reperitur, vt hìc dicitur. Iudæi quoque reprobi Deum quidem cognouerunt; ſed quia Filium eius agnoſcere vel recipere noluerunt, ipſi quoque procul abfuerunt à cognitione veritatis. Denique ſunt & inter Chriſtianos alieni à veritatis cognitione, quamuis illi & Deum verum, & Filium eius, mundi redemptorem, cognoſcant: quia nimirum non ſeruiunt illi vt oportet: non ſunt diſcipuli eius veri: non permanent in ſermone eius. Quamuis enim credant fortè ſermonibus eius, nō tamen ſecundùm illos vitam ſuam inſtituunt. Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Secretum Domini, inquit Propheta, timentibus eum. Ad quem etiam ſenſum Apoſtolus veritatem Dei in Chriſto Ieſu, myſterium vocat abſconditum ab hoc mundo, hoc eſt à ſapientia, prudentia, induſtria, intellectu, & ratione vniuerſæ carnis. Ob hanc cauſam fieri non poteſt, vt alijs quàm Chriſti diſcipulis, iiſque non fictis ſed veris, ſperanda ſit iſta cognitio veritatis: quum non acquiratur aliter quàm per reuelationem Dei patris per meritum Chriſti in Spiritu ſancto. Nec ſunt alij etiam reuerà quibus illa cordi ſit, quive eam deſiderent, quærant, eſuriant, quàm electi & veri Chriſti diſcipuli. Reliqua turba Chriſtianorum vel in ſola religionis Chriſtianæ profeſſione, vel in externis cæremonijs, vel in conſuetudine maiorum, vel neſcio quibus alijs in rebus confidens & acquieſcens, de certa veritatis cognitione numquam eſt ſollicita.

Quamuis autem veris ſolummodò Chriſti diſcipulis cognitio veritatis promittitur, nihilo tamen minùs ad illam apprehendendam & conſequendã exigitur vt maneant in ſermone eius, vt antè monuimus. Si manſeritis in ſermone meo, inquit, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem. Electi ſumus ante mundi conſtitutionem in Chriſto Ieſu. Ephes. 1. Vt tamen gratiam hanc electionis in Chriſto conſequamur, neceſſe vt Euangelium eius audiamus, audientes intelligamus, in eoque indiuulsè perſiſtamus. Nullus eſt hìc contemptus vel negligentiæ locus. Deſiderium vehemens veritatis ſeriumque requiritur; auditus Euangelij Dei ac doctrinæ Chriſti diligens ſeduluſque exigitur. Denique fides doctrinæ auditæ firma, & conſtantia in fide neceſſaria eſt, ad hoc vt etiam electi veritatem cæleſtis ſapientiæ indubitanter cognoſcant.

Quod quia ita habet, cum iis qui vel ex ignorantia vel infirmitate mentis errant in cognitione veritatis, nec meliorem vel congruam inſtructionem pertinaciter auerſantur, clementer & patienter agendum, vt ab erroribus abducantur & ſanentur. Quò pertinent verba illa D. Auguſtini Manichæos hæreticos alloquentis, initio libri contra Epiſtolam Fundamenti: Illi in vos ſæuiant, qui neſciunt cum quo labore verum inueniatur, & quàm diffi-

difficilè caueantur errores. Illi in vos ſæuiant, qui neſciunt quàm rarum & arduum ſit, carnalia phantaſmata piæ mentis ſerenitate ſuperare. Illi in vos ſæuiant, qui neſciunt cum quanta difficultate ſanetur oculus interioris hominis, vt poſſit intueri ſolem ſuum, de quo ſcriptum eſt; Ortus eſt mihi ſol iuſtitiæ. de quo dictum eſt in Euangelio: Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Illi in vos ſæuiant, qui neſciunt quibus ſuſpirijs & gemitibus fiat, vt ex quantulacumque parte poſſit intelligi Deus. *Ioan. 1.*

Sed hæ ſententiæ rationeſq; Auguſtini nihil eos iuuant, qui in Eccleſia à ſæculari magiſtratu occiduntur propter errores in religione, vel blaſphemias intolerabiles, quas vel pertinaciter fouent in ſeipſis, vel alijs etiam affricare conantur; nullis perſuaſionibus vel rationibus, nullis admonitionibus vel doctrinis, ad veritatem redire volentes: Errantes, & in errorem mittentes, vt ait Apoſtolus. Contra illos multò aliter ſcribit Auguſtinus Epiſtola 48. & 50. *2. Tim. 3.*

CAPVT XIIII.

Quomodo veritas liberat nos; & de varijs ſeruitutis generibus.

SED pergamus nunc, & videamus, quid ſit quod ſequitur in ſententia noſtra Euangelica, ET VERITAS LIBERABIT VOS. Cognitionem cultumq; veritatis à fructu qui inde percipitur, vel (quod idem eſt) ab effectu commendat. nempe quòd nos in libertatem reſtituat. Hoc autem incomparabile bonum eſt: vnde ſequitur, nihil veritatis cognitione præſtantius eſſe magiſve expetendum. Seruitutem, omnes ſentiunt & fatentur rem eſſe miſerrimam. Quum ergo ab ea nos liberet veritas, conſequitur, beatæ vitæ theſaurum eſſe. Et hic eſt tanquam finis, quò tendendum eſt in diſcipulatu ſeu ſchola Chriſti. Suus eſt cuique ſcientiæ & arti addiſcendæ finis. In ſchola Chriſti, in qua magiſter eſt Spiritus ſanctus, finis proponitur vera ac certa libertas. Ad hunc aſſequendum finem, opus eſt ardenti atq; continuo ſtudio ſeu deſiderio: vt paulò antè etiam diximus. Nemo quærit magnoperè, aut eò peruenire laborat, quod non deſiderat.

Libertas res eſt longè vtiliſſima, pretioſiſſima, iucundiſſima. Ideò communiter aurea dicitur: quòd nihil ſit vtilius, pretioſius, iucundius auro. Qui ergo vel ſeruitute non premitur, vel non appetit libertatem, is ad libertatem, etſi maximè ſeruus ſit, haudquaquam aſpirabit. Requiritur ergo in ſchola Chriſti, vt ſeruitutem, qua detinemur, ſentiamus moleſteque feramus; atque ad libertatem veram atque perfectam cupidè totoque mentis deſiderio contendamus.

Videamus ergo & expendamus quænam propriè illa ſeruitus ſit, qua genus humanum detinetur, & à qua per Chriſti veritatem liberamur. Varia ſunt ſeruitutis genera. Alia à Deo tradita & cõſtituta, alia per Sathanam introducta, alia per Chriſti gratiam acquiſita. Primùm à Deo eſt ſeruitus illa, qua poteſtatibus ſuperioribus ſubijcimur. de qua ſeruitute Paulus Rom. 13. & Petrus 1. Epiſt. 2. Item ſeruitus, qua liberi ſeruire debent parentibus, & ſerui dominis, vt omnes Scripturę teſtantur. Deinde à Deo eſt & ſeruitus Legis: de qua Paulus Galat. 4.

Genera ſeruitutis à Sathana introducta ſunt iſta: Primum erroris & cæcitatis: quæ ſeruitus introducta eſt primùm in totum genus humanum per fraudulentiam & ſeductionem ſerpentis antiqui; qui Euæ perſuaſit, ſi de pomo vetito ederet, continuò efficeretur æqualis Deo, ſciens bonum & malum, & nequaquam moreretur: proinde nihili faciendum eſſe præceptum Dei, quo illo fructu veſci prohibuerat.

Quoniam hęc & tanta mendacia loco veritatis recepit Eua mater omnium, introducta eſt in humanum genus procliuitas errandi, immò ſeruitus erroris: qua fit vt non ſolùm errore ac cæcitate vetus noſter Adam teneatur, ſed & pronus ſit ad errandum; ineptiſſimus autem ac difficillimus ad veritatem amplexandam: perinde atque noctua non ſolùm in tenebris viuit, ſed tenebris etiam delectatur, lucemque odit ac fugit. Sic Paulus Epheſ. 4. cæcitatem cordibus illorum aſſcribit qui ſunt extra Chriſtum. Et hanc cæcitatem reipſa experimur quotidie in carnalibus hominibus, filijs huius ſæculi: qua fit, vt per errorem ſeruiant deſiderijs ſuis peſſimis, putantes felicitatem ſitam eſſe in rebus

manibus, caducis, noxijs. Sic Paulus iterùm ad Titum 3. Eramus aliquando & nos inſipientes & increduli, errantes & ſeruientes deſiderijs ac voluptatibus varijs. Hoc genere ſeruitutis, erroris nimirum, detinetur totus mundus. Vnde & communiter vereque dicitur; Mundus vult decipi. Item, Mundus regitur opinionibus. Ad hanc etiam ſeruitutem referendum quòd mortalium genus, in cauſa religionis, tam procliue eſt ad falſos cultus recipiendos, quibus non Deo, ſed Sathanæ ac proprij cordis idolo ſeruiant. Alterum genus ſeruitutis à Sathana introductæ eſt, qua totum genus humanum detinetur ſub peccato. De qua ſeruitute Dominus dicit, in hac eadem diſputatione ſeu concione; Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati. Et Apoſtolus Rom 6. An neſcitis, inquit, quòd cui vos exhibetis ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obeditis, ſiue peccati ad mortem, &c. item; Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Quod perinde eſt ac ſi dixiſſet; Non ſeruiatis peccato. Et hæc ſeruitus peccati non ſolùm huiuſmodi eſt, quâ vi peccati dominantis in corpore noſtro, ſiue in anima carnali, ad peccandum cogamur; ſed quâ etiam delectemur, & ad quam cupide propendeamus. Perinde ac ſi quis vi inordinati amoris occupatus atq; abreptus, ſcorto ſeruiat, totumq; ſe illius voluntati addicat.

Tertium genus ſeruitutis per Sathanæ malitiam inuectum, eſt corporum noſtrorum, quę corruptioni ſubiecta ſunt. De qua ſeruitute Roman. 8. Creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Membra noſtra ſiue laborando, ſeu quieſcendo, edendo, bibendo, dormiendo, ſeu vigilando, corruptioni ſeruiunt, & ad corruptionem tendunt. Seruitutis autem per Chriſti gratiam acquiſitæ vnum genus eſt, ſeruitus ſpiritus per gratiam Chriſti regenerati, qua Deo ſeruimus in Chriſto; dum voluntati eius paremus; non coactè vt dęmones & reprobi homines, ſed vltrò, alacriter, voluntariè.

Alterum genus eſt corporum, quo nimirum membra corporis noſtri ſpiritui obedire compellimus. De quo Apoſtolus 1. Corinth. 9. Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo. Corpus noſtrum ex peccati corruptione ægrè ſpiritui renouato ſubijcitur. Ideò caſtigatione opus habet: perinde ac mali ſerui. qui dum otio & ſagina contumaces redduntur, labore, ciborum ſubſtractione, & verberibus ad officium compelluntur.

CAPVT XV.

A quibus ſeruitutis generibus per Chriſtum liberemur.

QVVM tot ſint genera ſeruitutis, quærendum nunc, à quibus per Chriſti veritatem liberemur. Neque enim ab omni ſeruitute liberare nos venit, qui noſtræ ſalutis cauſa è cælo deſcendit. Primùm ab ea ſeruitute non liberat quæ inferiorum eſt erga ſuperiores, & imperitorum erga peritiores. Illa enim ſeruitus vtilis eſt & neceſſaria rebus humanis; ipſiſque adeò ſeruientibus magni beneficij loco ducenda: quandoquidem tales ſunt, vt ſe ipſos regere ac defendere nequeant; vt ſunt pueri, ſerui, mulierculæ, ſubditi. In horum vtilitatem data eſt à Deo poteſtas magiſtratibus, dominis, maritis, parentibus. non quidem vt pro libidine ſua imperent ac dominentur, ſicut tyranni, qui permiſſione diuina & peccatorum noſtrorum merito, acerbè dominantur: ſed vt minores atque inferiores bene regantur & defendantur ab aliorum iniuria. Tollentur quidem huiuſmodi ſubiectiones & ſeruitutes in vita futura, vbi nec dominus erit, nec ſeruus, nec magiſtratus, nec ſubditus, &c. qui ſtatus tantùmmodò vitæ præſentis ſunt: ibi autem Deus vnus omnia erit in omnibus: verùm in hoc ſæculo vt neceſſarij ſunt, ſic tolli non debent. Præterea, ab illa quoque ſeruitute adeò nos non liberat veritas Chriſti quam poſtremò receuſuimus, quæ nimirum eſt ſpiritus noſtri erga Deum, & corporis erga ſpiritum, vt nos gratia ſua ſingulari ad illam magis ſemper magiſque reſtituat.

At verò, quoniam venit in hunc mundum vt opera diaboli deſtrueret, &, captiuos ad extremam perditionem, liberaret; manifeſtum eſt, quòd ab illis omnibus generibus ſeruitutis liberet in ſe credentes, ſibique fideliter adhærentes; quæ per diabolum inducta ſunt ad perditionem humani generis: nempe à ſeruitute erroris, peccati, & corruptionis. Ab errore quidem, ne ampliùs in via ſalutis erremus, deciique ſimus. Deinde multò magis ne cæcitatem noſtram erroreſque amemus, ac veritatis lumen auerſemur. ſed ſicut in ſeruitute erroris tenebras amamus; ſic in libertate veritatis lucem non modò videamus, ſed etiam diligamus, illique tôtis viribus tamquam filij lucis adhæreamus.

A peccato, ne poſthac illi obediamus, nec regnare in corpore noſtro permittamus. ſed, ſicut

ſicut extra Chriſtum in ſeruitute peccati Sathanæ, ſic in Chriſto in ſeruitute iuſtitiæ conſtituti, Dei patris noſtri voluntati ſeruiamus. De qua re Roman. 6. Deinde ne condemnationi peccati ampliùs ſubiaceamus, etiamſi illius in nobis reliquiæ adhuc inhæreant; quò fit vt nondum plene & perfectè ab illo puri & expediti ſimus. Neutrum noſtris debetur aut viribus aut virtutibus. Vires noſtræ ad malum, merita ad mortem & damnationem tendunt, quamdiu in carne ſumus non renouati ſpiritu Chriſti. Ipſe eſt, per quem ſolum peccati tyrannidem & mortis damnationem euadimus. Qui & propterea Ieſus, id eſt ſaluator, appellatur: vt eſt Matth. 1.

A corruptione autem liberabit corpora noſtra ſuo tempore: nempe in die vltimæ reſurrectionis: quando in plenam libertatem gloriæ filiorum Dei aſſeremur. Interea perdurandum carni noſtræ in ſeruitute corruptionis. Quæ ſi rectè expendatur, innumeram habet cùm declarandæ in nobis diuinæ gratiæ & potentiæ, tum exercendæ fidei noſtræ, fraternæ dilectionis, & patientiæ Chriſtianæ materiam.

Supereſt ſeruitus Legis, quam diuina diximus voluntate atque ordinatione traditam. Habuit illa curſum ſuum tempuſque à Deo conſtitutum, tamquam pædagogia quædam ſub qua populus Dei, puerorum inſtar, inſtitueretur. vt docet Apoſtolus Galat. 4. Sublata eſt ſeruitus hæc per ſpiritum libertatis filiorum Dei, quem in Chriſtum credentes accipiunt. Non quòd mala fuerit & pernicioſa, ſicut ſeruitus erroris & peccati; ſed quòd illius ſublatio ad commendationem cæleſtis gratiæ, atque ad veriorem & pleniorem iuſtitiam fuerit neceſſaria. Donec ſub lege ſumus, ſeruili ſpiritu præditi ſumus, id eſt inuoluntario: ad ea quæ præcipiuntur, plagis caſtigari, ſeruorum inſtar, minis terreri, pollicitis allici, opus habemus. At afflati ſpiritu gratiæ, renouamur mente & affectione, incipiunt adlubeſcere, quæ dura priùs acerbaque videbantur: incipit Deus ipſe nobis placere, naſciturque in corde noſtro affectus erga Deum; ſuauis, bonàque fiducia plenus. intelligimus mandata illius ad vitam eſſe, non ad mortem; amari nos ab illo non odio haberi: atque ita voluntarij reddimur ad obedientiam: vt quæ à nobis exigit, non minis ſicut anteà & plagis coacti, vel muneribus & promiſſis inducti, ſed puro amoris impulſu volentes faciamus; parati etiam maiora ac duriora præſtare. Quo ſpiritu accepto, adoptamur in ſortem filiorum Dei; & qui ante ſerui eramus, iam liberi facti, filijs adiungimur & heredibus. Et hinc ſequitur quiddam diligenter notandum, libertatem hanc à ſeruitute Legis & ſpiritu timoris nō mox pertinere ad omnes Chriſtianos; ſed illorum eſſe tantùm qui ſpiritum filiorum Dei acceperunt, illoque abſque vllis etiam externis legibus & mandatis liberè & voluntariè ad omnia diuinæ voluntatis beneplacita exequenda ducuntur. Moſaica illa ſeruitus quatenus populum Iſraëliticum conſtrinxit, Chriſtiano populo imponenda non eſt. Interea tamen fieri non poteſt, vt abſque legibus & ſpiritu timoris adminiſtretur Chriſtiana reſpublica: cùm ſpiritus dilectionis ac filiorum Dei non niſi electorum ſit, eorumque nondum omnium, ſed illorum dumtaxat, qui iam fide in Chriſtum corde ſunt renouati. Quapropter ſummoperè cauendum eſt, ne ſicut 1. Petri 2. legimus, libertas iſta velamen fiat carnalis malitiæ. Non debent etiam verè liberi obedientiam legibus recuſare, ſed illis animo prompto & voluntario, nempe per ſpiritum libertatis, obedire. Quantò magis illis, qui adhuc ſpiritu ſeruitutis ac timoris detinentur, incumbit; vt publicis legibus ac diſciplinis neceſſarijs ſe ſubmittant, quum ipſorum tantùm gratia datus ſit legum vſus?

Reſtat nunc declarare, quemadmodum Chriſtus libertatem hanc filiorum Dei (in qua ſalus omnis & felicitas ſumma conſiſtit) non ſibi tribuat ſed veritati. Non enim dicit, Ego liberabo vos: ſed, Veritas liberabit vos. Et tamen paulò pòſt dicit, Si vos Filius liberauerit (de ſeipſo loquens) verè liberi eritis. Et minimè profectò dubium eſt, quin Chriſtus ſit auctor verus & vnicus libertatis noſtræ, ab omnique mala ſeruitute nos liberet, ſed liberat per veritatem. Ideò rectè etiam veritati liberationem tribuit. Quemadmodū & medicus ægrotū ſanat & potio medica: ſed medicus per medicinalē potionem.

Quomodo autem liberat nos Chriſtus per veritatem, niſi quia illa eſt recta via libertatem conſequendi, quòd veritati doctrinæ eius credimus, ad illamque vitam noſtram inſtituimus? Liberat nos veritas Chriſti, dum per illius cognitionem mens noſtra non ſolùm à tenebris errorum illuminatur & expurgatur, ſed tota etiam regeneratur ac renouatur à peccato ad amorem iuſtitiæ, legis omnis & voluntatis Dei; vt iam non ampliùs peccare delectet, ſed benè ſancteque viuere: veluti antè iam explicauimus. Id quoque clariùs declarari poterit exemplo contrario. Sicut enim per mendacium ſerpentis credi-

tum ac receptum, ſeducta eſt Eua, & poſtmodum etiam maritus eius: ſeducti autem, in peccatum lapſi ſunt; ac deinde in miſeram ſeruitutem, peccati pœnam, inciderunt; ita vt vere dici potuerit tum primis illis hominibus, tum toti humano generi; Si manſeritis in ſermone ſerpentis, illi fidem adhibentes, vt cœpiſtis, eritis veri illius diſcipuli, & cognoſcetis mendacium eiuſque naturam, virtutem effectumque in malo; & mendacium vos ſeruos reddet. Ita planè Chriſtus hic loquitur: Si manſeritis in veritate doctrinæ meæ, vere diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis effectum virtutemque veritatis illius; nempe quòd liberos vos reddet, ab omnique damnabili ſeruitute vos expediet. Per veritatem enim Chriſti, atque doctrinæ eius fidem receptam, & viuaciter cognitam, reducitur humanum genus à mendacio, peccato, damnatione, ab omnique ſeruitute peccati ac mortis, in veram libertatem filiorum Dei.

Ergo, vt Chriſtus eſt via, veritas, & vita: ſic Sathan eſt ſeductio, mendacium, & mors. Et quemadmodum Sathan mendacio ſuo ſeductos perdit, atque in ſeruitutem mortis æternæ ac damnationis pertrahit; ita Chriſtus veritate ſua credentes in ſe ſibique adhærentes liberat, ab omnique eximit ſeruitute regni ſathanici, atque ad ſui regni dulcem æternamque libertatem perducit. Et hinc eſt, quòd diabolus veritatem hanc, per quam regnum eius deſtruitur, & captiui eius liberantur, tum per ſe totis viribus, tum toto exercitu ſuo malorum atque impiorum, perpetuo quodam furore, odio, dolis, inſidijs, fraudibus, nunc clàm, nunc palam perſequitur, omnibuſque machinis & tormentis, gladio, igne, aqua, &c. expugnare nititur: efficitque adeò fraudibus ſuis & mendacijs in oculis mundi, vt hæc veritas myſtas ſuos ac diſcipulos, potiùs miſeros reddere quàm liberos & beatos, perdereque veriùs in totum, quàm liberare vel ſaluare videatur. Hinc illæ extant voces illorum & confeſſio propria; Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum & in ſimilitudinem improperij: nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Sap. 5.

Poſtremò dicendum hîc vno verbo, multa eorum quæ ad ſalutarem & ſublimem hanc doctrinam pertinent, de ſeruitute peccati, ac libertate iuſtitiæ, cognita olim fuiſſe Philoſophis etiam, multiſque ingenio aliquo præſtantibus apud ethnicos. Sciebant enim & illi quoque, & confitebantur, qui malis cupiditatibus ſuis dediti eſſent, eos ſub deterrima ſeruitute degere. Qui verò virtutem ſequerentur; eos demum liberos eſſe. Vnde exſtat pulchra illa diſputatio Ciceronis in Paradoxis, Solos ſapientes liberos eſſe, & ſtultos omnes ſeruos.

Hinc & illa carmina Boëtij Philoſophi, de Conſolatione philoſophiæ lib. 3.

Qui ſe volet eſſe potentem,
Animos domet ille feroces:
Nec victa libidine colla,
Fædis ſubmittat habenis.
Etenim licet Indica longè
Tellus tua iura tremiſcat,
Et ſeruiat vltima Thule;
Tamen atras pellere curas,
Miſeraſq́; fugare querelas,
Non poſſe, potentia non eſt.

Et in fine libri primi ſic canit idem auctor;

Tu quoque ſi vis,
Lumine clara
Cernere verum;
Tramite recto
Carpere callem;
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemq́; fugato,
Nec dolor adſit.
Nubila mens eſt,
Vinctaq́; frænis,
Hæc vbi regnant.

Hæc ergo cognouerunt atque intellexerunt de vera ſeruitute ac libertate etiam ſapientes gentium. Sed multa eos tamen latuerunt in hac re admodum neceſſaria cognitu, quæ diuinæ lumine gratiæ nunc nouerunt infimi quoque plerique Chriſtianorum, idiotæ ac mulierculæ. Primùm enim putabant philoſophi gentium, vnumquemque ſibi malum hoc ſeruitutis acceríere, quum ſe nimirum vltrò daret imperio malarum affectionum & peccatorum. Quod ex parte verum eſt; ſed longè altior hîc latet ſenſus in verbis Chriſti. Docet enim ille, non tantùm quid vnuſquiſque ſibi accerſat, ſed qualis ſit humanæ naturæ conditio: totum genus humanum ex prima origine ſeruituti peccati obnoxium eſſe, naſcique vnumquemque ſeruum ac peccato ſubditum, etſi nihil pòſt adijciat malitia propriæ voluntatis.

Secundò, multa etiam ignorabant ad naturam ſeruitutis huius maximæ & miſerrimæ pertinentia. Vtpote quòd ſeruitus iſthæc mortem quoque includeret ac ſecum traheret, non

non ſolùm corporis ſed animæ etiam: nec temporalem modò ac momentaneam, ſed æternam quoque: & multa alia quæ nos hic paulò antè explicauimus ex Sacris litteris. Tertiò, ſicut veram huius ſeruitutis originem ignorabant, ſic neſciebant penitus qua ratione vera poſſet libertas acquiri; quod fit per ſolam veritatem Chriſti, vt hic diſcimus. Philoſophi putabant, vnumquemque, vt ſuo arbitrio ſeruus fieret, ſic eodem modo rurſus quum vellet, in libertatem redire. Et liberationem à ſeruitute hac aſſcribebant philoſophiæ ſuæ, quæ ſcientia quædam erat apud illos quam proprio ſtudio comparabant, vti alias ſcientias naturales. Et verè philoſophia eſt, quæ ab hac ſeruitute liberat, ſed Chriſtiana philoſophia, non illa gentilis. Philoſophia, non quæ vllis humanis viribus, induſtria, ſtudio comparatur; ſed quæ cælitus nobis infunditur à Spiritu ſancto, per fidem Chriſti redemptoris. Quæ philoſophia hîc veritas nuncupatur, ſeu cognitio doctrinæ Chriſti, vt ante diximus.

Iam totam hanc diſputationem de veritate liberatrice, ſermonibus Simonis de Caſſia concludamus, qui verba Chriſti quæ iam tractauimus, interpretatur, in hunc modum introducens Chriſtum ipſum loquentem: Vos qui credidiſtis, meum audiendo ſermonem, parum vobis eſſet, niſi maneatis in illo, in quo manentes gloria mei diſcipulatus ornabit; qui ſolùm in auditu non eſt, neque in ſcientia, neque in credulitare concepta dataque verbis, ſed in manſione per actiones, vt fiat quod dicitur ad vitiorum & ad propoſitum ſtudium. Et immanſio ad perſeuerantiam referatur, ne quis repetat quod iure dimiſit, neque gradum figat, ac ſi ſufficientiam haberet actorum immò in ampliora ſe porrigat ea conſideratione, quaſi in virtute nouitius, non profeſſus, non ſibi viſus dignum aliquid egiſſe. Sic quidem manere in ſuſcepta doctrina verum diſcipulum Chriſti facit. Cuius doctrina vera, certa, ſuauis, veritatis cognitionem præſtans, quia veris Chriſti diſcipulis datur cognitio veritatis. quoniam Chriſtus omne quod docet veritas eſt, quę cùm cognita fuerit, confert optabilem ab omnibus libertatem. Multis periculis ſubiacemus, à varijs malisque dominis tyrannicè peſſundamur, à quibus ſatagendum eſt conſequi libertatem: ſed ſola veritas eam largitur ſolis veris diſcipulis Saluatoris. Scribitur in lib. beati Iob, quòd ſeptem mala conſueuerunt homines premere, à quibus ipſe liberandus eſſet: In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non continget te malum. In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij. A flagello linguæ abſconderis, & non timebis calamitatẽ cùm ſuperuenerit; in fame & tempeſtate ridebis, & beſtiam terræ non formidabis. Septem hic mala huiuſmodi ſerie numerantur: mors, gladius, flagellum, calamitas, fames, tempeſtas, & beſtia. Mors ſeparatio à vita eſt, in quam nequit; ſed mortalem rationabilemque creaturam ſeparat, ne cum vita vera ſocietur. & hæc eſt mors, ſcilicet peccatum ad mortem, de quo Ioannes in Canonica ſua dicit: Eſt peccatum ad mortem, etiam pro illo dico ne vt roget quis. Omnis iniquitas peccatum eſt, & eſt peccatũ ad mortem. Liberat ergo veritas cognita diſcipulos Chriſti à morte peccati & damnationis æternæ, non à morte qua ſpiritus & caro ab inuicem diſtinguuntur. Gladius atrocem & ineuitabilem perſecutionem inſinuat, in quâ veritas tuetur eius alumnum, non vt ne patiatur, ſed ne ſuccumbat, propoſita ſibi ſpe in pollicitatione indefectibilium bonorum. Verumtamen in bello educitur gladius, vt aduerſarius obtruncetur; occultum & inteſtinum eſt bellum. ſic eſt gladius omne videlicet quod à vita, quæ Deus eſt, ſecat & diuidit, quem veritas depulit. Flagellat lingua nequam omnem hominis bonitatem: ſed protegit veritas à reſticuloſis flagellis, oſtendens linguam doloſam non poſſe dare iacturam innocentibus & amatoribus eius. à quo flagello protectus Ioſeph in Ægypto, Daniel à ſatrapis regis Babylonis, Suſanna per Danielem à ſenioribus falſis. nec linguæ humanæ flagellum verberat apud Deum, vbi veritas, ſi teſtis & aduocata eſt, tuetur ſibi familiarem, ne luat falsò ſupplicium, ſi non in veritate peccauit. Calamitas vbique adeſt, maximè vacuitas diuinorum bonorum, atque virtutum. Veritas autem ſuum non ſinit vacuum poſſeſſorem, oſtenditque vnde poſſit anima noſtra repleri. Et cùm fames non panis & vini, ſed audiendi verbum Dei ſæpè adfuerit, veritas tollit. Solent homines alternationes temporum perhorreſcere, vt ſi aſperæ ſint, tempeſtates vocantur: ſed veritas quæ temporum viciſſitudines non patitur, liberat ſibi adſcitum, vt cum tempore qualitatibus animæ non varietur. Beſtia terræ, ſerpens antiquus eſt, anfractuosè incedens ſuper pectus ſuum in terra; & terra, ſcilicet terreni homines, ſunt cibus eius, & inſidiatur calcaneo fœmineo, videlicet cunctorum effœminatorum qui ſunt in terra, vt ſecum trahat, vbi & ipſe perditus eſt. Beſtia terræ ideò dicitur, quia contra ortos

Simon de Caſſia, lib. 11. cap. 38.

Iob 5.

in terra eſt congreſſus eius. De cælo quidem fuit eiectus, nec locus eius ampliùs inuentus eſt ibi: ſed quoniam ipſe mendax eſt & pater eius, vt ſubiectum ſcriptum eſt, ideò ſola veritas liberat à mendace. Liberat etiam veritas, à quibus expetebat liberari Dauid, dicens: Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ: ſcilicet à peccatis, quæ ſic appellata ſunt. Omnis libertas à malo, & in bono, à veritate procedit. Ad veram libertatem nil præter ipſam valet. Sic Propheta ait: Argentum eorum & aurum non valebit liberare eos, in die furoris Domini. Et alius idem canit: Quia quod non liberauit ab indebita culpa, non liberabit à debita pœna inflicta Dei iuſtâ ſententiâ. Sed non intelligebant Iudæi eſſe libertatem, niſi à ſeruitute, quam ſolùm eſſe ſubiecti corporis imperio ſuperioris autumabant.

CAPVT XVI.

Quomodo Chriſtus ſit via: & de viæ conditionibus, occaſione ſequentis Chriſti ſententiæ; EGO SVM VIA, VERITAS, ET VITA. *Ioan.* 14.

ETSI mens noſtra eſt, tantummodò explicare naturam & conditionem veritatis, & quamobrem vel qua ratione ſe Dominus veritatem nominet; tamen quia non fruſtrà Dominus hæc tria coniungit, viam, veritatem, & vitam; de via etiam nonnihil & vita dicendum eſt: eoque magis, quòd his probe intellectis, magna lux aperietur, ad benè etiam intelligendam naturam veritatis.

Notum eſt, Dominum ſe viam non propria ſed metaphorica locutione vocare. Videndum autem qualiſnam ſit hæc viæ metaphora. Nemo neſcit vſum viæ verum & proprium in eo conſiſtere, vt ad certum locum veniatur. Hinc fit, vt in rebus agendis, media rationeſque agendi, quibus quod volumus perficimus, & conſequimur, vias appellemus. vt quum dicimus, Hæc vera via eſt ad gloriam, ad infamiam, ad paupertatem, &c. Hac ratione & modo loquendi, vt ſignificaret Dominus ſe illum eſſe per quem ſolum veniatur ad Patrem, ad regnum cæleſte, ad beatitudinem ſempiternam, dicit vnô verbo, EGO SVM VIA. Quod mox clariſſimè explicans dicit: Nemo venit ad Patrem, niſi per me. Et hoc eſt quod Apoſtolus docet 1. Timoth. 2. Vnus eſt mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. Quare, quàm neceſſarium eſt, viam extare ad aliquò perueniendum; & quàm fieri non poteſt vt ſine via aliquò perueniatur; tam magni æſtimari debet tantaque gratitudine ſuſcipi & agnoſci, imò incomparabiliter magis, quòd diuinitus nobis datus eſt aliquis, per quem ad Deum, ad veramque & æternam felicitatem peruenire queamus. Quanti omnes faceremus virum quempiam, ſine quo ad colloquium regiæ Maieſtatis nobis penitus neceſſarium peruenire non poſſemus, & per quem facilè nulloque negotio ad regẽ aditus nobis pateret? imò ad gratiam etiam regis, ex qua excidiſſemus, & ad omnia impetranda, quæ velle aut optare poſſemus? Talem dedit nobis ſummus Rex, Deuſque omnipotens, Filium nempe ſuum verum & vnicum, vt per illum videlicet ad ipſum peruenire, cum eo beati eſſe queamus, omniumque bonorum eius participes. O quanta Dei cura de nobis, quanta beneuolentia erga nos! Tantoperè ſcilicet velle & ſollicitum eſſe, vt ad ſe veniamus, & apud illum ſimus! Si enim hoc non cuperet, viam nobis id conſequendi, & quæ eò pertinent omnia, minimè præparaſſet. Et quid illi nobiſcum? vel quid vtilitatis capere poteſt à noſtra ſocietate vel præſentia? Sed examinemus viam hanc paulò magis, & quemadmodum illâ vti poſſimus ad perueniendum quò quærimus, videamus.

I. VIAE NECESSITAS.

II. RECTITVDO.

Vt peruenias quò tendis, duo quædam ſunt neceſſaria. Aliquid requiritur ex parte viæ, aliquid ex tua parte. Viam ipſam concernit, vt vera & recta ſit, eò videlicet ducens, quò eſt perueniendum. Non ſatis eſt, viam habere aut ingredi aliquam, dum eſt inſtituenda profectio; ſed oportet illam noſſe atque ingredi viam, quæ rectà ad locum ducit quò tendimus. ita hîc non ſatis eſt, eſſe viam aliquam: requiritur vt recta vt vera ſit via quã quærimus, quæ non fallat, non abducat nos à termino, ad quem tendimus: eſt enim & via quæ ducit ad perditionẽ, quam multi ambulant. Matth. 7. At non eſt ea recta & vera via, ad æternam & veram & beatã vitam tendentibus. de illa ſcriptum eſt Prouerb. 14. Eſt via quæ videtur homini recta; nouiſſima autem eius ducunt ad mortem. Et Turcæ

hodie

hodie viam ſe ad ſalutem ire ac tenere putant, ſed falluntur miſerè: non eſt recta & vera via, quam ambulant. Sic de ethnicis, de Iudæis hodie errantibus per totum mundum, deque hæreticis omnibus dici poſſet. Quum ergo nemo tam ſit ſolidus, vt ſatis illi ſit ad aliquam ciuitatem profecturo, vnamquamlibet viam ingredi, ſed inquirat de recta & vera via profectionis ſuæ: quî fit, vt hodie tam ſint pauci qui ſeriò de recta & vera via ſalutis æternæ ſolliciti ſint? Conſimili inſaniâ laborabant olim & Iudæi: vnde & monentur ſeriò ab Ieremia Propheta, cap. 6. State ſuper vias veſtras, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis: quæ ſit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium animabus veſtris. Sed quid illi ad hæc reſponderunt? Non ambulabimus. Altera conditio viæ eſt, vt non ſolùm recta ſit, ſed etiam æqualis, plana, commoda. neque enim laudantur viæ illæ, quæ tametſi rectà ad metam deſtinatam ducunt, tamen vel montibus & vallibus inæquales ſunt, vel ruderibus, lapidibus, ſpinis, aut ſimilibus rebus aſperæ. III. COMMODITAS.

Vtrumque autem horum optimè congruit Chriſto. Eſt enim ille vera & rectiſſima ad cælum via, immò & vnica. Vti hîc diſertè dicit: Nemo venit ad Patrem niſi per me. *Ioan. 10.* Et alibi in eumdem ſenſum: Per me ſi quis introierit ſaluabitur. Hoc eſt etiam quod Petrus dicit Apoſtolus: Non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus in quo oporteat *Actor. 4.* nos ſaluos fieri.

Iam verò Chriſtus via eſt non ſolùm recta, ſed commoda etiam. hoc ſignificant verba eius illa apud Matthæum Euangeliſtam: Tollite iugum meum ſuper vos, & inuenietis re- *Matth. 11* quiem animabus veſtris; iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Cui pulchrè etiam conſonant verba illa Ioannis Apoſtoli, 1. Epiſt. 5. Mandata eius grauia non ſunt. Sed hîc ſtatim fortè dicet aliquis: Quomodo hoc poteſt verum eſſe quod dicit de commoditate & facilitate viæ ad regnum cælorum, quum Chriſtus ipſe teſtetur Matth. 7. viam hanc arctam eſſe admodum? Quæ enim anguſta eſt via, minimè facilis & commoda eſt ad iter agendum; ſed facilis inde lapſus in vnam partem vel in alteram. Vnde etiam Chriſtus ibidem addit, paucos eſſe qui inueniunt illam. cui benè congruunt aliæ multæ ſententiæ Sacrarum ſcripturarum. vtpote: Qui vult venire poſt me, abneget ſe- *Matth. 16.* metipſum, & tollat crucem ſuã & ſequatur me. item: Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Reſpondeo, vtrumque rectè dici, viam ad regnum cælorum & facilem eſſe, & difficilem. Sed rectiùs longè ac veriùs dicitur facilis & commoda eſſe, quàm difficilis. Talis enim eſt ex ſe, ex natura ſua, atque in rei veritate. Difficilis autem atque incommoda eſſe dicitur, non quòd per ſe talis ſit, ſed propter conditionem hominum peccato corruptorum. Infirmitas & corruptio naturæ noſtræ facit, vt difficilis eſſe videatur, quum ſit facillima. Quid enim reuerà ſuauius vel iucundius, quàm ſobrium eſſe, humilem, caſtum, manſuetum, benignum, miſericordem? Contrà verò, quid triſtius vel moleſtius, quid magis contra naturam, quàm ebrietas, gula, libido, luxuria, iracundia, & ſimilia?

Qui pedes habet vlceribus aut vulneribus plenos, vel qui podagrâ laborat, is viam planam, facilem, commodiſſimam, dicet malam eſſe; ab illaque etiam via læditur, ſi in ea inambulet. non quidem viæ culpâ, ſed vitio pedum ſuorum. Sic mali & peccato infecti homines viam vitæ æternæ clamant malam eſſe, aſperam, anguſtam, intolerabilem, nõn quòd talis ſit reuerà, ſed quia ipſi corrupti ſunt, aſſueti rebus malis & noxijs, à bonis & ſalutaribus rebus tota natura alieni. At verò, quod reipſa durum eſt, graue, moleſtum, difficile; nimirum peccato ſeruire, & in via ambulare damnationis æternæ; hoc eis dulce ac iucundum videtur. Quid ita? Quia vnumquodque iudicat bonum & expetendum eſſe, quod eſt conueniens naturæ ſuæ. Quid turpius viliſſimo ac fætidiſſimo cœno? & tamen porcis dulce eſt, iucundũ, delectabile, in eo totos ſe volutare: illumque odorem roſis præferunt. Sic improbi homines, qui ab omni ratione atque honeſtate humanæ naturæ degenerarunt, ac propè mutati ſunt in beſtias, omnia verè honeſta & facilia, difficilia ac turpia iudicant. quæ autem reuerà difficilia ſunt, amara, noxia, mortifera; illa reputant facilia, dulcia, læta, ſalutaria. Sed aperientur aliquando oculi illorum, quando de rebus benè iudicabunt, & veritatem fatebuntur. Tunc dicent & clamabunt palàm, ſed ſerò; Ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini (quæ videlicet facilis erat) *Sap. 5.* ignorauimus. Sed cur illam ignoraſtis? Nempe quia difficilem nimis & arduam putabamus. Quid ita verò? Quia, inquiunt, inſenſati eramus. Nos, aiunt, inſenſati ac dementes, vitam illorum æſtimabamus inſaniam: quod facile erat, difficile, & quod difficile, facile; quod bonum, malum; quod malum erat, bonum dicebamus. Quid verò ſic eos demen-

dementauerat? Peccatum videlicet. Proinde qui peccatum vicerunt, qui ſpiritu & mente renouati ſunt per gratiam Chriſti & Spiritum ſanctum; qui iam non naturæ ſuæ corruptæ inclinationem ſequuntur, ſed ductum Spiritus ſancti; non difficilem putant, arctam, vel incommodam viam Domini, ſed optimam, facilem, iucundiſſimam. Dicunt illi cum

Pſal. 118. Propheta; Viam mandatorum tuorum cucurri quum dilataſti cor meum. Rectè ait, Quum dilataſti cor meum: per charitatem nimirum & gratiam Spiritus ſancti. Vbi illa regnat, ibi nihil anguſtum eſt, nihil difficile vel moleſtum, quod ad Dei gloriam pertinet. Vbi verò illa non eſt, ſed eius loco regnat peccatū; nihil mirum, ſi omnia illic huiuſmodi dura ſunt, anguſta, immò intolerabilia atq; impoſſibilia quoque. Hæc ergo ſunt quę viam concernunt, vt videlicet recta & vera ſit via, deinde vt facilis ſit & commoda. Hæc autem ambo quàm rectè Chriſto Domino noſtro conueniant, iam fecimus manifeſtum.

Capvt XVII.

Perueniendi deſiderium, quò via ducit, & via notitia.

Habemvs iam (laus Deo) certam viam, itemque ſuauem & commodam, ad Deum & regnum eius perueniendi. An hoc ſatis eſt, nec quidquam requiritur ampliùs, vt ſalui ſimus? Maximè. ſunt etiam quæ nos concernunt, ſi vſum atque vtilitatem ex hac via aliquam percipere volumus. Horum primum eſt, vt ad Deum patrem venire cupiamus. alioqui enim, quid proderit quòd via hæc data eſt, qua ad Deum venire liceat, ſi animus noſter non ad Deum, ſed ad Sathanam aut mundum magis propendet? Proinde quod Dominus hîc dicit, Ego svm via, non pertinet ad eos, qui vt ex Deo non ſunt, ſic ad Deum redire non cogitant vel deſiderant. Habent illi alium finem quò tendunt, alij alium, quiſque ſuum: ideóque de illis tantùm vijs ſolliciti ſunt, quas ad ſuum finem ducere ſciunt. Eſt via lucrandi pecunias, agrum agro, domum domui, cenſum cenſui copulandi: de illa via cogitat auarus. Eſt via perueniendi ad mundanos honores: de hac cogitat ambitioſus. His hominum generibus fruſtrà prædicatur de via qua liceat ad Deum pertingere; quia non quærunt Deum. Quòd ſi cupidus & appetens ſis gratiæ Dei, benedictionis cæleſtis, nihil tibi poterit gratius contingere vel optabilius, quàm ſi via tibi oſtendatur, qua eò peruenias.

Secundò requiritur, vt via nobis diuinitùs data cognoſcatur etiam. Cognitio autem viæ ad Deum, qui Chriſtus eſt, non eſt conformis captui rationis humanæ, nec humano ingenio diſci vel acquiri poteſt: ſed cæleſti ſolùm reuelatione habetur. Primùm enim tam eſt via iſthæc in oculis mundi aut carnis vilis & contempta, vt pro vera & recta via agnoſci nequeat, ſed reijciatur & explodatur potiùs. Sapientes huius mundi vocarunt eam ab initio non religionem ſed ſuperſtitionem. Deinde tam multi ſunt latam viam inambulantes, quæ ad perditionem ducit, vt plurimum etiam hinc ſit offendiculi. Quare omnino neceſſe eſt, ad viam hanc cognoſcendam, vt mens noſtra illuminetur reuelatione ſpiritus Dei: hoc eſt, vt credatur verbo Dei, viam hanc oſtendenti ac deſcribenti; vtque obſeruentur Prophetarum & Apoſtolorum veſtigia, qui viam hanc calcarunt, nobiſque tum verbo tum exemplo monſtrarunt.

Cap. XVIII.

Ambulandum nobis per viam, qui Chriſtus eſt.

Tertiò, neceſſe eſt vt viam hanc cognitam ambulemus etiam. Nemo enim ſola viæ cognitione ad terminum pertingit quem deſiderat, niſi arripiat viam & ambulet in ea. In hac autem via (quæ Chriſtus eſt) ambulare, eſt in vera fide, ſpe & charitate Dei & proximi, inque ſtudio veræ pietatis, in extirpandis vitijs & comparandis virtutibus, quotidie magis magiſque proficere; longiuſque ſemper à Sathana, mundo, & carne, ſiue à ſeipſo, diſcedere. Videat ergo vnuſquiſque quemadmodum in hac via ambulet.

Quartò, opus eſt vt conſtanter in hac via ad finem vſque ambulemus. Etenim qui viam ſuam conſtanter non proſequitur, ad terminum quò tendit, numquam perueniet. Huc

Matth. 24. illæ ſententiæ: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. & quam ſuprà audiuimus: Si manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, &c. Itaque hîc cauendum ne de-

ne declinando ad dextram vel ſiniſtram, via hæc deſeratur. Ad dexteram declinat & errat, qui propriæ iuſtitiæ nimium fidit, nec totus vbique & ſemper à Chriſto dependet, omnia ab illo petendo, omnia illi accepta ferendo. Ad ſiniſtram aberrat, qui ſic de gratia eius confidit, vt interim iuſtitiæ & pietati non ſtudeat, vt oportet. Multo etiam magis videndum, ne retrocedatur. Quod illi faciunt, qui poſt agnitum Chriſtum eiuſque gratiam ad priſtinas vitæ ſordes relabuntur. De qua re eleganter D. Petrus 2. Epiſt. 2. Si refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, his rurſum implicati ſuperantur, facta ſunt illis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat eis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti, ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato. Contigit enim illis illud veri prouerbij; Canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti. Nota eſt hiſtoria filiorum Iſraël, quomodo in via exiſtentes ad terram promiſſam, & reuerti volentes in Ægyptum, in deſerto perierunt. Quintum & vltimum eſt, vt ſi quis à recta ſalutis via aliquando per infirmitatem vel ignorantiam aberret, quantociùs reuertatur, niſi nolit ad finem deſtinatum æternamque beatitudinem peruenire. Facile eſt errare; inſanum verò atque intolerabile, nolle errorem corrigere & ad viam redire. Sic in hac cauſa; omnium eſt facillimum, in via veritatis, iuſtitiæ & ſalutis errare: quod ſatis declarat hiſtoria omnis, tum veteris Teſtamenti tum noui: illud verò perpetuò difficillimum fuit, & adhuc eſt, eos qui errant à via veritatis, ad erroris ſui cognitionem rectamque vitam reducere. Ieremiæ 6. de Iudæis legitur, quòd Prophetas quorum ſermones tubis comparantur, ad rectam viam reuocantes, audire noluerint. Quid nos aliud experimur hodie, tum inter Catholicos, qui aberrant a via virtutis, iuſtitiæ, & pietatis Chriſtianæ, ad ebrietates, iniuſtitias, vſuras, fornicationes, adulteria, & ſimilia vitia declinantes; tum præcipuè in hæreticis omnibus, declinantibus à via rectæ religionis & veritatis?

Hactenus ergo illud Chriſti dictũ expoſuimus: EGO SVM VIA. Quod ſi quis adhuc aliquantò clariùs intelligere cupiat, quonam modo Chriſtus ſit via ad Patrem, ſeu per quæ nos ducat ad vitam æternam; dici poteſt, viam eſſe in primis per exemplum piæ & ſanctæ conuerſationis: deinde per doctrinam veritatis; de quo mox latiùs. Et de his duobus propriè intelligi poteſt, quod dicit de ſeipſo, tamquam viam omnibus monſtrando & præeundo ad cæleſtem patriam; Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Denique via eſt etiam Chriſtus, præcipuè ratione mortis, paſſionis, reſurrectionis, & aſcenſionis ſuæ. Per hæc enim propriè nobis viam ad cælum aperuit, quod nemo alius potuit. Docere veritatem, & exemplum bonæ vitæ præbere, Prophetæ etiam, Apoſtoli, atque alij, potuerunt. At verò impedimenta auferre omnia quæ nos à cæli aditu excludebant, nimirum peccatum remittere, diabolum vincere, qui nos captiuos tenebat, mortem è medio auferre, ianuam regni cæleſtis reſerare, opera ſunt Chriſto ſoli propria: quæ perfecit merito paſſionis & mortis ſuæ, virtuteque reſurrectionis atque aſcenſionis ſuæ.

Et hac ratione propriè eſt mediator inter Deum & homines, vt antè audiuimus. Hoc etiam ſenſu dicere videtur: Vado parare vobis locum. Rectiſſimè igitur his omnibus conſiderationibus dicit de ſeipſo; EGO SVM VIA. Sed quid eſt quod addit; EGO SVM VERITAS, ET VITA? Simplex, clarus, & verus ſenſus eſſe videtur, quòd hæc duo adiecerit, vt qualiſnam via ſit, declararet. Agebatur de eundo ad patrem Deum: ad illum verò ſeipſum dicebat viam eſſe. Vt autem intelligerent qualis via eſſet, adiecit ſtatim; EGO SVM VERITAS, ET VITA. Quibus verbis primùm ſubindicare videtur ſe non loqui de aliqua via corporali aut locali, quum dicit; EGO SVM VIA; ſed de via ſpirituali: in qua ambulandum ſit non greſſibus pedum corporalium, ſed affectionibus ac deſiderijs mentis & cordis. Et quidem dicens; EGO SVM VIA, VERITAS, ET VITA; ſignificat ſe viam eſſe quæ non fallat: ſed viam rectam & certam, quæ non in errores aliquos inducat, ac deinde in vitæ periculum, vt fit frequenter, ſed ad cognitionem ipſiſſimæ veritatis: ac deinde per veritatem ad vitam beatam, ac perpetuam. Ceterùm examinemus nunc paulò fuſiùs ac penitiùs, quomodo & quamobrem ſe nominet veritatem.

CAP.

CAPVT XIX.

Quamobrem ſe Chriſtus nominet veritatem.

NEMO vnquam Prophetarum, nemo Apoſtolorum, nemo hominum vel Angelorum, quamlibet veraces eſſent, dicere potuit; Ego ſum veritas. Potuerunt dicere ſe veritatem loqui, annunciare, prædicare, quemadmodum Paulus ait; Veritatem dico in Chriſto Ieſu, non mentior. At numquam legitur dixiſſe; Ego ſum veritas. Ergo, aliud eſt eſſe veritatem; aliud, veritatem dicere, ſeu veracẽ eſſe. Qui dicit; EGO SVM VIA, VERITAS, ET VITA, amplius aliquid dicit quàm ſi diceret, Ego oſtẽdo viam, loquor veritatẽ, voco ad vitam omnes qui me audiunt: Voces illæ ac ſermones poſſunt eſſe cuiuſuis miniſtri Chriſti, vel ſerui Dei. Nunc vero, quũ dicit Chriſtus; EGO SVM VIA, VERITAS, ET VITA, omnino aliquid tale dicit quod illi ſoli competat, nec in alium quempiam quadrare poſſit. Nimirum ipſe ſolus eſt verbum illud Dei, per quod omnia vt condita ſunt ab initio, ita & ſubſiſtunt ſemper. Quod ſolum accepta carne mediator effectus eſt inter Deum & homines, viamque nobis in cælum ad Deum aperuit, veritatem e cælo puram & perfectam attulit, vitamque æternam in ſe credentibus, illamque veritatem amplectentibus, contulit. In ſolo illo æterno verbo, ac filio Dei, illiuſque officio ac diſpenſatione, poſtquam homo factum eſt, prædeſtinata eſt à ſæculo via, veritas, & vita perpetua. Hoc eſt primum, quamobrem ſe veritatem appellat. Et loquitur de eadem veritate, de qua in ſententia quam antè explicauimus: Si manſeritis in ſermone meo; cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Eſt autem veritas hoc modo, tum quia per aduentum ac diſpenſationem ſuam omnes Dei promiſſiones de ſaluando humano genere impleuit, vt ſuprà oſtendimus; tum quia ſolus puram, tectam, perfectam, æternamque veritatis religionem, veramque pietatis doctrinam, non tantùm foris homines docuit, ſed intus etiam per ſpiritum ſuum mentibus hominum inſcripſit; attulitque in mundum veritatem illam, quam didicit in cælo a Patre ſuo. Sicuti ipſe alibi dicit, Ego quæ vidi apud Patrem meum, hæc loquor in mundo. Et hoc ſibi volunt verba illa Ioan. 1 Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus Dei, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit: hoc eſt, ipſe omnem de Deo & cultu eius veritatem docuit, quemadmodum ipſe Deus à Deo accepit.

1. Tim. 7.

Ioan. 3.

Quod ſi verè credimus Chriſtum eſſe veritatem, non poſſumus de vllo eius verbo dubitare, quin verum ſit & certiſſimum. Fieri poteſt vt vir ſanctus & verax aliquando per ignorantiam dicat, quod verum non ſit: vt autem ipſe qui non ſolùm in veritate loquitur, ſed ipſa quoque veritas eſt, aliquid dicat quod verum non ſit, nullo modo fieri poteſt. Et tamen omnis penè veritas quam attulit & docuit Chriſtus, tam eſt mundo inuiſa & odioſa, vt filij huius ſæculi citiùs acquieſcant quibuſcumque mendacijs, quamlibet portentoſis, quàm veritati huic omnium potentiſſimæ & ſaluberrimæ. De qua infamâ in fine mundi præcipue regnaturâ, quia videtur reuerà eſſe incredibilis, Paulus Apoſtolus inter alios frequenter & ſeriò Eccleſiam præmonuit: vt minùs omnes mirentur quum venerit: præcipue vero in vtraque Epiſtola ad Timoth. 1. Epiſt. 4. 2. Epiſt. 3. & 4. Quo poſtremo loco ſic habet: Erit tempus, quum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.

Concertatio hæreticorum cum Catholicis, ſuper hac veritate.

SED quæritur, quinam ſint in quos hæc ſcripta ſunt ab Apoſtolo. Nos dicimus, & quidem veriſſimè, vt mox audiemus, hæreticos eſſe omnis generis noſtri temporis. Contrà verò illi nos eſſe clamant, quos Apoſtolus prædictis verbis perſtringit, quique veritatem a Chriſto traditam non recipimus. Vtris potiùs credendum erit? operæpretium duxi ad meliorem veritatis cognitionem aſcribere hic verba cuiuſdam ex ducibus primarijs hæreticorum huius ætatis. Dicunt, inquit, aduerſarij: Et nos credimus Chriſtum eſſe veritatem. Reſpondet: Vtinam crederent hoc vero corde: Qui hoc credit, verbo illius vbique acquieſcit. Vox illius eſt Matth. 15. Fruſtrà colunt me docentes doctrinas & mandata hominum. Quare verbo huic non acquieſcunt? Vox illius eſt, Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent inter eos, benefici vocantur: vos autem non ſic. Quare verbis Chriſti non acquieſcunt illi, qui volunt haberi ſucceſ-

ſores

ſores Apoſtolorum? Notum eſt dictum Bernardi ad Eugenium: Aut depone Princeps apoſtolatum, aut Apoſtolus principatum: vtrumque enim eſſe non potes. Vox Chriſti eſt; Væ vobis quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes. Si credunt verbo Christi, quare non deſiſtunt à deuotione iſta bonorum, quæ ſub prætextu prolixarum precum ad ſe traxerunt? Huiuſmodi, inquit, multa ſunt, quibus & docendo & viuendo verbis Christi repugnant. *Matth. 23.*

Quid nos ad hæc dicemus? In primis, gaudemus nos tandem ſcire, quibus in rebus veritati verboque Dei tantoperè contrauenianius, vt ſemper clamant. Et quidem hoc etiam libenter admittimus & confitemur quod affirmat, eos qui Chriſtum eſſe veritatem credunt, verbis eius debere omnibus acquieſcere: eſt hoc longè veriſſimum. Quæritur ergo, quinam verbis Chriſti minimè acquieſcant, illine, an nos? Vt nos doceant non acquieſcere verbis Chriſti, adducunt verba eius illa quæ audiuimus. In primis; Fruſtrà colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Dicunt in nos id competere; nos fidelibus & populo Dei mandata hominum pro Dei verbo obtrudere; vaniſque, inutilibus, impiiſque traditionibus, humaniſque inuentionibus & figmentis corrumpere cultum Dei & conſcientias onerare. Dicunt hoc ſanè de nobis. Sed nondum probare potuerunt, in omnibus quæ docentur & obſeruantur in Eccleſia Catholica, vel vnam eſſe aliquam traditionem humanam confictam ab Eccleſiæ prælatis, & introductam contra verbum Dei. Ipſimet potiùs contra hanc Chriſti vocem multis in rebus peccant apertiſſimè & turpiſſimè. Quemadmodum latè & eruditè oſtenſum eſt à multis ſcriptoribus Catholicis qui hanc materiam ex profeſſo tractarunt. hoc enim non eſt huius loci vel propoſiti noſtri.

Afferunt aliam Chriſti vocem: Reges gentium dominantur eorum: vos autem non ſic. Dicunt illam Scripturam eſſe contra ſæcularem poteſtatem ac iuriſdictionem, quam vel Romanus Pontifex, vel alij quidam Eccleſiæ prælati, habent & exercent in ſuos. At Catholici doctores, veritatis interpretes, & propugnatores legitimi, contrà dicunt; non agi illic à Chriſto, aut prohiberi, ne quis ſit princeps, ſuperior aut præfectus inter Apoſtolos, aut inter illos qui in locum Apoſtolorum ſucceſſerunt; ſed tantummodò ne principatus vel poteſtas in alios, aut ambitioſè quæratur & expetatur, aut imperioſè geratur & adminiſtretur. non debere enim qui præeſt, ſiue Rex is ſit, ſeu prælatus eccleſiaſticus, ſeu temporali & ciuili poteſtate ſeu eccleſiaſtica & ſpirituali, ſiue etiam vtraque fungatur, ſibi præeſſe, ſed ſubditis: hoc eſt, non ſuum commodum, honorem, gloriam, quæſtum ex poteſtate ſua quærere; ſed ſubditorum ſuorum, & præ omnibus Dei gloriam & honorem. Quemadmodum D. Ambroſius Theodoſium Imperatorem docebat & admonebat, ſubditos ſe habere coniunctos ſibi, non ſolùm genere, ſed etiam communi ſeruitio vnius Dei. *Luc. 22.*

Hæc vna & ſola ratio eſt gerendi inter Chriſtianos magiſtratus, principatus, officij, vel dignitatis cuiuſcumque: quam, quis non intelligit nihil eſſe niſi meram grauemque ſeruiturem & ſarcinam? & ſecundùm hanc principantes, non aliud eſſe, quàm veros ſeruos ſeruorum Dei? Tamen, vt geratur ab aliquo, & hanc nobis mutuò ſeruitutem impendamus; ille Dominus omnium, ad communem Eccleſiæ membrorumque eius vtilitatem, vult & præcipit. Hoc eſt quod Dominus dicit: Nolite in vos mutuò tyrannidem exercere per poteſtatem vobis traditam, vel tradendā, more principum huius mundi, præcipueque gentilium: ſed vtimini illa, ad ſubditorum veſtrorum vtilitatem. ita, vt qui maior ſit veſtrûm, ſit aliorum miniſter; & qui voluerit inter vos primus eſſe, ſit veſter ſeruus. Hoc Petrus Apoſtolus de Eccleſiaſtico magiſtratu ſcribens, & ſenſum Chriſti verborum declarans, ait; Non vt dominantes in cleros, neque turpis lucri gratia, ſed forma facti gregis ex animo. Videantur Origenes & Chryſoſtomus in Matthæum. Nec aliud vult D. Bernardus ad Eugenium Pontificem ſcribens, quum dicit ſimul & Apoſtolum eſſe non poſſe, & principem. Agit enim non minùs quàm Chriſtus de principatu tyrannico, qualem exercent in ſuos gentes, & ferè etiam alij principes huius mundi. Et quod dicit de Apoſtolis, æquè verū eſt de omnibus & quibuſlibet Chriſtianis. Æquè dices Chriſtiano cuilibet principi, quod ille dixit principi Eccleſiaſtico: Vel depone princeps Chriſtianiſmum, vel Chriſtianus principatum; vtrumque enim eſſe non potes: & bonus ſcilicet Chriſtianus, & princeps tyrannicus. Videat hac de re cui lubet Pighium, lib. 5. Hierarchiæ eccleſiaſticæ, cap. 5. *1. Pet. 5.*

Profertur contra nos & tertium Chriſti verbum: Væ vobis, qui comeditis domos viduarum,

E

duarum, ſub prætextu longæ orationis. Quaſi ad nos iſtud ad litteram competat. Sed nos negamus id in Eccleſiam Catholicam aut prælatos eius generaliter vlla ratione dici mento poſſe. Quòd ſi qua in aliquo priuatim regnat hypocriſis, qua fraudem alicui faciat, id non poteſt Eccleſiæ imputari, quæ talia vitia numquam probauit.

At verò reſpondeant ipſi nobis parumper ſuper veritate verbi Dei, quando ſic nobiſcum agunt. Argumentamur contra illos illiſipſis eorum verbis, & dicimus: Qui credit Chriſtum eſſe veritatem, verbo illius acquieſcit. Eſt autem vox Chriſti; Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Cur ergo vel Cæſari, vel principibus Chriſtianis alijs, obedientiam debitam negant multis modis; & quæ Deo vel templis eius vel miniſtris ac ſacerdotibus data & conſecrata ſunt à pijs Chriſtianis ante tot ſæcula, per manifeſtam vim in ſuos vſus conuertunt? Vox eſt naturæ ipſius, à Chriſto diſertis verbis comprobata: Quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris. Quomodo igitur tot locis eccleſiaſticas perſonas vtriuſque ſexus, omniſque ordinis & cõditionis, ſpoliatas & nudas eiecerunt ſedibus ſuis, direptis omnibus bonis ipſarum, & in ſuum ipſorum vſum perpetuum conuerſis: quod ſibi vtique fieri nollent?

Eccleſ. 5. Vox Chriſti eſt per Eccleſiaſten: Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere. itemque per Apoſtolum ſuum in eumdem ſenſum: Quum luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt; habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quomodo igitur audent, qui Deo ſemel ſuſceptis in Eccleſia Catholica Sacris ordinibus aut religioſis monaſticæ profeſſione facta perpetuam caſtitatem ſolemniter promiſerunt, ad nuptias poſteà & matrimonium conuolare: virgineſque ſacras vt idem faciant docere, hortari, ac præcipere? Vox Chriſti eſt; Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. item: Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit. Quid eſt igitur quod docent vel ob adulterium, vel alijs de cauſis, matrimonium Chriſtianum diſſolui poſſe, aliamque vxorem vel maritum quæri? idque frequenter etiam faciunt? Similiter, vox Chriſti eſt: Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit. Et ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Cur igitur Eccleſiam Catholicam, in eaque ſuperiores & prælatos ſuos tam contumaciter ſpernunt: omneſque illorum leges & mandata reijciunt, irrident, dilacerant? Vox Chriſti eſt; Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: quæcumque ergo dixerint vobis, facite: ſecundùm opera autem illorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Cur igitur propter vitam & mores quorumdam Eccleſiæ prælatorum minùs bonos, penitus ab ijs deficiunt, nihil commune cum ijs habere volentes, quum doctrinam illorum veris rationibus carpere nequeant?

Denique, vox Chriſti eſt apertiſſima, de Sacramento Euchariſtiæ; Hoc eſt corpus meũ. Si credunt verbo Chriſti, quomodo audent docere manifeſtè contrarium? nempe vel non eſſe ibi penitus corpus Chriſti, ſed figuram tantùm, vel ſignum corporis eius; vel vnà cum corpore eius panem nihilominus remanere?

Sic alia ſunt ſexcenta, in quibus docendo & viuendo manifeſtè & ex diametro repugnant verbis Chriſti; quum tamen dicant, ſe credere, illum eſſe veritatem. Quomodo hæc conueniunt?

CAPVT XX.

Amplior explicatio horum trium: VIA, VERITAS, & VITA: *ſed primùm, quædam de* VITA.

SVNT nobis & alia præterea quædam dicenda, de VERITATE, quam ſe nominat Chriſtus dicens; EGO SVM VIA, VERITAS, ET VITA. Sed ad meliorem intellectum explicanda eſt priùs breuiter vltima particula, nimirum VITA. Quæ vt clariùs euadat quid hic ſignificet, notandum, triplicem inueniri vitam in Sacris litteris. Eſt enim vita corporalis, eſt ſpiritualis, eſt & cæleſtis. Corporalem vitam communem habemus cum ceteris animalibus; imò & cum plantis & herbis quoque.

Spiritualis vita eſt, qua fideles tantùm, regenerati per Spiritum ſanctum, & excitati à morte peccati, viuunt in ſtudio pietatis, in cultu iuſtitiæ & virtutis; Cæleſtis vita eſt, qua in futuro ſæculo, in anima & corpore pariter in æternum beati viuemus. Etſi autem omne hoc genus vitæ per Chriſtum ſit, tamquã qui fons vitæ omnis eſt, cum patre ſuo Deo, & Spiri-

& Spiritu ſancto, hic tamen non loquitur propriè de primo genere vitæ, ſed de duobus poſterioribus tantùm. Nempe de illa ac tali vita, quam attulit ac promeruit nobis velut Meſſias & ſaluator mundi, mediator inter Deum & homines. Ita per illum viuificamur hic quidem in ſpiritu & anima noſtra, pòſt autem viuificabimur ab eodem in corpore etiam, vt reſuſcitari in nouiſſimo die cum eo viuamus in regno eius cæleſti in perpetuum. De hac viuificandi ratione & virtute multa à Chriſto multis locis dicuntur; præcipuè verò Ioan. 6. vbi ſe panem vitæ vocat è cælo miſſum, vt det vitam mundo. In hac auté vitæ diſpenſatione primum eſt, quòd mortem pro nobis ſubijt vt nos ab æterna morte liberaret. Secundum, quòd ſpiritum ſuum nobis donat vt mortuos in peccatis, ſeu per peccata, viuificet; & ſic regeneret, vt iam non peccato aut Sathanæ, ſed iuſtitiæ ac Deo viuamus. Hæc viuificatio durat quamdiu ſumus in hoc mundo. Tertiò autem eodem ſpiritu ſuo reſuſcitabit aliquando & corpora noſtra ad vitam ſempiternam.

Cauendum eſt autem ſummoperè, ne dum multa frequenter audimus de vita æterna per Chriſtum nobis parta & collata, hoc de illa tantùm vita intelligamus, quam in futuro ſæculo expectamus: quæ & ſempiternam & veram felicitatem omni triſtitia & corruptione liberam comprehendit. Illa etiam vita cogitanda eſt per Chriſtum in primis conferri, qua in hoc ſæculo adhuc poſiti, in medijs etiam afflictionibus & preſſuris Deo & iuſtitiæ viuimus. Idque per eumdem ſpiritum, à quo ad vitam gloriæ toti regenerabimur in futuro ſæculo.

At, quomodo vitæ huius ſpiritualis & ſalutaris, quæ per Chriſtum eſt, participes reddimur? Simplex & facilis eſt huius rei doctrina. Si Chriſtus eſt via, veritas, & vita: vt non poſſumus veritatis cæleſtis participes fieri niſi per illum; ſic nec vitæ eius conſortes fieri poſſumus, niſi illi iungamur illumque velut in nos ſumamus. Sicuti panem in nos ſumere neceſſe eſt, vt vitæ quæ in illo eſt quodammodò reddamur participes: & potionē medicam quæ ſanitatem in ſe habet, ac proinde ſanitas etiam rectè dici poteſt, intra nosipſos ſumere oportet, vt ſanitatis illius participes reddamur. Iam verò, Chriſtum in nos accipere, illive coniungi non poſſumus niſi corde ſeu ſpiritu. Qui ſic illi coniungitur, neceſſariò ab illo & veritatem & vitam accipit. Corde autem & ſpiritu illi coniungimur, per fidem, ſpem, & charitatem. Hinc toties dicitur; Qui credit in me, habet vitam æternam: Qualis autem ſit vita per Chriſtum, & qui fructus atque effectus eius, docet Apoſtolus, Galat. 5. Fructus autem ſpiritus eſt charitas, pax, &c.

Notandum eſt etiam, rectè Chriſtum inter viam & vitam mediam collocaſſe veritatem, dicendo: EGO SVM VIA, VERITAS, ET VITA. nimirum ſignificans, ſe viam veram, ad vitam eſſe, per veritatem. Pſal. 118. Viam veritatis elegi, &c. Per fidem enim doctrinæ eius, in qua veritas eſt, participes efficimur tum vitæ ſpiritualis in hac præſenti vita, tum æternæ ac beatæ in futura, vt iam diximus. Et ſic planè Chriſtus via eſt ad vitam, per veritatem, ſicuti Sathan via fuit ad mortem per mendacium. illud nempe mendacium quod perſuaſit primis parentibus noſtris; Si comederitis de ligno vetito non moriemini, ſed eritis ſicut dij. Proinde ſicuti hic vox Chriſti eſt; EGO SVM VIA, VERITAS, ET VITA; ſic diabolus rectiſſimè dicere poſſet; Ego ſum ſeductio, mendacium, & mors.

Nunc & illud poſtremò admonendum, tria hæc, viam, veritatem, & vitam, quæ Dominus hîc bono iure ſibi attribuit, diuerſimodè explicari à diuerſis, multoſque Doctores ſuper hiſce admodum eleganter ſuauiterque philoſophari. In primis autem Cyrillus inter Græcos doctores cum primis eruditus hæc tria accommodat tribus virtutibus primarijs religionis Chriſtianæ, quas ſcholæ Theologicas vocant. Illud (inquit) mihi quærendum videtur, cuius rei gratia, cùm Dominus noſter lux, ſapientia, virtus, alijſque nominibus multis, à Scriptura nominetur, his modò tribus quaſi electis ſolummodò ſe appellarit. Profunda res eſt, vt arbitror. dicemus tamen quod gratia Dei noſtro commiſerit ingeniolo. Tribus igitur rebus ſuperiores conſequemur manſiones, per actionem virtutis variam, per fidem rectam, per ſpem vitæ. Quorum omnium nemo largitor eſt, nemo fons, nemo cauſa, præter Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Ipſe enim nobis mandata ſua per legē dedit, ipſe viam monſtrauit quam probè actionem virtutis & contemptum mundi propter Chriſtum intelligere poſſumus. Ipſe igitur via eſt. Sed ipſe quoque veritas eſt: id eſt vera fidei rectitudo atque determinatio, & rectiſſima regula, amuſſiſque optima. Sed vita etiam ipſe eſt. nullus enim vitam, quam ſperamus abſque interitu in ſanctificatione atque beatitudine futuram, nobis teſtituet præter ipſum. Hæc ille.

Via igitur Chriſtus eſt, in qua per charitatem ambulamus: veritas cui per fidem inhæremus: vita in quam per ſpem attollimur & excitamur. Sic & Leo Pontifex Serm. 22. de Reſurrectione: Via, inquit, ſanctæ conuerſationis, veritas doctrinæ diuinæ, vita beatitudinis ſempiternæ. eadem eſt interpretatio cum prædicta Cyrilli. ſecundùm quam & illud rectè intelligi poteſt, quod ſtatim poſt hæc verba ſubijcit Dominus: Nemo venit ad Patrem niſi per me, hoc eſt niſi per charitatem ambulet in me, qui ſum via: per fidem credat mihi, qui ſum veritas: & per ſpem cõfidat ac requieſcat in me, qui ſum vita æterna. D. Bernardus Serm. 2. de Aſcenſione, Sequamur (inquit) Domine te, per te, ad te. Quia tu es via, veritas, & vita: via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio. Chryſoſtomus Homilia in illud Pſal. 118. Prope es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas (vel quiſquis auctor eſt Homiliæ illius in 1. Tom. eſt enim Latinus quiſpiam, non Græcus) Gratias, inquit, tibi Domine, quia tria iſta præſtitiſti nobis noſſe, quæ ignorabamus: veritatem quia falſitatem tenebamus: viam quam neſciebamus, per quam ambularemus: vitam, quia morti inhæſeramus; & mors nobis propinata erat ab illo lumine, cui dictum eſt; Morte morieris. Mortuis vitam donauit, mendacibus veritatem præſtitit, errantibus viam oſtendit.

. Alij intelligunt Chriſtum fuiſſe viam ſecundùm humanitatem ſuam; veritatem autem, & vitam, ſecundùm diuinitatem. Omnia enim quæ Chriſtus homo egit & paſſus eſt, media ſunt & via perducens ad gloriam: ſecundùm verò diuinitatem ſuam, veritas eſt illuminans perfectè, & beatificans intellectum: vita autem ſatians pleniſſimè & beatificans affectum ſeu voluntatem. Videatur Auguſtinus lib. 1 de Trinitate, cap. 12. & in Sermone ſeu tractatu de Catecliſmo, tom. 9. idem Auguſtinus Homil. 35. inter 50. homilias, Ego ſum via, veritas, & vita; tamquam diceret, inquit, Quà vis ire? ego ſum via. Quò vis ire? ego ſum veritas. Vbi vis permanere? ego ſum vita.

Alij, ſententiæ huic, Ego ſum via, veritas, & vita, accommodant illud Actorum 17. In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus. Quòd videlicet in illo tamquam vita viuamus, quoad vitæ initium: in eo tamquam via moueamur, quoad progreſſum: & in eodem, ceu veritate, ſimus & quieſcamus, quoad conſummationem & finem. Quò etiam referri poteſt, quod Auguſtinus lib. 8. cap. 9. de Ciuitate Dei teſtatur: Platonem etiam intellexiſſe, Deo tria competere. Quòd nimirum principium ſit omnis naturæ, ſine quo nihil poteſt ſubſiſtere, quo non retinente & conſeruante omnia in nihilum collabuntur. hac ratione eſt vita omnium, omnibus vitam ſiue eſſentiam donans & conſeruans. Secundò, quòd ſit lumen omnium rationum, quo non illuminante, ratio obtenebratur, & ſine quo nulla doctrina aliquid lucis, rationis aut veritatis, habere poteſt. ſic dicitur veritas. Tertiò, eſt finis omnium rerum & actionum; quo non ordinante, actio omnis ſuo fine fruſtratur, omniſque vſus eſt inutilis. hoc pacto vocatur via: qua videlicet omnia ad terminum ſuum & finem vltimum diriguntur. Proſper ſententia 268. Dominus ait; Ego ſum via, veritas, & vita. hoc eſt, per me venitur, ad me peruenitur, in me manetur. Quum enim ad ipſum peruenitur, etiam ad Patrem peruenitur: quia per æqualem, ille cui æqualis eſt, cognoſcitur, vinciente atque conglutinante nos Spiritu ſancto, vt in ſummo atque incommutabili bono ſine fine maneamus.

Sic eſt veritas Chriſtus, vt totum verum accipiatur in Chriſto: verum verbum Dei Deus, æqualis Patri; vera anima: vera caro: verus homo: verus Deus: vera natiuitas: vera paſſio: vera mors: vera reſurrectio. Si aliquid horum dixeris falſum, intrat putredo: de veneno ſerpentis naſcuntur vermes mendaciorum, & nihil integrum remanebit: quia vbi fuerit falſi alicuius corruptio, ibi veritatis integritas non erit.

Alijs videtur Chriſtus his verbis nihil aliud dicere voluiſſe, quàm ſe eſſe principium ſalutis, medium, & finem: & poſuiſſe tres gradus, vt ſignificaret, à ſe incipiendum eſſe, in eodem pergendum, ac deſinendum. non eſſe expetendam altiorem ſapientiam, quàm quæ nos ad vitam æternam ducat: hanc in ſe affatim inueniri.

Vitæ obtinendæ ratio eſt, vt nouæ ſimus creaturæ. hoc non alibi quàm in ſe quærendum pronuntiat; & ſimul viam ſe eſſe admonet qua ſola illuc peruenire liceat. Ergo ne qua parte nobis deſit, manum errantibus præbet: ac eò vſque ſe demittit, vt tamquam lactentes quoque pueros dirigat, illis dicens: Ego ſum via. Nemo quamlibet infirmus vereatur ad me venire & in me ambulare; ego ducam illum. Iam verò ducem ſe profeſſus, non relinquit ſuos in medio curſu fatigatos, ſed veritatis compotes facit. qui eſt magnus progreſſus, & ſuauiſſima conſolatio in via ſalutis. Demum autem efficit, vt

plenum

plenum eius fructum percipiant in vita æterna. Quum via ſit Chriſtus, non eſt quòd ſe imbecilles ac rudes ab eo querantur deſtitui. Quum veritas ſit & vita, habet ſimul in ſe quo perfectiſſimis quibuſque ſatisfaciat. Hæc ſumma eſt: Si quis ad veram tendens beatitudinem, quam omnes deſiderant, à Chriſto deflectat, aut in eo non incipiat, nihil poterit quàm errare. Si quis in eo non acquieſcat & perſeueret; nihil quàm vento & vanitate alibi paſcetur. Si via in qua gradiendum, veritas gradientem illuminans, vita eumdem nutriens, ſuſtentans, remunerans; ſi quis vltra eum tendat, mortē vitæ loco inueniet.

Simon de Caſſia lib. 12. cap. 1. Ego ſum via, veritas, & vita. Via inobliquabilis, veritas infallibilis, vita imperturbabilis. Via morum, veritas ſciendorum, vita præmiorum. Via vitæ, veritas doctrinæ, vita ſalutis æternæ. Via inexemplabilis, veritas ſpeculabilis, vita deſiderabilis. Via in qua ambulandum: Ieremias enim dicit præmonens eos quibus miſſus fuerat prophetare: Interrogate quæ ſit via recta, & ambulate in ea. Bea- *Ierem. 6.* ti qui fuerint immaculati in hac via. Sed in hac via dęmones laqueos multiplices abſconderunt. Sic enim ſcriptum prophetico ſpiritu eſt: In via qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. Hæc ſola eligenda prædicitur à Pſalmiſta; Viam veritatis *Pſal. 139.* elegi. Omnes aliæ viæ ad inferos penetrant: ſola iſta perducit ad gloriam. Hæc eſt via ſapientiæ, quam Salomon erudiendo filio ſuo monſtrare promittebat, dicens; Viam ſa- *Prouerb. 4.* pientiæ monſtrabo tibi, quam cùm ingreſſus fueris non art. bu tur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum. Veritas eſt omnia conſtituens; à qua verum eſt, quidquid quomodolibet verum eſt: omnia ſuperans, à nemine ſuperata: omnia vincens, à nullo decreta: rationibus & auctoritatibus ſulta, cui nihil obſiſtit, niſi ſuo detrimento voluntas illa rebellis; cui tandem inuita ſeu voluntaria ſubiacebit. Vita eſt agenda, atque ſperanda; agenda per mores, ſperanda per præmium. Ego ſum via ad Patrem, veritas in Filio, vita in Spiritu ſancto.

Oratio ad Filium Dei, Chriſtum.

GENERIS humani conditor ac redemptor, IESV CHRISTE, qui dixiſti; Ego ſum via, veritas, & vita; via, doctrinâ, præceptis, & exemplis; veritas in promiſſis; vita in præmio: oro te per ineffabilem tuam charitatem, qua te totum ſeruandis nobis impendere dignatus es, ne patiaris vnquam me aberrare abs te, quia via es: nec vnquam diffidere promiſſis tuis, quia veritas es, & præſtas quidquid polliceris: nec in vlla alia re conquieſcere, quoniam vita es æterna, vltra quam nihil eſt quod deſideretur, neque in cælo, neq; in terra. Per te didicimus certum & expeditum iter ad veram ſalutem: ne diutiùs in huius mundi labyrinthis oberraremus. Tu nos exactè docuiſti, quid credere, quid ſperare, in quo conquieſcere debeamus. Per te didicimus, quòd ex primo illo Adam fuerimus infeliciter nati. Per te didicimus, non eſſe ſpem ſalutis, niſi per fidem in te. Te vnicam eſſe lucem, quæ prælucęs omnibus, per huius ſæculi deſertum, perque noſtræ mentis noctem à tenebris Ægyptiorum proficiſcentibus; ad illam beatam terram, quam promiſiſti mitibus, tuamque manſuetudinem imitantibus. In nobis enim nihil erat præter profundam caliginem, qui neque calamitatem noſtram videre poteramus, neque vnde mali remedium petere debeamus. Tu dignatus in terram deſcendere, dignatus noſtram naturam aſſumere, vt doctrina tua diſcuteres ignorantiæ noſtræ caliginem, præceptis tuis dirigeres pedes noſtros in viam pacis: vitæ tuæ exemplis ſtrauiſti nobis viam ad immortalitatem, ac tuis calcatam veſtigijs, è ſalebroſa & aſpera commodam leuemque nobis reddidiſti. Ita nobis via facta es, quæ neſcit errorem; in qua ne laſſeſceremus, tua benignitate nos magnis certiſque promiſſis fulcire dignatus es. Quis enim poſſit delaſſari, ſecum reputans, per tua veſtigia ingredienti paratam eſſe vitæ cæleſtis hereditatem? ergo dum in hoc itinere ſumus, ſpem certam nobis loculi loco eſſe voluiſti, qua ſuſtentemur. Nec his contenta fuit tua bonitas, ſed agnoſcens imbecillitatem noſtræ carnis, interim ſolatio tui ſpiritus ſubinde reficis vires noſtras, quò ad te curramus alacriter. Atque vt tu nobis factus via, propellis omnem errorem; ita factus veritas, tollis omnem diffidentiam. Denique nobis factus vita, das hîc peccato mortuos viuere, per ſpiritum tuum omnia viuificantem, donec in reſurrectione prorſus abolita omni mortalitate ſemper tecum & in te viuemus, quum futurus es nobis omnia in omnibus. Vita enim æterna eſt, noſſe Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, eſſe vnum verum Deum. Quem nunc per fidem videmus tantùm in ſpeculo & ænigmate, tunc autem cominus Domini gloriam ſpeculantes transformabimur in eamdem imaginem. Pro-

indeobſecro, clementiſſime Saluator, vt adaugeas famulo tuo fidem, ne vacillem vnquam in cælesti tua doctrina. Adauge obedientiam, ne vnquam deflectam à præceptis tuis: adauge conſtantiam, vt tuis ingrediens veſtigijs, nec Sathanæ blandimentis illiciar, nec terriculamentis deijciar: ſed in te, qui ſolus es vera via, perſeuerem vſque ad mortem. Adauge mihi fiduciam, vt tuis fretus promiſſis, numquam ſeneſcam in ſtudio pietatis; ſed à tergo relictorum oblitus, ſemper ad perfectiora contendam. Adauge gratiam in me tuam, vt indies magis ac magis in me ipſo mortuus, viuam agatque Spiritu tuo: nihil metuens præter te, quo nihil eſt maius aut potentius: nihil amans præter te, quo nihil eſt amabilius: in nullo glorians præterquam in te, qui vera es gloria Sanctorum omnium: nihil expetens præter te, quo nihil eſt melius: nihil deſiderans præter te, qui plena perfectaque es felicitas, cum Patre, & Spiritu ſancto, per omnia ſæcula. Amen.

CAPVT XXI.

Ioan. 18. *Explicatio ſequentis ſententiæ, per aliquot capita*; EGO IN HOC NATVS SVM, ET AD HOC VENI IN MVNDVM, VT TESTIMONIVM PERHIBEAM VERITATI. OMNIS QVI EST EX VERITATE, AVDIT VOCEM MEAM. *Et primùm, de differentia Regni Christi à regnis mundanis.*

INTER cetera quæ Iudæi obijciebant Domino noſtro Ieſu Chriſto coram Pilato præſide, vt morte eum damnaret, primarium crimē erat (vt videbatur) quòd affectator eſſet regni Iudæorum, quòd tyrannidem occupare niteretur, excluſiſque Romanis, ſe regem
Luc. 23. Iudæorum facere velle videretur. Hunc, aiebant, inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dari Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe. Tria dicunt: ſed quæ intelligi poſſunt eodem omnia pertinere. Dicere enim & facere ſe Chriſtum regem Iudæorum, videtur etiam includere, non eſſe tributa danda Cæſari Romanorum. Quorum vtrumque eò ſpectare videtur, vt ſeditione quadam populus commoueatur & ſubuertatur. Quare, non ſine cauſa Pilatus hoc in primis ex Ieſu quærendum iudicauit, num verè eſſet vel ſe faceret regem Iudæorum: cùm præcipuè hoc in magnum & manifeſtum Cæſaris Romani præiudicium facere videretur; cuius Pilatus honorem, ius, poteſtatem, ſeruare ex officio ac defendere tenebatur. Quare Ieſum coram ſe ſtantem interrogat, dicens: Es tu rex Iudæorum?

Diſſimulabimus hîc, & præteribimus ſilentio, quod Ieſus ad hanc quęſtionem reſpondet, viciſſim Pilatum (non ſine cauſa) interrogans, & dicens; A temetipſo hoc dicis? an alij tibi dixerunt de me? Hoc enim ad propoſitum noſtrum non pertinet. ſicuti nec illud, quod Pilatus ad hoc reſponderit, dicens: Numquid ego Iudæus ſum? Gens tua & pontifices tui tradiderunt te mihi. Quid feciſti? At verò Dominus Ieſus Pilato ſtatim reſpondendum iudicauit de obiecto ſibi crimine affectati regni. Debebat enim omnibus conſtare, tum quòd rex verus eſſet, & quidem ille ipſe Rex quem Deus Iſraëli tanto antè promiſerat; tum præcipuè qualiſnam ille rex eſſet, & cuiuſmodi regnum haberet. nempe quòd non talis rex eſſet, quales ſunt reges huius mundi, nec tale regnum haberet, nec eo modo regnaret: & proinde, quòd non venerat vt reges aliquos huius ſæculi mundique vel è regnis ſuis expelleret, vel turbaret, vel aliqua in re iuri illorum aut poteſtati incommodaret. Ideò protinus reſpondit; Regnum meum non eſt de hoc mundo. Quibus verbis nec negat ſe Iudæorum regem eſſe, ſed tacitè admittit potiùs: & ſimul tamen explicat ſe talem regem non eſſe, nec tale regnum habere, quale vel Iudæi vel Romani tantummodò cognoſcębant. diluitque palàm calumniam hoſtium, atque accuſatorum ſuorum Iudæorum, quâ illum grauabant tanquam reum læſæ maieſtatis Cæſaris, vel rebellionem contra illum aliquam excitare molientem: quod Pilato perſuadere magnoperè laborabant. Ideò dicit: Regnum meum non eſt de hoc mundo: quaſi dicat; Regni mei natura vel conditio, non eſt, vt Cæſari tuo, ô Pilate, quouis modo officiat. Regnum ille mundanum habet: nec aliud quærit aut nouit: meum autem regnum non eſt mundanum, nec quidquam cum mundo commune habet: quare, nihil eſt quòd tibi Iu-

bi Iudæorum calumnijs, ad me grauandum, imponi ſinas. Deinde, vt omnem mali ſuſpicionem amoueat, rationem reddit clariſſimam dicti ſui, ſubdens; Si ex hoc mundo eſſet regnum meum; miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Quaſi dicat; Res ipſa declarat, Pilate, & ipſe totuſque mundus ſatis videre poteſt, me non eſſe mundanum regem: nec tale regnum quærere, vel quæſiiſſe vnquam, qualia habent reges huius mundi. Si enim tale regnum quærerem, vel talis rex eſſe vellem, longè me aliter gererem: aliud apud me ſatellitium, alium armorum apparatum haberem, quo me ab omni externa iniuria defenderem, inſtar regum aut principum huius mundi. Nunc verò, quum & in ſumma paupertate atque humilitate ſemper vixerim, & nullos habeam cuſtodes corporis mei, nullos milites aut ſatellites, qui in manibus hoſtium meorum conſiſturum defendant: tantummodò paucos & inermes diſcipulos habeam, qui me ſecuti ſunt hactenus, & nunc me quoque deſeruerunt, viri qui nihil poſſunt contra vim tantam; quid aliud hæc clamant, quàm regnum meum non eſſe mundanum, vel regibus aliquibus huius mundi contrariū, vt volunt & calumniantur inimici mei? Nec ſic iuſtificando cauſam ſuam hoc agit Chriſtus, vt non moriatur, qui ad hoc venerat vt morte turpiſſima moreretur; ſed hoc agit ſolùm, ne, vt noxius, vt ſeditioſus, aut ſimilis quiſpiam maleſactor, moriatur. Innocens mori volebat, vt innoxia morte ſua mortem electorum ſuorum æternam deleret.

Quia autem ex tam graui & conſtanti accuſatione hoſtium Chriſti, & ex quibuſdam geſtis vitæ eius, quum præcipuè iam ſe regem eſſe regnumque habere fateretur, Pilato homini ethnico, & qui nihil de Meſſiæ regno ſciebat, videri poterat quòd Dominus ad temporale Iudæorum regnum aſpiraret, & propterea antè vbique locorum prædicaſſet, magnamque frequenter hominum multitudinem congregaſſet: ideò, quæ videri poterat, ſcandali occaſionem tollere voluit, diſtinguendo diligenter regnum ſuum ſeu Meſſiæ, à regnis omnibus huius mundi. Videtur autem quibuſdam ſeparaſſe regnum ſuum à regnis mundanis, ex cauſa & ex effectu. Ex cauſa quidem, quum dicit regnum ſuum non eſſe de hoc mundo. Non dixit regnum ſuum non eſſe in hoc mundo: ſunt enim electi eius omnes, in quorum cordibus regnat, in hoc mundo. Et ſic etiam regnat in impijs, vt nihil faciant niſi ipſo volente vel permittente: atque ita quamuis impius ſit hic mundus, regnat tamen Chriſtus in medio inimicorum ſuorū, ipſis inuitis; vt eſt in Pſal. 109.

Sed non eſt regnum eius de hoc mundo, quomodo alia omnia regna huius mundi. Sunt enim illa de hoc mundo vel à natura: vt eſt regnum patrisfamilias, qui naturaliter eſt rex in domo ſua; vel vt regnum illorum qui reges naſcuntur hereditario iure, vt filij & heredes regum. Aut ab ingenio humano, arte vel induſtria; quomodo multi homines callidi regna aliquando compararunt. Vel à vi & potentia; vt tyranni & alij. Vel denique à voluntate aliorum, quemadmodum illi qui per electionem ad regnum perueniunt. Horum omnium regnum eſt, ſecundùm originem ſuam & principium, de hoc mundo: quia ab ijs quæ huius mundi ſunt, quæque in mundo vigent, proueniunt. At Chriſti regnum non eſt de hoc mundo, quia ex nulla harum omnium vel ſimilium cauſarum oritur; ſed ex ſpeciali voluntate, gratia, & ordinatione Dei, quæ nullam cauſam habet in mundo. Hinc illud Pſal. 2. Ego conſtitutus ſum rex à Deo, &c. & Paulus ad Philip. 2. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem: ideò Deus exaltauit eum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, &c.

Non ſatis autem fuit Chriſto, dicere regnum ſuum non eſſe mundanū, quia nullam haberet cauſam in hoc mundo: ſed idem etiam oſtendit ab effectu regni, dicens; Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, &c. hoc eſt, Si rex eſſem mundanus, vel mundanū regnum, quale eſt Cæſaris, vel Herodis in Galilæa, affectarem; effeciſſem vtique & procuraſſem habere miniſtros aut ſatellites, qui armata manu me defendiſſent, ne in poteſtatem hoſtium meorum Iudęorum veniſſem: quemadmodū tali ratione ſeque regnumque ſuum tuentur mundani reges. Quod tam procul abfuit à Chriſto, & natura regni eius, vt nullus vnquam diſcipulorum aut amicorum eius, nec Ioſeph ab Arimathia, qui tamen vir nobilis & capitaneus erat, nec Nicodemus, nec Lazarus, nec alius quiſpiam in ipſius defenſionem contra Iudæos certauerit: & hoc notum erat omnibus. Immò, quum vnus diſcipulorum eius, dum caperetur, gladium ſtrinxiſſet, & certare pro illo pararet aduerſus hoſtes eius; ſtatim diſertis ac minacibus verbis prohibitus fuit facere. Habet vnumquodque regnum ſuos miniſtros, ſua iura, ſuum robur, & potentiam: maxima ſemper & prima cura impenditur conſeruando regi: pro terreno rege

certant omnes ad mortem vſque miniſtri, milites, ſubditi, amici, &c. Pro Chriſto rege nemo certauit ex hoc mundo: quia mundanus rex vel terrenus non erat.

Hic ergo habemus præclariſſimum diſcrimen inter regna mundana & regnum Chriſti. Illa indigent mille mundanis fauoribus, viribus, & auxilijs miniſtrorum, militum, armorum, munitionum, caſtrorum, pecuniarum, &c. adeò quidem, vt non ſolùm ſine his ſtare nequeant, ſed etiam vt cum his omnibus frequenter defendi retinerique non poſſint: ſicuti mille exemplis doceri poſſet. vt cum his regnare, ſit verius miſerrima ſeruitus: quemadmodum Dionyſius Syracuſanus tyrannus cuidam pulchrè declarauit; teſte Cicerone lib. 5. Tuſculan. quæſt. At regnum Chriſti nullis externis præſidijs indiget; diuino tantùm fauore nititur: quo ſolo eſt inexpugnabile.

De hac ſententia; Regnum meum non eſt de hoc mundo, &c. plura legere licet apud Simonem de Caſſia, & alios. Nos hæc breuiter ſolùm perſtrinximus, vt ad illam ſententiam veniamus; Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.

CAPVT XXII.

Regnum Chriſti, regnum veritatis; in ſalutem omni credenti.

AVDIENS Pilatus, quòd Chriſtus ſe regem eſſe apertè fatebatur, regnumque habere, quod non eſſet de hoc mundo; non eſt alienum quòd in animo ſuo has aut ſimiles cogitationes atque interrogationes faciebat: Si regnum tuum non eſt de hoc mundo, cur ergo in hunc mundum veniſti? Si melius alibi regnum habes, neſcio quod, vt ſubindicare videris, cur in hanc veniſti mundi huius miſeriam? cur in hanc calamitatem incurrere voluiſti, vt ab huius mundi principibus tam turpiter tractareris? Idololatra erat Pilatus; idcircò illum credidit forte aliquam creaturam cælicolam, aut vnum è numero deorum cæleſtium in hominis effigie apparentem: pro opinione Romanorum aliorumque gentilium quam de dijs habebant. aut fortè inſignem aliquem virum merito virtutis olim raptum in cælum (prout de Romulo credebant Romani) nunc verò, aliquam ob cauſam, in hæc inferiora reuerſum. Ita hæſitabat in hoc viro Pilatus, quum diceret, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo; & tum ſpecie ac decore perſonæ, tum ſermonis grauitate ac prudentià, tum animi vigore imperterrito, plus aliquid fortè quàm vulgarem hominem præ ſe ferre videretur: ſecumque admirabatur; Si numen aliquod cæleſte es, cur in humana effigie appares? ſi homo ſublatus ad ſuperos, cur ad ima regreſſus? ſi potens, cur ligari te & capi permittis? ſi ſapiens, cur in hanc calamitatem tibi futuram non antè præuidiſti? ſi rex, cur mundo tam ineptum te exhibes? ſi nullius virtutis, cur tantum præſumis vt dicere audeas; Regnum meum non eſt de hoc mundo? ſi homo ceteris ſimilis, vnde in alio mundo regnum habes? ſi Deus ſummus, aut vnus deorum, cur aut quomodo verus homo factus es? Denique, ſi regnum tuum non eſt de hoc mundo, neque tu quoque ipſe de hoc mundo eſſe conuinceris: cur ergo te induxiſti, aut paſſus fuiſti incidere in hoc opprobrium? cur es in mundo? quid facis in mundo?

Huic ſeu tacitæ ſiue etiam expreſſæ fortaſſis (etſi ab Euangeliſta prætermiſſæ) hæſitationi atque interrogationi Pilati Chriſtus Dominus ſimpliciter & planè reſpondet, dicens; Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam. Nimirum ad hoc Chriſtus, etſi non ſatus virili ſeu corruptibili ſemine, tamen natus fuerat in mundo carne ſuſcepta, & in mundum venerat, vt teſtimonium redderet veritati. atque ita dignatus fuit, Pilato, vel potius omnibus in eum credituris, ad inſtructionem & conſolationem illorum, dicere de regno ſuo, non ſolùm negatiuè, quale non eſſet, nimirum non ex hoc mundo, ſeu mundanum regnum; ſed affirmatiuè etiam, quale eſſet: nempe regnum veritatis. ſeque adeò regem eſſe non externa maieſtate veſtium, ſamulorum, ædium, vel ſimilium rerum, non opum multitudine, vel potentiæ mundanæ magnitudine conſpicuum; ſed veritatis doctrinâ ac prædicatione admirabilem. iuxta illud: Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper montem Sion eius, prædicans præceptum eius. Et quum addit; Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam: non modò illis verbis ſignificat quinam & quales ſint, qui ad regnum ſuum pertineant; ſed etiam quemadmodum eos tanquam rex regat, ſeruet, defen-

Pſalm. 2.

defendat ac protegat : voce nimirum ac verbo ſuo : ſicuti paſtor regit ouiculas ſuas. Quaſi dicat; Non quæro vt regiæ poteſtati meæ ſubijciantur arces, oppida, armati exercitus : habeant illa reges huius mundi, ſeruent, tueantur, & adminiſtrent, vt libet : pugnent illi, & bellent pro horum defenſione, haſtis & gladijs, equorum & hominum viribus. Meum officium eſt diuinam tantùm veritatem in terra erigere ac ſtabilire, illamque omnes vt agnoſcant & ament efficere. pro quâ te pugno, meoſque pugnare facio, ore ac verbis duntaxat, prædicationeque Euangelicæ gratiæ. quæ nequaquam impotens aut inermis eſt, ſed virtus eſt Dei omnipotentis in ſalutem omni credenti. Qui annuntiatam ſibi veritatem agnoſcunt ac recipiunt; hos ego ſolos habeo pro ſubditis meis, pro ciuibus regni mei. Reges mundani ſuos ſubditos ac miniſtros ditant opibus, arcibus, vrbibus, alijſque feudis mundanis. meis ego nihil tale dono : ſed largior illis pro peccato iuſtitiam, pro cruce & aduerſitate huius mundi fortiter meo nomine toleratâ, pacem conſcientiæ, & gaudium mentis; pro inferno quem promeruerant, cælum; pro morte, vitam æternam : hæc ſunt feuda ciuium regni mei. Quid autem hæc faciunt aduerſus imperatorem Romanorum, vel pacem publicam? Num Cæſar nollet quemquam naſci, qui ſectator ſit veritatis? An detrimentum eſſet aliquod honoris vel iuris eius, ſi milites vel ſubditi eius audirent vocem perhibentis teſtimonium veritati? Tantum abeſt, vt quiſquam auditione cultuque veritatis abducatur ab externa principum ſuorum vel ſuperiorum obedientiâ, aut rebellionem contra illos aliquam mouere queant, vt potiùs eo promptiùs ac libentiùs omnem illis obedientiam ac reuerentiam præſtent, quo magis ac certiùs doctrinam veritatis, quam trado, cognouerint.

CAPVT XXIII.

Quam qualémue veritatem Chriſtus docere venerit.

SED quam tandem vel qualem veritatẽ tradere ac docere venit Chriſtus? Multa enim ſunt genera veritatis. Ars quælibet & ſcientia ſuam habet veritatem. Mathematica certas habet demonſtrationes, quæ ſunt artis veritates. Phyſica item rationes ſuas, ſeu veritates habet. Quin & vnumquodque opificium ſuas regulas ſeu leges artis habet, quæ non aliud ſunt quàm veritates. Num huiuſmodi aliquas veritates traditum venit Chriſtus? Etſi non damnet vel reijciat ſcientias vllas artéſve, quæ vitæ noſtræ mortali aliquam vtilitatem conferunt, vel ad eam ſunt neceſſariæ; tamen nequaquam venit in hunc mundum, vt vel Mathematicæ, vel Phyſicæ, vel quarumuis huiuſmodi aliarum ſcientiarum aut artium veritati teſtimonium perhibeat. Eſt ars & ſcientia conſequendæ veræ iuſtitiæ & felicitatis perpetuæ quam doctum venit, cuiuſque ſe profeſſorem nominat. Hoc eſt, docere venit veritatem religionis, quæ tradit veram cognitionem & cultum veri Dei, omnemque notitiam voluntatis eius : quâ ſolâ certa ſalus æternaque felicitas comparatur. Proinde quod ait, Ego in hoc natus ſum, vt teſtimonium perhibeam veritati, ſenſus eſt; Veni in hunc mundum, non vt Cæſarem Romanum, vel te (ô Pilate) eius miniſtrum, vel Herodem, vel quemuis alium regem huius mundi, è ſede ſua vel poteſtate deijciam, vtve auferam principibus mundanis ſceptra vel regna ſua; ſed tantummodò vt veram omnes religionem doceam.

Ergo Chriſti regnum atque officium magis philoſophicum eſt quàm regium; de communi regum huius mundi officio atque adminiſtratione loquendo; magiſque ad rectam internamque conſtitutionem animorum, quàm ad externum ſtatum corporum, vel bonorum mundanorum, rationem pertinet. Et tamen hoc huiuſmodi eſt officium, vt omnes qui rectè ſenſerunt, regiæ illud adminiſtrationi ſemper prætulerint. Vnde illud extat veriſſimum ac ſapientiſſimum dictum; Tum demum Reſpublicas beatas fore, quum vel reges eſſent philoſophi, vel philoſophi reges. Sed hac de re paulò pòſt plura. Nunc ad Chriſti ſententiam redeamus.

Ego, inquit, in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Similiter ſemper de veritate loquitur. Nec aliter hîc accipitur veritas quàm antè, vbi dixit, Si manſeritis in ſermone meo cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Item quum ait; EGO SVM VIA, VERITAS, ET VITA.

Veritas cui teſtimonium perhibuit, quamque homines doctum venit, nihil aliud eſt, quàm verus Dei cultus, cognitioque voluntatis eius. In qua te præcipuum ac longè maximum,

ximum, immò veriùs totum eſt myſterium redemptionis humani generis, quam Deus ante mundum cognitũ, per mortem Filij ſui perficiendam propoſuit. Hæc enim veritas comprehendit notitiam Dei, humani generis totiuſque mundi originem primam, atque vltimum finem: rum corruptionem & lapſum hominum à prima ſua dignitate: item cognitionem angelorum bonorum & malorum: denique eiuſdem humani generis liberationem ac reſtitutionem perfectam, & quæ eò pertinent omnia. In quibus tota religio Chriſtiana, totaque ratio veri cultus Dei conſiſtit. De hac veritate loquitur Paulus 1.Timoth. 2. Hoc enim bonum & acceptum eſt coram ſaluatore noſtro Deo, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire. Poſt quę verba, Apoſtolus, declarandæ huius veritatis gratiâ, ac veluti oſtendere volens, in quo veritas iſthæc propriè ſita ſit, quidq́ue doceat & includat, ſtatim ſubijcit; Vnus enim Deus & vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus: qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Et addit; Cuius teſtimonium (veritatis ſcilicet) ſuis temporibus confirmatum eſt. In quo; hoc eſt, ad quod teſtimonium perhibendum, ego poſitus ſum prædicator & Apoſtolus. Hæc verba eumdem plane ſenſum habent, eademq́ue ſunt penitus cum verbis Chriſti. Ad hanc veritatem mundo proponendam, omneſq́ue vbiq; ad illam inuitandos, datum eſt à Deo Euangelium regni cæleſtis. Quod Chriſtus primùm, deinde Apoſtoli eius, demum ſucceſſores eorum promulgarunt, & plantarunt, per totum orbem terrarum. Huius Euangelij prædicatio ſeu promulgatio rectiſſimè teſtimonium ſeu verbum veritatis appellatur. Quæ veritas, quoniam morte & paſſione Chriſti veluti certiſſimo & euidentiſſimo teſtimonio confirmata & obſignata eſt, non immeritò Apoſtolus mortẽ Chriſti teſtimonium nominauit Timoth. 6. dicens; Præcipio tibi coram Chriſto Ieſu, qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato, bonam confeſſionem.

Huc pertinet quod Chriſtus omnem vbique falſitatem redarguit; omnes è mundo errores abſtulit, omnia quæ ad veram pietatem & iuſtitiam pertinebant, reſtituit. Errabant Iudæi multis modis in falſa intelligentia malaq́ue obſeruatione legis Dei. Perhibuit illis teſtimonium veritatis dicens; Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis ſeruat legem. Item, Si veritatem dico vobis; quare non creditis mihi? Gentes autem longè magis errabant in idololatria, & cultu falſorum deorum. Chriſtus, tum per ſeipſum quando erat opportunum, tum præcipuè per Apoſtolos ſuos, perhibuit illis teſtimonium veritatis, annuntians ab his vanis conuerti ad Deum viuum & verum, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt; vt eſt Actorum 14. Errabat totus mundus in vſu creaturarum rerumq́ue temporalium: in ijs amorem omnem & fiduciam collocando, quæ data erant ad vſum tantùm. Docuit omnibus quæ in mundo ſunt vti ad laudem & gloriam Dei: & ſi quo caſu à Deo auertere, eiúſve legem violare ſuaderent, relinquere illa amore Dei, & contemnere: & nequaquam dona Dei conuertere in eius iniuriam. Hoc verè eſt perhibere teſtimonium veritati.

Ioan. 8.

CAPVT XXIIII.

Quo teſtimonio indigeat veritas; cùm ipſa potiùs teſtimonium perhibeat reliquis omnibus.

SED quærit hic Simon de Caſſia: Quo teſtimonio indiget veritas, cùm ipſa potiùs omni rei teſtimonium ferat? Nam omnis res exiſtens, ſolâ veritate conſiſtit, & ab ipſa eſſe ſuſcipit. Quod teſtimonium dabitur veritati, quum ipſa reddat etiam teſtimonium falſitati? nam aliter, quàm per veritatis teſtimonium, falſitas non cognoſcitur. Quod teſtimonium accipiet veritas, quæ ſeipſâ conſiſtit, quæ nemini cedit, quæ opprimi nequit, quæ inter aduerſa clareſcit? Quod teſtimonium dabitur veritati, quæ ipſa Deo viuenti teſtimonium reddidit? Et ſi dici poſſet Deum deficere, ipſa non deficit. Teſtificatur ipſa de Deo, quòd æternus eſt. Qui ſi deficeret, etiam ipſa teſtificaretur verum eſſe, non eſſe quod deficit. Et ſi aliqua entia defecerunt, aut quomodolibet commutata feruntur; veritas teſtimonium perhibet, verum eſſe, non eſſe quod deficit; & aliter quàm fuerit eſſe, quod commutationem accepit. Ipſa omnibus viſibilibus & inuiſibilibus teſtimonium donat, entibus & non entibus, bonis & malis, beatis & miſeris, permanentibus & deficientibus, permutatis & impermutatis ſuo teſtimonio ſubuenit. An adiuuabitur ergo paruis luminibus clariſſi-

clariſſimum lumen ſolis? An veritas aliam veritatem ſuo teſtimonio fulciet? Eſt veritas Chriſtus, ipſo dicente; EGO SVM VIA, VERITAS, ET VITA. Quæ igitur veritas eſt, cui Chriſtus veritas, teſtimonium dabat? Totus mundus teſtificatur veritati: clamant omnia veritatem: boni & mali diligunt veritatem: cùm ſe rerum oſtendit proprietas, reddit teſtimonium veritati: magis verò ipſa omnibus teſtimonium præſtat. An Chriſtus, quia vt homo natus, & in mundo, corporeo ſenſu, cum hominibus conuerſatus, incomprehenſibile Deo teſtimonium dabit? An quia non multo antè prædixerat Iudæis, Si manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & veritas liberabit vos; ipſi veritati liberatrici teſtimonium perhibuerat aut daturus aduenerat? Sed ne legentium animos plus æquo ſuſpendamus, eo ſenſu & modo loquendi ſciamus hoc dictum, ſicut antè prædixerat; Mundus me odit, quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala ſunt. Nam non expediebat Chriſtum dare teſtimonium veritati, quòd eſſet, aut bona eſſet: ſed contra illos teſtimonium ferre, qui ab illa velut inſcij, aut velut conſcij, aberrabant. Quia confuſio falſitatis, veritatis eſt teſtimonium: & falſarios quoquo modo conuincere, dare eſt teſtimonium veritati. Sic ille. Quomodo autem Chriſtus teſtimonium perhibuerit veritati, mundi falſitatem variam demonſtrando, & arguendo, iam iam oſtendimus.

Addit Simon de Caſſia: Chriſtus deſpiciendo damnauit, quæ mundus amabat: patiendo approbauit, quæ mundus horrebat: & illam veritatem docuit, per quam aſcenderetur in cælum, & ad beatitudinem perueniretur, quam homines ab ipſa deuiando inquirunt. Omnes diligunt beatam vitam: ſed ab illa fugientes quærunt eam; quia veritatem ignorant, aut contemnunt, quæ inobliquè dirigit & nouit eam. Nec hoc teſtimonium ad illam veritatem refertur, quâ ſunt omnia quæ ſunt, & conſiſtunt; ſed ad illam veritatem, quâ vita peragenda deducitur, vt ad æternam, beatam, nobiſque promiſſam, poſt iſtam veniatur. Hinc Chriſtus teſtimonium perhibuit in ſeipſo: vita & moribus illam ſeruans, & docens verbo, in montibus, in campeſtribus, in ſynagogis, & domibus, & templo: eidem teſtificans in miraculis, & prodigijs multis, in paſſionibus & morte, ſepultura, & reſurrectione, aſcenſione almifica, & miſſione Paracleti. Et ſubſecuta Chriſti membra in orbe terrarum teſtificata ſunt vbique per paſſiones, & ſanguinem, & mortem, in coruſcationibus miraculorum, in euerſione templorum, quæ idolis fuerant dedicata, in deſtructione ſtatuarum, in quibus dæmones introgreſſi decipiebant illos qui idolis immolabant, atque confidebant in eis, quòd res humanæ illorum prouidentiâ agerentur. Nec hanc quam acceperant veritatem (cui per omnia teſtimonium dabant) deſerebant tyrannorum terrore, nec acerbitate pœnarum à teſtificando ceſſabant. Vnde à Dei filio deſcenſum eſt? in quo ventum eſt? vbi peregrinatum eſt? quid actum eſt? ante quos examinatum eſt vt Chriſtus redderet teſtimonium veritati? Inſpicite, ô mortales, incarnati Verbi patefactam hiſtoriam, geſta eius & dicta eius ad alios, aliorum ad eum: vt intimo mentis intuitu noueritis, qualiter per Chriſtum teſtimonium & quali ſit redditum veritati.

CAPVT XXV.

Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam.

AMATORES veritatis ad ſe pertinere omnino conteſtans Chriſtus, dicit; Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam. Quod verbum (inquit ſuprà memoratus Auctor) durum ac dubium eſt; niſi expoſitionibus digeratur. Nam omne quod eſt, inquantum eſt, à veritate habet, vt ſit: ſiue ſenſibile ſiue inſenſibile, ſiue viſibile aut inuiſibile, ſiue rationale ſeu irrationale ſit. Et ſi ad homines dumtaxat verba reſtringimus, Omnis homo ex veritate eſt quod eſt: nec tamen omnis homo Chriſti vocem obediendo audit. nam audire Chriſtum, audientium obedientiam ſonat, & fidem credentium. Sed aliud eſt, quo prior ſententia claret. Dixerat primò, ſe perhibere teſtimonium veritati: dicit & poſteà; Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam. Perhibebat ipſe teſtimonium veritati, videlicet illi, quæ agendam vitam, ad beatam acquirendam, informat; & de ſeipſo, qui veritas erat. Ex qua veritate qui eſt ex fide cognitor factus deceptionis incluſæ in apparentia mundi, amaritudinis abſconſæ in dulcedine labentis vitæ, dulcedinis obuelatæ in amaritudinibus ſæculi, audit vocem meam. id eſt, mihi credit, obedit, & ſequitur.

Quam

Quam vocem? Quâ ſcilicet oberrantem reuocat, quâ pœnitentibus parcit, quâ iuſtis æterna regna promittit, quâ vocat electos, quâ damnat & reprobos. De quâ per Pſalmiſtâ dicitur; Vox Domini ſuper aquas; id eſt ſuper conuertendos. Nam aquæ multę populi multi, quos Chriſtus vocat, ne mare damnationis excipiat. Et alio loco Pſalmiſta ad obedientiam huius vocis omnes inuitat dicens: Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Hodie, tempus eſt mundi, à tempore Chriſti vſque ad finem ſæculi. Vox eius ſemper clamat, ſilet numquam. Vox Chriſti Euangelium eius eſt, numquam à clamore quieſcens: quod diuerſis tonis atque inſtrumentis ad tectam & vitam æternam inuitat. Et regnum eius eſt ſuper ſuſcipientes Euangelium eius. In quo verbo, de regno eius, Pilato clarum dedit reſponſum. Quod Pilatus, huiuſmodi reſponſionis ignarus, penitus in animo non aduertit. Nam verè regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, ſed ſuper ſuſcipientes & audientes Euangelium eius: quod homines per crucis myſterium, & agendam vitam, ſub directione cæleſtium virtutum, auellit à mundo; vt finitâ mortali vitâ inferat ſummo cælo. Ergo eſſe ex veritate, quum hîc dicitur, Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam; eſt eſſe renatum ex Chriſto, ſeu per fidem doctrinæ Chriſti, præditum eſſe ſpiritu Chriſti, qui datus eſt omnibus in illum ſincerè credentibus, & amplectentibus veritatem doctrinæ eius. Eſt autem hæc ſententia eadem planè, cum illa Ioan. 8. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Vnde conſequitur, idê quoque eſſe ex veritate, vt hîc. Et quemadmodum generaliter loquendo de rerum origine, omnia ſunt ex Deo; ſic eâdem generali ratione loquendi, omnia ſunt ex veritate: vt rectè in præmiſſis verbis Simonis Caſſiani habetur. Et tamen ſicuti illic, non obſtante illo generali & vero modo loquendi, dicuntur aliqui homines non eſſe ex Deo (Propterea, inquit, vos non auditis quia ex Deo non eſtis) ita hic apertè ſignificat Chriſtus, aliquos non eſſe ex veritate, quum dicit; Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam.

Pſal. 28.

Pſal. 94.

Ex Deo non ſunt mendaces, ſed ex diabolo: vt Chriſtus ibi dicit; Vos ex patre diabolo eſtis, qui mendax eſt, & pater mendacij. Ergo, quamuis & corpus & animam à Deo acceperunt, & ſecundùm vtrumque ex Deo ſunt; tamen ſpiritu & corde, quo toti ſunt corrupti peccato, atque à Deo auerſi, ex mendacio ſunt. Sic contrà, electi, ſpiritu ac mente ſeu corde, quo renouati ſunt fide in Chriſtum per Spiritum ſanctum, ſunt ex veritate. Quemadmodum eodem modo propriè ex Deo eſſe dicuntur. Hinc Ioannes toties in Epiſtola ſua: Nos ex Deo ſumus chariſſimi. Per gratiam ſcilicet electionis, qua electi ſunt à Deo ante mundi exordium, & Dei ſpiritu reguntur. Epheſ. 1. Ergo ex veritate eſt, qui per ſpiritum Chriſti, per gratiam regenerationis, veritatem diligit, eamque conſtanter retinet: qui totus fertur ad æterna & vera bona, qui ſitit iuſtitiam, qui mundum hunc, & quidquid in eo eſt, contemnit præ amore & bonis vitæ futuræ ac perpetuæ. Hi audiunt vocem Chriſti, hi pertinent ad regnum eius, & ſubdunt ſe libenter ipſius imperio. Vnde ſequitur, eum regem illorum non eſſe, qui amant & ſectantur terrenas diuitias, qui mundanos honores & vanam gloriam ambiunt, qui carnis voluptatibus delectantur, qui ſeditiones concitant, odia, rixas, iurgia ſuſcitant, &c.

CAPVT XXVI.

Quid mouerit Chriſtum, tam ſublimis materiæ, veritatis nempe diuinæ, mentionem facere, coram Pilato.

SED non immeritò quis miretur, cur Dominus de his rebus, de diuina veritate, materia tam aliena à captu Pilati, qui homo erat gentilis, totusq; mundanus, & apud quem nihil ſe profuturum ſciebat, tam apertè & plane loqui voluerit. Ratio autem eſſe videtur, vt Dominus occurreret ſcandalo ex eo nato, quòd à propria gente ſua, immò etiam à primoribus & ſanctiſſimis, vt videbatur, atque eruditiſſimis gentis, captus eſſet, tam grauiter accuſatus, tam malè habitus: quum tamen illi genti diuinis Prophetarum ſcripturis promiſſus eſſe videretur; vt erat etiam reuerà. Quòd enim ea res Pilatum offenderit, ſatis liquet ex verbis ipſius, quum dicit; Gens tua & pontifices tui tradiderunt te mihi. Voluit ergo Dominus his verbis ſignificare, non debere mirum videri quòd à ſua ipſius gente, adeoque ab ipſis ſacerdotibus & pontificibus traditus ac damnatus eſſet; eò quòd vocem veritatis quam docuerat, & publicè prædicauerat, amplecti, non ſit niſi illorum

lorum qui ſunt ex veritate. Quo exemplo etiam hodie vti licet aduerſus illos, quibus mirū videtur quòd tam multi à Catholica religione ad ſectas deficiunt: itemq; inter Catholicos quòd tam pauci veram pietatem colunt vt oportet. Alij alias etiam rationes, non ſanè malas aſſignant. idque tum ex parte materiæ de qua diſputabatur, tum ex parte perſonæ iudicis Pilati. Quòd ad materiam, de qua agebatur, attinet, accuſabatur apud Pilatum Chriſtus, quòd regem ſe fecerat, regnumque affectabat. Ad quam accuſationem reſpondendo, negare nolebat ſe regem eſſe, regnumque habere; ſed dicebat, regnum ſuum non eſſe tale quale accuſatores eius volebant, vt videlicet Cæſari vel poteſtati eius, vel iuri quod in Iudæos habebat, aduerſum eſſet. non eſſe enim regnum ſuum de hoc mundo, ſed diuinum quoddam & ſpiritale regnum, à quo nulli reges terræ ſibi metuere debeant. Hæc autem putantur à ſapientibus huius mundi mera eſſe figmenta, ac de induſtriâ à callidis & regnandi auidis hominibus conficta, vt tanquam diuina quadam huiuſmodi auctoritate populum in officio contineant, & religionis extraordinariæ opinionem ſibi concilient. Poteratque Dominus videri, hac noui regni ſui imaginatione iniecta, velle tempus extrahere, tergiuerſari, iudicemque ludificare, vt iudicium euaderet, quum aliam elabendi viam neſciret. Ideò Dominus ſeriò veritatis mentionem inducit: docetque, ſe nulla vel hominum quorumuis vel ſui capitis figmenta ſequi vel prædicare; nec vnquam aliquem vlla ratione fallere ſtuduiſſe, ſed veritatem adeò ſemper amaſſe ac tutatum fuiſſe, vt illius rei cauſa dumtaxat in mundum venerit. Nec minùs apta erat hæc de veritate diſſertio, quod ad Pilati perſonam attinet. Oportet enim doctorem ex illis ſermonem inſtituere, quæ docendo nota & grata ſunt, illique pariter & docenti communia; vt capax ſit doctrinæ, libenterque illam audiat. Quum à Iudæis & principibus ſacerdotum interrogaretur, num Chriſtus rex eſſet; ſeſe eſſe confeſſus eſt. Ad cuius rei comprobationem produxit prophetiam Danielis de Chriſto ſcriptam, de Filio hominis ſeſſuro ad dextram Dei, & venturo in regia maieſtate cum nubibus cæli. Hæc erat idonea probatio apud eos qui ſacras Scripturas nouerant, atque in honore habebant.

At verò, cum Pilato agens, homine ethnico, qui nec Scripturas ſacras nouerat, nec quidquam quod ad religionem & cultum veri Dei pertinebat, conuenientiſſimè veritatis mentionem fecit, ſi fortè illius amore, Chriſtum audire voluiſſet; ad quam mens hominis naturaliter inclinatur, quaque nihil eſt homini benè nato charius, amabilius, pretioſius. Et certè, ſi Pilatus non nihil attendere voluiſſet, ad illa quæ dicebantur à tam celebri magiſtro, quique tanto tempore non minùs miraculorum gloriâ quàm excellentiâ doctrinæ floruerat, illique docilem ſe præbere; potuiſſet facilè ad veritatis notitiam, perque illam, ad viam ſalutis æternæ peruenire. Sed, quia Pilatus erat non modò homo ethnicus, ab omni vera Iudæorum religione alienus, illiuſque etiam, Romanorum more & ſapientum huius mundi, contemptor; ſed multis etiam vitioſis affectionibus, præcipueque ambitionis & auaritiæ, vehementer infectus (vti non ſolùm ſacra & Euangelica, ſed aliæ quoque omnes hiſtoriæ docent) hinc factum, vt Chriſti doctrinam & ſapientiam, tametſi eum Iudæorum inſtat non oderat, tamen minimè æſtimauerit vt oportebat; nec operam vllam dederit, ad propoſitam à Chriſto regni ipſius & veritatem & doctrinam intelligendam. Verùm, hoc paulò pòſt meliùs etiam & clariùs deducemus, dum quæſtionem tractabimus à Pilato propoſitam, Quid eſt veritas?

CAPVT XXVII.

Quid ſibi velit, quod Chriſtus ingreſſum ſuum in mundum, duplici modo loquendi ſignificarit; In hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum.

DVPLICAVIT autem Dominus ſignificationem ingreſſus ſui in mundum, per natiuitatem, & aduentum, dicens; Ego natus ſum, & veni in mundum, propter duas in ſe naturas. Vt homo enim natus eſt, vt Deus verò venit in mundum. Et quoniam teſtimonium ſuum de veritate non erat ab omnibus ſuſcipiendum fide debita; ſubiunxit diſcernendo ſuſcepturos à non ſuſcepturis, ex diuerſa habitudine ad veritatem, dicens; Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam. hoc eſt, Quicumque amator, inquiſitor, ſuſceptor & tutor eſt veritatis, non in hac vel in illa materia, puta Geometrica, Phyſica, &c.

ſed veritatis ſimpliciter,ita vt nulli vero repugnet, ille audit vocem meam. Omnis ſiquidem talis, eſt ex veritate, hoc eſt, ex parte ſe tenet veritatis, & ex veritate venit; tanquam exemplum ab exemplari. Oportuit autem Dominum apponere hæc verba de auditoribus ſuis,vt hinc Pilatus duo intelligeret: ſcilicet & qualitatem eorum qui audiebant ipſius doctrinam, & ſequaces illius erant; quòd videlicet homines erant non vana ſectantes, ſed amantes & ſequentes veritatem : & qualitatem etiam regni ſui, quòd ſcilicet regnum eſt veritatis ac deinde falſum eſſe articulum illum à Iudæis ſibi obiectum,quòd ſubuertebat ac ſeducebat populum.Ex hoc enim,quòd ſoli veritati operam dabat,quodque ex veritate erant, eamque ſectabantur, qui eum audiebant; manifeſtè conſequitur, quòd nulla erat ſeductio, nulla ſubuerſio ; quòd nullus ad malum , nullus ad vana prouocabatur ; ſed tota Chriſti prædicatio,totum regnũ eius ex veritate, in veritate, & ad veritatem erat.

CAPVT XXVIII.

Cur Deus pater Filio regnum dederit, quod in veritatis prædicatione conſiſtit; & non potiùs aliquod ſimile aliorum regnorum.

CETERVM hic magna, vtilis, & pulchra naſcitur quæſtio: Si voluit Deus Filium ſuum regem hominum facere, & ad regiam inter homines dignitatem euehere ; cur tale illi regnum dare placuit: quod videlicet in annuntiatione , doctrina , & prædicatione veritatis conſiſtat, vt hic Chriſtus ipſe teſtatur ? quod genus regni parum admodum æſtimatur. Cur non potiùs regnum dedit aliorum ſimile, externa maieſtate ac potentiâ venerabile ; qualia habuerunt vel diuerſi reges gentium , vel etiam in populo Dei præcipuè Dauid & Salomon ? Hoc enim atque huiuſmodi regnum magni fit ab omnibus. multoque excellentius eſſe videtur , ſedere in ſella aurea, in medio principum, & imperare quod velis, quàm curſitare de loco in locum, & veritatem prædicare, vt Chriſtus fecit. Vel num fortè regna mundana,omniſque poteſtas & magiſtratus terrenus Deo diſplicet,

Rom. 13. aut per ſe malus eſt, aut prorſus à Chriſto Dei filio alienus ? Nequaquam. Omnis poteſtas à Deo eſt, inquit Apoſtolus : & qui ſæculari magiſtratu vel poteſtate funguntur, ſeu reges ſint, ſeu principes alij, ſeu illorum vicarij & miniſtri, eodem Paulo & Petro itidem Apoſtolo teſtibus, miniſtri Dei ſunt. Et ſcriptum eſt ; Domini eſt terra, & plenitudo eius. Item, Domini eſt regnum omne, & ipſe dominabitur gentium. Quum ergo Chriſtus ſit filius & heres Dei; vt quæcumque Pater habet aut poſſidet, etiam ipſius ſint ; conſequens eſt, omnem externam ac mundanam poteſtatem iure etiam ad Chriſtum Dominum pertinere. Et hinc illud Pſal. 2. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore , & exultate ei cum tremore. Oſculamini filium, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta. Pro eo enim, quod vulgaris lectio habet, Apprehendite diſciplinam ; Hebræa habet , Oſculamini filium. Quibus verbis admonentur omnes reges terræ, agnoſcere & adorare filium Dei hominem factum, Regem regum & Dominum dominantium, illique vt oportet ſeruire.

Quòd ergo Deus Chriſtum filium ſuum non fecit regem mundanum, non ideò fecit, quòd regna huiuſmodi nullo iure ad Chriſtum pertineant, vel quòd mala aut vituperabilia ſint in ſeipſis ; ſed primùm quidem, quòd Filium ſuum miſit, vt mundum perditum atque ab hoſte diabolo occupatum & poſſeſſum,tanquã rex redimeret & ſaluaret. Saluaret inquam mundum , eo modo quo perditus erat. Perditus autem erat mundus non proprie corporaliter, vel iuxta externum modum viuendi (ſic enim & viuebat & florebat atque regnabat) ſed ſpiritualiter, & ſecundùm animam vitamque interiorem mentis & voluntatis. Nempe quia totum genus humanum peccato obnoxium & corruptum erat : ab eo mundum liberare venit Chriſtus. iuxta illud Matth. 1. Vocabis nomen eius Ieſum, id eſt, ſaluatorem : ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Chriſtus igitur rex & ſaluator eam vitæ formam ac rationem amplexus eſt , quæ optima atque aptiſſima viſa eſt diuinæ ſapientiæ , ad ſpirituales humani generis morbos curandos, veramque & perfectam mentis ſanitatem reſtituendam.

Itaque non venit cum humana gloria vel potentia,quæ magna ex parte mundũ perdit ſemper, nec minoris iniquitatis quàm infelicitatis & miſeriæ cauſa eſt, ſed humilis & pauperrimus. clariſſimum ita exemplum præbens humilitatis, patientiæ , abnegationis, & morti-

mortificationis ſuipſius, omniſque deſpicientiæ, tum honorum terrenorum, tum bonorum. His enim rebus ſciebat opus eſſe, tum ad curanda peccatorum vulnera, erroreſque, prauas affectiones, & vitia omnis generis ex animis hominum extrahenda; tum ad veritatem, iuſtitiam, virtuteſque omnes humanis pectoribus inſerendas. Sic rectè orat Eccleſia; vt dignitas conditionis humanæ, per immoderantiam ſauciata, medicinalis parcimoniæ ſtudio reformetur. Contraria enim non curantur niſi contrarijs. Vnde ſicuti arte medicinæ (inquit D. Gregorius) calida frigidis, frigida calidis curantur; ſic cæleſtis medicus contraria oppoſuit medicamenta peccatis. Videlicet humanum genus, ſuperbiâ, auaritiâ, irâ, inuidiâ corruptum & mortuum, humilitate, paupertatis amore, manſuetudine, charitate ſanauit. & quemadmodũ has virtutes verbo omnibus prædicauit & commendauit; ſic, vt prædicatio eius & doctrina vtilis eſſet ac fructuoſa, exemplo vitæ non minus eaſdem exprimere & præmonſtrare voluit. Deinde, quamlibet regna terreſtria omniſque mundana potentia illuſtris & ſplendida eſſe videatur in oculis hominum, qui diuinitus illuminati non ſunt; reuerà tamen longè minora ſunt, quàm vt Christi dignitati conueniant. Nam dicant mihi (obſecro) qui aliud ſentiunt, quale Chriſto regnum dare velint? Num quale Dauid aut Salomon habuerunt? Ita eis videtur fortaſſe. Habuerunt enim reges illi regnum ampliſſimum & florentiſſimum. Ita eſt: ſed quid hoc pro Chriſto magnæ rei eſſet? multò enim maius, opulentius, celebrius, potentius regnum habuerunt Ægyptij, Medi, Aſſyrij, Perſæ, Macedones, Romani, & alij multi. An conuenit autem Dei filium regni magnitudine vinci ab alijs pænè omnibus regibus huius mundi? Præterea, regna huius mundi habent & poſſident æquè boni & mali, pij & impij, amici & hoſtes Dei. Imò ab initio mundi maxima atque ampliſſima regna orbis terrarum habuerunt ſemper ferè homines ac nationes impijſſimæ. Ægyptij videlicet, Babylonij, Perſæ, Romani, vt nunc diximus. An ergo æquum ſit, Deum optimum pariter maximumque, non aliud regnum præparaſſe ante mundi conſtitutionem Chriſto filio vnico, atque heredi ſuo, quàm qualia dedit omni tempore hoſtibus etiam nominis ſui iuratiſſimis?

Poſtremò, ſicut Paulus argumentatur, Chriſtum, eò quòd maneat in æternum, debere ſacerdotium habere ſempiternum; ſic oportet eâdem ratione, non temporarium ſed æternum regnum habere. Atqui omnia regna huius mundi, temporalia ſunt & caduca. nullum ergo huiuſmodi Chriſto Domino conueniebat. Ac proinde verum manet quod ante diximus, Chriſtum non ſumpſiſſe regnum aliquod huius mundi, non quia mala ſunt regna huiuſmodi (quum ſunt ad pacem publicam & iuſtitiam ſeruandam neceſſaria) vel quòd nullo iure ad illum pertineant; ſed, quia pro ſua & Patris ſui dignitate, nimis parua ſunt omnia: illorumque adminiſtratio nimis humilis & abiecta, quàm vt cęleſti ac diuino regi conueniat. Quemadmodum Alexander Magnus (exempli cauſa) præfecturam & adminiſtrationem arcis alicuius vel ciuitatis in regno Macedoniæ reſpuiſſet haud dubiè, ſi quis illi fortè offerre voluiſſet: non quòd mala eſſet illa adminiſtratio, vel quòd nihil in illa iuris aut poteſtatis haberet; ſed quòd huiuſmodi adminiſtrationem viliorem exiſtimaſſet, quàm vt tanti regis tanto filio conueniret. vtpote cui poſteà totum Macedoniæ regnum maximum & florentiſſimum minimè ſatis erat. Heb. 7.

CAPVT XXIX.

Excellentia regni ſpiritalis, quoad veritatis doctrinam & prædicationem, præ regni cuiuſq. terreni maieſtate; tum ex dignitate muneris, tum ex eiuſdem vtilitate.

VNDE admonemur vt cogitemus, quanto dignior & ſublimior ſit adminiſtratio regni cæleſtis & ſpiritalis, quàm terreni alicuius & mundani, etiam ampliſſimi & florentiſſimi. Poſterioris enim regni alicuius adminiſtrationem Dei filius in ſe ſuſcipere noluit: prioris verò non modò internam adminiſtrationem amplexus eſt, quæ longè præcipua eſt, quæ per Spiritum ſanctum in cordibus electorum perficitur; ſed externam etiam, quæ docendi veritatem & prædicandi munere conſtat, eum libentiſſimè in ſe ſuſcepit, tum ſollicitè ac fideliter ad finem vſque executus eſt. Quis vel vno hoc exemplo non videt, quanto verbi Dei miniſterium maiore ſit coram Deo gloria & dignitate, quàm cuiuſuis regni terreni adminiſtratio? quamque longè ſit præſtantius, docere ſeu prædicare

veritatem, quàm regum more imperare? Quòd ſi quis tamen rudior & ſimplicior hæc non ſatis adhuc intelligit, ſed rem deſiderat rationibus etiam aliquot manifeſtam fieri, non erit difficile cauſam optimam & certiſſimam rationibus clariſſimis atque efficaciſſimis explanare.

Dicemus autem primùm de vtriuſque rei dignitate, deinde de vtilitate. Dignitatem muneris docendi licet inde in primis perſpicere, quòd doctrina tradi vel adminiſtrari non poteſt ſine cognitione illorum quæ dicenda ſunt. Qui enim rerum omnium ignarus eſt, nihil docere poteſt. Proinde qui rerum diuinarum doctor ſit aut prædicator, neceſſe eſt, vt illas probe nouerit & perſpectas habeat. At verò, qui dominum vel regem agit, ſuis imperando duntaxat, frequenter omni rerũ bonarũ cognitione deſtituitur, illiuſq; adeò legis etiam, quam præcipit obſeruandam. Sic volo, ait, ſic iubeo. Itaque rem agit, quam quilibet ſtultus agere poſſit. Quanto igitur præſtantius eſt id, quod non omnes, ſed docti & ſapientes tantùm præſtare poſſunt; eo, quod vel ſtultiſſimi atque infimi quique? Item, quanto eſt præſtantior rerum cognitio, quàm ignorantia, tanto excellentius eſt docendi munus, quàm imperandi.

Secundò: Qui docet, vti animum inſtruit, illuminat & excolit, ſic voluntarium reddit, ad illa præſtanda quæ docentur. Qui verò imperat; vt non inſtruit, ita nec voluntarium reddit: ergo cogit ad præſtandũ quæ imperantur. Iam quis non mauult animum ſpontaneum quàm coactum? Quanto ergo melius & præſtantius eſt, homines ad bonum voluntarios reddere, quàm cogere inuitos; tanto melius digniuſque eſt, docere quàm imperare.

Tertiò: Si perpendere velimus dignitatem muneris docendi, ab auctore, vt ſolent qui rerum prærogatiuas æſtimant; etiam hinc videbimus officium docendi veritatem non tam humile eſſe, vt quibuſdam videtur, nec vllo pacto magnates aut principes dedecere. In primis, Chriſtus rerum omnium atque hominum Dominus, qui vno verbo cogere omnes poterat ad quiduis præſtandum, non grauatur docendi munus ſubire. Non dicunt Euangeliſtæ; Circuibat omnes ciuitates, & caſtella, ſeu pagos, imperans & mandans; ſed docens: Matth. 9. Marci 10. dicitur conſuetudinem habuiſſe docendi: Sicut conſueuerat, inquit, docebat eos. Lucæ 19. Erat quotidie docens in templo. Et, ne quis putet hoc proprium fuiſſe Chriſto homini, in veteri Teſtamento frequenter aſſcribitur Deo omnipotenti munus docendi, ceu res præſtantiſſima. Iſaiæ 49. Ego Dominus, docens te vtilia.

Ioan. 7. Vnde & Chriſtus Dominus, vt doctrinæ ſuæ auctoritatem conciliaret, dicebat; Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me, Patris. & aliàs, citat eam ad rem, ſententiam

Ioan. 6. propheticam, dicens; Eſt ſcriptum in prophetis, Erunt omnes docibiles Dei. Denique Spiritus ſanctus non ſolùm rector Eccleſiæ dicitur, ſed etiam, & quidem multo frequentiùs, doctor. Ioan. 14. Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Et pòſt. 16. cap. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Quòd ſi ſumma illa & diuina maieſtas, quæ quoſuis nullo negotio cogere poſſet vel inuitos, mauult tamen docere quæ nos facere vult, quàm imperare; vel hinc ſatis promptum eſt intelligere, vtrum illorum altero dignius ſit & præſtantius.

Iam ſi ad vtilitatem & fructum oculos conuertamus, hîc etiam diſcrimen ſtatim latum & manifeſtum reperiemus. Imperando, mandando, cogendo, nemo ſaluatur. Docendo

1. Cor. 1. verò ſaluantur, qui doctrinæ obſequuntur. Vnde Apoſtolus, Fides ex auditu. & alibi: Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Ieremiæ 3. Comparantur doctores paſtoribus, & doctrina pabulo: Dabo vobis, inquit, paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientiâ & intellectu. Et Ioan. 17. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Atqui iſtud non fit imperando, ſed docendo & prædicando. Rom. 10. Quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? quomodo credent quem non audierunt? quomodo audient ſine prędicante? Et hoc eſt quod Chriſtus ſuos amandans in orbem vniuerſum, quum dixiſſet; Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra, non ſubiecit, Ite igitur cum tali poteſtate, imperate, & mandate omnibus; ſed, Ite, prædicate

Marci. 16. Euangelium omni creaturæ. Qui doctrinæ veſtræ crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Et facit quidem etiam mentionem diuinorum præceptorum; ſed non quæ velit eos tradere hominibus cum imperio: verùm, Docete eos, inquit, ſeruare quæcumque præcepi vobis. De vtilitate doctrinæ Chriſtianæ multa ſcribit Apoſtolus Epheſ. 4.

CAP. XXX.

Collatio adminiſtrationis poteſtatis Eccleſiaſticæ, cum adminiſtratione Magiſtratus ſæcularis.

QVOD ſi nunc conferre inter ſe velimus, adminiſtrationem poteſtatis Eccleſiaſticæ, quæ fit præcipuè per doctrinam veritatis, ſeu prædicationem Euangelij, & poteſtatis ſeu magiſtratus ſæcularis; facilè videbimus, etſi inter ſe in quibuſdam conueniant, tamen quàm multò magis differant à ſe mutuo, quamque hæc poteſtas illâ ſit multò inferior. Primò, vtraque à Deo eſt: ſecundò, vtraque Deo ſeruit, ſi rectè inſtituantur: tertiò, vtraque mortalibus vtilis eſt ac neceſſaria: quartò, non ſunt inter ſe nec naturâ ſuâ nec diuinâ aliquâ inſtitutione contrariæ; ſed magis amicæ & cognatæ. Hæc omnia ſunt veriſſima. Sed interim tamen, quantum intereſt inter cælum & terram, tantum eſt inter duas poteſtates, functiones ſiue adminiſtrationes, diſcriminis. Terreni namque magiſtratus adminiſtratio, terrenæ, corporali, externæ, temporali, caducæ ac citò perituræ paci ſeruit: Spiritualis verò, ac cæleſtis regni adminiſtratio, quæ poſita eſt in doctrina & prædicatione veritatis, cæleſti paci, internæ, perpetuæ. Illa diſpenſat ac largitur bona terrena ac tranſitoria; hæc verò cæleſtia ac ſempiterna. Illa mundanam externamque, hæc verò internam cæleſtemque iuſtitiam conſtituat. Illa mundanos honores & regios quidem ſuis confert, ſed fluxos tamen, inſtabiles, citoque perituros; & vt ad quàm maximam gloriam atque dignitatem exalter, multis tamen modis miſeros, ſemperque mortales eſſe ſinit: hæc autem ad veros, cæleſtes, diuinos honores extollit; filios Dei facit, à morte omnique miſeria liberat, atque in æternum felices ac beatos reddit. Vnde Paulus Apoſtolus de hac ſola adminiſtratione loquens; Non me pudet, inquit, Euangelij: virtus enim Dei eſt, in ſalutem omni credenti. Et ſi cui fortè non diſplicet, vt magnis parua & ſacris profana comparemus, inueniemus huius rei guſtum aliquem verumque iudicium habuiſſe inter gentiles, quotquot meliori & perſpicaciori mente fuerunt præ ceteris præditi. Erant inter illos Reges multi, magni, illuſtres mundanâ gloriâ & potentiâ: erant & Philoſophi, pecuniæ, omnis gloriæ mundanæ & potentiæ contemptores, in magna & voluntaria paupertate ſapientiam docentes, omneſque ad virtutis ſtudium exhortantes. Vtrorum functio dignior erat & præſtantior? Sanè, quantò anima eſt præſtantior corpore, tantò melius & excellentius eſt animam regere, ornare, excolere (quod Philoſophus agit doctrinâ ſapientiæ) quàm corpus, & quæ ad illud pertinent, gubernare, quod Regum eſt. Vnde etiam omnes pænè inſigniores Reges & Principes, aut ipſi quoque Philoſophi erant, ab omni cupiditate mundani ſplendoris alieni, vt Ageſilaus, Epaminondas, Phocion, Ariſtides, &c. aut Philoſophos in ſummo honore habebant, omniaque pænè faciebant illorum conſilio: vt Dionyſius Syracuſanus, Philippus Macedoniæ Rex, Alexander Magnus, &c. Qui Alexander, quum eſſet Corinthi, adijt Diogenem Philoſophum omnium mortalium pauperrimum, in dolio ſuo (quæ domus eius erat) ſedentem; & cum eo multa eſt de rebus varijs collocutus; Diogene interim ne ſemel aſſurgente, vel ſe mouente. A quo digreſſus, indignantibus amicis, quòd Rex tantum honoris habuiſſet cani illi, qui tanto Principi ne aſſurgere quidem dignaretur: Imò, inquit, affirmo vobis; Ni Alexander eſſem, vellem eſſe Diogenes. Adeò demirabatur animum illum Philoſophi liberum, rebuſque humanis omnibus excelſiorem, vt nihil regno ſimilius iudicaret. Præcipua regum felicitas eſt, quòd nulli ſeruiunt; tum, quòd nullius egeant. atqui, hæc ipſa præſtat Philoſophia multo meliùs veriuſque quàm regnum ipſum monarchis. Proinde, idem Diogenes diſputare ſolebat quantum ipſe regem Perſarum vitâ fortunaque ſuperaret. Sibi nihil deeſſe, illi nihil ſatis vnquam fore: ſe eius voluptates non deſiderare, quibus numquam ille ſatiari poſſet; ſuas eum conſequi nullo modo poſſe: teſte Cicerone lib. 5. Tuſc. quæſtionum.

Rom. 1.

CAPVT XXXI.

Præcellentia regni Chriſti, præ omnibus regnis mundi.

REGNVM CHRISTI REGNIS MVNDI PRÆCELLIT.

COLLIGAMVS nunc parumper quæ diximus: & quanta ſit quamq́ue multiplex dignitas & excellentia regni Chriſti præ mundanis regnis omnibus, mutuâ factâ velut oculari comparatione, videamus.

I. DVRATIONE.

Præcellit immenſis partibus Chriſti regnum cunctis mundi regnis, primùm duratione, vt antè frequenter admonuimus. Stetit enim Chriſti regnum ab ortu ſuo, vel à natiuitate Chriſti regis, annis ampliùs mille ſexcentis, & ſtabit vſque ad finem mundi: imò vltrà etiam. Eſt enim veriſſimum, quod ex ore Dei Gabriel Angelus dixit Mariæ, regis huius genetrici; Dabit illi Deus ſedem Dauid patris ſui: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Omnium totius orbis regnorum ſeu monarchiarum diutiſſime ſtetit regnum Aſſyriorum: quod tamen mille quadringentos annos non expleuit.

Luca 1.

II. AMPLITVDINE.

Secundò, ditionis ac dominationis amplitudine. Omnes enim orbis terrarum regiones ac nationes complexum eſt: totam Aſiam primùm, deinde Africam, & Europam: & nũc in nouo orbe, Orientem & Occidentem verſus, regnis longè ampliſſimis, & quæ cum reliquo pene toto mundo magnitudine certare valeant, quæque veteres omnes ne auditione quidem vnquam acceperunt, latiſſimè & florentiſſimè viget. Quare optimè & veriſſime Leo Magnus Pontifex Serm. 1. in Natali ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Romanam vrbem alloquens; Iſti ſunt, inquit, qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens ſancta, populus electus, ciuitas ſacerdotalis & regia, per ſacram beati Petri ſedem caput orbis effecta, latiùs præſideres religione diuina, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victorijs ius imperij tui terra marique protuleris, minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubiecit.

III. POTENTIA.

Tertiò, vi, potentia, efficacitate imperij. Aliorum regnorum ſeu regum potentia ad illa ſe dumtaxat extendit quę extra hominem ſunt, vel ad ipſa hominum corpora. At regnum Chriſti ad corda vſque hominum, & ad intimos animorum receſſus penetrat, animiſq́ue & mentibus præcipuè dominatur. Qua de re Apoſtolus 2. Corinth. 10. Arma, inquit, militiæ noſtræ, non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum: conſilia deſtruentes & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Nec illâ ſolùm in re oſtenditur vis & potentia regni Chriſti, quòd animis hominum imperet, in ijſq́ue mirabiliter operetur; ſed quòd longè aliter in poteſtate habeat omnes etiam externas mundi creaturas, quàm reges quicumque huius mundi. Imperat enim Chriſti regnum ſeu rectores & adminiſtratores eius (quando id regni ratio & honor Chriſti regis poſtulat) terræ & mari, montibus & fluminibus, ventis & nubibus, ſoli & lunæ, beſtijs terræ, auibus cæli, piſcibus maris. quin & malis ſpiritibus ac dæmonibus etiam inuiſibilibus, qui omnia, quæ in mundo ſunt, naturæ potentiâ ſuperant. Eant nunc ſummi reges terræ, Iulius etiam & Auguſtus Cæſares; ſuamq́ue potentiam cum hac regni Chriſti audeant vlla ratione conferre.

IV. VTILITATE.

Quartò, vtilitatis ſeu fructus præſtantiâ & magnitudine. Quibus enim Chriſtus dominatur, eos, peccati ac diaboli iugo excuſſo, verè liberos facit, vt antè oſtendimus, in explicatione Scripturę illius; Veritas liberabit vos. Denique efficit filios Dei; & per cõſequens heredes veros regni cæleſtis ac vitæ æternæ. Reges huius terræ diuites facere poſſunt, quibus fauent; iuſtos autem & bonos non poſſunt: ad mundanos & citò perituros honores euehere; ad cæleſtes ſemperq́ue duraturos, minimè. At Chriſtus rex benedictus, quid? Quotquot (inquit ille) receperunt eum; dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Quis explicet vllis verbis, quis mentis vlla cogitatione aſſequatur, quid illud ſit?

Ioan. 1.

V. LEGVM EXCELLENTIA.

Quintò, legum atque inſtitutorum excellentiâ. Si enim Dauid rex legis Moſaicæ præſtantiam tot tamq́ue egregijs verbis extollit atque amplificat, dicens; Lex Domini immaculata, conuertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Iudicia Dñi vera, iuſtificata in ſemetipſa, dulciora ſuper mel & fauum, deſiderabilia ſuper aurum & lapidẽ pretioſum, &c. Quanta hæc omnia, & longè etiã maiora de lege Chriſti

Pſal. 18.

dici

dici poſſunt? Nam, vt Apoſtolus ait, nec glorificatum eſt quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. hoc eſt, tantum eſt diſcriminis inter Moyſi legem & Chriſti, vt illa quæ per ſe illuſtris & magnifica fuit, nihil omnino dignitatis habere videatur, ac veluti obſcuretur penitus eminenti gloria legis Euangelicæ. Rationes autem huius rei illic tradit Apoſtolus. Sapientiores Philoſophi, conſentientibus eruditis & prudentibus cunctis omnium temporum ac nationum, genus gubernationis optimum eſſe dixerunt monarchiam, vt videlicet vnius regni vnus tantùm ſupremus Princeps ſit, ceu caput vnum totius corporis; ſi præcipuè Princeps haberi queat iuſtus & ſapiens. Huius regni ſpiritualis Rex vnus eſt, Chriſtus Dominus noſter, qui ſolus è cælo præſidet toti regno ſuo, regitque & ſeruat per Spiritum ſanctum ſuum omnes & ſingulos in ſe credentes, ciues regni ſui. De cuius probitate & ſapientia, quæ laudem omnem & cogitationem excedit, mox aliquanto plura dicemus. 2. Cor. 3.

Sextò, modo & ratione, qua regnum hoc partum, acquiſitum, conſtitutum & ſtabilitum eſt. Non enim comparatum eſt, defenſum, & confirmatum, inſtar regnorum ferè omnium mundanorum, bellicâ potentiâ, terrore armorum, concuſſione, prædatione, cædibus ac ſtragibus hominum, ſed ratione prorſus contrariâ; amore, ſtudio, cultuque paupertatis; humilitate, patientiâ; iniuriæ omnis, perſecutionis, oppreſſionis voluntariâ tolerantiâ; honorum omnium & bonorum mundanorum contemptu; naturæ corruptæ & carnis prauis concupiſcentijs perdomandis, mortiſque adeò ipſius pro veritate & iuſtitiâ appetitione ſpontaneâ. His modis primùm Chriſtus ipſe Rex & Monarcha, deinde omnes eius ſectatores, regnum ſpirituale erexerunt, & conſtituerunt ab initio; poſteà verò, toto orbe terrarum amplificarunt, ac demum in hæc vſque tempora feliciter conſeruarunt. VI. ACQVISITIONIS REGNI RATIONA.

Septimò, fine; qui in omni re plurimum habet momenti, & præcipuam conſiderationem meretur. In omnibus regnis terrenis finis magis ad conſeruationem, vtilitatem, & honorem regis ipſius ſpectat, quàm ſubditorum. Deinde pax omnis & felicitas, tum regis ipſius, tum ſubditorum (ad quæ retinenda, omnes regni vires & leges pertinent) externa omnia, humana ſunt ac temporalia. At verò in Chriſti regno, non tam ad regis ipſius conſeruationem & vtilitatem, qui nullis adiumentis opus habet, nec quidquam poteſt à quoquam vtilitatis accipere; quàm ad ſubditorum eius & ciuium regni vtilitatem, ſalutem, & felicitatem perfectam atque æternam, omnia ordinantur. VII. FINE.

Octaua & præcipua regni huius præeminentia & ſumma dignitas ſita eſt in excellentia incomparabili & præſtantia regis, qui huic præeſt regno. Qui de rebus principi neceſſarijs ad rectè & feliciter gubernandum præcipiunt, tres potiſſimùm in rege requirunt & commendant; ſapientiam, potentiam, & iuſtitiam. Quibus in rebus velle alios huius mundi quoſuis principes cũ Chriſto rege conferre, nihil aliud ſit, imò longè minus, quàm guttam aquæ cum toto mari & fluminibus omnibus comparare; vel tenuis lucem candelæ, cum admirabili fulgore & claritate ſolis. Iſaias Propheta, vbi natiuitatem huius regis regnumque eius ex parte deſcribit, ſex regis Chriſti proprietates explicat omni laude ſuperiores ac maiores. Paruulus (inquit) natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius, admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & regni non erit finis. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius, ſedebit; vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iuſtitia; amodò & vſque in ſempiternum. Quum dicit vocabitur nomen eius, Admirabilis; reſpicit ad claritatem nominis & famæ, quæ in ore omniũ cum admiratione & laude verſatur. Hoc multum facit ad auctoritatem, dignitatem, & maieſtatem regis. Quemadmodum de Salomone rege dicitur, quòd omnes reges terræ deſiderabant videre faciem eius, & munera illi offerre. Atqui hoc tantùm figura quędam obſcura erat claritatis admirandæ nominis Chriſti, quam habiturus erat toto orbe terrarum. De qua illud etiã Lucę Euangeliſtæ dicitur: Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur. VIII. EXCELLENTIA REGIS IPSIVS. Iſa. 9. CHRISTVS, REX. I. ADMIRABILIS. Luca 1.

Dicit ſecundò, Conſiliarius: quo nomine denotat prudentiam eius & ſapientiam. & ſignificat, vſque adeò non egere cuiuſquam conſilio ad quiduis prouidendum vel perficiendum, vt ipſe potiùs alijs cunctis conſiliarius eſſe poſſit ac debeat. Notum eſt autem illud Salomonis regis, conſilio & prudentia ſtabiliri præcipuè ac nobilitari thronum regis, regnumque vniuerſum. II. CONSILIARIVS.

Poſteà mentionem facit potentiæ regis quæ ex ſapientia ferè & prudentia ſequitur; quemadmodum ſumma frequenter potentia per ſtultitiam & imprudentiam ſubuertitur. III. FORTIS.

tur. Vocabitur (ait) Fortis. Nimirùm fortis & potens eſt Chriſtus rex, ad debellandos omnes hoſtes ſuos,& ſubditorũ ſuorum: non externos tantùm & viſibiles,ſed inuiſibiles quoque & inſernales, qui maximè omnium noxij ſunt & terribiles. Vult autem aliquis ſcire quàm fortis & potens ſit Rex noſter Chriſtus? Tam potens quàm Deus: vtpote

IV. DEVS. qui ipſe quoque Deus verus ſit. Vocabitur (inquit) Deus. Ex quo etiam conſequitur, nequaquam metuendum eſſe, ne regnum hoc ſpirituale vel monarchia vnquam deficiat: nempe cuius conditor, rector, & conſeruator eſt Deus. Si deficere poteſt vel quidquam deeſſe potentiæ Dei; poterit & regnum Chriſti deficere.

V PATER FVTVRI SAECVLI. Quintum regis Chriſti inſigne eſt, quòd Patrem eum nominat futuri ſæculi. Cetera omnia regna, cum mundo ſaltem ipſo deficiente, deficiunt; vt durent quàm longiſſimè. Quamquam nulla huius mundi diu durant, vt antè diximus,& omnibus notum eſt;omniaq́; maxima regna ante mundi conſummationem diu finem accipient: Chriſti autem regnum poſtquam in hoc mundo ſemel incepit, perſtat ac proficit ſemper, duratq́ue, & durabit poſt finem mundi huius, in ſæcula ſæculorum. Imò tunc demum, quando mundus iſte inſelix finem acceperit, gloriâ & ſelicitate omni maximâ florere incipiet. Tunc demum benè erit ciuibus omnibus regni eius: ita benè, vt modis omnibus nihil melius optare queant.

Quod autem non dicit, Rex vel Dominus futuri ſæculi, ſed Pater; ſignificat, regnum hoc non conſtare faſtu regio, vel ſæuitiâ tyrannicâ, quâ reges alij omnia pænè faciunt pro imperio ſuo: Sic volo, ſic iubeo; ſit pro ratione voluntas: ſed paterna benignitate & clementia, ſuauitate & charitate. & ita Chriſtum poteſtate regem eſſe omnium, vt ſingulari tamen curâ, amore, ac benignitate, ſingulis pater ſit.

VI. PRINCEPS PACIS. Addit vltimò Propheta, Chriſtum futurum Principem pacis, ſeu pacificum: qualis nimirum fuit Salomon, qui multis in rebus Chriſti regis typum geſſit. Eſt autem pax, ſelicitas regnorum maxima & præcipua: & tamquam finis vltimus, ad quem regna tendunt omnia, vt paulò ante diximus. Quo tamen nomine Propheta ſignificare voluit, regni Chriſti non modò ſummam felicitatem, & copiam bonorum omnium, quam parit pax; ſed perfectam quoque iuſtitiam,quæ vna etiam eſt ex præcipuis regum ornamentis: quæq́ue pacis verè tum origo eſt, tum certum etiam retinaculum & firmamentum. Quemadmodum è diuerſo, vbi iuſtitia non eſt; ibi pax exulet,omniſq́ue iniquitas, audacia, furor diſcordia regnet, oportet. At in regnis terrenis,pax tantùm humana, ciuilis,externa, quemadmodum & iuſtitia quæritur. Chriſtus verò,ſicut veram mentis internamq́ue iuſtitiam attulit, deſtructo peccato; ſic veram quoque æternamq́ue, deuicto mundo & Sathana, Deoq́ue placato, pacem contulit.

CAPVT XXXII.

De Pilati interrogatione; QVID EST VERITAS? *& cauſis non acceptæ reſponſionis.*

DICIT EI PILATVS: QVID EST VERITAS? ET, QVVM HOC DIXISSET, ITERVM EXIVIT AD IVDÆOS.

Non diſplicuit Pilato veritatis verbum, quod & improbus amat. Hoc enim habet veritas dignitatis inter ceteras virtutes præcipuum, vt eam ſuus æmulus diligat, atque laudibus efferat. Omnis quippe qui male agit, amicus eſt veritati: etſi fallere vult, non falli mauult. Iniquus etiam dominus veritatem in ſeruo ſuo requirit. Fallax homo, filiú, vxorem, familiá vniuerſam, quærit habere veracem. Clamant omnia expreſſis & tacitis vocibus veritatem: hanc Pilatus etiam, vt primùm nominari audiuit, magni fecit: & ad ipſam amore conuerſus, illectuſq́ue dulcedine vocis eius, quid ipſa ſit, Chriſtum interrogat, dicens; Quid eſt veritas? Neque vnquam Pilatus talem audierat oratorem, aut diſſertorem omnium dicendorum. Et fortè per modicum tangebatur cor eius à libratâ probatione verborum eius. quocircà, interrogat, quid ſit veritas. Hæc Caſſianus. Et certè videtur hinc ſatis conſtare, ingenium Pilati non malè compoſitum fuiſſe ad percipiendam doctrinam veritatis, niſi alijs quibuſdam acceſſorijs remoris impeditum fuiſſet. Quum ex Domino quæſiſſet num rex eſſet Iudæorum, quia hoſtes eius Iudæi eum affectati regni accuſabant; reſpondit Dominus: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Tum intulit

Pilatus, ſiue interrogando, ſiue aſſeuerando, Ergo rex es tu. quaſi dicere voluiſſet: Ergo ſaltem confiteris te regem eſſe, dicendo regnum tuum non eſſe de hoc mundo, vel tale regnum quale eſt hoc regnum Iudaicum, quod Iudæi te dicunt affectare. Quiſquis enim affirmat ſe regnum habere, rex eſt. Qualis igitur rex es tu? vel quale regnum habes, ſi regnum tuum non eſt de hoc mundo? Ad hoc Dominus: Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati: omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam, & me regem ſuum agnoſcit. Ad hoc Chriſti reſponſum intelligendum, requirebatur vtique, vt ſciret de qua vel quali veritate loqueretur. hoc eſt, quid vocaret veritatem, cui teſtimonium ferret, & per quam regnaret, quando multa ſunt genera veritatis. Ideò confeſtim interrogat, recto ordine; Quid eſt veritas? Huiuſmodi ingenia non ſunt inepta ad cognoſcendam veritatis doctrinam; niſi alijs impedimentis vitioſarum affectionum aliò ſæpè traherentur.

Sed quid cauſæ igitur fuit, quòd Pilatus ad veritatis cognitionem non peruenit? Non dubium eſt ſi in ſua quæſtione perſtitiſſet, & reſponſum à Domino expectaſſet, quin Chriſtus illi benignè reſpondiſſet, quid ſit veritas, de qua loquebatur; pleneque illum de tota re inſtruxiſſet. At ſimulatque Domino quæſtionem de veritate propoſuit, non expectato reſponſo, totoque diſſerendi abrupto propoſito, foras abijt ad Iudæos accuſatores Chriſti, & dixit eis; Ego nullam in hoc homine cauſam inuenio, &c.

Quibus ergo occultis vel manifeſtis demeritis, nobis tamen ignotis, inquit Caſſianus, aut qua Dei prouidentia nó meruerit de veritate certum à Chriſto expectare reſponſum, quodammodò ignoramus. Quamuis ex geſtis aut piè præſumptis ſubortas cauſas meritò perpendamus. Quum enim hoſtes Chriſti ante ædes Pilati foris ſtarent, multis magniſque clamoribus ad mortem eum poſtulátes, & Pilati cum Chriſto priuatum colloquium probabiliter ſuſpectum habere inciperent, timétes ne eum ſermonibus ſuis falleret, quum homo præcipuè gentilis & parum doctus eſſet; quemadmodum ipſiſmet ſilentium frequenter ſuis reſponſionibus & quæſtionibus impoſuerat; hæc ſecum perpendens Pilatus, & de Chriſto liberando valdè ſollicitus, dum mentem ſuam & cogitationem ad omnia verteret, videtur illi ſubitò via quædam liberandi Chriſti percommoda incidiſſe, de conſuetudine Iudæorum donandi illis reum aliquem ſeu maleficum in feſto Paſchæ quemcumque vellent. Vt primùm igitur hoc illi occurrit, velut optimo inuento conſilio, omnem cum Domino ſermonem ac diſputationem abrumpens, moræque impatiens, non expectato Chriſti reſponſo ad propoſitam quæſtionem, eduxit eum ſecum foras ad Iudæos, dicens: Ego nullam inuenio in eo cauſam. Eſt autem conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha. Vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum? Quod fecit Pilatus, non quidem odio veritatis, quam ſcire cupiebat, aufugiens; ſed meditatus compendium, vt abſolueretur innocens, iniuſtè ſibi traditus iudicandus.

Hæc eſt certè aperta ſententia Auguſtini: Credo, inquit, cùm dixiſſet Pilatus, Quid eſt veritas? in mentem illi veniſſe continuò conſuetudinem Iudæorum, qua ſolebat eis dimitti vnus in Paſcha. Et ideò non expectauit vt reſponderet ei Ieſus quid eſſet veritas, ne mora fieret, cùm recoluiſſet morem quo poſſet eis per Paſcha dimitti; quod eum valdè voluiſſe manifeſtum eſt. Sic ferè etiam Chryſoſt. Eutymius & Theophilactus. Quia, inquiunt, tempore indigebat proprio ac longiore quæſtio hæc de veritate, & vrgebat vt eriperet Ieſum à morte Iudæorum, idcircò egreditur ad eos, & dicit, &c.

Alij dicunt indignum fuiſſe qui veritatem cognoſceret: quod verum eſt profectò; quia ſciens & prudens veritatem quam ſciebat declinans, à falſitate & mendacio ſe vinci permiſit. Et quamuis à veritate iudicium ſuum aliquo modo inchoauit, tamen in veritate non ſtetit, & manifeſtè iudicium ſuum in peruerſitate finiuit. Iuxta horum opinionem ita ſe Dominus hîc habuiſſet, quemadmodum de Biante philoſopho legitur, quòd interrogatus ab impio quodam, quid eſſet Pietas, nihil reſponderit. Rogatus deinde cur ſileret; Quoniam, inquit, de re quæris nihil ad te pertinente.

Alij ſentiunt, quòd quum Pilatus homo eſſet leuis & mundanus, cordis leuitate à propoſita de veritate quæſtione citò receſſit. Vt ferè ſolent mundi principes, quum de re ſeria agitur & quæ ipſis cordi non eſt, quamque ad ſe pertinere non exiſtimant, huiuſmodi ſermones præſcindere, & ad alia tranſire, quæ magis reſpondent illorum affectionibus. Sic Pilatus, quum non intelligeret quæ à Domino de veritate dicebantur, & facilè exiſtimare potuit neſcio quæ ænigmata eſſe de regno veritatis, quæ ad ſuam cognitionem non pertinerent, vbi leuiter interrogaſſet; Quid eſt veritas? hoc eſt, vt ænigma ſuum Ieſus diſſolue-

ſolueret: tamquam pœniteret eum quæſtionis, ſubitò abijt, ad illa magis intentus quæ facere videbantur ad placandos Iudæos.

Gerſon: Contemplemur Pilati modum. Interrogabat quidem quid eſſet veritas, ſed non expectabat reſponſum. Tales ſunt complures qui volunt acquirere ſcientiam aut deuotionem, ſed non perſeuerant: curam ſcilicet, laborem, ac diligentiam debitam adhibendo. ideò tam pauci ad veram perfectionem deueniunt. Quibuſdam videtur Pilatus ex mera animi curioſitate quæſiuiſſe quid eſſet veritas. vt ſolent interdum profani homines cupide appetere ignotæ rei ſcientiam; interea neſcientes cur hoc velint; illis enim tantùm propoſitum eſt, aures ſuas paſcere: quomodo Herodes pòſt interrogauit Dominum multis ſermonibus; ad quos etiam iure nullum reſponſum accepit.

Alij putant Pilatum velut irriſorie interrogaſſe, & tamquam faſtidientis fuiſſe vocem; Quid eſt veritas. quaſi putauerit, ſibi, adeoque toti mundo non paruam iniuriam fieri, quòd eum Chriſtus videretur omni veritatis notitia ſpoliare; ac veritatem iam primùm in lucem proferre, quæ hactenus in tenebris ſepulta latuerit. quáſi dicere voluiſſet; Quænam eſt iſta veritas quam ſic collaudas, & cuius te auctorem prædicas? aliamne vel meliorem nobis affers veritatem, quàm vel nos Romani tenemus, vel Iudæorum ſacerdotes docent? proinde, Chriſto ſubiratum, mox egreſſum fuiſſe. Atque hic eſt communis morbus humani generis. quamuis enim omnes conſcij nobis ſimus ignorantiæ, tamen id perpauci fateri volunt: hinc fit vt veritatis doctrinam maior pars reſpuat. Ex eodem ſuperbiæ vitio naſcitur faſtidium illud, quod ſe homines ad diſcendum ſubmittere non dignantur, quia ſibi ingenium & perſpicaciam attribuunt, qua cuncta per ſe intelligant. Res videtur ſcitu & creditu facilis eſſe veritas. Deus autem contrà teſtatur, captu humanæ mentis longe eſſe altiorem. Idem in alijs quoque multis rebus accidit vt quotidie experimur. Diuus certe Cyrillus in illa etiam ſententia eſt, vt Pilatum exiſtimet non ſeriò vel diſcendi amore interrogaſſe quid eſſet veritas: ſed ex commotione quadam & indignatione mentis. tamquam ſi dixiſſet; Quid ſibi vult hæc de veritate, neſcio qua, diſputatio tua? Quin reſpondes potiùs ad illa quæ ad rem faciunt, vt ſatisfacias accuſatoribus tuis? Inſtant & vrgent hoſtes tui vt mortis ſententia condemneris; & tu nobis incipis concionari aut philoſophari de veritate quadam noua, totique mũdo hactenus ignota. Quid nobis cum huiuſmodi diſputatione, tam aliena & importuna?

Alij quæſtionem hanc Pilati de veritate paulò adhuc aliter explicant: ita tamen vt non ſeriò ſed ironicè etiam & contemptim interrogauerit, Quid eſt veritas? Siue enim Pilatus veritatis nomine intellexerit ciuilem vel moralem veritatem, ſeu veritatem religionis, videri Chriſtum cum veritate ſua valde irridere voluiſſe; vt ſit quæſtionis ſententia: Quid audio? Túne ob hoc tantum veniſti in mundum vt profitearis & doceas veritatem? Næ, tu miſerrimus eris mortalium omnium cum veritate tua. Prædica, lauda, promoue, tuere veritatem quantum voles. equidem auſim affirmare vt plurimùm tibi eſuriendum, algendum, fugiendum fore de loco in locum, multumq́ue miſeriæ & ignominiæ ferendum, denique pereundum etiam tandem, cum veritate tua. Quid enim obſecro eſt veritas? idq́ue tam in rebus ciuilibus & communi vita hominum, quàm in religionis negotio? quam habet vel æſtimationem, vel vtilitatem inter homines? Video illis qui veritatem colunt, nihil felicitatis contingere, imò veriùs omnium eſſe infeliciſſimos. In aulis principum, qui vera dicunt, & vera dicentes libenter audiunt, tum rari ſunt admodum, tum extremo laborant odio omnium. ad nullum illi quæſtũ vel dignitatem perueniunt. Si veritas locum aliquem haberet, nec hîc inter Iudæos Caiphas principatum ſuum ſummumq́ue ſacerdotium haberet, quod ſatis conſtat, dolis & largitione, nulla habita ratione veritatis, aſſecutum eſſe. nec Romæ Tiberius Cæſar haberet tam latum imperium: cùm non ſit obſcurum, quibus artibus effectum ſit, vt deſignaretur Imperator. Imò, ne ego quidem ipſe fortaſſis hanc Iudææ præfecturam haberem, ſi omnia ſecundùm veritatem exacta fuiſſent. Quid autem dicam de priuatis hominibus? Qui veritatem ſectantur, omni inopia ac neceſſitate premuntur; adeò vt ſæpenumerò fame pereant. Opifex niſi audacter mentiatur, animâ ſuâ & veritate poſt fornacem poſitâ (vt loquuntur) nihil lucri faciet. Mercator ni dolis & fraudibus & impoſturis varijs merces ſuas venales extrudat, numquam diteſcet. Breuiter, veritas vbique iacet: falſum verò & mendacium regnant, & promouent omnia. Quòd ſi fortè loqueris de veritate religionis, illiq́ue vis teſtimonium perhibere, certè omnium es ſtultiſſimus, qui propter religionẽ, rem omnium vaniſſimam, te tantis vitæ tuæ periculis obijcias & exponas. Quid enim quæſo eſt veritas religio-

religionis? Vide enim mihi quot ſint religiones toto orbe terrarum. Et quis nouit, quæ
omnium ſit veriſſima? vel etiam an vna tantùm vſpiam ſit religio, an plures, an verò
etiam omnes fortè bonæ & veræ ſint? Iudæi omnes alias totius mundi religiones dam-
nant: ſibi autem ſolis religionis veritatem tribuunt. Contrà, ceteræ nationes non minùs
Iudæorum religionem improbant & rident omnes: ſuam autem vnaquæque retinet ac
tuetur. Alij Iouem colunt, alij Mercurium, Herculem: alij Venerem, Iunonem, Mi-
neruam. Ægyptij etiam beſtias pro dijs venerantur: alij Solem & Lunam, in quibus tamen
nihil vitæ eſſe videtur. Quin & inter Iudæos tuos magna quoque videtur religionis eſſe
diuerſitas. Aliam enim videmus religionem docere & ſeruare Phariſæos, aliam Saducæos,
aliam Eſſenos, & neſcio quos fortè præterea. Tanta vbique locorum religionis incertitudo
ac diuerſitas: adeò vt multis videatur religio omnis ab otioſis & callidis hominibus in
hoc tantùm excogitata & conficta, vt vulgus timore quodam ſuperſtitionis huiuſmodi,
ac deorum opinione, meliùs in officio contineatur. Quare, iudico illum inſanire, qui ſeſe
veritatis nomine vel amore exponat periculis vitæ ſuæ. Is potiùs ſapere mihi videtur qui
vitam omnem & actiones ſuas componit ad mores huius ſæculi hominumq́ue quibuſ-
cum verſatur. Et, ſi quidem veritati vſquam locus ſit, ſectetur veritatem: ſin minùs, relicta
veritate, mendacium honeſtatis ſaltem ſpecie obductum amplectatur. & in religionis
negotio id ſentiat & faciat quod in præſentia tutum eſt, vel quod maiores eius ſenſerunt,
vel deniq; quod ſequitur & præcipit magiſtratus. Hoc illud eſſe quibuſdam videtur quod
Pilatus ait, QVID EST VERITAS? Nempe vt in Pilato imaginem habeamus multorum
impiorum hominum: qui etſi honeſtatem, & veritatem, & religionem probent, tamen
non vlteriùs probant, niſi quatenus vtilis eſt, & facit ad pacem & felicitatem huius ſæ-
culi: interim verò mores hominum quibuſcum viuitur ſectandos eſſe. Cumque impo-
ſturæ & mendacia ferè ſint felicia, putant prudentiæ genus eſſe, ad veritatem & iuſtitiam
diſſimulare audacter, donec ditescas aut rem facias, vel te extrices è malo aliquo in quod
fortè cecidiſti: fatuos autem mentiſq; impotes cenſent, qui vel cauſa veritatis, aut inte-
gritatis, aut religionis etiam (quam putant meras eſſe nugas) periculis ſe obijciunt. Hi
communiter vocantur Epicurei, vel Athei; & hodie, corrupto licet nomine, Politici.

At nos Chriſtiani, ab his exemplis vel opinionibus debemus abeſſe quàm longiſſimè.
Primùm enim, felicitatem quærere debemus non huius vitæ ſed futuræ: & vtcumque
nobiſcum agatur in hoc ſæculo, efficere & curare, ne felicitatem vitæ futuræ, quæ vera
demum felicitas eſt, amittamus. denique parui facere omnem miſeriam & infelicitatem
huius vitæ, modò futuræ vitæ infelicitatem perpetuam euadamus.

Ad felicitatem autem futuram atque æternam haud peruenitur per fraudes, impoſtu-
ras, mendacia; ſed per cultum veritatis & iuſtitiæ: nec per quamuis religionem, ſed per
illam dumtaxat vnam, quam Chriſtus docuit atque inſtituit. Deinde meminiſſe debe-
mus mendacia & impoſturas in hac etiam mortali vita non ſemper felicitatem parere, au-
gere, ſeruare; ſed frequenter multum infelicitatis adducere. Falſa & execrabilis eſt ſenten-
tia illa impiorum apud Iſaiam Prophetam: Flagellum inundans quum tranſierit non ve- *Iſaia 28.*
niet ſuper nos: quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus.
Quin potiùs, vt Propheta ſubijcit: Subuertet grando ſpem mendacij, & flagellum inun-
dans cùm tranſierit, eritis in conculcationem. Et alibi ait Deus auctor veritatis, & veritas
ipſa: Si non audieris verbum Domini, maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, ma-
ledictus in omnibus operibus manuum tuarum. Qui autem ſectatur mendacia, fraudes,
impoſturas; non audit verbum Domini, quod hæc omnia ſeuerè prohibet.

Quòd verò ad religionis veritatem attinet, etſi illam Pilatus omneſq́ue impij Epicurei
derideant, nobis tamen in omni vita noſtra nihil prius, nihil debet eſſe poſterius, quàm vt
vnam illam veram religionem ſciamus & obſeruemus quam docuit & tradidit Chriſtus.
Quæ in quo cõſiſtat, & quid præcipiat, norunt Chriſtiani. Hæc eſt illa quæ verè demum,
teſte Paulo Apoſtolo, ad omnia valet, promiſſionẽ habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.

Sed dicat aliquis: Si Pilatus in quæſtione ſua perſtitiſſet, reſponſumq́ue à Chriſto ex-
pectaſſet, quid illi fuiſſet Dominus reſponſurus? ſeu quonam modo veritatem definiuiſ-
ſet? Bona quæſtio: ſed quis aliquid ad illam audeat reſpondere? Quis enim cognouit ſen- *Rom. 11.*
ſum Domini, inquit Paulus, aut quis conſiliarius eius fuit? Si nemo hominum ſcit quæ
ſunt hominis, inquit idem alibi, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt; quanto minùs nouit
aliquis ſpiritum, cogitationes intimas, arcana mentis, conſilia vel decreta cordis Chriſti,
quid dicturus erat aut facturus, niſi ſpiritus eius?

CAPVT

CAPVT XXXIII.

Quidnam Dominus Pilato reſpondere potuiſſet, quærenti; QVID EST VERITAS?

SI quæreretur quidnam ad propoſitam quæſtionem Dominus reſpondere potuiſſet, hoc nonnihil aliud eſt; nec admodum videtur difficile ad illam quæſtionem aliquid aptè dicere. Potuiſſet enim vtique Chriſtus varijs modis Pilato ad quæſtionem propoſitam reſpondere. Et ſi prior quæſtio, quid nimirum fuiſſet reſponſurus Pilato, intelligatur non ſtrictè & præcisè de verbis proprijs quę dicturus erat ſi reſpondiſſet, ſed de eo quod probabile eſt, reſponſurum fuiſſe, ſic propoſita quæſtio, nec aliena eſt, nec inepta. Licet enim ſane probabiliter conijcere, & ſi non certò ſcire, quid Dominus Pilato reſponſurus fuiſſet, ſi ſerio diſcendi ſtudio, bona intentione, amore ſalutis proprię & cognoſcendę veritatis interrogaſſet Pilatus, Quid eſt veritas? Quoniam enim Chriſtus in ſua præcedente reſponſione, dicens; Ego in hoc natus ſum vt teſtimonium perhibeam veritati; loquebatur propriè de veritate religionis, vt antè oſtendimus, quæ videlicet cognita, amata, & culta, perducit ad vitam æternam: non eſt improbabile interroganti Pilato, Quid eſt veritas, reſponſurum fuiſſe, Ego ſum veritas. hoc eſt, Ego ille ſum, qui cognitus vt oportet, perduco, ſeu cuius vera cognitio perducit ad felicitatem & vitam æternam. Ego ſum, cuius vnius doctrina ipſiſſimam veritatem tradit, quæ credita & recepta, vitam largitur & ſalutem æternam.

Quærere quid ſit veritas, cuius cognitio beatum facit, & quæ ſit via quæ ad Deum & regnum eius cæleſte perducit, eadem prorſus ſunt. Quum autem hoc poſterius in vltima cœna Thomas quæreret, dicens; Domine neſcimus quò vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire, reſpondebat Chriſtus, Ego ſum via, veritas, & vita. Et aliàs frequenter legimus Dominum in eumdem ſenſum locutum fuiſſe de ſeipſo, quum de ratione agitur, ad vitam, ad immortalitatem, ad beatitudinem & felicitatem perueniendi. Iudæis dicebat; Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris. nempè loco eius quod diceret; Per mei cognitionem, per fidem in me, per doctrinam meam peruenitur ad
Ioan. 10. veram & perfectam lucem: lucem animæ, lucem immortalitatis, &c. Aliàs: Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur. Hoc idem planè eſt cum eo quod Thomæ
Ioan. 11. dicebat: Ego ſum via; nemo venit ad Patrem niſi per me. Sic Marthæ dicebat: Ego ſum reſurrectio & vita; qui credit in me, non morietur in æternũ. Ita hîc planè quum interrogaret Pilatus, QVID EST VERITAS? ſi bona mente rectaque intentione interrogaſſet, & reſponſum expectaſſet, veriſimile eſt à Chriſto auditurum fuiſſe; EGO SVM VERITAS. Qui me diſcit, in me credit, me cognoſcit; numquam errabit, nec fruſtrabitur conſecutione vltimi finis, & ſummi boni humanæ naturæ. Et veriſſimè profectò ad eum modum reſpondiſſet Chriſtus. Nec dubium eſt, ſi Pilatus ſe præbuiſſet docilem, quin multò etiam plura diſſeruiſſet Dominus de natura, vtilitate, ac dignitate veritatis. Sed reuerà non valdè laborabat Pilatus, multa de veritate audire. non erat ex illis de quibus dicebat Dominus; Omnis qui eſt ex veritate, audit vocẽ meam. Erat homo non ſolum ethnicus, ac proinde à cognitione Dei veri naturâ & ſtudio alienus, ſed multis etiam aliis vitioſis affectionibus, fauoris, odij, metus humani, ambitionis, auaritiæ, & ſimilibus obnoxius, vt omnes Scriptores teſtificantur, & ſatis etiam ſacrę Scripturæ. Quamquam ex iiſdem quoque Sacris litteris conſtat, ex peſſimis & corruptiſſimis non fuiſſe; nec tam malitioſo & peruerſo ingenio, quàm erant Iudæi, qui Pilato Chriſtum tradiderant. Habebat nonnullum adhuc reſpectum innocentiæ, æquitatis, iuſtitiæ; eratque in eo lux aliqua rationis & veritatis. vnde numquam proprio iudicio Chriſtum, quem innoxium videbat, morte damnaſſet. Verùm, quum & Iudæorum indignationem, mortem Chriſti pertinaciter poſtulantium, incurrere vereretur, & præcipue Romani Imperatoris, quòd ſibi conſcius eſſet multorum aliorum flagitiorum de quibus accuſari poterat, atque ita non ſolùm Iudaicam præfecturam perdere, quæ res erat iuxta mundi opinionem multis modis optabilis, ſed in grauius etiam diſcrimen fortaſſis venire poſſet; hoc modo factum eſt, vt nulla iuſtitiæ aut veritatis ratione habita, innocentem Chriſtum mortis & Crucis ſententiâ condemnarit. Ita nihil mirum, quòd de natura & cognitione veritatis inſtrui à Domino non metuerit.

At ſi nunc quiſpiam interrogaret cum Pilato, quid ſit veritas, ſeu veritatis propriam definitionem poſtularet; quid illi eſſet reſpondendum? De veritate religionis loquendo, qua de hac adhuc agimus, poſſet fortè veritas hoc modo rectiſſimè definiri: Veritas eſt ratio colendi Deum ſecundùm voluntatem ipſius. Quæ veritatis definitio apud Chriſtianos dumtaxat locum habet. Colitur autem Deus pręcipuè interiori cultu mentis, fide videlicet, ſpe, & charitatē: vt ante oſtendimus, & id etiam Auguſtinus docet Enchiridij cap. 3. deinde etiam externis ritibus, quos Deus ipſe ad internum illum mentis cultum promouendum inſtituit.

Quare nullam habent veritatis religionem vel religionis veritatem ethnici quilibet, pagani, gentiles, aut quocumque nomine appellentur: quia, Deum non colunt, ſed idola varia. Iudæi autem nunc, itemque Turcæ, & ſimiles, denique hæretici omnis generis, Deum viuum & verum adorant & colunt, ſed non iuxta voluntatem ipſius. Proinde etiam veritate omni religionis carent; cùm Deum colant, non iuxta verbum aut voluntatem ipſius, ſed opinionibus ac ritibus à ſeipſis inuentis & confictis. Quod eſſe contra omnem religionis veritatem Socrates etiam ipſe ethnicus Philoſophus intellexit & docuit, teſte Auguſtino de conſen. Euang. lib. 1. cap. 18. quibus ſimilia ſcribit etiam Cicero, in Oratione pro domo ſua, ad Pontifices.

Fuerunt autem apud ethnicos diuerſis temporibus multi eruditi Philoſophi interrogati, quemadmodum hîc Chriſtus à Pilato, quid eſſet veritas. Ad quam etiam quæſtionem quid ipſis videretur reſponderunt. Verùm quia illæ quæſtiones & reſponſiones agunt præcipuè de veritate morali, quæ in rectitudine dictorum factorumque humanorum conſiſtit, non de veritate religionis, ſeu cultus Dei; differemus illas Philoſophorum opiniones cômemorare, donec de morali illa veritate tractabimus: Libro ſcilicet 4. cap. 10.

Nunc hic adhuc ſententiæ aliquot Sacrarum litterarum, de veritate religionis agentes, explicandæ ſunt.

CAPVT XXXIIII.

Sententiæ ſequentis excußio.

Rom. 10. REVELATVR IRA DEI DE CÆLO SVPER OMNEM IMPIETATEM ET INIVSTITIAM HOMINVM EORVM, QVI VERITATEM DEI IN INIVSTITIA DETINENT. *Et paulò poſt.* QVI COMMVTAVERVNT VERITATEM DEI IN MENDACIVM.

HANC Scripturam optimè & clariſſimè exponit Auguſtinus: Veritatem (inquit) & vitam omnis homo cupit: ſed viam non omnis homo inuenit. Deum eſſe quamdã vitam æternam, immutabilem, intelligibilem, intelligentem, ſapientem, ſapientes facientem, veritatem fixam, ſtabilem, indeclinabilem, vbi ſunt omnes rationes rerum omnium creatarum, nonnulli etiam huius ſæculi Philoſophi viderunt, ſed de longinquo viderunt. Ad illam verò tam magnã & ineffabilem & beatificam poſſeſſionem quà veniretur, non inuenerunt. Nam quòd viderunt etiam ipſi (quantum ab homine videri poteſt) creatorem per creaturam, factorem per facturam, fabricatorem mundi per mundum, Paulus Apoſtolus teſtis eſt: cui vtique debent credere Chriſtiani. Ait enim, cùm de talibus loqueretur: Reuelatur ira Dei de cælo, ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum qui veritatem in iniquitate detinent. Numquid dixit eos non detinere veritatem? Veritatem, inquit, in iniquitate detinent. Bonum eſt quod tenent, ſed malum eſt vbi tenent. Occurrebat autem vt diceretur ei: Vnde illi impij veritatem tenent? numquid Deus ad quemquam illorum locutus eſt? numquid legem acceperunt, ſicut Iſraël populus per Moyſen? Vnde ergo detinent veritatem, vel in ipſa iniuſtitia? Sequitur & oſtendit: Quia quod notum eſt Dei, inquit, manifeſtum eſt in illis; Deus enim illis manifeſtauit. Manifeſtauit illis, quibus legem non dedit? Audi quomodo manifeſtauit. Inuiſibilia enim eius, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Vita ſapiens quæ fecit mundum, contemplato mundo intelligitur. Interroga mundum, ornatum cæli, fulgorem diſpoſitionemque ſiderum, ſolem dies efficientem, lunam noctis ſolatium: interroga terram fructificantem, herbis & lignis & animalibus plenam, hominibus exornatam: interroga mare quantis natatilibus plenum eſt: interroga aërem quantis volatilibus viget: interroga omnia, & vide ſi non ſpecie ſua, tamquam voce, tibi reſpondent, Deus nos fecit. Hæc Philoſophi nobiles quæſierunt, & ex arte artificem cognouerunt.

Serm. 55. de verbis Domini.

Quid ergo? Quare reuelatur ira Dei ſuper impietatem? Quia veritatem in iniquitate detinent; dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. quod curioſitate inuenerunt, ſuperbia perdiderunt. dicentes ſe eſſe ſapientes, donum Dei ſibi tribuentes, ſtulti facti ſunt. Vnde probas ſtultitiam eorum? oſtendiſti nobis vnde potuerunt peruenire ad cognitionem Dei. Quoniam inuiſibilia eius per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. Inſipientiam eorum vnde oſtendis? Audi. Et immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Figuras enim illorum animalium ſibi deos pagani fecerunt. Inueniſti Deum, & coluiſti idolum: quomodo ſapiens es? Iſta eſt iniquitas ſimulachrorum, in qua iniquitate illi veritatem detinuerunt. quia quod per creaturam cognouerunt, & quod per opera Dei intellexerunt, in operibus hominum perdiderunt. Mundus enim opus eſt Dei: Idolum opus eſt fabri. Ecce in qua iniquitate veritatem detinuerunt, & ad
August. Tract. 2. in Ioannem. poſſeſſionem illam quam viderunt, viam perducentem non inuenerunt. Et alibi: Viderunt quò veniendum eſſet; ſed ingrati illi, qui eis præſtitit vt viderent, ſibi voluerunt tribuere quod videbant; & facti ſuperbi, amiſerunt & id quod videbant. & conuerſi ſunt inde ad idola & ſimulachra, & ad culturas dæmoniorum, adorare creaturam, & contemnere creatorem.

Idem de Baptiſmo. Alibi item ſic habet: Qui immutauerunt veritatem in mendacium, & ſeruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Veritas creaturæ a Deo eſt, & non eſt Deus: quam illi in mendacium conuerterunt, tamquam deos colentes ſolem & lunam, & quæcumque cæleſtia & terreſtria. quod enim immutauerunt in mendacium ſuum; culpat, deteſtatur, euertit: quod autem verum in doctrina (quamuis multis falſitatibus permixta confuſaque) ſeruarunt; approbat, teſtatur, affirmat. Nouit ſanè etiam ipſos in quibus errant cauere. Vbi enim dictum eſt, quòd per ea quæ facta ſunt Deus illis manifeſtauit intellecta conſpicienda inuiſibilia ſua; ibi etiam dictum eſt, non illos ipſum Deum rectè coluiſſe: quia & alijs rebus, quibus non oportebat, diuinos honores illi vni tantùm debitos, detulerunt.

Certè de Socrate ipſo Philoſopho omnium ſapientiſſimo vitęque probatiſſimæ ex Auguſtino ſuprà teſtatum fecimus, quamuis ſatis ſciret idola non eſſe deos, ſed vnum tantummodò verum Deum eſſe qui fecit omnia, tamen cum populo in templo ſimulachra pro dijs adoraſſe. Idemque ſcribit Auguſtinus de Seneca Philoſopho, viro optimo & ſapientiſſimo apud Romanos: illum etiam dixiſſe & ſcripſiſſe; Etſi res inanes ſint cultus & ſacrificia multorum deorum, & quæcumque vulgus de dijs fingit vel tenet, omnia tamen ſapienti ſeruanda eſſe cum alijs: non vt dijs grata, ſed vt legibus iuſſa. omnemque illam ignobilem deorum turbam quam longo æuo longa ſuperſtitio congeſſit, ſic (inquit) adorabimus, vt meminerimus cultum eius magis ad morem quàm ad rem pertinere. Ita illuſtris ille populi Romani Senator (inquit Auguſtinus) colebat quod reprehendebat; agebat quod arguebat; quod culpabat, adorabat. Hoc verè eſt veritatem Dei in iniuſtitia detinere, & commutare in mendacium.

Qualis autem fuit ſententia de veritate ac notitia Dei, Socratis Philoſophi, vti iam diximus, talis quoque Platonis, Philoſophi illius magni ac diuini, vt communiter vocatur, primarij Socratis diſcipuli; quique ſolus propè memoriæ prodidit quidquid de Socrate, eiuſq; admirabili ſapientia, nouimus. Is ergo, in libris de Repub. & Leg. & Phędone, cognitionem veritatis ſummum hominibus bonum eſſe affirmat; quæ cùm perfectè contingere in hac vita nequeat, fit vt difficile putet viuentium aliquem verè poſſe beatum dici: magnam tamen eſſe ſpem, vt eam cognitionem aſſequamur vita functi; liberi iam corporis vinculis, & impedimento ad res mente comprehendendas maximo. Cùm ergo vita deceſſerimus, ſi modò purgati exeamus, tunc verum ipſum, & id quod ὄντως, id eſt, verè eſt, Deum videlicet, intuentes, fruemur re nobis tantopere concupitâ; hoc eſt, veritate & ſcientiâ rerum omnium. Idem Philoſophus, in conuiuio, Diotimam ſcribit ſapientiſſimam fœminam iubere, vt Socrates totam animi intentionem ad orationem ſuam conuertat. cumque circa pulchrum verſari amorem docuiſſet, extrema oratione altiorem ſermonem ingreſſa, pulchrum quoddam ſtatuit, quod ſemper eſt, nec mutatione afficitur, vel decrementis minuitur, vel acceſſionibus fit maius; nec aliqua ex parte pulchrum eſt, cùm aliunde ſecùs habeat, aut alternante viciſſitudine pulchritudinem aliàs amittit, aliàs admittit; nec reſpectu aliquo pulchrum, nec alia ratione turpe ſit; cuius pulchritudo nec locis mouetur, nec ingenijs varie iudicantium; nec vt pars pulchrum eſt, nec

vt

vt id quod alteri adhæret: ſed ipſum, per ſe, cum ſemet eiuſdem formæ ſemper ens; vnde manat ceterarum rerum quæ pulchræ nominantur, pulchritudo; ea lege, ne vel ortu aliarum rerum vel caſu, accreſcat illi aliquid, vel decedat, neu affectum aliquem recipiat & mutationem. Hoc igitur ſanctum, pulchrum & venerabile, cùm quis per ceterorum pulchrorum amorem ſublatus ſpectare cœperit; parum abeſt, quo minùs faſtigium conſecutus ſit. Sic ad amatoria rectà tenditur; hoc eſt illuc vere duci; cùm quis ab iſtis pulchris ceu per gradus ad pulchrum illud aſcendit, ab vno pulchro corpore in duo tranſiliens: hinc in cetera pulchritudine prædita, iam ad pulchra omnia ſtudia, quibus pulchris ſuccedere diſciplinas oportet; ex quarum numero vna illa ſit princeps vnice complectenda, quæ ſolius eſt pulchri illius, vt eius contemplationem doceamur: hoc viuendum modo eſt homini pulchro. Hoc ſi videris, ſordebunt tibi aurum, veſtes, & formoſa hominum corpora. Age verò, quantæ felicitatis putas eſſe plenum, dari alicui, vt pulchrum ipſum cernat ſincerum, & purum putum; non corpore humano contectum & commiſtum, non colore, nec mortalibus eiuſmodi nugis; ſed diuinum ipſum ſui ſemper ſimile atque conforme? Quæſo te, ànnon admirandam eſſe vitam eiuſce hominis cenſes, qui illud ſpectet, qui quod optat intueatur, & cum eo habitet. O ſolidæ & germanæ compotem virtutis, hancque ob cauſam præpotenti Deo amicum, &c, ſi quis eſt alius, immortalem! Hæc ſunt Diotimæ ſapientiſſimæ ad Socratem verba: quibus Socrates ſe fidem habere profitetur; & laborare, vt hominum generi perſuaſum ſit, non eſſe humanæ naturæ quidquam ad poſſeſſioné pulchri huius amore conducibilius. Sed, qui tam ſapienter & verè de Deo eiuſque veritate & pulchritudine ſcripſit, euanuit & ipſe in cogitationibus ſuis, vt Apoſtolus loquitur: cum illa enim ac tali Dei veri notitiâ, idola ſimul, cum reliquo populo, colendo & adorando, veritatem Dei ſciens & prudens conuertit in mendacium.

Sed ex omnibus gentilium Philoſophis viriſque ſapientibus optimè locum hunc Apoſtoli declarabit Cicero, nobilis & ipſe Romanorum Senator, Oratorque eloquentiſſimus pariter & doctiſſimus. Hic quemadmodum ex viſibilibus mundi creaturis Deum inuiſibilem, creatorem & moderatorem omnium cognouerit, & cognoſcendum eſſe docuerit, operæpretium eſt, ex ſcriptis eius paucis oſtendere.

Lib. 1. contra Velleium Epicureæ ſectæ defenſorem ſic habet; Eos vituperabas, qui ex operibus magnificis atque præclaris, cùm ipſum mundum, cùm eius membra, cælum, terras, maria, cumque eorum inſignia ſolé, lunam, ſtellaſque vidiſſent, cumq; temporum maturitates, mutationes, viciſſitudineſq; cognouiſſent, ſuſpicati ſunt aliquam eſſe excellentem præſtantemque naturā, quæ hoc effeciſſet, moueret, regeret, gubernaret. In 2. autem lib. Quid, inquit, poteſt eſſe tam apertum, tamque perſpicuum, cælum ſi aſpeximus, cæleſtiaque contemplati ſumus, quàm eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur? Chryſippus, ait, quamquam eſt acerrimo ingenio, tamen ea dicit, vt ab ipſa natura didiciſſe, non vt ipſe reperiſſe videatur. Si enim eſt, inquit, aliquid in rerum natura, quod hominis mens & ratio, quod vis, quod poteſtas humana efficere non poſſit; eſt certe id, quod effecit, homine melius. Atqui res cæleſtes, omneſque, eæ quarum eſt ordo ſempiternus, ab homine confici non poſſunt; eſt igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem, quid potius dixerim quàm Deum? Deinde paucis interiectis; Quòd ſi omnes mundi partes ita conſtitutæ ſunt, vt neque ad vſum meliores, neque ad ſpeciem pulchriores eſſe potuerint; videamus vtrùm ea fortuita ſint, an eo ſtatu quo cohærere nullo modo potuerint, niſi ſenſu moderante diuinaque prouidentia. Si igitur meliora ſunt quæ natura, quam quæ arte perfecta ſunt; nec ars efficit quidquam ſine ratione, nec natura quidem rationis expers eſt habenda. Qui igitur conuenit, ſignum aut tabellam pictam cùm aſpexeris, ſcire adhibitam eſſe artem, cumque procul curſum nauigij videris, non dubitare quin id ratione atque arte moueatur; aut cùm ſolarium vel deſcriptum aut ex aqua contemplere, intelligere declarari horas, arte non caſu: mundum, qui & has ipſas artes & earum artifices & cuncta contemplatur, conſilij & rationis expertem putare. Quòd ſi in Scythiam vel Britanniam ſphæram aliquis tulerit, hanc quam nuper familiaris noſter effecit Poſſidonius, cuius ſingulæ conuerſiones idem efficiunt in ſole & luna, & in quinque reliquis ſtellis errantibus, quod efficitur in cælo ſingulis diebus & noctibus, quis in illa barbarie dubitet, quin ea ſphæra ſit perfecta ratione? Hi autem dubitant de mundo, ex quo oriuntur & fiunt omnia, caſúne ſit ipſe effectus, an neceſſitate aliqua, aut ratione & mente diuina. Archimedem arbitrantur plus valuiſſe in imitandis ſphæræ conuerſionibus, quàm naturam in efficiendis: præſertim quum multis partibus ſint illa

 perfecta,

perfecta, quàm hæc ſimulata, ſolertiùs. Hęc ita omnia apud M. Tullium ſcripta ſunt. Quibus dictis tudem mox paſtorem illum ſumit ab Actio Poëta, & ad propoſitum ſuum accommodat: nauem nunquam anteà ſibi viſam, illam ſcilicet qua in Colchum vehebantur Argonautæ, procul e monte cernentem, atque attonitum nouitate miraculi pauentemque, & multa ſecum opinantem, montem aut ſaxum terræ viſceribus erutum ac ventis impulſum pelago rapi, aut atros turbines conglobatos fluctuum concurſu, aut tale aliquid: viſis inde iuuenibus, quorum ope atque opera nauigium agebatur, & cantu nautico audito, heriumque vultibus conſpectis, & ad ſe reuerſum, & errore ac ſtupore depoſito, quidnam rei eſſet intelligere incipientem. Poſt quæ ſtatim infert Cicero: Ergo, inquit, vt hic primo aſpectu inane quiddam ſenſuque vacuum ſe putat cernere, pòſt autem ſignis certioribus, quale illud de quo dubitauerat, incipit ſuſpicari: ſic Philoſophi debuerunt, ſi fortè eos primus aſpectus mundi conturbauerat, poſtea cum vidiſſent motus eius infinitos, & æquabiles, omneſque ratis ordinibus, moderata immutabilique conſtantia, intelligere, ineſſe aliquem non ſolùm habitatorem in hac cæleſti ac diuina domo, ſed etiam rectorem ac moderatorem, & tamquā architectum tanti operis, tantique muneris.

In lib. De natura deorum aliâ duo exempla vel ſimilitudines recitat, eodem plane pertinentes; alteram ex Ariſtotele, alteram ex ſeipſo. Lib. autem 1. Tuſculanarum quæſtionum, Deum ex mundo & creaturis eius ab omnibus mentô cognoſci debere, late atque eleganter proſequitur. Quum, inquit, videmus ſpeciem primùm cæli, candoremque, deinde conuerſionis celeritatem tantam quantam cogitare non poſſumus; tum viciſſitudines dierum atque noctium, commutationeſque temporum quadripartitas, ad maturitatem frugum & ad temperationem corporum aptas, eorumque omnium moderatorem ac ducem ſolem, lunamque accretione ac diminutione luminis quaſi faſtorum notantem & ſignificantem dies; tum in eodem orbe in duodecim partes diſtributo, quinque ſtellas ferri, eoſdem curſus conſtantiſſimè ſeruantes diſparibus inter ſe motibus; nocturnamque cæli formam vndique ſideribus ornatam; tum globum terræ eminentem è mari, fixum in medio mundi vniuerſi loco; tum multitudinem pecorum, partim ad veſcendum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum, partim ad corpora veſtienda; hominemque ipſum quaſi contemplatorem cæli ac deorum, ipſorumque cultorem; atq; hominis vtilitati agros omnes & maria parentia: hæc igitur & alia innumerabilia cùm cernimus; poſſumuſne dubitare, quin iis præſit aliquis conditor vel effector, ſi hæc nata ſunt, vt Platoni videtur; vel ſi ſemper fuerunt, vt Ariſtoteli placet, moderator tanti operis & muneris?

Verùm, qui in his omnibus & plurimis locis quæ partim ſtudio breuitatis prætermittimus; partim nunc nobis non occurrunt, tam præclarè de vnius Dei natura, virtute, operatione teſtatus eſt, vt Apoſtolus aliquis aut Propheta melius vix poſſet; ſtatim eodem libro ad deos ſuos velut canis ad vomitum redit, expeditis nominibus & qualitatibus ſingulorum. Nec iam de vnius ſummi ac veri Dei, ſed de deorum multorum prouidentia ac turbis, audite quæſo, quid dicat: Quos deos, inquit, & venerari & colere debemus. Cultus autem deorum eſt optimus, idemque caſtiſſimus pleniſſimuſque pietatis, vt eos ſemper pura, integra, & incorrupta & mente & voce veneremur. Quid agis, ô Cicero? quid dicis? Tam citóne vnius Dei, quem & hic paulò antè & alibi toties in libris tuis agnoſcis & confiteris, tuique adeò ipſius etiam, obliuiſceris? Vbi excellentem illam præſtantiſſimamque naturam, numenque illud præſtantiſſimæ mentis, vbi meliorem Deum homine, atque eorum quæ humana vel ratione vel potentia fieri nequeunt, cæleſtium pariter atque terreſtrium, huiuſque quem cernimus ſempiterni ordinis effectorem? vbi illum denique cæleſtis ac diuinæ domus habitatorem inſuper & rectorem, & moderatorem, ac tamquam architectum tanti operis reliquiſti? Quaſi de domo ſidetea, quam grata illi & veriſſima confeſſione tribueras, depuliſti; dum ei tam fœdos tamque indignos ſocios largiris? Annon hoc verè eſt (vt Apoſtolus ait) veritatem Dei in iniuſtitia detinere, atque in mendacium conuertere?

CAPVT XXXV.

Sententiæ alterius Paulinæ ventilatio.

INVISIBILIA ENIM IPSIVS, A CREATVRA MVNDI, PER EA QVÆ FACTA SVNT, INTELLECTA CONSPICIVNTVR: SEMPITERNA QVOQVE EIVS VIRTVS ET DIVINITAS: ITA VT SINT INEXCVSABILES. QVIA, CVM COGNOVISSENT DEVM; NON SICVT DEVM GLORIFICAVERVNT, &c. *Rom. 1.*

CETERVM hic iam nõ parua ſanè nec valde ſolutu facilis naſcitur quæſtio. Quid enim? Quia dicit Apoſtolus gentiles multos ex viſibilibus mundi creaturis Deũ inuiſibilem cognouiſſe, an inde intelligere poſſumus vel debemus, illos ſuopte ingenio ad veritatis Dei cognitionem perueniſſe; ſoliſque naturæ ſuæ viribus Deum omnium conditorem & rectorem cognouiſſe? Si ita eſt, quid neceſſe fuit Dei filium è cælo deſcendere, vt Dei nos cognitionem doceret? Ergo gratis Chriſtus mortuus eſt, inquit Paulus. Hanc difficultatem alij aliter ſoluere & explicare conantur. Quidam enim dicunt gentilium Philoſophos & ſimiles ad nonnullam quidem Dei cognitionem, ex creaturarum contemplatione, naturæ melioris ingenijque perſpicacià, perueniſſe; ſed valde imperfectam fuiſſe illam cognitionem, ſimulque inanem atque euanidam. Nam Deum quidem aliquem vnum & ſummum mente conceperunt ex tam admirandis operibus quorum plenus eſt mundus; eumdemque deinde adorandum eſſe & colendum intellexerunt, ſed quiſnam aut qualis ille Deus ſit, aut quo modo coli vellet, aſſequi non potuerunt. Nec verò operam etiam dederunt vt ſcirent. Sed euanuerunt mox in cogitationibus ſuis, vt Apoſtolus ait: & dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Ita verius vmbram aliquam incerti numinis tamquam in tenebris viderunt aut palpauerunt, quàm verum Deum recta cognitione tenuerunt. Non quidem, quin demonſtratio Dei qua gloriam ſuam in creaturis perſpicuam facit, ſatis euidens & clara ſit, quantum ad lucem ſuam: ſed quantum ad noſtram cæcitatem non ſufficit vt perfecta aliqua & ſtabilis Dei notitia habeatur. quemadmodum cæcis, & qui infirmiſſimis oculis ſunt, ſol ſe ſatis manifeſtat; nec in ſole culpa eſt, quod nõ perfectè videant omnia; ſed omnis culpa in ipſis eſt. Id quod multo magis verũ eſſet in illis qui ſponte ſcienteſq; & prudentes ſeſe vſu oculorũ priuaſſent: quemadmodum omnes homines ſua culpa cæcitatem ſibi illá compararunt, vt Deum qui in cunctis mundi partibus atque operibus perſpicuè refulget, videre aut intelligere nequeant, vt oportet. *Galat. 2.*

Non agitur ergo hic de notitia illa Dei ſaluifica, quam attulit Chriſtus; de qua Ioan. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verũ & quẽ miſiſti Ieſum Chriſtum; ſed de tali ſolùm notitia Dei, quæ ſufficit ad tollendã impijs gentibus omnem excuſationem. Quod ſatis etiam Paulus ipſe oſtendere velle videtur in Scriptura quam tractamus. Quum enim dixiſſet; Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas; addidit ſtatim, Ita vt ſint inexcuſabiles. Illa enim eſt humana ſuperbia & impudentia per peccatum in naturam inuecta, vt quamuis ſibi homines placeant in figmentis atque inuentionibus ſuperſtitionum ſuarum, tamẽ quum erroris conuincantur, ad hanc ferè impiam excuſationem confugiant, nullam ſibi deberi culpam imputari, quòd Deum verum non coluerint aut cognouerint vt oportet, Deum potiùs ipſum fuiſſe crudelem, quòd nullo ſigno ſe hominibus patefecerit; nec vel ſibilo aliquo reuocare dignatus ſit, quos perire cernebat. Hanc friuolam excuſationem Paulus impijs idololatris eripere voluit, tum ſtatim in hoc exordio Epiſtolæ ad Romanos, tum etiam Actorum 14. quum gentilibus concionaretur. Vbi vna ſententia vtrumq; perſpicuè docet, in toto mundo, ſcilicet vſque ad Chriſti aduentum, ignorantiam Dei & veritatis eius regnaſſe; & Deum tamen interea numquam ſe ſine teſtimonio reliquiſſe. *Rom. 1.*

Quod autem vel quale ſui teſtimonium ſemper dedit? Hîc dicit, quòd inuiſibilia ſua, hoc eſt inuiſibilis ſua potentia, bonitas, æternitas, ſapientia, &c. à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Quod vocabulum (conſpiciuntur) magis referendum eſt ad gloriam Dei, quæ ſuapte claritate in creaturis conſpicitur, quàm ad vim humanæ intelligentiæ, quæ ad clarè & vt oportet perſpiciendam in creaturis Dei maieſtatem, propter naturalis cæcitatis caliginem atque infirmitatem, pertingere non valuit. Ita vt quum dicit Apoſtolus, Intellecta conſpiciuntur, perinde ſit ac ſi dixiſſet, Satis quidẽ per ſe conſpicua eſt inuiſibilis Dei natura in creaturis tam admirandis, meritoq; ab omni-

omnibus conſpici atque intelligi deberet; ſed homines tenebris mentis pleni, velut caligantibus oculis lucem clariſſimâ videre non potuerunt. Ita euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt magis magiſque inſipiens cor eorum.

Quemadmodum autem monſtrauerit ſe Deus hominibus nullo non tempore in creaturis, explicat clariùs idem Apoſtolus loco iam dicto, Actorum ſcilicet Apoſtolorum cap. 14. Non ſine teſtimonio, inquit, ſemetipſum reliquit, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda hominum. Hæc certè atque huiuſmodi teſtimonia etſi non ſufficiant ad ſalutem æternam, quam vni Chriſto debemus acceptam ferre, tamen abunde ſatis ſunt ad excutiendam hominibus impijs & infidelibus omnẽ excuſationem. In omni enim naturæ ordine clara eſt & certa Dei manifeſtatio. Quòd ſtatis anni temporibus terra pluuijs irrigatur, quòd ſolis calore vegetatur, quòd tanta frugum copia ſuo ſemper tempore quotannis naſcatur; inde certò colligendum eſt, eſſe aliquem Deum, qui hæc ita mirabiliter regat omnia. Neque enim à ſeipſis aut proprio motu aguntur cælum & terra; quum res ſint inſenſibiles atque inanimatæ. multo autem minus caſu vel fortuitò. Reſtat igitur vt hoc mirabile naturæ ac mundi totius ædificium Dei potentiam & prouidentiam palàm oſtendat. Quòd autem dicit Paulus, Deum cibo & lætitia hominum corda replere; in eo magis etiam conuincitur humana impietas, ſi Deum non agnoſcant. Quia videlicet non tantùm oculis eorum ſubijcit gloriæ ſuæ teſtimonia in operibus ſuis, ſed omnia etiam deſtinat in vſus hominum. Cur enim ſol & ſtellæ in cælo lucent, niſi vt miniſterium ſuum hominibus præbeant? cur pluuia de cælo cadit, cur terra producit fructus ſuos, niſi vt alimenta hominibus præbeat, quibus veſcantur? Ergo hominem in terra Deus poſuit, non vt in terra ſit velut in theatro, otioſus operum ſuorum ſpectator; ſed dum cunctis cæli & terræ operibus & commodis fruitur, vt in celebranda Dei bonitate & largitate ſeſe exerceat. Nunc verò in tam multiplici munerum Dei copia, eum non affici tanta Dei munificentia, ánnon ingratitudo & peruerſitas mentis eſt intolerabilis? Alij ad propoſitam quæſtionem reſpondentes, dicunt, ne parum illud quidem, quod de Deo vero gentiles cognouerunt, ſine ſpeciali Dei dono & gratia cognouiſſe: minimè verò ſolis viribus naturæ aut ingenij ſui. ſic enim eſſe deprauatam peccato, debilitatam & obſcuratam humanam naturam; vt quemadmodum nihil quod bonum
Ioan. 15. ſit agere (iuxta illud, Sine me nihil poteſtis facere) ita nihil penitus quod rectum & verũ ſit, de Deo cognoſcere per ſe valeat. Vide Heſſelium in explicatione Decalogi cap. 15.
1. Cor. 3. Quod non malè profectò quadrat illi verbo Apoſtolico: Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis: ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Et hanc eſſe aiunt ſententiam Auguſtini locis ſuprà poſitis. In quibus illud, dicentes ſe ſapientes, interpretatur, ſibimetipſis ſapientiam & cognitionem illam tribuentes, quam de Deo à Deo ipſo receperant. Quod ſanè clariùs etiam docere videtur D. Proſper lib. 1. De vocatione gentium, cap. 4. exponens enim ibi hunc locum Apoſtoli, Cùm quidam, inquit, non ſolùm ad inſtituta vtiliſſimarum artium & doctrinas liberalium diſciplinarum, ſed etiam ad inquiſitionem ſummi boni aciem mentis intenderint, & inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpexerint, non agentes gratias tamen Deo, nec confitentes illum ſibi eſſe huius facultatis auctorem, ſed dicentes ſe eſſe ſapientes, hoc eſt, non in Deo, ſed in ſeipſis gloriantes, quaſi ad veritatis inſpectionem ſuis ſtudijs atque rationibus propinquaſſent; euanuerunt in cogitationibus ſuis, & quod illuminante Dei gratia inuenerant, obcæcante ſuperbia perdiderunt. Nec huic ſententiæ obſtat quod ait Apoſtolus, Gentiles ex inſpectione viſibilium Dei operum in notitiam naturæ ipſius inuiſibilis deueniſſe. Notitia enim Dei quæ ex creaturis habetur, non excludit internam lucem & cooperationem gratiæ Dei. Sic dici poteſt notitiam Dei eſſe ex creaturis, ſicut idem Apoſtolus fidem eſſe dicit ex auditu. Sic penitus D. Proſper etiam ad Demetriadem. Conſtat autem qui ex Apoſtolorum prædicatione adducebantur ad notitiam Dei, non ſola auditione fidem in Deum concepiſſe; ſed affuiſſe externæ illi auditioni internam illuminationem & cooperationem gratiæ Dei, qua corda illorum mutabantur, emolliebantur, renouabantur, qui Apoſtolorum prædicationi credebant. Quod vt certum omnes haberemus, retulit Lucas Euangeliſta in Actis Apoſtolorũ Deum Lydiæ purpurariæ cor aperuiſſe, vt intenderet his quæ à Paulo dicebantur. Qua ſine cooperatione Spiritus ſancti numquam Lydia Paulinæ prædicationi credidiſſet: quemadmodum innumeri alij hac Dei gratia deſtituti, ad prædicationem Apoſtolorum nihil commoti fuerunt.

Si igitur, vt Apoſtolorum doctrinæ vel prædicationi credatur, opus eſt ſpeciali dono &

gratia

gratia Dei; multo magis ſimili Dei gratia opus eſt, vt ex contemplatione creaturarum ad Dei notitiam veniatur. quum nemo ignoret longè maiorem vim & gratiam eſſe ad perſuadendum in vocali doctrina hominum eruditorũ & facundorum, quàm in muta locutione elementorum. Et hinc eſt fortè, quòd idẽ Apoſtolus ad Hebræos 11. notitiam illam qua mundus intelligitur à Deo factus eſſe, fidei tribuit: Fide, inquit, intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei. Quamquam, cum ibi Apoſtolus de pijs tantùm & fidelibus loquatur, ante & poſt aduentum Chriſti, qui per fidem ſaluati ſunt; intelligi poſſet de fide dumtaxat plena & perfecta loqui; qua non modò potentia verbi Dei quo mundus factus eſt, apprehenditur, ſed bonitas etiam eius perpetua, ſapientia, iuſtitia, miſericordia erga illos quos ſaluandos præuidit, & ſimilia. Per quam fidem longè aliter de mundi creatione & gubernatione ſentiunt fideles, illuminati ſpiritu adoptionis filiorũ Dei, quàm gentiles olim quiuis Philoſophi ſentire potuerunt. Et ſi nihil etiam abſurdi ſit, dicere in gentilibus fidem Dei quamdam fuiſſe, qua Deum credebant creatorem eſſe & rectorem cæli & terrę. non quidem qua meruiſſent fideles dici, vel qualis eſt etiam in impijs Chriſtianis; ſed qualem Iacobus Apoſtolus dæmonibus quoque tribuit, dicens: Tu credis quòd vnus eſt Deus? benefacis: & dæmones credunt, & contremiſcunt. *Iac. 2.*

CAPVT XXXVI.

De Lege naturæ, an & quantum hominibus contulerit ad Dei notitiam, & mandatorum obſeruationem.

SED eſt contra hanc opinionem & alia quædam obiectio, minimè leuis aut contemnenda. Gentiles Philoſophi & alij legem habuerunt naturæ, quâ multa intellexerunt & fecerunt ad vitæ honeſtatem & rectitudinem pertinentia, quæ conſona ſunt penitus legi Dei. Ad quam naturæ legem referenda videntur omnia præcepta Decalogi: vno illo excepto quod de obſeruatione certi diei feſti præcipit; apud Iudæos quidem Sabbati, apud nos verò Dominici. Quare ad ſcienda & præſtanda illa omnia quæ decem illis præceptis maximis continentur, non videtur opus eſſe ſingulari dono gratiæ Dei. Vnde vlterius etiam ſequitur, gentiles Deum cognoſcere potuiſſe (quod eſt primum Decalogi præceptum) ex ſolis viribus ingenij ac naturæ ſuæ, adiuuantibus præcipuè admirandis illis operibus Dei, quæ refulgent in gubernatione totius mundi. Ideò enim vocatur lex naturæ, quòd ſolo naturæ ac rationis humanæ dictamine cognoſci queat ac debeat, ab illis etiam qui nullum gratiæ Dei aliud auxilium habeant. Qua de re idem hic etiam Apoſtolus ſatis apertè loqui videtur Rom. 2. Cùm enim gentes, inquit, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt; eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum. Quò fortaſſis illud etiam referri poteſt ex Pſal. 4. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.

Ad hæc omnia reſponderi poſſet, primùm quidem, quod ad legem naturæ attinet, legem illam hoc nomine appellari, non quòd ſolius naturæ viribus cognoſci vel præſtari queant, quæcumque lex illa videtur præſcribere, ſed naturæ legem dici ad differentiam dumtaxat legis ſcriptæ, Moſaicæ, & Euangelicæ. quòd nimirum lex illa ſola in vſu fuerit apud homines, antequam lex aliqua ſcripta diuinitus traderetur; & poſteà etiam apud illas gentes & nationes, ad quarum notitiam nec Moyſi nec Chriſti lex peruenit. Sic dici poſſet, vt loquuntur ita non rarò Doctores, omnes ſanctos patriarchas & fideles quocumque loco fuerunt ante Moyſen, ſaluatos eſſe per obſeruationem legis naturæ. non quidem quòd ſolis naturæ viribus, Dei veri omniſque voluntatis eius cognitionem habuerint ad ſalutem æternam neceſſariam; ſed quòd nullam haberent aliam legem ſcriptam. Erant autem in notitia veri Dei & cultu eius inſtructi, vel interiori aliquo inſtinctu Dei ipſius, vel per Angelos eius, vel per doctrinam & traditionem parentum ac maiorum ſuorum, vel ſimili aliqua ratione. Quo modo etiam gentiles Philoſophi & ſimiles per legem naturæ ad Dei notitiam peruenire potuerunt. non quòd ſuopte ingenio, ſolóve naturæ corruptæ lumine, adiuuantibus etiam creaturis mundi vniuerſis, ſine alio Dei auxilio eò poſſent pertingere, ſed quòd nullum aliud ſcriptæ legis Dei adiumentum habuerunt.

Iam verò quòd dicitur primum Decalogi præceptum, quod cognitionem & cultum vnius veri Dei præcipit, ad naturæ legem pertinere; hoc non ita eſt intelligendum, quaſi vera & ſaluifica notitia Dei, vel ratio colendi eum vt oportet, haberi queat ex ſolo lumine rationis naturalis: ſed tantummodò confuſa quædam fortaſſis & imperfecta notitia, qua aliquem Deum ratiocinantur, qui mundum condidit; eumque diuino honore colendum eſſe; quiſnam interim vel qualis tandem ille Deus ſit, vel qua ratione colendus, penitus ignorantes. Quæ notitia, quàm procul abſit ab eo quod primo Decalogi præcepto mandatur, nemo non intelligit, qui aliquid intelligit.

D. Auguſt. de Spiritu & littera. Quod autem ad Scripturam illam Apoſtoli attinet ad Roman. 2. qua dicuntur gentes naturaliter ea quæ legis ſunt facere, in primis D. Auguſtinus locum illum totum interpretatur multis verbis non de gentibus infidelibus, ſed de illis quæ conuerſæ ſunt per Apoſtolorum prædicationem ad fidem & religionem Chriſtianam. Quòd ſi tamen quis Apoſtolum intelligere malit de infidelibus & gentilibus, non inde conſequitur hominibus naturaliter ineſſe plenam Dei & voluntatis eius omnis cognitionem, quod abſurdiſſimum eſſet exiſtimare: ſed quædam ſolummodò honeſtatis ac iuſtitiæ ſemina ex prima luce & rectitudine in ijs relicta. Qualia ſunt, quòd religiones inſtituunt, Deumque eſſe colendum norunt; etſi de vera Dei natura & cultu nihil intelligant: quòd homicidium, adulterium, furtum legibus plectunt, quòd parentes honorandos præcipiunt, iuſtitiam & fidem ſeruandam in contractibus, & ſimilia. Sic enim teſtificantur, non ſe latere, Deum colendum eſſe, homicidium, adulterium, furtum eſſe mala, iuſtitiam & probitatem eſſe laudabilem. Nec refert qualem fingant Deum, quē colendum tradunt, vel quot etiā deos fabricent: nec intereſt etiam quemadmodum ad notitiam illam peruenerint, Deum aliquem eſſe mundi rectorem, ſoliſne naturæ ſuæ viribus, an adiuti interiori aliquo auxilio gratiæ Dei: ſatis eſt ad mentem Pauli, quòd Deum eſſe aliquem intelligunt & illi honorem cultumque deberi. Ita nec refert etiam, an alicubi gentium alienæ mulieris aut poſſeſſiunis aut cuiuſuis rei concupiſcentia legibus permittatur: ſemper hoc fixum manet, quod norunt malum eſſe perpetrare, idem eſſe illicitum concupiſcere: hoc enim tantùm illic probat, fruſtrà ab vllis gentibus obtendi ignorantiam veritatis, quum factis ſuis declarent nonnullam ſe habere iuſtitiæ regulam, quam minimè obſeruarunt. Hoc eſt quod dicit; Oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis: quaſi dicat; Teſtificantur eſſe inſcriptum cordibus ſuis diſcrimen & iudicium; quo inter æquum & iniquum, verum & falſum, honeſtum & turpe diſtinguunt. Non vult inſculptum eſſe voluntati illorum vt appetant quod rectum & bonum eſt, vel ſtudioſe perſequantur ac præſtent: ſed quia ſic veritatis potentia vincuntur vt non poſſint non approbare. Cur enim religiones inſtituunt, niſi quia Deum colendum iudicant? Cur ſcortari & furari pudet, niſi quia vtrumque malum cenſent? Proinde hic non de implendæ legis facultate agitur, ſed de notitia tantùm.

CAP. XXXVII.

DEVS OMNES HOMINES VVLT SALVOS FIERI, ET AD AGNITIONEM VERITATIS VENIRE. 1. *Timoth.* 2.

SCRIPTVRA apprimè notabilis, quæ & diuinæ veritatis encomium, potentiam, atque vtilitatem luculenter exponit; & immenſam eiuſdem erga genus humanum miſericordiarum ac bonitatis abyſſum, ſuauiſſimo loquendi modo, ob oculos ſtatuit. Et quidem in primis hic videmus, Deum nulli inuidere cognitionem veritatis, ſed cunctis illam proponere, velut mercem optimam & pretioſiſſimam, omneſque ad illam clementiſſimè inuitare. Proinde optime poteſt ac debet applicari veritati, quod Prouerb. 8. de ſapientia dicitur. Dei enim ſapientia nihil à veritate Dei differt, niſi quadam tantùm conſideratio- *Prouerb. 8.* ne. Ergo numquid non veritas Dei clamat & dat vocē ſuam? in ſummis excelſiſque verticibus ſupra viam, in medijs ſemitis ſtans, iuxta portas ciuitatis in ipſis foribus loquitur, dicens: O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Intelligite paruuli, & inſipientes animaduertite. Audite, quoniam de rebus magnis locutura ſum, & aperientur labia mea vt recta prædicent. Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea deteſtabuntur impium. Accipite diſciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam meam magis quàm

quàm aurum diligite: & quæ ſequuntur. Hoc eſt quod hîc dicitur, Deum velle omnes ad agnitioné veritatis venire. Et hanc ob cauſam miſit Chriſtus diſcipulos in omnes terræ plagas, & ad omnes nationes, dicens; Ite in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Quid eſt Euangelium? Nihil aliud quàm prædicatio ſeu doctrina veritatis. Vnde Chriſtus Pilato dicebat, vt antè audiuimus; Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundú, vt teſtimonium perhibeam veritati. Hoc eſt ergo primum quod hîc notandum eſt, veritatem à Deo propoſitam eſſe omnibus. Deinde hîc deſcribitur nobis potentia admirabilis, effectus fructuſque atque vtilitas veritatis. quòd nimirùm per illam ſit certa ac perpetua ſalus. Quum enim dixiſſet Apoſtolus, Deum velle omnes homines ſaluos fieri; tanquã ſi quis quærere voluiſſet, qua via vel medio velit homines ad ſalutem perducere, addidit ſtatim, Et ad agnitionem veritatis venire. ſignificans vtique per agnitionem veritatis ſalutem contingere: & vbi veritas non eſt, nullam ibi veræ ſempiternæque ſalutis ſpem ſupereſſe; vel ſi ſpes aliqua ſit, inanem & vanam eſſe. Proinde, quod Euangelio alibi aſcribitur ab Apoſtolo, quòd ſit virtus Dei, in ſalutem omni credenti; hoc proprie ac rectiſſimè diuinæ veritati conuenit. Nam, vt ſtatim diximus, Euangelium nihil aliud quàm veritatem prædicat. Euangelium idem ſonat quod lætum nuntium. Quod eſt tandem, vel quale hoc lætum nuntium? Nempe annuntiatio veritatis. Nihil menti humanæ iucundius, quàm cognitio veritatis: nihil etiam vtilius vel pretioſius. Hęc eſt quæ ſola ſuæ claritatis dulcedine implet & ſatiat mentem noſtram. Audiuimus anteà quoque: Si manſeritis in ſermone meo, cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Libertas quam affert & parit veritas, plenam felicitatem beatamque ſalutem includit: vt ibi oſtendimus.

Sed hic ſtatim ingens, difficilis, & vetus quæſtio naſcitur: Si Deus omnes homines vult ad veritatis agnitionem venire, & per illam ad ſalutem æternam; qui fit, vt tam ingens numerus hominum in ignorantia veritatis permaneat? Multis enim veritas numquam annuntiatur vel prædicatur, vt illam queant agnoſcere ac recipere: alij prædicatam ſibi veritatem non recipiunt: alij cognitam & receptam ſponte deſerunt: alij cognitam vel non cognitam etiam oderunt & perſequuntur. Taceo de illis, qui cognitam receptamque veritatem non colunt vt oportet, quorum magna pars eſt Chriſtianorum. Et tamen ad ſalutem æternam non ſolùm opus eſt cognoſcere, ac recipere veritatem, illive credere; ſed oportet illam etiam bonis moribus dignaque vitæ conuerſatione ornare; ac demum in cognita, adamata, & benè culta veritate perſeuerare vſque ad vltimum vitæ finem. Quod ſi hoc totum, vt notum eſt, quàm pauciſſimis contingit; vbi eſt igitur, vel quid ſibi vult, quod hîc ſcriptum eſt, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, atque ad agnitionem veritatis venire? Reſpondeo breuiter, hanc Dei voluntatem & ſalutis omnium ſinceriſſimum affectum, ideò in multis non impleri, quia ipſi diuinis auxilijs gratiaque ſufficiente non vtuntur vt oportet. Vnde, cùm diuina hæc voluntas abſoluta non ſit, ſed eius effectus à cooperatione liberi arbitrij dependeat; mirum non eſt, ſi hominum malitià diuinis luminibus officiente impediatur.

Sed quoniam quæſtio hæc, difficultate ſuâ meritò multorum torſit ingenia; quibuſdam, Deum ſufficiens omnibus ſimpliciter hominibus auxilium conferre, hinc colligentibus; alijs verò ſententiam hanc Paulinam, non nudè vt ſonat accipiendam, ſed adhibitâ reſtringente quadam interpretatione moderandam, aſſerentibus: nos datâ operâ, ne hîc fruſtrà Lectorem in labyrinthum & inexplicabiles tricas inducamus, atque ab alijs ex profeſſo deſuper diſputata repetamus, eum ad illos remittimus. Nos interim inoffenſo pede ſuſceptum de veritate argumentum proſequemur.

CAPVT XXXVIII.

ECCLESIA DEI, EST COLVMNA ET FIRMAMENTVM VERITATIS. 1. *Timoth.* 3.

MVLTA hactenus vtilia, ni fallor, pulchra, & præclara de veritate religionis diximus: nec adhuc milleſimam partem diximus eorum quæ de illa eiuſque laude & præſtantia dici poſſent, partimque ab alijs dicta & conſcripta ſunt. Vbi ergo gentium vel terrarum veritatem hanc, in qua & per quam certa eſt atque æterna ſalus, inuenire licebit?

Hoc

Hoc nunc potiſſimùm temporis opportunè ac neceſſariò quæritur, quando tanta eſt vbique locorum concertatio de veritate; ſingulis illam ſibi ſolis vendicantibus, & ab alijs omnibus remouentibus.

In hac re tanti momenti valdè nos iuuabit Scriptura hæc Apoſtolica, quæ dicit, veritatis columnam & firmamentum eſſe Eccleſiam Dei. Vis enim noſſe in tanta doctrinæ varietate, vbi veritas ſit, & quidem certa, firma, ſtabilis veritas, quæ numquam mutari, numquam nutare aut vacillare poteſt. Inuenies illam in eccleſia Dei, & alibi nuſquam. Vnde auctor commentariorum in Epiſtolas Pauli, quæ Hieronymo aſſcribuntur, etſi verius Pelagij eſſe videantur, vt antè admonuimus, Eccleſia, inquit, eſt columna & firmamentum veritatis: in qua ſola ſtat veritas firmata, quæ ſola ſuſtinet ædificium.

Sed quęnam eſt hæc Eccleſia, vel vbinam illam quæremus? Pulchrè cómentarius aſſcriptus Ambroſio: Eccleſia domus Dei eſt, cuius rector eſt Damaſus. Idque multis locis perſpicue docet etiam antiquiſſimus ſcriptor, Doctorque pariter & rector & martyr Eccleſiæ Irenæus: Lib. enim 3. contra hæreſes, cap. 4. Tantæ, inquit, oſtenſiones cum ſint, (Eccleſiæ ſcilicet) non oportet apud alios quærere veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere. cum Apoſtoli, quaſi in depoſitorium diues, pleniſſime in eam contulerint omnia quæ ſunt veritatis: vt omnis quicumque velit ſumat ex ea potum vitæ. Hæc eſt enim vitæ introitus: omnes autem reliqui fures ſunt & latrones. Propter quod, oportet deuitare quidem illos; quæ verò ſunt Eccleſiæ, cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem. Quid enim, etſi de modica aliqua quæſtione diſceptatio eſſet, nónne oporteret ad antiquiſſimas recurrere Eccleſias, & ab iis de pręſenti quæſtione ſumere quod certum & liquidum eſt? Quid autem ſi neque Apoſtoli quidem ſcripturas reliquiſſent nobis, nónne oporteret ſequi ordinem traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Eccleſias? Et cap. 3. Traditionem Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam in Eccleſia, adeſt perſpicere omnibus qui vera velint audire. Et habemus adnumerare eos qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſijs, & ſucceſſores eorum, vſque ad nos. Et paullò pòſt; Sed quoniam valdè longum eſt, in hoc tali volumine, omnium eccleſiarum enumerare ſucceſſiones; maximæ & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem & annuntiatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, prætetquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt conuenire omnem Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt vbique fideles; in qua ſemper, ab his qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio. Eadem habet cap. 4. & lib. 4. cap 6. Sic Auguſtinus lib. contra Epiſtolam fundamenti, cap. 5. EGO EVANGELIO NON CREDEREM, NISI ME ECCLESIAE CATHOLICAE COMMOVERET AVCTORITAS. Quibus ergo obtemperaui, dicentibus; Credite Euangelio: cur non obtemperem, dicentibus mihi; Noli credere Manichæo? Eadem dicit lib. de Vtilitate credendi, cap. 14.

Hæc diligenter admonenda ſunt, & notanda, propter hæreticos noſtri temporis. Quæritur enim, quibus potiſſimùm rationibus, tum illi ipſi, tum quiuis alij hæretici, conuinci poſſint ac debeant erroris & falſitatis in doctrina. Sacrarum ſcripturarum teſtimoniis certò & ineluctabiliter conuinci non poſſunt: quia Scripturam ſacram, quum loqui ipſa neſciat, & quis verus ſenſus ſuus ſit, teſtari non poſſit; omnes ad ſe trahunt, pro ſe ſtare dicentes, & in falſitatis ſuæ confirmationem torquentes. reſtat igitur, vt ſolidè conuincantur per Eccleſiam, quæ (vt hic dicitur) eſt columna & firmamentum veritatis. Et ſic certè ab initio Eccleſiæ ſemper conuicti fuerunt omnes hæretici; iudicio nimirum ac teſtimonio Eccleſiæ Dei: vt eleganter & eruditè docet Vincentius Lirinenſis in libello ſuo aureo contra profanas hæreſum omnium nouitates.

CAPVT XXXIX.

Quænam ſit Eccleſia; & quæ eius notæ?

SED iam quærunt hæretici, quænam ſit Eccleſia Dei, & hoc variis modis incertum reddere conantur; ne hac ratione, quam ſatis vident eſſe inſuperabilem, conuinci queant.

queant. Et hanc ob cauſam dicere ac docere audent, Eccleſiam Dei eſſe inuiſibilem, nec certò cognoſci à quoquam vel deprehendi poſſe. Quo nihil propemodum dici poteſt abſurdius, magiſve contra Scripturam ſacram, rationem, & veritatem.

Proinde, quum hoc, argumẽtis Catholicorum conuicti, ſuſtinere firmiter non poſſunt; maximè quòd hinc ſequatur, ipſorum quoque Eccleſiam pro vera Chriſti Eccleſia tradi vel haberi non poſſe, quod nulla tamen ratione admittere volunt; eò veniunt tandem, vt aliquam eſſe in terris viſibilem & veram Dei Eccleſiam confiteantur. Benè habet: in eo iam plane nobiſcum & cum veritate conueniunt. Sed quibus notis cognoſci poteſt ac debet vera hęc & viſibilis Dei Eccleſia, ab aliis hominũ cœtibus omnibus, quorum ſinguli Eccleſiam Dei ad ſe rapiunt, aliiſque eripiunt, quatenus quidem in ipſis eſt? Dant nobis notas duas Eccleſiæ Dei: non illas quidem vel ex illis quæ ſunt in Symbolo fidei noſtræ; in quo profitemur Eccleſiam Dei veram, eſſe vnam, Catholicam, Apoſtolicam; ſed alias ſtudio ac data opera abs ſeſe in fraudem confictas. Dicunt, Eccleſiæ Dei verè notas eſſe, prædicationem veritatis, & legitimum vſum Sacramentorum Chriſti. Quas notas vbi tandem expreſſerunt, ac nominarunt; mox aſſumunt; At, notum eſt in Romana Eccleſia omnem veterem doctrinam de cultu Dei abolitam eſſe, & Sacramentorum vſum corruptum; apud nos autem vtrumque ſeruari ac tradi vt oportet, iuxta verbum Dei: ergo apud illos non eſt Eccleſia, ſed apud nos. Vbi manifeſta fallacia atque impudenti mendacio, per petitionem principij (vt Dialectici loquuntur) pro confeſſo & re certa ſumunt, quod in controuerſia ponitur, & in quo totius cauſæ ſtatus verſatur: an videlicet apud nos ſit doctrina veritatis, & rectus Sacramentorum vſus, an apud illos. Sed ipſis tantummodo propoſitum eſt, quacumque ratione falſitatem tueri: ideò tales Eccleſiæ notas proferunt, dum premuntur à Catholicis, vt aliquas proferant, quas ſibi ſuæque Eccleſiæ accommodare queant, quaſque omnes hæretici & ſchiſmatici æquè ſibi attribuere poſſunt; quemadmodum & faciunt.

Quòd Eccleſia ſit vna, Catholica, Apoſtolica, quas veræ ſunt & certæ notæ Eccleſiæ Chriſti; fateri coguntur, hæc ſuæ Eccleſiæ conuenire nulla ratione poſſe. Ideò veras haſce Eccleſiæ notas oderunt, quia lucem & veritatem oderunt: earumq; loco illas afferunt quas diximus.

Et nos quidem agnoſcimus, hactenus dici poſſe notas Eccleſiæ doctrinæ veritatem & rectum Sacramentorum vſum, quoniam vbicumque eſt Eccleſia Dei, ibi hæc quoque ſint; & vice verſa, vbi hæc ſunt, ibi eſſe Eccleſiam Dei; fatemurque hæc ſemper eſſe coniuncta; veruntamen, hæc certa atque indubitata ſigna eſſe Eccleſię Dei, qualia quærimus, hoc nimirum negamus. Et non ſine magna ac certiſſima ratione negamus. ſiquidem nunc omnes & ſingulæ ſectæ, non minùs inter ſe diſſidentes in capitalibus religionis articulis, quàm à nobis; has tamen duas notas quas volunt, ſibi arrogant: vt nulla vnquam fuit hæreſis cunctis retrò temporibus, quæ eadem ſigna ſibi non attribuerit. Qui magis vnquam de ſinceritate verbi Dei doctrinæque veritate & certitudine gloriati ſunt quàm Arriani? Verum autẽ vſum ſacramenti Baptiſmatis an ita ſibi ſolis Donatiſtæ non vſurparunt, vt ſicut Arriani ſinceri verbi Dei poſſeſſione Catholicos excludebant, ſic iſti verum vſum Baptiſmi penes alios quàm ſeſe eſſe negarent; & eam ob cauſam vterique Eccleſiam Dei ſe eſſe contenderent? Num autem erant propterea? Annon potiùs tandem reipſa compertum fuit, nec Eccleſiam Dei apud illos vnquam fuiſſe, nec verbi Dei veritatem, nec vſum legitimum Sacramentorum Chriſti; vt ſemper Catholici ſuſtinuerant? Quum ergo duo hæc quæ diximus talia ſint, vt vtraque pars contendentium ſibi aſſcribere, alteri abrogare queat; quomodo in iis poſſunt certæ notæ eſſe Eccleſiæ Dei, quibus a ceteris omnibus hæreticorum & ſectariorum conuenticulis diſcernatur? Qui vel mediocriter verſatus eſt in præceptis Rhetoricis, nouiſſe poteſt vitioſum eſſe argumentationis genus, quod commune vocant, quodque nihilo magis pro aduerſariis, quàm pro nobis facit. Et ſenſus ipſe communis etiam admonere poteſt, quòd certum ſignum Catholicos diſcernens ab hæreticis eſſe non poteſt de quo inter vtroſq; controuertitur. Tale eſt quod dicunt aduerſarij in eccleſiis ſuis eſſe ſinceram prædicationem verbi Dei, veramque religionis doctrinam, itemque verum ac legitimum vſum Sacramentorum. dicimus nos contrà, vtrumque verius eſſe in Eccleſia noſtra Catholica: cùm in vtroque præſcripſerimus; neque nos ab illis, ſed ipſi à nobis diſceſſerint. Dicimus inſuper, ſinceritatem verbi Dei, ſeu veritatis doctrinam, magis multò meliuſque agnoſci ex veritate Eccleſiæ, quàm contrà: quod Irenæus quoque & Auguſtinus oſtendunt, vt

paulò

paulò antè audiuimus. Atque hæc omnia planè congruunt loco huic Apoſtolico, Eccleſiam eſſe columnam, firmamentum veritatis. Ita nimirum vt veritas Eccleſia Chriſti tamquam fundamento nitatur, eiuſque diligentia, induſtria, vigilantia, cura, ſtudio, ac labore aſſiduo conſeruetur ac defendatur. Adeò quidem vt Caluinus etiam, tantus Eccleſiæ Dei ac veritatis hoſtis, lib. 4. Inſtitutionis ſuæ cap. 195. doceat fidelem veritatis cuſtodem eſſe Eccleſiam, & ab Eccleſiæ miniſterio petendam eſſe omnem veram doctrinam. Optime quidem ac veriſſimè. Sed quod hinc neceſſariò ſequitur, videre non vult, nimirum magis & priùs notam & perſpicuam eſſe debere Eccleſiam, quàm doctrinam veritatis: quandoquidem notior debet eſſe is, apud quem aliquid quæro, quàm id quod quæro: niſi fruſtrà velim quærere, & numquam quærendi finem facere. Quare, non doctrina veritatis nota eſſe poteſt ad inueniendam Eccleſiam, ſed ad veram inueniendam doctrinam medium commodiſſimum & neceſſarium eſt, auctoritas, vox, miniſterium Eccleſiæ Dei iam percognitæ, & in confeſſo poſitæ. Qui latiùs tractatum videre cupit, quomodo per Scripturas innoteſcat Eccleſia, & quod tamen Scriptura non eſt nota Eccleſiæ, ſed Eccleſia ipſa notior quàm Scriptura; legat inter alios Stapletonum, lib. 1. Principiorum doctrinalium cap. 25. & lib. 12. cap. 15. 16. & 17. Vbi inter alia, ſimilitudinem habet huic rei vehementer accommodam. Quòd Scriptura ſacra de Eccleſia Dei, deq; auctoritate & poteſtate, de luce & maieſtate eius, vbique locorum apertiſſimè loquitur; de ceteris autem religionis Chriſtianæ dogmatibus obſcuriùs parciùſque, tamquam illa volens ab Eccleſiæ benè conſtitutæ ac declaratæ magiſterio petenda eſſe: perinde eſt, ac ſi quis heredem teſtamento ſcribat verbis apertiſſimis, vel teſtamenti executorem omnibus notum; cetera verò, in teſtamento vel penitùs taceat, iubeatq; ab herede vel adminiſtratore perquiri, vel obſcuriùs ponat, & velit pleniorem omnium declarationem ab eodem herede vel executore peti, illiuſque iudicio in omnibus ſtari; quem quidem in hunc finem pleniùs de omnibus priuatim inſtruxerit. Non hinc ſequeretur, quoniam teſtamentum quiſnam heres vel executor ſit teſtamenti apertè declarat, hocque adeò ex teſtamento diſcendum eſſe, propterea cetera omnia quæ ad hereditatem ac teſtatoris vltimam voluntatem pertinent, non ab herede vel executore, ſed ab ipſo ſcripto teſtamento petenda eſſe. Sic planè res habet in præſenti negotio. Eccleſiam Chriſti heredem teſtamento eius ſcriptam eſſe manifeſtum eſt. Paulus fideles omnes appellat heredes Dei, coheredes
Rom. 8. autem Chriſti. & alio loco: Si vos Chriſti eſtis, inquit, ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundùm promiſſionem heredes.

Quod verò apud Eccleſiam, præcipueque apud rectores & primates eius omnia depoſuerit Chriſtus, quæ ad hereditatem cæleſtem conſequendam (vt eſt doctrina veritatis, vſus Sacramentorum, & ſimilia) requiruntur, illiſque omnium illarum rerum adminiſtrationem commiſerit, nimis notum eſt. Hinc enim eſt etiam, quòd, vt maiorem heredis ſui & pleniorem omnibus auctoritatem ſeu poteſtatem oſtenderet, ipſe paucis annis, triénio tantùm, & vnica ſolùm in prouincia nempe Iudæa docuerit: cùm heredem ſuum, Apoſtolos nimirum & diſcipulos Eccleſiæ præfectos, in omnem terrarum orbem miſerit: idque longo tempore, ſine vllis Scripturis, vel ſcripto aliquo teſtamento: tantummodò cum illa inſtructione, ſeu commiſſione, quam viua voce illis tradiderat. Ad hæc ipſemet teſtamentum nullum ſcripſit; ſed ab ipſa Eccleſia ſcribi voluit, illudque omnes gentes ex ore Eccleſiæ ſuæ accipere, vſque ad finem mundi. Denique illa tantùm dici vel ſcribi voluit in teſtamento ſuo, illa notari vel prætermitti, quæ Eccleſiæ notanda vel prætermittenda eſſe viderentur: & ſic omnia ſcribi atque conſtitui. vt præfecti Eccleſiæ exiſtimarent ſcribenda, ordinanda, & conſignanda eſſe: nec vno loco omnia, nec vno tempore, ſed à diuerſis Eccleſiæ præfectis, alio atque alio loco, hæc aut illa, itemq; alio atque alio tempore, prout Eccleſiæ videretur expedire, vel neceſſe eſſe: & omnia quæ ſcripta eſſent Eccleſiæ interpretationi ac declarationi committens.

CAPVT XL.

De Eccleſia Scripturaq; ſacræ auctoritate: deq; mutuo, quod ſibi-inuicem præbent, teſtimonio.

ALII alia ſimilitudine non minùs aptâ rem explicant, ad hunc modum. Cùm de auctoritate Eccleſiæ vel Scripturæ ſacræ diſputatur, par eſſe videtur vtriuſque auctoritas; cùm ſit auctoritas vtriuſque æquè à Spiritu ſancto. Sic par eſt fides, ſeu potiùs eadem

eadem auctoritas, teſtis & dicti abs ſe teſtimonij; ſcriptoris & ſcripturæ; Notarij & inſtrumenti ab eo confecti. Attamen, quia teſtimonium à teſte eſt, ſcriptura à ſcriptore, inſtrumentum à Notario, notior eſt ex rei naturâ teſtis quàm teſtimonium, ſcriptor quàm ſcriptura, Notarius quàm inſtrumentum. Et non iudicat teſtimonium de teſte ſuo, ſcriptura de ſcriptore, nec inſtrumentum de Notario: ſed penitus contrà, teſtis iudicat de ſuo teſtimonio, quemadmodum accipi atque intelligi debeat, ſcriptor de ſcriptura, de inſtrumento Notarius; ſitne videlicet inſtrumentum ſuum, nec ne: ſitne verum & ſincerum, vt à ſe conditum fuit, an non, &c. Sic certè res habet, de Eccleſia & Scriptura ſacra. Scriptura ſacra naturam habet inſtrumenti ſeu teſtimonij: Eccleſia verò, teſtis, ſcriptoris, vel Notarij. Non ſe poſſunt explicare Scripturæ ſacræ; non verum ſenſum ſuum, aut illius qui eas ſcripſit, aperire; non dicere vel teſtificari, à qua parte ſtent, cùm de vero illarum ſenſu atque interpretatione diſputatur. Sunt veluti plumbea illa Lesbiæ ædificationis regula, quam accommodabant Lesbij, & inflectebant, vt volebant, ad ædificationem ſuam. Sic Scriptura ſacra ſeſe flecti facilè patitur & accommodari in ſenſum quem quis antè ſecum attulerit ac præſumpſerit. At Eccleſia, quæ Scripturam edidit, editamq; conſeruat, ac ſenſum earum verum, ab eiuſdem ſcriptoribus probè didicit & accepit, cumque itidem fideliter ſemper cuſtodit; rectè ac meritò poteſt ac debet de Scriptura iudicare.

Certè, quòd auctoritas ſacræ Scripturæ tota pendeat ab Eccleſia, ab eaque omnem ſuam auctoritatem quadam ratione acceperit (tametſi nihilominus verum manet, quod iam diximus; tam Eccleſiam quàm Scripturam accepiſſe auctoritatem ſuam, propriè loquendo, à Spiritu ſancto) argumentis minimè leuibus, minimeque obſcuris, oſtendi poteſt. Siquidem Scripturis quibuſdam, eiſque præcipuis, hoc eſt, Euangeliſtarum, quam neque ex ſe neque ex ſcriptoribus ſuis apud nos habebant, canonicam impertiuit auctoritatem: aliis verò, quam ex auctoribus ſuis habebant, auctoritatem conſeruauit; eaſque, veluti chirographo aut ſigilli ſui certo teſtimonio communitas, ad nos certa fide deduxit. perinde ac, cùm ex Pontificio aut Imperiali diplomate, per ſe quidem authentico, ſed quod numquam ipſi viderimus, ad nos tranſmitterentur ignota manu deſcripta exemplaria; eis ſiquidem, niſi ſub teſtimonio, chirographo, aut ſigillo fide-dignæ alicuius publicæque & notæ perſonæ, quòd concordarent cum ipſis originalibus, integris, certæque fidei & authenticis, nulla prorſus fides haberetur: ita verò tranſſumptis (etiam vt deinde perirent nec vſquam exſtarent autographa, aut ipſæ originales litteræ) æqua fides haberetur, atque ipſis, ſi proferrentur, principalibus; ob notum videlicet ſigillum aut chirographum tranſſumentis, adhibitoſque teſtes, ſub quorum atteſtatione fuere tranſſumpta.

Ita planè eſt, de Scripturis canonicis. Veteris quidem Inſtrumenti canonicas Scripturas autographas periiſſe vniuerſas Babylonico illo incendio, vnà cum Arca fœderis, in qua aſſeruabantur, tradit antiquitas. Et ſi adhuc exſtarent; nihilo maiorem apud nos inuenirent auctoritatem aut fidem, quàm quæ nunc leguntur eorumdem exemplaria; niſi extrinſecus accepto teſtimonio, quòd verè eſſent illa autographa, ſuo illo ſæculo ſub certa diuinæ atteſtationis fide tradita tunc viuenti Eccleſiæ, & ita recepta ab eadem. Perinde enim ac apud nos prolata inſtrumenta publica, Notarij publici authentici ſubſcripta manu, ſed nobis vnà cum ipſo Notario planè eſſet incognita. Exemplaribus autem illis, quæ habemus & legimus Scripturarum, nulla apud nos maior fides aut auctoritas eſſe poſſet, quàm quibuſlibet ſcripturis apocryphis: aut quàm eſſet illi ſcripturæ, cuius paulò antè meminimus, quæ Petri ſe mentiebatur Euangelium, niſi nobis commendaretur Eccleſiæ teſtimonio. Nihilo enim plus illud Petri non eſſe, quàm hoc eſſe Matthęi, Ioannis, Marci, Lucæ, quàm denique hæc Moyſi, Iſaię, Ieremiæ, ceterorumque, quorum titulos præferunt, nobis poſſet conſtare.

Propter Eccleſiam ergo ſolam, eiuſque auctoritatem, nunc credimus Scripturæ vniuerſæ: partim vt tranſſumptis ab eadem exemplaribus diplomatum, quorum perierunt originalia; partim vt iis, quorum etiam originalibus publicam indubiæ veritatis fidem auctoritatemque ipſa impertita eſt.

Veteris Inſtrumenti hiſtoria, maximè quæ poſt Ieſum Naue accidit, ferè incertis auctoribus ſcripta eſt; vt libri Iudicum, Ruth, Regnorum, Paralipomenon, Tobiæ, Iudith, Eſther, Iob. In quibus illius temporis Synagoga aut Eccleſia, non ſolùm ſub fide publica tranſſumentium, & ad nos tranſmittentium, ex autographis publicis & authenticis, vice defuncta eſt; ſed & autographis ipſis, quamuis ſine nomine & titulo ſcriptis, publicam

nobis auctoritatem impertita eſt. Teſtes quippe veritatis eorum, quæ ſibi certò conſtabant, effecta, ſuâ veluti ſubſcriptione ac teſtimonio, publicas authenticaſque ſcripturas, quod ex auctoribus aut ſcriptoribus ſuis, qui ignorantur, non habent, nobis effecit, & ad nos tranſmiſit. Idem à Chriſtiana Eccleſia in Euangeliſtarum ſcripturis, & præcipuè Lucæ & Marci, factum, ſuprà demonſtrauimus; vt qui à ſe ſcriptorum non fuerunt teſtes oculati, ſed crediderunt narrantibus alijs. at ſciuit, quæ tunc viuebat Apoſtolica primitiua illa Eccleſia; quæ certæ veritatis eorumdem teſtis effecta, publicam indubiæ veritatis auctoritatem illis impertita eſt. Omnis ergo, quæ nunc apud nos eſt, Scripturarum auctoritas, ab Eccleſiæ auctoritate neceſſariò dependet: neque enim aliter eis credere poſſemus, niſi, quia teſtimonium illis perhibenti Eccleſiæ credimus.

CAPVT XLI.

Qua ratione, ſeu per quid fiat, vt Eccleſia ſit columna & firmamentum veritatis.

SED iam quæritur, qua ratione, quóve modo, ſeu per quid, ſit Eccleſia columna & firmamentum veritatis. Ad quod facilè reſpondetur; fieri illud per continuam & perpetuam aſſiſtentiam opemque Spiritus ſancti. de quo Dominus in Euangelio: Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, ſpiritum veritatis, vt maneat vobiſcum in æternum. Item; Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Item: Docebit vos omnem veritatem.

Sed quia hæc reſponſio generalis eſt, clariùs exprimenda & latiùs declaranda ſunt chariſmata, quibus ad perpetuam veritatis cuſtodiam vtitur Spiritus ſanctus. Horum vnum primum & præcipuum eſt, quòd Eccleſiæ ſuæ prouidet ſemper de bonis & fidelibus paſtoribus, rectoribus & doctoribus, quibus ante omnia curæ ſemper eſt, cuſtodia & defenſio veritatis. Qua de re Paulus ad Epheſios 4. Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti; donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris: veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus. Hoc eſt officium docendi & prædicandi perpetuum, quo potiſſimùm conſeruatur vera doctrina in Eccleſia Dei. In quo officio eminet inſigniter ſummamque Eccleſiæ vtilitatem & fructum parit, in cuſtodia veritatis, miniſterium, auctoritas & poteſtas ſupremi capitis Eccleſiæ Rom. Pontificis. De quo nominatim multa & præclara extant in Sacris litteris. vt illud: Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduerſus illã. Item: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Vnde etiam factum, non modò vt Romana fides, & Petri ſucceſſor, in Sede Romana, numquam adhuc defecerit, tot tantiſque perſecutionibus contra Sedem illam toties excitatis; ſed etiam quòd & nulla vmquam hæreſis oppreſſa atque extincta fuerit niſi operâ, curâ ac diligentiâ Romani Pontificis: & nunc temporis, multiſque antè ſæculis nuſquam in toto orbe terrarum veritas regnet fidei ac religionis Chriſtianæ, niſi eiuſdem Sedis operâ, vigilantiâ, auctoritate, & facultate.

Matth. cap. 16.
Luc. c. 22.

Aliud medium quo veritas retinetur in Eccleſia, ac mirabiliter propagatur, eſt multitudo miraculorum quæ nulli vmquam hæretici vel ſectarij facere potuerunt. De quo Auguſtinus De vtilitate credendi cap. 16. & contra Epiſtolam Fundamenti cap. 4. vbi & multa alia nominat breuiter ad hanc rem facientia. Aliud item, quo mirum in modum firmatur & cuſtoditur veritas in Eccleſia Chriſti, eſt credentium in Chriſtum illique fideliter adhærentium multitudo, toto orbe terrarum. De quo Auguſtinus De vtilitate credendi cap. 17. lib. 22. De ciuit. Dei cap. 5. & multis ſequentibus. Quibus locis oſtendit, admiranda eſſe miracula facta initio Eccleſiæ, ad confirmationem veritatis, & multa adhuc eumdem in finem quotidie fieri. Maximum autem eſt, inquit, quòd mundus rem tam incredibilem paucis, iiſque idiotis, & iuxta ſæculum infirmis atque abiectis annunti-

tiantibus credidit. Qui etſi miracula ſtupenda non feciſſent, maius tamen fuiſſet miraculum, mundum eis ceſſiſſe ſine miraculis. Quiſquis etiam nunc quærit prodigium, vt credat in Chriſtum, magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit. In multitudine autem ſequentium Chriſtum, in eumque credentium, eſt conſenſio tot populorum atque gentium, per tot tempora huc vſque perdurans, per tot loca extenſa.

Et in his ſupra modum mirabile eſt, quòd res tam arduas & incredibiles, perſonarum trinitatem in vna natura, Deum hominem, eumque crucifixum & mortuum, mundum totum ex nihilo conditum, carnis reſurrectionem iam credant firmiter & confiteantur omnes gentes, etiam anus & puellæ: quodque vnicus Deus à vulgo colatur, omnibus viſibilibus idolis è mundo exploſis.

Sed in his omnibus eminet tam innumera turba Martyrum, tot tamque horrenda ſupplicia pro fide Chriſti & pro veritatis confeſſione fortiter atque alacriter tolerantium. Item perfecta ac puriſſima caſtitas innumerabilium virginum vtriuſque ſexus, omnes nuptias perpetuò contemnentium. Denique amor paupertatis & abſtinentiæ maximus in innumeris. Quodque vulgus omne hominum bonorum infirmitatem ſuam agnoſcit & deplorat, quòd talia non amplectitur. Populi, inquit Auguſtinus, fauent, prædicant & laudant.

Aliud deinde eſt non parum faciens ad veritatis cuſtodiam in Eccleſia: Quòd nimirum quæcumque iam videmus apud Chriſtianos tot ſæculis fieri & prædicari, a Prophetis ſanctis tanto antè noſcuntur eſſe prædicta; & ſic impleta cernuntur vt prædicta ſunt. In quibus etiam eſt gentilium & hæreticorum ſæuiſſima oppugnatio. Quod vtique nulli hominum vel induſtriæ vel fraudulentiæ poteſt aſcribi. Nec dici poſſunt libri in quibus hæc continentur poſt rerum euentus eſſe conficti: cùm inimici Chriſti & veritatis Iudæi, per varias nationes diſperſi, teſtentur, hos libros multis ſæculis ante Chriſti natiuitatem, & Chriſtianæ religionis originem, à tota gente Iudaica pro ſacris libris habitos ac receptos fuiſſe. Qua de re aliiſque huc ſpectantibus latiùs Auguſtinus lib. 13. contra Fauſtum Manichæum, multis capitibus.

CAPVT XLII.

Quænam veritates credendæ ſint, de neceſſitate ſalutis.

ANTEQVAM ex diſputatione de veritate religionis exeamus, & præcipuè quando hîc iam nonnihil attigimus de auctoritate tum ſacræ Scripturæ, tum Eccleſiæ Chriſti, ad inuentionem, oſtenſionem, definitionem, ſeu defenſionem veritatis, non erit abs re breuiter explicare, ad ſimpliciorũ inſtructionẽ, quænam veritates credendæ ſint, de neceſſitate ſalutis, vt communiter loquuntur Theologi; ita ſcilicet, vt niſi firma fide ſuſcipiantur & credantur, ſalus æterna conſtare non poſſit: quæ verò de ſola probabilitate tenendæ ſint, etſi non planè certæ. Item, an aliquæ ſint veritates ad ſolam fidei pietatem ſpectantes. Denique, num aliquæ ſint, quæ cenſeri queant ad fidem eſſe impertinentes, ita vt nihil referat, credantur vel non credantur. Has quæſtiones tractat breuiter & ſans clarè pius iuxtà & eruditus Theologus Ioannes Gerſonus, tomo primo operum ſuorum, poſt explicationem Præcepti, Non occides. Ideò, verba eius nihil immutata hîc aſcribemus.

Declaratio compendioſa, quæ veritates ſint de neceſſitate ſalutis credendæ, quæ de ſola probabilitate tenendæ; quæ de pietate fidei reputandæ, & quæ ſint impertinentes iudicandæ, & hoc ſub diſtinctione & gradu ſextuplici, qui ad quaternarium reducitur. Pro ſolutione dubitationis quæ nuper mouebatur in ſermone de natiuitate beatæ Virginis Mariæ conſideratione ſecunda.

Primus gradus veritatum credendarum, eſt, canon totius Scripturæ ſacræ, & ſingulorũ quæ in ea litteraliter aſſerta ſunt: ſic videlicet, quod non ſtat cum fide, vt aliquis diſſentiat pertinaciter alicui contento in eadem Scriptura, ad intellectum Spiritus ſancti: qui eſt verè & propriè ſenſus litteralis. Si allegatio quæritur, ſufficit illud Matth. 5. Amen quippe dico vobis: donec tranſeat cælum & terra; iota vnum aut apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Sequitur, Amen dico vobis, cælum & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt. Conſtat autem, quòd canon Bibliæ lex eſt Dei per reuelationem habita, cuius aſſertiones litterales innituntur huic vnico litterali principio. Omne reuelatum à Deo, eſt verum; & quòd Scriptura ſacra diuinitus eſt à Deo reuelata: ſic quòd in

omni ſua parte eſt verbum Dei, quod tranſire non poteſt. Facit ad hoc diſtin. ix. Decreti, Capitulis, Ego ſolis; Si ad ſacras; &, Quis neſciat.

Secundus gradus veritatum ab Eccleſia determinatarum eſt: quæ ab indubitata relatione Apoſtolorum per ſucceſſionem continuam deuenerunt. Eſt autem hæc Eccleſiæ auctoritas tanta, vt diceret Auguſtinus; Euangelio non crederem niſi me auctoritas Eccleſiæ compelleret. quamquam viciſſim dici poſſit; Eccleſiæ non crederem, ſi non auctoritas ſacræ Scripturę impelleret. & ita diuerſis reſpectibus auctoritas vtraque mutua ſe confirmat. Attendendum tamen eſt, quòd non omnia quæ tradit vel tolerat Eccleſia publicè legenda, ſunt de neceſſitate ſalutis credenda: ſicut patebit ex quinto & ſexto gradibus veritatum: ſed dumtaxat illa, quæ ſub diffinitione iudiciali tradit eſſe credenda, vel oppoſita reprobanda, concurrenti vniuerſali totius Eccleſiæ conſenſu implicitè vel explicitè, vel interpretatiuè.

Tertius gradus eſt veritatum, ſpecialiter aliquibus reuelatarum; quæ ab illis quibus reuelatio facta eſt, abſque vlla dubitatione credendæ ſunt: alioquin non eſſet reuelatio, de cuius ratione eſt, vt ſit certa. Ceteri verò, quibus non eſt huiuſmodi reuelatio facta, non obligantur credere, niſi per miraculum, vel Scripturam, & præcipuè per Eccleſiam detur certitudo. Sic enim Ioannes Baptiſta miſſionem ſuam oſtendit per ſcripturam Propheticam. Et Apoſtolus propterea contulit Euágelium ſuum, quod habuerat per reuelationem, cum Petro & alijs de Eccleſia: non quòd dubitaret de illo Euangelio; alioqui peccaſſet: iuxta illud; Etiam ſi Angelus de cælo aliud vobis Euangelizauerit, anathema ſit. ſed ideò contulit Euangelium ſuum, vt approbaretur per Eccleſiam, ad credulitatem aliorum, & non ad ſuam: quia dixit, quòd nihil ſibi contulerunt Petrus & ceteri; ſed dextras dederunt, cùm cognouiſſent gratiam Dei quæ data ipſi erat. Demum triplex huiuſmodi gradus veritatum reducitur ad vnum, ſcilicet ad veritates quæ credi debent immediate & explicite à Deo reuelatæ eſſe.

Quartus gradus continet veritates omnes & ſingulas, quæ concluduntur ex præmiſſis veritatibus, in conſequentia certa, in lumine fidei, vel in euidenti lumine naturali: quamuis non in propria forma verborum illic habeantur. Quemadmodum iſta veritas eſt de neceſſitate ſalutis tenenda, quòd Chriſtus habuit neruos & venas: quamuis in Scriptura ſacra non habeatur in propria verborũ forma. Et ita de ſimilibus ſine numero: quoniam iſta eſt euidens conſequentia, non ſolùm in lumine fidei, ſed in lumine naturali apud Philoſophos; Chriſtus fuit verus homo; ergo Chriſtus habuit neruos & venas. Propterea, non temerè fuerunt aliquando quæſtiones fidei ad Philoſophos paganos per Chriſtianos deductæ: quia videre poterant acuti Philoſophi ex præſuppoſita lege noſtra, licet ab eis non credita, ita ſentiendum & loquendum in bona & euidenti conſequentia. Et hic eſt ſecundus gradus, primis tribus ad vnum reductis.

Quintus gradus. Rurſus in quinto gradu, qui tertius eſt modo dicto, reponuntur veritates illæ quæ ex veritatibus quadruplicis gradus antedicti, vel aliquibus earum, deducuntur, in conſequentia tantummodò probabili vel topica: vel dum in antecedente ponitur propoſitio, quæ ad fidem eſt impertinens, quamuis ſupponatur eſſe vera. Dicit autem Ariſtoteles, illud eſſe probabile, quod omnibus & maximè ſapientibus verum apparet; non autem illud quod indoctis videtur; quia ſtultorum infinitus eſt numerus. Veritas autem omnino impertinens ad fidem illa ſola dicitur, quæ nec in conſequentia euidenti, nec in conſequentia probabili neque certa, ſequitur vel repugnat. Porrò dum propoſitioni fidei apponitur aliqua quæ non eſt de fide; tunc totum quod eſt vna copulatiua, non poteſt ſimpliciter dici de fide: quia ſequitur debiliorem partem; vt, ſi in ea eſſet vna cõtingens, tota eſſet contingens; quamuis eſſent multæ neceſſariæ. Dicitur nihilominùs ea propoſitio talis, ad cuius verificationem requiratur vna propoſitio non pertinens ad fidem: quia ſapit fidem, ſi ſit vera; vel quia ſapit hæreſim, ſi ſit falſa. Et ſic poteſt deſcribi propoſitio ſapiens hæreſim: quæ eſt propoſitio, ex cuius conceſſione coaſſumpto aliquo quod nõ poteſt rationabiliter negari, ſequitur hæreſis in fide: vt ſi quis diceret, quòd beatus Gregorius nõ fuiſſet Papa; quia ſuppoſito quòd non poſſint rationabiliter negari hiſtorię dicentes ipſum fuiſſe ritè electum & ſuſceptum in Papam, licet non ſint de fide, ſequitur iſta hæreſis; quòd ritè electus in Papam, non eſt nec fuit Papa. Vnde non eſt propoſitio ita Catholica, ſi ei iungatur aliquid impertinens ad fidem; quin totum hoc complexum remaneat ad fidem impertinens. Exemplum, vt iſta propoſitio; Biblia ſunt falſa; eſt hæretica: & ſi adderetur quia Biblia quæ habet Ioannes ſunt falſa; nõ eſſet hæretica de ſe: licet

dici

dici poſſet, ſapere hæreſim, ſupponendò quòd Ioannes non haberet Biblia niſi correcta. Poſtremo, in caſibus huius quinti gradus, & ſexti ſequentis; verum eſt, quòd cauſæ fidei referendæ ſunt ad Papam vel ſacrum Concilium, ſi ſuper eas fieri debeat determinatio vel articulus arctans omnes: ſecùs in alijs cauſis, quæ tres primos gradus & quartum reſpiciunt: niſi forte per appellationem.

Sextus gradus. Demum in ſexto gradu, qui quartus eſt modo dicto, collocantur veritates illæ quæ tantummodò faciunt ad nutriendam vel fouendam deuotionis religioſam pietatem: quæ magis inducuntur ad inflammandum affectum, quàm ad inſtruendum intellectum: vbi pietas deuota magis aſpicitur quàm veritas certa: vbi hoc vnum reprobatur, ſi adeſſet aſſertionis temeritas, priuſquam elucidaretur alio modo per Eccleſiam, vel rationem certam, ipſa veritas; aut ſi ſuperſtitionem, hoc eſt religionem ſuperfluam & vanã, induceret. Vnde, ſicut dicit Ariſtoteles nihil referre, quædam falſa probabiliora eſſe quibuſdam veris; ita nihil refert, quædam falſa piè credi: non quòd ea ratione qua falſa ſunt, vel ſi ſciuntur eſſe falſa, credi poſſunt: procul hoc à pietate fidelium.

Sed cadit exiſtimatio vel pia credulitas, non ſuper veritate vel falſitate, ſed tantummodò ſuper apparentia vel probabilitate: & hoc vtique non eſt periculoſum vel falſum: quia cõſtat de apparentia & probabilitate, dum falſitas vel veritas ignota eſt. Propterea ſapientiſſimè dixit Hieronymus, quòd de talibus eligibilius eſt piè dubitare, quàm temerè definire. Sicut ſtat, quodlibet contradictorum eſſe probabile, & vnum ſtat pro altero, non in veritate, ſed probabilitate, ſic diuerſis reſpectibus, vtrumque contradictorium credi poteſt cum fidei pietate, dum tamen ſit animus ab aſſertione pertinaci alienus. Reſpicit autem iſte gradus Legendas & Miracula Sanctorum; Vitas Patrum; Viſiones deuotarũ perſonarum; citationes & opiniones ſacrorum Doctorum; quæ omnia ſuſcipit Eccleſia, & legi permittit: non quòd determinet, talia de neceſſitate ſalutis eſſe credenda; ſed quòd proficiant ad commouendos affectus pios fideliũ, & ad ædificationem ipſorum, dum in talibus nihil de certitudine ſcitur eſſe falſum: quamuis etiam neſciatur certitudinaliter, eſſe verum; nec vt tale, credendum proponitur. Ita vt magis hic attendatur, quod piã recogitatione fieri potuit, quàm quod indubitanter eſt factum. Et hoc apud Oratores creberrimum reperitur; quòd ex aliorum perſonis dicunt ea, quæ non perſonæ dixerunt, ſed quid dicere potuerint. Sicut in Legenda beatę Agnetis, & beati Sebaſtiani, & ſimilium, continetur. Hæc Gerſonus. Quæ, qui latiùs paulò & exactiùs explicata videre cupit; legat, quæ in eodem auctore ſequuntur.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

PETRI SIMONIS TILETANI
EPISCOPI YPRENSIS
DE VERITATE
LIBER TERTIVS:
De VERITATE Cauſarum rerúmq; naturalium.

CAPVT PRIMVM.

Tametſi Veritas cauſarum rerumq́; naturalium, atque eius cognitio, ad ſalutem non ſit neceſſaria; nuſquam tamen rectiùs inuenitur, quàm in Eccleſia Dei, atque apud fideles & electos.

DE Veritate cauſarum naturalium nihil aut perparum eſt in tota ſacra Scriptura. propterea quòd litterę illę traditæ ſunt à Deo tantummodò, & inſtitutæ ad ſalutem æternam electorum ſuorum. Quæcumq; enim ſcripta ſunt, inquit B. Apoſtolus, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus; ſpem vtique vitæ æternæ. Ad quem finem quum non ſit neceſſarium veram certamq́ue habere notitiam cauſarum rerumq́; naturaliũ, illius rei mentio prætermiſſa eſt in Sacris litteris. Sed nuſquam nõ mentionem faciunt Sacri libri veritatis religionis, quæ veri Dei cognitionem & cultum tradit, de qua hactenus diſſeruimus: itemq́ue veritatis moralis, quæ mendacio opponitur: de qua multa nobis ſtatim dicenda ſunt.

Rom. 15.

Hæc duo veritatis genera apprimè neceſſaria ſunt ad ſalutem æternam. At verò ſcientia cauſarum naturalium, ad veram æternamq́ue ſalutem & beatitudinem conſequendam, nihil aut parum facit. Non quærit Deus doctos habere in regno ſuo, ſed bonos. Virtutem quærit Deus, non ſcientiam. Scientia autem quamuis magna & multiplex, tantum abeſt vt per ſe bonum faciat hominem, vt etiam inflet magis, teſte Apoſtolo, & peiorem efficiat. Vnde illa querimonia D. Auguſtini atque exclamatio; Surgunt indocti, & cælum rapiunt; & nos cum doctrinis noſtris, ſine corde, ecce vbi volutamur in carne & ſanguine. Quod adeò verum eſt, vt ne ſcientia quidem Sacrarum litterarũ, multaq́ue de vero illarum ſenſu cognoſcere, nec Dei ipſius vera cognitio omniſq́ue voluntatis eius, ſalutem cuiquam præſtare valeat. Nec fides ſola, etſi maxima & perfectiſſima, ſalutem præſtat; ſed charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Scriptum eſt enim; Et ſi habuero prophetiam; & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam; etſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Sed redeamus ad veritatem rerum & cauſarum naturalium.

Confeſſ. lib. 8. c. 6.

1. Cor. 13.

Etſi verum eſt quod nunc diximus, veritatem hanc eiúſve notitiam non eſſe fidelibus & electis Dei filijs neceſſariam, vt beatitudinem & ſalutem æternam conſequantur; certum eſt tamen, hanc etiam veritatem nuſquam melius certiuſq́ue inueniri, tradi, doceri, quàm in Eccleſia Dei, ab eiuſq́ue fidelibus & electis. Quum enim omnis naturæ veritas à Deo ſit; conſequitur, nullum de rerum naturis earumq́ue proprietatibus, operationibus, cauſis, effectibus, meliùs iudicare poſſe, quàm qui probè inſtructus eſt per

rectam fidem gratiamque cæleſtem in cognitione naturæ, potentiæque, ſapientiæ, & bonitatis Dei.

Vnde & certum eſt, tametſi inter gentiles multi fuerunt egregiè exercitati in ſcientia rerum omniũ & cauſarum naturaliũ, inter quos principē locum tenet Ariſtoteles; tamen harum rerum cognitionē longè maiorem fuiſſe in Patriarchis multis populi Iſraëlitici & Prophetis. Vt omittam Salomonem regem, qui diuina planè rerum huiuſmodi ſcientia præditus, libros ſcripſit multos de rerum omnium naturis, & veritate cauſarum naturalium, vt Sacra teſtatur hiſtoria. Quin & plerique gentilium ſapientum, qui multa de ſcientia rerum naturalium ſubtiliter tradiderunt, non tam ſuo illa ingenio inuenerunt, quàm ab Hebræis diuinitus in huiuſmodi edoctis acceperunt.

CAPVT II.

Qui primi omnium ſcientiâ rerum naturalium floruiſſe credantur.

SATIS certum eſt Græcos omnem ſapientiam ſuam accepiſſe initio ab Ægyptijs & Chaldæis. Vnde autem factum putamus vt Ægyptij potiſſimùm & Chaldæi rerum omnium ſcientia floruerint longo tempore, præ ceteris omnibus nationibus; ita vt Plato etiam dixiſſe feratur, primum cæli ſpectatorem fuiſſe Barbarum; nempe Ægyptium? Haud dubie partim quia vicini erant Iudæis, qui ſoli initio Deum auctorem rerum omnium & ſapientiæ omnis fontem colebant; partim verò, quia ijdem Iudæi primùm in Ægypto aliquot ſæculis, deinde in Chaldæa totis annis ſeptuaginta, habitarunt. Vt omittam quod Ioſephus ſcribit de Abraham patriarcha lib. 1. Antiquitatum cap. 15. & 16. Erat, inquit, in admiratione omnium tamquam vir ſapiens, atque paratus non ſolùm ad intelligendum, ſed ad ſatisfaciendum & ad loquendum quodcumque docere niteretur. Arithmeticam quoque eis contulit: & quæ de Aſtrologia ſunt ipſe contradidit. Nam ante aduentum Abraham in Ægyptum hæc Ægyptij penitus ignorabant: à Chaldæis enim hæc plantata noſcuntur in Ægypto; vnde etiam perueniſſe noſcuntur ad Græcos. Citatq; ibidem Ioſephus & Beroſum Chaldæum de Abraham ita ſcribentem; Poſt diluuium decima generatione apud Chaldæos fuit quidam vir iuſtus & magnus, in cæleſtibus rebus expertus.

Georgius Cedrenus ſcribit Ægyptios & hoc inter alia diligenter ab Abrahamo edoctos fuiſſe, magnum eſſe diſcrimen inter veritatem & conſuetudinem. veritatem enim, etiam quum inueſtigatur, ægrè inueniri: conſuetudinem autem, qualiſcumque ea ſit, ſeu vera ſeu fallax, vltrò ſine examine ſe offerre. Quod propterea videtur à ſapiente viro ſeriò admonitum fuiſſe, quia gentiles omnes, in erroribus omnibus & ſuperſtitionibus ſuis retinendis, ſemper conſuetudini plurimùm tribuerunt; dicentes, illa ſe relinquere vel mutare non poſſe, quæ tanto antè tempore maiores ſui obſeruaſſent. Vnde etiam Auguſtinus lib. De vera religione, cap. 4. teſtatur, optimos gentilium ſapientiſſimoſque Philoſophos, quòd populum vulgarem ab idolorum cultu à multiſque vanis ſuperſtitionibus, quibus addictus erat, non retraxerint, ea in re non tam ſecutos fuiſſe teſtimonium propriæ conſcientiæ, quàm receptæ ceſſiſſe conſuetudini. De quorumdam opinione exiſtimantium, Platonem in Ægypto quærendæ veritatis ergò peregrinantē inueniſſe ibi Ieremiam Prophetam, multaque ab eo de mundi prima conſtitutione alijſque rebus ad veritatem ſpectantibus, didiciſſe, videre licet Auguſtinum lib. 8. De ciuitate Dei, cap. 11.

CAPVT III.

Gentiles admodum fuerunt ſtudioſi, Veritatis naturæ, in cælo, terra, mari, rebuſq; vniuerſis exquirendæ.

VTCVMQVE autem hoc habet, conſtat multos fuiſſe omni ferè tempore apud gentiles Veritatis naturæ admodum ſtudioſos, qui magno ſtudio ac labore multa rerum naturalium ſecreta inuenerunt & poſteris tradiderunt. Quo in ſtudio verſabantur in Ægypto Sacerdotes, aut Vates, apud Chaldæos & Perſas Magi, apud Gallos veteres Druidæ,

apud Æthiopes Brachmani, apud Indos Gymnoſophiſtæ, apud Græcos Philoſophi. Inter quos fuere ex primis, ſeptem illi, qui præ ceteris Sapientes dicti ſunt: ad quos oraculo Apollinis delata fuit aurea menſa, velut ad totius Græciæ ſapientiſſimos. Qui omnes de rerum naturis multa præclarè diſſeruerunt. Thales Mileſius primus Vrſum minorem in cælo notauit, ſeu Cynoſuram illam,

Quæ curſu interiore breui conuertitur orbe:
Qua fidunt duce nocturnâ Phœnices in alto.

Idem primus poſt multã obſeruationem prædixit, futuram ſolis eclipſim: nec fefellit prædictio, poſt Romam conditã anno 170. Idem ſolis & lunæ inter ſe magnitudinẽ contulit. Huius verò diſcipulus Anaximander Mileſius, primus docuit, lunam lucere luce aliena. Idemque obſeruauit obliquitatem Zodiaci: hoc eſt totius cæli tamquam fores aperuit. Pythagoras Samius, primus naturam luciferi notauit, eamdemque eſſe ſtellam, quæ die declinante, Veſper ſiue Heſperus dicitur. Diſputauerunt de tempore, de loco, de vacuo, de infinito, de motu, de origine & fine mundi & creaturarum, de anima humana, de viribus & potentijs eius, de immortalitate eius, de omnibus. Deinde viri ſapientiſſimi, ab excelſis illis & cæleſtibus rebus, ad alias orbis vniuerſi partes, atque adeò ad infimas naturæ minimaſque partes ſenſim deuenerunt: ne quid eſſet in toto mundi totius horto, quod magnus illorum animus, tamquam ſolers quædam apicula, non luſtraſſet atque guſtaſſet. Vnde definita eſt Philoſophia, diuinarum rerum atque humanarum cognitio.

In hac parte magno ingenio percepta atque inuenta ſunt, quæ in mari fiunt, in ventis, in aëre vniuerſo: imbres, nubes, niues, grandines, fulgura, tonitrua, trabes, globi, faces, ardores, & reliqua ſerenarum ſpectacula noctium: viciſſitudines lucis, tenebrarum, æſtus, rigoris, nubili, ſereni, fluxus refluxuſque maris, ſigna tempeſtatum, tranquillitatum. Tum ad terram deſcenſum, in qua admirandum naturæ, ſeu Dei potiùs, ſapientiſſimi intellexerunt, adorauerúntque artificium:

Vnde hominum genus & pecudum, vnde imber & ignes:
Arcturum pluuiaſque Hyadas, geminoſque Triones:
Quid tantum Oceano properent ſe tingere ſoles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.

In terra perſcrutati ſunt vires herbarum, lapidum, metallorum. quæ tam ſtupendæ ſunt, vt vix audiri ſine ſumma admiratione queant.

CAP. IIII.

De Medicinæ, Legum, & Philoſophiæ inuentoribus & inuentione.

ET hanc partem Medicina ſibi vendicauit, quòd medendis hominum corporibus vires illæ à natura benigniſſima atque indulgentiſſima ſeu Deo potius patre optimo tributæ ſunt. Quæ res non tam admirabilis eſt quàm toti noſtro generi ſalutaris. Obſeruata eſt inquam ac deprehenſa Medicina, partim brutis animantibus magiſtris, partim audacibus hominum experimentis, partim verò ac præcipuè quidem Deo viam monſtrante. Vnde Sapiens noſter Eccleſiaſtici 28. Altiſſimus creauit de terra Medicinam; & vir prudens, inquit, non abhorrebit illam. Rectè. nam duo ſunt, quæ præ cunctis alijs rebus ſapientiſſimi quique dixerunt optanda, quærenda, & paranda eſſe; mens ſana videlicet in corpore ſano. Malè enim affecto vel corpore vel animo, reliqua omnia, opes, copia, potentia, nihil iuuant, nihil ſunt. Quæruntur ingenti opera quamplurima corporis oblectamenta: at illis frui non licet, niſi corpore ſano. Quæruntur animi oblectamenta: at nec his frui licet, niſi animo ſano. Nam tum demum ſentimus vnumquodque illorum quantum in ſe habeat voluptatis, cùm ſenſus & mens, iudex verus & purus, diſcernit inter hoc & illud. Quòd ſi magno negotio, multa cura, multis laboribus & periculis, diuitiæ, opes, delitiæ quæruntur omnis generis, vt his delectemur; quis non videt maiore etiam cura, labore, ſumptu, quærendam eſſe ſanitatem ac retinendam, quam & amiſſam reſtituit Medicina & reſtitutam corroborat & conſeruat? Verùm, quò eſt anima ſuo corpore maior, excelſior & præſtantior (neque enim eſt in toto mundo aliquid maius homine, & in homine nihil eſt excellentius mente) eò eſt ſanitas mentis ſanitate corporis, & per conſequens etiam medicina mentis medicina corporum melior atque nobilior. Si ergo Medicinæ inuentores pro diis olim habiti ſunt, vt Mercurius, Æſcu-

Æſculapius, Apollo, &c. quibus honoribus digni ſunt, qui ad mentem curandam omne ſtudium & operam impenderunt, ad eamque rem inſtituta optima inuenerunt? Hi ſunt illi qui rebus familiaribus, rebuſpublicis, ciuitatibus, populis, leges optimas & ſanctiſſimas tulerunt. Quarum beneficio vnuſquiſque ſuauiſſima in pace, gratiſſima in tranquillitate, benè honeſtèque viuit. Horum ex numero apud gentiles fuerunt Rhadamanthus Minoſque, Cretenſes; Solon Athenienſis, Lycurgus Lacedæmonius, Numa Romanus; & ſimiles.

His proximam laudem merentur legum interpretes ſeu Iuriſconſulti, quorum doctrina & ſapientia plurimum vtilitatis ad conſeruationem iuſtitiæ pacíſq; publicæ hominibus præſtatur.

Huc pertinent artes omnes liberales, quæ ſeptem ferè numero recenſentur: Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Geometria, Muſica, Aſtrologia. Omnes enim in veritatis cognitione verſantur, ad illamque cognoſcendam tradendamque inſtitutæ ſunt. Hinc tandem deuentum eſt ad Ethicam, quæ de morum ac vitæ honeſtate præcipit: quam primus ſummo ſtudio docuiſſe dicitur Socrates, primuſque proinde Philoſophiam è cælis in terram velut detraxiſſe. Quum enim ante eum Philoſophi totum ferè ſtudium ſuum poſuiſſent in cognitione cælorum, aſtrorum, elementorum, & ſimilium; ipſe, relictis illis omnibus, omnem operam & laborem impendit, vt homines doceret benè viuere, ſcire quid bonum, quid malum, quid fugiendum, quid amplectendum. Iudicabat enim vir ille inſignis & ſapientiſſimus, vehementer indignum eſſe, magna, multa, & admirabilia noſſe, de cælorum & aſtrorum natura, quæ non ſcita non magnum damnum poſſunt afferre; & ſeipſos incognitos prætermittere, quòd ignorare magnum flagitium eſſet, & certiſſimum detrimentum. Vnde illæ erant eius ſententiæ; Noſce te ipſum. Quæ ſupra nos, nihil ad nos. Qui & propterea Apollinis oraculo iudicatus fuit totius Græciæ ſapientiſſimus.

Poſt Socratem autem Philoſophia vel ſtudium veritatis diuiſum fuit in varias ſectas. Inde enim nati ſunt Academici, Peripatetici, Stoici, Epicuræi, & alij multi. Quorum omnium ſtudium erat, veritatem quærere ac docere, fines bonorum ac malorum tradere, cauſas, origines, affectùs, tum aliarum rerum, tum etiam virtutum ac vitiorum, oſtendere; ac demum per hæc ad veram beatitudinem æternamque felicitatem, quam quidem comprehendere poterant, ſeſe alioſq; perducere. Harum & ſimilium rerum cognoſcendarum tanto amore ac ſtudio tenebantur; vt ea de cauſa nullis ſumptibus, nullis laboribus, nullis periculis parcerent, nec vllum quærendi finem aut modum facerent. Peragrabant terras & maria omnia, ſicubi aliquos eſſe nouerant, qui ſapientię ſtudio ac veritatis cognitione celebres eſſe ferebantur. Taceo de Appollonio Tyanęo, de Pythagora, Thalete, Platone, Democrito, Diodoro Siculo, Anaxagora, & innumeris prope aliis viris. Pari ſtudio cognoſcendę veritatis arſerunt mulieres, Laſthenia Manthinea, & Axiothea Phliaſia. Vtpote quas Dicęarchus ſcripſit virilem habitum induiſſe, vt expeditiùs Platonis doctrinam ſequerentur; minimè à fragili ſexu impeditę, quò minùs cum aliis Platonis diſcipulis diligentia ſtudioque proficerent. Quemadmodum & Hyparchia Maronea diues & formoſa fęmina doctrinæ amore capta, viros quorum matrimonia honeſtiſſimis conditionibus offerebantur vnà cum opibus ſpreuit, vt inopem Cratem Philoſophum ſequeretur: quocum vt Cynicam ſectam planè imitaretur, nudis pedibus orbem terrarum philoſophando peragrabat.

CAP. V.

Naturaliter, homo nullius rei amore magis capitur quàm Veritatis.

HINC in primis diſcimus veriſſimum eſſe, quod multi grauiſſimi auctores teſtificantur, homines bona mente præditos, nullius rei amore magis capi quàm veritatis. Plato in primis dixit, Laërtio teſte, veritatem ſuauiorem auditu omnibus quæ dicerentur. Lactantius lib. 1. cap. 1. Nullus ſuauior animæ cibus eſt, quàm cognitio veritatis. Cicero lib. 5. Tuſculanarum quæſtionum, in vita humana longè omnibus ſtudiis contemplationē rerum cognitionemque præſtare teſtatur: & Philoſophos eſſe illos, qui, ceteris omnibus rebus pro nihilo habitis, rerum naturam ſtudioſè intuentur. Quibus omnibus

nibus pulchrè conſonat illud Auguſtini noſtri tract. 26. in Ioannem; animam nihil fortiùs deſideratе, quàm veritatem. Nec eſt difficile huius rei rationem reddere. Quemadmodum enim corpus noſtrum nihil naturaliter plus appetit, quàm cibum & potum, quo nutritur, conſeruatur, augetur, reficitur; nihilque maiore cum delectatione aut voluptate facit, quàm cibum & potum ſumere: ſic animus humanus nullam ad rem maiori deſiderio fertur, quàm ad cognitionem veritatis. Veritatis enim cognitio cibus & potus eius eſt. Illâ paſcitur, reficitur, impinguatur, augetur ſuo modo. In ſumma, Veritas vita animæ eſt, vt cibus corporis. Proinde, quos videmus nihili facere veritatem, rerum cognitionem, ſapientiam (quod genus ſunt longè maxima pars hominum) illi verè animo ægrotant; non ſecùs atque male affectum eſt corpus, dum cibo ſuo naturali & conſueto non capitur. De illis loquitur Propheta regius, Pſal. 101. Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.

Stulta placent ſtultis; obſonia quiſque palato
Grata ſuo quærit; non omnibus vna voluptas.
Sed docti atque boni, quæ ſunt pia, vera, & honeſta,
Auſcultant, auideq́; legunt, diſcuntq́; libenter.
Hic cibus illorum eſt: hæc conſolatio mentis.

Quid in rerum natura dulcius & amabilius luce? Et hanc tamen negligunt cæci; & qui ægros maleq́; affectos habent oculos, oderunt & fugiunt etiam. Ita res habet de veritate, quæ vera eſt lux mentis humanæ; ſicut ignorantia tenebræ ſunt veræ animi noſtri. Quid roſis eſt odore, viſu, tactu ſuauius? has tamen porci nihili faciunt, maluntq́; in turpiſſimo luto ac cœno volutari. Ita non mirum eſt, veritatem non amare, qui virtutem eius, vtilitatem, præſtantiam non nouerunt. At, qui animam ſortiti ſunt bonam, vt diuinus Sapiens inquit, Sapientiæ 8. ij longè aliter ſentiunt. Dicunt illi de Veritate, cum eodem Sapiente; Hanc amaui & exquiſiui à iuuentute mea, & quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Item cap. 7. Præpoſui illam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius; nec comparaui illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua: & tamquam lutum æſtimabitur argentum, in conſpectu illius. Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam. Quoniam inextinguibile eſt lumen illius. Hinc illa quoque exclamatio doctiſſimi Poëtæ ethnici:

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

Sic alius itidem: ———— *Verum eſt perfectio mentis;*
Quod quicumque magis nouit, magis eſt ſimilis Dis,
Atque magis felix.

Hinc & Horatius, Epiſt. 1.

Quid verum atque decens, curo & rogo, & omnis in hoc ſum.

Et Perſius:

Diſcite, ô miſeri, & cauſas cognoſcite rerum:
Quid ſumus, & quidnam victuri gignimur: ordo
Quis datus.

Hinc teſtificatio illa Auguſtini de ſeipſo lib. 1. De ordine cap. 3. quòd amor inueniendi veri verterat illi in conſuetudinem, quum adhuc iuuenis eſſet; vt dimidia noctis parte ſemper vigilaret, ac de rerum natura & veritate aliquid cogitaret. Qui & lib. 2. De ord. cap. 20. Deo gratias agit, quòd talem ſibi mentem dederat, vt inueniendæ veritati nihil omnino præponeret, nihil aliud vellet, cogitaret, quæreret.

CAP. VI.

Quæri ſolet & diſputari; An facilis ſit Veritatis inuentio.

EX præcedenti quoque diſputatione intelligere licet, quid ſentiendum ſit de quæſtione illa, An facilis ſit inuentio Veritatis. Democritus Philoſophus veritatem dicebat in altiſſimo puteo demerſam latere: vnde vix multis magniſque ſtudijs & laboribus erui poſſit. Quemadmodum & Seneca lib. 7. de Beneficiis, cap. 1. Inuoluta, inquit, Veritas in alto latet. Lactantius fortiter contrà diſputat, lib. 3. cap. 27. Anaxagoras, inquit, pronuntiat circumfuſa eſſe tenebris omnia. Empedocles anguſtas eſſe ſenſuum ſemitas queritur:

nitur: tamquam illi rheda & quadrigis opus eſſet. Democritus quaſi in puteo quodam ſic alto, vt fundus ſit nullus, veritatem iacere demerſam. Nimirum ſtulte vt cetera. Non enim tamquam in puteo demerſa eſt veritas, quò vel deſcendere vel etiam cadere illi licebat; ſed tamquam in ſummo montis excelſi vertice, vel potiùs in cælo: quod eſt veriſſimum. Quid enim eſt, cur eam potius in imum depreſſam diceret, quàm in ſummum leuatam? Niſi fortè mentem quoque in pedibus aut in imis calcibus conſtituere malebat, potiùs quàm in pectore vel in capite. Sic ille.

Pro vtro ergo pronuntiabimus: pro Democritóne, an pro Lactantio? Vterque modo quodam verum dicit. Verè enim Veritas ipſa in alto & conſpicuo polita, imò & ſole ipſo ſplendidior eſt: vt quodam loco Chryſoſt. ait: ſed certè noſtri reſpectu ſic velut in profundo demerſa eſt, vt ægrè admodum, nec niſi ſummis ſtudiis ac laboribus videri & inueniri queat. Et quod tandem de veritate, poſt multam curam, induſtriam, diligentiam, inuenitur; tam parum eſt, ſi cum ipſa rerum veritate comparetur, vt vix nomen veritatis mereatur. Vt rectiſſimè dicat Auguſtinus in Enchiridio cap. 9. Philoſophos in iis quæ ſe de rerum naturis inueniſſe gloriantur, plura opinatos eſſe quàm ſciuiſſe: quod palam etiam fateri non erubuit ille omnium inter gentiles ſapientiſſimus Socrates, quum toties diceret; Hoc vnum ſcio, quòd nihil ſcio. Nimirum Veritas, eſt aureus ramus in mediis ſiluis inuentu perdifficilis, de quo Poëta quidam eleganter ita canit:

Non cuiuis facile eſt, ipſum cognoſcere verum.
Hic ille eſt ramus, medium quem maxima ſilua,
Arboribus denſis cinctum, atque erroribus atris
Obductum, celat: nec multis aurea virga
Conſpicitur, niſi cui puræ oſtendère columbæ.

Hinc & illi exſtant verſiculi:

Multùm difficilis ſit cum omnis quæſtio veri;
Hoc magnum foret, à nobis reperire remotum.

In ipſa quidem veritate nihil eſt obſcuritatis: omnis obſcuritas & difficultas eſt in intellectu & mente noſtra. Illa efficit, vt clariſſimam veritatem videre, inuenire, intelligere nequeamus. non aliter atque ſolem omnis lucis & claritatis fontem videre non poteſt, qui vel plane cæcus eſt, vel infirmos aut lippientes habet oculos. Hoc ſenſu Democritus verè dixit veritatem in altiſſimo puteo demerſam iacere. Quæ ſententia conformis etiam valde eſt doctrinæ Sacrarum litterarum, tum aliis locis, tum præcipuè Sap. 9. Cogitationes mortalium timidæ; & incertæ prouidentiæ noſtræ. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Et difficile æſtimamus quæ in terra ſunt; & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore: quæ autem in cælis ſunt, quis inueſtigabit. Ex qua Scriptura D. Auguſtinus lib. 19. De ciuitate Dei, cap. 4. Perceptio (inquit) veritatis in hac carne qualis aut quanta eſt; quando, ſicut legimus in veraci libro Sapientiæ, corpus corruptibile aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.

Et profectò, niſi aliquid eſſet magni impedimenti in inquiſitione veritatis, homines illi inter gentiles quos paulò antè retulimus tanto ingenio præditi, non tantum laboris & ſtudij ſumpſiſſent tota vita ſua, ad nonnullam veritatis notitiam comparandam. Quid autem gentiles commemoro? cùm conſtet, etiam Chriſtianæ religionis Doctores (quorum multi non minori ingenij acumine polluerunt quàm ethnici illi) continuis ſtudiis, vigiliis, laboribus incubuiſſe, quo animum ſuum veritatis cognitione ad Eccleſiæ vtilitatem imbuerent: & nihilominùs ſemper ingenuè confeſſos fuiſſe, exiguum eſſe, quod de veritate cognoſcere potuerunt. Et habuerunt tamen præcipuum ad veritatis inuentionem adiumentum, quod ethnicis defuit, lumen videlicet rectę fidei: quo ſine, veritas religionis perſpici omnino non poteſt, ac ne inquiri quidem. Veritas autem cauſarum & rerum naturalium, etſi abſque hoc ſupernaturali lumine vtcumque cerni poteſt; tamen extra controuerſiam eſt, lucis huius auxilio & citiùs multo reperiri, & longè meliùs perſpici. Quum enim omnis rerum natura a Deo ſit; vt facilè ex Dei cognitione in operum eius notitiam deuenitur, ſic non parum difficile eſt, ignorato rerum & cauſarum auctore, ad plenam earum intelligentiam poſſe pertingere. Quem in ſenſum accipi rectè poteſt Lactantij illa exclamatio lib. 2. cap. 5. O quàm difficilis eſt ignorantibus Veritas, & quàm facilis ſcientibus! Quippe, vt idem rectiſſimè inquit lib. 3. cap. 27. nuſquam inueſtigari poteſt, quod non per cauſam ſuam quæritur. Quæ veriſſima ratio eſt, cur Philoſophi

gentium omni ſtudio ac doctrina ſua ad veritatem religionis, quæ ſola ad veram æternamque beatitudinem iter aperit cultoribus ſuis, peruenire non potuerunt. Nam, quum inter ſe magna contentione diſſideant (vt ſcribit idem auctor initio primi libri) ſecumque ipſi plerumque diſcordent; apparet, eorum iter nequaquam eſſe directum. Siquidem ſibi quique, vt eſt libitum, proprias vias impreſſerunt, confuſionemque magnam quærentibus veritatem reliquerunt. Nobis autem qui Sacramentum veræ religionis accepimus, cùm ſit veritas reuelata diuinitus, cùm doctorem ſapientiæ ducemque veritatis Deum ſequamur, vniuerſos, ſine vllo diſcrimine vel ſexus vel ætatis, ad cæleſte pabulum conuocamus. Hæc ille, optime & veriſſimè.

CAPVT VII.

Quid cauſa latet, cur aliqui nullo modo, aliqui verò non niſi cum maximo labore ad veri cognitionem perueniant.

QVOD ſi quis hic interrogauerit, quídnam propriè ſit, quod impedit, vt alij nullo modo, alij non niſi maximo cum labore ac difficultate, ad veri cognitionem perueniant; reſponderi queat, duo eſſe ingentia naturæ humanæ vulnera, quæ à prima natiuitate noſtra omnes patimur, ac nobiſcum in hanc lucem ferimus; à quibuſque (quod eſt grauiſſimum) numquam dum viuimus, perfectè ſanari poſſumus. Hæc ſunt ignorantia & mala concupiſcentia: hæc in voluntate, illa in intellectu & mente. Intellectus noſter ſuffuſus eſt naturaliter multis magniſque tenebris ignorantiæ, errorum, falſitatis; quo fit, vt peſſimè de rebus iudicet: quod verum eſt, falſum; quod falſum, verum; quod expetendum eſt, fugiendum; quod fugiendum, expetendum cenſeat. Qua de re Iſaias Propheta cap. 5. Væ, ait, qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum dulce, & dulce amarum. Iam, vt non ſemper homo ita iudicio mentis fallatur, ſed quid verum & bonum, quid falſum & malum ſit, rectè perſpiciat; tanta tamen eſt frequenter ægritudo & peruerſitas voluntatis noſtræ, vt ſequi nolit, quod intellectus rectum & ſequendum iudicat: frequenter etiam intellectum velut inuitum trahat in ſententiam ſuam, tandemque excæcet & peruertat quoque, vt malæ voluntatis vitio & conſuetudine peccatorum iam bonum & rectum iudicet, quod prius malum & iniquum cenſuerat: probetque modò, quod ante damnauerat, vel damnet quod probauerat.

Hanc naturæ noſtræ vniuerſalem corruptionem, quæ tantum præbet obſtaculi ad veri inuentionem, ethnici etiam ipſi benè viderunt: (quis enim non videat, quod in ſe omnes experiuntur?) ſed vnde morbus iſte naturæ eſſet, vel quemadmodum ſanari poſſet, intelligere non potuerunt: quippe, quòd non intelligitur niſi per doctrinam ſacræ Scripturæ, vel per ſingularem Dei reuelationem, vel (quod idem eſt cum hiſipſis) ſupernaturali dono ac lumine fidei: quibus omnibus, maximis vereque diuinis præſidiis, illi caruerunt. Quæ ſcire, atque habere, incomparabilis eſt felicitas Chriſtianorum & fidelium.

Cicero Tuſculanarum quæſtionum lib. 3. in exordio ſic ſcribit: Quòd ſi tales nos natura genuiſſet, vt eam ipſam intueri & perſpicere, eademque optimâ duce curſum vitæ perficere poſſemus; haud erat ſanè quòd quiſquam rationem ac doctrinam requireret, cùm natura ſufficeret. Nunc verò, paruulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibuſque deprauatis extinguimus, vt nuſquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingeniis noſtris ſemina innata virtutum; quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem ſimul atque editi in lucem, & ſuſcepti ſumus; in omni continuò prauitate, & in ſumma opinionum peruerſitate verſamur, vt penè cum lacte nutricis errorē ſuxiſſe videamur. Ecce, quàm probe naturæ humanæ corruptionem agnouit, quamque vere illam deſcribit; tametſi vnde eſſet, vel quando, quonam modo in naturam irrepſerit, ignorauit. Hinc nimirum obſtacula omnia in veri cognitione comparanda.

Declarant hanc rem nonnulli paulò aliter, quibuſdam adhibitis ſimilitudinibus. quas, quia non exiguam doctrinæ lucem afferunt, non pigebit aſſcribere. Quinque, aiunt, cauſæ ſunt principales, quamobrem homo veritatem rerum cognoſcere nequeat, quamdiu in hoc mundo verſatur. Prima eſt, ignorantia vltimi finis,

ad

ad quem creatus eſt, vel certè quòd finem illum cognitum non frequenter ante oculos ponit, & ſeria meditatione conſiderat. Certum eſt enim, ſi diligenter homo vltimum finem ſuum expenderet, non minùs operam ſedulò nauaturum, vt eò aliquando pertingat, quàm laborat vt opes & honores acquirat, in quibus exiſtimat ſummũ bonum ſuum ſitum eſſe. Qua in re ſimilis eſt homo filio regis infanti vel adhuc puero. à quo ſi quis quærat, vtrùm malit, regni paterni hereditatem, an tria ceraſa, proculdubiò ceraſa regno ſit prælaturus. quòd nimirum ceraſa appetitui ac deſiderio eius reſpondeant, & quid boni habeant frequenter expertus fuerit; quid autem regnum ſit, vel quòd ſibi illud debeatur, ignorat. Ita, ſi multos interroges, vtrùm malint, ſapientiámne & rerum veritatem cognoſcere, an diuitias; mox opes ſint præ ſcientia electuri. quia videlicet quid opes delectabile habeant norunt, illæque eorum cæcæ cupiditati reſpondeant; quidnam autem voluptatis atq; vtilitatis in veritatis cognitione ſit, quodque illum in finem homo propriè conditus ſit, neſciunt, vel non conſiderant. Ignorant, ſolum ſapientem verè diuitem eſſe: illum ſolum regere poſſe & adminiſtrare res maximas. potentiam omnem, ſine ſapientia, non potentiam eſſe, ſed impotentiam; perdereque potiùs ac deſtruere omnia, quàm ſeruare. ſic diuitiarum poſſeſſionem ſine ſapientia nihil aliud eſſe, quàm præſumptionis abundantiam, ac materiam vitiorum. Sapiens autem ſibi ipſe ſufficit: ita nimirum, vt per ſapientiam facilè omnia quibus opus habet, acquirere norit; in ſola ſapientia ſua theſaurum habens inæſtimabilem & indeficientem.

Secunda cauſa eſt, vſus nimius delectationum corporalium & ſenſibilium, quo mentis vigor hebetatur, omneque lumen eius extinguitur, vt veritatis pulchritudinem videre atque intelligere nequeat. Qua de re ſuprà etiam nonnihil attigimus. Cuiuſmodi homines, ſimiles ſunt filiæ Regis formoſiſſimæ, cui iure debetur paterni regni ſucceſſio: quæ tamen, propter adulterium cum infimæ & ſeruilis conditionis turpiſſimo homine perpetratum, omni paternæ ſucceſſionis iure priuatur.

Tertia cauſa eſt, materiæ velut indiſpoſitio, & complexio naturalis minimè apta ad inquiſitionem ac perceptionem veritatis, tarditas ingenij, vel ſenſuum aliorum imbecillitas, aut quid ſimile. Quale impedimentum præbet etiam interdum locus in quo naſcimur vel educamur. Quemadmodum in prouincijs quibuſdam Orientalibus, & Aphricanis, homines tam ſunt arido cerebro propter nimium ſolis ardorem, vt non ſint capaces alicuius ſcientiæ vel diſciplinæ. Sicuti ob contrariam cauſam, nempe intenſiſſimũ frigus, in regionibus Septentrionalibus, homines ab omnibus ſtudijs humanioribus alieni ſunt, feris magis irrationalibus ſimiles, quàm hominibus. Cuiuſmodi homines comparari poſſunt aquilæ, cuius pedi lapis ſit alligatus, quo impeditur ne ſurſum euolare poſſit: quæ alioqui, naturæ vi atque agilitate, ſupra nubes volaret.

Quarta eſt, in ipſa obſcuritate ac difficultate ſcientiarum, collata præcipuè cum infirmitate ac tenebris mentis humanæ. Quamuis enim homo ſentiat in ſe quoddam ſciendi deſiderium, & conatum aſſiduùm res altas earumque naturam & veritatem penetrandi; tantam tamen in quærendo ac laborando difficultatem reperiens, deſperatione quadam fractus, ab incepto deſiſtit. Non aliter atque ſi quis apertis intentiſque oculis velit ſolis ſplendentis rotam intueri, nimio lucis ſulgore repercuſſus, & perturbatus, retrahit oculos, nec audet ampliùs rem tam difficilem & periculoſam tentare.

Quinta ac ferè maxima huius rei cauſa eſt, affectio qua imbutus eſt quiſpiam à tenera ætate erga res quibus aſſuetus eſt, & quæ iam longa conſuetudine verſa illi eſt propemodum in naturam. Qua ratione tantoperè addictus eſt rebus aſſuetis, deſiderijs carnis, mundi ac ſimilibus, vt contraria omnia odio proſequatur. Quo errore totus propè mundus infectus eſt. Nónne videmus infantes Turcarum & Iudæorum, ſæpè antequam loqui & ratione vti valeant, veram Chriſtianotum religionem abominari? Ita cernimus quotidie homines ruſticanos & agricolas, quia vitæ illi duræ ac laborioſæ aſſueuerunt, ab aulica vita & vrbana etiam toto animo abhorrere. Quin & non rarò accidit, vt ipſi nos quoque oderimus ac damnemus alienæ terræ vel nationis homines, numquam nobis viſos: tantùm quia nec nati nec educati ſunt apud nos. Sic & noſtra frequenter alijs præferimus, etiam melioribus & præſtantioribus; ſolummodò, quia noſtra ſunt, iiſque aſſueti ſumus. Proinde, vehementer eſt neceſſarium, omnes huiuſmodi vitioſas affectiones eijcere ex animis noſtris, ſi rerum bonarum ac ſublimium veritatem ac naturam, in quo ſumma voluptas ac felicitas eſt, cognoſcere volumus. imitando hac in re prudentes agricolas; qui in cultura agrorum ſuorum, priùs malas omnes & noxias herbas exſtir-

pant, quàm bonum in eo ſemen inijciant. Quomodo etiam bonus medicus, dum ægrotum curare aggreditur, ante omnia malos noxioſque humores, qui corpus grauant & perturbant, è ſtomacho eiectos curat, antequam ſanatiuam medicinam donet. In nulla enim materia malè diſpoſita (vt Phyſici loquuntur) forma benè introduci poteſt. Qui ad veritatis cognitionem contendere velit, non iuxta rationis dictamen agendo, ſed obſequendo conſuetis ſuis prauis ac noxijs deſiderijs, perinde faceret, ac ſi quis in mari ædificare, vel natare vellet in montibus.

Polydorus Dialogo de veritate & mendacio reddit huius rei & aliam rationem, dicens; Quòd verum tam in occulto loco lateat, vt videatur non paruo negotio percipi poſſe; cauſa eſt, quoniam omnibus veris tanta ſimilitudine falſa ſæpenumerò coniuncta ſunt, vt in ijs nulla propemodum iudicandi nota inſit certa. Quare illi, quibus propoſitum eſt verum reperire, maxime omnium neceſſe habent cunctas ſcire diſciplinas, rectéque percipere; cùm eos oporteat tam contra Philoſophos, quàm pro Philoſophis, qui tales res in primis pertractant, dicere.

CAPVT VIII.

Iuſto iudicio, tametſi ſecreto, Deus gentiles à notitia ſummæ & ſaluificæ veritatis excluſit, cùm eoſdem ad naturalis veritatis inuentionem, & quidem tam eminentem, admiſerit.

IAM ſatis oſtendimus, gentiles varijs locis, præcipuè ante aduentum Chriſti redemptoris ac veræ lucis mundi, in cognitione veritatis cauſarum rerumq; naturaliū, tum etiam officiorum vitæ humanæ, quæ præſertim ad externam vitæ honeſtatem paciſque publicæ & iuſtitiæ conſeruationem pertinent, plurimùm profeciſſe; tametſi a veritate puræ ſanctæque religionis, quæ vnius verique Dei cognitionem cultumque tradit, alieni fuerint. Qua in re admirari conuenit diuinæ voluntatis & ſapientiæ prouidentiam. Quòd videlicet, quum iuſto iudicio populos omnes & nationes gentilium à notitia ſummæ, æternæ, & ſaluificæ veritatis excluſerit, ad naturalis veritatis inuentionem admittere non ſit dedignatus. & quidem ita admittere, vt ea in re fideles omnes & electos ad vitam æternam longè lateque ſuperauerint: ſaltem quatenus ex librorum & ſcriptorum monumentis colligere licet. Nam ante reuelationem lucis Euangelicæ, nulla extant monumenta ſcientiæ naturalis in populo Dei.

Apud gentiles autem fuerunt Heſiodus, Homerus, Plato, Ariſtoteles, Hippocrates, Cicero, Marcus Varro, Virgilius, Ouidius, Plinius, alijque propemodum infiniti, in omni ſcientia rerum naturalium, cauſarum, officiorum humanæ vitæ, exercitatiſſimi & doctiſſimi: quorum numen & mèmoria cum laude & gloria ſempiterna ab hiſtorijs omnibus & ſcriptoribus gentium celebrantur; quorumque ingenium, doctrinam, fideles quoque & Chriſtiani omnes numquam ſatis admirari potuerunt. Quod tale quippiam eſſe videtur, quale in ſacra Geneſis hiſtoria de Abraham Patriarcha legimus 25. cap. quòd totam ſuam hereditatem vni filio ſuo Iſaac reliquerit; filijs autem concubinarum ſuarum munera dederit, & ſepararit eos à filio ſuo. Sic Deus omnipotens, iuſtus & miſericors, maximum & latiſſimum diſcrimen eſſe voluit inter fideles & electos ſuos, interque ceteras nationes totius mundi: nimirum electis ſuis vtriuſque Teſtamenti ſanctæ & ſaluificæ veritatis notitiam tribuens, quâ ad cæleſtis hereditatis ſuæ poſſeſſionem peruenirent; ceteris autem donans, vt naturæ omnis viſibilis cauſarumque & operationum ad eam pertinentium veritatem perſpicerent, eiuſque ſeſe contemplatione recrearent. hoc eſt, illis ſemetipſum, his verò creaturas ſuas cognoſcendas præbuit. Quantum diſcrimen, quàm lata, quàm immenſa differentia inter vtroſque? Et quamuis ſe gentilium Philoſophi felices admodum, ſapientiæ ſuæ & veritatis quam inuenerant nomine, reputabant; tamen quàm longè & ſupra omnem comparationem feliciores ſunt Chriſtiani atque electi Dei? qui tametſi vel nihil penitus, vel parum, vel non tam multum nouerunt de naturæ veritate quàm gentiles; tamen quid de Deo vero, deque voluntate & cultu eius ſentiendum ſit, ſecundùm quod ipſimet hæc eis reuelare ac patefacere placuit, probè cognitum & perſpectum habent. Neque enim totius naturæ rerum omnium cognitio, & ſi quis multo etiam maiorem habeat, quam Plato vel Ariſtoteles vel quicumque alij gentilium

Vide Auguſtinum cap. 9. Enchiridij

tilium habuerunt, verè poteſt beatum facere; ſed ſola veri Dei, ſummique boni cognitio, eaque cum puro eius amore coniuncta, ad veram & ſempiternam felicitatem perducit. Quantò præſtat Deus rebus omnibus (præſtat autem in infinitum) tantò eius ſolius notitia præſtat cognitione rerum & creaturarum omnium.

Auguſtinus lib. quinto Confeſſionum cap. quarto: Nunquid Domine Deus meus veritatis, quiſquis nouit iſta, iam placet tibi: infelix enim homo, qui ſcit illa omnia, te autem neſcit: beatus autem qui te ſcit, etiam ſi illa neſciat. Qui verò te & illa nouit, non propter illa beatior; ſed propter te ſolum beatus eſt, ſi cognoſcens te, ſicut Deum glorificet & gratias agat, & non euaneſcat in cogitationibus ſuis. Sicut enim melior eſt, qui nouit poſſidere arborem, & de vſu eius tibi gratias agit; quamuis neſciat, vel quot cubitis alta ſit, vel quanta latitudine diffuſa; quàm ille qui eam metitur, & omnes ramos eius numerat, & neque poſſidet eam, neque creatorem eius nouit aut aliàs diligit: ſic fidelis homo, cuius totus mundus diuitiarum eſt, & quaſi nihil habens omnia poſſidet, inhærendo tibi, cui ſeruiunt omnia, quamuis nec ſaltem Septentrionum gyros nouerit; dubitare ſtultum eſt, quin vtique melior ſit, quàm menſor cæli, & numerator ſiderum, & penſor elementorum, & negligens tui, qui omnia in menſura & numero & pondere diſpoſuiſti.

Cap. IX.

Ethnicorum ſapientia ipſis ad ſalutem non profuit; & prodeſt nobis, quibus data non fuit.

SED hîc iterùm obſeruare eſt aliquid valde mirabile, vehementerque Chriſtianis iucundum: magnum & mirabile opus inſcrutabilis ſapientiæ ac prouidentiæ Dei. Omnis hæc & tanta ſapientia, deque rerum natura cognitio ethnicorum, ipſis nihil profuit ad ſalutem; & prodeſt nobis quibus data non fuit. Vt hic etiam verè locum habeat illud Apoſtoli: Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum: tam videlicet quæ aliorum Rom. 8.
ſunt, quàm quæ ipſorum. Et quemadmodum apes non ſibi ſed alijs mellificant; oueſque non ſibi ſed alijs lanam ferunt; & ſicut auari homines magnis laboribus & curis anxijs opes congregant, ſibi nihil profuturas, ſed alijs: ſic gentiles ex omni veritatis cognitione, & tam multiplici ſcientia, non ipſi fructum præcipuum perceperunt; ſed nos, & Eccleſia Dei. Quid autem dico fructum præcipuum, quum nullus verus ſit fructus ſcientiæ aut veritatis, niſi qui ſupernæ æternæque veritatis guſtum præbet, & ad eius laudem & honorem refertur? Quid enim prodeſt multa ſcire, de rerum natura; & ipſum naturæ ac rerum omnium verum auctorem fontemque neſcire? Quid iuuat multa cognoſcere de pulchritudine, præſtantia, vtilitate creaturarum; ſi per illam cognitionem, ad contemplationem & amorem diuinæ potentiæ, pulchritudinis, bonitatis, & ſuauitatis, non peruenias? Ideò enim Deus tam multa condidit bona & admiranda, vt ex illis in ſui notitiam homines raperentur; cognitum verò amarent, amato adhærerent, eiuſque coniunctione plenè & perfectè beati fierent.

Philoſophi ergo & ſapientes ethnicorum, animum ſuum inſtructum habentes multiplici rerum ſcientia & cognitione veritatis, nec vlteriùs eam referentes, ſimiles fuerunt pueris ſinum habentibus plenum auri & argenti, & quiſnam verus auri illius vſus ſit ignorantibus; adeò quidem, vt omni cum auro ſuo & argento fame eſſent & frigore perituri. Sic Philoſophi omnem ſuam ſapientiam in verum vſum & finem conuertere neſcientes, vera inopia & fame (quæ ſumma eſt ac ſempiternæ veritatis ignorantia) perierunt. Nobis autem Deus illorum ſtudijs & laboribus proficere dedit, illorumque inuentis vti, ad fructum atque vtilitatem ſalutis æternæ. Ea de re ſententiam habet egregiam Origenes apud Euſebium Eccleſ. hiſt. lib. 6. cap. 15. docens, cognitionem artium liberalium & Philoſophiæ gentilis, multum emolumenti conferre ad intelligentiam Sacrarum litterarum: veram enim demum Philoſophiam eſſe, doctrinam Chriſtianam; cuius partes quaſdam Græca Philoſophia olim tradidit: non ergo idcirco debere partes ſuas omittere aut negare veritatem, quia eas ſibi præueniens falſitas vendicaſſet. Cui planè conſonat illud Iuſtini martyris in fine 1. Apologiæ; Quidquid vſquam apud omnes ſcriptores rectè dicitur, noſtrum eſt, Chriſtianorum. Qua de re inſignem totam Homiliam ſeu librum

ſcripſit D. Baſilius: quænam videlicet vnlitas capienda ſit Chriſtianis ex libris doctrinaque gentilium. Ad cuius rei declarationẽ duo Eccleſiæ celeberrimi Doctores Latini, Auguſtinus & Hieronymus, duas vereris Teſtamẽri hiſtorias tamquam figuras vel allegorias eleganter accommodant. Auguſtinus quidem lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 40. Philoſophi (ait) qui vocantur, ſi qua fortè vera & fidei noſtræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non ſolùm formidanda non ſunt, ſed ab eis etiam, tamquam iniuſtis poſſeſſoribus, in vſum noſtrum vendicanda. Sicut enim Ægyptij non ſolùm idola habebant & onera grauia, quæ populus Iſraël deteſtaretur & fugeret; ſed etiam vaſa atque ornamenta de auro & argento & veſtem, quæ ille populus exiens de Ægypto ſibi potius tamquam in vſum meliorem clanculò vendicauit, non auctoritate propria, ſed præcepto Dei, ipſis Ægyptijs neſcienter commodantibus ea quibus non bene vtebantur: ſic doctrinæ omnes gentilium, non ſolum ſimulacra & ſuperſtitioſa figmenta graueſque ſarcinas ſuperuacanei laboris habent, quæ vnuſquiſque noſtrùm, duce Chriſto de ſocietate gentilium exiens, debet abominari atque deuitare; ſed etiam liberales diſciplinas vſui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtiliſſima continent, deque ipſo vno Deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos. Quod eorum tamquam aurum & argentum, quod non ipſi inſtituerunt, ſed de quibuſdam quaſi metallis diuinæ prouidentiæ, quæ vbique infuſa eſt, eruerunt; & quo peruerſè atque iniurioſè ad obſequia dæmonum abutuntur, cùm ab eorum miſera ſocietate ſeſe animo ſeparat, debet ab eis auferre Chriſtianus, ad vſum iuſtum prædicandi Euangelij. Veſtem quoque illorum, id eſt hominum quidem inſtituta, ſed tamen accommodata humanæ ſocietati, qua in hac vita carere non poſſumus, accipere atque habere licuerit, in vſum conuertenda Chriſtianum. Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles noſtri? Nónne aſpicimus quanto auro & argento & veſte ſuffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus, doctor ſuauiſſimus, & martyr beatiſſimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, vt de viuis taceam; quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipſe fideliſſimus Dei famulus Moyſes fecerat: de quo ſcriptum eſt, quòd eruditus fuerit omni ſapientia Ægyptiorum. Quibus omnibus viris ſuperſtitioſa gentium conſuetudo, & maximè illis temporibus cùm Chriſti iugum decutiens Chriſtianos perſequebatur, diſciplinas quas vtiles habebat, numquam commodaret; ſi eas in vſum vnius Dei colẽdi (quò vanus idolorum cultus exſcinderetur) conuerſum iri ſuſpicaretur. Sed dederunt aurum & argentum, & veſtem ſuam, exeunti populo de Ægypto; neſcientes, quemadmodum illa quæ dabant, in Chriſti obſequium redderentur. Illud enim factum in Exodo ſine dubio figuratum eſt, vt hoc præſignaret; quod ſine præiudicio alterius, aut paris, aut melioris intelligentiæ dixerim. Sic ille.

Diuo Hieronymo alia veteris Teſtamenti figura placuit, ex 21. cap. Deuteronomij ſumpta, in eamdem planè ſententiam & doctrinam: de qua Epiſtola ad Damaſum de filio prodigo & frugi, quæ incipit, Beatitudinis tuæ, ſic ſcribit; Dæmonum cibus eſt carmina Poëtarum, ſæcularis ſapientia, Rhetoricorum pompa verborum. Hæc ſua omnes ſuauitate delectant, & dum aures verſibus dulci modulatione currẽtibus capiunt, animam quoque penetrãt, & pectoris interna deuinciunt. Verùm vbi cum ſummo ſtudio fuerunt ac labore perlecta, nihil aliud niſi inanem ſonum & ſermonum ſtrepitum ſuis lectoribus tribuunt. Nulla ibi ſaturitas veritatis, nulla refectio iuſtitiæ reperitur. Studioſi earum in fame veri & virtutum inopia perſeuerant. Huius ſapientiæ typus & in *Deut. 21.* Deuteronomio ſub mulieris captiuæ figura deſcribitur. De qua diuina vox præcipit, vt ſi Iſraëlites eam voluerit habere vxorem, caluitium ei faciat, vngues ſecet, & pilos auferat; & cùm munda fuerit effecta, tunc tranſeat in victoris amplexus. Hęc ſi ſecundùm litteram intelligimus, nónne ridicula ſunt? Itaque & nos hoc facere ſolemus quando Philoſophos legimus, quando in manus noſtras libri veniunt ſapientiæ ſæcularis. Si quid in ijs vtile reperimus, ad noſtrum dogma conuertimus: ſi quid verò ſuperfluum, de idolis, de amore, de cura ſæcularium rerum; hæc radimus, his caluitium inducimus, hæc in vnguium morem ferro acutiſſimo deſecamus. Hæc ille ibi. Eadem habet in Epiſtola ad Pamachium, in primo tomo; quæ incipit, Sanato vulneri. & in 3. tom. Epiſtola ad Magnum; quæ incipit, Sebeſium noſtrum.

CAPVT X.

Vt doctrinis gentilium, ita quoque ſcriptis hæreticorum vti licet in bonum; habitâ legendi facultate.

IAM, quemadmodum hæc ſcribunt Doctores iſti de doctrinis, ſcientijs, atque inuentis gentilium; ſic dici poſſunt eadem de ſcriptis quoque hæreticorum. Quamuis enim illi longiùs etiam à ſanctæ & ſalutaris veritatis via aberrant, veræque doctrinæ, adeoque diuini nominis maiores longè hoſtes ſint quàm gentiles; tamen tanta eſt Dei bonitas, tanta magnificentia & liberalitas, vt illis quoque ipſis non pauca de veritate, de hiſtorijs & rebus geſtis, de notitia variarum linguarum & ſcientiarum, intelligere, docere, & ſcriptis conſignare tribuat. Quæ omnia, quibus ſcripta illa legere permiſſum eſt, ab erroribus quibus ſunt reſperſa purgare, in Eccleſiæ Chriſtianæ & Catholicæ vtilitatem, atque ad populi fidelis inſtructionem, conſolationem, admonitionem, & confirmationem debent conuertere. Non enim illa eorum ſunt proprie, ſed Dei optimi maximique. Ipſi nihil ſuum aut proprium habent, niſi errorem, mendacium, falſitatem. Quidquid in ijs laude dignum eſt, ſiue ad eruditionem, ſiue ad eloquentiam ſpectans, Dei donum eſt. quo ſummâ ingratitudine ac malitiâ abuſi ſunt, non modò in perniciem propriam; ſed in Dei quoque ipſius iniuriam & contumeliam. Quare illa etiam ipſa ab ijs velut ab iniquiſſimis poſſeſſoribus auferenda, atque in diuini nominis gloriam, Eccleſiæque eius vtilitatem, vertenda ſunt. Veriſſimè D. Auguſtinus de veritate ſcribit, Epiſtola 28. ad Hieronymum: A quocumque verum dicitur, illo donante dicitur, qui eſt ipſa veritas. Quum ergo hæretici veritatem ſibi multis in rebus diuina bonitate patefactam per ſummũ ſcelus detorqueant, in confirmationem errorum ſuorum, hæreſum, falſitatum; quid ni erepta illis, veriſque poſſeſſoribus vendicata, bonis ſanctiſque adeoque ſuis propriè vſibus accommodetur? Sic enim impletur quoque rectiſſimè illud Euangelij; Auferte ab eo mnam, & date illi, qui habet decem mnas. Ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo. Nec verò neceſſum eſt, quum ex huiuſmodi perfidorum ac damnatorum hominum libris aut ſcriptis aliquid boni aut veri ſumitur, auctorem ipſum nominare. Nam honor ille alijs debetur eruditis & pijs ſcriptoribus, veritatis amantibus: cùm hæreticorum nomen non modò nihil honoris mereatur, ſed perpetua potiùs obliuione dignum ſit: ac deinde, cùm quæ in eis veritas inuenitur, non ipſorum ſit, vt diximus, ſed Dei. Quam vt ipſi erroribus ſuis obſcurare conati ſunt; ſic digni ſunt, vt erepta illis, velut hoſtibus ſuis à quibus captiua tenebatur, Dei atque Eccleſiæ veritate, & in lucem producta, ipſi potiùs obſcurentur, ac perpetuæ obliuionis tenebris contegantur. Refert Aulus Gellius lib. 18. noctium Atticarum cap. 3. virum quemdam apud Athenienſes impurum & improbũ, verum quoddam & bonum conſilium dediſſe inter alios, ad conſeruationem ciuitatis: quod cùm placeret omnibus, & iuxta eam ſententiam decretum eſſe faciendum videretur; diſplicuit tamen, quòd à ſceleſto atque infami homine profectum eſſet, quodque vera & bona ſententia turpiſſimi auctoris nomine fœdaretur. Quare, electus fuit communi conſilio vir bonus & probus quidam, qui eamdem ſententiam publicè etiam diceret: vt ex eius ore decretum ferretur, nulla prioris hominis habita mentione. Sic & bona ſententia manſit, inquit Gellius, & turpis auctor mutatus eſt. Sic, ſi quid boni aut recti ab hæreticis profectum reperitur; tacito ipſorum nomine, ſub alterius nomine vtiliter in communem vtilitatem in medium proferri poteſt.

PETRI SIMONIS TILETANI

EPISCOPI YPRENSIS

DE VERITATE

LIBER QVARTVS:

De Veritate Morali.

Capvt primvm.

Eſſe aliquam Veritatem, quæ ſit & dicatur virtus.

IAm reſtare ſolùm videtur, vt de Veritate loquamur quæ eſt virtus: de qua nihil adhuc diximus hactenus, quum magnam tamen, copioſam, & variam de ſe differendi materiam præbeat. In primis autem eſſe aliquam veritatem quæ ſit & dicatur virtus, facilè eſt intelligere & probare. Quum enim virtus generaliter dicatur, quæ actum vel opus hominis bonum laudeque & præmio dignum faciat, vbicumque talis aliquis bonus actus hominis inuenitur, ibi eſt ratio ſeu natura virtutis. Eſſe autem veracem in ſermonibus ſuis, ſicque loqui & agere quemadmodum res habet, bona eſt actio, laudeque egregiâ & præmio digna. In illa igitur actione virtutem ineſſe, vel actionem huiuſmodi à virtute procedere, neceſſarium eſt. Hæc virtus eſt, & nominatur veritas. Rurſus bonum eſt hominem in verbis & actionibus benè eſſe ordinatum. Non paruum enim bonum omnibus in rebus, eſt bonus ordo, teſte Auguſtino in libro De natura boni. Quando autem verba noſtra reſpondent rei, ſeu conceptui mentis noſtræ, ad quem ſignificandum proferuntur; bonus ordo eſt, inter ſignum & rem ſignificatam. hoc verò fit per veritatem; eſt ergo veritas virtus. Signa ordinantur ad manifeſtandam rem ſignatam. Quòd ſi talis non ſit cogitatio, vel propoſitum mentis aut voluntatis humanæ, ſicut verba vel ſigna alia ad hoc ordinata ſignificant; malus eſt ordo rerum, ſeu reſpectus ſigni ad ſignatum. In tali ordinatione non eſt veritas, ſed falſitas, ſeu mendacium: ac proinde peccatum. Sicut ergo talis ſignorum ordinatio ad fallendum inſtituta peccatum eſt, ſic verborum vel ſignorum aliorum inſtitutio ad docendum virtus eſt. Hæc virtus eſt illa quæ dicitur veritas.

Capvt II.

Qualiſnam virtus ſit, Veritas.

SEn qualis virtus eſt veritas, Theologicáne, Intellectualis, an Moralis? In hiſce enim tribus videntur omnia virtutum genera contineri. Theologica non eſt; quia Deum non habet pro obiecto, quæ eſt natura Theologicarum virtutum. Nec eſt etiam virtus Intellectualis: quia tales habentur à Philoſophis & Theologis tantùm tres, ſapientia videlicet, ſcientia, & intellectus. Etſi enim veritas quatenus cognita ad intellectum pertineat, tamen magis propriè ſpectat ad voluntatem, per quam homo vtitur habitibus & membris ſuis. Atqui iuxta communem ſententiá, cùm Theologorum tum Philoſophorum gentilium, quatuor

Vide Thomam in 1. 2. quæſt. 57. & 58.

quatuor dumtaxat ſunt virtutes Morales, quæ eædem etiam alio nomine à Chriſtianis Doctoribus Cardinales vocantur: prudentia ſcilicet, iuſtitia, fortitudo, temperantia. Quis ergo hîc locus eſt veritati? Reſpondendum veritatem pertinere ad iuſtitiam, in eaque includi. quemadmodum omnes pæne aliæ quoque virtutes humanæ vitæ ad aliquam iſtarum quatuor referuntur.

Cum iuſtitia certè conuenit veritas, de qua hîc loquimur, in duobus. Primùm in eo quòd operatio eius eſt ad alterum, quemadmodum & iuſtitiæ: nempe ſuum vnicuique reddere. Sic manifeſtatio rei, qui actus eſt proprius veritatis, ad alterum reſpicit: quatenus videlicet, ea quæ in nobis ſunt, verbis aut ſignis alijs nota ac manifeſta facimus. Rurſus iuſtitiæ officium eſt, in rebus æqualitatem conſtituere, nec plus nec minus alicui tribuens quàm oporteat. Simile eſt planè officium veritatis: nempe ſigna verborum aut aliarum rerum externa, rebus in mente hominis exiſtentibus, exæquare. Dum ita habent vel ſonant verba vt res eſt, quæ verbis ſignificatur; vel dum ſic eſt res ſignificata, vt verba ſonant; ſigni & ſignati æqualitas eſt & conformitas: hoc eſt, quod hîc veritas nuncupatur.

Denique verſatur etiam veritas quodam modo circa rationem debiti, vt iuſtitia. Cùm enim homo ſit animal ſociale, debet homo homini ex natura id ſine quo humana ſocietas conſtare non poteſt: fieri autem non poteſt, vt homines inter ſe conueſentur, niſi inuicem ſibi in contractibus & colloquijs quotidianis fidem habeant, & mutuò ſibi mentis conceptus vt ſunt manifeſtent. Hoc autem fit per veritatem. Proinde hoc quoque veritas commune habet cum iuſtitia; quòd debiti nonnullius rationem includat. Sed de his omnibus latiùs poſtea. Quod verò ad ordinem duarum iſtarum virtutum attinet, Veritatis & Iuſtitiæ; vt Laurentius Iuſtinianus ait lib. De obedientia cap. 4. Cohærent ſibi inuicem veritas & iuſtitia: ſed illa præcedit, hæc ſubſequitur. Huius rei ratio eſt; quia veritas factum detegit, iuſtitia ſuper eo facto iudicat. Vnde conſequitur, veritatem eſſe baſim & fundamentum iuſtitiæ, vt Baldus ait; imò, veram eſſe quodammodò matrem iuſtitiæ. adeò, vt ſine veritatis auxilio, iuſtitia officium ſuum implere non poſſit. Nam vt præclarè docet Plato, lib. 3 1. de Legibus, Dialogo 9. de Republ. Veritatis imperiti, non rectè iudicant.

CAPVT III.

Quid interſit inter virtutem veritatis & fidei.

SI verò quis quærat, quid interſit inter virtutem veritatis & fidei; vel, an nihil interſit: tractat hanc quæſtionem Caietanus in 2. 2. D. Thomæ q. 113. articulo 1. Et dicit, fidem coincidere in idem ſpecie & numero cum veritate, ſolaque inter ſe ratione differre. Quoniam (inquit) veritas dicitur, quatenus conformat ſigna ſignatis; fides autem, quatenus facta dictis. Eſt autem (inquit) eiuſdē moris, ſeu virtutis moralis, vt homo verum dicat, & vt dicta verificet. Veritatis autem proprium eſt, verum dicere: fidei verò, dictum verificare. Vnde & Tullius, libro 1. Officiorum, fidem per veritatem definit, dicens eſſe dictorum conuentorumque conſtantiam & veritatem. Cuius ſignum eſt, quòd veraces illos appellamus, qui implent quod dicunt Vocatur ergo virtus veritatis, fides, quatenus eſt principium verificandi dicta; & propterea fides ad veritatem reducitur. Actus autem eius proprius eſt, non verè ſignificare (hic enim eſt actus proprius veritatis) ſed verificare quod dictum eſt. Vnde patet, quòd materia eius propria eſt, materia promiſſionis. Ita quòd, quidquid promitti rectè non poteſt, non pertineat ad materiam fidei. Quo fit, vt quidquid aut malum eſt, aut maioris boni impeditiuum, ſub fidē cadere non poſſit. Vnde illud, Cauſa 22. q. 4. In malis promiſſis, reſcinde fidem. Qui plura de hac re deſiderat; legat Caietanum, loco ſuperius memorato.

CAPVT IV.

Virtus veritatis magnam habet cum virtute ſimplicitatis ſimilitudinem.

MVLTVM portò ſimilitudinis & affinitatis habet virtus hæc veritatis, cum virtute ſimplicitatis; cuius ſæpè magnaque cum laude fit mentio in Sacris litteris. Quem-

Iob 1. admodum cùm Iob dicitur fuiſſe ſimplex & rectus, ac timens Deum. Et Iob duodecimo capite; Deridetur iuſti ſimplicitas. Prouerbiorum tertio, dicitur ſermocinatio Dei eſſe cum ſimplicibus.

Virtus autem hæc ſimplicitatis in eo conſiſtit, quòd talem ſe homo exteriùs exhibet, qualis eſt intus: talem ſe coram hominibus oſtendit, qualis eſt in ſeipſo. Et opponitur hæc virtus duplicitati cordis: qua homo aliud habet in corde, & aliud monſtrat verbis
Iacob. 1. aut geſtibus. De quo Iacobus Apoſtolus; Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus
Eccli. 2. vijs ſuis. Et Eccleſiaſtici ſecundo; Væ duplici corde, & labijs ſceleſtis. Vnde, ſimplex dicitur, quaſi ſine plicâ, duplicitatis ſcilicet. De virtute & laude ſimplicitatis Chriſtianæ, quinque libellos ſcripſit Hieronymus Sauanorola. Si quis plura hac de re legere cupiat; ſcribit & multa lectu iucunda, de laude ſimplicitatis Cæſarius Heyſterbacenſis, roto libro ſexto Illuſtrium miraculorum. Nos enim hîc obiter ſolummodò ſimplicitatis mentionem fecimus, vt meliùs per eam intelligatur natura veritatis, cum qua ſummam habet affinitatem & ſimilitudinem; vt rectiſſimè germanæ ſorores dici queant. Hoc tantùm differentiæ eſſe videtur inter vtramque; quòd veritas, etſi alijs quoque ſignis interdum vtatur ad ſe manifeſtandam, tamen præcipuè in verbis & ſermone ſit poſita: ſimplicitas verò, ad omnia ſe æquè extendat, quæ ad perſonam & vitam hominis pertinent: ad verba & ſermones, ad greſſum & inceſſum, ad geſtus & mores, ad conuiuia, cibum, potum, & ſimilia; ad ædes & ſupellectilem, ad veſtes & indumenta. Qui ſanctâ ſimplicitatis virtute præditus eſt, monſtrat & exhibet ille ſeipſum eodem ſemper tenore & modo, in his omnibus & ſimilibus. Præterea, ſimplicitatis virtus, præterquam quòd duplicitatem ſeu fictionem omnemq́ue prorſus ſimulationem excludit; odit etiam omnem externum ſplendorem eumq́ue reijcit, in omnibus quæ iam diximus, amatq́ue & ſeruat tenuitatem, modeſtiam, humilitatem, vt ſacra Scriptura vocat. Qua etiam in re non paruam cognationem habet cum veritate, vt latiùs infrà dicetur.

CAPVT V.

Veritatis Moralis definitio.

DEFINITIONEM veritatis omnes pænè Scholaſtici Doctores illam amplectuntur quam tradit Cicero in Rhetoricis; VERITAS EST, PER QVAM IMMVTATA EA QVÆ SVNT AVT FVERVNT AVT FVTVRA SVNT DICVNTVR. Quæ definitio eſt etiam in D. Auguſtino lib. 83. Quæſtionum, quæſtione 31. In qua definitione quòd obſcure dicitur immutata, perinde valet ac ſi diceretur, eo modo quo ſunt apud dicentem. Sic enim enuntiantur & dicuntur omnia per veritatem, quemadmodum ſunt apud eum qui dicit. Exempli cauſâ, ſi ſunt apud eum vt vera, dicit vt vera; ſi vt falſa, pro talibus profert: ſi vt certa, vt certa refert; ſi vt dubia, vt talia loquitur. Non vult illa, quæ vt falſa habet, credi vera eſſe, vel contrà; nec quæ dubia eſſe credit, pro certis haberi: quod officium eſt mendacium hominum & fallere cupientium, hoſtium veritatis. Proinde, ſi clariùs veritatem definire placeret, vt res ac definitio facilè ab omnibus intelligi poſſet, ſic liceret dicere; VERITAS EST VIRTVS, QVA MENTIS CONCEPTVS, VT EST, EXPLICATVR. Senſus eſt, per veritatem fieri, vt nulla ſit falſitas, aut fictio, aut fallacia, in ſermonibus noſtris; ſed ſic omnia foras proferri, vt ſunt in corde noſtro. Sermo noſter eſt veluti ſpeculum cordis noſtri. Sicuti faciem noſtram videre non poſſumus qualis ſit, niſi in ſpeculo; ſic cor noſtrum, quale ſit, vel quid velit, aut cogitet, nemo alius ſcire poteſt, niſi per ſermonem noſtrum. Proinde etiam, quemadmodum falſum & malum dicitur ſpeculum, quod non ita rem oſtendit vt eſt, vt ſunt multa huiuſmodi vitioſa ſpecula, quæ pro vna re duas referunt, aut in quibus quod rectum eſt curuum eſſe videtur; ſic ſermo noſter mendax aut falſus eſt, dum cordis noſtri cogitationi vel iudicio non reſpondet: verus autem, cùm ita ſonat, ſicut eſt conceptus mentis noſtræ. Et notandum, veritatem hanc, ſicuti & contrariam falſitatem, non ſolùm in verbis & ſermone eſſe, ſed in omnibus rebus quibus mentis noſtræ conceptum exprimimus. Interdum enim nullis verbis vtimur ad explicandum & promendum conceptum mentis noſtræ, ſed nutibus tantùm. Dum ergo nutus reſpondent cogitationi cordis noſtri, verum ſignificamus; dum non reſpondent, falſum. Si interrogati de re quapiam num ita ſit, annuimus, ita ſe habere ſignificantes, & tamen aliter eſſe ſciamus, mentimur; etiam nihil loquentes.

Quem-

Quemadmodum autem præſentibus loquimur verbis aut nutibus, ſic litteris ſcriptis abſentibus: quare in illis quoque ſignis ad eumdem planè modum verum vel falſum eſt, veluti in nutibus & ſermonibus. Sed hîc tamen obſeruandum eſt, non ſic ſemper dicenda eſſe, immutata quæ ſunt in animo noſtro, vt non neceſſe ſit adhibere debitas circumſtantias. Non ſemper ad veritatem ſatis eſt; ad veritatem, inquam, quæ virtus eſt laudemq́ue meretur, vt res ſicut eſt proferatur: nec talis ſermo ſemper actus eſt veritatis. Vtpote, ſi quis ſine iuſta cauſa laudet ſeipſum, etiam veris laudibus, eſt hoc potiùs ſuperbiæ vel iactantiæ quàm virtutis: vel ſi quis peccatum ſuum proferat apud alios, ſiue in eo gloriando, vt nonnulli, ſiue abſque vtilitate aliqua & cauſa legitima. Quæ omnia non laudem aliquam, ſed magnam vituperationem merentur.

Verùm, quia datæ iam definitiones veritatis breues ſunt, pro natura ſcilicet ac ratione definitionum; ideoq́ue à rudioribus & indoctis fortè adhuc non ſatis poſſent intelligi, alio modo ac ratione veritatis natura nobis eſt explicanda; vt cerni & cognoſci, amari & coli poſſit ab omnibus, quæ tantoperè cognoſci & amari digna eſt.

Capvt VI.

Veritatis deſcriptio à varijs: & primùm quidem à nomine veritatis; quâ non iam præcisè Moralem accipimus, ſed paulò latiùs, vt Moralis meliùs perſpici queat.

Describemvs igitur veritatem ex effectibus & operationibus eius, & ex omnibus quæ de naturæ ac virtutis eius præſtantia cognoſcere poſſumus. Atque vt tota eius natura meliùs videri & intelligi queat, introducemus eam per proſopopeiam velut mulierem aliquam cum omnibus ornamentis eius: conabimurq́ue & genus ipſius & formam, & membra omnia, totamq́ue eius perſonam deſcribere. Nec hoc nouum eſt, vel alienum à more Sacrarum litterarum. Sic enim introducitur & proponitur nobis veritas iſthæc de ſe loquens, genuſq́ue & nobilitatem, præſtantiam & vtilitatem ingentem explicans, ſub nomine Sapiẽtiæ, Prouerbiorum 8. Qui locus Scripturæ, & quæ deinceps de veritate dicemus, vt meliùs intelligantur; vno verbo hic nobis admonendum, cunctiſq́ue hæc audientibus legentibuſq́ue notandum eſt, nos non tantùm nunc aliquamdiu locuturos eſſe de veritate quæ eſt virtus moralis, vt iam cœpimus, ſed vt virtus hæc meliùs & clariùs perſpici queat, latiùs paulò & generaliùs de ea diſſeremus: vt nimirum humanarum omnium & diuinarum rerum notitiam comprehendit: quin etiam, quatenus non ſolùm hominibus quibuſuis competit, ſed ipſi quoque Deo propria eſt. Et nunc quidem cum Deo ipſo operatur, nunc cum hominibus, quibus eius ſingulari dono & gratia contigit. Sic enim de ſapientia loquitur etiam ſapientiſſimus Salomon, loco iam citato. Et alij quoque ſcriptores, etiam ethnici, frequenter prudentiam, iuſtitiam, pacem, & hanc etiam ipſam, de qua loquimur, veritatem, velut cæleſtes quaſdam deas deſcribunt.

Incipiamus ergo à nomine veritatis. Vocatur in Sacris litteris non vno nomine; vt omnia penè quæ excellentis naturæ ſunt plura habent nomina: quòd nimirum rei magnitudo & præſtantia nomine vno haud ſatis explicari queat. Sic mulier hæc nobiliſſima & pulcherrima nominatur nunc Sapientia, nunc verbum Dei, nunc Deus ipſe. Nomen autem maximè commune, quod tum Chriſtiani, tum Iudæi, tum Gentiles quoque nouerunt, eſt, Veritas. Nomen, inquam, vulgare, quod in ore eſt & ſemper fuit omnibus, quoq́ue vix aliud crebrius, non ſolùm in templis, ſed in foris etiam & plateis, in publicis omnibus & priuatis locis auditur; quum rei ipſius vbique locorum ac gentium incredibilis ſit penuria. Hoc nomine ſe identidem etiam nuncupat Dea iſthæc Eccleſiaſtici 24. Quum enim ibi introducantur multa ad inſtructionem mortalium, de excellentia, nobilitate, atque incomparabili vtilitate ſua diſſereris, vt paulò pòſt audiemus, tandem ita concludit orationem ſuam; Hæc omnia liber vitæ, & teſtamentum Altiſſimi, & agnitio veritatis. Et mox; Videte quoniam non ſoli mihi laboraui, ſed omnibus exquirentibus veritatem. Quibus ex verbis illud in primis diſcimus, omnes labores ſapientiæ ſeu veritatis, quos ſumpſit in erudiendis ac docendis mortalibus, non tam ipſi prodeſſe ſapientiæ ſeu veritati, quàm ijs qui veritatis cognitione delectantur. Quemadmodum ſol continuo labore ſuo, quo mundum vniuerſum abſque intermiſſione vlla aut requie circumcurrit, non ſibi emolu-

emolumenti aliquid affert, ſed ijs quibus lux eius & calor eſt neceſſarius. Quæ ratio meritò omnes magnopere ad ſeriam veritatis inquiſitionem & amorem excitare deberet. Multa quærimus & inuenire laboramus non vt nobis inde quippiam emolumenti proueniat; ſed vt illis benè ſit quæ quærimus: ſic pater filium perditum quærit, præceptor diſcipulum. Quanto maiore ſtudio illa ſunt quærenda, quorum inuentio tantùm in noſtram ipſorum vtilitatem redundat, quibuſque ſine ingenti noſtro malo ac damno carere non poſſumus? Talis res cum primis eſt veritas.

Deinde & aliud de ſe dicit veritas: nempe legem Dei per Moyſem traditam, quam primùm nominat librum vitæ, quòd præcepta rectè viuendi contineat, per quæ perueniatur ad vitam æternam: deinde Teſtamentum ſeu fœdus inter Deum & homines, quòd nimirum homines Deo fideliter ſeruirent, ipſe verò eos ſeruaret ab omni malo, & poſt variam benedictionem huius vitæ ad æternam felicitatem perduceret: hanc, inquam, legem, & quidquid in ea ſcriptum eſt, ad nihil aliud ſpectare, quàm ad agnitionem veritatis, Dei ſcilicet & voluntatis ipſius. Qui enim Deum cognoſcit, vt oportet, fieri non poteſt, quin & amet & colat eumdem. Vnde ait Ioannes Apoſtolus: Qui nouit Deum, audit nos; & qui non diligit, non nouit Deum. Item omnis qui peccat non videt Deum, nec cognouit eum. Non me latet quoſdam interpretes vtramque hanc ſententiam (quam modò expoſuimus) intelligere dictam eſſe ex perſona illius qui librum Eccleſiaſtici cumpoſuit: ſed non malè etiam accipiuntur dictæ Scripturæ ex perſona Sapientiæ ipſius ſeu Veritatis prolatæ; vt nunc declarauimus.

1. Ioan. 4.

CAPVT VII.

Veritatis, per modum proſopopeia, deſcriptio.

HIs, de nominibus Veritatis, præmiſſis; ad planiorem eiuſdem ceu Heroinæ cuiuſdam deſcriptionem veniamus. Eſt autem hæc Domina, Veritas inquam, in primis (teſtimonio veterum, qui probè eam nouerunt) maritata, opinor, quia mirum in modum fœcunda ſit, & multos egregios fœtus proferat. Eius enim partus ſunt non modò ſcientiæ omnes, ſed quidquid etiam ad veram pietatem pertinet. Vnum tantùm omni vitupero dignum habet filium, odium. quod quidem vix videri poteſt credibile: ſed ea de re poſtea plura dicenda ſunt. Quoniam igitur omnium confeſſione veritas res eſt fœcundiſſima, oportet matrimonio iunctam eſſe: quòd nulla queat mulier ſola parere. Quis ergo tantæ dignitatis & pulchritudinis reginæ maritus debetur? Metus videlicet. Ita vt ſi mirati ſumus tam bonam matrem odium parere, tam malum filium; iam non minùs mirari liceat tam ſtrenuam vxorem tam ignauum habere coniugem. Sed ita interdum fieri etiam videmus inter homines. Non valde enim abſimile coniugium fuit Abigail & Nabal, de quo Sacræ litteræ meminerunt: vt alia exempla taceamus. Ratio autem coniugij inter veritatem & metum hæc fuit; quòd quemadmodum maritus, cuſtos, nutritius & protector eſt vxoris, ſic plane veritas metu cuſtoditur, alitur, ac defenditur: non quòd ea ſit natura propria veritatis, vt ipſa per ſe opus habeat tali cuſtode ac defenſore; ſed quòd natura hæc ſit corruptiſſima diſcentium veritatem & colentium. Neque enim niſi metu ferè ad veritatis aliqualem notitiam peruenitur, vt patet in pueris: nec ſine metu populus veritatem facilè colere poteſt ac retinere. Videmus enim, quamlibet iudices & magiſtratus omnem adhibeant operam ad cuſtodiam veritatis legibus, minis, ſupplicijs; tamen quàm plena ſint vbique omnia fraudibus, impoſturis, mendacijs, dolis malis, milleque iniquis fraudibus, artibus, conaribus, machinationibus veritati contrarijs. Quid fieret igitur, ſi metus ſuppliciorum nullus eſſet? Et quod ad religionis veritatem attinet, quid eſt quod in quibuſdam regnis atque prouincijs eam hactenus integram & inuiolatam conſeruauit? quid aliud, inquam, niſi cura aſſidua & vigilantia mariti eius, metus videlicet ſanctæ inquiſitionis? Quod ex alijs multis vicinis regnis manifeſtum euadit: in quibus quia metus ille non viguit, tanquam abſente vel dormitante marito, veritas miſerè iamdiu violata atque expulſa fuit.

De genere huius reginæ & parentibus eius, ipſammet paulò pòſt differentem audiemus. Primùm corpus ipſius, membra omnia, cultumque ſeu ornatum, & ſimilia deſcribamus, vt poſſumus. In primis toto corpore à ſummo capite ad imos vſque pedes æqualis eſt: pulchra & abſoluta proportio membrorum inter ſe, & cum toto corpore, vbique

ſibi

benè congtuens. Vultu eſt ſereno, liberali, benigno, affabili, planè regio: denique tali, vt aſpectu ſuo cælum terramq́ue exhilaret. Torum os, ſalua decente & liberali ſeueritate, quæ laſciuiam omnem ac leuitatem excludit, miram præ ſe ferens affabilitatem & gratiam; comitate, humanitate, alliciens ſeu trahens potius. Oculi viuaciſſimi pariter & ſuauiſſimi, omnia circumſpicientes, omnia colluſtrantes, multo plus lucidiores ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes. Frons ſerena, lata, eodem ſemper tenore blandeſcens. Linguâ eius nihil diſertius, nihil facundius, ſuauius, rectius, efficacius. Calamus eſt cæleſtis Pſal. 44.
ſcribæ velociter ſcribentis. Verba eius, verba vitæ æternæ. Ea loquente, ſilent arrectis auribus omnia, pendentq́ue narrantis ab ore. Vox eius candida, lenis, clara, ſonora, auditu gratiſſima: nihil habens horribile, nihil triſte, nihil aſperum: docens vnumquemque quid agere debeat, quomodo ſe gerere. viua & efficax, quiduis efficiens & perſuadens: penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagum quoque ac medullarum. Hac voce inſonante, mouetur terra; cæli & elementa reſpondent. Quod de Orphei voce & cantu ſcribunt poëtæ fabuloſum; de veritatis voce veriſſime dicitur. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificen Pſal. 28.
tia, vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani. Vox Domini intercidentis flammam ignis; vox Domini concutientis deſertum: & commouebit Dominus deſertum Cades. Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condenſa. Et illud; Increpans mare & exſiccans illud, & omnia flumina in deſertum deducens. Montes commoti ſunt ab ea, & colles deſolati ſunt, & contremuit terra à facie eius, & orbis, & omnes habitantes in eo. Brachia neruoſa, robuſta, fortiſſima, omnia aggredientia, omnia confringentia; falſum omne ad extremum atterentia: denique vinum, regem, mulierem vincentia, vt pòſt audiemus. Manus candidiſſimæ, ſine maculis, ſine rugis. Digiti teretes, miram in articulis firmitatem habentes, longiuſculi, extenſi inſtar pyramidum, conotenus leniter cum decore turbinati. Vngues ſemper lucidi nitidiq́ue: vt gemmæ ſardoniches videantur. Hæ manus ſunt illæ, quæ cælum & terram crearunt, quæ cælum ſtellis, terram pinxerunt floribus. De quibus dicitur; Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu. Hi digiti monſtrorum effectores, opera admiranda atque inimitabilia facientes: quod Pharaonis quoque malefici omnes fateri cogebantur, dicentes; Digitus Dei eſt hic. Pedes eius optimi quidem & firmiſſimi, ſed quibus tardiuſculè graditur: ita tamen vt tempeſtiuè ſemper & opportunè adueniat, quocumque deſiderat. Et interdum quidem ſuis ipſa pedibus graditur; nonnumquam verò portatur à ſene quodam annoſo, ſed viridi & cruda ſenecta, profunda ingluuie, ſemper famelico, inſatiabili, dentibus ferreis, quibus cuncta comminuit: Tempus ei nomen eſt. Dorſum huius Heroinæ præſtantiſſimum eſt quidem illud, ſed nihil ad pectora & faciem ipſius. Quemadmodum & exteriora omnia nihil ad intima eius ac penetralia.

Quod ad veſtes eius & ornatum attinet, in eo minimè eſt curioſa vel ſollicita. Cultu eſt ſimplici, parabili, ruſticano: nihil auri vel gemmarum ferens, nihil ab ancillis ſuis toto diſtans habitu: quin & frequenter ſe ab illis in huiuſmodi vinci permittens, etſi tanta regina.

Nec verò ſola eſt veritas, ex quo in terram venit, & delicias ſuas duxit eſſe cum filijs hominum. Sed ſanè ſecuti ſunt veritatem ab initio pro hominum multitudine (quod mirum admodum & dolendum eſt) valde pauci. Hanc aſſectati ſunt iam olim turba ingens Philoſophorum gentilium diuerſis nationibus, locis, temporibus: quidam rectiùs, obliquiùs alij; nemo tamen plane rectis veriſq́ue itineribus. ita vt plerique eorum alijs veritatis aſſeclis riſum mouerent, quum profeſſi eius ſectatores, in diuerſum penitus adeoq́ue aduerſum recederent. Nemo audet veritatis incedentis latus tegere. Maritus eius, quem antè diximus, nonnihil præcedit, metus videlicet: filius verò, odium, ponè ſequitur. Magnum veritati comitatum præbent Iudæi illi veteres, iam inde ab Abraham deſcendentes; maximum verò Chriſtiani: qui & proximè ad illam accedunt, iiſq́ue ipſa familiariſſimè vtitur.

CAPVT VIII.

Falſi delineatio, ad maiorem veritatis illuſtrationem.

SED rectiùs multo veritatis tota natura videri atque intelligi poterit, ſi ex aduerſo illi opponatur, ſuiſq́ue etiam coloribus deſcribatur, hoſtis veritatis perpetuus, Falſum. Contraria enim iuxta ſe poſita, vt vulgò rectè dicitur, magis eluceſcunt. Itaque falſum delineatum vt eſt, veritatis demonſtrabit dignitatem & pulchritudinem: veritas autem turpitudinem falſitatis. Dæmon igitur hoſtis Dei æternus & amicorum eius, filiam ex ſe dedit, an filium non ſatis ſcio, ſobolem certè peſſimam & peſtiferam: falſitas hæc eſt, vt nomen ipſum ſonat; falſus omnino tum in alios tum maximè in ſeipſum. Si tamen huiuſmodi rem omnium teterrimam, hominem dicere fas eſt: nec enim reuera humani vel generis eſt vel ſanguinis: nec vir eſt, nec fœmina; ſed modò virum ſe fingit, modò fœminam; monſtrum horrendum, ingens, deforme, terribile, varium, quocumque aſpicias, omni autem ex parte turpiſſimum: nec caput habet verum, nec pedes, nec rectè ſtare poteſt, nec benè ambulare: inane corpus, nihil habens ſolidi, nihil veri: nudum dorſum, & fronti ac pectori mirè diſſimile: ſed plerumque ornatum eſt vndique elegantiſſimè, quò ſic fallat, & ad ſui amorem pelliciat omnes. Amictus autem totus pæne aulicus: aurea veſtis ad talos vſque demiſſa: magis enim ſe & frequentiùs vt fœminá quàm vt virum oſtendit; quò nimirum veritas eſſe ipſa videatur: reticulo eſt ſerico, flammeo, Melitenſi, corona gemmis diſtincta, ceu regina quædam eſſet: cincinnis alienis & ademptilibus: graui inaurium pondere, vnionibus crebris, monili aureo vario & amœno emblemate ſpectabili: grandia in brachijs dextrocheria habet, & armillas eleganter elaboratas. Facies eius per ſe fœdiſſima, ſed tota fucata: labia & buccæ rutilantia purpuriſſa, cilia ſtibio nigricantia: totum corpus quacumque cerni poteſt incruſtatum ceruſſa: manus tartareas tegunt nitidæ & muſcum olentes chirotecę. Sed quemadmodum in deformibus & impudicis mulieribus fieri videmus, minium & ceruſſam, ac neſcio quæ alia quibus totam liniunt faciem, vt aſpicientibus pulchriores videantur, æſtu ſolis liqueſcere, tumq́ue veram earum deformitatem ac turpitudinem apparere; ſic luce veritatis & calore apparente, omnis illa falſitatis larua eueſtigiò liqueſcit ac euaneſcit, quantaque ſit falſi fraus ac turpitudo manifeſtum euadit.

Videamus nunc, quiſnam & qualis ſit monſtri huius teterrimi, peſtis orbis terrarum, comitatus. Comitantur illud, mendacium, periurium, aſtutia, fraus, dolus malus, aſſentatio, ſimulatio, hypocriſis, turba ſanè totius mundi longè maxima, nec minùs flagitioſa & ſceleſta. Hic ſunt ruſtici & agricolæ non pauci numero, vrbani verò plurimi, aulici pænè omnes. Primum verò locum in regno falſitatis obtinent illi, qui dicũtur inter Chriſtianos hæretici; nec infimum hypocritæ inter Catholicos. Sed hîc notandum, reginam falſitatem ægerrimè accipere, ſi quis eam ſuo appellet nomine. Potiùs aliqua gaudet nomina ſumere fucata, ſpecioſa, veritatis ſimilia: idq́ue vt quàm maximè fallat. Ad quem etiam modum comites eius pænè omnes, vt ſemper vulgus principis exemplum facilè ſequitur, aliena induunt nomina. Mendacium ſe diſcretam veritatis diſſimulationem vocat; periurium dicitur aſſeueratio veritatis; aſtutia, prudentia. Fraus deprehenſa, aliàs ſe pro ridiculo fert, & hilaritatem porrecta captat fronte; aliàs pro prudentiæ opere, laudem ex vituperio mutuatur. Dolus malus, pro bono ſe & prouidentiâ genito venditat. Aſſentatio paſſim vrbanitas & ciuilitas ſalutatur; & nunc amor videri vult, nunc admiratio: ac prorſus ſanguine ſe veritati coniunctam, eademq́ue gente teneri, non iactat ſolùm, ſed ſanctè etiam ſæpè deierat. Ruſtici, libenter viri boni audiunt; vrbani, domini. Aulicos, etſi bubulcorum filios, aliter quàm nobiliſſimos compellari, periculoſum: ad arma protinus. Iam verò hæretici, quum longiſſimè omnium abſint à veritate, eiuſque ſummi ac iurati hoſtes exiſtant, eamq́ue obſcuratam pænitus & extinctam cupiant; tamen alij eorum ſe Euangelicos, alij Illuminatos, alij Reformatæ religionis profeſſores, alij ſinceros verbi Dei doctores, appellant. Denique hypocritæ ſe religioſos & ſanctos nominant. In regno veritatis omnia ſunt contraria: aperta nimirum, ſimplicia, certa, ſolida. Ibi verum, eſt verum: ruſticitas, ruſticitas: falces, falces; & ficus, ficus.

CAPVT IX.

Introducitur Veritas de ſe loquens; genus ſuum ac natales, dignitatem ſuam & præſtantiam, Sapientiæ ipſius verbis, enarrans.

QVOD ſi quis reginam hanc (Veritatem videlicet) audire velit de ſe loquentem, genus
ſuum & natales, dignitatem & præſtantiam, fructus quos affert & vtilitatem, expli-
cantem; quoniam oulli veritas magis oota eſt quàm ipſa ſibi; auſcultate: O viri (inquit) ad
vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Intelligite paruuli aſtutiá, & inſipientes ani- *Prouerb. 1.*
maduertite. Audite, quoniam de rebus magnis locutura ſum & aperientur labia mea vt
recta prædicent. Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea deteſtabuntur im-
pium. Iuſti ſunt omnes ſermones mei: non eſt in ijs prauum quid, neque peruerſum. Re-
cti ſunt intelligentibus, & æqui inuenientibus ſcientiam. Accipite diſciplinam meam, &
non pecuniam: doctrinam meam magis quam aurum diligite. Ego ex ore Altiſſimi pro- *Eccli. 24.*
diui, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cælis vt oriretur lumen indeficiens,
& ſicut oebula texi omnem terram. Ego in altiſſimis habitaui, & thronus meus in co-
lumna nubis. Gyrum cæli circuiui ſola, & profundum abyſſi penetraui, & in fluctibus
maris ambulaui, & in omni terra ſteti. Et in omni populo, & in omni gente primatú ha-
bui, & omoium excellentium & ſublimium colla propria virtute calcaui. Meum eſt con- *Prouerb. 8.*
ſiliú, & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me reges regnant, & legum con-
ditores iuſta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam. Ego
diligentes me diligo, & qui oṁne vigilauerint ad me, inuenient me. Mecum ſunt diuitiæ
& gloria, opes ſuperbæ & iuſtitia. Melior eſt enim fructus meus auro & lapide pretioſo; &
genimina mea, argento electo. In viis iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum iudicij, vt di-
tem diligentes me, & theſauros eorum repleam. Dominus poſſedit me in ioitio viarú ſua-
rum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis,
antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: necdum fon-
tes aquarum eruperant: necdum montes graui mole conſtiterant: ante omnes colles ego
parturiebar: adhuc terrá non fecerat & flumina, & cardines orbis terræ. Quando præpa-
rabat cælos, aderaoi: quando certa lege & gyro vallabat abyſſos: quando æthera firma-
bat ſurſum, & librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum ſuum, &
legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos: quando appendebat fundamenta terræ.
Cum eo eram cuncta componens: & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo om-
ni tempore, ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. Nunc
ergo filij audite me; Beati qui cuſtodiunt vias meas. Audite diſciplinam, & eſtote ſapien-
tes, & nolite abijcere eam. Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quo-
tidie & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem
à Dumino. Qui autem in me peccauerit, lædet aoimam ſuam: omnes qui me oderunt
diligunt mortem. Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris: & flores mei fructus ho-
noris & honeſtatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ
ſpei. In me gratia omnis viæ & veritatis: in me omnis ſpes vitæ & virtutis. Tranſite ad me
omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus
ſuper mel dulcis: & hereditas mea ſuper mel & fauum: memoria mea in generatione
ſæculorum. Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient. Qui audit
me, non confundetur; & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vi-
tam æternam habebunt.

Quæ cùm ita ſint, quid eſt quòd plerique omnes mortales tantoperè à me abhor-
reant? & vel oderint penitus & extinctam cupiant, vel negligenter me quærant colant-
que, vel oon niſi fucatam & vitiatam amare & amplecti velint? Quid tandem eſt, quod
ijs in me diſplicet? vel quid quærunt, quid cupiuot, quod in me non ſit, & quidem cumu-
latiſſimè, reperire; de bonis rebus & appetibilibus loquendo? Si diuitiæ appetuntur in vi-
ta, quid me locupletius? quippe cuius ſunt vniuerſa, quæ egomet ipſa feci & creaui. Si
fortitudo quæritur, ego illa ſum quam nobiliſſimus iuuenis Zorobabel iudicauit rerum
omnium fortiſſimam. cuius iudicium meritò ab omnibus approbatum, & à rege maxi- *3. Eſdra 3.*
mo præmijs honoribuſque ſummis penſatum fuit. Et nónne brachium meum fuit, cuius

vi & robore ſpiritus potentiſſimi & mendaciſſimi proſtrati & contriri ſunt ab initio? Videbam Sathanam tamquam fulgur de cælo cadentem, quòd mihi ſe opponere auſus fuerat: videbam, illiuſque victoriæ auctor & dux eram ab initio.

At nihil ęquè deſiderant benè nata ingenia ac ſapientiam. Quis ſcientiam & doctrinam me habet copioſiùs? Hoc eſt quod propriè ſpectat ad naturam meam. Doctrix ſum diſciplinæ Dei, & electrix operum illius. Quid quòd omnes ſcientiæ me tamquam ſignum ſibi proponunt? me ſolam intuentur & quærunt? Hinc Ariſtoteles mei ſtudioſiſſimus, quem & ego docui quæcumque ſciuit, & optimi ac ſapientiſſimi quique, diſcipuli omnes mei, me veram rerum notitiam, ac euidentem ſapientiam appellarunt. Eſt enim in me, vt iterùm aliquid dicam in laudem meam, docendi cauſa, non vanitatis aut iactantiæ ſpiritus, quæ omnia ex diametro mecum pugnant, & ego cum illis, tam verè, tam ſimpliciter, quàm ego ſum ſimplex veritas.

Eſt ſpiritus intelligentiæ ac naturæ meæ ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuauis, amans, bonus, acutus, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, ſtabilis, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, qui capiat omnes ſpiritus intelligibiles, mundus, ſubtilis. Et talis quidem ac tanta cùm ſim, nec cuiuſquam egeam, nec quiſquam mihi aliquid præſtare queat vel donare; tamen propria ſponte hominum ſocietatem & conuerſationem amaui, & deliciæ meæ fuerunt, eſſe cum filijs hominum. idque tantummodò, vt hominibus benefacerem, ipſique me cognoſcentes, me amantes, me colentes & retinentes, beati eſſent. Qui ſunt ergo illi vel quales, quos mali dæmones ita ſeductos & perſuaſos habent, vt mendacium filiam ſuam pro me illis ſupponant, ipſique id ferant libentiſſimè? Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? [Pſalm 4.] Meritò dubitauerim, niſi mihi perſpecta & probè comperta eſſent omnia; ſitiſne vos ex genere & ſanguine priſcorum illorum hominum, quos primos pater meus in hunc mundum induxit, qui tanto ſtudio tenebantur cognoſcendæ, amandæ, loquendæ veritatis. [PYTHAGORAS.] Quorum vnus, etiam inter ethnicos, quibus me tamen minùs ſemper oſtendi, affirmauit, tunc hominem fieri Dei ſimillimum, dum vera loquitur. Ex quo ſequitur, numquam hominem principi tenebrarum ſimiliorem fieri, niſi cùm loquitur mendacium. Eſt enim ille mendax, iam inde ab initio, & mendacij pater. Proinde, veriſſimè etiam dixit Hieronymus meus, carmina Poëtarum, in quibus omnia ferè ſunt mendacijs fabuliſque referta, quique & ipſi mentiri didicerunt & alios docuerunt, dæmonum cibum eſſe. Quorum princeps eſt ille, verè delirus ſenex Homerus, non tam corpore cæcus quàm mente. Qui quantoperè mendacio delectatus ſemper fuerit; vel hoc indicio eſt, quòd Vlyſſem illum erronem, delicias ſuas, omnia ferè mentientem inducit. Et hunc videlicet eius ſimiles homines, cæci, mendaces, vaniloqui, ingeniorum fontem & parentem appellant. Rectiſſimè de talibus Boëtius meus affirmauit, quòd oculos ſuos tenebris aſſuetos non valent ad lucem perſpicuæ veritatis attollere: ſimiles illis auibus quarum oculos dies cæcat, nox illuminat. Quare, vt finem dicendi faciam, diſcite tandem mortales, quos ſolos parens meus inter omnes viſibiles creaturas mei capaces fecit, diſcite aliquando, me ſolam, ſimplicem, puram, expreſſam, amare & complecti, quo nihil facilius. Diſcite me ſolam loqui, quo nihil nobilius, nihilque ingenuum magis. Diſcite me ſemper audire, quo nihil vtilius, nihil ſuauius, nihil dulcius, nihil ſolidius, nihilque permanentius. Ego vna vobis amictus ero, ego lorica fortiſſima: ego clypeus, quo ruente nihil vobis nocebit: ego gladius, quo hoſtes omnes vitæ ac ſalutis veſtræ perpetuæ proſternetis. Ego vos ducam per vias rectas. Poſtremò, ego meipſam vobis tandem qualis ſim videndam & contemplandam oſtendam; in quo ſumma æternaque felicitas: in quo ſtatus conſiſtit omnium rerum bonarum & deſiderabilium aggregatione perfectus. Dixi.

CAPVT X.

Variæ variorum gentilium Veritatis deſcriptiones.

HVc pertinent deſcriptiones illę veritatis quas reperire eſt apud diuerſos Philoſophos & ſcriptores gentilium. Quibus non quidem propria veritatis definitio continetur, qualem antè ex Cicerone recenſuimus, ſed ſunt tamen bonæ veræque deſcriptiones veritatis, deſumptæ præcipuè ex fructibus eius atque effectibus: ac loquuntur potiſ-

ſimùm

ſimum de veritate illa quæ hominem in ſermonibus ſuis veracem facit. de qua nunc diſputauimus, quæque virtus eſt moralis, vt antè oſtendimus.

Epimenides Philoſophus, interrogatus a Rhodienſibus quid eſſet Veritas; Res eſt, inquit, quam dij præ alijs omnibus amant & profitentur: cuius virtus cælum ealfacit, & terram illuminat, iuſtitiam firmat, rempublicam gubernat: quæ nihil in ſe mali continet, omneſque dubias res claras & perſpicuas reddit. Idem quum Corinthij Chilonem Philoſophum interrogarent; Veritas (reſpondit) certum eſt lucrum, quod numquam minuitur, ſcutum quod nulla poteſt violentia perforari, tempus quod nullam perturbationem ſentit, exercitus qui numquam perit, flos qui numquam marceſcit, mare quod nullam tempeſtatem, nullam pertimeſcit fortunam, portus tutus qui nullum ſentit naufragium.

Eamdem quæſtionem proponebant Lacedæmonij Anaxarcho. qui reſpondens, Veritas, inquit, ſanitas mentis eſt continua, vita perpetua, medicina omnem ſanans languorem, ſol ſemper lucens die nocteque, luna quæ numquam defectum patitur, ſemper clara, ſemper plena: herba quæ numquam emoritur, porta quæ numquam clauditur, opem vel conſolationem, requiem aut refectionem quærentibus; via in qua nemo ambulans fatigatur.

Æſchines Philoſophus idem aliquando interrogatus, reſpondit: Veritas virtus eſt, ſine qua fortitudo omnis infirma; iuſtitia, ſanguinolenta & crudelis humilitas, proditrix; patientia, ſimulatio; caſtitas inanis, libertas captiua, religio pietaſque ſuperflua.

Alius quidam ab Romanis eamdem interrogatus quæſtionem (quidam nominant Pharmacum) ita reſpondit: Veritas eſt centrum, ad quod tendunt & in quo requieſcunt omnia, aſtrolabium, quo nautæ omnes in vaſto mari dirigũt iter & nauigationem ſuam; ſapientia, quæ omnia moderatur; lumen, quo mundus illuminatur vniuerſus.

Polydorus Virgilius ad hunc modum Veritatem deſcribit. Veritas eſt iuſtitiæ mater, rerum omnium etiam occultarum lux indexque, tam bonorum adiutrix, quàm malorum vltrix; ac omnis doli, fraudis, malitiæ expultrix: potens, inuicta, immortalis, iniuriæ vindex, atque reipublicæ ſumma denique conſeruatrix.

Hic denique aſſcribere placuit verba quædam eiuſdem argumenti, vtpote de laude atque effectibus veritatis inſignia; non quidem diui Chryſoſtomi, ſed alterius, quiſquis fuit, in 1. tom. operum Chryſoſtomi, Homilia de eo quod ſcriptum eſt in Pſal. 118. Prope es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas. Ex eo enim quod ſcriptor ille philoſophatur de litteris & ſyllabis vocabuli veritatis, conſtat non Græcum fuiſſe, ſed Latinum. Sic ergo habet ille: Veritatem prædicandam anguſtia oris humani non capit. Et quia ſilendum non eſt de tantæ magnitudinis veritate, in quantum poteſt capere ſenſus, auribus veſtris prædicamus, non quanta eſt ipſa veritas, ſed quantum de illa dici poteſt. Hæc veritas ab initio fuit fundata, eſt, & erit. Quæ verè ideò dicitur fundata, quòd in cordibus Sanctorum inhæſit, in fundo cordis ibi radicata eſt, ibi culmeſcit, frondeſcit, fructificat, perficiturque. Cùm iſta ergo prædicamus, ſancta corda ædificamus, proficiẽtia docemus, initiatis cordibus eam oſtendimus, prodeſt omnibus: in noſtra prędicatione pulſat aures humanas, vt in corde faciat manſionem. Hæc veritas, tres ſunt ſyllabæ, & ſeptem litteræ: quia in ſeptima die requieuit Deus ab operibus ſuis quæ fecit. Et quia in ipſa veritate requieſcit Deus, ideò requieuit ab omnibus operibus ſuis. cùm in nobis illam videt firmatam, radicatam, dilatatam; cum nominamus illam, requieſcimus in illa: cum loquimur de illa, delectamus illam: cùm prædicamus illam, deſcendit ad memoriam noſtram, vt ibi faciat manſionem. Hæc ergo veritas expugnat falſitatem, repellit aduerſitatem, vana non admittit, temporalia & caduca odit: & quia eſt veritas, ſemper eſt veritas.

CAPVT XI.

De facultate loquendi, qua præditi ſunt homines: quantum ſpectat, ad Veritatis elucidationem.

VT verò iam dictę veritatis deſcriptiones totaq; eius pulcherrima natura meliùs intelligatur, dicendum eſt vnum atq; alterum verbum de facultate loquendi, qua præditi ſunt homines. Eſt hoc Dei donum longè maximum & præclariſſimum: quum in eo præcipuus vſus humanæ vitæ contineatur, ſine quo nemo nouit quid in homine ſit, vel quid

ab eo expectari queat. Quo dempto quid aliud eſt vita humana, quàm muta quædam fabula, variorum & maximorum tenebris errorum ac difficultatum inuoluta? Vnde & quidam hoc hominis proprium eſſe iudicarunt: & hominem animal eſſe bipes loquendi peritum, ſeu quod ſuo tempore loqui valeat, definierunt. Et Poëta quidam nec malè nec ineleganter de locutione ſimul & de manibus humanis ſcribit in hunc modum:

Lingua facit cedant animalia cetera nobis.
Nam ſi ſermo homini non eſſet munere Diuûm
Conceſſus, geminaq; manus, quibus omnia fiunt;
Nullum animal foret in terris miſerum magis atque
Infelix homine. His noſtra eſt natura duobus
Nobilior meliorq; . hinc tota ſuperbia noſtra eſt.
Hinc artes veniunt. nam præſens voce monetur,
Quid faciat caueatq;, abſenti ſcripta loquuntur.
Pandere ſi poſſent animalia cetera fando,
Vt nos, Arcadio clauſos in pectore motus,
Mutuaq; inter ſe dictare & reddere verba,
Ac varios aptis digitis conſcribere libros,
Interdum nobis ſapientior eſſet aſellus:
Pluſq; alia interdum pecudes rationis haberent,
Progeniemq; ſuam auderent præponere cunctis;
Diceret & nobis aſinus ſe nobiliorem.
Lingua manuſque igitur faciunt ſuccumbere nobis *Omnia.* ———

Patet autem latè admodum vſus loquendi. Verùm his terminis conſtringi poteſt, vt primum gloriæ Dei, deinde humanis vſibus ſeruiat. Gloriæ Dei ſeruit, nomen eius, vtpote potentiam, bonitatem, ſapientiam, veritatem, iuſtitiam, miſericordiam, reliquaſq; Dei perfectiones, laudandu & prædicando. Humano conuictui ſeruit, primum vt neceſſaria cordium noſtrorum cogitata ac deſideria verbis aperiamus, quibus quid nobis opus ſit, quidve velimus, cupiamus, præcipiamus, admoneamus, innoteſcat.

Deinde vt proximorum inopiæ, neceſſitati, varijſque vſibus & commoditatibus conſulatur. Quod fit, dum vel ignorantes docemus, erranteſque in viam reducimus, vel benefacientes laudamus, vel delinquentes corripimus, vel iratos placamus, vel triſtes conſolamur, vel ceſſantes & negligentes excitamus: & quæcumque alia conuictus noſtri neceſſitas aut ratio exigit, loquendo perficimus.

Sed quo preclarius Dei donum eſt loquendi facultas, hoc in peiores ac turpiores abuſus vitio hominum ac peruerſitate conuertitur. Hinc tam multa, tam varia, tamque grauia & noxia linguæ vel locutionis peccata notantur, vtputa contentio, contumelia, conuitium, improperium, irriſio, detractio, falſum teſtimonium, ſuſurratio, maledicentia, criminatio, blaſphemia, adulatio, ſecretorum reuelatio, & his ſimilia, quæ partim leuitate, partim malitia & fraude humani cordis ſeu voluntatis committuntur. Inter præcipua verò & maxima locutionis vitia, meritò ab omnibus numeratur mendacium, in prædicto vitiorum linguæ catalogo nondum expreſſum. Quàm enim vtilis & neceſſarius eſt hominibus vſus loquendi, vt nunc oſtendimus; tam noxium & perniciosum eſt mendacium, veritati ex diametro contrarium. Sic enim loquendi vſus inter homines veritate nititur; vt ſi à ſermone hominum veritatē auferas, perinde facias ac ſi à ſole ſplendorem, à terra fertilitatem, humiditatem ab aquis, à lapide duritiem, ab igne calorem velis auferre. Eſt enim ſingulis rebus diuinitus aliquid datum, quo illarum vel vſus conſtet vel integritas. Quale aliquid eſt etiam in actionibus & rebus humanis, ſiue illud rectum appellare velis, ſiue integrum, ſeu quocumque alio nomine: tale aliquid eſt ſine quo verus illarum nequeat & proprius vſus conſiſtere. quod ſi non habeant, perinde ſit ac ſi non eſſent; imò plerumque non eſſe præſtaret, cum ſine eo non modò non proſint ſed plurimum frequenter obſint etiam. Veluti ſi domus non habeat firmum aut ſolidum fundamentum quod ſuperimpoſitam molem probe ſuſtinere queat, ſi tectum non ſit ritè compactum, trabes non rectè collocatæ, ſi nutent muri vel parietes: item ſi culter aut gladius non ſit acutus ſed obtuſus, vel ſi non ſit ſatis obduratus, ſed plumbeus & flexibilis: ſic plane ſermo humanus tantopere veritate nititur, vt ſi illam non habeat, propria naturæ ſuæ conditione deſtituatur, nec modo vtilitatem aliquam afferre non poſſit, ſed maximi etiam mali ac damni cauſa fiat.

Tolle

Tolle enim veritatem ex humanis ſermonibus & contractibus; ſimul & pacem & iuſtitiam, concordiam & vnitatem, omnem mutuam communicationem & conuictum abſtuleris: omniaque turbis, diſſidijs, contentionibus, litibus, iurgijs, pugnis repleueris. Vnde rectiſſimè Pythagoras dicere erat ſolitus, hæc duo diuinitus data hominibus pulcherrima, veritatem amare, & beneficijs operam dare. addebatque, vtrumque cum Deorum immortalium operibus comparari poſſe. Ælianus de Varia hiſtoria lib. 12. Sic & Plutarchus in vita Marij refert dixiſſe Pindarum: Magnæ virtutis principium eſſe veritatem. Hinc etiam intelligimus, quàm non ſine cauſa in Scripturis ſacris vbique locorum tanto nobis opere veritas commendetur. Primùm quidem in Pſalmo 14. breui quidem illo ſed longè pulcherrimo, in quo deſcribit Propheta, qualem eſſe oporteat ciuem regni Dei, qui & hîc in Eccleſia & populo Dei fructum aliquem vel alijs vel ſibimetipſi vt minimum facere, & poſteà velit ad regnum cœleſte ac ſempiternum peruenire; primo ſtatim loco dicitur, Qui loquitur veritatem in corde ſuo. Quæ ſententia aliquanto nobis eſt latiùs ad laudem veritatis & commendationem explicanda, ſeruata tamen ſemper congrua ac debita, vti hactenus conſueuimus, breuitate. *Sic planè etiam Iſai. cap. 33.*

CAPVT XII.

Sententiæ ſequentis explicatio & applicatio;

DOMINE, QVIS HABITABIT IN TABERNACVLO TVO; AVT QVIS REQVIESCET IN MONTE SANCTO TVO? QVI LOQVITVR VERITATEM IN CORDE SVO. *Pſal. 14.*

DIVINVM quiddam eſt veritas, & tamquam filia Dei primogenita, vt antè oſtendimus. Quam Deus, qui totus verax eſt, & mentiri neſcit, ſic amat, vt nihil pænè magis. Et quemadmodum veritate ſuper omnia delectatur, velut naturæ ſuæ maximè congruente; ſic nihil æquè odit vt mendacium, naturæ ſuæ planè contrarium; quodque totum eſt ex Diabolo, vt pòſt audiemus, hoſte Dei iurato ac perpetuo. Ideò Deus ante omnia vult nos in ſermone veraces eſſe: vt nimirum illi hac ratione ſimus quàm ſimillimi: ſicuti bonus pater optat filio ſuo omnes bonas conditiones naturæ ſuæ: quoque patri ſimilior eſt filius, eò illi eſt & gratior. Deinde, quia talis eſt humana conditio, vt omnes mutuâ operâ atque auxilio opus habeamus; nihil magis ad mutuum, & conſeruationem humanæ ſocietatis, neceſſarium eſt, quàm veritas, vt paulò antè oſtendimus.

Primò autem notandum, non requirere Deum vt vel copioſiſſimus in ſermonibus noſtris, vel vt ornatè, expeditè, promptè, blandè, ſapienter, magnificè, eleganter loquamur. Nihil tale. Solummodò poſtulat, vt ſimus in ſermone veraces, ſi placere illi contendimus, & locum in regno eius aliquem obtinere. Veritas ſola eſt, quæ requiritur in ſermone & colloquijs ciuium regni Dei, quocumque modo proferatur: ſeu multis verbis aut ſententijs, ſeu paucis; ſeu rudibus & ſimplicibus, ſiue elegantibus & ornatis. Copioſè, eleganter, promptè, magnificè, prudenter loqui, paucorum eſt. Si hoc à nobis exigeret Deus, videri poſſet paucos velle regni ſui incolas & ciues habere: omnibuſque pauperibus, ſimplicibus, atque indoctis hominibus, qui pars hominum ſemper ſunt longè maxima, magnam deſperationis occaſionem dediſſet. Nequaquam. Non eſt quod quiſquam hîc ſit puſillanimis. Id requirit tantùm, quod facilè omnes præſtare queunt, quodque eſt in vniuſcuiuſque manu & poteſtate: verum loqui, videlicet. Qui loquitur, inquit, veritatem in corde ſuo, ille habitabit in tabernaculo meo, & requieſcet in monte ſancto meo. Et veritatis quidem hæc eſt conditio ac natura, vt ſimplici ac nuda perſpicuitate gaudeat; ornatum autem omnem & cultum contemnat, vt pòſt fuſiùs ſuo loco declarabitur.

Secundò notandum, quòd non dicit, Qui loquitur omnem veritatem; ſed ſimpliciter, Qui loquitur veritatem. Non requiritur à ciue regni Dei, vt omnem veritatem, hoc eſt quidquid verum eſt, loquatur. Primùm enim, non eſt hominis alicuius quamlibet docti vel ſapientis ſcire omnem veritatem, ſed Dei ſolius. Quomodo autem poterit aliquis loqui veritatem incognitam? Dicit quidem Chriſtus & promittit Apoſtolis ſuis quòd Spiritus ſanctus, quem accepturi erant, docturus illos erat omnem veritatem. Sed hoc intelligitur procul dubio de omni veritate neceſſaria ad ſalutem, & ad officium ac vocationem illorum: non ſimpliciter & abſolutè de omni veritate.

Deinde, nec opus eſt, nec conuenit etiam, vt quidquid nouimus verum eſſe, loqua-

 mur.

mur. Etiam atque etiam videndum eſt viro bono & prudenti, vt ſic veritatem dicat, ſicut proximo conducere iudicauerit. Non eſt enim veritas, dicendorum omnium & faciendorum regula, ſed charitas. Vnde ſancti etiam & ſapientiſſimi homines, non ſemper quod verum ſciebant elocuti ſunt: ſed veritatem nonnumquam tacendo, nonnumquam loquendo, occultarunt; ne cognita veritas, non ſua quidem culpâ, ſed hominum vitio, plus mali quàm boni efficeret. Quum Ioſeph falsò accuſaretur de adulterio cum domina ſua vxore Putipharis, malebat iniuriam patienter ferre, quàm crimen heræ ſuæ prodere, & veritatem dicere nihil profuturam. Sic Abraham dicendo Saram ſororem ſuam eſſe, non quidem mentiebatur, ſed veritatem illam tamen, quòd vxor eſſet ſua, de qua potiſſimùm agebatur, occultabat. Multa ſunt huius rei exempla in Sacris litteris: ſed hæc ad veritatis & doctrinæ declarationem ſufficiunt.

Tertiò, obſeruandum quòd non ſimpliciter dicit, Loquitur veritatem: ſed, Loquitur veritatem in corde ſuo. Primùm fieri poteſt, vt quis falſum dicat, quod tamen in corde ſuo putet eſſe verum: rurſus vt verum dicat ore, quod tamen in corde ſuo falſum putet. Talis, ſi cor tectum ſit, nihil peccat contra veritatem. Non dicit, in corde proximi; ſed, in corde ſuo. Innocens eſt qui quod dicit, ideò dicit, quòd in corde ſuo verum eſſe exiſtimet, etiamſi in cordibus aliorum falſum ſit. Falſus eſt, qui verum dicit ore, quod in corde ſuo pro falſo habet. Nonnulli (inquit Auguſtinus hoc loco) in labijs habent veritatem, & in corde non habent. Tamquam ſi aliquis doloſe oſtendat viam, ſciens in ea eſſe latrones; & dicat, Si hac ieris, à latronibus tutus eris; & contingat vt verè latrones ibi non inuenianrur: verum ille locutus eſt, ſed non in corde ſuo; aliud enim putabat, & neſciens verum dixit. Ergo parum eſt, verum loqui, niſi etiam in corde ita ſit. Hæc ille. Vide eumdem Auguſtinum lib. Contra mendacium, cap. 6.

Præterea fieri poteſt, vt quod verum eſt, & verum eſſe ſcitur; ore tantùm, & non ex corde dicatur. Sicut & econtrariò accidit, vt quod falſum eſt, & falſum eſſe cognoſcitur; ore tantùm, & non ex corde dicatur: quod bonis interdum ex metu contingit. Quale eſt quod Petro accidit, quum diceret, Non noui hominem. Falſum erat, & ore tantum, non autem ex corde dicebatur. Itaque ab eo qui ciuis eſſe debeat regni Dei, hoc loco exigitur, vt non ſolùm ore, ſed ex corde etiam, quod verum eſſe ſcit vel putat, loquatur. vtque homo ſit, non ſolùm verè dicens, ſed etiam veritatis amans & ſtudioſus. Idque non erga Deum dumtaxat, ſed erga proximum quoque. Quòd enim ad Deum pertinet, quis eſt à quo falli ille verbis vllis queat? Imò quis apud illum poteſt eſſe vſus verborum aut ſermonum noſtrorum, qui omnia cordium ſecreta, etiamſi penitus muti ſimus, intimè nouit?

CAPVT XIII.

Sequentis Chriſti ſententiæ declaratio:

VOS EX PATRE DIABOLO ESTIS, ET DESIDERIA PATRIS VESTRI VVLTIS FACERE. ILLE HOMICIDA ERAT AB INITIO, ET IN VERITATE NON STETIT: QVIA NON EST VERITAS IN EO. CVM LOQVITVR MENDACIVM, EX PROPRIIS LOQVITVR; QVIA MENDAX EST, ET PATER EIVS. *Ioan.* 8.

OMNES hæ ſententiæ vti cum vehementi animi affectione ex ingenti odio peccati, peſſimique auctoris peccati, à Chriſto pronuntiatæ ſunt; vt ſatis conſtat ex argumento ac deductione diſputationis, quæ illi erat cum Iudæis; ſic magna animi attentione legendæ ſunt & audiendæ.

Ac primùm quidem, quod hîc dicitur, Diabolum homicidam fuiſſe ab initio, tamquam nihil pertinens ad propoſitum noſtrum, hîc tractare prætermittemus. Illud videbimus quidnam ſit, quod affirmat Dominus, Diabolum in veritate non ſteti ſſe, nec in eo veritatem eſſe. Hoc planè ſpectat ad materiam diſputationis noſtræ de veritate. Tum etiam nonnihil dicemus de mendacio. partim quia illud veritati directè opponitur: contrarium autem ſine contrario ſuo nec explicari benè poteſt, nec intelligi. partim etiam, quia Dominus hîc diſſertionem de veritate & mendacio manifeſtè coniungit, originem vtriuſque & naturam demonſtrans.

Dicit ergo Dominus hîc de Diabolo, quòd in veritate non ſtetit. In omni homine, atque adeò in omni creatura rationali, eſt vel eſſe poteſt triplex veritas: Naturæ videlicet,

vſus

vſus ſeu finis, & ſermonis. Naturæ veritas, in partibus naturæ eſſentialibus (vt ſcholæ loquuntur) conſiſtit. Eſſe animal rationale ex anima & corpore conſtans, veritas eſt humanæ naturæ. Hanc veritatem habent homines quamdiu viuunt. Sic angelicæ naturæ veritas eſt, ſpiritum eſſe vel ſpiritualem eſſentiam ratione ac libera voluntate præditam. Quam veritatem retinuerunt etiam dæmones omnes poſt peccatum, ſemperque retinebunt. Hæc atque huiuſmodi veritas naturam ſemper ipſam conſequitur, nec vllo pacto ab ea diuelli poteſt. Proinde rectè dicunt Philoſophi, ſic accipiendo veritatem, ens & verum conuerti, vt loquuntur: hoc eſt, vnumquodque illorum tam latè patêre quàm alterum, ſemperque & vbique eſſe coniuncta. De hac ergo veritate non loquitur Dominus, quum Diabolum affirmat in veritate non ſtetiſſe: ſed loquitur de duabus alijs veritatibus iam nominatis. Nam præter veritatem naturæ, eſt in rebus omnibus veritas integritatis illarum & rectitudinis, qua ſeruire poſſunt ad illum vſum & finem ad quem ſunt conditæ. Quam ob cauſam, eam veritatem vſus legitimi & finis ſtatim nominauimus: quia nimirum per illam veritatem poſſunt res omnes ad verum vſum accommodari, ad finemque vltimum pertingere, ad quem creatæ ſunt.

Veniamus nunc ad propoſitum. Angelorum omnium veritas ex dono primæ creationis fuit, de hac veritate integritatis loquendo ac rectitudinis, ſpiritus eſſe Deo creatori ſuo ſubditos, illum agnoſcere & revereri, amare, colere, adorare, laudare, denique toto illi corde ſemper ſeruire. Hunc in finem à Deo facti & creati ſunt omnes. At in hac veritate Diabolus eiuſq; ſequaces mali angeli ſtare ac permanere noluerunt. Perdidit eos propria ſuperbia, qua Deum agnoſcere, illique humiliter ſubeſſe atque obtemperare noluerunt. Atque ita ex bonis, iuſtis, humilibus, ſanctiſque ſpiritibus, facti ſunt mali, iniuſti, ſuperbi, rebelles, impuri, omni impietate, fraude ac malitia pleni. Perdiderunt ergo veritatem integritatis & rectitudinis: atque ita finem vltimum ad quem creati erant, aſſequi minimè potuerunt, atque ad omne bonum inutiles facti ſunt. Quemadmodum, ſi animal aliquod ſenſus perdat, vel membra aliqua, vt ad verum ac naturalem vſum inutile ſit.

Idem etiam prorſus contigit primo homini. Nam & ille ad eumdem planè finem cum Angelis creatus fuit: vt nimirum Deum creatorem ſuum clarè aliquando videret, illoque toto frueretur ſecundùm voluntatem ſuam. In quo vtique ſumma atque æterna felicitas & beatitudo conſiſtit. Ad quem finem conſequendum acceperat homo in prima creatione ſua non minùs quàm Angeli congruam naturæ rectitudinem, rationem clariſſimam, voluntatem iuſtam & bonam, ſenſus omnes integros, rationi & voluntati ad nutum obtemperantes.

Sed nec homines in hac veritate rectitudinis atque integritatis permanſerunt. Quinimò fraudulentis conſilijs ac peruerſa ſuggeſtione Diaboli, qui iam ceciderat ac perditus erat, iuſtitiam omnem, Deique obedientiam abiecerunt. Et ſic ipſi quoque mali, peruerſi, iniuſti, ſuperbi facti ſunt: omnique honore primæ integritatis ac rectitudinis perdito, comparati ſunt iumentis inſipientibus & ſimiles facti ſunt illis.

Hæc autem veritas multo latiùs patet. Neque enim ſe dumtaxat ad naturam vniuſcuiuſque extendit, ſed etiam ad propria vel communia vitæ officia; quæ ſunt ad certum humanæ vitæ finem ordinata. Reges mali, crudeles, auari, non ſtant in veritate regiæ functionis; dum ex bonis & iuſtis regibus tyranni fiunt. Prælati improbi, non gregis ſibi crediti ſed ſuum ipſorum lucrum quærentes, non ſtant in veritate officij paſtoralis; dum non veri ſunt paſtores, ſed mercenarij, quandoque etiam lupi. Iudas Apoſtolus non ſtetit in veritate Apoſtolatus: ex Apoſtolo factus traditor Domini ſui, & Domini omnium. Tales ſunt innumeri lapſus ex veritate. Hinc eſt quod ſtatus ille beatorum poſt hanc vitam, iuſtitiæ omnis & veritatis plenus, quem mutare ampliùs non poſſunt, veritas vulgò nominetur. Status autem huius mundi, in quo Sathan & mendacium regnant, in quo nihil firmum eſt, nihil ſtabile, mendacium appelletur. Vnde in Flandrica noſtra lingua de ijs qui ex hac vita migrarunt dicimus: Hy is inde waerheydt; wy zijn inde leughen.

Tertium veritatis genus eſt, quo quæ vera ſunt loquimur, & quemadmodum in animo cogitamus. Ex hac labimur veritate quoties falſa proferimus, aliterque loquimur quàm rem habere ſcimus. In hac veritate non ſtabat Petrus, cùm diceret; Non ſum Ieſu diſcipulus, non noui hominem. Diabolus quoque in hac veritate non diu ſtetit: quid autem Angelis ſuis dixerit & perſuaſerit contra veritatem, quos ſecum ad peccatum pertraxit, quando cauda ſua tertiã partem ſtellarum è cælo detraxit, vt ſacra Apocalypſis habet; non liquet. Quamuis non eſt dubitandum quin multis mendacijs eos aggreſſus *Apoc. 12.*

Iſaia 14. fuerit, ac ſeduxerit. Et verba illa quibus vſus eſt: Aſcendam in cælum, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, & ſimilis ero Altiſſimo. ſi non ſunt mendacia proprij nominis, certè vanitatis ſunt, ſtultitiæ ac falſitatis pleniſſima: vt euentus ſtatim docuit. Sed quibus mendacijs primos parentes humani generis noſtri ſeduxerit in paradiſo, mox vt creati fuerant, Diuinarum litterarum monumentis continetur. Non ſtetit in veritate, cùm dixit, Nequaquam moriemini. Item: Scit Deus quòd in quacumque hora comederitis de hoc fructu, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum. Omnia hæc craſſa erant, ſplendida, & manifeſta mendacia, veritati certæ & perſpicuæ directè contraria.

Hic lapſus ex veritate frequentiſſimus eſt & quotidianus inter mortales: & ſemper quidem Deo vehementer inuiſus, hominibuſque multis modis noxius; ſed tunc pernicioſiſſimus, quando in doctrina vel materia religionis admittitur. Quia enim doctrina illa verus animæ cibus eſt; dum is veneno mendacij aut falſitatis inficitur, dum vnica ſalutis vitæque via erroribus perturbatur & impeditur, facile eſt colligere, non aliud quàm certam æternamq́; mortem inde eſſe expectandam. De hac re Apoſtolus 2. ad Tim. 4. Erit (inquit) tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Et Petrus in ſecunda Epiſtola 2. cap. Fuerunt, inquit, pſeudoprophetæ in populo: ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, per quos via veritatis blaſphematur.

CAPVT XIIII.

Quo ſenſu dicatur veritas non eſſe in Diabolo.

AVDIVIMVS ergo quemadmodum Diabolus in veritate non ſteterit. Sequitur nunc in verbis Chriſti: Quia non eſt veritas in eo. In his verbis prima facie cauſa eſſe videtur, quamobrem Diabolus in veritate non ſteterit. Sed quia ſenſus ille non benè fluere videtur, D. Auguſtinus lib. 11. de Ciuitate Dei, cap. 14. paulò aliter interpretatur, ſic dicens; Subiecit autem iudicium, quaſi quæſiſſemus, vnde oſtendatur, quòd in veritate non ſteterit, atque ait, Quia non eſt veritas in eo. eſſet autem in eo, ſi in eo ſtetiſſet. Locutione autem dictum eſt minùs vſitata. Sic enim videtur ſonare, In veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo: tamquam ea ſit cauſa, vt in veritate non ſteterit, quòd in eo veritas non ſit: cùm potiùs ea ſit cauſa vt in eo veritas non ſit, quòd in veritate non ſtetit. Sed iſta locutio eſt & in Pſalmo, vbi ait: Ego clamaui, quoniam exaudiſti me Deus. cùm dicendum fuiſſe videatur; Exaudiſti me Deus, quoniam ad te clamaui. Sed cùm dixiſſet; Ego clamaui. tamquam ab eo quæreretur, vnde ſe clamaſſe monſtraret, ab effectu exauditionis Dei, clamoris ſui oſtendit effectum: tamquam diceret, Hinc oſtendo clamaſſe me, quoniam exaudiſti me. Sic ille.

Verùm hîc oritur quæſtio, quomodo Dominus dicat veritatem in Diabolo non eſſe. Si dixiſſet in eo veritatem ab initio non fuiſſe, hoc facilius eſſet intellectu. Nunc autem, quum dicit, in eo veritatem non eſſe; hoc perinde valere videtur ac ſi diceret, numquam eſſe in eo veritatem. Quod quo ſenſu rectè dici poteſt, quum legamus Diabolum ceteroſque inferiores dæmones ſæpè verum dixiſſe? Quum enim diceret Deo Sathan de ſancto Iob; Tu vallaſti eum diuitijs & multitudine filiorum ac filiarum, operibus manuum eius benedixiſti, & poſſeſſio eius creuit in terra. certè non mentiebatur. Et Matth. 4. quum diceret de Chriſto ſcriptum eſſe; Angelis ſuis mandauit de te. non erat mendacium, etſi abuti conabatur Scripturâ illâ in alienum ſenſum. Nec dæmones mentiebantur dicentes Chriſto; Scimus quòd tu es filius Dei. & ille dæmon Actuum 16. qui per Pythoniſſam de Apoſtolo Paulo & ſodalibus eius clamabat, dicens; Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis. ipſiſſimam veritatem dicebat. Simile dubium oritur ex verbis illis Ioan. 1. Epiſt. 1. cap. Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Quis enim neget, hypocritas qui ſe iuſtos & perfectos & ab omni peccato immunes arbitrantur, aliquando veritatem dicere? & dicit tamen ſanctus Apoſtolus, in talibus veritatem non eſſe. Quomodo hæc conſtant? Aliud eſt aliquando verum dicere, quod in Sathana & impijs hominibus reperitur; aliud, veritatem in ſe habere. Sicuti aliud eſt nonnumquam mendacium dicere, aliud

re, aliud [illegible] intra ſe habere, ſeu velut hoſpitem perpetuum retinere & fouere. Ve[illegible] eſſe dicenda eſt, qui non modò interdum quod verum eſt loquuntur, ſed qui [illegible] etiam ex animo veritatem; & quæ dicunt, ſtudio promouendæ veritatis dicunt. Reperiuntur multi qui verum dicunt, & veritatem laudant etiam quandoque non [illegible]ore veritatis, ſed ſtudio vanitatis, quæſtus aut inanis gloriæ; vel etiam odio cuiuſdam, fraudulenter & malitioſè; vt videre eſt in omnibus illis veris ſermonibus quos paulò ante Sathanam dixiſſe memorauimus. De his dici non poteſt, quòd in illis inſit veritas. exulat enim penitus à corde illorum: veritatem toto oderunt animo, & perſequuntur, & extinctam cupiunt. Ita ſunt homines quidam impuri, iniuſti, impij, hoſtes aperti omnis virtutis & pietatis: qui tamen nonnumquam aliquid dicunt quod æquum & iuſtum eſt, at nemo propterea dicat in ijs eſſe iuſtitiam vel ſanctimoniam. Veritatem dicebat C[illegible]phas, quum dabat conſilium occidendi Chriſti, dicens: Expedit vt moriatur vnus pro populo, & non tota gens pereat. & tamen quis neſcit quam nihil in eo penitus veritatis fuerit? Ergo Diaboli & filiorum eius eſt, non ſolùm quæ falſa ſunt dicere & mentiri, ſed etiam veritatem in ſe non habere. Solemus etiam de illis qui frequenter mentiuntur, dicere quòd nulla in ijs inſit veritas, quodque toti ſunt compoſiti ex mendacijs. Id quod de nullo melius vel maiori cum ratione dici poteſt quàm de Diabolo.

Ad locum verò allegatum ex Epiſtola Ioannis, quamquam ſatis iam ad illum quoque reſponſum ſit, tamen & aliud quiddam rectè dici poteſt. Dicere aliquem, eoque impudentiæ venire, vt affirmet, ſe nullum habere peccatum, mendacium eſt, aut falſitas ſaltem nimis inſignis & manifeſta: cùm ſole clarius ſit, omnes homines peccatores eſſe, multaque peccare quotidie. Quare qui de ſeipſis tam impudenter mentiri audent, hoc ipſo declarant, nullam in ſe veritatem ineſſe, nullamque eos veritatis rationem habere, ad mentiendum procliues eſſe: ac proinde, non veritatis ſed mendacij filios.

Capvt xv.

Quamobrem Deus, in veteri Teſtamento, nullos eſſe voluerit ariolos, augures, pythoniſſas, ſimileſque mendaces veridicos.

EX his iam liquet, cur Deus, in veteri Teſtamento, nullos eſſe voluerit in populo ſuo ariolos, augures, pythonicos, ſagas, maleficos, incantatores & ſimiles quoſuis; nec quæri à mortuis veritatem. Deuteron. 18. Quamuis enim Sathan per maleficos huiuſmodi pſeudoprophetas, ſagas, vel muta etiam ſimulacra (vt olim inter gentiles) aliquando veritatem dicat; tamen quia totus inſtructus eſt ad fallendum, nihilque dicit, aut facit, aut machinatur, niſi ad ſeducendos & perdendos homines, ideò veritas etiam quam dicit interdum, nec quærenda eſt, nec recipienda, nec curanda. Ideò dumtaxat verum dicit interdum, eumque in finem tantummodò nonnumquam iuuat homines, vel iuuare ſe fingit, vtpote iumenta illorum ſanando vel ſimili modo, vt hac ratione homines ad ſe trahat, ſibi fidere, ſemperque & in omnibus ſibi credere, in omni periculo ac neceſſitate ad ſe confugere doceat, atque ita miſeros homines ineſcatos fallat ac perdat vt voluerit. Quemadmodum etiam omnis rerum ac temporum experientia ſatis docet. Vnde non immeritò quiſpiam miretur quamoberem incantatores, magi, & id genus homines, linguâ noſtrâ vernaculâ communiter waer-ſegghers (quod Latine ſonat veridici) nominentur; niſi fortè id nominis illis datum ſit per ironiam atque antiphraſim, quaſi minimè omnium veridici, ſed ſemper ferè mentientes: & ſi fortè aliquando verum dicant, id non niſi fallendi intentione, & veritate nocendi facientes. Certe Chriſtus verum dæmonum de ſe teſtimonium audire nolebat: compeſcebatque, & tacere iubebat, cùm eum clamarent eſſe Chriſtum & filium Dei: quod erat tamen veriſſimum: & Paulus, vt ſuprà meminimus, Actuum 16 dæmonem quod verum erat dicentem & clamantem vbique, quòd nimirum ipſe & comites eius ſerui eſſent Dei excelſi, qui annuntiarent viam ſalutis hominibus, tamen nolebat audire, præcepitque exire continuò & tacere. Quare? quia non eſt verum in Diabolo. hoc eſt, non amat, non quærit verum. Vnde ſi quid aliquando veri dicat, non facit niſi vt magis noceat. Quemadmodum, exempli cauſa, cùm dicebat dæmon per Pythoniſſam de Paulo & ſocijs eius; Hi homines ſerui Dei excelſi ſunt qui annuntiant vobis viam ſalutis; non hoc credi volebat ab hominibus: ſed cùm in Paulo vir-

tutem

turem eſſe videret & poteſtatem, ſe ſuaque poteſtate multo maiorem, verebatur multos ad eius prædicationem in Chriſtum, ſe deſerto, omnique relicta idololatria, eſſe crediturus, ſicut accidit. Ideo eos palàm & doctrinam eorum laudare cogitabat, quo hoc ſaltem in omnem euentum lucraretur; vt homines crederent eum hac ſaltem in re verum dixiſſe, & proinde cauſam eſſe quodammodò ſalutis ipſorum, quod veritatis prædicatores eis commendauerat. Itaque hac ſaltem ratione ſperabat, ſe laudem aliquam, gratiam, honorem, cultum ab illis conſecuturum, ſi non planè pro Deo amplius haberetur. Periculoſum, imò pernicioſum verum eſt, quod mortifero mendacio fidem conciliat: perinde atque malum ac noxium mel eſt, quo venenum incluſum hauritur. Nemo hæreticus, nemo pſeudoapoſtolus vmquam meris mendacijs fidem acquiſiuit, hominéſve ad ſe traxit. Sed quia mendacijs ſuis vera quædã admiſcent, per hoc incautos decipiunt. Idcirco, & rectè magnaque ratione prohibitum eſt fidelibus & Catholicis, tum conciones hæreticorum viua voce factas audire, tum libros illorum & ſcripta legere. non quin multa in ijs vera & bona inſint, ſed quod per vera & bona illa, ſimplices ad falſa credenda quæ admiſcent, & mala facienda, occaſionem accipiunt; dum præcipuè inter verum & falſum non bene diſcernere norunt, facileque vnum pro altero credunt ac recipiunt.

Nec ideò hæretici concionibus ſuis, ſermonibus, colloquijs, ſcriptis, vera admiſcent, quòd illa cupiant populo perſuadere; ſed vt per illa doctrinæ ſuæ falſitatem perſuadeant, & commendent, quam per ſe ſciunt amari non poſſe. Sed præſtat hæc omnia pulcherrimis D. Gregorij verbis explicata audire lib. 5. Moralium cap. 11. Quædam, inquit, hæretici valde recta ſentiunt, ſed tamen inter hæc ad peruerſa dilabuntur. Habent quippe hoc proprium, vt malis bona permiſceant, quatenus facilè ſenſui audientis illudant. Si enim ſemper praua dicerent, citius in ſua prauitate cogniti, quod vellent, minimè perſuaderent. Rurſum, ſi ſemper recta ſentirent, profectò hæretici non fuiſſent. Sed dum fallendi arte ad vtraque deſeruiunt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala vt recipiantur abſcondunt. Sicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine mellis tangit; dumque hoc quod dulce eſt primo attactu delibatur, etiam illud quod eſt mortiferum indubitanter abſorbetur: ita hæretici permiſcent recta peruerſis; vt oſtendendo bona, auditores ad ſe trahant; & exhibendo malum, latenti eos peſte corrumpant. Hæc ille.

Proinde, vt veritas in nobis eſſe cognoſcatur & dici queat, non ſatis eſt, nos aliquando verum dicere. Multis enim medijs varijſque ex cauſis verum dicitur: aut fraude & dolo malo ad fallendum aut odio vero ad nocendum: aut metu & coactione ad euadendum periculum: aut mentis vel rationis imprudentia, quemadmodum fatui & pueri ſæpè verum dicunt, vel ſpe quæſtus alicuius & commodi temporalis, &c. Pauciſſimi ſunt qui ſincero amore & ſtudio veritatis verum dicant: in quibus ſolis eſt veritas.

CAP. XVI.

Senſus verborum in prædicta Chriſti ſententia ſequentium; CVM LOQVITVR MENDACIVM, EX PROPRIIS LOQVITVR.

SEQVITVR in textu Euangelico. CVM LOQVITVR MENDACIVM, EX PROPRIIS LOQVITVR: QVIA MENDAX EST, ET PATER EIVS. Prius membrum dupliciter exponi poteſt. Primò, vt dicere voluerit Dominus, Diabolum non ſemper loqui mendacium, ſed aliquando veritatem dicere. ſed tunc non ex proprijs loqui, ſed ex Deo, a quò eſt omnis veritas: at vero quum mentitur, tunc ex proprijs loqui. Altero modo, vt ſignificetur, eum ſemper loqui mendacium, etiam quum vera dicit. quia nimirum non niſi cum intentione fallendi, & nocendi, falſumque perſuadendi, verum dicit. Vt hic ſit ſenſus verborum Domini: Quum loquitur, mendacium videlicet, ex proprijs loquitur vel, Quum loquitur mendacium, quod ſemper facit, ex proprijs loquitur. Qui ſenſus non eſt alienus. Certè non dicit Dominus; Cum locutus eſt mendacium, primos parentes ſeducendo, ex proprijs locutus eſt. ſed dicit, Cùm loquitur mendacium. Ergo non tunc ſolum quum matrem noſtram Euam per ſerpentem decepit & pertraxit in peccatum, mendacium protulit: ſed quod tunc fecit, ſemper facit; & quod tunc cœpit, numquam non pergit facere. Vnico quidem mendacio vniuerſum genus humanum perdidit: verùm vt cœptum opus perficiat, perditionem ſcilicet & damnationem mortalium

lium

lium ſempiternam, mentiendo pergit ſemper, omniq́ue tempore noua mendacia inuenit, ſpargit, perſuadet omnibus, quantum poteſt. Idq́ue non per ſe ipſum tantùm, ſed per miniſtros etiam ſuos varij generis; tum olim inter gentes, tum inter Iudæos, tum etiam inter Chriſtianos. Inter gentes habebat idolorum cultores & Sacerdotes, Pythoniſſas, Magos, Ariolos, Aruſpices, Augures, Incantatores, Diuinatores varios: inter Iudæos, pſeudoprophetas multos, in quibus ſpiritus mendacij mirabiliter operabatur. Qua de re eſt hiſtoria memorabilis admodum 3. Regum 22. quomodo Achab Rex Iſrael deceptus fuit ingenti multitudine falſorum prophetarum, qui omnes repleti erant ſpiritu mendacij, Deo id ita propter regis illius peccata permittente. Ad eumdem planè modum ſeducuntur Chriſtiani per pſeudoapoſtolos & hæreticos, egregios mendaciorum miniſtros. De quibus Paulus 2. Corinth 11. Huiuſmodi, inquit, pſeudoapoſtoli, ſunt operarij ſubdoli (id eſt, fraudulenti & mendaces) transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Proinde timeo, inquit, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſturiâ ſuâ; ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto Ieſu. De qua re idem clariùs 2. ad Theſſal 2. Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.

In ſummâ, contentio hæc & certamen eſt perpetuum inter Deum & Sathanam, dum ille veritatem, hic verò mendacium omni tempore, omni modo promouere conatur. Non ſemel tantùm locutus eſt hominibus Deus ea quæ vera ſunt, & ad ſalutem æternamq́ue beatitudinem conſequendam faciunt; ſed conſtanter id facit, nullo non tempore, per Angelos ſuos, Prophetas, Apoſtolos, Paſtores, & Doctores Eccleſiæ, Miniſtros ſuos. In contrarium laborat omni tempore Diabolus, ad mendacium & falſitatem hominibus perſuadendam, quâ ſuum ſcit regnum ſtabiliri aut augeri. In quo demirari eſt ad ſtuporem vſque humanam cæcitatem ac dementiam: nempe cùm impoſtor ille ſpiritus perpetuò mentiatur, nec aliud quàm mentiri nouerit, & mendacijs homines fallere, falſoſq́ue in æternam damnationem pertrahere; tamén tam multos omni loco omniq́ue tempore inueniri, qui illi credant, qui recipiant & ſequantur mendacia eius: Deus autem iuſtus & bonus, quum veritatem ſemper ipſam loquatur, nec mendacijs vllis vti, nec quemquam fallere queat, vt numquam ab eo quiſquam falſus fuit; paucos tamen eſſe, qui fidem illi adhibeant, & veritatem eius toto animo amplectantur. quum præcipue veritati Dei, vita; mendacio verò Diaboli, mors æterna coniuncta ſit.

Quum ergo loquitur mendacium Diabolus, ex proprijs loquitur. Quid eſt, ex proprijs? Si ab alio, inquit Auguſtinus, mendacium accepiſti & dixiſti, tu quidem mentitus es proferendo mendacium, ſed pater mendacij ipſius non es, quia ab altero accepiſti mendacium. Diabolus autem à ſe ipſo mendax fuit. mendacium ſuum ipſe genuit, à nemine audiuit. Quomodo Deus Pater genuit Filium veritatem, ſic Diabolus lapſus genuit quaſi filium mendacium. Admonet ergo hæc particula vt diligenter obſeruemus, quantum diſcriminis ſit inter illa quæ ex proprio & ea quæ ab alieno fiunt. Ex ijs quæ ex proprio fiunt, vel quæ à ſeipſo habet, oſtenditur ac dijudicatur vnuſquiſque qualis ſit. Qui ex proprio ſeu propria ſponte aliquid mali dicunt aut faciunt, hoc velut certo indicio teſtantur malitiam ſuam, & quales ſint manifeſtum faciunt. Qui verò ex alieno mentiuntur, vel mali quippiam faciunt ſeducti vel inſtigati ab alijs, licet culpabiles ſint, & digni qui puniantur; minùs tamen culpabiles ſunt, & nonnihil veniæ merentur; quia non ſunt primi & præcipui auctores peccati. Valde autem malitioſum planeq́ue diabolicum eſt ingenium, quod ex ſeipſo fraudes & mendacia malaſq́ue artes comminiſcitur, ad fallendum proximum. Et hinc notat Paulus, inter magna impiorum atque infidelium hominum crimina, quòd non ſolùm eſſent malefactores, ſed etiam inuentores malorum, Rom. 1. Hoc diſcrimen conuenit vt obſeruent diligenter magiſtratus, iudices, patresfamilias, & ceteri qui præſunt, in ſubditis ſuis: nam ad multa ſeruit.

CAPVT XVII.

Explicatio poſtremorum verborum eiuſdem ſententiæ; MENDAX EST, ET PATER EIVS.

SEQVITVR in fine ſententiæ; QVIA MENDAX EST, ET PATER EIVS. Sic mendax eſt Diabolus, vt totus mendax ſit, nec aliud poſſit quàm mentiri, vt antè diximus: quod

illi eſt

illi eſt proprium. Deinde, & hoc illi proprium eſt, quòd eſt pater ſeu primus auctor mendacij. Primus enim mendacium in mundum introduxit, quum Euam matrem omnium per mendacium ſeduxit, & pertraxit in peccatum. Nec ſine magna ratione meminit hic Chriſtus huius rei, dicens Diabolum patrem eſſe mendacij. Plurimum enim facit ad illuſtrandam rem aliquam, ad bonitatem eius vel malitiam, laudem vel vituperium, dignitatem vel indignitatem declarandam, ſi quiſnam illius auctor, primuſque magiſter & inuentor ſit, explicetur. Repletus eſt hic mundus homicidijs & mendacijs; nec quemquam illorum pudet. quin imo, non rarò fit, vt ijs obnoxij ſint, qui maxime illa prohibere & exſtirpare deberent. quo fit, vt nequaquam homicidia & mendacia tantum horroris inter mortales inueniant, quantum ambo merentur & expoſcunt. Quare admodum benè ac meritò Scribis & Phariſæis, homicidis & mendacibus, qui ſe Abrahæ & Dei filios iactabant, Diabolus obijcitur primus & verus homicidiorum & mendaciorum auctor atque inuentor. vt quàm horrendum eſt illius nomen ac natura, tam horrenda eſſe intelligantur illius inuenta: & ideò maiori cura ſtudioque vitentur.

Sed nos, relicto homicidio, pergamus de mendacio dicere. Ex eo quòd Dominus Diabolum mendacem vocat & patrem mendacij; notandum, quanta nobis omnibus ex natura communio ſit cum Diabolo. Dicit enim frequẽter Scriptura omnem hominem eſſe mendacem. Eſt autem (inquit Apoſtolus) omnis homo mendax; Deus autem verax. Si ergo veraces eſſemus, eſſet nobis communio ac neceſſitudo cum Deo, qui naturaliter verax eſt, imò veritas ipſa, & prima veritas. Quoniam verò omnes mendaces ſumus, hactenus non cum Deo communicamus, ſed cum Sathana. Imò verò non ſolùm hac in parte cum eo communicamus, ſed per illum etiam mendacio veluti imprægnamur. Si enim non ſimpliciter mendax eſt, ſed etiam mendacij pater: nec tantùm illius primi mendacij, quo Euam decepit, ſed generaliter omnis mendacij (non enim fruſtrà dicitur, quòd mendax fuit & pater eius) quid aliud ſequitur, quàm diabolicâ prole imprægnari, quotquot mendacij ſpiritu præditi, ad mẽtiendum ſunt procliues? Contrà autẽ, qui ſpiritu Dei præditi ſunt, & veritatem amant, libenterque de illa audiunt & loquuntur, diuina prole vtique imprægnantur. Quàm enim verum eſt, Diabolum eſſe mendacem & patrem mendacij; tam verum eſt, Deum veracem eſſe, patremque veritatis. Quis iam non exhorreat communicare in re tam mala & pernicioſa cum Diabolo? quis non expaueſcat à Sathana imprægnari & fœcundari? Deteſtemur igitur in nobiſipſis vitium hoc diabolicum, procliuitatem videlicet ad mentiendum; & quotieſcumque ſentimus egreſſum ex ore noſtro mendacium, execremur infelicem ac diabolicum partum, & cum dolore admiſſi peccati veritati deinceps meliùs & cautiùs ſtudeamus. vt dicere poſſimus cum Pro-
Ierem. 17. pheta: Quod egreſſum eſt de labijs meis, rectum in conſpectu tuo fuit.

PETRI

PETRI SIMONIS TILETANI
EPISCOPI YPRENSIS
DE VERITATE
LIBER QVINTVS:
De Mendacio & Hypocriſi, vitijs VERITATI oppoſitis.

CAPVT PRIMVM.

Num omne mendacium ſit ex Diabolo: & an ſemper mentiti ſint, qui mentiri ſunt viſi.

PRÆDICTA, ad ſenſum ſententiæ illius ſacræ Scripturæ probè intelligendum, ſufficete videntut. Sed, quia multum facit ad veritatis notitiam; mendacij naturam, quod ex diametro veritati contrarium eſt, benè perſpectam habere; aliquanto latiùs hoc libro decreui de mendacio diſputare. Quando præcipuè ad id locus citatæ Scripturæ, quo Diabolus mendax eſſe & pater mendacij dicitur, valdè eſt opportunus; & accommodam nobis huiuſmodi tractatus præbet occaſionem.

Primùm autem hîc quærendum eſſe videtur, Num omne mendacium ſit ex Diabolo; quoniam Diabolus dicitur pater mendacij. Ad quod videtur breuiter reſponderi poſſe: Quemadmodum non omnis veritas efficit quempiam veracẽ, nec ſtatim ex Deo eſt quiſquis aliquam veritatẽ dicit (nam & Diabolus aliquando verum dicit & veritatem profert; quum tamen ſempet mendax ſit, vt hîc dicitur) ſic non quiſquis aliquod dicit mendacium, idcircò mox dicendus eſt ex Diabolo eſſe. Quate inquirendum eſt & conſiderandum, quótnam ſint mendaciorum genera, vel quotuplex ſit mendacium.

Quidam ſic diuidunt mendacium: Mendaciorum alia licita ſunt & bona, alia illici-
ta & mala. Quænam ſint illicita & mala mendacia; nemo dubitat. Licita autem & bona
eſſe dicunt mendacia, quæ vel ex timore Dei, vel ex charitate, vel ex fide commendan-
tur. Timoris Dei erat, inquiunt, quod obſtetrices Hebræotum regi Pharaoni mentie-
bantur, dicentes; Non ſunt Hebrææ, ſicut Ægyptiæ mulieres: ipſæ enim obſtetricandi *Exod. 1.*
habent ſcientiam;&, priuſquam veniamus ad eas, pariunt. Et ob hoc mendacium bene-
fecit Deus, inquiunt, obſtetricibus iſtis. Sic illi ijdem, Charitatis eſt, aiunt, quando
ægrotis dicitur mendacium vt curari ſe ſinant. Item, Fidei erat, quod Rahab meretrix *Heb. 11.*
de abſconſis exploratoribus, cùm quærerentur, dicebat, quòd vrbem eſſent egreſſi: &
quod Iudith mentiebatur Holoferni. Mendacia hæc vtique laudabilia ſunt in Scri-
pturis, & timoris Dei, charitatis ac fidei habent exempla. Sic (inquam) ſcribunt aliqui.
Quid ad hæc dicendum? Certè cógit nos veritas, cuius laudem & virtutem hîc explanare
conamur, vt hotum dictorum falſitatem refutemus. Quod & minimè erit factu difficile,
quum iamdiu ante nos factum ſit, ab erudititiſſimo Eccleſiæ Doctore & veritatis amantiſ-
ſimo Auguſtino, libris duobus ſcriptis ex profeſſo de hac materia. In quorum poſteriori,
qui inſcribitur, Contra mendacium, cap. 15. Qui dicit (inquit) aliqua iuſta eſſe men-

dacia, nihil aliud iudicandus eſt dicere, niſi aliqua iuſta eſſe peccata: ac per hoc aliqua iuſta eſſe quæ iniuſta ſunt. Quo quid abſurdius eſſe poteſt? Vnde enim eſt peccatum, niſi quia iuſtitiæ contrarium eſt? Dicantur ergo alia parua, alia magna eſſe peccata; itemque alia parua, alia magna eſſe mendacia. Dicere autem quædam iuſta peccata, ſeu bona, ſeu laudabilia; quędā verò iniuſta, mala, vituperio digna: quid aliud eſt dicere, quàm quaſdam eſſe iuſtas, quaſdam iniuſtas, quaſdam bonas, quaſdam malas iniquitates? Nam ea, inquit, quæ contra legem Dei ſunt, iuſta eſſe non poſſunt: ſi verò iuſta non poſſunt, nec licita vtique poſſunt eſſe, nec bona, nec laudabilia. Dictum eſt autem; Lex tua veritas. Item, Omne mendacium non eſt ex veritate: omne ergo mendacium non eſt iuſtum. Sic D. argumentatur Auguſtinus. Et ad omnia ſoluenda, quæ ex Sacris litteris afferuntur pro defenſione quorumdam mendaciorum, ſubijcit ſtatim verba admodum notabilia. Quapropter (inquit) quando nobis de Scripturis ſanctis mentiendi proponuntur exempla, aut mendacia non ſunt, ſed putantur eſſe dum non intelliguntur; aut, ſi mendacia ſunt, imitanda non ſunt, quia iuſta eſſe non poſſunt. Pergit deinde continenter Auguſtinus reſpondere ad Scripturam illam, quæ profertur ex primo cap. Exodi de obſtetricibus Hebræorum. itemque ex Ioſue 6. de Rahab meretrice; & valdè benè reſpondet. Quod ſcriptum eſt, ait, benè Deum feciſſe cum Hebræis obſtetricibus & cum Rahab meretrice Hierichontina; non ideò factum eſt, quia mentitæ, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaque in eis remunerata fallacia, ſed beneuolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Hæc ille.

Sententia haec bene notanda.

Obstetrices Hebraeorum.

Profectò valde inter ſe diuerſa ſunt, quòd in homines Dei miſericordes fuerunt, & quòd mentitæ ſunt. Quod vt ſimplices ritè intelligant, præceptum erat obſtetricibus Hebræis vt omnes Hebræorum infantes maſculos, ſimul ac nati eſſent, occiderent, atque in flumen proijcerent. Hoc obſtetrices, ex Dei timore, ex charitate, & miſericordia erga fratres ſuos, facere noluerunt. Timuerunt (inquit Moyſes) obſtetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum Regis Ægypti, ſed conſeruabant mares. Hîc eſt miſericordia, hîc charitas & beneuolentia in proximum, hîc timor Dei. Propterea ædificauit eis Deus domus, ſeu bonis illorum temporalibus & familiæ benedixit. Quod verò, quum ab rege interrogatæ eſſent, cur maſculos reſeruarent, mentiendo reſponderunt dicentes; Non ſunt Hebrææ mulieres vt Ægyptiæ, ſed priuſquam veniamus ad eas pariunt. hoc nuſquam laudat Scriptura: nec dicit quòd ideò illis benedixit Deus. Sed hoc mendacij peccatum illis Deus potiùs propter miſericordiam quam in populum Dei ex eius timore exercebant, ignouit: vt rectè prædicto loco Auguſtinus affirmat. Idem planè dicendum de Rahab meretrice. Quòd exploratores Hebræorum hoſpitio excepit, quòd abſcondit cùm ad mortem quærerentur, quòd non indicauit vbi laterent: in his omnibus benè & laudabiliter fecit, & propter huiuſmodi à Deo cum omni familia ſua, in communi vrbis exitio, ſeruata fuit ac benedicta. Sed quum miniſtris regis Iericho exploratores depoſcentibus reſpondit mentiens; Fateor, venerunt ad me, ſed neſciebam vnde eſſent: cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, neſcio quò abierunt: perſequimini citò & cōprehendetis eos. propter hæc mendacia, nequaquā laudanda eſt.

Rahab meretrix.

Proinde quod ſcriptor ille (quicum hac in re diſputamus) dicit fidei fuiſſe quod Rahab meretrix dicebat de exploratoribus cùm quæreretur, eos vrbem fuiſſe egreſſos; minimè id credimus verum eſſe: nec hoc ex fide profectum eſſe, ſed alia illa quæ iàm notauimus. Nec Apoſtolus ad Hebræos 11. (quem ſcriptor ille citat ad propoſitum ſuum) quidquam eum iuuat. Non enim aſſcribit Apoſtolus fidei, quòd mentita fuit, ſed quòd non perijt cum incredulis, & quòd excepit exploratores cum pace. Nec ſatis eſt vt mendacium non ſit peccatum, quòd bona intentione fiat, vel ad impediendum peccatum aliquod grauius, vel ad alicuius etiam vel corporis vel animæ quoque ſalutem procurandam; tali enim ratione grauiſſima etiam peccata excuſare liceret, vel peccata non eſſe probare, vt rectè Auguſtinus docet cap. 7. Contra mendacium. Nec ſequitur, vt quiſquam fortè exiſtimet, ſi obſtetrices Hebræorum, & Rahab meretrix, mentiendo peccarunt; ergo meliùs feciſſent, nullam omnino miſericordiam præſtando, innocenteſque prodendo vel occidendo. Hoc argumentum benè ſoluit Auguſtinus eodem lib. cap. 17.

Aegroto mentiri.

Quòd verò dicitur, licitum eſſe mentiri apud ægrotum vt hac ratione curari ſe patiatur, & charitatem hoc mendacium licitum atque laudabile facere, quum ſit veritati contrariū, multis bonis rationibus & exemplis clariſſimis idem ſanctiſſimus Doctor oſtendit eodem lib. cap. 18.

Sed

Sed nimis ineptum eſt, nimiſque perſpicuæ veritati contrarium, quòd Auctor, aduerſus quem hæc ſcribimus, inter mendacia quæ veniam merentur, hæc ponit quæ ſequuntur: Quòd Sara ſe riſiſſe negabat: quòd Abraham negabat Saram eſſe vxorem ſuam: quòd Samuel ad immolandum ſe veniſſe dicebat, quum veniſſet ad vngendum Dauidem: & quòd Petrus dicebat; Non noui hominem. Eſſe aliqua mendacia quæ veniam mereantur, tametſi à peccato excuſari nequeant, non imus inficias. taleque eſſe etiam facilè credimus, quod primo loco hic de Sara dicitur. Quum enim illa vix credere poſſet, quòd Angeli eam eſſe filium parituram dicebant, propterea quòd & ſenex eſſet & ſterilis, riſit occultè, dicens: Poſtquam conſenui, & dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo? Quod tamen poſtquam Angelos percepiſſe cognouit, verita ne ægrè ferrent, negauit, dicens; Non riſi. timore perterrita, inquit Moyſes. Hoc mendacium nihil opus eſt à peccato excuſare: attamen, quia non ex aliqua animi peruerſitate, ſed ex timore tantùm, profectum eſt, non negamus quin agnitum & confeſſum veniam mereatur. SARA RIDENS.

An verò tale mendacium fuerit, quum Petrus dicebat, Non noui hominem; ignoro. Profectum quidem eſt illud etiam indubiè ex ſolo timore mortis, non ex aliquâ animi malitiâ; ſed tamen ſunt ibi aliæ quædam circumſtantiæ, quæ videntur hoc mendacium longè grauius efficere, multoque minùs venia dignum, quàm quod de Sara modò audiuimus. Quod nos tamen alijs inquirendum ac dijudicandum relinquimus. Sed qui Abraham dicunt mentitum eſſe, quum de Sara vxore ſua dixit, Soror mea eſt; videntur ſancto & ſapienti viro non paruam ſanè iniuriam facere. Et quorſum attinet viris bonis & prudentibus peccatum impingere, vbi nulla rei circumſtantia peccati alicuius ſignificationem continet? Non negauit Abraham Saram eſſe vxorem ſuam, vt hic auctor affirmat: quod ſi feciſſet, ægrè vtique à mendacio & peccato excuſari potuiſſet: ſed dixit tantummodò, Soror mea eſt. quod verum erat. Ceterùm præſtat hac de re optimè ſcribentem audire Auguſtinum, libro ſæpè iam nominato cap. 10. Qui aſſerunt, inquit, aliquando eſſe mentiendum, non conuenienter commemorant Abraham hoc feciſſe, de Sara, quam ſororem ſuam dixit. Non enim dixit, Non eſt vxor mea; ſed dixit, Soror mea eſt. quòd erat reuerà tam propinqua genere, vt ſoror non mendaciter diceretur. Quod & poſtea, iam ſibi ab illo, qui abduxerat, eâ redditâ, confirmauit, reſpondens illi & dicens; Eſt verè ſoror mea, de patre non de matre. hoc eſt, de paterno genere, non de materno. Aliquid ergo veri tacuit, non falſi aliquid dixit; quando tacuit vxorem, & dixit ſororem. Hoc & filius eius Iſaac. nam & ipſum nouimus propinquam ſuam coniugem fuiſſe ſortitum. Non eſt ergo mendacium cùm ſilendo abſconditur verum, ſed cùm loquendo promitur falſum. Sic ille ibi. Quibus ſimilia habet lib. 16. De ciuitate Dei cap. 19. & lib. 22. contra Fauſtum Manichæum cap. 35. & 36. PETRVS NEGANS. ABRAHAM SARAM SOROREM DICENS.

At intolerabile eſſe videtur, quòd dicitur, Samuelem mentitum, dicentem ſe ad immolandum veniſſe, cùm veniret ad vngendum Dauidem; 1. Regum 16. Si enim hoc mendacium eſt, Deus ipſe mendacij & peccati auctor eſſe probabitur. Nam, quod ibi dixit Samuel, Dei inſtinctu ac iuſſu dixit. Quum etenim à Deo Bethleem ire iuberetur, ad vngendum Dauidem; Quomodo vadam? inquit: audiet enim Saul, & interficiet me. Tum Dominus ad eum: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices; Ad immolandum Domino veni. & vocabis Iſai ad victimam, & ego oſtendam tibi quid facias. Sic fecit Samuel, dixitque quod iuſſus erat, Deoque ibi ſacrificium obtulit. Quænam eſt hîc mendacij ſpecies? Cùm diceret ſe ad immolandum veniſſe, verum dicebat: idque mox omnibus re ipſa conſtabat. Atqui non dixit ſe ad Dauidem vngendum veniſſe, quæ primaria tamen cauſa erat aduentus eius. Sic eſt. Hinc ergo ſequitur non quòd falſi quippiam dixerit, ſed quòd aliquam rei veritatem ſubticuit & abſcondit. Atqui hoc facere (dum præcipuè iuſta ſubeſt cauſa) non mendacij actus eſt, vt paulò antè Auguſtinus docuit, ſed virtutis & prudentiæ potiùs. SAMVEL DICENS; AD IMMOLANDVM VENI.

Hæc breuiter nobis dicta ſunt, cùm vt viros quoſdam ſanctos oſtenderemus non eſſe mentitos, vbi ab imperitis mendacij accuſantur: tum vt omne veri nominis mendacium doceremus iuxta conſtantem ſummorum omnium Eccleſiæ Doctorum ſententiam, non carere peccato. Qui plura his de rebus noſſe deſiderat, Auguſtinum legat: non illis modò locis quos hîc meminimus, ſed multis etiam alijs. Redeamus nunc ad examinandam naturam mendacij.

CAPVT II.

Varia mendaciorum genera, & gradus.

NVLLVM mendacium bonum, licitum, aut laudabile eſſe, ſatis nunc conſtare putamus: attamen, non ſunt omnia mendacia eiuſdem generis & grauitatis: nec æqualem pœnam aut vituperationem merentur. In primis namque certum eſt, illa quæ ex mera ignorantia interdum mendacia proferuntur; vt dum quis factum dicit quod non eſt factum, eſſe quod non eſt, non eſſe quod eſt, futurum eſſe quod non eſt futurum, vel ſimilia, non eſſe hæc propriè mendacia: quia nec intentione fallendi dicuntur, nec contra conceptum mentis. In eo autem eſt vera mendacij ratio, quod aliter loquimur, quàm mente putamus. quo ſemper haud dubiè fallere volumus, cui loquimur. Definitur enim mendacium, falſa eſſe ſignificatio, cum intentione fallendi. Dum autē quis aliquid affirmat quod aliter habet, putans ita eſſe vt dicit; fallitur quidem ipſe, & in errore verſatur; illumque etiam fallit, cui errorem ſuum perſuadet: ſed nec mendacium aliquod loquitur, nec aliquod peccatum admittit. Qua de re videre eſt Auguſtinum, in Enchiridio, cap. 19. & ſequentibus. Quamuis autem multi huiuſmodi & varij errores contingant & occurrant quotidie, in vita mortalium, pro ignorantia ac tenebris mentis noſtræ; piorum tamen & bonorum eſt, debitam cautionem curamque ſollicitam adhibere vt videant quid loquantur, nec temerè à quibuſuis audita vel quocumque modo ſibi occurrentia effutiant. Non enim vbique & ſemper excuſat in totum, ignorātia: quin potiùs tunc illa habet adiunctam culpam dum leuitati vel temeritati coniuncta eſt. Semper ante oculos habendæ ſententiæ illæ; Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis. item; Dixi, Cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. *Pſal. 38.*

Mendacia vitioſa (tametſi non ſemper mortifera ſint) multis modis, diuerſis ex cauſis, variaque intentione committuntur. Sunt quæ ioco fiunt, vel ad riſum mouendum tantummodò, vel ad irritandos & commouendos ſimpliciores. Hæc omnia damnantur à Chriſto, quum dicit, nos de omni verbo otioſo reddituros eſſe rationem in die iudicij. Sunt quæ dicuntur inani quadam gloriā. velut, dum ſermonibus noſtris nonnihil mendacij admiſcemus, vt vel ſermo noſter gratior ſit audientibus, vel vt commendabiliora ſint quæ nos feciſſe vel dixiſſe memoramus. Sunt quædam ex metu nata: vt quæ de Sara vxore Abrahæ, itemque de Petro Apoſtolo, paulò ante retulimus. Sunt quæ ex pudore proueniunt. quod genus mendaciorum familiare eſt pueris, ſeruis, mulieribus. Sunt quæ proficiſcuntur ex leuitate quadam, & conſuetudine mentiendi. reperias enim quoſdam, qui vſque adeò leui corde ſunt, vt nulla ex ratione, nulla cogente neceſſitate, mentiantur: nec id quidem lædendi animo faciunt, attamen nec pudore aliquo nec metu à mentiendo deterrentur: genus hominum leuiſſimum, quique meritò omnem fidem amittunt, etiam quum verum dicunt. Sunt mendacia quædam, dicta ſtudio placendi, & aſſentandi. quo genere gaudent multi principes & magnates huius ſæculi. proinde, omnium etiam rariſſimè quæ vera ſunt audiunt; ad ſe præcipuè & ad proprium ſuum officium pertinentia. Denique ſunt mendacia quædam prolata inſtinctu quidem & ſuggeſtione Sathanæ, non tamen intentione vel ſtudio cuiquam nocendi. cuiuſmodi erat mendacium Ananiæ & Zaphyræ, Actorum 5.

Omnia hæc mendaciorum genera, vitioſa quidem & culpabilia ſunt, præſertim poſtrema, quæ in rebus Deum concernentibus committuntur: tamen non talia ſunt, quæ mendacijs planè diabolicis annumerari debeant. Hæc ſunt illa, quæ ex odio & inimicitia naſcuntur, & ad nocendum deſtinantur. Cuiuſmodi mendacijs Ioab fefellit duos principes meliores ſe, quibus locutus eſt in dolo, vt Scriptura habet, quo illos occideret; quod & perfecit. Tale mendacium erat quo Iudas Chriſtum ſalutabat cùm eum tradebat, dicens, Aue Rabbi. Item quod Caim ad Abelem fratrem ſuum loquebatur, in agrum eum foras educens, procul à conſpectu parentum, quo melius eum interficeret. Huc pertinent mendacia illa, quibus falſi teſtes onerarunt iuſtum Naboth, 3. Reg. 21. item Chriſtum Dominum noſtrum, & Stephanum. De quibus mendacijs, idem Chriſtus Apoſtolis ſuis loquitur, dicens; Beati eſtis, cùm vos oderint homines, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me. Huiuſmodi ſunt mendaces qui detrahendi vitio laborant, falſiſque delationibus ſuis pacem & concordiam fraternam perturbant.

3. Reg. 2. *Matth. 5.*

turbant. Propter quod ſcelus, Sathan Diabolus, id eſt, calumniator ſeu delator, dicitur: vt eſt Apocal. 12. Quare, qui huiuſmodi mendacia confingere & ſpargere non verentur, veri nominis mendaces ſunt, Diaboli ſimiles, & verè Diaboli ſemine impraegnantur.

CAPVT III.

De mendaciorum circumſtantijs.

VERVM, quo meliùs mendaciorum natura noſcatur, vtque maiori ſtudio ſibi quiſque caueat a mendacijs, etiam minoribus illis, quæ antè meminimus, ne ſenſim & quadam mentiendi conſuetudine in grauiora ac damnabilia mendacia delabatur; conſiderandæ ſunt diligenter mendaciorum circumſtantiæ. Primùm ergo omnium videndum, I. QVISNAM
quiſnam vel qualis ſit, qui mentitur. Turpe & indecorum eſt, ſi Iudæus, vel Chriſtianus QVI MEN-
aliquis mentiatur. qui nimirum ab ipſa veritate edocti ſunt. Item ſi ſit in magiſtratu, aut TITVR.
officio publico, quorum eſt officium mendaces punire. Denique ſi ſit ſenex, ſi religioſus, ſacerdos, prælatus: ſi honeſtus, vel primarius ciuis, aut huiuſmodi. Eſt enim mentiendi vitium omnino inter homines ſeruile, illiberale, turpe, infame: non minùs quàm ſi quis cudat, vel e loculis ſuis proferat, falſam monetam. Hoc gentiles quoque ipſi probe ſcuerunt & iudicarunt. Plutarchus quodam loco ſcribit, Perſis duo fuiſſe peccata: primum, debere; proximum, mentiri. nam ea iudicabant cohærere: quòd, qui in ære ſunt alieno, ſæpe mentiri cogantur. Quanto turpius eſt, ſi Chriſtianus aliquis mentiatur, etſi nulla aliâ notetur circumſtantiâ grauiore? Chriſtiani enim omnes filij ſunt veritatis, & ſpiritum acceperunt veritatis, ſi ſunt quod dicuntur. Hinc Paulus ad Epheſios 4. Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate veritatis. & addit: Propter quod, deponentes mendacium, loquimini veritatem, vnuſquiſque cum proximo ſuo. Ergo cum primis à Chriſto iuſtitia & veritas exiguntur; iuſtitia in operibus, veritas in verbis. Vnde, ne pro ſumma quidem mercede, vel vt quiduis conſequatur, mentiri decet hominem Chriſtianum.

Qua de re exſtant pulchra quædam & memorabilia verba, in Epiſtola 86. Æneæ Siluij: Quibuſdam, inquit, mentiri vtile eſt, dum ſe ſic exaltant. Florentinorum prouerbium eſt, Dum bella vigent, vtendum eſt mendacijs. quod Palatinus noſter non negligit. Sed ſunt omnes puſillanimes, vitioſi, perfidi, ſceleſti, qui mendacio ſe potiùs quàm veritate defendunt.

Socrates in iudicio reus, mori potiùs voluit, quàm falſitatis plena Æſchinis oratione liberari. Abiectæ conditionis eſt homo, qui, ne quid dignitatis vel fortunarum amittat, ad mendacia confugit. Vir fortis & bonus numquam timet dicere fateríque verum. Hæc ille.

Iam ſi expendamus paulò penitiùs perſonarum diſcrimina, videbimus quemadmodum II.
ex hac circumſtantia mendacium aggrauetur. Mentitur puer aut adoleſcens quiſpiam? QVALIS.
Spinæ ſunt veteris hominis prominentes, mox amputandæ; ne Chriſtianiſmi ſanctitatem & ſinceritatem opprimant aut extinguant. addiſcitur enim & contrahitur vſus quidam mentiendi in pueritia & iuuentute: qui poſteaquam occalluit, difficillimè dediſcitur. Mentitur paterfamilias? Corrumpitur hic atque inficitur tota domus: veluti ſi morbus aliquis à capite deſcendat in corpus. ſunt enim nimium efficacia huiuſmodi domeſtica exempla, præſertim in malo. Si eſt in magiſtratu qui mentitur; quomodo verax eſſe credetur in iudicijs? hoc facit ad corrumpendam atque euertendam totam iuſtitiam. Quapropter, non fruſtrà Lex Moyſi voluit, viros eſſe veritatis, quibus iudicandi munus crederetur. Sed hac de re pòſt latiùs. Mentitur in familiari colloquio miniſter Eccleſiæ, ac verbi Dei? Quantum hac ratione derogat dignitati atque auctoritati perſonæ & functionis ſuæ? Sit ergo prima hæc & ſecunda circumſtantia benè perpenſa, quis ſit qualiſve qui mentitur. Etſi enim in omnibus in vniuerſum turpe ſit mentiri; tamen hoc vitium in alijs atque alijs turpius atque indignius eſt, pro ſtatu & conditione perſonarum.

Tertiò videndum cui quis mentiatur. Primùm enim, Deo mentiri, longè maius pec- III.
catum habet, quàm ſi quis hominibus mentiatur. Vnde Petrus Ananiæ ait; Non es men- CVI.
titus hominibus, ſed Deo. Si quis regi, vel domino ſuo mentiatur, quis non videt enor- Act. 5.
mius eſſe mendacium, quàm ſi mentiatur conſeruo & ſodali ſuo: Ita grauius eſt mendacium & peccatum, ſi quis magiſtratui mentiatur, ſi quis ſuperiori vel prælato ſuo, quàm ſi

conciui aut confratri: ſi filius patri vel matri, quàm ſi fratri vel ſorori: ſi iuuenis ſeni mendacium dicat, quàm ſi coætaneo ſuo. Peccatur enim huiuſmodi mendacijs non ſolum in veritatem, ſed etiam in honorem & reuerentiam, quæ magiſtratui debetur, principibus, parentibus, ſenioribus. Præterea, tum etiam enormius redditur mendacium, quando in ſimplicem & facile credentem perſonam admittitur, quàm ſi peruerſo alicui & malitioſo dicatur. Nam ita non modò in veritatem, ſed in fidem quoque peccatur. Mentiebatur Samſon Dalilæ meretrici, malitioſe atque inſidioſe de cauſa roboris ſui percontanti. Minus proinde peccatum erat illius mendacij, quam ſi alicui ſincere bonoque animo ſciſcitanti mentitus fuiſſet. Denique maius eſt peccatum ſi Chriſtianus Iudæo vel Turcæ mentiatur, quàm ſi alij cuipiam Chriſtiano. nam hoc genus mendacij magnum habet coniunctum ſcandalum vergens in ignominiam & contemptum nominis Chriſti & Chriſtianæ religionis. Quemadmodum malum eſt male viuere vbicumque locorum; at peius id eſt, ſi inter eos fiat, qui inde occaſionem ſumunt blaſphemandi nominis Dei. quod de Iudæis queritur Deus per Prophetam: bonum eſt ſimiliter vbique bene viuere, verùm, id multo melius eſt ſi fiat eo loci, vbi propter bonam fidelium vitam glorificatur Pater noſter qui in cælis eſt: ſic, bonum eſt paſſim veritatem dicere, malumque mentiri, verùm, inter infideles veracem eſſe melius eſt, peiuſque mendacem.

IV. QVA IN RE. Quartò conſiderandum qua in re mentiaris. Minus peccatum eſt, mentiri in rebus terrenis & perituris; maius verò, in ſpiritualibus & diuinis. Hic enim in veritate vita æterna eſt, in mendacio autem mors perpetua.

V. QVARE, ET QVO FINE. Quintò etiam hoc conſiderandum, quare, quo animo, quo fine, qua intentione, mentiaris. Sed huc pertinent illa ferè, quæ paulò antè diximus, de varijs & multiplicibus mendacijs vitioſis.

VI. SVB QVO NOMINE. Sextò refert & ſub quo nomine quis mentiatur. Accidit enim haud rarò, vt qui mentitur, quoniam parum habet fidei, mendacia ſua ſub alieno nomine mortalibus obtrudat, quo fidem inueniat. Ita hac ratione aggrauatur magnitudo mendacij, ſi non ſolùm mentientem infamem reddat ac deteſtabilem, ſed boni etiam alicuius magnique viri nomen polluat, vel in aliquam falſi ſuſpicionem trahat.

Extremè autem peccatur in hac circumſtantia, ſi ſub nomine Dei mendacium proponatur: quod fit dupliciter. Primùm ab his qui ſub Dei nomine peierant: quod genus mendacij ſingularem tractatum requirit. Deinde ab illis, qui ſub titulo verbi Dei ea venditant, ſcribendo vel prædicando, quæ Deus non dixit: ſicut pſeudoprophetæ olim mentiebantur, dicentes, Hæc dicit Dominus: quum ſuorum cordium ſomnia & mendacia hominibus obtruderent. In quorum locum, noui Teſtamenti tempore, ſucceſſerunt hæretici; à quibus innumera & flagitioſiſſima mendacia obtruſa ſunt Eccleſiæ, ſub nomine & prætextu verbi Dei.

CAPVT IV.

Optimum mendacij remedium linguæ moderatio.

QVVM ergo his omnibus circumſtantijs grauetur & exaggeretur mendacium, quódnam dari poteſt optimum conſilium vitandi hoc tam tædum ac pernicioſum peccatum, niſi vt quàm maximè nobis à loquendo temperemus? Prouer. 10. In multiloquio non deerit peccatum, inquit Sapiens. Cui conſonat vulgare prouerbium: Qui numquam locutus eſt, numquam mentitus eſt. Item aliud: Mendacium eſt in verbis, fætor in anhelitu. Qui non aperit os, non flat malum anhelitum: ſic qui non loquitur, non mentitur. Multum namque loqui & non mentiri, difficillimum. Vnde diſcimus, quam nihil præter rationem fecerint veteres illi religionis non Chriſtianæ ſolùm, ſed etiam monaſticæ Patres, quòd tantoperè ſilentium coluerunt.

Quoniam ergo loquendi vſu penitus carere non poſſumus; primum erit, vt quàm pauciſſime loquamur: ſecundum, vt dictas circumſtantias probè cognitas & meditatas habeamus: & cogitet vnuſquiſque, dum loquitur, quiſnam vel qualis ipſemet ſit, cui, quid, quadere, in quem finé, qua intentione, ſub cuius nomine, quave auctoritate, loquatur. Qui nunquam illud quoque tenendum, harum circumſtantiarum obſeruatione non valde opus eſſe illis, qui in vniuerſum veritatis ſtudioſi ſunt, & mendacium quouis cane rabido & angue peius oderunt. Etenim, qui ne homini quidem, multo minùs Deo; qui nec conſer-

uo aut

uo aut co[illegible]i ſuo, multo minùs principi ſuo vel magiſtratui, qui nec fratri vel ſorori, longè minus parentibus vel ſuperioribus alijs; qui ne in terrenis quidem rebus, multo minùs in ſpiritualibus; qui ne in leuibus quidem, longè minùs in ſerijs grauibuſque; & qui ne ſub hominis alicuius, multo minùs ſub Dei nomine, mentiri ſuſtinebit.

Ad extremum autem vnum adhuc quiddam hîc notabimus breuiter ad mendacij turpitudinem veritatiſque dignitatem & pulchritudinem cognoſcendam. Nempe quòd omnes etiam mendaciſſimi homines mendacij turpitudinem agnoſcunt & confitentur. Impij omnes & ſcelerati, veritatis hoſtes & perſecutores grauiſſimi, membra & mancipia Diaboli, patris mendaciorum, alieni & immunes videri atque haberi volunt à mendacio: tamquam videlicet à re maximè omnium odioſa ac deteſtabili. Vnde nullam reputant maiorem minúſve tolerabilem contumeliam, quàm ſi quis eis dicat quòd mentiantur, etiam cùm verè & apertiſſimè mentiuntur, ſeque adeò etiam mentiri non ignorant. ac proinde ſi quis mendacium illis obijciat, illam contumeliã iudicant morte vindicandam, maluntque latrones, adulteri, ſacrilegi dici, quàm mendaces: in primiſque veritatis ſtudioſi & cultores haberi ac dici volunt. Tanta ecce eſt lux, pulchritudo, dignitas veritatis, vt inimici quoque eius, & perſecutores infeſtiſſimi, videri velint eam amare & honorare, & dignam iudicent quæ præ cunctis rebus ab omnibus obſeruetur. Sic Iudas Patriarchæ Iacob filius, etiam ſcortator, à mendacij nota atque infamia tantoperè abhorruit, vt rerum ſuarum non exigui pretij iacturam facere maluerit, quàm mendax fortè haberi. Habeat ſibi (inquit) meretrix annulum meum, armillam & baculum: certè, mendacij arguere nos non poteſt. Geneſ. 38.

Huc referunt quidam, & non malè, quod Iudæi Chriſto dicebant, Nónne benè dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Toti erant ex Diabolo, patre mendacij, omnia erant craſſa & nimis manifeſta mendacia, quæ de Chriſto dicebant, cùm præcipue dicerent illum habere dæmonium: & tamen in eo ſibi veritatem vendicant, nec vllo pacto agnoſcere volunt in eo aliquid falſi ineſſe. Hiſce hominibus mendacium, veritas; & veritas eſt mendacium. Huiuſmodi exempla hodie etiam exſtant nimis multa. Sectarij noſtri mendaciſſimi calumniatores (vt infrà latiùs declarabimus) veritatis iurati hoſtes; tamen in omnibus quæ contra apertam veritatem impudentiſſimè dicunt & ſcribunt, veraces omni modo haberi volunt. Quid ergo faciet vir bonus, ſi qui toti confecti ſunt ex mendacijs, veritatis amatores & cultores haberi volunt? quamque ille ſeriam debet curam habere veritatis? Quid faciet honeſta & pudica matrona, cùm ne turpiſſimæ quidem adulteræ perfidiam ac turpitudinem adulterij agnoſcere ſuſtineant? Quantò, inquam, magis decebit verum Chriſtianum & timentem Deum ita veritatis amantem & ſeruantem eſſe, vt numquam non veritatem dicere & profiteri cupiat, cùm ea de re glorientur filij Diaboli, etiam vbi nec rectè penitus nec verè dicunt, ſed malitioſiſſimè mentiuntur? Agnoſcunt mendaces, turpe eſſe mentiri; honeſtum ac iuſtum, omnique laude dignum, veritatem dicere: agnoſcant vtrumque potiùs alumni veritatis & filij Dei. Sed agnoſcant, non quemadmodum impij & falſarij, verbis ſcilicet, ore, ſermone dumtaxat, ſed reipſa potiùs. ita vt non modò ſe vera dicere glorientur, ſed reipſa rectè ſemper loquantur & veritatem dicant; nec curent quid interim à reprobis & mendacibus audiant.

Qui plura noſſe cupit de mendacio, legat D. Thomam 2. 2. q. 110.

CAP. V.

Sequentis ſententiæ elucidatio; OMNIS HOMO MENDAX. *Pſal.* 115.

QVANDO ſic ſatis profundè nunc incidimus, ducente nos orationis ac materiæ filo, in diſputationem de mendacio; antequam ex illa egrediamur, opportunum videtur, paucis explicare, quid ſit, quod regius Propheta pronuntiat; Omnis homo mendax: quoniam illa ſententia & repetitur in Sacris litteris noui Teſtamenti, & frequenter multis in ore verſatur. *Pſal.* 115.

Primùm autem quærendum, proferátne hanc ſententiam Propheta ex dictamine rationis, & ex inſtinctu Spiritus ſancti, tamquam veram & certam; an verò illam dicat ex quadam infirmitate mentis, non ſatis quid dicat conſiderans: quod non rarò ſanè

 acci-

accidit, etiam ſanctis hominibus, & Prophetis quoque, dum in magno animi mœrore ac rerum perplexitate verſantur.

Exempli cauſa: hic ipſe Propheta Pſal. 29. quum dicit; Ego dixi in abundantia mea, Non mouebor in æternum. non loquitur vt Propheta, ſed quid ſibi in rerum proſperitate, ceu homini infirmo, contigerit, explicat; quod ad ſe reuerſus minime probat. Et Pſal. 30. qui locus videtur non valde abſimilis eſſe huic quem tractamus: Ego dixi in exceſſu mentis meæ; Proiectus ſum à facie oculorum tuorum. vbi docet, tanta ſe afflictionum & perſecutionum procella obrutum fuiſſe, vt exiſtimaret Deum nullam amplius ſui curam aut rationem habere. Tale aliquid videtur quibuſdam hic quoque ſignificare voluiſſe: imò eò vſque deſperationis adductus fuiſſe, mœroris atque afflictionis vehementiâ, vt dixerit & putauerit, etiam Samuelem mendacem fuiſſe, quando regnum illi in Dei nomine promittebat; quum nunc certe morti proximus eſſe, & nulla ratione vnquam regnaturus videretur. Quæ magna profectò fuiſſet in Deum blaſphemia: & propterea, nullo etiam pacto credendum eſt, tam pium Regem tantumque Prophetam eò cæcitatis deueniſſe.

Quæ vt melius omnia intelligantur, dicendum eſt vnum atque alterum verbum de argumento Pſalmi. Conſtat autem Pſalmum hunc 115. & proximè præcedentem vnius eiuſdemque argumenti eſſe. vnde & apud Hebræos hi duo Pſalmi in vnum coniunguntur. Itaque ſiue vnus tantum Pſalmus ſit nouemdecim verſus continens, ſeu duo; certum eſt, vtrobique eamdem rem agi, deque eadem materia eodemque tempore vtrumque eſſe à Propheta compoſitum. Canit autem in genere, exauditum ſe a Domino, adiutum & liberatum, cùm eſſet in ſummis anguſtijs, atque in mortis præſentis periculis maximis conſtitutus: eamque ob cauſam pollicetur gratiarum actionem, votaque ſua Deo coram omni populo in medio Ieruſalem redditurum. Sunt qui Pſalmum referant ad hiſtoriam quæ deſcribitur 1. Regum 23. vbi in deſerto Maon redactus erat in tales anguſtias, vt euadere poſſe deſperaret. Sed aptius videtur, vt intelligamus eum hic loqui de periculis illis, in quæ coniectus erat, quum Abſalon filius eius regnum inuaſiſſet, cumque fugere cogebatur de loco in locum, omnium pæne auxilio deſtitutus. Quæ hiſtoria habetur 2. Regum 15. 16. 17. 18.

Hunc ſenſum iuuare videtur, quòd in vltimo verſu ſe promittit vota ſua in medio Ieruſalem redditurum. ex illa enim, quæ caput regni erat, metu Abſolonis aufugere cogebatur. Huiuſmodi votum ſeu promiſſio non benè conuenit cum illis hiſtorijs quæ liberationem Dauidis è manibus Saulis deſcribunt. Tunc enim Ieruſalem adhuc erat in poteſtate Iebuſæorum: demumque ab Dauide occupata fuit, cum eſſet non ſolum Rex Iuda, ſed & totius Iſraël. Sed iam ipſummet Prophetam in Pſalmo canentem audiamus: Credidi, inquit, propter quod locutus ſum. Ego dixi in exceſſu meo; Omnis homo mendax. Hi duo verſus cohærere videntur. Priore verſu declarat ſe aliquid poſt magnam & ſeriam cogitationem locutum eſſe: poſteriore, quid locutus eſſet explanat; nempe, omnem hominem eſſe mendacem. Sunt qui putent eum notare Sibam, ſeruum Miphiboſeth; cui falſò ac mendaciter accuſanti dominum ſuum, temere ipſe crediderat, & pronuntiauerat dicens; Tua ſunt omnia quæ fuerunt Miphiboſeth: 2. Regum 16. Quaſi temerariam hanc credulitatem ſuam iniuſtamque ſententiam hic damnet quidem; ſed tamen ex nimia animi anguſtia & præcipitatione profectam dicat. Tunc ſenſus verborum iſte eſſet: Dixi nuper in magna animi perturbatione, varijs ex cauſis commotus; Omnis homo mendax; etiam Miphiboſeth, in quem tamen tam multa & magna contuleram beneficia, quique mihi perpetuam fidelitatem promiſerat idque ad ſuggeſtionem Sibæ dixi, ſerui eius. At nunc, video ipſummet Sibam mendacem fuiſſe, ita ſoque accuſaſſe dominum ſuum. O quàm parum fidei eſt in hominibus, quam ſunt omnes pæne mendaces! Sed hæc res videri poteſt minoris momenti eſſe, quam vt de illa tantoperè ſollicitus fuerit, Pſalmoque compoſito, æternæ memoriæ commendauerit. Alij igitur ad perſecutiones Saulis referunt: quòd in illis anguſtijs poſitus, tamen firmiter crediderit ſemper verbo Dei, quod per Samuelem Prophetam acceperat. Quamquam enim ſciret ac diceret frequenter, omnem hominem eſſe mendacem; Deum tamen veracem eſſe, quodque per Prophetas ſuos dicat, certo certius impletum iri, quæcumque interuenire obſtacula videantur. Dixerat autem, eum loco Saulis regnaturum: quare in hac promiſſione ſeſe bono animo recubuiſſe, in medijs anguſtijs & periculis: ideoque etiam vbi voti ſui compos fieret, Deo omnipotenti ſolemnes gratias redditurum. Sed haſce hiſto-

rias

rias quæ ſub Saule & Samuele geſtæ ſunt, antequam ad regnum peruenerat, parum congruere cum verbis Pſalmi paulò antè oſtendimus.

Proinde multo probabilius eſt, loqui hîc Prophetam regium de fraude & mendacijs Abſolonis filij, Achitophelis, totiuſque populi ſui, à quibus omnibus turpiter proditus ac deſertus fuerat. Maximum ac deteſtabile mendacium erat, quod dixerat & perſuaſerat Abſolon patri ſuo: Vadam & reddam vota mea quæ voui Domino Deo in Hebron. quum ſub prætextu religionis abiret ad ſeditionem excitandam contra optimum patrem ſuum, eumque regno & vita priuandum. Quod cùm poſteà Dauid intelligeret, & quantum inde mali ſecutum eſſet, videret; in medijs afflictionibus ſuis prorupit 10 hanc generalem ſententiam; Omnis homo mendax. Nuſquam fides, nuſquam veritas, ne in amicis quidem, ne in conſilianis intimis, imò ne in filijs quidem proprijs; nedum in leui & mobili populo.

Quando hoc dixerit, oſtendit, inquiens, In exceſſu meo. hoc eſt, Cùm vndique vehementer affligerer; cùm animo eſſem valde anxio, turbato, perplexo, inops conſilij, inops meiipſius propemodum, propter ingentia pericula, in quibus verſabar. Quare hoc dixerit explicat primo Pſalmi verbo; Credidi. hoc eſt, Sic iudicaui in animo meo. quum experirer quæ mihi accidiſſeot omnia, inueni in omnibus hominibus regnare mendacium. Ideò hoc palàm etiam dixi, vt alij audientes, non facilè poſthac omnibus crederent, ne meo exemplo fallerentur. Niſi quis fortè putet, illud Credidi referendum eſſe ad verba illa Abſolonis; Vadam & reddam vota mea in Hebron, quæ Deo voui. quibus verbis Dauid ſimplici & bono animo fidem adhibuerat, dicens; Vade in pace. Sed prior ſenſus illuſtrior eſt, & meliùs fluit.

Dionyſius Carthuſianus exceſſum de quo Dauid loquitur, illum mentis raptum intelligit, quem Prophetæ communiter, & quidam etiam alij pij ſanctique ſentiunt, dum à Deo cæleſtibus reuelationibus illuſtrantur. In quem ſenſum exceſſus vocabulum ſumitur Actorum 10. vbi de Petro Apoſtolo dicitur, quum oraret, cecidit ſuper eum mentis exceſſus. Qui ſenſus non eſt contemnendus: quum præcipuè non improbet eum etiam D. Chryſoſtomus, in hunc Pſalmum ſcribens. Sed quum dictio Hebræa (quæ hic ponitur) feſtinationem ſeu præcipitationem ſignificet; videtur Propheta exceſſus nomine, ainmi ſui anguſtiam & perplexitatem potiùs notare voluiſſe, in quam afflictionum quibus obruebatur vehementiâ coniectus erat.

CAP. VI.

Quidnam in prædictæ ſententiæ verbis ſit obſeruandum.

HACTENVS de vero ſenſu prophetæ. Nunc quidnam in his verbis obſeruandum ſit, ad veritatis commendationem videamus. Citat hanc Scripturam Paulus Apoſtolus Rom. 3. vbi Deum in cunctis ſermonibus ſuis veracem docet, & procul ab eo eſſe quod de vniuerſis hominibus dicitur, quòd mendaces ſunt. Ex quo loco videtur minùs apta eſſe interpretatio Diui Hieronymi in primum caput ad Epheſios; vbi hunc Pſalmi verſiculum, Omnis homo mendax, non vniuerſaliter ſioe omni exceptione intelligendum exiſtimat, ſed quòd magna, inquit, pars hominum mentiatur. Quemadmodum dicitur, tota ciuitatem eſſe commotam. item, Omnes quæ ſua ſunt quærunt. Hanc, inquam, interpretationem Apoſtolus in tertio illo cap. ad Rom. non videtur admittere. Confert enim inter ſeſe Deum & humanum genus; & Deo quidem ſoli perpetuam in verbis & promiſſis veritatem, hominibus autem omnibus mendacium tribuit. Eſt autem, inquit, Deus verax: omnis autem homo mendax; ſicut ſcriptum eſt, Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Et profectò, rectè de cunctis hominibus, ſine exceptione dicitur, quòd ſunt mendaces. naturali inclinatione videlicet, ſi non actu ſemper. Aliud eſt enim, actu mendacem eſſe, aliud naturâ. Actu mendax eſt, qui verbis aut factis mentitur. ſicut actu rapax eſt lupus, qui ouem rapit, vel raptui incumbit. Naturâ verò mendax eſt, qui naturaliter ad mentiendum propendet, etſi actu non mentiatur. quemadmodum rapax eſt naturâ omnis lupus, etiamſi vel manſuefactus, vel occaſione deſtitutus, rapinam actu non exercet.

Omnis ergo homo mendax eſt, quia ex naturæ corruptione procliuis eſt ad mentiendum; tametſi actu non ſemper mentiatur. At, quatenus ſpiritu Dei, ab illa naturæ corruptione

ptione ac prauitate ad mentiendum, repurgatur, & regeneratur ad amorem veritatis & rectitudinis, hactenus mendacij damnari nō poteſt; ſed verax dici meretur. eatenus enim, non ex ſeipſo, ſed ex Dei ſpiritu, loquitur. Et hinc ſophiſma illud facilè ſoluitur, quo tempore Origenis & Hieronymi hunc in locum ab ineptis hominibus ludebatur, hunc in modum: Si omnis homo mendax; ergo & Dauid quoque & Paulus mendaces ſunt: ſunt enim & ipſi homines: ſi illi quoque mendaces ſunt; ergo verum non eſt quod dicunt: ſi verum non eſt quod dicunt; ergo falſum eſt quod dicunt, Omnis homo mendax. Antiſtrophon hoc facilè retunditur; ſi diſcrimen hoc quod iam diximus obſeruetur. Dauid enim & Apoſtolus, quatenus homines, ex naturæ humanæ corruptione mentiri potuerunt, & non dubium eſt quin mentiti ſint aliquando: at verò, vt homines Dei, eius gratia renouati, eiuſque ſpiritu acti ad loquendum, mentiri minimè potuerunt. Quare veriſſimum eſt, quod diuini Spiritus inſtinctu dixerunt; Omnis homo mendax.

D. Hieronymus, in primum caput ad Epheſios, hanc cauillationem nititur alio modo ſoluere. ſed minùs rectè. Vera ſolutio eſt, ac genuinus Prophetæ ſenſus, quem iam diximus. & is pulchrè conſonat verbis elegantiſſimis & doctiſſimis Auguſtini, Sermone 151. De tempore: Quod dicitur, inquit, Quid retribuam Domino; ad illud pertinet, Omnis homo mendax. Qui enim volunt dicere, quia retribuet aliquid Deo; mendax eſt, (omnia enim ab illo ſperanda ſunt; à nobiſipſis præter illum nihil, niſi fortè peccatum) & mendacium de ſuo loquitur. Verè plene de ſuo abundat homo: mendacium omnino hic habet & theſaurum mendaciorum. Cor ſuum mentiatur quantum poteſt, nō deficit: fingat quidquid poteſt, mentiatur quidquid poteſt. Quare? quia quod gratis habet, de ſe habet, non illud emit. Quando venitur ad veritatem, ſi verax vult eſſe, non erit de ſuo. Mendax Petrus de ſuo. Vbi mendax? Promiſit nobis Dominus paſſionem; & dicit, Abſit à te, non fiat illud. Omnis homo mendax. Vnde mendax? Ipſum Dominum audi;
Matth. 16. Non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominis. Verax autem Petrus. Quando? Tu es Chriſtus filius Dei viui. Vnde iſta veritas homini mendaci? Ecce homo dicit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Quis dicit? Petrus. Quid erat Petrus? Homo qui dixit verum. Certè omnis homo mendax. Ecce, ecce lingua eius: ecce lingua de lingua eius. Quomodo omnis homo mendax? Audi, quia omnis homo mendax: quia de ſuo. Ergo vnde Petrus verax? Audi ipſam veritatem: Beatus es Simon Bar Iona. Vnde beatus? de ſuo? abſit. quia tibi non reuelauit caro & ſanguis, ſed Pater meus qui in cælis eſt. Hæc ille.

CAPVT VII.

Qui numquam mentiti ſunt.

DIXIMVS in proximo capite, aliud eſſe actu, aliud naturâ eſſe mendacem: naturæ inclinatione ac propenſione omnes ad vnum eſſe mendaces iuxta ſacræ Scripturæ teſtimonium, actu verò non item. Nam qui ex prima natiuitate muti ſunt, numquam illi quidem mendacium loquuntur, ſed non propterea tamen excipiuntur ab illa generali ſententia, Omnis homo mendax; quia natura ſemper ad mentiendum proni ſunt. Sic de nonnullis proditum eſt, multorum ſcriptorum monumentis, quod etſi loqui potuerunt, multumque & ſæpè locuti ſunt, numquam tamen per omnem vitam eſſe mentitos. Magna ſanè, ſingularis & præclariſſima laus, de quibus cum veritate dici poteſt. Eſt enim perdifficile affirmare, quempiam numquam eſſe mentitum: cùm nemo ſit, qui omnes cuiuſquam actiones videre & cognoſcere, multoque minùs ſermones omnes, quos ſecum & cum alijs habuit, audire potuit.

Multa ſecretò ab hominibus dicuntur, & ſcribuntur, quæ nemo nouit, in quibus multa poſſunt interuenire mendacia. Proinde, nemo meliùs ſcire poteſt numquamne mentitus ſit, quàm ipſemet. Quamquam in eo quoque ipſo, multum poteſt erroris contingere. Nam quis ita obſeruauit omnes actiones & ſermones ſuos, vt dicere audeat, ſe numquam mendacium protuliſſe? Multum eſt, ſi quis dicere audeat, non eſſe ſibi alicuius mendacij conſcium: vel non meminiſſe quòd vmquam mentitus ſit. qui hoc bona cum conſcientia dicere audeat, hic verè magnus eſt & egregius. Sed quis eſt hic? & laudabimus eum. Nam de Chriſto, veritate ipſiſſima, eiúſque ſanctiſſima matre ac Virgine Maria, aliquotque ſingularibus Dei amicis, in vtero matris ſanctificatis, ac deinceps ab omni labe peccati præſeruatis, hîc non agimus. Ceteroqui, ſi dixerimus, Quia peccatum

tum non habemus (inquit Ioannes Apoſtolus) ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Eſt quidem aliud, non habere peccatum, & non commiſiſſe mendacium: ſed mendacium profectò inter omnia peccata tam eſt homini familiare, & tam commiſſu facile, vt qui ab illo ſibi ſemper cauere queat, non magno negotio videatur poſſe ab alijs peccatis omnibus abſtinere. Si quis in verbo non offendit hic perfectus eſt vir, inquit Iacobus Apoſtolus, potens etiam fræno circumducere totum corpus. Hoc eſt, inquit Beda, Si quis lapſum linguæ (qui penè ineuitabilis eſt) cauere poteſt; hic conſuetudine fixa eiuſdem continentiæ etiam cetera corporis membra, quæ faciliùs caſtigari poſſunt, ne à recto itinere diuertant, diſcit obſeruare. 1. Ioan. 1.

His tamen non obſtantibus, quidam ad tantam vitæ perfectionem, ad tantam in actionibus & ſermonibus ſuis rectitudinis atque integritatis opinionem peruenerunt, vt creditum de illis ſit, ac perpetuæ memoriæ traditum, numquam fuiſſe tota vita mentitos.

Quod attinet ad Gentiles, conſtat nullos inter omnes nationes magis fuiſſe procliues ad mendacia, magiſque ſemper de turpi hoc vitio diffamatos, quàm Græcos. Vnde & in vetus prouerbium abijt, Græciſſare, vel Cretiſare, pro mentiri. Et de Cretenſibus nominatim exſtat illud Epimenidis Poëtæ Cretenſis, citatum etiam in Sacris litteris; Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. Sic & Lacedæmonij adeò parui faciebant mendacium, vt pueros à teneris annis, quibuſdam in rebus mentiri docerent. Et tamen Græcus fuit Epaminondas Thebanus Dux, quem ſcriptores paſſim omnes numquam fuiſſe mentitum tradunt. id quod ſanè cum reliqua totius vitæ eius integritate admirabili, non malè conuenit: vt non iniuriâ totius Græciæ Principes, virtutis omnis ac veræ laudis excellentia, ſapientum omnium teſtimonio ſuperaſſe cenſeatur. Fertur & Auguſtus Cæſar in Triumpho, quem Romæ celebrabat de Marco Antonio & Cleopatra, ſecum adduxiſſe Sacerdotem quemdam Ægyptium, annorum ſexaginta, qui numquam tota vita ſua mendacium vllum dixerat. Quam etiam ob cauſam Senatus Romanus ſtatim eum liberum eſſe iuſſit, magnumque inſuper ſacrorum ſuorum Sacerdotem creauit. Quin & ſtatuam illi erigi placuit, atque inter viros præſtantiſſimos, ad memoriam & laudem perpetuam, collocari.

Inter ipſos autem Romanos nobiliſſimus eques Pomponius Atticus, ille ad quem tot libri exſtant Epiſtolarum Ciceronis, nec in alijs tuliſſe mendacium æquo animo, nec ipſe vmquam mentitus eſſe perhibetur. Vnde & magnates omnes cum eo libenter communicabant conſilia ſua, & res ſuas illi curandas committebant, eiuſque amicitiam certatim ambiebant. Teſtatur, inter alios, Cornelius Nepos in vita ipſius.

At verò inter Chriſtianos, Horabbas tam fuit amans veritatis, vt numquam mentitus fuerit, numquam iurauerit, numquam cuiquam maledixerit, numquam citra neceſſitatem locutus ſit; teſte Heraclide in Paradiſo ad Lauſum: quem librum alij Palladio tribuunt.

Refert & Marcus Marulus de Theona Abbate, tribus millibus monachorum præfecto, quòd numquam mentitus ſit, itemque de alijs quibuſdam. Sed memorabilis eſt hiſtoria quam Hieronymus Oſorius ſcribit de filio quodam Regis Luſitaniæ, lib. 3. De gloria, in hunc modum: Fernandus quidam fuit Regius Luſitaniæ Princeps, Ioannis Regis hoc nomine primi filius. Is defuncto patre, cùm ab Eduardo Rege illius fratre exercitum cum imperio obtinuiſſet, in Africam traiecit: atque ſignis collatis ita paruâ manu cum innumerabili hoſtium multitudine ſæpè conflixit, vt ſemper ex illis victoriam reportaret. Sed tandem effectum eſt, vt inſidijs oppreſſus, in hoſtium poteſtatem perueniret, & in mediterraneas Mauritaniæ regiones deportaretur. Occuparat illic tyrannidem Lazearchus quidam, homo auaritiâ immani, luxuriâ infinitâ, feritate incredibili præditus. Cùm autem Fernandi redemptio fuiſſet in longinquum tempus dilata (nihil enim inter noſtros & Maurum conuenire poterat) accidit tandem, vt Fernandus ipſe, multis doloribus in ergaſtulo perfunctus, vitam ederet. Eius autem morte tyranno nuntiata, tradunt illum quaſi ſtupore perculſum diu ſiluiſſe, atque tandem hæc verba protuliſſe: Profectò, ni vir hic ita Mahometi inſtitutis infenſus & inimicus exſtitiſſet; fuiſſet in omni ætate diuina laude cumulandus. Fuit ille quidem in omni genere honeſtatis excellens; ego tamen tres illius virtutes præcipuè ſum ſemper admiratus. Conſtat enim, illum numquam ſeſe Venere vlla commaculaſſe; nec vmquam in vita mentitum fuiſſe; Deumq; ſemper ardentiſſima pietate coluiſſe. O vim virtutis admirandam, inquit rectè Oſorius, quæ hominibus etiam dedecore, flagitio, turpitudine contaminatis, eam affert neceſſitatem, vt vel

vt vel inuiti decoris & honeſtatis excellentiam laudibus in cælum tollant! Hæc ille.

Scribit Sophronius de S. Ioan. Chryſoſtomo, & refertur à Baronio, quòd ex quo Baptiſmum ſuſcepit, numquam omnino iurauerit, nec quemquam iurare compulerit, nec mentitus ſit, nec alicui maledixerit, nec ſcurrilia dixerit, nec iocos admiſerit.

CAPVT VIII.

Qui ſemper mentiti ſunt, & numquam verum dixerunt.

RECITAT Spartianus hiſtoriam, ſuperioribus valdè contrariam. Mortuum Romæ fuiſſe tempore Claudij Imperatoris quemdam Pamphilum nomine, qui numquam tota vita ſua, vt certis documentis probari potuit, verum dixerat; ſed falſum ſemper, vel mendacium. Quo cognito, Imperator mandauit cadauer eius abijci canibus & volucribus inſepultum, bona eius fiſco addici, ædes quas inhabitarat dirui à fundamentis, vxoremque & liberos procul extra vrbem in perpetuum exilium deportari. vt nimirum tam noxij & venenoſi animantis nulla penitus exſtaret memoria in republica. Qua ex re videre eſt, quanto in pretio fuerit veritas apud ethnicos illos. Quum enim hoc exemplum, & quod proximo capite retulimus de Sacerdote Ægyptio, acciderent; erant Romani hoſtes Ægyptiorum infeſtiſſimi: & tamen hoſti ſuo Ægyptio perpetui honoris ſtatuam erexerunt inter ciues proprios, quia tantus amator & cultor veritatis fuerat: ciui autem ſuo, quia perpetuus veritatis fuerat inimicus, honores omnes negauerunt, nec quidem ſepultura poſt mortem dignati ſunt. Et certè ratio docet atque experientia omnium temporum, veracem hominem vbique locorum tutum eſſe, omnibus gratum & acceptum: nihil vſquam timere; nec vereri etiam reprehendere peccantes & coarguere, cùm nullius ipſe mali ſibi conſcius ſit: niſi vbi cum perfidis & malitioſis hominibus negotium habet, apud quos veritas odium parit, vt pòſt audiemus. Quamquam frequenter accidit, vt hoſtes etiam veritatis infeſtiſſimi veraces homines laudent, & cum illis potiùs ac libentiùs quàm cum mendacibus & perfidis (quales ipſimet ſunt) negotium habeant: vt exempla illa docent Fernandi Luſitani, & Attici Romani, quæ antè memorauimus.

Nihil fuit vmquam propemodum Romæ ſceleratius aut perfidius, quàm erant, Sylla, Marius, Antonius, & qui cum illis ſentiebant: & illi tamen omnes Atticum impenſe amarunt ſemper, omniaque beneuolentiæ indicia oſtenderunt; quia tantus erat cultor perpetuus integritatis & veritatis.

Mendacem verò, non aliter ac peſtem omnes fugiunt ac deteſtantur; eſtque & in viuis & poſt mortem odio vniuerſis, omni ſemper infamiâ coopertus. Et hoc inter alia damna atque opprobria mentiendo lucratur, vt ne vera quidem dicenti, ſi id aliquando contingat, credatur.

CAPVT IX.

De hypocriſi, eiúſque natura.

SICVT eſt veritas quædam non ſermonis dumtaxat aut verborum, ſed factorum etiam; quæ eſt vera vitæ morumque ſinceritas & integritas: ſic eſt mendacium quoddam non tam verborum quàm operum, nec tam locutionis quàm actionis, quæ communi nomine hypocriſis dicitur: vocabulum ex Græca lingua cunctis pænè linguis & nationibus notiſſimum factum. Quod ergo hac voce vitium notatur, quia veri nominis mendacium eſt, veritati longè omnium inimiciſſimum; nonnullam quoque mentionem, tractationem, explicationem meretur, cùm de mendacio agitur.

Vox ipſa hypocriſis, vt modò diximus, Græca eſt: & propriè Græcis hiſtrionem ſignificat; hoc eſt, qui fictâ perſonâ fabulam agit apud populum: quos Latinè etiam actores vocamus. Vnde quam nos actionem dicimus, illi appellant hypocriſim. Quamquã quiſquis quouis modo fingit, aut ſimulat, generaliter hypocrites vocari poteſt. Hinc 2. Corinth. 6. vbi nos habemus, In charitate non ficta, apud Paulum; Græcè eſt, non hypocriticâ. pro quo Ambroſius legit, non ſimulata. etſi ea in re hypocritæ vt plurimùm ſolent oſtendere ingenium ſuum: magnam videlicet verbis ac geſtibus in Deum & proximum charita-

charitatem, nullam autem vel corde habere, vel operibus veris præſtare. Propriè autem hoc nomine appellantur in Sacris litteris, præcipuè Euangeliis, ſimulatores ſanctitatis, ſingularíſque obſeruantiæ ac religionis erga Deum. In ſcripturis autem veteris Teſtamenti, hypocritæ nomen, in Hebræo haud neceſſariò ſimulatorem ſanctitatis ſignificat, ſed potiùs manifeſte improbum. Vnde vbicumque in vulgata editione hypocritæ nomen habetur, præſertim in Iob & Iſaia, alij ſemper vertunt impium. Sed præſtat, cum de nomine ipſo, tum de re peſſima quam nomen hypocritæ ſignificat, beatum Auguſtinum audire lib. 2. De ſermone Domini in monte, in exordio: Manifeſtum eſt (inquit) hypocritas non quod oculis prætendant hominum, id etiam corde geſtare. Sunt enim hypocritæ ſimulatores, tamquam pronuntiatores perſonarum alienarum, ſicuti in theatricis fabulis. Non enim qui agit partes Agamemnonis, in tragœdia, verbi gratia, ſiue alicuius alterius ad hiſtoriam vel fabulam quæ agitur pertinentis, vere ipſe eſt; ſed ſimulat eum, & hypocrita dicitur. Sic in Eccleſia, vel in omni vita humana, quiſquis ſe vult videri quod non eſt, hypocrita eſt. Simulat enim iuſtum, & non exhibet; quia totum fructum in laude hominum ponit, quam poſſunt etiam ſimulantes percipere, dum fallunt eos quibus videntur boni, ab eiſque laudantur. Sed tales ab inſpectore cordis Deo mercedem non accipiunt, niſi fallaciæ ſupplicium. Hæc ille.

Etſi verò ſimulatores ſanctitatis, humilitatis, charitatis, pietatis, à ſimilitudine fictionis mimicæ vel hiſtrionicæ dicantur hypocritæ, quia nimirum inſtar hiſtrionum oſtentant quod non habent, atque alij volunt videri quàm ſunt; tamen multo longiùs abeſt hypocritarum peruerſitas a probitate & virtute quam fingunt, & præ ſe ferunt, quàm mimorum actorumque theatralium paruitas atque infimitas (vt ita dicam) à dignitate & ſublimitate regali quam gerunt, & per iocum aſſumunt. Siquidem iſti regiam perſonam aſſumendo & fingendo, non propterea fiunt à culmine regiæ Maieſtatis alieniores: nec de ſua virtute aut vera laude, ſi quam habent propriam, quidquam perdunt. Hypocritæ verò & ſimulatores ſanctitatis, quo magis ſe ſanctos, humiles, pioſque fingunt, hoc reuerà longiùs ab omni ſanctitate & pietate recedunt. Rectè enim vulgò dicitur; Simulata æquitas, duplex eſt iniquitas. Hinc inter Proſperi ſententias eſt ducenteſima decimanona; Simulata innocentia non eſt innocentia: ſimulata æquitas non eſt æquitas: ſed duplicatur peccatum, in quo eſt & peccatum & ſimulatio.

Multa ſunt hypocritarum genera: ſed omnibus tamen vnum eſt ſtudium, vna mens, vt ſub virtutis, præſertim ſanctitatis & humilitatis ſpecie, animos intuentium ad falſæ laudis & ſanctitatis opinionem credulitatemque adducant.

Et quamquam vir bonus & hypocrita nulla propemodum in re conueniant: tamen in hoc maximè differunt, quòd ille bonus eſſe omnibus modis deſiderat, videri autem non laborat; hic autem eſſe quidem non laborat, ſed vult videri: itaque omnia quæ internæ & veræ virtutis ſunt negligens, ad ea tantummodò quæ oculis ſubiacent, in propatulo ponenda contendit. Itaque hic ſe oſtentat omnibus, non qualis eſt, ſed qualis videri cupit: ille verò quod eſt, potiùs tegit & occultat vniuerſis; cùm ieiunat, vngit ſe & lauat, ne quod facit, ieiunare videatur: hic faciem exterminat & pallorem ac maciem inducit quantum poteſt, vt ſtrictè ieiunare videatur cùm non ieiunet. hic in medijs templis orat, vt ab omnibus videatur & audiatur: ille alicubi in angulo templi ſolus cum ſolo Deo loquitur. hic picturam attrectat & oſculatur, & ſuſpirat ex imo pectore vt videtur, & lachrymas exprimere nouit interdum; & interim cor eius longè abeſt à Deo: ille tacitus Deum orat, & vix labia commouet, inſtar piæ matris Samuelis Prophetæ; totoque interim corde appropinquat Deo. Matth. 6.

Magna etiam frequenter hypocriſis eſt in cultu exteriori & veſtitu. Qualis hypocrita pingitur ferè Diabolus, cum Chriſtum in deſerto tentatum venit; nempe in habitu viri ſancti, vt minùs videretur fallere velle, ſpecie viri religioſi, atque ita magis falleret. ſed neſciebat, quicum illi res erat. Aduertendum eſt, inquit Auguſtinus lib. 2. De ſermone Domini in monte, non in ſolo rerum corporearum nitore ac pompa, ſed etiam in ipſis ſordibus luctuoſis eſſe poſſe iactantiam; & eò periculoſiorem, quò ſub nomine ſeruitutis Dei decipit. Qui ergo immoderato cultu corporis atque veſtitu vel cęterarum rerum nitore præfulg[illegible], facilè conuincitur rebus ipſis pomparum ſæculi eſſe ſectator, neque fallit quemquam doloſa imagine ſanctitatis: qui autem in profeſſione Chriſtianitatis inuſitato ſqualore ac ſordibus intentos in ſe oculos hominum facit, cùm id voluntate faciat non neceſſitate patiatur, ex ceteris eius operibus poteſt conuinci, vtrùm hoc contemptu ſuper- Matth. 4.

ſtui cultus, an ambitione aliquâ faciat. Quia & ſub ouina pelle cauendos lupos Dominus præcepit: Sed ex fructibus, inquit, eorum cognoſcetis eos. Cùm enim cœperint aliquibus tentationibus ea ipſa illis ſubtrahi vel negari, quę illo velamine vel conſecuti ſunt, vel conſequi cupiunt; tunc neceſſe eſt, vt appareat, vtrùm lupus in ouina pelle ſit, an ouis in ſua. Hæc Auguſtinus. Hinc ſequitur, eccleſiaſticum vel clericum quemlibet, qui nihil habet ſimplicitatis interioris, ſanctitatis veræ aut religionis, in cappa monachali, aut in veſte ſacerdotali, veri nominis hypocritam agere. Quibus omnibus rectè dici queat illud, quod D. Benedictus Spathario Totilæ Regis Gothorum olim dixiſſe legitur, qui regio indutus habitu Regis inſtinctu ad eum veniebat, ſi ita fortè ſanctum virum fallere potuiſſet: at is diuino ſpiritu inſtructus, Depone, inquit, fili, depone, quod geris: nam tuum non eſt.

Sed iſti omnes & ſimiles hypocritæ ſibimetipſis nocent dumtaxat. qui namque eam ſolùm ob cauſam, vel habitum alienum aſſumunt, vel nouos geſtus ac mores, vel quid ſimile faciunt, vt ſanctuli & religioſuli eſſe videantur, tametſi alios fallunt, parum eis tamen nocumenti inferunt. Quamquam in huiuſmodi etiam hypocriſi quantum inſit vanitatis & ſtultitiæ, (vt cetera omittam grauiora) quis non facilè videt? Quis enim non mallet verè ſapiens eſſe, verè ſanus, verè diues, quàm videri tantùm, & nihil habere ſapientiæ vel ſanitatis? Quòd ſi omni humana ſapientia & ſanitate corporis, cunctis externis opibus, longè multiſque partibus præſtat virtus, vtpote quæ ſola beatum facit; quæ dementia eſt huius ſolius opinionem ſectari, potiùs quàm veritatem?

CAPVT X.

Sceleratiſſimi hypocritæ, qui amicitiæ prætextu alijs nocent; & præcipuè omnium, hæretici.

AT verò qui propterea vel amici perſonam induunt, vel beneuolentiá vel ſanctitatem vel miſericordiam & charitatem ſimulant, vt euiquam noceant, ij ſunt longe ſcele-
2. Reg. 20. ratiores hypocritæ. Talis hypocrita erat Ioab, cùm Amaſa propinquum ſuum deoſculans & dicens, Salue frater, ſimul eum occideret. Talis hypocrita & Iudas erat neſarius proditor Domini ſui, cùm diceret, eum exoſculando velut amicus, Aue rabbi, ſimulque hoſtibus traderet occidendum. Similis hypocrita erat Herodes rex, tempore nati Chriſti, cùm
Matth. 2. Magis diceret; Ite & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Quantum ibi immanitatis regebatur ſub verbis ſanctitatis, religionis & obſeruantiæ plenis, ſubſecuta paulò pòſt Bethleemiticorum infantium interfectio declarauit. Multi leguntur hoc genus hypocritæ in Scripturis ſacris: ſed peſſimi omnium ac nocentiſſimi hypocritæ ſunt hæretici, qui ſimulatâ beneuolentiâ, fictiſque geſtibus ac ſermonibus, non tam corpora aliorum occidere, quàm animas perimere, totumque hominem in æternum exitium pertrahere moliuntur. De quibus Apoſtolus propriè 1. ad Timoth. 4. Spiritus manifeſtè dicit, quòd in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium. Quid eſt in hypocriſi mendacium loqui? Eſt, inquit ad Rom. 16. per dulces ſermones, & benedictiones, ſeducere corda innocentium. Simulant ſe teneri amore ſalutis populi; dolere ſibi ex animo, quòd inera ignorantia veritatis pereant, quòd miſerè grauentur onere duriſſimo humanarum traditionum, quòd opprimantur iugo intolerabili paſtorum & ſacerdotum, nihil niſi lucrum atque vtilitatem ſuam quærentium ex illorum ſumptibus & laboribus; ſeſe ipſos & lucem & veritatem puram afferre, dulcemque & ſalutarem ſpiritus libertatem, & multa ſimilia.
Matth 7. Hi propriè ſunt illi hypocritæ, de quibus Chriſtus tam ſeriò præmonet ſuos: Attendite vobis à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces. Tales hypocritę erant ipſius Chriſti tempore Scribę omnes plerique & Phariſæi. videbantur ægre ferre, quòd populus ſeducebatur, vt dicebant, doctrinâ atque operâ Chriſti: ideò ſeductorem illum morte dignum cenſebant. Vnde illæ eorum voces frequenter, Seducit turbas; Commouet populum; Seductor ille, &c. Quid hac impoſturâ, his fraudulentis vocibus, aliud ſimulabant, quàm grandem amoris affectum erga ſimplicem indoctamque plebeculam? Quis hunc animum non duxiſſet laude dignum? quis non credi-

credidiſſet, veros eſſe patres & paſtores populi, qui ſeduci illum miſereq́ue errare tam dolenter ferebant, vt videbatur; vt ſeductorem illum morte plecti cuperét. Certè diligebant homines iſti gregem Domini. Diligebant, inquam, haud dubiè; at non vt diligere videbantur; non vt paſtores gregem ouium ſuarum diligunt, ſed vt lupi. Diligit oues lupus, ſed vt deuoret ac dilaniet: ideò & paſtores odit ac perſequitur; & canes, qui cuſtodiunt oues. Sic & venator lepores & ceruos diligit, quos inſequitur; & piſcator piſces, quos capere nititur. Sic vſurarius eos, quos nimia rerum penuria premit; & callidus atque iniquus mercator ſimplices incautoſq́ue emptores.

CAPVT XI.

Quamobrem Dominus nullum genus peccatorum tam ſæpè tamq́; acriter reprehenderit quàm hypocriſim.

ET hæc vna eſt ratio inter alias, quamobrem Chriſtus Dominus nullum genus peccatorum ſæpius, grauiùs, aſperiuſq́ue reprehendit, quàm hypocritas, vt liquet ad oculum ex omnibus Euangelijs. Deprimebat illos infra alios omnes maximos peccatores. Publicani, inquit, & meretrices, præcedent vos in regno cælorum. Nec tantùm crebrò hypocritas ipſo illo probroſo nomine nuncupat, ſed in vna etiam concione ſepties eis turpiſſimam illam hypocriſis notam obijcit: palamq́ue & publicè omnia illorũ hypocritica opera traducit; octieſq́ue illis terribile illud Væ, tamquam æternæ maledictionis denuntiationem, ingeminat, magna animi & ſeria vehementia, quali in nulla vmquam hominum quotumuis crimina inuectus fuit. vt intelligamus, nullum genus hominum peſtilentius eſſe nocentiuſq́ue hypocritis, maiorive damnationi obnoxium. Nullum genus minùs ſeipſum nouit aut noſſe vult, quid vel quales ſint, quantumq́ue mali ſibi & alijs faciant. Ideò toties à Domino, omnium hominum alioqui mitiſſimo, ſuo illo infami nomine hypocritæ nominantur: ſi fortè vel ſic aliquando, illo ſcilicet ſuo tam odioſo & pleno ignominiæ nomine audito, reſipiſcant. Cumq́ue ſint hypocritæ præ cunctis alijs malis hominibus maximè omnibus intolerabiles, tamen ſimul etiam ſunt maximè omnium incurabiles. Laborant ipſi longè maximis vitijs, & tamen nec minimam reprehenſionem aliorum ferunt; & ipſi intereà ad aliorũ carpenda vitia ſunt procliuiſſimi. Minima offenſione irritantur & exagitantur ſupra modum. Si paruam aliquam iniuriam aut moleſtiam inferas, ita ſe habent, ſic ira toti efferueſcunt; vt non infimæ ſortis hominem læſum exiſtimes, ſed vel Agamemnonem, vel Achillem, vel ſi quis fuit illis ſuperbior. Nec gens eſt vlla ad crudelitatem procliuior, ſi vlciſcendi occaſionem aut facultatem nanciſcantur. Nihil alijs ignoſcere volunt; ſibi autem indulgeri omnia: imò ne indulgeri quidem etiam; quia nihil peccati agnoſcunt. Hinc aptiſſimè Chriſtus hac ſimilitudine illos alloquitur: Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo; & tunc perſpicies, vt educas *Luca 6.*
feſtucam de oculo fratris tui. Mirè vigilantes & procliues in aliorum næuis indagandis: in aliorum corpore paruam cernunt verrucam, turpemq́ue eſſe clamitant; in ſuo ipſorum magnum gibbum vel ſtrumam ingentem non vident: ad olfaciendum aliorum pædores naſum habent rhinocerotis, omni vertago ſagaciorem; vt verò ſuo in ſinu ſætorem turpiſſimum viruſq́ue mortiferum ſentiant vel olfaciant, ad hoc magis ſimi ſunt, quàm capellæ; magiſq́ue odoratus ſenſu priuati, quàm qui coryzà laborant: in aliorum cernendis erratis aut maculis, lumina habent aquilina, oculos lynceos; in proprijs autem videndis vel agnoſcendis turpiſſimis vitijs, talpas dixeris. Lamias Poëticas referunt, quæ nihil in ſeipſis vident, in alijs nihil non: in alijs videndis nihil ſunt niſi oculus, in ſeipſis capti oculis omnibus. Res mira; eminùs vident optimè, cominùs minimè. Sic de Lamijs hiſce Theocritus:

Quas Lamias dicunt, quibus eſt exemptile lumen:
Quas vigiles aiunt extra ſua limina lyncas,
Eſſe domi talpas. ————

Iterumq́ue idem:

Lyncea qua paßim circumuertuntq́; feruntq́;
Lumina, per plateas, per agros, per rura, per vrbes
Omnia ſcrutantur, penſant, &c.

Pertinet huc & illud Horatij:

Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutùm?

Luc. 6. Hoc planè illud eſt, quod Chriſtus ait de hypocritis: Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui; trabem autem in oculo tuo non conſideras? Quæ verba tractans D. Auguſtinus lib. 2. De ſerm. Domini in monte; Benè (inquit) ait, hypocrita: accuſare enim vitia, officium eſt bonorum virorum & beneuolorum: quod cùm mali faciunt, alienas partes agunt; ſicut hypocritæ: qui tegunt ſub perſona quod ſunt, & oſtentant in perſona, quod non ſunt. Hypocritarum ergo nomine ſimulatores acceperis. Et eſt verè multùm cauendum, & moleſtum ſimulatorum genus. qui cùm omnium vitiorum accuſationes odio & liuore ſuſcipiant, etiam conſultores videri ſe volunt. Hæc ille.

Huc pertinet exemplum Heremitæ illius fatui, damnati meritò in Vitis Patrum: quia ſua ipſius opera magnificè prædicabat, latronem autem quemdam propter facinora ſua extremo affectum ſupplicio condemnabat. Quaſi verò omnes male pereant qui propter ſcelera ſua mortis ſupplicio puniuntur. Cur igitur nō eadem ratione damnabat latronem cum Chriſto crucifixum, qui ab eo audiebat, Hodie mecum eris in Paradiſo? Denique, huc referendus eſt hypocriticus ille Phariſæus, Lucæ 18. qui ſe quidem vitamque ſuam laudibus in cælum efferebat; Publicanum autem toto corde pœnitentem, Deoque longè ſe gratiorem, deſpiciebat, quaſi prorſus indignum, qui ſecum poſſet vllo pacto in iuſtitiæ ratione conferri. Cui non abſimilis erat alter ille Phariſæus, Lucæ 7. qui Magdalenam videns flentem largiter ad pedes Domini, & magna veræ pœnitentię ſigna edentem, tamen valde præ ſe ſuique ſimilibus contempſit ac damnauit, dicens; Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ & qualis ſit mulier illa, quæ tangit illum; quia peccatrix eſt. Ecce animum hypocriticum. Si ad illius pedes (inquit Auguſtinus) mulier illa acceſſiſſet, dicturus erat, quod Iſaias de talibus dicit; Recede à me, noli me tangere, quoniam mundus ſum.

CAPVT XII.

Hypocritæ, cùm omnes alios redarguant, in nullo redargui volunt.

IAM ergo ſatis intelligimus, veriſſimum eſſe, quod diximus, hypocritarum proprium eſſe, omnes velle docere, admonere, corripere, reprehendere, omnium accuſatores, Ariſtarchos agere: quocircà iam conſequenter probemus nonnihil & alteram partem; quòd nimirum nullas ipſi queant admonitiones vel reprehenſiones ſuſtinere. Patet hoc quoque luculenter ex hiſtorijs Euangelicis: præcipueque ex Scribis & Phariſæis, quibuſcum Domino noſtro toties erat negotium. Quæ fuit enim alia cauſa, quòd tanto eum odio perſequerentur ab initio, nec deſiſterent donec mortem illi ignominioſam afferrent; niſi quòd doctrinam eius, admonitiones ac reprehenſiones ferre non poſſent; quum eſſent tamen peccatis multis & maximis pleni, nec ea vel emendare vellent vmquam vel agnoſcere?

Lucæ 11. quum Dominus hypocriſim Phariſæorum multiplicem publicè, ad populi ſaltem præmonitionem, redargueret; quidam ex Doctoribus legis, inſignis hypocrita, il-
Luca 11. lic præſens, ſtatim eum interpellauit hiſce verbis: Magiſter, hæc dicens etiam nobis contumeliam facis. Ecce, nec ipſum illum, nec legiſperitos, nominatim taxabat Dominus, & ferre tamen non potuit prædicationem eius. Sed quia ijſdem vitijs laborabat, in quæ grauibus verbis inuehebatur Chriſtus, vlcuſque ſuum tangi ſentiebat; tacere non potuit: vt ſe oſtenderet nullam bonam admonitionem vel reprehenſionem, etiam in genere tantùm, nec expreſſo cuiuſquam nomine factam, ferre poſſe; cùm eius ſtudium eſſet, etiam irreprehenſibiles, qualis erat Dominus, amariſſimè reprehendere. Contra hos propriè loquitur Chriſtus Ioan. 7. dicens: Me odit mundus, quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala ſunt. Notanda ſunt verba Domini; non dicit, Me odit mundus, quia opera eius mala ſunt. Si hæc eſſet cauſa odij, quo mundus Chriſtum perſequitur, quòd opera eius mala ſunt; non modò Chriſtum odio perſequeretur, ſed neminem prorſus mortalium diligeret. Deinde, mala erant etiam opera Publicanorum & peccatorum, qui tamen non leguntur Chriſtum ſingulariter odio proſecuti fuiſſe. Non prouenit igitur odium iſthic Chriſti propriè ex malis operibus: alioqui nemo penitus

tus Chriſtum diligeret (nam quis eſt hominum, qui mala non habeat opera?) Quid eſt igitur vera in cauſa, quòd Chriſtum tantoperè odit mundus, & præ ceteris eos, qui Chriſtum eiuſque veritatem prædicant? Hoc videlicet, quòd non ſolùm malus eſt, & mala multa operatur, ſed cùm malus ſit, malaque operetur, per hypocriſim carni ac naturæ noſtræ agnatam, non malus, ſed bonus; non impius, ſed pius; non mendax, ſed verax; adeoque non mala ſed bona facere videri cupit. Vnde omnes odio perſequitur, qui malis eius operibus (quauis ratione) contradicunt. Ergo hypocriſis iſthæc propriè cauſa eſt, quòd mundus Chriſtum odio habet. Itaque aliud longe eſt, eſſe hypocritam, aliud peccatorem; peiuſque multo eſt, eſſe hypocritam quàm peccatorem etiam maximum. Et hinc illud eſt, quod Chriſtus interminabatur hypocritis, vt paulò antè retulimus; Publicani & meretrices præcedent vos in regnum cælorum. Si poſſet mundus hanc hypocriſeos peſtem exuere; nulla eſſet cauſa quamobrem vel Chriſtum vel alios veritatis prædicatores odio haberet; quamlibet etiam multis & magnis vitijs laboraret. imò, quò pluribus & grauioribus peccatis affectus eſſet, hoc Chriſtum magis quæreret ac diligeret. Sicut enim morbi magni & periculoſi, non odiendi aut perſequendi medicum, ſed quærendi & amandi cauſam habent; ſic mala opera noſtra & peccata, tam abeſt vt gignant in nobis odium Chriſti, qui non aliam ob cauſam in mundum venit, quàm ad mundi tollenda peccata, vt magis ad amorem eius impellant. Verùm, ſicut ægrotus, ſi nolit ægrotus ſed ſanus videri, vt phreneticus, acceſſum medici non amat ſed odit, & ſi eum attingere medicus aut curare velit, in eum inſurgit; ſic comparati ſunt peccatores, qui non peccatores ſed iuſti videri volunt, vt non diligant ſed odio perſequantur grauiſſimo doctrinam veritatis. Hoc eſt quod Dominus dicit aduerſus hypocritas; Ideò me odit mundus, quia ego teſtimonium perhibeo, quòd opera eius mala ſunt. Non dicit, Me odit mundus, quia ego iudico & condemno mundum, quia opera eius mala ſunt; ſed, quia teſtimonium perhibeo, quòd opera eius mala ſunt. Si ad condemnandum veniſſet, aliquo pacto videretur odium mundi aduerſus eum excuſari potuiſſe. Atqui, non venit vt iudicet vel condemnet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per eum. Saluari autem mundus non poteſt, niſi morbum ſuum, hoc eſt malitiam, qua totus eſt infectus, agnoſcat, abijciat, reſipiſcat; Chriſtoque Saluatori firma fide & pura dilectione adhæreat. Ad hanc autem rem neceſſaria eſt prædicatio veritatis, vitiorum demonſtratio ac reprehenſio, teſtimonium Chriſti, quòd mundi opera mala ſunt. Nihil habet in ſe hoc teſtimonium quod mundo nocere queat; ſed ſi benè agnoſcatur, & placidè recipiatur, eſt longè omnium ſaluberrimum. Quis ægrotus iacturæ vel damni loco ducit, modò non prorſus deſipiat, quod morbus quo laborat in apertum profertur, vt cognoſcatur & ſanetur? Magna eſt igitur mundi huius hypocritici cæcitas & peruerſitas, quòd malitiam atq; impietatem ſuam vſque adeò ſemper occultam eſſe cupit, vt non ſecùs Chriſtum veroſque eius miniſtros odio perſequatur de ea teſtantes eamque ſanare cupientes; quàm ſi ad condemnandum & perdendum venirent. Contrà verò, aſſentatores & palpones, à quibus dum iuſtus, ſanctus & beatus prædicatur, decipitur ac perditur, velut amicos & fautores amanter complectitur. Quales olim erant pſeudoprophetæ, de quibus Dominus apud Iſaiam cap. 3. conqueritur, dicens; Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. id eſt, ſeducunt.

Et quoniam hanc eſſe conſtat naturam plerorumque omnium mortalium, vt laudari appetant, etiam falſis laudibus, & vituperari etiam iure ac merito ægrè ferant; liquet hinc, quàm altas radices hypocriſis vitium iecerit in anima noſtra. Et certè, quamuis ad omnia ferè peccata naturæ corruptione procliues ſumus, maximè tamen in primiſque propenſi ſumus omnes ad ſuperbiam. Quæ, vt mater eſt pænè omnium vitiorum; ita etiam plerumque hypocriſim generat, vt Auguſtinus inquit Epiſtola 64. ad Aurelium.

Vnde etiam, in Sermone 59. De tempore, apud Auguſtinum dicitur, quòd hypocriſis maculam non habere, vel paucorum eſt, vel nullorum. Quamquam Sermo ille non eſt Auguſtini, ſed contextus ab aliquo, tum ex libris Auguſtini de Sermone Domini in monte, tum ex Commentarijs Hieronymi in Matthæum. Sed cuiuſcumque ſit, ſententia de hypocriſis vitio, omnibus ferè communi, non caret magnâ ratione. Hinc namque eſt etiam, quòd dehortans nos Dominus ab hoc peccato, ſerijs admodum & notabilibus verbis vtitur; Attendite (inquit) ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab illis. Non dicit, ne faciatis eleemoſynam veſtram coram hominibus, vt

videamini ab illis. ſed dicit, Attendite, ne faciatis. admonens ſcilicet nos, hoc loquendi modo, vt cauti ſimus, ſeduloque nobis caueamus, ne malum hoc hypocriſeos, & inanis gloriæ affectandæ, animos noſtros inficiat: ſatis vtique inſinuans, quam inſidioſa ſit hæc peſtis, etiam illis qui boni operis aliquid moliuntur; & quam vehementer omnes ad illam ex communi naturæ corruptione propendeamus. Alioqui quid opus fuerit ſobrio atque abſtemio dicere, Caue ne vino aut ceruiſia inebrieris; cum per ſeſe ab omni ebrietate abhorreat? Sic planè inanis, ſuper uacua, & præter rationem eſſet hæc Domini tam ſeria admonitio, ne ſtudio vanæ gloriæ bona noſtra opera corrumpantur: niſi malum hoc nobis eſſet familiare, vehementerque inſidiaretur actionibus noſtris; vt non modò nihil bonæ mercedis mereantur, ſed digno efficiantur ſupplicio damnationis æternæ.

CAPVT XIII.

Hypocriſis luculenta deſcriptio.

CAPVT hoc de hypocriſi finire & claudere lubet verbis cuiuſdam, qui ſic habet: Pulcherrima aſpectu beſtia hypocriſis; blanditur, ridet, iocatur, applaudit: rurſus autem, cui vult indignatur, excandeſcit, mordet, lacerat, & cùm verſipellis ſit, pardum exprimit, aſcititio ſeſe cultu non vero decorans: blandienti blanditur, palpantem viciſſim palpat: moroſa nonnumquam & ſatis meticuloſa. Optimum non naſci hanc beſtiam, aut ocyſſimè aboleri: nam hydram inficere & crocodili lachrymas emittere nouit: Curios ſimulat, Corinthium in tenebris amans luxum: humi doloſè ſerpit, & acclìue eſt ſcabellum eius; ſub quo tamen ſcorpium dormientem fouet. Omnis igitur hypocrita, optimos quoſque falſos fieri cogit: & velut triſtis quiſpiam Areopagita, in ſupercilijs ſuis ac vultu ad fraudem compoſito, bonam fictæ ſuæ religionis partem callenter ſedere putat. Lupus eſt igitur homo talis homini, non homo. qui etiam mali fontem frequenter reperiens, multitudinem ſibi malorum aſciſcit. Qui enim cum callido hypocrita commercium habet; auribus lupum tenet: atque ebur ipſum faciliùs atramento candefacies, quàm cum tali tamque ſuperſtitioſo monſtro domicilium ſerues. Herodem ſi volueris, intuere: qui deuotionem Magis promittens, vt Chryſoſtomus ſcribit ſuper Matthæum, gladium acuit; & malitiam cordis, humilitatis depingit colore. Ceterùm ad ſubdolam ſimulatoris matrem, ipſam videlicet ſimulationem, redeamus. Numquid non & per mulierem illam deſignari poteſt, quæ purpurâ ſplendeſcens & coccino, aureiſque amicta chlamydulis, tum lapide etiam pretioſo & margaritis adornata, poculum dextra tenet plenum abominatione & immunditiâ execrabilis ſuæ ſuperſtitionis?
Iob 13. Non veniet igitur in conſpectu Dei omnis hypocrita, vti Iob teſtatur. & ſicut Auguſtino placuit; Mortuus eſt omnis hypocrita. Quales ergo haberi volumus, vt 1. Officiorum ait Ambroſius, tales & ſimus. Hæc ille.

Qui de hypocriſi diſſertum videre cupit, more Scholaſticorum, habet quæſtionem centeſimam vndecimam ſecundæ ſecundæ ſancti Thomæ.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

PETRI

PETRI SIMONIS TILETANI EPISCOPI YPRENSIS

DE VERITATE LIBER SEXTVS:

De laude VERITATIS, eiúſq; conditionibus.

CAPVT PRIMVM.

Veritas fortiſſima, inuicta, perpetua.

QVæ de mendacio diſputauimus hactenus, eò tantùm pertinent vt veritatis natura ac dignitas meliùs cognoſcatur. Quare ijs abſolutis, æquum eſt, vt ad illa quæ de veritate ſuperſunt differenda redeamus. Et quādo de propria naturæ eius diffinitione ſatis ſupradictum videtur, naturales eius conditiones, effectuſque, & fructus conſiderare aggrediamur.

Hîc autem primo loco ſe offert vis veritatis & fortitudo; qua fit, vt tametſi laboret frequenter, vinci tamen numquam poſſit. Læditur, ſed non exſtinguitur: premitur, ſed nō opprimitur vnquam. Quin potiùs tanta eſt eius vis, vt non ſolùm de cunctis hoſtibus ſuis & perſecutoribus ad extremum victoriam referat; ſed omnes etiam illorum conatus ſæpenumerò vertat in contrarium. ſeruant illā, dum exterminare nituntur: illuſtrant, dum obſcurare atque exſtinguere. non aliter atque ſol, pulſis nubibus quæ lucem impediunt, clariùs emicat, luciſque ſuæ radios quaquauerſus emittit.

Thomas Apoſtolus veritatem, ſibi dictam à condiſcipulis ſuis de reſurrectione Chriſti, credere ac recipere noluit. Volebat curiosè magnóque ſtudio examinare quæ audierat omnia; quaſi ad pudefaciendam & obruendam veritatem. At nihil hæc omnia moratur veritas: patitur ſeſe examinari vt lubet hominibus: non recuſat omnia hominum iudicia ac tentamenta ſubire. Qua in re aperitur magna, pulcherrima, & manifeſta differentia inter veritatem & mendacium, ſiue inter verum & falſum. Sicut enim nihil eſt firmius & ſtabilius veritate; ſic nihil infirmius & fugacius falſitate ac mendacio. Hoc nullam examinationem admittit: ſimulatque attrectatur & perſpicitur, apparet vanitas eius & fallacia: mox ſpeciem omnem & formam qua magni aliquid eſſe videbatur, amittit. Quemadmodum quod verum eſt aurum, naturæ ſuæ veritatem retinet ſemper: inijce in ignem, adhibe limam, examina vt lubet; manebit aurum, & conſtabit eſſe tale, vt antè fuerat: imò examine ipſo clarius redditur, nitidius, amabilius. quod verò aurum eſſe videtur & non eſt, non modò ignis examinationem non ſuſtinet, ſed ne lapidis quidem Lydij vel coticulæ argentarij: vt primùm attingis & perfricas; ſtatim apparet falſitas. Verum & ſolidum granum trituram omnem & ventilationem ſuſtinet; paleæ vero & inania grana, mox prima ventilatione cognoſcitur quidnam ſint, quum diſijciuntur in auras. Natiuus color verus & ſtabilis eſt, lotionē omnem & perfricationem admittit: at fictus & fucatus ad leuem ſolis ardorem aut lauationem abſtergitur, eiuſque falſitas coarguitur. Verus amicus quibuſlibet aduerſis probatus non cedit, non deſerit fidem aut amicitiam: fictus & ſimulatus, ad quamuis auram mutatur. Tale eſt diſcrimen inter veritatem & mendacium. Accuſarunt inimici Athanaſij ſanctum Epiſcopum adulterij, omni-

omnibuſque pænè mendacium illud perſuaſerant. Producta eſt in iudicium mulier impuriſſima quacum adulterium perpetraſſe dicebatur, verbis & muneribus corrupta à falſarijs, conquerens multis fictis lachrymis quòd hoſpitio apud ſe exceptus Athanaſius,ſibi ſtuprum per vim intuliſſet. Introductus igitur eſt in concilium Athanaſius: & ſimul cum eo Timotheus presbyter. qui inſtinctu Athanaſij ſe Athanaſium ſimulans, Egóne,inquit, mulier, apud te ſum diuerſatus? ego te violaui? Cui illa petulanter, Tu, tu mihi viui attuliſti. idq; identidem affirmans ac repetens,iudicum fidem implorabat,vt tantum flagitium impunitum eſſe non ſinerent. Qua cognita fraude, ſimul reiecta eſt mulieris impudentia, & mendacij vanitas nullo propemodum negotio patefacta. Sic paulò pòſt cum Arſenius Athanaſij Lector, metu domini ſui quē offenderat, apud Arrianum quemdam latitaret, ecce aduerſarij manum cuiuſdam mortui deferunt in iudicium, ab Athanaſio ad vſum Magicæ artis Arſenio amputatam criminantes. At Arſenius pœnitentia ductus, noctu aufugiens,cùm ſe in conſpectu Concilij ſtatuiſſet,oſtenſis ambabus manibus inimicorum Athanaſij impudentiſſimum ſcelus ſimul & mendacij inanitatem ſtatim aperuit. Simile erat plane mendacium illud maximum atque impudentiſſimum contra Chriſti Domini reſurrectionem confictum, totique perfidorum Iudæorum genti ſtatim perſuaſum: Dicite quòd diſcipuli eius venerunt, & tulerunt eum vobis dormientibus. Quod tam miſerum,infirmum,& putidum eſt mendacium,vt ne inſpectionem quidem, nedum tactum vel examinationem aliquam admittere queat. Adeò verum eſt quod Chryſoſtomus ait, Homil. 4. de laudibus Pauli: Talis eſt conditio erroris,etiam nullo ſibi obſiſtente conſeneſcit ac deſluit. Talis eſt ediuerſò veritatis ſtatus, etiam multis impugnantibus ſuſcitatur & creſcit. Sed redeamus ad propoſitum.

Volebat Thomas, vt dicere cœpimus, manibus & pedibus veritatem velut protrudere & fugare. vbi manus Chriſti & pedes & latus tetigiſſet & examinaſſet, tum ſe putabat condiſcipulos ſuos de mendacio egregiè conuicturum. Quid accidit? Tantum abfuit vt viſus eius & tactus, omniſque illa examinatio & tentatio veritati quidquam officeret, vt inde potiùs facta ſit omnibus manifeſtior certiorque. Ac certiſſime dixerit D. Gregorius: Minùs mihi B. Maria Magdalena præſtitit quæ citiùs credidit; quàm Thomas qui diu dubitauit. Ille enim dubitando, Saluatoris noſtri vulnus tetigit; & de noſtro pectore vulnus dubitationis amputauit.

Sic Iudæi in eadem materia verbis Chriſti veraciſſimis de futura ſua reſurrectione, quæ aliquoties ab eo audierant, credere noluerunt. Vnde eó occiſo ad Pilatum venerunt, dicentes; Domine, recordati ſumus quòd ſeductor ille dixit adhuc viuens, Poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum,vſque in diem tertium: ne ſortè veniant diſcipuli eius & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit à mortuis: & erit nouiſſimus error peior priore. Impetrarunt quod voluerunt. Cuſtoditum fuit ſepulchrum Domini bona militum manu vſque ad diem tertium: quin & ſignatum fuit ſigillo publico, ne qua vis aut fraus intercederet: ita ſollicitè procurantibus omnia hoſtibus veritatis, quæ ad eam opprimendam ſpectare videbantur. Sed quid? [illegible] voti omnis compotes facti ſunt? Quin potiùs his omnibus rationibus factum, vt veritatis lux ſuo tempore longe clariùs emicuerit, nec modò apud cordatos omnes certiorem fidem inuenerit,ſed etiam ab hoſtibus ſuis illuſtre teſtimonium acceperit, & facti fuerint primi veritatis teſtes ac præcones, qui ad eam impediendam & ſuffocandam adhibiti fuerant.

CAPVT II.

De inuicta Veritatis doctrinæ Chriſtianæ fortitudine.

EXSTANT huius rei innumera exempla, cùm in Sacris hiſtorijs, tum in alijs monumentis ſcriptorum omnis generis. Sed vnum tantum adhuc referemus loco omnium, quod ſilentio prætereundum non videtur. Quonam modo examinata fuerit veritas doctrinæ Chriſtianæ,ad eam improbandam, condemnandam,explodendam,à Philoſophis & ſapientibus gentium; itemque à regibus & imperatoribus, ab iudicibus & tribunalibus omnibus; idque non verbis, ſermonibus, rationibus dumtaxat, ſed omni etiam genere ſuppliciorum ac tormentorum; nulli obſcurum eſt. Quid autem his omnibus rationibus & machinationibus effectum eſt, niſi vt veritas ad extremum de cunctis hoſtibus ſuis glorioſiùs triumphauerit? & quibus modis exſtingui poſſe putabatur, ijs

ipſis

ipſis magis creuerit & effloruerit? Vnde exſtat veritas illa ab vno quopiam veritatis hoſte acerbiſſimo expreſſa & proclamata, quum videret ſe nihil proficere. & victum eſſe à veritate: Sanguis Chriſtianorum, ſemen Chriſtianorum. Quaſi diceret: Quo magis veritatem eradicare è mundo, atque opprimere laboramus; hoc magis eam firmamus, promouemus, amplificamus, extollimus.

Sed hæc res longè etiam manifeſtior eſt in hæreſibus omnibus, quæ tantoperè contra veritatem pugnarunt iam inde ab initio Eccleſiæ: hoſteſque ſunt veritatis multo maiores & ſæuiores, quàm Idololatria vel Gentilitas, cum omnibus armis & viribus ſuis. Attamen illæ eædem hæreſes adeò veritatem profligare atque opprimere non potuerunt: vt ipſæ potiùs à veritate oppreſſæ & profligatæ, veritatem multo clariorem, multo in cordibus fidelium certiorem, & chariorem effecerint. Qua de re exſtat in primis ſententia memorabilis B. Auguſtini lib. De vera religione cap. 8. Quoniam, inquit, veriſſimè dictum eſt, Oportet hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant; vtamur etiam iſto diuinæ prouidentiæ beneficio. Ex his enim hominibus hæretici fiunt, qui etiamſi eſſent in Eccleſia, nihilominus errarent. cùm autem foris ſunt, plurimùm proſunt: non verum docendo, quod neſciunt; ſed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum ſpirituales Catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in Eccleſia ſancta Deo probati viri; ſed manifeſti non fiunt inter nos, quamdiu imperitiæ noſtræ tenebris delectati, dormire malumus, quàm lucem veritatis intueri. quapropter multi vt diem Domini videant & gaudeant per hæreticos excitantur. Sic ille ibi. & eamdem rem manifeſtiùs explicans exemplis particularibus in Pſalmum 54. ſub finem, ad verſiculum, Diuiſi ſunt ab ira vultus eius, ſic habet: Multa latebant in Scripturis; & cùm præciſi eſſent hæretici, quæſtionibus agitauerunt Eccleſiam Dei. Aperta ſunt quæ latebant, & intellecta voluntas Dei. Multi qui optime poterant Scripturas dignoſcere & pertractare, latebant in populo Dei: nec afferebant ſolutionem quæſtionum difficilium, cùm calumniator nullus inſtaret. Numquid enim perfectè de Trinitate tractatum eſt, antequam oblatrarent Arriani? numquid perfectè de Pœnitentia tractatum eſt, antequam obſiſterent Nouatiani? Sic non perfectè de Baptiſmate tractatum eſt, antequam contradicerent foris poſiti rebaptizatores: nec de ipſa vnitate Chriſti enucleate dicta erant quæ dicta ſunt, niſi poſteaquam ſeparatio illa vrgere cœpit fratres infirmos, vt iam illi qui nouerant hæc tractare atque diſſoluere, ne perirent infirmi, ſollicitati quæſtionibus impiorum, ſermonibus & diſputationibus ſuis obſcura legis in publicum deduxerunt. Hæc ille.

Sic planè, & quidem longè etiam magis de dogmatibus Religionis Catholicæ, quæ hodie ab hæreticis tanto ſtudio & contentione impugnantur, numquam perfectè diſputatum & tractatum fuit, antequam vel Lutherus exurgeret, vel qui ab eo nati ſunt, Anabaptiſtæ, Zwingliani, Caluiniſtæ, vel quocumque alio damnato nomine cenſeantur. vt hoc ſenſu perquam verum ſit, quòd veritati Euangelicæ lucem magnam præſentes hæreſes & controuerſiæ attulerunt: cùm nulla ſit pæne Theologicæ diſciplinæ pars, quæ controuerſiarum iſtarum tractatione non maiorem in modum exornetur & illuſtretur. Nam ſi Scripturas ſpectemus, quum illa Scripturarum loca diligentiſſime ſint memoriæ mandanda & pertractanda, eodem Auguſtino auctore, quæ contra hæreſes valent plurimùm: quantam ediſcendis optimeque intelligendis ſacris Scripturis præſentes controuerſiæ occaſionem præbeant, quis eſt qui non videat; dum nulla ferè non Scripturæ loca regnantes hodie hæreſes nõ aliqua ex parte maculauerint? Quòd ſi dogmata & ſcholaſticam diſciplinã conſideres, quàm varia quamq; vtilis hinc diſputatio prouenit de peccato Originali, de hominis Iuſtificatione, de Libero arbitrio, de Sacramentis, deq; alijs infinitis? Ad hiſtoriæ autem Eccleſiaſticæ cognitionem, ſic præſentium temporum hæreſes inuitant, trahunt, impellunt, vt qui in his benè verſatus ſit, illius peritiſſimus fiat oportet. nec enim poſſunt hæreſes iſtæ ſine exacta hiſtoriæ Eccleſiaſticæ notitia explicari & refutari vt oportet. Quod verò ad linguarum ſtudium attinet, ſic ad illud excitant hæ controuerſiæ, vt bonus & perfectus nunc ſanè Theologus eſſe nequeat, niſi trium linguarum ſaltem mediocri nutitia inſtructus ſit. Vnde & factum videmus, vt in omnibus Academijs Chriſtianis modò hoc ſtudium vigeat floreatque; quod priùs vbique ignorabatur propemodum.

In Epiſt. Ioā. tract. 8

CAPVT

CAPVT III.

An hæreſibus acceptum ferendum, quòd illarum occaſione magis ſit Veritas illuſtrata?

QVid ergo? Quia religionis iſtæ controuerſiæ ad veritatis illuſtrationem tantum momentum præbuerunt, num ſecus hoc & mendacijs acceptum feremus? Ea enim de re ſectarij nō pauci hodie gloriantur: quòd videlicet multum ijs debeat Eccleſia Dei, de illuſtratis multis articulis religionis Chriſtianæ. Minimè gentium. Non eſt hoc artis, induſtriæ, virtutis, aut potentiæ illorum, ſed naturæ ipſius veritatis, quam impugnant, & ſingularis prouidentiæ Dei. non magis quàm ſit induſtriæ, beneuolentiæ aut vigilantiæ Iudæorum Chriſti interfectorum, quòd vbique regnat Chriſtus. Quamquam enim hoc per eos factum eſt (nempe oportebat pati Chriſtum, & ita intrare gloriam ſuam) tamen Deo hoc totum, eiuſque bonitati, potentiæ & ſapientiæ admirabili tribuendum, non Iudæis. Ipſi enim omni peſſimo ſtudio ſuo, non Chriſti regnum aut gloriam, ſed ignominiam potiùs extremam ſuamque ipſorum vanam gloriam quæſierunt. Nihil in crucifixo Domino præter facinus ſuum cogitare potuerunt, inquit Leo, Serm.8. de Paſſione. ſed Deus tam bonus & potens & ſapiens fuit, vt omnes illorum conatus & ſtudia verterit in contrarium. Sic plane etiam iudicandum eſt de hæreticis. Dum veritatem hoſtes eius omnibus viribus ſuis extinguere quærunt; vincuntur ipſi à veritate, omneſque illorum conatus ad veritatis gloriam & laudem ſuamque ipſorum ignominiam, atque interitum, Deo dirigente, proficiunt. Sic D. Auguſtinus olim de ſui temporis hæreticis inquit lib. contra Donatiſtas, poſt collationem cap. 34. Non ipſis, ſed Deo hinc potiùs agimus gratias. Vt enim hæc omnia vel loquendo, vel legendo, vel differendo, vel ſcribendo, pro cauſa noſtra illuſtranda & promouenda promerent, non charitas eos inuitauit, ſed veritas torſit: hoc eſt coëgit; inuitos ſcilicet contraque omnem illorum intentionem ac voluntatem.

CAPVT IV.

Hæreſes omnes admirabili Veritatis potentiâ, tandem profligantur.

HInc & aliud quiddam magni momenti ad ſpem & conſolationem noſtram diſcendum eſt. Scimus omnes præteritorum temporum hæreſes vi & potentia veritatis admirabili tandem deuictas: nec profuiſſe illis vel doctrinam aliquam, aut rerum variarum exactam ſcientiam, vel eloquentiam, vel quæcumque ornamenta alia, quibus præditi frequenter fuerunt inuentores illarum, doctores aut profeſſores: nec principum huius mundi aut regum quorumlibet fauorem vel potentiam, nec leges, aut edicta, in illarum defenſionem latas, nec arma, nec exercitus, nec ſupplicia innocentium, nec populorum multitudinem quos ſeduxerunt, nec aliud quidquam. Omnia hæc veritas tandem ipſa ſuperauit, diſiecit, euertit. Potuerunt aliæ hæreſes aut latiùs ſerpſiſſe, vel tempore longiore duraſſe; ſed omnes ad extremum victæ ſunt, proſtratæ, exploſæ ex omni orbe terrarum, cum omnibus ad eas quauis ratione pertinentibus. At veritas ipſa vicit, perſtitit, campumque obtinuit ſemper. Tot libri olim ſcripti ſunt in defenſionem hæreſis Arrianæ, Neſtorianæ, Nouatianæ, multarumque aliarum. Vbi nunc illi omnes? & libri omnes & tractatus & illorum auctores ac nomina perierunt. Tantùm nonnullæ hic ibi reliquiæ permanſerunt apud ſcriptores Catholicos veritatis alumnos & diſcipulos, qui ſcriptis doctiſſimis ſuo quiſque tempore hæreſes conuicerunt ac refutarunt. Qui niſi exſtarent, penitus omnis hæreſum memoria iamdiu perijſſet. Sed voluit veritas manere omnibus ſæculis ſigna certa, indicia, ac teſtimonia fortitudinis atque victoriæ ſuæ, ad inſtructionem perpetuam & ſolatium noſtrum: vt quæcumque opiniones, perſuaſiones, doctrinæ, contra veritatem Catholicam quouis tempore ſurgunt, vtcumque inualeſcant, tumultuentur, inſaniant, ſuo etiam tempore cum ignominia ruituras eſſe non dubitemus, ac vi veritatis inſuperabilis exploſendas; ipſam autem veritatem permanſuram & regnaturam in æternum.

Quæ

Quæ nunc adhuc in hiſce noſtris prouincijs Belgicis hæreſes graſſantur, multiſque annis in Germania, Anglia, Zuecia, Dania, Francia & alijs quibuſdam vicinis Prouincijs regnauerunt, multa imò infinita mala fecerunt, valdè ac ſupra modum afflixerunt Eccleſiam Dei. Sed non ſemper ſtabit regnum illarum: non melioris erunt conditionis, nec alium habebunt exitum quàm omnes præcedentes. Et quod D. Auguſtinus lib. 4. de Symbolo cap. 13. olim ſcripſit de hæreſi Ariana, hoc nos itidem vel ſimilibus verbis ac ſententijs de cunctis noſtri temporis hæreſibus dicere poſſumus; Quid ſic inſultas, te iactas, inſoleſcis? quid tam multa vſurpas? quid tantas excitas turbas, tot ſtrages donas, omnia innouans, omnia inuertens, omnia miſcens ſurſum deorſum, tanquam ſemper victura & regnatura, ô hæreſis Lutherana, vel Caluiniſtica, vel quocunque tandem nomine cenſearis? Multa abs te damna patitur, multas magnaſque iniurias ſuſtinet diuina Veritas: ſed non magnoperè te metuit. Si laudem vel gloriam putas diu ac latè regnare, multoſque inficere veneno tuo ex omni ordine vel genere hominum: latiùs multo ac diutiùs olim regnauit hæreſis Arriana, vt alias taceam; ab illius ſectatoribus veritas multa grauiora mala ac damna perpeſſa eſt: nondum ad illam ingloriam gloriam, laudemque illaudatam veniſti. Nec vnquam tamen veritas manus dedit, aut vinci potuit: quin potiùs omnes eius hoſtes, cum omnibus viribus & potentia ſua, contriti ab illa tandem ſunt & extincti. Sic tuum etiam regnum cum omni inſolentia ſua finem aliquando accipiet. Tum in cœnum ac lutum putei infernalis, vnde egreſſa es, inque extremas tenebras ſine fine crucianda præcipitaberis, cum omnibus ad te quouis modo pertinentibus. Veritas autem ſtabit & viuet, florebit & regnabit, triumphumque de te celebrabit, cælo ac terra gaudentibus ac plaudentibus in æternum. Ancilla es, & non domina; ſerua, non libera. Veritas libera eſt, quæ & liberos facit quos poſſidet, teſte Domino. Vxor illa & ſponſa eſt Chriſti: cùm reſpexerit ſponſus ille, & familiam ſuam viſitare inceperit, eijcieris tu vt ancilla cum liberis tuis: quoniam non erunt heredes filij ancillæ, cum filijs liberæ.

Quòd ſi oculos noſtros conuertere velimus ad Sacras hiſtorias, videbimus clariſſimè velut in ſpeculo, veritatis hoſtes per omnem vitam ſuam periclitari, tumultuari, angi animo, laborare, nihil certi, nihil ſatis tuti ac firmi habere, ſæpè etiam cum magna ſuorum ſtrage ad extremum regno omni & vita priuari. Exemplo ſunt, Pharao Ægypti Rex, ſub quo populus Iſraëliticus, veritatis cultor, exijt ex Ægypto; Sennacherib Rex Aſſyriorum, de quo 4. Regum 19. Antiochus Syriæ Rex, de quo multa in libris Machabæorum. de morte autem eius Machab. 9. inter Iudæos autem Saul, Achab, Ioas, Zedechias. Manaſſem Regem, longo tempore hoſtem & perſecutorem veritatis longè maximum, veritas tandem de ſolio deiecit, regnoque priuatum, Babylonem adduci captiuum, atque in tetrum carcerem & ferreas catenas conijci fecit. vbi cùm ad mentem tandem rediſſet, & promiſiſſet veritatis ſe deinceps cultorem fore, exauditus fuit, ac deinceps veritatis beneficio, quam fideliter coluit, feliciter proſpereque regnauit. Conſimilem ferè in modum veritas triumphauit de Nabuchodonoſor rege Babylonis, vt videre eſt Danielis 4. Ita veriſſimum eſſe conſtat, quod veritas ait Prouerb. 8. vt antè audiuimus: Qui in me peccauerit, lædet animam ſuam: omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Interim autem veritas ipſa, quam impij reges exſtinctam cupiebant, ipſiſmet exſtinctis oppreſſiſque, firma ſemper & perennis permanet.

CAPVT V.

Fideles veritatis amatores, eiuſdem præſidio, in medijs quoque periculis perſiſtunt impauidi: & tandem à Deo beantur.

CONTRA verò, ſinceri ac fideles veritatis amatores, cultores ac defenſores, veritatis præſidio in medijs periculis ac tumultibus impauidi perſiſtunt, benè & feliciter rem gerunt, æternaque demum gloria, laudiſque immortali memoria, à Deo veritatis ſummo principe, imò ipſa adeò veritate, donantur. vt videre eſt in Dauide, Ioſaphat, Ezechia, Ioſia, Machabæis, & ſimilibus.

In nouo autem Teſtamento, ſimilem animi ſecuritatem, rerum geſtarum felicitatem, & gloriam nominis immortalem habuerunt, Conſtantinus Magnus, Theodoſius Senior,

Iuſtinianus

Iuſtinianus ſenior, ſaltem quamdiu Catholicus manſit, Carolus magnus, Imperatores, veritatis omnes religioſiſſimi cultores ac propugnatores. De quâ re legat qui volet copioſius ſcribentem Auguſtinum vltimis aliquot capitibus libri quinti De ciuitate Dei. Nos enim hæc breuiter dumtaxat referimus, vt conſtet omnibus, veritatem per ſe felicem eſſe & immortalem: quique eam amant, colunt & propugnant, eius beneficio multis bonis hîc etiam plerumque perfrui; prꝩterquam quòd per eamdem veritatem ad vitam ſemper & felicitatem æternam perueniunt: qui vero eam oderunt & perſequuntur, non modò non aſſequi quod intendunt, ſed ſe ipſos quoque vt plurimũ turpiſſime ire perditũ.

CAPVT VI.

Veritas, vt armis, ita ſcriptis impugnatur, & propugnatur.

VNVM tamen adhuc quiddam ſilentio prꝩterire non poſſum. Quemadmodum veritas à Regibus & Principibus huius mundi armis oppugnatur atque defenditur, obſcuraturq́; & illuſtratur: ſic planè oppugnatur ac protegitur, læditur ac defenditur, opprimitur ac propugnatur, ab alijs videlicet atque alijs; non linguæ ſolum præſidijs, ſed multò magis calami & ſcriptionis. Hoc modo alij ſeſe hoſtes & perſecutores, alij verò patronos ac defenſores præbuerunt veritatis, omni ferè tempore: nec alium quoque exitum habuerunt, quàm ſicuti nunc de Regibus diximus, qui vel contra veritatem, vel pro eadem ſteterunt. De hæreticis, veritatis inimicis acerrimis, paulò antè iam diximus; multaque nobis infrà etiam ſæpè dicentur. Hîc vnum atque alterum verbum adijcere oportet, de quibuſdam hiſtoricis Ethnicis, Chriſtianæ veritatis, quæque vnum Deum ſolum colendum tradit Religionis, inimicis.

Qui Iuſtini hiſtorici epitomen 36. & Cornelij Taciti librum vnum & viceſimum legerit, facillimè intelliget, ſemina quædam veritatis totum per orbem numquam pænè non deſſeminata fuiſſe: ſed infecta mox fuiſſe mendacijs multis, cùm Ægyptiorum, tum aliorum Philoſophorum, ac ſcriptorũ ethnicorum. Quo factum eſt, vt hiſtorici Græci & Latini, vaniſſimi interdum à nobis fuiſſe deprehendantur, qui ſacram hiſtoriam & incorruptam habemus. In quo profectò eorum vicem dolere deberemus, niſi in pleriſque eorum improbam mentem cerneremus, blandiente ſemper ipſis in Iudæos maledicentiâ, ob vnius Dei cultum. Sed inuidia vecors aduerſus Chriſtianum nomen, Tacito, Suetonio, & Plinio Iuniori fuit; quanquam, cùm fuerint illi æquales, maledicta eorum ſacrilega ac nefaria inuicem colliduntur. Tranquillus in Ner. Afflicti ſupplicijs Chriſtiani; genus hominum ſuperſtitionis nouæ ac maleficæ. Tacitus xv. de incendio vrbis loquens per Neronem excitato; Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & exquiſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inuiſos, vulgus Chriſtianos appellat. Auctor nominis eius Chriſtus, qui, Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat. Repreſſaque in præſens exitiabilis ſuperſtitio, rurſus erumpebat, non modò per Iudæam, originem eius mali, ſed per vrbem etiam. Et poſt aliquot verſus, enumeratis cruciatuum generibus; Vnde, quamquam aduerſus ſontes (inquit) & nouiſſima exempla meritos, miſeratio oriebatur. Hominem nefarium Tacitum, aduerſiſque placitis prouidentiæ genitum; qui æqualium ſuorum ſenſui ſeruiens, non ſuo iudicio, prodere hoc exemplum nefariæ mentis non ſit veritus.

Audiamus Plinium ad Traianum ſcribentem, cùm Aſiæ præeſſet prouinciæ; cùm veluti elogium mitteret Chriſtianorum, de pœna reorum (vt aſſolebat) ad principem referens. Affirmabant autem (inquit) hanc fuiſſe ſummam, vel culpæ ſuæ, vel erroris, quòd eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum inuicem; ſeque ſacramento, non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent: quibus peractis morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſuſq́; coëundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium: quod ipſum facere deſiêre poſt edictum meum, quo ſecundùm mandata tua hæterias eſſe vetueram. Sic enim legi debet, pro ſodalitatibus. Quid ſimile habent hæc obiecta Pliniana cum criminibus Taciti, extrema exempla ſuppliciorum meritis? Eodem enim tempore hæc à Plinio & Tacito dicta ſunt. Verùm Plinius ad principem ſcribens (quod ad res humanas attinet optimum, ſed imbutum errore Domitiani, cui ſublato ſtatim Nerua ſucceſſerat) mentiri aut noluit, aut non auſus eſt. Tacitus verò,

verò Domitiani beneficio ad dignitates prouectus, vt ipſe fatetur in principio ſtatim libri decimiſeptimi; quod nomen ille princeps ſceleratiſſimus ſæuitiæ pugione conficere nixus erat irrito propoſito, id iſte ſceleratiore hiſtoriæ ſtylo, toxico mendacij obliro, repetere inſtituit: vecordium omniū ſcriptorū perditiſſimus, ſi rectè verba eius æſtimētur. Nam Tranquillo cùm idem eſſet obſequendi tempori propoſitum; quàm potuit tamen ipſe breuiſſimè defunctus eſt, Chriſtianumque nomen vno verbo reſpuit, ne amplecti videretur. Plinius in fine Epiſtolæ ex animi ſui ſententia locutus, cùm principem conſuleret, & mendacio locus non eſſet; in principio ita vera falſis temperauit, vt acta ſua principi ſeuero & perſpicaci approbauerit. In quo operæ pretium eſt, vim veritatis animaduertere, quæ nonnumquam inuitis erumpit; ita fallens inter mendacia, vt ab audientibus demum agnoſcatur, cùm interim loquentes adhuc habere ſe in poteſtate eam putent. Supplicium (inquit) minatus, perſeuerantes duci iuſſi: neque enim dubitabam, qualecumque id eſſet quod faterentur, pertinaciam certè & inflexibilem obſtinationem debere puniri. O miſerum te, Plini, & improbè principali gratiæ inſeruientem! qui veritate oppugnanda diligentiam tuam principi approbare voluiſti. Hoc acri vir ingenio Traianus intelligens, ne damnare imprudentiæ Præſidem videretur, alioqui ſibi gratum; & nomini tunc inuiſo patrocinium præbere edicto ſuo non auſus, Conquirendi, inquit, non ſunt Chriſtiani; ſi deferantur & arguantur, puniendi ſunt.

Alioquin autem in omnibus ſcriptoribus mirum ſilentium, vel improbum potiùs, de rebus Chriſtianis agnoſcas, vel coniuratorum atque ex compacto ſcribentium, iis etiam temporibus, cùm res inſignes atque memorabiles auſpicijs Chriſti geſtæ ſunt. Iſtud adeò ex re vnica, quam in medium adferam, iudicare quiuis poterit. Macrobius libro ſecundo Saturn. de iocis Augusti Cæſaris loquens; Cùm audiſſet (inquit) intet pueros quos in Syria Herodes rex Iudæorum intra bimatum iuſſit interfici, filium quoque eius occiſum: ait; Melius eſt, Herodis porcum eſſe, quàm filium. Ecquis vnquam hoc memoriæ tradidit dumtaxat ethnicorum, quod Macrobius in tranſitu, tamquam rem notam, perſtrinxit? Mirari igitur deſinamus, cur nulla apud Plinium, & alios, rerum miracula relata ſcriptorum factorum temporibus competant, & cum orthodoxa rerum conſcriptione congruant, & malignitati ſcribentium, aut metui potiùs tribuamus, opinioni principum & populi blandientium.

Huc pertinet etiam, quòd ijdem hiſtorici oracula veterum omnium Prophetarum, de naſcituro in Oriente, & quidem ex Iudæis, rege quodam maximo, qui totum orbem terrarum ſibi ſubijceret, non attribuerunt id verè & propriè Domino ſcilicet noſtro Ieſu Chriſto, filio Dei æterni; ſed Veſpaſiano Romanorum Imperatori in Oriente aduerſus Iudæos bellum gerenti: vt videre eſt apud Suetonium in Veſpaſiano cap. 4. & apud Tacitum libro 21. Sed illis error iſte cōdonari poteſt, qui ſacras Prophetarum ſcripturas numquam viderant. At verò eadem in re prorſus inexcuſabilis eſt Ioſephus, Iudaicæ ſcriptor hiſtoriæ, qui & Iudæus erat & ſacerdos; legemque Moyſis & Prophetas legebat quotidie, illarumque etiam ſanctarum Scripturarum ſingularem ſibi intelligentiam tribuebat. Teſtificantur enim Moyſes & Prophetæ clariſſimè, Regem illum magnum totius mundi, ex Iudæis venturum, debere naſci ex ſemine Abraham, ex tribu Iuda, ex progenie Dauid. Adeò nominant etiam expreſſis verbis locum in quo naſciturus erat, Bethlehem ſcilicet, paruum oppidulum tribus Iuda. Non potuit autem Ioſephus ignorare, Veſpaſianum neque ex Iudæis vllis originem ducere, nec in lucem editum eſſe in Bethlehem. Proinde, credibile eſt, Ioſephum meliùs intellexiſſe Prophetas de Chriſto Rege ſeu Meſſia loquentes, quàm ſcripſerit & perſuaſerit Veſpaſiano: quodque contra propriæ conſcientiæ teſtimonium, honorem, qui vni Meſſiæ debebatur, Veſpaſiano tribuerit: vtpote, à quo multis magniſque beneficijs affectus fuerat.

Verùm, vt ad Suetonium, Tranquillum, & Tacitum tedeamus, non mirum eſt, quòd partim ignorantiâ, partim odio Chriſti (quo imbuti erant, vt oſtendimus) Prophetarum oracula Veſpaſiano potiùs quàm Ieſu Chriſto adſcripſerunt; cùm etiam diuerſa Chriſti ac diſcipulorum eius miracula eidem Imperatori haud fuerint veriti attribuere. Scribit enim Tacitus lib. 20. Veſpaſianum, cùm in Iudæa ageret, ſputo ſuo viſum cæco homini reddidiſſe; & alterius curaſſe vno verbo manum aridam, quam penitus mouere non potuerat. Quæ nemo non nouit miracula eſſe vera Domini Ieſu Chriſti: quæ cùm illi hiſtorici profani auditione accepiſſent, eidem Ieſu Chriſto, quem oderant, furari voluerunt, vt ijs Veſpaſianum ſuum cohoneſtarent. Quod illorum furtum, ſeu grande potiùs ſacri-

legium, vt meliùs ad perpetuam eorum ignominiam, laudemque veritatis patefaciamus, eoſque proprijs ipſorum ſcriptis conuincamus; obſeruandum eſt, Tacitum ſcribere, cùm cæcus ille ad pedes ſe Veſpaſiani (vt mentitur) proſterneret, opemq; ab eo peteret, dixiſſe, quòd reuelationem acceperat à Deo Serapi, vt ſe Veſpaſiano curandum exhiberet. Cuius Dei Tacitus ſcribit nondum ſuo tempore originem Romæ ſatis notam fuiſſe. Sed exiſtimabant ethnici illi, Chriſtianos (quorum Deum & religionem omnem ignorabant, tantumque de ijs obiter quædam audiuerant, pluraque vel certiora cognoſcere non curabãt) Deũ Serapin adorare: vt ſatis liquet ex Epiſtola ab Adriano Imperatore ad Germanum conſulem perſcripta; teſte Flauio Vopiſco in Saturn In qua Epiſtola expreſſis verbis habetur, Chriſtianos Alexandriæ Deum Serapin colere. Ita palàm fit ipſius Taciti proprio teſtimonio, primum auctorem curationis cæci, Deum fuiſſe Chriſtianorum. Sed multa veris falſa miſcendo, Deum illum Serapin fuiſſe dicit, cùm Chriſtus fuerit filius Dei. Deinde cæcum ad Veſpaſianum miſſum; cùm hoc quoque penitus falſum & confictum fuerit. Verùm, ſicut accidit fere in rebus & narrationibus omnibus, quę procul adferuntur, vt variè à narrantibus referantur, multaque falſa ab alijs atque alijs affingantur; ſic non eſt dubitandum, multam tunc temporis & celebrem famam fuiſſe vbique locorum de miraculis, quæ Chriſtus eiuſque diſcipuli in Iudæa, & circumcirca fecerunt: ſed homines impij ac profani, quibus nulla erat cura, ipſam rei veritatem cognoſcere; miraculorum illorum gloriá, vel principibus ſuis, quibus adulabantur, vel neſcio quibus idolis, adſcribebãt.

Eiuſdem fidei, ſeu perfidiæ potiùs, eſt, quod Suetonius in Veſpaſiano memoriæ prodidit, cap. 7. curaſſe Veſpaſianum quemdam paralyticum, qui in pedes ſtare non poterat; itemque cæcum: qui ambo admoniti fuerint à Serapi, vt ſeſe ad Veſpaſianum percipiendæ ſanitatis cauſa conferrent. denique, quod Spartianus ſcribit, in Adriano Imperatore, mulierem cæcam viſum recuperaſſe, genu eius oſculando: nec non alium quemdam cæcum natum, eum tantummodò attingendo: ipſumque Adrianum ſimili modo à febribus, quibus laborabat, ſubitò liberatum. Satis enim certum eſt, illa omnia eſſe miracula Chriſti Saluatoris noſtri & Apoſtolorum eius: quæ ethnici illi ſcriptores ijs detrahere magno ſcelere conabantur, vt principibus ſuis adſcriberent, ac mundo perſuaderent, diuinitatem in ijs aliquam infuiſſe. Sed, quid tandem eunctis ſuis aduerſus veritatem mendacijs effecerunt? Veritas ſuo tempore in lucem venit, agnitaque & recepta ac celebrata fuit ab omnibus: ipſi verò manifeſtæ falſitatis conuicti, turpique infamiâ notati ſunt in perpetuum. Adeò verum eſt, quod Marcus Tullius de veritate ſcribit, Oratione pro Marco Cælio: O magna (inquit) vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas omnium inſidias, facilè ſe per ſeipſam defendit! At de his ſatis.

CAPVT. VII.

Propugnanda ac promouenda in omnibus Veritas.

HVc etiam referre poſſumus ſententiam memorabilem planeq; auream beati Pauli Apoſtoli, 2. Cor. 13. Oramus Deum (ait) vt nihil mali faciatis: non vt nos probati appareamus; ſed vt vos, quod bonum eſt, faciatis: nos autem vt reprobi ſimus. non enim poſſumus aliquid aduerſus veritatem, ſed pro veritate. Senſus eſt: Non aliam quæro neque appeto poteſtatem, quàm vt veritati ſeruiam, eamque promoueam. Multis perinde eſt, modò poſſint: neque illis curæ eſt, ſua poteſtate vti in bonum, in defenſionem veritatis, aut innocentiæ: ſatis illis eſt, quod poteſtate atque auctoritate polleant, ſiue cum vtilitate, ſiue cum iniuria aliorum. Apoſtolus omnem poteſtatem ſuam, quam à Deo habebat, longè maximam, in communem dumtaxat ædificationem, veræque & ſanæ doctrinæ conſeruationem referebat: paratus etiam imbecillus & reprobus inſipientium hominum opinione reputari, modò veritati & gloriæ Dei benè conſultum eſſet. Sic affecti eſſe debent qui pro ſola veritate pugnant: vt quidem debent omnes Chriſtiani. Cuius doctrinæ parum memores ſunt quidam, in diſputando nullum clamandi & rixandi finem facientes, donec viciſſe videantur, & reliquos tacere compellant. non veritatis vtique victoriam quærentes, ſed ſuam propriam: nec hoc agentes vt veritas diſputando vel ſcribendo inueniatur, ſed vt ſua ipſorum opinio obtineat, ac pro veritate habeatur. Atque ita non aliud efficitur, quàm quod vulgò dicitur, Nimiũ altercando amittitur veritas. Quaſi verò turpe ſit vel pudendum, à veritate vinci: quum nihil ſit melius, vtilius, glorioſius.

Qua

Qua de re nonnullæ ſunt eruditæ & præclaræ ſententiæ ſanctorum Doctorum, quas hic aſſcribere placuit. D. Auguſt. De ciuitate Dei, lib. 5. cap. 27. Facile eſt (inquit) cuiquam videri reſpōdiſſe, qui tacere noluerit. Quid eſt loquacius vanitate? quę non ideò poteſt quod veritas, quia, ſi voluerit plus poteſt clamare quàm veritas. Diuus Hieronymus Epiſtola ad Auguſtinum quæ incipit, Tres ſimul Epiſtolas, ſic ſcribit; Te quoque hoc ipſum orare non dubito, vt inter nos contendentes veritas ſuperet. Non enim tuam quæris gloriam, ſed Chriſti. cumque tu viceris, & ego vincam, ſi meum errorem intellexero. Et econtrariò, me vincente, tu ſuperas: quia non filij parentibus, ſed parentes filijs theſaurizant. Et in Paralip. lib. legimus quòd filij Iſraël ad pugnam proceſſerunt mente pacifica; & inter ipſos gladios & effuſiones ſanguinis & cadauera proſtratorum non ſuam ſed pacis victoriam cogitantes. D. Proſper lib. Sententiarum, Sententia 209. Bonum eſt à veritate vinci. Ad correptionem ſuperet veritas volentem: nam & inuitum ipſa ſuperabit. Sumpſit illam ſententiam Proſper, vt alias pleraſque omnes, ex Auguſtino Epiſtola 174. vbi ſic legitur; Non eſt bonum homini, hominem vincere; ſed bonum eſt homini vt eum veritas vincat volentem: quia malum eſt homini, vt eum veritas vincat inuitum. nam ipſa vincat neceſſe eſt, ſiue negantem, ſiue confitentem. Idem lib. 1. De moribus Manichæorum cap. 3. Quæſo animaduertite, quæſo vigilate, quæſo deponite ſtudia partium: & verum, non vincendi ſed inueniendi gratiâ, quærite. Item in exordio expoſitionis Epiſtolæ ad Galat. Veritas propter ſeipſam diligenda eſt, non propter hominē, vel propter Angelum, per quem annuntiatur. Qui enim propter annuntiatores diligit eam, poteſt etiam mendacia diligere ſi qua fortè ipſi ſua protulerint. Hanc ſententiam clariùs explicat lib. 12. Confeſſ. cap. 25. O vita pauperum, Deus meus, in cuius ſinu non eſt contradictio; plue mihi mitigationes in cor, vt patienter tales feram, qui non mihi hoc dicunt, quod diuini tui & in corde famuli tui viderunt quod dicunt, ſed quia ſuperbi ſunt, nec nouerunt Moyſi ſententiam, ſed amant ſuam: non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt. Alioqui & aliam veram pariter amarent, ſicut & ego amo quod dicunt, quando verum dicunt: non quia ipſorum eſt, ſed quia verum eſt. & ideò iam nec ipſorum eſt, quia verum eſt. Si autem ideò amant iſtud, quia verum eſt, iam & ipſorum eſt, & meum eſt: quia id commune omnium eſt veritatis amatorum. Sic ille.

Huc pertinet, quod D. Hilarius, lib. 10. de Trinitate, ſcribit in illos qui non veri ſed placiti rationem ſectantur: quos iniqua voluntas, non ad intelligentiam, ſed ad defenſionem placentium excitat. Inter veri namque aſſertionem, & placiti defenſionem, pertinax pugna eſt: dum ſe & veritas tenet, & ſe voluntas erroris tuetur. Sic præfatus auctor.

Iam, ſicut peccat in veritatem, qui illam pertinaciter ad ſuam opinionem trahit, nec ipſam vult pati obtinere ac vincere, in quocumque eſt, ſed ſeipſum; ille grauiſſimam iniuriam veritati faciunt omnes hæretici, qui illam (quæ communis eſt omnium, qui Chriſtiano & Catholico nomine cenſentur) ſibi ſolis aſſcribere, ceteris autem omnibus totique Eccleſiæ Catholicæ detrahere, moliuntur. Qua de re iterùm eleganter Auguſtinus prædicto loco: alloquens enim Dominum Deum, Veritas (inquit) tua nec mea eſt, nec illius vel illius, ſed omnium noſtrùm, quos ad illius communionem publicè vocas; terribiliter admonens, vt noliſmus eam habere priuatam, ne priuemur eâ. Nam quiſquis id quod tu omnibus ad fruendum proponis, ſibi propriè vendicat, & ſuum vult eſſe quod omnium eſt; à communi propellitur ad ſua, hoc eſt à veritate ad mendacium. Qui enim loquitur mendacium, de ſuo loquitur. Hæc ille: optimè vtique ac veriſſimè. Veritas (inquit alibi) nuſquam eſt, quàm apud omnes; hoc eſt in Eccleſia Catholica. Quamobrem quicumque ſingulares aliquos intellectus exquirit, inſolitos & hactenus inauditos ſenſus excogitat, nouas & ſolitarias opiniones adfert: etiam ſi ſexcenta proferat e Scripturis teſtimonia; quandoquidem ea non omnium, hoc eſt, non eo qui receptus eſt in Eccleſia Catholica, ſenſu vult intelligere, ſed ſuum illis proprium ſenſum adſtruit; de ſuo loquitur, atque ideò mendacium loquitur. Veritas enim non eſt apud vnum aliquem, ſed apud omnes, hoc eſt in Eccleſia Catholica: cui ſanæ intelligentiæ lux, à Deo promiſſa eſt. nullum vt certius argumentum eſſe queat, aliquem de ſuo, id eſt mendacium loqui, quàm ſi quis ab huius ſenſu & conſenſu receſſerit.

De hac re iterùm Auguſtinus, in Pſalmum 75. ad illud: Omnes qui in circuitu eius affertis munera. Hoc, inquit, quod Deus admonet, dicam vobis, quid ex his verbis ipſe mihi inſpirare dignatus ſit. Si melius aliquid poſteà viſum fuerit, & hoc veſtrum eſt; quia communis eſt omnibus veritas: non eſt mea nec tua, non eſt illius aut illius; om-

nibus communis eſt. Et fortaſſis ideò media eſt; vt in circuitu eius ſint omnes, qui diligunt veritatem: quidquid enim omnibus commune eſt, in medio eſt. Quare in medio dicitur? Vt tantum diſtet ab omnibus, & tantum appropinquet omnibus. Quod non in medio eſt, quaſi priuatum fit: quod publicum eſt, in medio ponitur, vt omnes qui veniunt, percipiant, illuminentur. Nemo dicat, Meum eſt; nec in parte ſua velit facere, quod in medio eſt omnibus. Quid eſt ergo; Omnes qui in circuitu eius ſunt, offerent munera? Omnes qui intelligunt communem eſſe omnibus veritatem, & non illam faciunt quaſi ſuam, ſuperbiendo de illa, ipſi offerent munera, quia humilitatem habent. Qui autem quaſi ſuum faciunt, quod omnibus commune eſt, tamquam in medio poſitum, ad partem ſeducere conantur; non offerent hi munera: quia omnes qui in circuitu eius ſunt, offerent munera. Tu, cùm feceris eum tibi quaſi proprium, & iam non communem, extolleris in ſuperbiam: cùm ſcriptum ſit; Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Ergo offerent munera, qui in circuitu eius ſunt. Ipſi enim humiles ſunt, qui communem nouerunt eſſe omnibus veritatem. Hæc ſanctus ille Doctor.

CAP. VIII.

De laude Veritatis, ex tertio lib. Eſdræ, fortiſsimum omnium, eſſe Veritatem.

DVM mentio fit, aut ſermo habetur, de vi & fortitudine Veritatis; non poteſt nec debet ſilentio prætermitti hiſtoria, quæ narratur in tertio libro Eſdræ cap. 3. & 4. vbi ex propoſito de hac materia prolixè ac iucundiſſimè diſputatur, regijs etiam propoſitis præmijs, iiſque ampliſſimis, quænam res rerum omnium totius mundi debeat cenſeri fortiſſima. Tandemque inuenitur ac decernitur, nihil eſſe fortius ac permanentius, nihil itidem dignius & ſublimius veritate. Quamuis autem, quidquid in tertio illo & quarto libris Eſdræ deſcribitur, non ſit Canonicæ auctoritatis, tamen hiſtoria iſthæc de fortitudine & victoria veritatis, & cetera ad totam illam diſputationem pertinentia, à multis Eccleſiæ veteribus grauibuſque Doctoribus paſſim citantur. Nam, vt Bedam venerabilem omittamus, qui tamen eſt auctor minimè contemnendus, antiquiſſimus ille iuxtà ac celeberrimus Eccleſiæ Doctor & Epiſcopus & Martyr Cyprianus, Epiſtola ad Pompeianum, ſiue vt alij libri habent Pompeium, ita ſcribit: Conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt; propter quod, relicto errore, ſequamur veritatem: ſcientes, quia apud Eſdram veritas vicit, ſicut ſcriptum eſt; Veritas manet & inualeſcit in æternum, & viuit, & obtinet in ſæcula ſæculorum.

Auguſtinus autem lib. 18. De ciuit. Dei cap. 36. exiſtimat, non ineptè in hac veritatis hiſtoria prophetatum intelligi Chriſtum. Hos, inquit, tres Prophetas, Aggæum, Zachariam, Malachiam, per idem tempus liberationis populi ex Babylonica ſeruitute, ſcripſit etiam Eſdras: qui magis rerum geſtarum ſcriptor eſt habitus, quàm Propheta. Niſi fortè in eo Chriſtum prophetaſſe intelligendus eſt, quòd inter iuuenes quoſdam orta quæſtione, quid ampliùs valeret in rebus; cùm Reges vnus dixiſſet, alter vinum, tertius mulieres, quæ plerumque regibus imperarent, idem tamen tertius veritatem ſuper omnia demonſtrauit eſſe victricem: conſulto autem Euangelio, Chriſtum cognoſcimus eſſe veritatem.

Proſper quoque lib. 2. Promiſſionum cap. 38. Rex, inquit, Babyloniæ Artaxerxes, dum ſuos vellet exercere captiuos; tres elegit prudentes Iudæos, quorum ſententias Eſdras ſacerdos ſcripſit. Vnus vinum omni rei prætulit, alius Regem, tertius Zorobabel mulieres, ac ſuper omnia veritatem.

Quin & Græcis Doctoribus eadem nota fuit hiſtoria, in magnoque pretio & veneratione habita: vt liquet ex Cyrillo, Doctore celeberrimo, lib. 5. Theſauri cap. 1. Et certè ſi Scriptura iſthæc diuinam auctoritatem non habet more aliarum Scripturarum canonicarum, veram ſaltem hiſtoriam eſſe conſtat ſatis ex Ioſepho, rerum Iudaicarum non ignaro, lib. 11. Antiquitatum cap. 3. vbi totam hanc diſputationem, quemadmodum in Biblijs noſtris ſacris habetur, deſcribit.

Sunt, qui ſe colligere poſſe ac probare contendant, hanc hiſtoriam cum primo Eſdræ libro itemque cum Prophetia Aggæi Prophetæ pugnare; ac proinde, veram hiſtoriam eſſe

eſſe non poſſe. Zorobabel enim, qui in hac diſputatione de veritate diſſerens introducitur, primo anno Cyri Regis ſoluta captiuitate Iudæorum Ieroſolymam mittitur, ceu dux omnium: ibique ad templi exſtructionem omnem impendit operam, vt etiam Aggæus propheta teſtatur. Quomodo igitur tanto pòſt tempore, nempe ſub Dario Rege, adhuc Babylone in Regis miniſterio repentur? inſuperque hic adhuc adoleſcens nominatur, vt eſt in 4. cap. 3. Eſdræ? Sed hoc argumentum non tam difficile eſſe videtur, vt conuenienter ſolui non poſſit. Cùm enim rex iſte Darius Hiſtaſpis ſit, Ioſepho teſte, qui ſtatim poſt Cambyſem, Cyri filium, ſex annis tantùm regno potitum, regnauit; potuit adhuc ſub eo Zorobabel adoleſcens eſſe, nimirum triginta quinque annorum, aut circiter. Nam cum primú ſub Cyro Ieroſolymam pergeret, dicitur annos natus fuiſſe octodecim.

Quòd autem initio Regni Darij Hiſtaſpis Babylone fuerit, inde accidit, quòd cùm Iudæi Cyro adhuc regnante prohiberentur templum ſuum perficere; tunc cum nonnullis Iudæis Babylonem rediјt, viſurus (vt probabile eſt) anne aliquid apud Regem ad cœptam templi exſtructionem perficiendam impetrare poſſet. Itaque, primò omnium querelas ſuas apud Darium iſtum, nondum adhuc Regem, quem anteà familiariter nouerat, expoſuit; vtque ſe apud Regem iuuaret maiorem in modum rogauit. Tunc fertur Darius querimonijs amici ſui permotus dixiſſe; Si contingeret, vt aliquando Rex fieret, omnia quæ cuperet libenter præſtiturum, hocque Deo inſuper deliberata mente vouiſſe. Sic Ioſephus, & ex eo Beda, hiſtoriam referunt. Atque ita, nulla videtur eſſe Scripturarum inter ſe diſcrepantia.

Verum vtcumque id habet, videamus & examinemus breuiter quid ſit quod Zorobabel de laude & fortitudine veritatis commemoret. Nam, quod de vini, aut Regum, aut mulierum hic potentia dicitur, ad noſtrum non ſpectat propoſitum. O viri (inquit Zorobabel) nónne fortes ſunt mulieres? Magna eſt terra, & excelſum cælum; & velox curſus ſolis, conuertit in gyro cælum in locum ſuum in vna die. Nónne magnificus eſt qui hæc facit? Et veritas magna, & fortior præ omnibus. Senſus eſt: Deus omnipotens admirabilis admodum eſt, mirumque in modum oſtendit potẽtiam & ſapientiam ſuam in creatione & gubernatione continua cæli & terræ, ſed multò eſt magis admirabilis in conſeruatione ac directione veritatis. Cælum & terra ſemel à Deo creata eodem ſemper tenore perſiſtunt: nec quiſquam laborat, vt illa vel è medio auferat vel turbet, aut lædat, aut moleſtet; cũ nemo neſciat, conatus huiuſmodi fore nimis fruſtraneos. At verò, cùm tot, tam graues & potentes hoſtes veritas habeat, ſemperque habuerit, qui modis & viribus omnibus eam ſtudent obſcurare, peruertere, de terra tollere, penituſque extinguere; tamen Deo adiuuante perſtat ſemper & viuit, & floret, & regnat, ac triumphat, omniumque hoſtium & aduerſariorum ſuorum extremam tandem ignominiam atque interitum videt. Nec videt ſolùm, ſed ipſamet quoque eos vincit, proſternit, è medio tollit. Eſtne hoc ſupra modum admirabile?

Sequitur: Omnis terra veritatem inuocat; cælum etiam ipſam benedicit. Incertum, quid nomine terræ & cæli notare velit. Si corpora illa ingentia inanimata ſignificat; proſopopeia eſt, quæ hunc ſenſum habet. Veritas res eſt tam præclara, tam nobilis, digna, excellens, egregia, vt cælum ipſum quoque ac terram lætificet. adeò vt ſi loqui poſſent, non ceſſarent altis vocibus celebrare ac decantare laudes eius. Similis locus eſt in Pſal. 95. Lætentur cæli, & exultet terra; commoueatur mare, & plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis ſunt: tunc exultabunt omnia ligna ſiluarum, à facie Domini. Sed probabilius eſt, cæli & terræ nomine, per ſynecdochen intelligere eos qui cælum & terram inhabitant. Hoc ſenſu rectè & conuenienter admodum cælo benedicere veritatem, terræ autem inuocare tribuitur. Angeli enim cæleſtes non habent neceſſe veritatis auxilium inuocare, cùm in nulla neceſſitate verſentur: attamen veritatem vbique locorum inter homines tam magna & admiranda patrantem benedicunt: hoc eſt, prædicant & collaudant aſſiduè, dicentes; Benedictus Deus veritatis: vt hîc habetur. At verò homines, veritatis ſtudioſi, in terra verſantes, iniurias & oppreſſiones videntes aſſiduas, quæ à veritatis hoſtibus quotidie bonis & innocentibus vbique locorum, ipſique adeò veritati, irrogantur, non ceſſant votis continuis inuocare opem & patrocinium veritatis aduerſus impios & ſceleratos: optare & precari, vt ſeſe de tantis improborum hominum iniurijs vindicet, pios & fideles ſeruos & cultores ſuos liberet, omnibuſque illi fideliter ſeruientibus, & ab ea ſola pendentibus, pro more ſubueniat. Omnis, inquit, terra veritatem inuocat. Optime dicit. Inuocare, propriè eſt in auxilium & vota vocare.

Inuocant itaque veritatem imprimis innoxij omnes, mendacijs oppreſſi, calumniis circumuenti, iniuſte damnati, in carceres & vincula coniecti, vel quocumque alio modo contra ius & fas malè habiti, toto orbe terrarum. Inuocant, inquam, illi omnes, obteſtanturque veritatem, vt eius ope & præſidio liberentur. Inuocatur eadem in Scholis & Academijs, vt obſcura illuſtret, dubia aperiat, quæſtiones ac difficultates incidentes diſſoluat; adſitque docentibus pariter, & diſcentibus; ne quid vel quærant contra veritatem, vel doceant, vel diſcant, vel intelligant. Sicque inuocatur in templis, & locis ſacris, à concionatore iuxtà & ab omni populo, ne quid ibi prædicetur vel audiatur contra veritatem verbi Dei, vel ſanæ doctrinæ; ſed omnes à veritate illuminentur, in agnitionem Dei & voluntatis ipſius. Inuocatur in iudicijs & tribunalibus; ne quid aduerſus veritatem aut innocentiam iudicetur: ne quis aut nocens abſoluatur, aut innocens condemnetur. O quàm ardentibus votis, quàm alta & flebili voce, veritatem eiuſque patrem
Daniel. 13 Deum inuocabat Suſanna, dicens; Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia priuſquam fiant: tu ſcis quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me: & ecce morior, cùm nihil horum fecerim, quæ iſti malitioſè compoſuerunt aduerſum me. Sed de veritate in iudicijs, paulò pòſt latiùs. Denique inuocatur veritas in foris publicis, in plateis & officinis, à iuſtis & bonis omnibus, ne videlicet mendacijs & fraudibus mercatorum vel opificum iniquorum fallantur: ſed veritas potius & iuſtitia vbique locum habeant. Quomodo putamus Prophetam ſanctum inuocaſſe veritatem, quoties toto
Oſee 4. corde eam inclamaſſe, cùm diceret; Non eſt veritas, non eſt miſericordia, non eſt ſcientia Dei in terra: maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium, inundauerunt?

Caput IX.

Sequentium verborum explicatio, pro veritatis encomio: OMNIA OPERA MOVENTVR, ET TREMVNT EAM. *Eſdræ* 3. 4.

LOQVITVR præcipuè de hoſtibus & perſecutoribus veritatis, omnibuſque illorum machinationibus & conatibus. Magna laus, magna & mirabilis vis veritatis, quòd ſic aduerſarios ſuos commouere nouit ac terrere; vt totos tremere faciat, ac perhorreſcere. Facit autem hoc potiſſimùm veritas, quum ſeſe diu afflicta & oppreſſa tandem erigit, atque in lucem exerit, vt videatur & cognoſcatur ab omnibus; dumque non modò viuere adhuc ſe oſtendit, quæ penitus extincta & mortua putabatur, ſed etiam ſatis potentem eſſe ad rationem reddendam aduerſarijs ſuis ipſoſquemet proprijs ipſorum conſilijs & machinationibus obruendos atque perdendos. Quis non facilè ſecum cogitare poteſt, quemadmodum ſcelerati illi iudices qui Suſannam mendacijs falſiſque teſtimonijs opprimere atque interficere conabantur; quis (inquam) non intelligit, quomodo perturbati, quantopere attoniti, ac velut mente capti fuerint, totique perhorruerint, cùm veritas os pueri Danielis aperire, ſeſeque per illum cœpit fugatis mendacijs in lucem & apertum perducere? quum ſceleſtos illos deinde puer ille ſeriò ac publicè accuſauit, ac ſapientiſſimè ſimul & conſtantiſſimè iudicauit? denique ex ipſorummet ſermone & confeſſione, manifeſtæ falſitatis conuicit? Quis autem puero illi, vel adoleſcenti, talem tantamque animi conſtantiam & fortitudinem tribuit, vt hoc facere, talem rem aggredi & perficere non metueret? Quis alius niſi veritas ipſa, quæ quoſuis ad ſui defenſionem, cùm ei libuerit, excitare, armare, animare & confirmare nouit? Quæ etiam, vt amicis & cultoribus ſuis amabilis eſt, vltrà quàm credi poteſt, vt antè oſtendimus; ſic hoſtibus & perſecutoribus, dum vult, eſt ſupra modum terribilis. Veniebant mendaces & falſarij, ingenti multitudine, odio ac furore animorum pleni, armiſque benè inſtructi, Chriſtum veritatis principem ad mortem quæſitum. Edidit ſolummodò blandam veritatis vocem, dicens; Ego ſum, quem quæritis. ſed cùm voci illi veriſſimæ occultam quandam virtutem addidiſſet; ecce omnes ſubitò cum armis omnibus retrorſum in terram deijciuntur, velut exanimes. Nimirum tanta eos repentè animorum obſtupefactio cepit, vt nec pedibus conſiſtere poſſent; & à vi quadam inuiſibili atque intolerabili, in faciem cædi, retrorſumque proſterni ſibi viderentur. Tanta eſt vis veritatis, ſi quis eam ſimpliciter atque intrepidè perfiteatur. Sic nonnumquam aduerſarios ſuos luce claritatis

&

& maieſtatis ſuæ perſtringit, ſic attonitos reddit, ſic obſtupeſacit, vt velint nolint cedere ac manum dare cogantur. Vide infrà plura alia exempla, ſub finem capitis 47.

Alio tempore mittebantur ad Chriſtum capiendum miniſtri Phariſæorum & Pontificum quærentes illum, inuenerunt in templo concionantem & docentem. Vt primum *Ioan. 7.*
viderunt & audierunt, omnis illa animorum ferocia concidit: ex lictoribus fiunt attenti auditores: finita concione, cum ceteris abeunt, ad dominos ſuos redeunt, nihil efficiunt eorum, quorum gratiâ miſſi fuerant. Cauſam rogati, reſpondent, Numquam ſic locutus eſt homo, vt hic homo. Ita ſcilicet à doctrina veritatis compreſſi, ne quid mali tentarent; ſic in conſcientia ſua, vi ac luce veritatis conuicti erant.

Quid futurum eſt, cùm veritas ſeſe hoſtibus ſuis in plena maieſtate ſua oſtendet, eoſque alloquetur his aut ſimilibus verbis? Ego ecce illa ſum (ô ſceleſti & maledicti!) quam alij veſtrûm oderunt, & execrati ſemper ac perſecuti ſunt totis viribus; alij neglexerunt, vltroq́ue oblatam recipere noluerunt; alij receptam neſariè deſeruerunt, nec coluerunt vt oportet; omnes magna iniuria & contumelia affecerunt. O ingrati, cæci, peruerſi! maluiſtis mendacijs confictis, erroribus damnatis, meræ mundi vanitati, quàm mihi adhærere. Sponte vobis in dominum & principem elegiſtis Diabolum, hoſtem iuratum animarum veſtrarum, mendacij patrem; me relicta & contempta, quæ vitam vobis, libertatem & ſalutem certam atque perpetuam pollicebar. Vocaui vos, & renuiſtis: exten- *Prouerb. 1.*
di manus meas, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego nunc quoque in interitu veſtro ridebo: & ſubſannabo, cùm vobis quod timebatis aduenerit, cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit; quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia. Diſcedite à me ma- *Matth. 24.*
ledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, quem ſequi voluiſtis, & angelis eius. Vbi ſe veritas in tali maieſtate & potentia, cum tali ira monſtrabit impijs, ſic eos alloquetur, ſic verbis, vultu, geſtibuſque tonabit; quis eloqui facilè poſſet, quis mente vel cogitatione complecti, quomodo toti erunt formidine nimia ac terrore completi? Hoc eſt quod hic dicitur; omnia ad conſpectum veritatis moueri & contremiſcere.

Nec verò ſolùm ad conſpectum & præſentiam veritatis turbantur ac perhorreſcunt impij; verum etiam, antequam ſe oſtendat veritas atque in lucem veniat, frequenter in magno timore ac mentis anxietate verſantur. Numquam ſunt quieta conſcientia mendaces, fures, falſarij, ceteriq́ue hoſtes veritatis: ſemper metuunt ne fraudes illorum & mendacia detegantur, & veritas cognoſcatur, ipſiq́ue ita in iuſtam pœnam, turpemq́ue infamiam incidant. Ita eos perſequitur, turbat, exagitat, veritas adhuc latens, adhuc ab illis ſuppeditata, vincta, oppreſſa; vt inde intelligant, ſi mens non læua eſſet, quid factura ſit, quomodo eos habitura, vbi ſe ſua virtute à vinculis illorum & oppreſſione excuſſerit. Ergo, iuſti & veraces homines, per veritatem & bonam conſcientiam, in medijs etiam periculorum & aduerſitatum procellis, ſecuri ſunt; vt antè admonuimus: iniuſti autem & mendaces, rebus etiam quietis & tranquillis, metu perculſi. Fugit impius, inquit Sapiens Prouerb. 28. nemine perſequente: iuſtus autem quaſi leo confidens, abſque terrore erit. Et Iob Propheta cap. 15. Cunctis diebus impius ſuperbit: & numerus annorum incertus eſt tyrannidis eius. Sonitus terroris ſemper in auribus illius: & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur.

CAPVT X.

Proſecutio laudata apud Eſdram Veritatis.

QVOD ſequitur in Eſdra, non eſſe apud veritatem quidquam iniquum; nullâ interpretatione opus habet. Eſt enim veritas iuſtitiæ mater: vt antè etiam in deſcriptione veritatis audiuimus, & mox latiùs etiam clariuſque dicemus, in expoſitione verborum ſequentium, Non eſt apud eam accipere perſonas, &c. Sed ante illa verba præcedunt hæc, quæ priùs expedienda ſunt: Vinum iniquum, iniquus rex, iniquæ mulieres, iniqui omnes filij hominum, & iniqua illorum omnia opera, & non eſt in ipſis veritas, & in ſua iniquitate peribunt. Hæc etiam verba ſatis per ſe clara ſunt. Admonendum eſt tantummodò, aliter iniquum eſſe vinum, aliter autem reges, & mulieres. Vinum iniquum dicitur, non quòd aliquam in ſe iniquitatem habeat; omnis enim creatura Dei bona eſt, inquit Apoſtolus; vinum verò non ſolùm Dei creatura eſt, ſed vna etiam ex optimis &

nobiliſſimis creaturis: ſed iniquum dicitur quia iniquos homines facit, quando intemperanter ſumitur. Qua etiam loquendi forma à Paulo Apoſtolo, itemque à Sapiente, luxurioſum appellatur: quia videlicet immodice ſumptum, luxuriam generat. vnde illi exſtant verſiculi:

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore:
Vno namque modo vina Venúſque nocent.

Sic nox ebria dicitur, apud Martialem & alios. Qui enim ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt, inquit Apoſtolus. Sic frigus pigrum vocatur, quia pigritiam generat, homineſque pigros reddit. Non hoc modo Rex & mulieres hic, itemque omnes filij hominum iniqui nominantur; ſed quia naturà iniqui ſunt, atque in ſeipſis iniquitatem habent inſitam, ſiue ingenitam. iuxta illud Pſal. 50. Ecce in iniquitatibus conceptus ſum; & in peccatis concepit me mater mea. Omnes enim homines naſcuntur auerſi mente & voluntate à rectitudine iuſtitiæ & veritatis, & conuerſi ad peccatum: quæ magna eſt & ſumma iniquitas. Quæ poſtea iniquitas & peruerſitas voluntatis ſic in homine dominatur, niſi gratia Dei ſubueniat; vt omnia opera iniqua reddat, vti hic habetur, tandemque hominem faciat in iniquitate perire in æternum. Vnde, ſi quid rectè facimus, eatenus per gratiam Dei & Spiritum ſanctum ab iniquitate liberamur, ac regeneramur in nouam creaturam. Sed de his ſatis.

Sequitur: Et veritas manet, & inualeſcit in æternum, & viuit, & obtinet in ſæcula ſæculorum. Hæc verba nihil etiam difficultatis habent; & quàm ſint omni ex parte veriſſima, ex ſuperioribus ſatis patet. Pergemus igitur ad ſequentia.

CAPVT XI.

Veritatis in iudicio præſtantia; citra perſonarum acceptionem.

NEc eſt (inquit Zorobabel) apud eam, accipere perſonas, neque differentias: ſed quæ iuſta ſunt, facit omnibus, iniuſtis & malignis: & omnes benignãtur in operibus eius. Quod de acceptione perſonarũ vel differentiarum hic dicitur, pertinet præcipue ad iudicia, in quibuscũ primis locum habere debet veritas. Hæc facit, vt non reſpiciant iudices, quales ſint perſonæ quæ litigant vel accuſantur coram ſe, diuites an pauperes, nobiles an ignobiles, quæ referre queant gratiam, vel minimè: ſed tantummodò, quid rei veritas habeat, & quidnã ſecundum illam mereantur. Qua de re ſunt loci multi & notabiles in alijs Scripturis ſacris. Deuteron. 1. docet Moyſes, ſeſe iudicibus populi ab ſe conſtitutis præcepiſſe in hæc verba: Quod iuſtum eſt iudicate, ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum: ita paruum audietis vt magnum, nec accipietis cuiuſquam perſonam. Quo in loco, & ſimilibus, perſonæ vocabulum ſumitur pro quauis hominis conditione vel qualitate, cuius ratione gratiam aliquam aut fauorem mereatur; vt ſunt diuitiæ, nobilitas, potentia, pulchritudo corporis, & ſimilia: vel quæ eum reddat quouis modo deſpectum, odioſum, contemptibilem; qualia ſunt paupertas, deformitas, ignobilitas, & cetera huiuſmodi. Harum omnium rerum nullum reſpectum habet veritas in iudicio. Nec debent hæc in conſiderationem venire: ſed tantùm, quid quilibet ſecundum veritatem & iuſtitiam mereatur, cuiuſcumque vel qualiſcumque conditionis ſit. Solent iudices plerumque muneribus diuitum vel potentum corrumpi, vt contra veritatem iudicent. Hinc Dominus Deuteron. 16. Iudices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum iuſto iudicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies perſonam, nec munera. Quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum. Rurſus alij ex commiſeratione quadam contra veritatem pro pauperibus iudicant, quia pauperes ſunt, & quia plerumque cauſam ſuam coram iudice cum lachrymis & miſerabilibus geſtibus exponere norunt. Nec huius rei licet reſpectum habere, dum veritas eſt in contrarium. Hinc Exod. 23. Non ſequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio, plurimorum acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies. Pauperis quoque nõn miſereberis in iudicio.

Exod. 18. Hinc optima eſt doctrina, quam Iethro affinis Moyſis protulit, pro cunctis qui ad exercenda iudicia aſſumuntur. Prouide, inquit, de omni plebe viros ſapientes & timentes Deum, in quibus eſt veritas, & qui oderunt auaritiam: & conſtitue ex eis Tribunos & Centenarios, Quinquagenarios & Decanos, qui iudicent populum in omni tempore.

tempore. Conſilium breue, ſi verba conſideres; ſed longè optimum, & quod ſub pau- QVATVOR
cis verbis multa & magna complectitur. Quatuor ſunt quæ requirit in iudicibus & ma- IVDICIS BONI
giſtratibus, ſapientiam, timorem Dei, veritatem, & odium auaritiæ CONDITIONES.

Sapientia eſt omnibus iuſtitiæ præfectis apprimè neceſſaria, vt nimirum per eam diſ-
cernere norint inter bonum & malum, iuſtum & iniuſtum, verum & falſum. Iudex abſ- I.
que ſcientia & doctrina, perinde eſt atque oculus aut candela ſine luce. Attamen ſcien- SAPIENTIA.
tia iuris omniſque doctrina non reddit ſola iudicem bonum & perfectum: quinimo, ſi
coniuncta ſit peruerſitati mentis aut voluntatis, multorum malorum cauſa eſt. Proinde,
ſi alterum eſſet eligendum, præſtabilius eſſet habere iudicem indoctum & bonum,
quàm doctum & malitioſum.

Ideò, pro ſecunda conditione requirit in iudice, timorem Dei. Qui illo præditus eſt, II.
exercebit iuſtitiam iuxta dictamen bonæ conſcientiæ & mandatorum Dei: curabit ante TIMOR DOMINI.
omnia, vt Deus honoretur & colatur, ſecundùm legem & voluntatem ſuam; nec inul-
tum eſſe patietur, ſi quis aliter ſe habere velit: amabit proximum ſuum, vt ſeipſum; quo-
niam hoc Deus vult & præcipit: quapropter, operam dabit ſedulò, ne quid in exercitio
officij ſui committat contra vtilitatem vel honorem proximi ſui, & quod ſibi ipſe fieri
nolit. In ſumma, conficiet tamquam librum quemdam rationalem, in quo ſtudia omnia
& actiones ſuas conſcribet: vt quum opus erit, illi ſupremo omnium iudici de omni-
bus rationem reddat.

Tertiò, vult bonus Iethro, iudices conſtitui, in quibus ſit veritas. Hæc eſt virtus de qua III.
loquimur; virtus quæ gemma eſt & ornamentum primarium omnium bonorum iudi- VERITAS.
cum & magiſtratuum, omniumque virtutum ijs maximè neceſſaria. Hæc facit, vt iu-
dex in omni materia, tam ciuili quàm criminali, nudam rerum veritatem quærat: quam-
liber aliquis à quopiam accuſetur, alteram ſemper aurem, cum Alexandro Magno, accu-
ſato clauſam retineat, vt is quoque in ſui defenſione audiatur. Calumnias autem omnes,
mendacia, fraudes, dolos malos, ceu peſtes quaſdam, procul arcebit à tribunali ſuo, nec
impunè eſſe permittet, quum deprehenderit. Scribit Diodorus Siculus, Ægyptios olim
ſolitos eſſe, primarijs prouinciarum iudicibus imaginem veritatis de collo appẽdere: cum-
que iudicis perſonam pingebant, hominem pingebant ſedentem inter libros, oculis ſe-
miclauſis, cum imagine veritatis de collo dependente. Quâ re ſignificabant haud dubiè,
iudicem numquam debere oculos ſuos à veritatis conſideratione deflectere, ſed omnia
ſemper ex eius dictamine & præſcripto decernere.

Quartum & poſtremum, quod iuxta antedictam doctrinam in iudice requiritur, eſt, IIII.
vt oderit auaritiam. Quibus in verbis notandum, non requiri ſimpliciter vt iudex non ODIVM
ſit auarus, verùm vt oderit auaritiam. quod ſanè plus aliquid eſt, quàm non eſſe aua- AVARITIAE.
rum. Qui odit aliquid, is illud ne videre quidem ſuſtinet, & perſequitur quantum
poteſt. ita iudex auaritiam odiſſe iubetur: non ſolùm videlicet vt illam non committat
ipſe, vel corrumpi ſe ab ea patiatur; ſed vt in alijs eam quoque ſeuerè puniat, & vbique
locorum extinctam cupiat. Quod vitium ſi ad eum modum oderit, ſimul ab omnibus
alijs vitijs & corruptelis, cùm ſeipſum tum populum cui præeſt, immunem ſeruabit:
cum auaritia radix ſit, etiam Apoſtolo noſtro teſte, vitiorum & malorum omnium. Ra-
dice autem ſublata, tota arbor cum fructibus intereat neceſſe eſt. Inter alia mala infinita,
quæ iudicum vel magiſtratuum auaritia generat, videmus litium & proceſſuum duratio-
nem perpetuam: dum volunt miſeros litigantes ſeruire ſibi tamquam pro vaccis lacta-
rijs, vnde ſemper nouum mulgeant quæſtum. Quò fit, vt miſer populus à ſanguiſugis
illis ſpolietur, atteratur, & exedatur vſque ad oſſa: quod eſt peccatum clamans in cælum.
Cuius exemplum habemus aliquod etiam in Sacris litteris, Actorum 24. vbi Felix Iudææ
præſes Paulum Apoſtolum diu vinctum retinebat, frequenterque accerſebat & loqueba-
tur cum eo: Sperans (inquit Lucas) quòd pecunia illi daretur à Paulo.

Qui ergo auaritiam oderit, ab omnibus huiuſmodi concuſſionibus & expilationibus
abſtinebit; citò ac diligenter cauſas examinari, ius dici, ſuum cuique tribui faciet: popu-
lumque à multis, non inutilibus modò & ſuperuacuis, ſed iniuſtis etiam ſumptibus &
moleſtijs liberabit.

CAPVT

CAPVT XII.

Reliquorum Eſdræ verborum interpretatio, in laudem Veritatis.

QVOD dicit apud Eſdram de veritate Zorobabel, omnes benignari in operibus eius; obſcurè dictum eſt ab interprete, nec vllum Latinè ſenſum habet. Poteſt autem exponi dupliciter: vel quòd omnes proſperantur in operibus veritatis, quod antè oſtendimus eſſe veriſſimum; vel, quòd omnes qui bona mente præditi ſunt, benè, laudabiliter, & honorificè de veritate loquuntur. Eligat Lector interpretationem quam voluerit; aut ipſe quoque aliam afferat meliorem. Quod proxime ſequitur; Et non eſt in iudicio eius iniquum; ſatis eſt in ſuperioribus declaratum. Veritas omnia iudicia iuſta, recta, & bona reddit: & ſine ipſâ, iniuſta, mala, vitioſa, peruerſa ſunt omnia.

Sequitur; Sed fortitudo, & regnum, & poteſtas, & maieſtas omnium æuorum: ſupple, eſt veritas. Robur & fortitudo, decor, gloria, honor & ſplendor omnium regnorum ac temporum eſt veritas. Vbi ipſa colitur & amatur, ibi bene habent omnia. Veritas iuſtitiam parit, iuſtitia pacem, pax gloriam & affluentiam rerum omnium. Hoc ſuprà exemplis etiam à nobis abunde eſt declaratum.

Reſtat poſtrema Zorobabelicæ de veritate diſſertionis concluſio, quæ eſt: BENEDICTVS DEVS VERITATIS. Pulchrè totam diſputationem finit epiphonemate. quo & ſeipſum & auditores omnes ad amorem veritatis vehemẽter accendit; & vnde tandem ſit, vel ortum habeat veritas, quam tantopere prædicauerat, manifeſtum facit. Benedictus, inquit, Deus veritatis. Ergo fontem veritatis docet eſſe Dominum Deum: qui idem & finis eſt veritatis. Quemadmodum enim omnis veritas ab eo eſt, tamquam à ſumma & prima veritate; ſic omnis veritas ad Dei gloriam tendit, vt nimirum ipſe cognoſcatur, ametur, colatur, laudetur, & adoretur, qui homines veraces facit, tamque vtili & neceſſario mune-
Pſal. 30. re humanam ſocietatem donat. Sic Deum etiam Pſalmiſta appellat, dicens: Redemiſti me Domine Deus veritatis. Proinde, ſic dicitur Deus veritatis, ſicut dicitur Deus iuſtitiæ, patientiæ, miſericordiæ, pacis, charitatis, ſalutis. nimirum, quia hæc omnia hominibus ab eo donantur, & quidem ab eo ſolo. Dicitur etiam Deus veritatis, quia veritatem vnicè amat, curam eius gerit, tutor eius eſt ſingularis, vindex ac defenſor. quomodo dicitur propriè Deus pauperum & miſerorum: quum alioqui ſit Deus omnium. Denique, Deus veritatis dicitur, quia veritas eſt naturæ eius maximè propria; ſicuti humanæ naturæ peccato corruptæ proprium eſt mendacium. Hinc illud Apoſtoli: Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax. Vnde, quemadmodum de Diabolo dicitur; Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: ſic de Deo rectiſſimè dicitur; Cum loquitur veritatem (quod vtique ſemper facit) ex proprijs loquitur. Eius enim natura eſt, integritas, rectitudo, ſinceritas, veritas.

CAPVT XIII.

Quónam modo conſtet, Veritatem regibus omnibus & mulieribus eſſe fortiorem.

ETiam quidem ſatis diſputatio Zorobabelis de veritate explicata videtur. Sed aliquis fortè à nobis quærat (quando nunc ad diſputationis huius finem peruenimus) quonam modo conſtet, veritatem regibus eſſe omnibus & mulieribus fortiorem. Nam de hac comparatione, in negotio fortitudinis, nihil videtur Zorobabel ſingulare dixiſſe vel probaſſe; etſi multa certè & præclara, de laude veritatis & dignitate, vt audiuimus, perorauit. Hac ergo de re nobis vnum præterea atque alterum verbum dicendum eſt; ne vſpiam ſtudioſi Lectoris, & veritatis auidi, iuſto deſiderio, non conemur pro noſtro modulo ſatisfacere. Vt autem de regibus primò loquamur: dum quæritur, ſintne reges fortiores veritate, an veritas regibus; non eſt hîc ſermo de bonis, iuſtis, & pijs regibus: quia illis nulla eſt pugna cum veritate. Quin potiùs omnia illorum ſtudia atque opera ex veritatis amore procedunt, atque ad veritatis promotionem & gloriam diriguntur: & quidquid præclari habent in tota vita, & omnibus geſtis ſuis; reginæ veritati, eiuſque gratiæ & præ-
ſidijs,

ſidijs, debent acceptum ferre. Per me enim (inquit ipſa veriſſimè, Prouerb. 8.) reges regnant,& legum conditores iuſta decernunt: per me Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam. Si ergo omnis bonorum atque illuſtrium regum fortitudo, gloria, & potentia, à veritate proueniat; nulli dubium eſſe poteſt, quin illis fortior & potentior veritas. Quod enim quempiam ſeruat & fortem facit; hoc eo, quem ſeruat & inuictum reddit, fortius ſit oportet. Sed de illis, inquam, ac talibus regibus hîc non eſt quæſtio. Quæritur, cum veritas ſit fortior & potentior malis, impijs, ſceleratis regibus, qui veritatem tota vita ſua, omnibus ſtudijs ac viribus oppugnant & perſequuntur, tantumque illi iniuriæ, tantum damni inferunt.

In hac ſoluenda quæſtione hîc non erimus longiores; quum paulò antè à nobis plenè & perfectè ſoluta ſit. Diximus enim & oſtendimus multis clariſſimis exemplis, ex Sacra deſumptis hiſtoria & ſcriptura, quicumque reges cum veritate bellum geſſerunt, non modò illam expugnare aut opprimere non potuiſſe, ſed ipſoſmet ad extremum à veritate glorioſiſſimè ſuperatos, extremaque & perpetua ignominia affectos fuiſſe. Ipſam autem veritatem perſtitiſſe ſemper, regnaſſe ac triumphaſſe. Verbum his non ampliùs addam.

Sed regibus (inquit Zorobabel) fortiores ſunt mulieres. hocque & rationibus ſcitè probauit & exemplis. Num ergo has etiam fortitudine vincit veritas? An vera fortitudine mulieres regibus præſtant, an potiùs vel quadam tantùm animi ac naturæ calliditate, vel vi quadam formæ & pulchritudinis qua viros alliciunt, vel gratiâ ſermonum ac blanditiarum illecebris, vel ſimilibus rationibus, à nobis hîc minimè diſputabitur. Oratio certè Zorobabelis, qua probare contendit, reges à mulieribus plerumque vinci, de vera fortitudine agere non videtur. Et profectò, ſi reges maximi & potentiſſimi totis ingenij ſui & regni viribus vincere veritatem minimè potuerunt, vt ſufficienter à nobis planeq; oſtenſum eſt; longè minùs id potuerunt mulieres quæuis, ad oppugnandum veritatem quibuſlibet armis ſuis & machinis inſtructiſſimæ. Vt autem hanc rem exemplo etiam vno atque altero clariorem faciamus, inter omnes mulieres nulla vnquam fuiſſe videtur animo magis hoſtili in veritatem, maiuſque ſtudium & laborem adhibuiſſe ad eamdem opprimendam & exſtinguendam, Ieſabele, vxore Achab regis Iſraël. Per mendacium & falſum teſtimonium occidit innocentem iuſtumque Naboth, omnes Dei Prophetas veritatis præcones tulit è medio, habebat ad manum alebatque de menſa ſua octingentos quinquaginta Prophetas falſos, omnes ſpiritu mendacij plenos, totum religionis ſanctæ & veritatis cultum euerterat. ita vt Elias Propheta magno animi dolore quereretur, dicēs; Dereliquerunt pactum tuum filij Iſraël, altaria tua deſtruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam vt auferant eam. Sed quid tandem profecit impuſſima mulier atque inimiciſſima veritati? Num tantis conatibus potuit veritatem exſtinguere, vel quod quærebat, obtinere? Nihil minùs. Nihil ab ea territa fuit veritas: in medijs eius furijs & perſecutionibus protulit veritas contra illam mortis ſententiam, omneſq; eius machinationes & labores in fumum euaſuros prædixit, dicens; Canes comedent Ieſabel in agro Ieſrahel. Et nónne prophetiam veritas conſecuta eſt? 4. Reg. 9.
Cùm enim paucis poſt annis Ieſabel eleganter ornata, oculoſque ſuos depicta ſtibio, è feneſtra ſpectaret Iehu regem ingredientem in ciuitatem, quæſiuit rex quænam eſſet illa, quæ tam ſuperbè ornata in feneſtra iaceret. Et reſpondentibus è feneſtra qui aſtabant; Hæc eſt illa Ieſabel. Præcipitate (inquit) eam deorſum. Et præcipitauerunt eam, aſperſuſque eſt ſanguine paries, & equorum vngulæ conculcauerunt eam. Cumq; introgreſſus eſſet, vt comederet biberetque, ait; Ite & videte maledictam illam, & ſepelite eam, quia filia regis eſt. Cumque iſſent vt ſepelirent eam, non inuenerunt niſi caluariam, & pedes & ſummas manus: reuerſique nuntiauerunt ei. Et ait Iehu: Sermo Domini eſt, quem locutus eſt per ſeruum ſuum Eliam Theſbitem, dicens; In agro Ieſrahel comedent canes carnes Ieſabel; & erunt carnes Ieſabel ſicut ſtercus ſuper faciem terræ, in agro Ieſrahel: ita vt prætereuntes dicant, Hæccine eſt illa Ieſabel?

Ecce victoriam admirabilem & triumphum pulcherrimum veritatis de ſceleratiſſima hac muliere inimica ſua. Qualem etiam exitum habuit Athalia regina, & ipſa odio in veritatem implacabili; quæque omnes artes & vires ſuas exeruerat annos aliquot, vt penitus de terra tolleret veritatem. Sed quàm fruſtrà atque in vanum omnia, docet 4. Regum cap. 11. & 2. Paralip. 23.

CAPVT

CAPVT XIIII.

Myſtica diſputationis, de vino, Rege, muliere, & veritate, explicatio.

PRo vltima diſputationis huius clauſula, ſi quis diſſertionem hanc Zorobabelicam vellet myſtice allegoricéque tractare, nec iniucunda nec inutilis eſſet tractatio. Liceret enim per vinum intelligere humanam mundanámve ſapientiam, quæ ingenium ac mentem velut inebriat, multaque ac mirabilia in mundo operatur. cui illud congruit:

Facundi calices quem non fecere diſertum?

Per Regem verò, mundanam potentiam: quæ quantum valeat, ſatis notum eſt: per mulierem autem, veneream concupiſcentiam & voluptatem, quæ profectò inter humanas affectiones omnium eſt vehementiſſima & fortiſſima. Quibus tamen omnibus præualet veritas. Oſtendimus enim iam paulò antè, veritatẽ nullâ vel potentiâ humanâ, vel ſapientiâ opprimi poſſe; ſed ipſam potiùs tandem omnibus præualere. Et certè, ſi vel in vnam hiſtoriam Ioſeph Patriarchæ oculos velimus conuertere, clariſſimum huius rei longéque pulcherrimum exemplum reperiemus. In illa enim hiſtoria omnia hæc tria, velut coniunctis viribus aduerſus veritatem conſpirarunt: omnis ſcilicet ſapientia humana, calliditas, induſtria fratrum Ioſeph, potentia principis exercitus Pharaonis regis, impudicitia turpiſſima atque ardentiſſima, iræ maximæ vindictæque cupiditati coniuncta, vxoris eius: & quid veritati omnia tantis ſtudijs & conatibus nocuerunt? Nihil aliud quàm quòd tandem illam fecere maiori luce inclareſcere, ampliorique longè maieſtate regnare. Sed ea de re, in proximo capite mox vnum præterea alterumque verbum dicendum eſt.

Iam, ſi conſideremus veritatem ex natura ſua virtutem eſſe, quæ Deo nos commendat & gratos reddit: quale nihil eſt non ſolùm in appetitu venereo, qui in mulieribus dominatur, magiſque multò homines ſuapte natura auertit à Deo quam ad eum adducat, ſed nec in humana etiam omni vel ſapientia vel potentia; hinc multò etiam luculentiùs conſtabit, quanto dignior, nobilior, potentior ſit veritas hiſce omnibus. Et ſi ad hanc rationem Zorobabel, de veritatis potentia ac fortitudine diſſerens, reſpexiſſe non videtur: hic ſenſus Scripturæ, quo per vinum mundanam accipimus ſapientiam, per reges potentiam, per mulieres veneream concupiſcentiam, etſi nonnihil in ſe allegoriæ continet; tamen non procul recedit à littera. Sed de hac materia iam fortè plus ſatis.

CAP. XV.

Quis ſit ſenſus huius prouerbij; VERITAS FILIA TEMPORIS.

HVIVS explicationem prouerbij videmur non incongruè ijs ſubijcere quæ de inuicta veritatis fortitudine proxime diſſeruimus: ne videlicet aliquem fortè moueat, quòd veritas non ſtatim vincit omnia. Nouit ipſa tempus ſuum, ſuæque victoriæ opportunum: illud non patitur præterire, etſi aliquamdiu in tenebris lateat, oppreſſaque & extincta eſſe videatur. Ita homines quoque videmus prudentes & fortes, non omni tempore vincere velle, aut conari, aduerſarios ſuos: quin cedunt etiam interdum, ſeque nonnihil vinci patiuntur, vt pòſt meliùs, ſecuriùs & glorioſiùs vincant. Non eſt ergo mirum, ſi veritas quoque ad vincendum, temporis opportunitatem expectat. Hinc veteres illam vocarunt, filiam temporis: quòd etſi non ſemper ſtatim prodeat; tamen emergat cum tempore. iuxta illud; Tandem bona cauſa triumphat. &, In fine vincit veritas. Aulus Gellius lib. 11. Noctium Atticarum cap. 12. refert, Philoſophum quemdam, Peregrinum nomine, dicere ſolitum; Sapientem virum non peccaturum, etiamſi peccaſſe eum Dij atque homines ignoraturi forent. Non enim pœnæ aut infamiæ metu non eſſe peccandum cenſebat, ſed iuſti honeſtique ſtudio & officio. Si qui tamen non eſſent tali vel ingenio vel diſciplina præditi, vti ſe vi ſua ac ſponte facilè à peccando terrerent, eos omnes tunc peccare procliuiùs exiſtimabat, cum latere poſſe id peccatum putarent, impunitatemque ex ea latebra ſperarent: At ſi ſciant, inquit, homines, nihil omnino rerum diutiùs poſſe celari, ſuppreſſiùs prudentiuſque peccabitur. Propterea verſus iſtos

Sopho-

Sophoclis prudentiſſimi Poëtarum in ore eſſe habendos dicebat; Ob iſta ne quid occulas: ſiquidem intuens cuncta, audiénſque cuncta proferet dies. Alius quidam (ſubdit Gellius) veterum Poëtarum, veritatem temporis filiam eſſe dixit. Ita Seneca Philoſophus lib. 2. de Ira: Dandum ſemper tempus eſt: veritatem enim dies aperit. Hinc Tertullianus in Apologetico contra ethnicos: Benè, ait, quòd omnia tempus reuelat: teſtibus etiam veſtris prouerbijs atque ſententijs.

Quibus omnibus prorſus ſimile eſt illud quod à Chriſto Domino formâ loquendi prouerbiali dicitur: Nihil opertum, quod non reuelabitur; & occultum quod non ſcie- *Matth. 10.*
tur. Hoc Chriſtus accommodat ad ſuum propoſitum. Dixerat diſcipulis proxime ante hanc ſententiam: Si patrem familias Beelzebub vocauerunt; quantò magis domeſticos eius? ne ergo timueritis eos. Senſus eſt: Scitis quibus contumelijs me afficiant quotidie, habeor pro improbiſſimo homine, pro ſeductore, pro amico & fautore peccatorum & publicanorum: imò non verentur me appellare diabolicum. Talia vos quoque manent pro nomine meo. Sed bono animo eſtote: patienter ferte ad tempus: breui futurum, vt cognoſcat mundus quiſnam ſim, & quæ mea ſit cauſa; quæ item veſtra. Quod nunc adhuc occultum eſt, aliquando palàm fiet: quod nunc magno ſtudio ab aduerſarijs meis præcipuéque à principe huius mundi tegitur & ſupprimitur ne videatur, & cognoſcatur, & ametur; detegetur aliquando, lucemque, & bonitatem, & dignitatem ſuam oſtendet omnibus. Tunc & vos mecum in gloria eritis, & aduerſarij noſtri extremam ignominiam ſuſtinebunt. Quid opus eſt multis verbis? Scitis commune prouerbium. non fallet hîc etiam quod omnibus eſt in ore, quodque omnis rerum ac temporum experientia conſtat eſſe veriſſimum: nempe, Nihil opertum, quod non reueletur; nihil occultum, quod non ſciatur. Proinde, fortiter ſtate in aduerſis omnibus; nihil vobis ab iſtis hominibus metuentes. Veritas, quam tanto ſtudio nunc opprimere laborant, illos aliquando omnes pudefaciet; vobis autem qui pro ea certaueritis, gloriam & laudem afferet immortalem. Vt non poteſt ignis ſemper ſub veſtimentis abſcondi, nec ſol ſub nubibus; ſic veritas non ſemper hominum mendacijs & fraudibus opprimi poteſt.

Duplex eſt ergo vſus huius prouerbij; Veritas eſt filia temporis: ſiue illius, quòd Chriſtus; Nihil abſconditum quod non ſciatur. Vnus, pro conſolatione illorum qui iniuriam patiuntur, quique improborum hominum mendacijs, fraudibus, & calumnijs opprimuntur. Non enim mediocriter vrit homines bonos, quod cùm inſontes ſunt, pro ſontibus habeantur & affligantur: quodque veritas, quam tuentur, ſic peſſumdatur. Debent ergo illi cogitare, fore aliquando tempus, quo veritas in lucem veniat, & improborum hominum putida mendacia cognoſcantur ab omnibus: quo & ſua ipſorum innocentia, & aduerſariorum improbitas ac malitia patefiat. tuncque tantò clariorem & maiorem futuram ipſorum gloriam, quantò magis antè afflicti atque oppreſſi fuerunt.

Huius rei exempla ſunt multa atque illuſtria. Nonnulla quidem eorum, quorum innocentia in hac etiam vita patefacta eſt: alia verò illorum, qui in futuro demum ſæculo, quales fuerint, cognoſcentur. In hac etiam vita patefacta eſt veritas cauſæ Ioſeph & Suſannæ, eorumque integritas & innocentia. Longo ſanè tempore oppreſſa ac velut ſepulta fuit improborum hominum ſtudijs veritas, cùm multiplicis innocentiæ Ioſeph, tum ſomniorum quæ viderat & expoſuerat fratribus ſuis. Ipſe mortuus eſſe atque à feris beſtijs in agro deuoratus dicebatur: reuerà autem venditus erat vt mancipium alienigenis mercatoribus, ac deportatus in terram longinquam: iamque anni præterierant quatuordecim, quindecimve, quòd nihil de eo penitus fuit auditum. Quis tunc non crediſſet eum iamdiu mortuum eſſe, vel miſerrimè alicubi agere inter extraneos? præcipuè verò, falſiſſima eſſe omnia atque in nihilum redacta, quæ de ſomnijs ſuis narrauerat; veras autem accuſationes de illo fratrum ſuorum, quibus eum olim apud patrem grauarât? Atqui non mortua erat veritas omnis, ſed dormiebat dumtaxat tanto tempore: cùm iamdiu euanuiſſe crederetur; in lucem prodijt, ſeque ad verecundiam inimicorum ſuorum omnium palàm cunctis oſtendit. In futura autem vita, vel ſaltem poſt mortem, patefacta eſt, magiſque etiam multò patefiet in extremo iudicio, innocentia Chriſti Domini, Apoſtolorum, Prophetarum, Martyrum, & ſimilium. Tunc dicent impij: Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem eorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt. Hoc eſt, quod Paulus etiam dicit, Coloſſ. 3. Nunc vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: cùm autem Chriſtus apparuerit vita veſtra; tunc & vos apparebitis cum eo in gloria.

Arduum quidem & moleſtum eſt carni infirmæ, poſt mortem demum patefieri noſtram innocentiam. Quin etiam vel ad horam aut breue aliquod ſimile tempus illam abſconditam manere durum eſt; quantò magis vſque ad mortem, & pòſt etiam longo tempore: Ideò Chriſtus ſuam etiam cauſam talem eſſe voluit, & ipſe caput eſſe omnium quorum innocentia vſque ad mortem illorum opprimitur, quo tanto leuiùs tam longam iniuriam ferre diſcamus. Et quamquam Chriſti iuſtitia poſt mortem & reſurrectionem eius maiorem in modum patefacta fuit; tamen perfectè demum poſt mundi finem manifeſtabitur vniuerſis.

CAPVT XVI.

Alius adhuc eiuſdem Prouerbij ſenſus & vſus.

ALTER huius prouerbij & ſententiæ vſus eſt, ad terrendum à malefactis ingenium hominis, quod corruptum, ad malum procliue eſt; & tamen ferre non poteſt, vt ſcelera quæ deſignat manifeſta fiant. Hinc illud: Omnis qui male agit, odit lucem. proinde, ſtudent mali atque improbi homines, non vitare peccatum, ſed occultare tantummodò.

Sed quum Deus ſit iuſtus iudex, ſicut non patitur innocentium hominum iuſtitiam ſemper occultam manere, vt aliquando debitam gloriam conſequatur; ſic nec impiorum hominum malitiam, vt ſuam congruo tempore ignominiam ferat. Reuelatur illa quoque ſimiliter vel in hac vita, vel ſaltem in futura; quemadmodum de bonorum innocentia diximus. De hac vita eſt exemplũ Dauidis 2. Regum 12. Tu feciſti in abſcondito; ego autem faciam in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu ſolis huius. Huc pertinet, quod
2. Tim. 2. Paulus Apoſtolus de hypocritis & ſeductoribus ait; Vltrà non proficient: inſipientia enim illorum manifeſta erit omnibus. Item illud Eccleſiaſtæ 10. In cogitatione tua regi ne detrahas; & in ſecreto cubili tuo ne maledixeris diuiti: quia & aues cæli portabunt vocem tuam; & qui habet pennas annuntiabit ſententiam. Hiſtorijs proditum eſt, homicidia ac latrocinia quædam occulta, proditiones, veneficia, & ſimilia ſcelera, miro quodam modo, indicijs auium, & neſcio quarum ſimilium rerum, quum nemo inquireret, Deo volente, ſubitò in apertum veniſſe, & condignum ſupplicium accepiſſe. Quem in ſenſum ab Steſichore ſcriptum eſt, cicadas in campis ſonare tyrannorum ſcelera, & petere à Deo vindictam.

Veritas, inquit Polydorus Virgilius, numquam ſomnum capit, ſed interdum iniurijs improborum hominum oppreſſa, malitiâque incluſa atque abdita, in occulto latet; at mox egreſſa, fortiter in ſibi repugnantes venit. Annon legiſti lib. Regum 3. cap. 2. quemadmodum Ioab, Dux exercitus Dauid Regis, morte demum iuſſu Salomonis affectus fuerit? Is enim, clam rege Dauid, nonnullos præclaros viros necauerat. Quâ re longo pòſt tempore cognitâ, pœnas commiſſorum dedit. Ecce Ioab veritatem inuenit non dormientem; quam neſciens eſſe immortalem, mortuam iam eſſe ducebat, quæ ita eius parricidia poſtremùm iudicauit. Sic ille. De ſceleribus hominum impiorum manifeſtandis in die iudicij, multi ſunt loci in Scripturis ſacris. Huc pertinere videtur illud Iſaiæ 29. Væ qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium: quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt; Quis videt nos, & quis nouit nos? Peruerſa eſt hæc veſtra cogitatio. Item Iob. 20. Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra conſurget aduerſus eum: apertum erit germen domus illius, & detrahetur in die furoris Dei.

Timeant ergo ſibi, quotquot malitiam ſuam hîc tantopere tegere & occultare laborant, à facie mundi: adulteri & adulteræ, miniſtri & ſerui ad oculum ſeruientes, mercatores iniqui & ſubdoli, qui confidunt ſe perpetuò malitia atque aſtutia ſua tectos fore. Vbicumque enim ſumus, & quamlibet ſecretò quippiam agimus, vel etiam cogitamus tantummodò; ſemper verſamur in conſpectu Dei, ſummæ æternæque veritatis, cuncta cernentis. qui illuminabit aliquando abſcondita tenebrarum; manifeſtabit conſilia cordium, & iudicabit occulta hominum, vt habet Apoſtolus 1. Cor. 4. & Rom. 2.

Ad extremum hîc notandum, quemadmodum ſuprà diximus, Tertullianum hac ſententia, Veritas eſt filia temporis, vſum eſſe aduerſus gentiles, cùm illorum iniurijs & perſecutionibus veritas Chriſtiana longo tempore oppreſſa iaceret; quibus verbis ſubindicabat, etſi ita aliquamdiu lateret veritas, non ſemper illum ac talem rerum ſtatum fore, ſed emerſuram aliquando è latebris, lucemque ſuam ſparſuram longè lateque per totũ mundum;

dum, cumque tam charam & pretioſam cunctis futuram, quàm antè inuiſa fuit & odioſa, quod & re ipſa contigit: ſic nos modò iiſdem huſce verbis vti poſſe non ſolùm aduerſus hæreticos omnes huius temporis, qui magno certè opere multis locis obſcurant ac depriment veritatem, ſed etiam contra Turcas omnes & Mahometanos: à quibus quantum detrimenti multis iam ſæculis veritas Chriſtiana acceperit, & ſcimus omnes, & non iniuriâ deploramus.

Capvt XVII.

Etiam contra diuturnam Turcarum tyrannidem, quemadmodum contra hæreticos omnes, aliquando conſtabit, quòd ſit filia temporis, Veritas.

QVOD autem execrabilis hæc Mahometica ſuperſtitio, & tamdiu ſteterit, & tantum ſemper incrementi hactenus ceperit, ita vt longo iam tempore magnam & meliorem partem non Aſiæ & Africæ tantùm ſed Europæ etiam occupauerit; in cauſa eſt præcipue, vt non ſolùm Turcæ ipſi & Mahometani exiſtiment illam eſſe ipſiſſimam veritatem, ſed multis etiam Chriſtianis non parum interdum dubitationis inuciat: dum hoc tantùm præ oculis habent, veritatem fortem eſſe, omniaque vincentem; quod in Mahometica ſuperſtitione vel maximè locum hactenus habere videtur: parum conſiderantes, veritatem (etſi omnium rerum fortiſſima ſit) filiam tamen interim temporis eſſe, nec ſtatim vincere, ſed ſuo tantùm opportunoque tempore.

Atqui Turcica hæc religio (dicat aliquis) iam totis plùs minùs mille annis durauit; nec durauit ſolùm, ſed noua ſemper & maiora incrementa cepit, vt iam diximus; nec vis vlla aut ratio obſiſtere potuit, ſed ipſa potiùs ſemper vicit omnia: quî fieri hoc poſſet, ſi non eſſet in veritate fundata? Hic nodus non eſt tam difficilis ſolutu, quàm multis videri queat. In primis enim, multitudo non arguit bonitaté, aut veritatem. Agnouerunt etiam gentiles, numquam tam benè actum fuiſſe cum rebus humanis, vt meliora placuerint pluribus. Eſt quidem Mahometana religio per omnia tam ſtulta & prodigioſa, tam anilibus fabulis, tam portentoſis mendacijs plena, tamque prorſus ab omni rationis & veritatis colore aliena; vt vel ſolà relatione abunde confutetur. adeoque ſeipſam euertit & confringit: nec nos adeò cum illa pugnamus, vt ipſa ſecum.

Sed hic primùm obſeruare eſt ingentem corruptionem humanæ naturæ. Tale eſt ingenium carnis, tanta peruerſitas, vt in cauſa certiſſima veritatis Dei, & ſalutis æternæ, nec hominibus credat, nec angelis, nec Deo ipſi. Patet etiam in diſcipulis & Apoſtolis Chriſti, cùm de eius reſurrectione agebatur (vt ceteros fidei articulos taceam) Deo, inquam, ipſi non creditur de ſeipſo; vel de Filio ſuo, aliiſve de rebus vera & ſalutaria prædicanti. Ibi ſigna multa & experimenta quæruntur, & magna ad credendum difficultas ac tarditas. At verò Sathanæ falſa & noxia de Deo vel de quibuſlibet alijs rebus proponenti, ſine experimentis vel ſignis vllis, fides mox adhibetur. Exemplum præbent luculentum primi parentes noſtri. Nec vllæ vmquam nugæ tam abſurdæ hominibus propoſitæ fuerunt, nullæ tam falſæ, tam impuræ, tam ineptæ, tam alienæ à vero hæreſes excogitatæ atque in medium productæ, quin multos ſtatim inuenerint qui crederent, reciperent, ſequerentur, defenderent: vt mirum non ſit, Turcicam etiam & Mahometicam ſuperſtitionem magnam partem humani generis, progreſſu temporis, dementaſſe; illis præcipuè adiunctis circumſtantijs, quas mox dicemus. Nec vlla inde ratione ſequitur, Turcicam illam religionem meliorem eſſe Chriſtianâ; vel Mahometum Chriſto eſſe fortiorem, quia tam multos à Chriſto ad ſe pertraxerit. Si enim hoc argumentum bonú eſſet & validum; ſequeretur, Sathanam Chriſto vel Deo fortiorem eſſe. Multò enim plures ſine vlla comparatione Diabolus ab initio mundi ſeduxit à Dei cultu, atque ad idololatriam & ſui cultú pellexit, quàm Mahometus Chriſto ademit. Et cur eodem argumento non colligimus, malos improboſque homines, qui nullo negotio homines ſeducunt ad peccatum magno numéro, præſtantiores eſſe, omniq; laude digniores bonis ac iuſtis; qui omnibus conatibus ac laboribus ſuis vix paucos aliquot Chriſto & pietati lucrari queunt?

Nec valde mirum eſt, Mahometem multis hominibus legem ſuam facilè perſuadere, vel multos illi potiùs breui tempore ſubijcere potuiſſe. Primùm enim, ſæculo fuit non

 modò

modò omnis inſcitiæ pleno, ſed longè etiam omnium moribus corruptiſſimo, vt omnes ætatis illius ſcriptores teſtantur, ac planè tali cuiuſmodi Paulus Apoſtolus deſcripſit, atque præuidit, dicens: Quia charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent; mittet illis Deus ſpiritum erroris, vt credant mendacio. &: Hoc autem ſcito, quòd in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, &c. voluptatum amatores, magis quàm Dei: habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegãtes. Huiuſmodi hominibus, cùm libertatem quiduis agendi Mahometus offerret, quid mirum ſi paruo negotio ſeducere illos potuit?

2. Theſſ. 2.
2. Tim. 3.

CAPVT XVIII.

Origo Mahometici regni, quâ primum occaſione prorepſerit.

AD hæc, notum eſt Agarenos ſiue Arabes, (quos inter natus & educatus eſt Mahometus, quibuſque ſeipſum regem tandem fecit) homines fuiſſe omni tempore feros, barbaros, rudes & craſſos: qui de bello & armis faciliùs iudicarent, quàm de lege & myſterijs Dei, de veritate, iuſtitia, ſapientia, & ſimilibus. Hi ab Romano Imperatore Heraclio, in fine vitæ ſuæ otio, luxui, intemperantiæ, libidini operam dante, ob negata militiæ ſtipendia, quæ ſub eo quondam ac ducibus eius meruerant, irritati, ab obedientia Romani imperij deceſſerunt: ac Mahometo qui iam multis latrocinijs & bellis feliciter geſtis nomen inter alios obtinebat, duce ac rege ſibi conſtituto, digno ſcilicet patella operculo, nihil illis fuit promptius, quàm in odium Romani Imperatoris, renuntiare etiam Mahomete ſuggerente Chriſtianæ Religioni: vt fit cùm odium exacerbatur. Quemadmodum videmus quotidie euenire, vt alij artem fabrilem in odium fabri alicuius, alij philoſophiam offenſi à Philoſopho, alij Catholicam Religionem in odium Sacerdotum (à quibus ſeſe offenſos putant) oderunt atque abijciunt. Sic olim decem tribus Iſraël cum defeciſſent à domo Dauidis, Ieroboam ſibi nouo rege creato, paternam etiam legem vniuſque veri Dei veram religionem ſpreuerunt. Aſiatici quoque in Aſia cum pietatem noſtram & Baptiſmum recepiſſent, miſerunt Ieroſolymam legatos ad Patriarcham, qui eos de fide exactiùs inſtrueret. in reditu, cùm Legati eſſent à Chriſtianis fortè quibuſdam ſpoliati, & male habiti, in eam iram exarſerunt, vt pietati & religioni omni mox renuntiarent, ob vnius atque alterius Chriſtiani iniuriam. Sed ad rem.

Cùm Mahometus, homo callidus ac nefarius, ſibi Agarenos hac occaſione adiunxiſſet, & videret ſe ob generis ignobilitatem atque inſ[illegible]iam quæ erat in eo maxima, non paucis eſſe contemptui, & grauiora metueret; vt ab illo contemptu ſe vindicaret, cœpit artibus ſuis diuinitatem quandam, quod eſt apud ſtolidum & imperitum vulgus facimum pariter & efficaciſſimum, prætendere: non iam ſe principem ſolùm & ducem ſe rens militari fauore electum, ſed Prophetam quoque ac nuntium Dei omnipotentis, vt obtentu diuinitatis omnes haberet dicto audientes. Caput totius negotij erat, Deum miſiſſe primò humano generi Moyſem, hinc Ieſum Chriſtum, inſtructos miraculis ad confirmationem legis ſuæ. at verò homines illis non fuiſſe obſequentes: proinde, miſiſſe tandem Mahometum ſine miraculis, ſed cum armis, vt quos non mouiſſent miracula, cogerent arma. ſe futurum poſtremum Dei nuntium ac legiſlatorem, nec futurum poſt ea alium. Fertur initio periculum feciſſe num prædicando quidquam apud ſuos proficeret, Prophetarum more; circumijſſe per ciuitates & prouincias, & prædicaſſe per ſe & per ſuos: cum autem cerneret ſe perpaucos hac ratione lucrari, ad arma conuerſum eſt, vique & gladio compuliſſe ad obſeruationem legis ſuæ, quos ſermone & prædicatione non potuerat: eademque via ac ratione legem perpetuò conſeruaſſe. Quemadmodum enim vi & armis imperium retinetur, ſic & ſecta. Vnde & dixiſſe fertur, tamdiu legem ſuam duraturam, quamdiu ſuorum victoriam. Scilicet conſcius erat ſibi, non in ice[illegible] perſuaſione & veritate ſitam eſſe, ſed in violentia. Ideo & quatuor eam veluti vallis muniuit, ne qua aditus pateret ad eam ſubuertendam. Primum, quòd iubet eos ſtatim interfici, qui Alcorano, ſeu libro legis ſuæ ac præceptorum, contradicerent. Alterum, quod vetat cum hominibus diuerſæ religionis diſputare. Tertium, ne cuiquam credant aut [illegible]dant niſi Agareno. Quartum, vt ſegregent ſe prorſus ab alijs: & cum fortè à quoque premuntur, dicant, Mihi lex mea, tibi tua: vos ab eo quod ego facio ac iubeo eſtis liberi, ego viciſſim ab eo quod vos. Talibus ſcilicet munimentis tuta erit cuiuslibet ſcurræ [illegible]

no[illegible],

bonis, tyranni voluntas & inſtitutio. Sed non aliud erat Mahometus: imò longè peior cunctis ſcurris, lenonibus & tyrannis.

At qualis tandem erat lex eius? Qualem ſciebat placituram craſſis illis, militaribus, ad omnem luxuriam atque improbitatem pronis hominibus. Talia ſunt pleraque omnia quæ præcipit, vt homines nec pœnis legum ab iis auerti ac deterreri queant. Sed illi tantum propoſitum erat gratificari deſiderijs illorum, apud quos regnum captabat. Hominibus egenis & rapto viuere aſſuetis rapinas permiſit: & vltionem etiam lege ſanxit. Infeſtentem, inquit, vobis iniurias vel moleſtias, ſimilibus malis afficite. Hoc ſumpſiſſe videtur ex illo Moyſis male intellecto; Oculum pro oculo, dentem pro dente. Vnicuique tot vxores permiſit, quot alere poſſet; & leui de cauſa diuortium ac repudium. Cùm ieiunium præcipit, abſtinere à cibis mandat vſque ad ſerum, deinde verò edere & bibere vſque ad auroram. Quid poteſt dici magis contra rationem ac naturam? Beatitudinem poſt mortem poſuit, quæ magis porco quàm homini conueniat. Plura de lege eius nimis indignum eſt recenſere. Quid ergo mirum ſi homines ad voluptates carnis & vitia omnia natura procliues magno vbique numero ad ſe pellicere potuit? Quid mirum ſi illam ac talem legem homines corruptiſſimi præferunt Chriſti legi, quæ & patienter ferre iniurias, & inimicis etiam benefacere iubet; & propter inuiſibilia ac futura præmia cunctis mundi voluptatibus renunciare, omniaque potius dura atque acerba ſuſtinere, quàm modeſtiam, humilitatem, iuſtitiam, veritatem, ſobrietatem, caſtitatem, charitatem, fidem, pietatem violare?

Nimirum eamdem rationem ſecuti, eademque planè via ingreſſi ſunt hæretici noſtri temporis in ſeducendis hominibus; doctrinam eis blandam, facilem, voluptatum & commodorum temporalium plenam proponentes. Nihil eſſe ieiunandum, à nullis cibis vllo vmquam tempore abſtinendum, nulli penitus negandum coniugium, nec decimas nec quidquam aliud ſoluendum Eccleſiaſticis. numquam confitenda peccata Sacerdotibus, ad nihil quemquam cogendum, &c.

Cui poteſt mirum eſſe, vel parum credibile, quòd huiuſmodi doctrinâ magnam partem populi Chriſtiani ſeduxerunt? Quod ergo de humano genere ante Chriſti aduentum ſcriptum eſt, quòd dimiſit Deus omnes gentes ingredi vias ſuas; ſic nimirum iuſtiſſimo Deo alia peccata per alia puniente, præcipueque peccata carnis, gulam, ebrietatem, luxum, libidinem, intemperantiam, omnis generis impudicitiam, itemque auaritiam, iniuſtitiam, &c. per mentis cæcitatem, infidelitatem, hæreſim, apoſtaſiam, idololatriam, &c. hoc plane etiam iuſto Dei iudicio, tum ſeductis ab hæreticis, tum Saracenis, Turcis, & Mahometanis omnibus, accidiſſe iudicandum eſt.

Et, ſi rectè hiſtoriam Euangelicam litteraſque perſpicimus Apoſtolicas, inueniemus hæc omnia à Chriſto & ab Apoſtolis eius ſatis clarè ad gloriam diuini nominis atque ad electorum inſtructionem iuxtà & conſolationem prædicta eſſe. Chriſtus enim in Euangelio de nouiſſimis mundi diebus loquens: Quia, inquit, abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Item; Filius hominis veniens, putas inueniet fidem ſuper terram? Quò referendum eſt & illud, toties in Euangelio tam ſeriò repetitum; Multi ſunt vocati, pauci verò electi. *Matth. 24.*

Quemadmodum autem hæc ſciuit & prædixit Dominus; ſic non minùs apertè prædixit, omnibus huiuſmodi apoſtaſiis, hæreſibus, ſectis, ſcandalis mundi, veritatem doctrinæ ſuæ ac religionis Chriſtianæ numquam penitus oppreſſum vel extinctum iri, ſed permanſuram ſemper, etſi non iiſdem ſemper locis, vſque ad mundi finem. Hoc ſignificant Scripturæ illæ; Portæ inferi non præualebunt aduerſus illam. item; Ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi. *Matth. 16.*

CAPVT XIX.

Petri nauicula (in qua ſola Veritatis ſedes) omnem perfidiam, contra eam ſe extollentem, inuicta confringet.

ATQVE ita Petri nauicula, in qua ſedes eſt propria veritatis, fluctuando per vndas & procellas maris huius, hoc eſt per aduerſa & proſpera vitæ præſentis, omni genere perſecutionum ceu terribilium ventorum vndiq; flantium reflantiumque iactata, ſalua

atque

atque infracta durabit vſque ad diem Domini, & mundi finem; nec ſubmergetur aut peribit vnquam. Quinimo, omnem religionem, ſuperſtitionem, doctrinam contra ſe extollentem ipſa tandem confringet atque in nihilum rediget. Quare nihil eſt quod Turcica vel Mahometana perfidia, quamlibet diu durauerit & longe adhuc lateque pateat, aduerſus Chriſtianam veritatem glorietur, vel ſe eſſe puram putamque veritatem iactet. Fuit veritas Chriſtiana ante Mahometanam perfidiam, & poſt illam erit: vidit initium eius; videbit & finem. Multo latius longiuſque regnauit, multoque diutius olim durauit gentilium & paganorum ſuperſtitio: multo plures vires habuit [illegible] nunc habeat vel vnquam habuerit religio Mahometica. Si illam ergo veritas Chriſtianæ religionis vincere tandem atque extinguere potuit, non debet Mahometica ſuperſtitio dubitare, quin idem illi aliquando continget. Quod ſi non fiet ante finem mundi, tunc ſaltem futurum eſt. Tunc veritas Chriſtiana, ſuper omnem talem doctrinam, ſuper Ethnicam, Iudaicam, Hæreticam, Mahometanam perfidiam, caput eriget: tunc palam ab omnibus cognoſcetur eſſe filia temporis: tunc ſectas illas omnes pedibus conteret, de iiſque triumphabit in æternum.

Quamquam bona ſpes habet multos bonos pioſque fideles & Chriſtianos, ſinceræ veritatis cultores & amatores, futurum, vt regina veritas nõ tamdiu differat de perfidia Mahometica, ceteriſque omnibus mundi huius ſectis nefariis, triumphare. ſed vbi ſatis ira Dei atque iuſtitia, malorum Chriſtianorum aliorumque omne genus hominum peccata punierit, renouaturum orbem terrarum, totumque vbique genus humanum conuerſurum ad cultum ſinceræ pietatis & veritatis. vt fiat vbique terrarum vnum ouile & vnus paſtor. Et certe credibile eſt, perfidos Iudæos vbique locorum ante mundi finem, ad Chriſtianæ pietatis cultum venturos; id quod multi Eccleſiæ Doctores ex vndecimo cap. ad Romanos colligunt; non valde alienum videtur, idem de Mahometanis ceteriſque [illegible] veritati [illegible] exiſtimare.

CAPVT XX.

Nihil euincunt ſigna, quæ Mahomet aliquando viſus eſt facere, in doctrinæ ſuæ confirmationem.

ATQVI ſigna magna & miracula fecit Mahomet in confirmationem doctrinæ ſuæ; neceſſe eſt ergo veram eſſe doctrinam. Falſum enim haud poteſt vllis miraculis cõfirmari. nam ſic Deus ipſe, cuius ſolius virtute miracula fiunt, auctor eſſet, vel approbator falſitatis: quod neutiquam fieri poteſt. Conſequentiâ huius collectionis bona eſt profectò, ſi antecedens verum eſſet. At quæ tandem vel qualia miracula fecit Mahometus? Finxit ſe intellexiſſe lupi vlulatum; fecit armum in menſa ſibi appoſitum loqui, & monere ne ſe ederet, eo quod veneno eſſet infectus; noctu in cælum aſcendit; orbem lunæ diuiſit, rurſuſque integrauit; & ſimilia quædam. Egregia verò miracula: qualia & magi Pharaonis quædam fecerunt, & Simon magus, & hodie etiam incantatores ac malefici. Meræ ſcilicet præſtigiæ & impoſturæ, dæmonum arte excogitatæ, ad fallendos homines. Quæ omnia nec vtilitatem hominibus aliquam afferunt, nec digna ſunt vt in vera admirandæ potentiæ magnitudine cum Chriſti, Apoſtolorum aut Prophetarum, miraculis conferantur. Idem habetur in Opere imperfecto apud Chryſoſtomum in illud Matth. 7. A fructibus eorum cognoſcetis eos.

Vide Auguſt. 10. de Ciuit. Dei, cap. 16.

Qua de re exſtat bona etiam & vera doctrina in recognitionibus quæ Clementis dicuntur lib. 3. cap. 1[illegible]. etſi multa ſunt in illis libris fabuloſa & aliena a veritate, vt opus ſit in eorum lectione iudicium adhibere. Sed hoc tamen quod D. Petrus ibi docuiſſe ſcribitur, verum eſt. Diſtinctionem, inquit, ſignorum & mirabilium facere oportet hoc modo: illa quæ a malo eſt, ſigna quæ facit nulli proſunt; illa verò quæ facit bonus, hominibus proſunt. Nam, dic quæſo, quæ vtilitas eſt oſtendere ſtatuas ambulantes, latrare æneos aut lapideos canes, tranſilire montes, volare per aërem, & ſimilia, quæ dicis feciſſe Simonem? Quæ autem a bono fiunt, ad hominum ſalutem fiunt: vt ſunt illa quæ fecit Dominus noſter, qui cæcos videre fecit, ſurdos audire, debiles ac claudos erexit, languores & dæmones effugauit, mortuos fecit reſurgere, & alia his ſimilia, quæ etiam per me fieri videns. Iſta ergo ſigna, quæ ad ſalutem hominum proſunt, & aliquid boni hominibus conferunt, malignus facere non poteſt. Hæc ille.

Tru-u-

[illegible] tus humani generis hoſtis non ſigna humano generi ſalutaria ſed perni-[illegible] vnde dicit Chriſto: [illegible]tte te deorſum. nihil enim illi niſi nocere iucun-[illegible]e autem in[illegible]m & in[illegible]uctum eſt. Sic malefici Ægyptiorum ranas qui-[illegible]e potuerunt q[illegible]s per uiciem hom[illegible]bus adſ[illegible]rebant, eas tamen abigere [illegible] iuſſet) ne[illegible] uerunt [illegible]od tamen præſtitit Moyſes, qui vt ranas virtute [illegible], ita faci[illegible] abi[illegible]ere potuit. Hinc ait: Vt ſcias quoniam non eſt ſicut Dominus Deus [illegible] recedent ra[illegible] a te & a domo tua, & a ſ[illegible]s tuis. Proprium enim Dei eſt, [illegible]pellere, & beneſic[illegible] hon[illegible] afficere: Diaboli con[illegible] proprium eſt nocere, & [illegible] omn[illegible] ertere, aut certe propu[illegible]e. Sic Granatenſis Conc. 2. de prima Dominica Quadrag[illegible]æ.

CAPVT XXI.

Dicti ſequentis explicatio; VERITAS LVCEM AMAT, NON QVAERIT ANGVLOS.

ETSI verum eſt q[illegible] n[illegible]c aud[illegible]uimus veritatem improborum hominum technis & viole[illegible]tia [illegible]que[illegible] tem[illegible]ltan[illegible] velutque in latebras [illegible]bdi; tamen veriſ-[illegible]m [illegible] nul[illegible]s e[illegible] per ſe late[illegible]s delectari, nullas tenebras quærere, ſed luce ſemper [illegible] p[illegible] maniſeſtatione gaudere: quippe cum ſibi ſemper ſit con-[illegible] teg[illegible] Hinc illa Chriſti ſententia Ioan. 3. ſumpta ex omni ex[illegible]anæ, [illegible] q[illegible]rta[illegible]m communi iudicio comprobata: Omnis q[illegible] m[illegible], [illegible] n[illegible]d lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem [illegible]cit [illegible], v[illegible] in v[illegible]ifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta. Se[illegible] Qui de v[illegible] conſcius eſt [illegible]uique amat & co[illegible]it veritatem, inimicus om[illegible] n[illegible] mendacij [illegible] nec o[illegible]it nec[illegible]t lucem, ſed amat & quærit potius. Neque enim d[illegible] rum vel ſermon[illegible]m manifeſtationem vel examinationem quam[illegible]xet [illegible]ertus qu[illegible]d i[illegible] legis Dei ſtudioque illi placendi facta ſunt: vel in De[illegible] ſ[illegible]ta, [illegible]ſt [illegible] Dei, in conſcientia Dei cuncta videntis & cognoſcentis. Q[illegible] ſ[illegible] rmones c[illegible]a & actiones ſuas, is haudquaquam fugit lucem iudic[illegible] Horum [illegible]nus erat Paulus Apoſtolus: vnde & dicebat; Mihi [illegible]utem [illegible] mini[illegible] ſ iudicer, aut ab humano di[illegible] qui autem me iudicat, 1. Cor. 4.
Dom[illegible] eſt [illegible] ondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium & [illegible] vnicuique a Deo. Hæc eſt fiducia & ſecuritas conſcientiæ quæ veritate nititur.

At verò quidquid veritati contra[illegible]m eſt, quidquid nititur fallacijs, dolis, mendacijs [illegible], hoc lucem fugit: q[illegible]a ſuæ ſi[illegible] turpis & pudendæ falſitatis enni[illegible]um, in conſpe[illegible]m [illegible]um, notitiam, iudicium ven[illegible] formidat. Tales ſunt falſa[illegible] om[illegible], men[illegible], impoſtores, & ſimiles: tales & fures, latrones, fornicarij, ſcorta[illegible] Ou[illegible] n[illegible] em quær[illegible]nt & tenebras, vt in ijs perpetrent malefi-cia ſua, quæ in l[illegible] & c[illegible]ram hominibus facere vel confiteri puderet omnes iſti inimici ſunt veritatis.

Sed his omiſſi[illegible]mus propri[illegible] de doct[illegible]a & ſermonibus veritatis. Chriſtu Domi-n[illegible]s ve[illegible]s doctor [illegible] princeps, habe[illegible] de re pulcherrimam ſententiam, Ioann[illegible] 8. E[illegible], inquit, p[illegible] ocu[illegible] in [illegible]ndo ego ſemper d[illegible] in Synagogis, & in templo, [illegible]es Iudæ[illegible] & in occulto locutus ſum nihil. Hæc eſt vera forma & co[illegible] docendæ, prædicandæ, confit[illegible]ndæ veritatis: hæc propria vent[illegible]. Pu-[illegible]t & lucem; eſt enim ipſa lux, quæ tenebras erroris omnes & fal[illegible], radijs ſuæ [illegible]tatis d[illegible]it. Sed quomodo verum eſt, quod dicit hîc Dominus, ſe nihil vm-q[illegible]ulto locutum eſſe, cum ſæpe in Euangelica hiſtoria inueni[illegible] contrarium? N[illegible] 4. primùm habetur, qu[illegible]d [illegible] eſſet ſingularis, id eſt ſolus, i[illegible] eum [illegible]n[illegible], quæ & i[illegible]is aperuit deinde ibid[illegible] paulo pòſt di[illegible], qu[illegible] ſeorſim d[illegible] omnia. Et nónne multa ſolus docuit ſ[illegible] in mulierem Samaritanam Ioan 4. [illegible]nc ſ[illegible]s Nicodemum ſolum in nocte Ioan. 3. denique, vt [illegible] locos prætere[illegible], nónne v[illegible] nocte vitæ ſuæ permulta locu[illegible]s eſt de do-[illegible] ætern[illegible] cor[illegible] ſo[illegible]s vndecim diſ[illegible]pu[illegible]. Hæc vera ſunt vtique & manifeſta.

Docuit multa ſeorſum, nunc hos, nunc illos, cùm in priuatis ædibus, tum alijs in locis; ſed non alia quàm quæ vel ipſemet aliàs publicè omnes docuit in templo, in Synagogis cunctis præſentibus, vel quæ diſcipulis ſuis mandauit vt per opportunitatem ſuoque tempore proponerent omnibus. Non idcirco nonnumquã priuatim quædam docebat, quòd latebras quæreret, quodq; publicã lucem fugeret, quòd doctrinæ ſuæ metueret; ſed quod non omnia dici conueniebat omnibus, omni loco, omni tempore. Quod magnæ erat prudentiæ. Alioqui nihil vmquam dixit tam occultè, quod non ſuo tempore venire cuperet in notitiam omnium. Vnde & expreſſis verbis dicebat frequenter diſcipulis ſuis: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Matth. 10. Lucæ 8. & 12.

Huc pertinet quod Matth 9. & alibi ſæpe dicitur, quòd circuibat omnes ciuitates & caſtella, docens in Synagogis eorum & prædicans Euangelium regni. ne videlicet videretur latibula quærere ad docendum, & non audere doctrinam ſuam publice proponere iudicio atque examini omnium. Id quod ſtudioſe etiam obſeruarunt poſtea ſemper Apoſtoli eius, ad exemplum Domini ac Magiſtri ſui: vt ſeriò commemorat Lucas Actorum 13. 14. 15. 16. 17. quod nimirum Paulus & Barnabas in Iudæorum Synagogis, in publicis conuentibus, templis, atque oratorijs gentilium docere gaudebant. ne videlicet ſuſpectum quippiam, quod lucem ferre non poſſet, afferre viderentur.

Et hoc diſcrimen eſt inter doctrinã veritatis & falſitatis; quòd illa (vtpote ſuæ ſibi rectitudinis & ſinceritatis conſcia) lucem amat, cunctiſque rebus lucem dare deſiderat: hæc verò (ceu non ignara vanitatis ſuæ) lucem odit, tenebraſque & latibula quærit. Quam differentiam Chriſtus etiam ipſe inter ſuam doctrinam, interque doctrinam falſorum Prophetarum, hæreticorum, ſeductorum atque impoſtorum quorumlibet, aſſignat; cum dicit Matth. 24. Si dixerint vobis ecce in deſerto eſt, nolite exire. ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente & paret vſque in occidentem, ſic erit & aduentus Filij hominis. Quæ verba D. Auguſtinus interpretans, lib. 1. quæſt. Euangel. cap. 38. ſic habet: Vnumquodque ſchiſma, & vnaquæque hæreſis, aut locum ſuum habet in orbe terrarum, partem aliquam tenens, aut obſcuris atque occultis conuenticulis curioſitatem hominũ decipit. Ad quod pertinet, quod ait: Ecce hîc eſt Chriſtus, aut illic; quod ſignificat terrarum partes & prouinciarum. aut in penetralibus aut in deſerto; quod ſignificat obſcura & occulta cõuenticula hæreticorum. Quod ergo dixit, ab oriente in occidentem peruenturum aduentum ſuum; contra illos valet, qui per terrarum particulas nominantur & dicunt apud ſe eſſe Chriſtum. Quod autem ait, Sicut fulgur; contra illos valet, qui occulte congregant, tamquam in penetralibus, & paucos tamquam in deſerto. Ad manifeſtationem quippe claritatemque pertinet Eccleſiæ fulguris nomen. Sic ille admirabilis Eccleſiæ Doctor.

CAPVT XXII.

Studium hæreticorum, maximè Anabaptiſtarum, quærendi latebras.

CERTE, quod vel quale ſemper ſtudium fuerit hæreticorum, Anabaptiſtarum præcipue; nimis nos docuit omnis vbique experientia infelicis ſæculi huius. quomodo videlicet more ſubintroeuntium fratrum in latebras irrepſerint, clancularia conuenticula fecerint, nocturniſque tenebris zizania ſua ſeminauerint: & ſic paulatim, Deo hunc in modum peccata hominum puniente, in maius creuerint: ita vt tandem vrbes totas & prouincias occupauerint.

Sed obijciat quiſpiam, & eos poſſe fallere ac ſeducere qui palàm & publicè docent: proinde, non eſſe eam certam notam veræ doctrinæ, quòd in luce & publico doceatur. Verum eſt; non mox vera docet, qui publice docet: nec hoc dicere volumus vel ſuſpicamur. Hoc tantùm hîc agitur, veritatem amare lucem, tenebras & conuenticula omnia occulta odiſſe ac fugere. mendaciũ verò, & falſam omnem doctrinam, tenebras amare, lucem odio habere; ſaltem initio, quamdiu ſibi timet, propter falſitatem ſuam. Alioqui non verò contingit, quòd creſcente hæreſi, errorumque luce obtinente, vireſque ſenſim & robur capiente, non iam tenebras amplius quærat, ſed plenam lucem: nec priuatim & clancu-

lum

lum doceri velit, ſed palàm & publicè. imò tandem velit hæreſis ſola regnare, nullamque ſecum aliam doctrinam ferat. Cuius rei certam etiam triſtemque nimis & infelicem experientiam vidimus.

Initio hæretici noſtri in priuatis quibuſdam ſuæ farinæ hominum ædibus, aut turi in ſiluis alicubi, tradebant doctrinam ſuam. Pòſt vlterius ventum eſt, vt foris extra mœnia vrbium noua ſibi templa, ſeu potius horrea dixerim, exſtruerent, quò pergerent ex vrbibus qui volebant. Nec hoc ſatis fuit, irruperunt tandem in vrbes ipſas, ibique Eccleſias aliquot occuparunt. Tandem verò, creſcente ſemper malo, magiſque inualeſcente, omnes ferè vbique Eccleſias ſoli habuerunt; Catholicæ veritatis doctrina propemodum vndique fugata ac deturbata. Non eſt ergo bonum ſemper certumque argumentum; Hæc doctrina publicè traditur, ergo vera eſt. Scimus hoc & agnoſcimus. Nec ideò propriè Chriſti doctrinam aſſerimus veram fuiſſe, quòd publice ab eo, & ab Apoſtolis tradita fuerit: cùm Scribæ etiam & Phariſæi tunc temporis falſas doctrinas ſuas, & inuentiones contra legem Dei, publicè omnibus palamque docuerint.

Ita nec illud etiam contrà ſequitur: Hæc doctrina clanculum & ſecretò traditur, ergo falſa eſt. Vt enim omittam id quod paulò ante dixi, Chriſtum multa diſcipulos ſuos aliosque priuatim docuiſſe; certum eſt notumque omnibus, Chriſtianam doctrinam, ipſamque veritatem totis plus minùs trecentis annis poſt Chriſti mortem, non niſi clanculum & in occulto, propter continuas perſecutiones, doctam traditamque fuiſſe. Vnde ſi quis argumentari vel colligere vellet, doctrinam illam non eſſe veram, quis ſanum illum vel Catholicum eſſe diceret? Ergo non omnis quæ in occulto docetur doctrina mala vel falſa eſt; neque quæcumque publicè traditur bona & vera eſt. Attamen qui clàm & ſecretò docere amat, vt quærunt omnes qui nouam falſamque doctrinam afferunt, deceptionis ſecum & ſeductionis indicium ferunt. Quemadmodum non quiſquis publicus medicus eſt, & publicè medicinam profitetur, ita ſemper benè curat ægrotos, vt male vmquam nequeat: attamen qui artis ſuæ & medicinæ rationem ſic occultat, vt ad lucem non veniat, eamque examinari nolit, & publicorum medicorum iudicio exponere; is ſatis certam notam oſtendit falſitatis medicinæ ſuæ. Quare non tam occulta doctrina vel priuatim tradita, quàm ſtudium & amor occultandi doctrinam clanculumque tradendi, metu ſcilicet lucis atque examinis, reprehenditur. Quòd doctrina Chriſtiana Religionis & veritatis longo tempore ſecretò tradita fuit nec publicè prædicata, non inde accidit quòd tenebras latebráſve amaret, aut lucem fugeret; ſed quòd totius mundi odio eſſet expoſita, omneſque illam igne & ferro perſequerentur, nec vſquam poſſet caput expromere, vel ſecure conſiſtere. Non talis naturæ eſt falſa doctrina vel hæretica. Illa enim, aut ſponte latebras quærit, quia ſuæ ſibi imbecillitatis & vanitatis eſt conſcia; vel ſi in publicum prodit, non ſinceritate ſua, integritate, aut virtute confidit, ſed malorum hominum viribus & potentiâ, quos ad ſui defenſionem excitauit atque armauit: vt paulò ante exemplo ſectariorum noſtræ tempeſtatis oſtendimus.

Huc pertinet, quòd Lutherus initio nouæ doctrinæ ſuæ, à Romano Pontifice, ſummo doctrinæ Chriſtianæ iudice, Romam euocatus, vt rationem ibi redderet eorum quæ docebat & prædicabat, obtemperare & comparere noluit. ſed multis verbis effecit, tum apud Saxoniæ ducem Fridericum, magnæ tunc potentiæ ac nominis principem, patronum ſuum, tum apud vniuerſitatem Wittenbergenſem, vt ſcriptis litteris à ſummo Pontifice impetrarent, ne Romam venire cogeretur: teſtibus, Cochlæo, Surio, & copioſiſſimè Fontano in hiſtoria noſtri temporis. Cur autem hoc facere Lutherus tantoperè detrectauit, niſi quòd lucem fugiebat, & ſciret ſe doctrinam ſuam coram eruditis & grauibus viris, qui ſecundum veritatem iudicaturi erant, tueri non poſſe? Simile huius eſt, quòd cum inſtituta eſſet quorumdam conſilio diſputatio publica Lipſiæ, inter Lutherum & Eccium, tametſi Lutherus ad diem conſtitutum cum Carolſtadio compareret, ægrè tamen adduci potuit, vt cum Eccio diſputationem iniret, vixque tandem multis verbis ducis Georgij adductus fuit & perſuaſus, vt diſputare inciperet: diuque reluctabatur ſeſe certis iudicibus ſubmittere: magis enim quærebat iudicium vulgi & confuſæ multitudinis, magna iam ex parte ab eo corruptæ & ſeductæ, quàm doctorum virorum vel Theologorum in vniuerſitatibus. Cùm autem nullo prætextu honeſtè excuſare ſe poſſet, conſenſit tandem, ſed inuitus & iratus in iudices Pariſienſes & Erfordienſes facultatis Theologicæ. A quibus etiam tota eius diſputatio, omneſque aſſertiones damnatæ fuerunt; & bono quidem iure. Hæc Cochlæus in hiſtoria Lutheri ad annum 1519. Qui refert

ſert etiam ad annum 1526. cùm Heluetij inſtituiſſent publicam diſputationem Badenſem, & præſentes adeſſent diuerſi Catholici Doctores ad diſputandum parati, Hulricum Zvvinglium primarium auctorem nouæ doctrinæ apud Heluetios, reiecta omni fide publica & ſaluo conductu, qui vndique & multifariam offerebatur, nullo pacto ad eam diſputationem venire voluiſſe. Quare? nimirum, omnis qui male agit odit lucem: & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Nulla eſt iſtis hominibus tantæ tergiuerſationis alia ratio.

Notandum hîc autem, quòd etſi verum ſit, etiam publicè aliquando falſa doceri, vt iam diximus; tamen hac in re longè minus periculi eſt, quàm ab ijs qui clàm & ſecretò falſam doctrinam diſſeminant. Nam vt alia quæuis publica mala & peccata citiùs cognoſci poſſunt & facilius corrigi vel coërceri; ſic & publica per doctrinam ſeductio, facilius multo deprehendi & compeſci poteſt. Quòd ſi occulta ſit, vt non facilè poteſt deprehendi, ſic neque extingui vel coërceri: ita pergit ſemper vlteriùs, donec damnum det frequenter immedicabile. Cuius rei exemplum ſunt clariſſimum Anabaptiſtę Monaſterienſes, alijque multi hæretici noſtro tempore omnis generis. Et hinc eſt, quòd D. Paulus Apoſtolus hæreſis vitium apertiſſimè cancro comparat: ſiue cancer ibi ſit ſerpens qui occulte & ex inſidijs inuadit hominem ac letaliter vulnerat; ſeu morbus ille, qui paruis initijs ita paulatim ſerpit, vt non benè percipiatur frequenter, donec totam carnem infecerit, & fiat immedicabilis.

2. Tim. 2.

Capvt XXIII.

Numquam hæretici auſi fuerunt, cum infidelitate, gentilitate, vel paganiſmo, aperto Marte pugnare: neque vmquam gentiles conuerterunt.

HVc etiam referri poteſt, quòd hæretici numquam audent cum infidelitate, gentilitate, paganiſmo, aperto Marte pugnare: vel ſi audeant interdum, numquam eis cedit feliciter. Hoc eſt, numquam hæretici palàm adierunt prouincias aliquas vel regiones gentilium, vt illos ad fidem Chriſtianam & primam Dei cognitionem perducerent: nimirum conſcij ſibi imbecillitatis & falſitatis doctrinæ ſuæ. Illius gloriæ priuilegium ſoli debetur veritati doctrinę Chriſtianę Catholicæque. Numquam gentiles aliqui vel pagani toto orbe terrarum ad fidem & religionem Chriſti adducti fuerunt, niſi per Epiſcopos & Sacerdotes Catholicos, Eccleſiæque Romanæ filios. Qua de re exempla permulta refert Stapletonus lib. 4. Controuerſiarum cap. 21. ſi cui legere placeat. Nos enim breuitati ſtudemus. Illud hîc dumtaxat adijcimus, diligenter hanc rem à veteribus etiam Eccleſiæ patribus & ſcriptoribus obſeruatam atque annotatam fuiſſe. Tertullianus lib. De præſcriptionibus hæreticorum; Negotium eſt hæreticis, inquit, non ethnicos conuertendi, ſed noſtros euertendi: hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, non ſi iacentibus eleuationem operentur. Ac mox breue & inſigne diſcrimen conſtituens, inter prædicatores Catholicæ veritatis, & hæreticæ falſitatis: Illi, inquit, de mortuis viuos ſuſcitant; iſti de viuis mortuos faciunt.

Eamdem ob cauſam Auguſtinus illos ſcitè admodum perdici aui comparat, de qua Ieremias Propheta cap. 17. Perdix fouit quæ non peperit. Perdix, inquit Auguſtinus, nimis contentioſum animal, notú eſt quãta auiditate ipſius contentionis currat in laqueum. Sic non diſputare amant hæretici, ſed quoquo modo ſuperare impudentiſſima peruicacia, vt congregent quæ non pepererunt. Chriſtianos enim quos maxime Chriſti nomine ſeducunt, iam per ipſius Chriſti Euangelium natos inueniunt, & faciunt illos diuitias ſuas. Sic ille 13. contra Fauſtum cap. 12.

Notum eſt ſanè quid ſuperioribus annis acciderit in terra Braſiliana, ſeu Francia Antartica. In illius barbaræ terræ quadam parte nonnulli ſacerdotes Catholici, ordinis vel ſocietatis Ieſu, nauarunt non infelicem operam miſeris illis & paganis ad veri Dei cognitionem Chriſtique fidem conuertendis. Quemadmodum ſimilium ſacerdotum Catholicorum labore ac diligentia in nouo orbe, qui vocatur, ſiue in vtraque India, Orientali iuxtà & Occidentali, innumerabiles homines ſub id tempus ex profunda idololatria ad Chriſtianam religionem adducebantur. Hoc male habuit Caluinum, ceteroſque illius farinæ

tantam

tantam ſcilicet nouam meſſem quotannis in Eccleſiæ Catholicæ horrea inuehi. Itaque decreuerunt ipſi quoque ad nouas huiuſmodi inſulas ſuæ doctrinæ miniſtros ac profeſſores mittere, ad illam ſuam peſtiferam doctrinam inibi propagandam: atque ita ipſi quoque noui quodammodò Apoſtoli haberentur, ædificantes non ſuper alienum fundamentum, ſed vbi Chriſtus non fuiſſet annunciatus; vt Paulus loquitur. Delectus fuit ad eam prouinciam Petrus quidam Richerus, ex fratre Carmelita dudum factus Apoſtata, qui eam ad rem maxime omnium idoneus videbatur: illiq; adiuncti alij miniſtri, doctrinæ ac religionis non Chriſti ſed Caluini. Nauigarunt magno cum apparatu in Braſiliam: tandemque eò deuentum & prædicari cœptum anno Domini 1557. Sed quo ſucceſſu putatis? Tantum abſuit vt quemquam Barbarorum illorum atque gentilium ad religionem ſuam conuertere potuerint, omni doctrina & prædicatione; vt illos potiùs qui priùs diligentiâ ac labore Catholicorum ad inſtitutioné fidei Chriſtianę aures accommodare cœperant, ab omni illa ſancta cogitatione penitus amouerent. Quinam hoc factum? & quam ob cauſam res illis ceſſit tam infeliciter, contraque omnem illorum ſpem atque intentionem: Reddunt illius hiſtoriæ ſcriptores, teſteſque oculati, duplicem cauſam, inter alias. Nempe quòd præclarorum illorum miniſtrorum vita erat palàm turpiſſima, impuriſſima, flagitioſiſſima: mirantibus cunctis Barbaris, quòd qui ſe dicebant nouam & ſanctam vitam ac religionem doctum eos veniſſe, ipſi inter tam procul ab omni vitæ ſanctitate atque honeſtate abeſſent. Deinde, cognoſcebant omnes facilè ſtatim doctrinæ illius manifeſtam falſitatem; tum ex alijs multis ſignis, tum ex eo potiſſimùm quòd alij ab alijs, cùm tamen tam pauci eſſent, in omni pęne doctrina tantoperè diſſentirent. Vix enim duo reperiri potuerunt inter omnes, quibus vna eademque eſſet ſententia: adeò vt ex paucis illis qui ſimul eò appulerunt, nouem confeſtim Sacramentariorum diuerſæ ſectæ naſcerentur. Quis tam barbarus & ab omni ratione tam alienus eſſe queat, vt huiuſmodi doctrinæ non percipiat falſitatem? Sic euênit vt cùm nullam ſpem ampliùs ſupereſſe viderent fructus alicuius illo in miſero populo faciendi, & inſulæ etiam gubernatori ſeu prætori iure ac merito eſſent inuiſi, re infecta domum reuerſi ſint; nec ampliùs auſi fuerint ſimile quiddam attentare. Si cui plura videre lubeat de hiſtoria tam egregia, legat Nicolaum Villegagnonem virum non minùs doctum quàm nobilem, qui tum temporis inſulæ Braſilianæ pro Francorum rege gubernatorem agebat, libro. præcipuè aduerſus Petri Richeri articulos cap. 89. & ſequentibus: legat & replicam Gallicam Matthæi de Launoy contra reſponſionem ad priorem librum ſuum, miniſtrorum Caluinicorum, lib. 2. cap. 16. ſectione 21. & 22.

Manet ergo veriſſimum quod iam diximus, hæreticos numquam infideles vel paganos aliquos ad Chriſti fidem conuertiſſe. Poſtea tantummodò ſe ingerunt aliorum laboribus: & quos ad Chriſti fidem conuerſos inueniunt, clancularijs atque inſidioſis doctrinis mendacijſque ſuis ad ſuas ſectas pertrahere ac ſeducere ſtudent. At verò illam inſignem gloriam, vt ipſorum operâ gentilium aliquæ prouinciæ ad Dei cognitionem fidemq; Chriſtianam primitus adducantur, diuina illis prouidentia magna ratione iuſtoque iudicio non permittit. Sola eſt Catholica doctrina, adeoque præcipuè Petri Apoſtoli & ſucceſſorum eius, cui datum eſt in plenum mare infidelitatis ac gentilitatis retia veritatis mittere, & Euangelicæ prædicationis opera homines capere, atque ex profundo idololatriæ ac paganicæ ignorantiæ ad firmum littus Chriſtianæ religionis pertrahere.

Hæretici verò non ſecùs agunt quàm fures, qui piſces operâ ac labore piſcatorum captos, atque in littore expoſitos, ex inſidijs auferunt & furantur. Sic iſti fideles Catholicorum doctrina & ſollicitudine feliciter captos, atque in Chriſto renatos, doctrina ſua corrumpere, Chriſtoque & Eccleſiæ eius furari admiuntur. verè ex illis de quibus Dominus; Fur non venit niſi vt furetur, & mactet, & perdat. *Ioan. 10.*

Denique (vt caput hoc concludamus) quemadmodum ad veritatis naturam pertinet illud euangelicum, Nemo accendit lucernam, & in abſcondito ponit, neque ſub modio; ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt: ſic falſæ hæreticæque doctrinæ vox eſt illa Sapientiæ 4. Aquæ furtiuæ dulciores, & panis abſconditus ſuauior. De qua ſententia operæpretium duxi (quoniam gaudet teſtibus veritas) duorum Eccleſiæ veterum ſanctorumque Doctorum ſententias hîc aſſcribere. D. Auguſtinus tract. 97. in Ioannem; Cauete, inquit, timendo & orando ne irruatis in illud ænigma Salomonis, vbi mulier inſipiens & audax, inops panis effecta, conuocat prætereuntes, dicens: Panes occultos libenter attingite, & aquæ furtiuæ dulcedinem. Hæc enim mulier, vanitas eſt impiorum,

piorum, cùm ſunt inſipientiſſimi, aliquid ſe ſcire opinantium, ſicut de iſta muliere dictum eſt, inops panis effecta. Quæ cùm ſit inops panis, promittit panes; id eſt, cùm ſit ignara veritatis, promittit ſcientiam veritatis. Occultos tamen panes promittit, quos dicit libenter attingi, & aquæ furtiuæ dulcedinem: vt ea ſcilicet libentiùs & dulciùs audiantur & agantur, quæ palàm in Eccleſia dici crediq́ue prohibentur. Ipſa quippe occultatione condiunt quodammodò nefarij Doctores ſua venena curioſis: vt ideò ſe exiſtiment aliquid diſcere magnum, quia meruit haberi ſecretum; & ſuauiùs hauriant inſipientiam, quam putant ſcientiam, cuius prohibitam quodammodò furantur audientiam. Et paulò pòſt: Omnes autem inſipientiſſimi hæretici (qui ſe Chriſtianos vocari volunt) audacias figmentorum ſuorum, quas maximè exhorret ſenſus humanus, hac occaſione Euangelicæ ſententiæ colorare conantur, vbi Dominus ait; Adhuc habeo vobis multa dicere, ſed non poteſtis portare modò. Quaſi hæc ipſa ſint quæ tunc diſcipuli portare non poterant: & ea docuerit Spiritus ſanctus, quæ palàm docere atque prædicare, quantalibet feratur audaciâ, ſpiritus erubeſcit humanus. Hæc ille.

D. autem Gregorius lib. 16. Moral. cap. 23. de hæreticis loquens; Ad prædam, inquit, vigilant, qui verba iuſtorum ad ſenſum proprium rapere ſemper conantur, vt per hæc peruerſis filijs panem erroris parent. De quo videlicet pane, apud Salomonem verbis mulieris, prauitatis hæreticæ typum gerentis, dicitur: Aquæ furtiuæ dulciores, & panis abſconditus ſuauior. Et alibi idem Doctor; Rurſum, inquit, per panem, hæreticorum doctrina deſignatur, ſicut per Salomonem mulier hæreticæ Eccleſiæ typum geſtans, & ſtultos conuocans, dicit; Panes occultos libenter edite. vel, ſicut in noſtra tranſlatione ſcriptum eſt; Aquæ furtiuæ dulciores, & panis abſconditus ſuauior. Sunt enim nonnullæ hæreſes quæ apertè metuunt prędicare quod ſentiunt; & apud infirmorum mentes verba ſua tantò magis condiunt, quantò quaſi ampliùs reuerenter abſcondunt. Vnde non immeritò dicitur; Panes occultos libenter edite. Miſeris enim cordibus occulta hæreticorum verba eò magis ſapiunt, quò cum reliquis communiter non habentur.

CAPVT XXIIII.

Veritas pacifica.

VERITATIS propria natura eſt, vt ſuprà oſtendimus, rectum eſſe & ſincerum in actionibus & ſermonibus: ſic loqui vt res eſt; ſic agere vt res poſtulat. Eſt, eſt: Non, non: vti ſacra Scriptura loquitur. nihil agere per fraudem, fallaciam, dolum malum, hypocriſim, fictionem. Vbi verò talis eſt inter omnes ſermonum & actionum integritas, rectitudo, ſinceritas; ibi neceſſariò pax eſt & concordia. Quemadmodum vbi vitia regnant veritati contraria, quæ iam nominauimus, mendacium, fraudes, dolus, hypocriſis; fieri non poteſt, quin ibi regnent odia, diſſenſiones, bella, diſcordiæ, inimicitiæ. Nemo enim ibi alteri fidit, dum alij alios fallere laborant, lædere, incommodare, nocere.

Hinc Euangelium Chriſti, quod eſt denuntiatio & prædicatio veritatis, veram animorum integritatem, ſinceritatem, rectitudinem docens, ſic alijs facere & optare quemadmodum tibiipſi fieri & optari velles, vocatur idem Euangelium pacis; hoc eſt mutuæ concordiæ & ſinceræ charitatis. iuxta illud, Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem. item, In hoc cognoſcent omnes quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Scio quidem & aliam quamdam pacem ſignificari, cùm dicitur Euangelium pacis, nimirum pacem cum Deo: ſed hæc etiam pax quam modò diximus, in eadem voce includitur; vt Scripturæ illæ conuincunt, quas attulimus. Vnde efficitur, quod hîc probare intendimus, veritatem (quam in primis docet Euangelium Chriſti) naturâ ſuâ eſſe pacificam. vnit enim illa & coniungit. Veritati cum omni vero conuenit: ideò pacem eſſe neceſſe eſt inter omnes qui verum ſectantur. Falſum autem & mendacium, non ſolùm veritati contrarium eſt, ſed ſibi ipſi etiam: proinde, vbi illud regnat, pax & concordia nequit conſiſtere.

Et hinc eſt, quod Zachariæ 8. dicitur, & ſæpè repetitur; Veritatem tantùm & pacem diligite. In qua ſententia duo ſunt obſeruanda. Primùm, quòd nihil aliud requiritur ab eò qui piè viuere Deoq́ue placere deſiderat, quàm vt veritatem & pacem diligat. non quòd ſola illa ad plenam vitæ ſanctimoniam & perfectionem ſufficiant; quum omnibus virtutibus præditum eſſe oporteat, qui Deo placere velit, & nullum omnino peccatum commit-

committere; ſed quòd nihil deſit aliarum virtutum, vbi veritas & pax regnant. Qui eò perfectionis deuenit, vt cauere ſibi queat ab omni mendacio, & linguam ſuam regere ne quid peccet; illi facile eſt omnia alia peccata deuitare: teſte etiam Iacobo Apoſtolo: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir, potens etiam freno circumducere totum corpus. Vnde patet quanta ſit vtilitas, amplitudo, dignitas veritatis. *Iacob. 3.*

Secundò hic notandum quòd pacem Propheta identidem veritati coniungit. Quia nimirum proprium veritatis opus eſt, pacem colere & ſeruare, vt iam oſtendimus.

CAPVT XXV.

Cùm Veritas odium pariat, eiuſq́; occaſione multa quotidie diſsidia & bella oboriantur; quomodo rectè pacifica dicitur?

SED hîc nunc grauis oritur quæſtio: Quomodo dicere & affirmare audeamus, veritatem eſſe pacificam; quum eius occaſione vbique locorum odia, diſſidia, lites, diſcordiæ, bella etiam maxima oriantur, ortaque ſint cunctis retrò temporibus? Notum eſt enim quæ & quanta animorum diſſidia nata ſint, primùm veritatis nomine, inter Chriſtianos & Iudæos: dum vtrique veritatem ſibi ſolis tribuere, alijs adimere nitetentur. Tum verò Iudæis victis, ortum eſt longè maius diſſidium inter Chriſtianos & gentiles, veritatis occaſione; neutris aliorum doctrinam ac religionem ferentibus, & vtroſque alios falſitatis maximæ accuſantibus. In quo diſſidio quàm innumerabiles Chriſtiani vitam amiſerint, ex omnibus hiſtorijs notum eſt. Poſtremò, cùm gentiles tandem etiam vincerentur, ſemperque victrici veritati manus dare cogerentur, ſecutum eſt bellum irreconciliabile, longeque omnium maximum, inter Chriſtianos ſeu Catholicos, & hæreticos. Et hæc omnia, nomine atque occaſione ſolius veritatis. Ac nónne Chriſtus ipſe, veritatis auctor & magiſter, idipſum apertè etiam docet? Nolite, inquit, arbitrari quòd pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem, & nurum aduerſus ſocrum ſuam: & inimici hominis domeſtici eius. Quid dici poſſet apertiùs? Quomodo autem cum his conſiſtere poteſt, quod dictum eſt, veritatem eſſe pacificam? Aut enim dicendum videtur Chriſtum veritatem in mundum non attuliſſe, aut veritatem longè eſſe alterius naturæ quam diximus: videlicet, non pacis ſtudioſam eſſe, ſed belli; non concordiæ, ſed diſcordiæ.

Sunt hæc ſanè argumenta non leuia: ſed ijs tamen omnibus minimè moueri debemus, vt ab eo recedamus, vel non credamus verum eſſe, quod diximus, veritatem eſſe pacificam. Nam hoc etiam cùm rationibus tum Scripturis probauimus. Quæ Scripturæ, vt his non ſunt contrariæ, ita iſtæ illis eſſe non poſſunt. Dicendum eſt ergo, veritatem ex ſeſe maximè eſſe pacificam, vti eſt & Euangelium & omnis doctrina Chriſti. Attamen occaſione veritatis & Euangelij magna ſæpenumerò diſſidia oriuntur: nō quidem Euangelij Chriſti aut veritatis culpâ, ſed hominum vitio, quibus veritas dicitur vel prædicatur. Veritas omnibus pacem & concordiam offert, omnes ad pacem, ad vnitatem & charitatem vocat altis vocibus: & quidem ad pacem optimam, iucundiſſimam, feliciſſimam. Sed filij huius ſæculi, homines corrupti & mali, pacem qualem veritas affert, præ magna mentis cæcitate & peruerſitate non ferunt. Hinc totis viribus contra veritatem, huiuſmodi pacis auctricem, inſurgunt. Hinc bella omnia, & diſſidia, toto orbe terrarum veritatis cauſâ: ſed quæ nullo pacto veritati ſunt imputanda: niſi hactenus, quod veritas non ferat malam pacem, vti hoſtes veritatis non ferunt bonam. Quemadmodum enim improbi homines bonam & ſalutarem pacē oderunt, & perſequuntur totis viribus; ſic veritas totis conatibus omnibuſque armis ſuis ſeſe opponit paci malæ & vitioſæ, qua mendacia & ſcelera alia retinentur & fouentur. Quam ob cauſam veritas adeò vituperanda non eſt, vt omnem potiùs propterea laudem & commendationem mereatur. Nulla eſt enim bona, laudabilis pax, imò tolerabilis etiam, extra veritatem: multoque melius eſt bellum apertum, ac diſſidium propter veritatem, ſiue ad conſeruandam, tuendam, recuperandam veritatem; quàm ſumma & ſecura pax in errore & mendacio, in ſcelere quouis, & peccato. Talem pacem rumpere ac diſcindere venit Chriſtus gladio veritatis, & prædicationis ſuæ Euangelicæ. Spectabile quidem bonum eſt, carni periucundum, terrena pax &

concordia; vt ciues non diſſentiant à ciuibus, cognati à cognatis, liberi à parentibus, domeſtici à patrefamilias: at, ſi illius ac talis pacis gratiâ, reijcienda vel deferenda ſit veritas, retinendus error, fouenda impietas; iam non eſt bona pax vel concordia, ſed noxia & pernicioſiſſima.

Cùm ergo in multis & grauibus erroribus pax eſſet inter Iudæos, Chriſtus autem veniſſet veritatem prædicare & commendare, veram pacem annuntiare, errores tollere, impietates & peccata auferre, rectè ſe veniſſe dicit ad ſeparandos eos qui in malo cohærebant. Erat enim inſtar medici, (quemadmodum & non rarò ſeipſum vocabat) qui dato pharmaco totum corpus perturbat, malos humores excitando, vt à bonis (quibus malè adhærent) ſeparentur: ne alioqui peruersâ malorum humorum concordiâ, totum corpus tandem inficiatur, & moriatur. Et quis prudens non malit temporariam vel horariam aliquam perturbationem corporis ſui; quàm letalem tranquillitatem, quæ ad certam mortem durat? Ad ſimilem modum habebant & Prophetarum tempora, Eliæ, Ieremiæ, & aliorum. In gentibus quoque pacata erant omnia, in turpiſſimis idololatriæ erroribus, & ſceleribus nefandiſſimis. Oportebat igitur per Euangelicam veritatem commotionem fieri, vt quod ſeruandum erat, à malo ſecerneretur, & electi vbique locorum ſepararentur à reprobis.

Poſteri Noë concordes erant admodum, in exſtruenda turre Babylonicâ. Mala erat concordia, ex ſuperbia & iactantia multiſque alijs vitijs profluens: erat igitur immiſſa confuſione linguarum ac diſſidio dirumpenda. Quòd ſi pacatas & tranquillas eſſe res mortalium, bonum eſt tale, vt illius gratiâ fugiendum ſit bonum diſſidium, culpandique omnes, qui turbas & diſſidia per doctrinam veritatis excitant; culpentur ergo Prophetæ, Apoſtoli, Chriſtus Dominus & Deus ipſe.

Sic D. Chryſoſt. in illud Ioan. 9. Et ſchiſma erat inter illos. Poteſt quis rectè ſcindi.
Matth. 10. Idcirco (inquit) non veni mittere pacem in terram, ſed gladium. Eſt & mala concordia, & diſcordia bona. Siquidem qui turrim ædificabant, concordes erant in malo ſuo; inde
Exod. 16. etſi inuiti ad bonum tamen diſſenſerunt: & ſocij Core malè conueniebant; ideò benè diuiſi ſunt: & Iudas cum Iudæis prauè conſenſit. Eſt ergo bona diſcordia, & concordia
Matth. 18. mala. Quamobrem ait, Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum: & ſi pes, abſcinde. Sic ille ibi: quibus ſimilia habet, Homilia 36. in Matthæum. Gregorius item, parte 3. Paſtoralis cap. 24. Ante prædicationem verbi Dei & reuelationem veritatis, confuſa ſunt inter ſe mortalium ſtudia & ingenia: verùm hac luce accedente, fit euidens mentium & cordium differentia. Hieme eadem eſt facies omnis generis arborum: non diſcernas frugiferas à non frugiferis, imò ne viuas quidem à mortuis: æſtate autem adueniente, omnia ſtatim diſcernuntur. Sic planè antequam cœperat Chriſtus doctrinam veritatis ſpargere in populo Iudaico, æquè omnes pij & religioſi eſſe videbantur, qui Legis cæremonias obſeruabant: imò qui plus externarum cæremoniarum obſeruabant, etſi non eſſent omnes etiam exactè ſecundùm Legem, ceteris religioſiores & ſanctiores videbantur: quos inter, primum locum tenebant Sacerdotes, Scribæ & Phariſæi. Ceterùm vbi prædicari cœpit à Domino doctrina veritatis, tum cœperunt à ſe mutuò boni à malis, hypocritæ à verè pijs ſanctiſque (qui pauciſſimi erant) diſcerni. Et quid aliud expectari poteſt vel contingere omni tempore, dum prædicatio veritatis incidit in populum, ex bonis & malis, ſeu potiùs ex electis & reprobis, mixtum? ſic præſertim mixtum, vt reprobi numero, multitudine, viribus, potentiâ, opibus, & ſpecie pietatis, electis præualeant: quod ſemper ferè & vbique contingit? Quid, inquam, tunc aliud expectari poteſt, quàm ſchiſma & diuiſio vtriuſq; partis ab altera; & certa bonorum atque electorum oppreſſio? Qui enim ex Deo ſunt, audiunt veritatem & recipiunt, & commendant alijs quantum poſſunt, & ſe totos ad illam componunt; vetereſque omnes errores deſerunt & faſtidiunt. Contrà verò, qui ex Deo non ſunt, non modò non audiunt veritatem, ſed & vituperant, & rident, & condemnant; deinde omnibus viribus opprimere conantur illi adhærentes & obſequentes, tamquam eiuſdem regni conſortes. Sic nimirum fit, vt ex veritate diſſidia, bella, diſcordiæ, inimicitiæ oriantur.

CAPVT

CAPVT XXVI.

Quia Veritas ſe mendacij argui non patitur, ideò bellis obnoxia eſt, tametſi reuerà pacifica.

HVc accedit, quòd veritas ferre non poteſt vt falſitatis vel mendacij accuſetur. Perinde atque caſta matrona nihil iniquiore animo ſuſtinet, quàm cùm adulterij aut impudicitiæ rea peragitur: ſic qui ſpiritu Dei aguntur, vt ſciunt in doctrinæ veritate ſitam eſſe vitam & ſalutem mortalium; ita quoque non ignorant, Sathanam hoc in primis agere, vt veritati illi fidem adimat. ideò, nihil minùs ferre poſſunt, quàm vt mendacij ſuſpecta reddatur.

Et alioqui ingenui hominis eſt, vt mendacium omne cane peius & angue oderit, & mendacis linguæ contumeliam totis viribus auerſetur. Vani & impudentis eſt hominis, de mendacij nota minimè erubeſcere: vt ſuprà etiam admonuimus. Hinc cùm Chriſto Iudæi dicerent; Tu de te ipſo teſtimonium perhibes; teſtimonium tuum non eſt verum; volentes eum hoc modo mendacij coarguere: ſtatim repulit calumniam, dicens; Etſi ego de me ipſo teſtimonium dicò; verum eſt teſtimonium meum: quia ſcio vnde venio, & quò vado. Et cùm Feſtus præſes Paulum Apoſtolum, & doctrinam eius, falſitatis accuſaret, dicens: Inſanis Paule; multæ te litteræ ad inſaniam conuertunt: reſpondit ſtatim Apoſtolus, iniquens; Non inſanio, optime Feſte, ſed veritatis & ſobrietatis verba loquor. *Actor. 26.* Huc pertinet quod D. Hieronymus contra errores Ioannis Hieroſol. dicit, nullam eſſe viro bono minùs ferendam contumeliam, quàm vbi de hæreſi accuſatur, vel hæreticus eſſe, aut hæreticis fauere dicitur. Verba eius ſic habent; Nolo in ſuſpicione hæreſeos quemquam patientem eſſe: ne apud ignaros diſſimulatio conſcientia putetur.

Hinc quoque accidit, vt veritas ne quidem minimum quippiam de natura ſua ſibi detrahi patiatur, & ferre æquo animo nequeat, vt vel minimo aliquo errore adſpergatur. Cum Lutherani initio Eccleſiam Dei turbare inciperent, nolebant videri tantam fidei aut religionis Chriſtianæ iacturam velle facere, tamque omnia ſurſum deorſum inuertere ac miſcere; quemadmodum poſteà feciſſe res ipſa docuit. Duo tantùm vel tria ſibi concedi petebant ab Eccleſia Romana, parui admodum momenti, vt videbatur; & quæ olim in Eccleſia Catholica ſic aliquando obſeruata fuiſſe contendebant. nempe, vt Sacerdotibus, Eccleſiæ miniſtris, liceret vxores ducere: item, vt Miſſa fieret lingua vernacula: &, vt laicis ſacra Eucbariſtia daretur ſub vtraque ſpecie. Quæ ſi obtinere potuiſſent; affirmabant, ſe in reliquis omnibus cum Romana Eccleſia idem ſenſuros atque docturos. At, quia Eccleſia Catholica, à Spiritu ſancto edocta, ſatis perſpiciebat, quonam tenderent; nihil illis largita eſt. non quidem, quin ſciret, ſe ex his tribus poſſe aliquid largiri ac diſpenſate, ſi ratio iuſta ſubeſſet, & maior aliqua vtilitas inde reuerà in Dei populo ſperaretur: ſed, quòd videret Eccleſia, nouatores iſtos nihil aliud quærere, quàm vt articulos aliquos fidei aut religionis hahere atque inueniſſe viderentur, in quibus Eccleſiam Romanam hactenus erraſſe conuincerent; per ipſóſque nunc ad lucem atque agnitionem veritatis adductam fuiſſe. Hoc nullo modo ferendum Eccleſię, quæ columna & magiſtra eſt veritatis, illamque ſemper integram omniqúe ex parte inuiolatam cuſtodit. Deinde, non ignorabat Eccleſia, non ibi quieturos eſſe aduerſarios ſuos; ſi tres illos articulos contra vſum totius Eccleſiæ Catholicæ impetraſſent: ſed, ijs poſitis, mox ad alia multa & maiora gradum promoturos; nec omnino finem facturos, donec omnia haberent quæ vellent, totamque pænè Eccleſiæ doctrinam conuellerét ac peſſumdarent. Ea de re exemplum olim præceſſerat clariſſimum in Bohemia. Apud illos ſiquidem mota fuit primùm quæſtio, de calice plebi Chriſtianæ reſtituendo, vt loquebantur: eumque ibi ciuitates nonnullæ, quo iure, qua iniuriâ vſurpabant. At, quæ mox ibi hæreſeôn portenta illinc ſecuta non ſunt? Quàm rara in Bohemiâ, vicinaque Morauiâ, repetire oppida licuit, vbi calicis vſus receptus erat, in quibus non ſimul ſex aut ſeptem diuerſas ſectas videre liceret? Nimirum, non quærunt aut poſtulant hæretici parua huiuſmodi aduerſus veritatem, quòd ijs velint contenti eſſe: ſed, vt ſi illa obtineant, gradum ſibi inde conficiant ad maiora & longè plura tranſeundi, iugulumque tandem ipſum veritatis (vt ſic loquar) petendi. Quæ cauſa fuit, vt Catholici numquam hæreticis vel minimum quidquam

concedere voluerunt, quod in detrimentum veritatis, vel hæreſi quovis modo affine eſſe videretur; aut vllam cum iis inire concordiam. Quippe, non ignorantes illud Apoſtoli;
2. Cor. 6. Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Quoties tentatum fuit olim ab Arrianis, vt aliquam cum Catholicis concordiam inire poſſent: Ad quam vt accedere viderentur, facile ſe paſſuros dicebant, vt homouſios eſſe Patri Filius crederetur, modò ne diceretur homoiuſios. De iota tantum res agi videbatur inter Chriſtianos & Arrianos: neque tamen concedendum eſſe vel tantillum Arrianis Chriſtiani iudicabant: quod ſub hac vna littera viderent, eos errorem ſuum occultare; quo donatione gratiæ, non proprietate, Filium Patri ſimilem intelligi volebant.

Quibus autem artibus Cæſareæ Ciuitatis præfectus ſancto Baſilio Epiſcopo perſuadere non conabatur, vt tempori cederet; neque tot Eccleſias in diſcrimen adducere vellet, paruæ rei vel differentiæ cauſâ, vt dicebat? At, quid reſpondit ſanctus & prudens Epiſcopus? Adoleſcentulis inquit tales ſermones congruere; hos enim & his ſimiles, talibus perſuaſionibus capi: qui verò diuinis eſſent litteris eruditi, nullam illos earum litteram aut apicem pati poſſe in diſcrimen venire; quin & ſolere, cùm res poſceret, nullum genus mortis pro illis ſubeundum recuſare. Ac viſus quidem propterea fuit dictuſque hæreticis durus, pertinax, intractabilis fuiſſe Baſilius: itidem vt ante eum, in ſimili cauſa, Athanaſius & Hilarius. Sed, quam hæretici pertinaciam, eam Catholici & veritatis propugnatores conſtantiam (vt reuerà erat) iudicabant. Quid? quòd hæretici nonnunquam res maximas ſolent dicere parui momenti ac leuiculas eſſe; quò magis fallant, & facilius, quod volunt, extorqueant. Qua de re litteris proditum eſt memorabile aliquid in hiſtoria noſtri temporis. Cùm magna eſſet altercatio, atque ingens diſcordia, initio turbarum iſtarum, inter Lutherum & Sacramentarios, occaſione doctrinæ de præſentiâ corporis & ſanguinis Domini in ſacra Euchariſtia; Martinus Bucerus, hæreticus, magnam operam & ſtudium adhibebat, eos vt adduceret in concordiam. Quod, vt meliùs perficeret, perſuadere Luthero nitebatur, eſſe rem leuiculam, & citra fidei iacturam, diſſenſiunculam iſtam (vt loquebatur) in hac materia. At, quid illi reſpondit Lutherus in Epiſtola ad Argentinenſes? Sic (inquit) ſentit ſpiritus ille, fidem non perdi; ſi Chriſtus, vt mendax in verbis ſuis, blaſphemetur. Pulchra ſententia, licet ab impuro ore & ab hoſte veritatis ſummo prolata; quæ & totidem verbis, in omnes, & quaſcunque doctrinas, veritati contrarias, dici poteſt. Quia igitur veritas nullam vult prorſus falſitatem admittere, nullum errorem agnoſcere; hinc malè audit apud multos: hinc moroſa dicitur à perfidis ac malitioſis hominibus, ſuperba, contentioſa, rixoſa; pacis communis, charitatis & concordiæ perturbatrix; & multa ſimilia.

Quum ergo veritas huiuſmodi accuſationes & contumelias totis viribus à ſeſe amoliri conetur; non eſt mirum, ſi ab improbis & contentioſis hominibus hac occaſione lites & iurgia & diſſidia grauia excitentur. Quia & hoc etiam hîc notandum, veritatem poſtulare (idque bono iure) vt ſibi fides habeatur, eo ſolo nomine quia veritas eſt. Nam veritatem dicenti fides debetur, citra omnem contradictionem, ob hoc ipſum, quia veritatem dicit. Vnde Chriſtus Iudæis ſimpliciter dicit; Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Alioqui, potuiſſent Scribæ & Phariſæi multa prætexere, quòd doctrinam eius non recipiebant: vtpote; Prædicas ſine auctoritate Eccleſiaſtica & ſacerdotali. ſicut interdum dicebant; In qua poteſtate hæc facis? & quis dedit tibi hanc poteſtatem? item, Nemo principum aut Phariſæorum credit tibi. vt dicebant aliquando miniſtris ſuis: Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis? vel, Non credimus tibi, quia Galilæus es, vnde Propheta non ſurgit. ſicut Nicodemo dicebant, Chriſti cauſam defendenti. vel, Non ſeruas ſtatuta maiorum. vel quid ſimile. Verùm, contra omnes has exce-
Ioan. 8. ptiones vrget Dominus vnam auctoritatem veritatis, dicens; Veritatem dico verbis. cur ergo non creditis mihi? Qui ſic loquitur, ſatis oſtendit ſe nullam rationem vel exceptionem agnoſcere, quæ impedire debeat quo minùs veritati credatur: quod eſt etiam profectò veriſſimum. Veritas enim per ſe tantæ eſt pulchritudinis, vt propter ſeipſam amari mereatur, etſi nulla alia habeat ornamenta coniuncta: tantumque in ſe pondus habet, vt eo ſolo conſcientias omnium mouere meritò & conſtringere debeat vt recipiatur & credatur; etiamſi alijs omnibus medijs & rationibus perſuadendi careret.

Et hinc communiter dicitur, viro honeſto, graui, & veraci, iniuriam fieri, quando non creditur verbis eius, niſi alia præterea dictorum ſuorum teſtimonia afferat. Quare? Quia talis

talis præſupponi debet, veritatem dicere, quæ per ſe fidem meretur. Sic Cotta Lucillo, apud Ciceronem; Maioribus noſtris, ait (etiam nulla ratione reddita) rationis eſt, credere.

CAPVT. XXVII.

Contra præſumptam hæreticorum de Veritate iactantiam; vt quaſi cum Chriſto dicere velle videantur; Si veritatem docemus, quare nobis non creditur?

SED hanc veritatis conditionem aduerſarij noſtri atque Eccleſiæ Dei, hæretici omnes huius temporis, perquàm libenter agnoſcunt, euntque manibus & pedibus in prædictam ſententiam; quod nimirum propter ſeipſam Veritas ſine alijs probationibus recipi debeat, & plenam fidem mereatur. Quare ergo (ait quidam illorum) noſtro hoc ſæculo non vna quæritur veritas? Quorſum attinet tot quærere ſubterfugia? Si vera non ſunt quæ docemus, refellantur euidentibus argumentis: ſi vera ſunt, quare non placidè acceptantur. Alius dicit, Doctrina hæc noua eſt: alius, Schiſmatica eſt: alius, Emendare doctrinam pertinet ad ſolum Pontificem Romanum: alius obijcit Patres, alius Concilia, alius ſtatuta Eccleſiaſtica. Quid opus eſt iſtis effugijs? Dicatur ſimpliciter: Non eſt vera iſta doctrina. ſed probetur etiam. Si id fieri non poteſt, quare non datur locus veritati. Sic ille. Belli ſane homines, & bene fortiterque pro veritate certantes: at planè triumphum cantantes ante victoriam. Videamus ergo in primis quàm pulchrè cauſam ſuam comparent cauſæ Chriſti.

Quemadmodum Chriſtus Iudæis dicebat; Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi. ſic illi ſe nobis eodem iure dicere poſſe arbitrantur; Si veritatem vobis tradimus & prædicamus, quare non creditis nobis? Nec volunt alias ab ipſis poſtulandas eſſe rationes doctrinæ ipſorum, vt credatur ſtatim & recipiatur obuijs vlnis, quam quia vera eſt. Rectè: ſi conſtaret omnibus, vel ſatis ab ijs probatum eſſet, veram eſſe. Atqui res longe aliter habet. Volebat Chriſtus credi ac recipi ab Iudæis doctrinam ſuam, quia vera erat, non obſtantibus illis omnibus, quæ Iudæorum primores contrà obijciebant & prætexebant, vt iam diximus Sed quonam modo? Poſtquam ipſe primùm teſtimonio ſæpè repetito Ioannis Baptiſtę, quem omnes confitebantur & clare conſtabat eximium Dei Prophetam eſſe, declaratus erat eſſe Chriſtus à Prophetis promiſſus ad ſalutem Iſraël ac totius mundi, vereque filius Dei. Quod teſtimonium Chriſtus ipſe omneſque Apoſtoli permagni faciendum oſtendunt. Deinde palàm etiam cælitus multis miraculis oſtenſus fuit ac declaratus eſſe filius Dei, ante omnem prædicationem ſuam. Cum enim ab Ioanne baptizaretur, cæli aperti ſunt ſuper eum, deſcendit in eum è cælis Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ, & vox Patris intonuit; Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Super hæc autem omnia, tot & tanta miracula fecit Chriſtus tota vita ſua in Dei nomine, vt nemo vmquam veterum Prophetarum plura vel maiora. Quæ vel ſola tanti ſunt ponderis ac momenti, ad confirmationem doctrinæ Chriſti: vt ipſemet de illis dixerit; Si opera non feciſſem in eis, quæ alius nemo fecit, peccatum non haberent. hoc eſt, excuſari poſſent, quòd in me non credunt, meque & doctrinam meam reijciunt. Nunc verò, inquit, excuſationem non habent de peccato ſuo.

Ioan. 8.

Matth. 3.

Si ergo hæretici noſtri hæc & talia ſigna habent veritatis doctrinæ ſuæ, eant ſanè, & comparent audacter cauſam ſuam cum cauſa Chriſti: & dicant nobis eius verbis; Si veritatem vobis annuntiamus, quare non creditis nobis? & confitebimur nos malè facere, quòd doctrinæ illorum contradicimus. At vero ſi nihil planè habent huiuſmodi, ſi nec Prophetæ ſunt ipſi, nec Prophetam habent aliquem doctrinam ipſorum & vocationem approbantem, nec cæleſte aliquod Dei clarum certumque teſtimonium, nec vllum vmquam miraculum fecerunt, in confirmationem doctrinæ ſuæ, nec ab Eccleſia Dei miſſi ad nos venerunt, ſed ſeipſos in docendi officium intruſerunt, & noua plane atque conficta afferunt, quæ nec patres nec maiores noſtri, nec vmquam audiuit Eccleſia Dei, & quæ contraria ſunt doctrinę & fidei totius orbis Chriſtiani; quo iure, imò qua non impudentia à nobis poſtulant, vt, omnibus poſitis exceptionibus, illis credamus? Veritatem prædicamus, inquiunt: debetis veritati, à quocumque dicatur, fidem adhibere. Quaſi verò non ita locuti ſemper ſint omnes hæretici, omnes nouatores & ſeductores. nec propterea tamen

ſtatim ab Eccleſia auditi vel recepti fuerunt: ſed exploſi & reiecti ac damnati potiùs, non obſtantibus omnibus ſpecioſis verbis ipſorum de veritate quam dicebant.

Et profectò, ſi ſatis eſt ad perſuadendum, dicere; Afferimus vobis & prædicamus veritatem; cur ipſimet dicentibus hoc ipſum Anabaptiſtis non credunt? Dicunt illi ipſis ac nobis, iiſdem Chriſti verbis; Si veritatem vobis annuntiamus; quare non creditis nobis? Quod ſi dicant, ſe Scripturam pro ſe habere & verbum Dei: idipſum & Anabaptiſtæ clamant æquè confidenter & pertinaciter; & tamen non credunt eis. Quod & rectè & laudabiliter faciunt; ne nulla in re laudare eos velle videamur. Verùm quo iure & ratione ipſi Anabaptiſtas, cum omni ipſorum quam docent veritate, reiiciunt; eadem ratione ac iure, nos quoque eos, cum ſua quam prætendunt & iactant veritate, repudiamus: cùm illorum & Anabaptiſtarum eadem planè cauſa ſit; nec pluribus, aut fortioribus, aut melioribus argumentis probare queant ſe veritatem habere, quàm Anabaptiſtæ.

CAPVT XXVIII.

Altera præſumptionis hæreticæ portio, cùm dicunt; Si Veritatem non docemus, euidentibus argumentis refellamur.

SED dicunt: Si vera non ſunt quæ docemus, refellantur euidentibus argumentis. Rectè: verùm, quid ſi id centies factũ ſit, & nolint agnoſcere: Sic profectò res habet. Quot nobiliſſimi ſcriptores ex omni loco & prouincia orbis Chriſtiani refellerunt doctrinã illorum euidentiſſimis argumentis: & quid profuerunt omnia? Quid facias cum ſuperbis & obſtinatis quibuſdam, qui tametſi omnibus armis exuantur, proſternantur, ligentur manus & pedes; ita vt non modò ſurgere, ſed ne commouere ſe quidem poſſint; tamen fateri nolint ſe victos eſſe citiùs eos iugules, & vita omni priues, quàm hoc ab eis extorqueas?

Damnata eſt iſtorum doctrina ab omnibus Eccleſiæ Chriſti ſupremis paſtoribus, veris doctrinæ Chriſtianæ iudicibus & cuſtodibus Damnata eſt à ſcholis Chriſtianis & academiis omnibus: nec ſolùm damnata, ſed magnis etiam atque euidentibus rationibus confutata. Damnata & exploſa eſt à multis conciliis generalibus: nouiſſimè autem à concilio generali Tridentino, illius gratia tantum modò celebrato. Hoc eſt, à tota Eccleſia, à toto orbe damnata eſt. Quid volunt ampliùs? Nimirum vt manus omnium ſunt contra illos, ſic illorum manus ſunt contra omnes. Id quod Scriptura de Iſmahel affirmat, cuius magna ex parte ingenium & mores ſequuntur. Volunt vt res decernatur ex ſacra Scriptura, ex verbo Dei. Non repugnamus; idque adeò factum à Catholicis ſcriptoribus, & præcipuè à concilio Tridentino affirmamus. Ipſi negant. Quis huius controuerſiæ arbiter erit; niſi quibus & nos & illos obedire & ſubiacere oportet, iuxta Pauli doctrinam, Eccleſię ſanctæ Catholicæque præpoſiti? niſi quam audire iubet ſub grauiſſimis pœnis Saluator, quæque eſt columna & firmamentum veritatis, Eccleſia? niſi de quibus idem affirmat; Qui vos audit, me audit; Apoſtolorum ſucceſſores? Ipſi nihil horum admittunt; ſed volunt vt ſola diuina Scriptura hîc ſit iudex. Arqui illam prætendit vtraque pars, tam nos contra illos, quàm illi contra nos. Illa enim non loquitur, nec pro vtra litigantium parte ſtet, edicere poteſt. Proinde, hanc etiam contra illos Anabaptiſtæ proferunt. Nec magis hac in re Anabaptiſtas redarguere poſſunt aut conuincere, quàm ſeſe à nobis conuinci patiuntur. Nec vlli vmquam hæretici tam deplorati fuerunt, vt ipſi quoque ſciunt, qui non Scripturas pro ſe ſtare crederent, multaſque in errorum ſuorum confirmationem afferrent. Quis ergo vmquam finis erit concertandi, ſi ſolis mutis Scripturis res agatur?

Sed excipiunt adhuc, & numquam quieſcunt. Dicunt, idoneos & non partiales iudices ad examen doctrinę dari atque admitti oportere. Hoc non ſolum fraudulenter & malitioſè, vt cetera omnia, ſed ſtultè etiam atque ineptiſſimè dicunt. Si enim volunt in hac controuerſia iudices habere non partiales, orbem Chriſtianum exire debent, vt tales inueniant: & ne ibi quidem vel ſic reperturi. Nam omnes Chriſtiani huius vel illius partis ſunt, noſtræ vel aduerſariæ: hoc eſt, Catholici vel hæretici. Quòd ſi qui neutrum ſunt, ne Chriſtiani quidẽ ſunt. At quum iudices in hac cauſa poſtulant nõ partiales, hoc agunt, hoc volunt, vt ipſimet vel ſectarum quas ſequuntur magiſtri hîc pro iudicibus deligantur. Atqui, vt Catholicos omnes Epiſcopos & Doctores habent pro partialibus, ſic nos illos pro talibus habemus vel maximè. Et vt nos illos ac tales non recuſemus, quid facient

Geneſ. 16.

cum

cum magiſtris & diſcipulis aliarum ſectarum, quibuſcum illis non multo meliùs conuenit, quàm nobiſcum? Num iudices poſtulabunt Zwinglianos vel Caluiniſtas? Atqui illos repudiabunt Lutherani. Num Lutheranos? Hos longè minùs ferunt Caluiniſtæ. Et vtroſque reſpuent Anabaptiſtæ, qui non pauci etiam numero ſunt (prô dolor!) vbique locorum. Taceo de alijs ſectis propè innumeris, quarum nulla alias æquo animo ferre poteſt. Sed & Lutherani quoque ipſi diſſecti ſunt inter molles & rigidos, qui mutuò ſeſe cane peius & angue oderunt: libriſque etiam vtrimque multis editis non minùs alij alios damnant diriſque deuouent, quàm Catholicos.

Quum initio doctrina illorum damnaretur à Romano pontifice, ſupremo vtique doctrinæ Chriſtianæ iudice veritatiſque cuſtode ac defenſore; appellabant ad concilium generale: illius iudicio ac decreto ſe ſtaturos affirmabant. Sed mendaciter ac fraudulenter, vt omnia. Non quærebant, non deſiderabant, concilium generale: nec vmquam illius animi fuerunt, vt cuiuſuis concilij decretis acquieſcerent. Ideò autem tantummodò fingebant ſe concilij definitione ſtaturos, quòd vel numquam futurum putabant tale concilium, vel certè in longum dilatum iri: cùm res ſit factu profectò difficillima. Interim autem tempus ſaltem lucrari volebant, & regnare pro arbitrio. Quòd ſi aliquando concilium generale conueniret, tum ſat multas exceptiones inuenturos & propoſituros, ad non parendum: quod re ipſa poſtmodum declararunt. Tandem enim maxima cura ac diligentia Romani Pontificis, magnis ſumptibus & laboribus prælatorum Eccleſiæ, regumque & principum Catholicorum, celebratum eſt concilium generale Tridenti maximum & celeberrimũ, conuenientibus eò prælatis Eccleſiæ alijſq; viris doctiſſimis, ex omnibus prouincijs Chriſtianis totius Europæ. Examinata eſt doctrina hæreticorum ſummo ſtudio, inuenta eſt contraria veritati, ac proinde omnium concordibus vocibus ſuffragiiſq; dãnata. Quid ſecutum eſt? ſteterúntne hæretici dictis & promiſſis ſuis? num acquieuerunt definitioni concilij ac totius orbis terrarum Chriſtiani? Minimè gentium. Dixerunt, concilium non eſſe legitimum. nempe, quia non ex ſolis conſtabat hæreticis. Multas protulerunt exceptiones contra concilium: ſed tam friuolas & ineptas, vt indignum ſit commemorare. Si quis eas tamen videre velit, cum refutationibus congruentibus, legat Stapletonum lib. 7. Controuerſiarum cap. 9. & ſequentibus. Ergo non fefellerunt ea in re expectationem Catholicorum: ſed eſt eis tamen per concilium omnis adempta excuſatio; tametſi non frons meretricia.

CAPVT XXIX.

Quanti ſit roboris argumentum; Doctrina hæreticorum noua eſt, ergo non eſt vera.

SED hîc rurſus dicunt, non bonam eſſe collectionem: Doctrina hæc noua eſt, ergo non eſt vera. ſiue, Patres noſtri ac maiores aliter docuerunt, aliter crediderunt; ergo hæc doctrina, cum patrum doctrina non conſentiens, falſa eſt. Hæc ſunt certè Catholicorum argumenta contra huius temporis hæreticorũ doctrinam. Quibus argumentis quia valde premi ſe ſentiunt, in omnem ſe partem vertunt, vt veritatem obſcurent. Nunc antecedens negant, nunc conſequentiam: interdum dicere non verentur, doctrinam ſuam non eſſe nouam nec primæ Eccleſiæ antiquitati contrariam. At quia hoc tam eſt abſurdum & prorſus alienum à veritate, vt vix pueris atque imperitiſſimis perſuadere valeant; ideò ex hac arce depulſi, aiunt, doctrinam ſuam, tametſi noua eſſet, tamen non ideò ſtatim cenſeri debere falſam eſſe: in ijs enim quæ fidem & doctrinam ſalutis concernunt, non tam videndum quid antiquitas ſenſerit, quàm quid habeat verbum Dei: etiam Chriſti & Apoſtolorum doctrinam fuiſſe nouam & inauditam, non ſolùm apud omnes gentes toto orbe terrarum, ſed magna etiam ex parte apud Iudæos, & tamen non propterea à quoquam iure ſperni aut reſpui potuiſſe: nec videndum etiam in hac re, quid maior hominum multitudo longo tempore ſecuta ſit; ſed quid veritas habeat & verbum Dei.

Ad hoc dicimus, poſtquam Chriſtus ſemel fundauit in mundo regnum ſuum, per doctrinam veritatis Euangelicæ, miſſis Apoſtolis ſuis atque Apoſtolicis viris ea de cauſa in totum orbem terrarum, nullam doctrinæ innouationem vmquam eſſe in Eccleſia admittendam; ſed permanſuram fidem illam atque doctrinam, vbicumque erit Eccleſia Chriſti aut electi eius, vſque ad mundi finem: iuxta illud ipſius

Chriſti, Matth. 24. Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio. Proinde, optimum eſt argumentum, & certiſſima conſequentia in Eccleſia Chriſti; Hæc doctrina noua eſt, & maioribus noſtris inaudita; ergo falſa eſt, & veritati contraria. Sic dicit D. Hieronymus, Epiſtola ad Pamachium & Oceanum, quæ incipit, Schedulæ: Vſque in hanc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit: illam fidem ſenex tenebo, in qua puer natus ſum. Sed longè omnium pulcherrime & doctiſſimè hac de re ſcribit Vincentius Lirinenſis in aureo ſuo libello contra profanas hæreſeôn nouationes: In ipſa Catholica Eccleſia magnoperè curandum eſt, vt id teneamus quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc eſt etenim verè proprieque Catholicum: quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia verè & vniuerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem: Sequimur autem vniuerſitatem hoc modo, ſi hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia: antiquitatem verò ita, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos maiores & patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate, omnium vel certè pænè omnium ſacerdotum pariter & magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectemur. Et poſteà tractans illa Apoſtoli verba Timoth. 6. O Timothee, depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates: Non dixit, inquit, antiquitates, non dixit vetuſtates; imò planè quid econtrariò ſequeretur oſtendit. Nam ſi vitanda eſt nouitas, tenenda eſt antiquitas; & ſi profana eſt nouitas, ſacrata eſt vetuſtas. Et paulò pòſt: Depoſitum cuſtodi: quid eſt depoſitum? Id eſt, quod tibi creditum eſt, non quod à te inuentum; quod accepiſti, non quod cogitaſti; rem non ingenij, ſed doctrinæ; non vſurpationis priuatæ, ſed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua non auctor debes eſſe, ſed cuſtos; non inſtitutor, ſed ſectator; non ducens, ſed ſequens. Intelligatur te exponente illuſtriùs, quod ante obſcuriùs credebatur: per te poſteritas intellectum gratuletur, quod anteà vetuſtas non intellectum venerabatur. Eadem tamen quæ didiciſti ita doce, vt cùm dicas nouè, non dicas noua: Sed forſitan dicet aliquis; Nulluſne igitur in Eccleſia Chriſti profectus habebitur religionis? Habeatur planè, & maximus. ſed ita tamen, vt vere ſit ille profectus fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, vt in ſeipſa vnaquæque res amplificetur: ad perturbationem verò, vt aliquid ex alio in aliud tranſuertatur. Sic ille. Multa ſcribit ibidem latiſſimè in eamdem ſententiam digniſſima lectu: ſed quæ nimis longum foret hîc omnia recenſere.

Quòd verò dicunt aduerſarij, in cauſa fidei non ſequendam eſſe maiorem hominum multitudinem; ſi de fidelibus & Chriſtianis loquuntur, magnopere errant. Audiant & intelligant D. Auguſtinum longè aliter loquentem, Epiſt. 117. cap. 7. Si quid, inquit, tota per orbem obſeruat Eccleſia, hoc, quin ita faciendum ſit, dubitare, inſolentiſſimæ eſt inſaniæ. Et ſtulte atque inconſiderate dicitur, magis acquieſcendum eſſe in negotio fidei Chriſtianæ verbo Dei, quam hominum Chriſtianorum multitudini. Quaſi verò maxima ſeu tota multitudo fidelium poſſit eſſe in cauſa religionis contraria verbo Dei: cùm ipſa ſit Chriſtianorum multitudo, ſiue Eccleſia Dei, quæ Dei verbo aſſidue ſeruatur, illuminatur, regitur, propagatur. Notum eſt Iſaiæ oraculum, de Eccleſia Dei noui Teſtamenti tempore, cap. 59. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus; & de ore ſeminis ſeminis tui, amodò, & vſque in ſempiternum. Quæ promiſſio concordat omnibus ſententijs Euangelicis & Apoſtolicis.

Sed nimis ineptum eſt ac ridiculum, cùm nouitatis in doctrina arguuntur, & paucitatis reſpectu totius Eccleſiæ Catholicæ, non præſentis duntaxat, ſed omnis ſuperioris temporis; quòd excipiunt, etiam Chriſti doctrinam fuiſſe nouam, & paucos initio ſectatores inueniſſe. Noua enim reuerà erat doctrina Chriſti; ſed propterea maximis ſignis & miraculis tum inter Iudæos, tum inter gentes, vbique locorum plantata fuit. Vbi ſunt hæreticorum noſtrorum miracula, ſi rurſus nobis volunt nouam religionis doctrinam afferre? vel quibus ſignis nobis oſtendent veram eſſe, quando noua eſt: quando præcipue per Dei verbum edocti ſumus, & præmoniti, omnem doctrinæ nouitatem in religione, vel cauſa noſtræ ſalutis, vitare? Sed hac de re paulò ante plura aliquanto, & ſatis diximus. Deinde, multorum veteris Teſtamẽti Prophetarum oraculis apertè prædictum fuit, futurum, vt Chriſtus toti mundo nouam religionem afferret, omnem idololatriam gen-

tium toto orbe terrarum, omnemque ritum externum in cultu Dei apud Iudæos ceſſaturum. Denique, etiam hoc Prophetæ prædixerant, ne quis cùm accideret miraretur, perpaucos initio in Chriſtum eſſe credituros. Huc pertinent illa Iſaiæ 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, &c. Item 53. Domine quis credidit auditui noſtro? &c. Doceant ergo ſectarij noſtri, tale quippiam in Propheticis vel Apoſtolicis ſcriptuns de doctrina ſua prædictum eſſe. Doceant, alicubi prophetatum, Eccleſiam Chriſti totam, & ſocietatem fidelium, totos mille annos neſcituram eſſe veram doctrinam ſalutis, imò veram & variam idololatriam vbique locorum perpetraturam, vt iſti ſuſtinent in Eccleſia contigiſſe. Dicunt à Paulo Apoſtolo prædictum eſſe futuros in Eccleſia qui prohibeant nubere, & abſtinere à cibis, quos Deus creauit vt cum gratiarum actione ſumantur. Hæc aiunt, Catholicos tanto tempore feciſſe & docuiſſe. Sed quàm nulla cum ratione vel colore veritatis hoc dicunt, etiam pueri queant intelligere: quare & nos non duximus operæpretium, diutiùs immorari. Breuiter hæc tantùm attingimus, vt conſtet omnibus, veritatem nuſquam eſſe poſſe niſi in Eccleſia Catholica: illiuſque præfectos, veros demum, legitimos atque idoneos eſſe doctrinæ Chriſtianæ iudices & cuſtodes: ac proinde, in doctrina hæreticorum & ſectariorum quorumuis, nequaquam locum habere, nec vllo pacto ad illam pertinere, quod de veritate diximus, credendum illi eſſe propter ipſam, quia veritas eſt; etſi nulla haberet alia ad perſuadendum ſigna vel adminicula: quum illorum doctrina tam longè abſit à veritate, quàm procul abſunt tenebræ à lucis claritate.

CAPVT XXX.

Quo ſenſu Veritas non venit pacem mittere, ſed gladium; cùm ſit pacifica.

EX huius autem ſolutione quæſtionis nonnihil iuuabimur, ad intelligentiam alterius difficultatis quæ naſcitur ex præmiſſis, præcipue verò ex ijs quæ diximus in tractatione Scripturæ illius Matth. 10. Putatis quia pacem venerim mittere in terram? Non veni pacem mittere, ſed gladium, &c. Diximus ibi, veritatem aliquádo cauſam eſſe diſſidiorum, diſſidiaq; amare & excitare, & pacem concordiamq; turbare: ſed malam pacem turbare, bonaque & ſalutaria excitare diſſidia. Hoc hæretici noſtri & audiunt etiam atque admittunt libenter, & ad ſe trahunt, & accommodant cauſæ ſuæ, & Catholicorum cauſam hac ratione euertere poſſe arbitrantur. Sic vnus illorum ſcribit, in illud Ioan. 9. Et ſchiſma erat inter illos: Iterùm, inquit, propter Chriſti veritatem oritur diſſenſio inter eos qui vnum debebant eſſe corpus. Quid igitur faciunt, qui hodie doctrinæ noſtræ vitio vertunt, quòd per hanc ſcindantur, qui antea concordes fuerant? Quibúſnam Phariſæis diſſenſionis huius culpam aſſcribemus? Annon illis, qui Chriſtum falsò damnabant? Vertemuſne vitio reliquis, quòd iſtis non acquieuerunt? Abſit. Sic ille ibi. Et citat pro ſe locum illum ex Chryſoſtomo ſuprà à nobis citatum. Denique in Matth. cap. 10. poſtquam rectè quædam dixit de bonis diſſidijs ab veritate excitatis: Hæc, inquit, debebant cogitare qui hodie queruntur de inteſtinis diſſidijs per Euangelium excitatis. Plauſibile eſt quod dicũt in oculis carnis: Ecce ante nouam iſtam doctrinam pacata erant omnia: eramus vnanimes, nemo diſſidebat religionis gratia à quoquam: iam verò videmus omnia turbata, luxata, ac diuulſa eſſe cognationis & ſocietatis iura. Et quomodo poterit iſta doctrina ex Deo eſſe? Iſta ſanè magni fiunt apud filios huius mundi, terrenæ pacis magis quàm cæleſtis ſtudioſos. Verùm idem eſt ac ſi dicat ægrotus, commoto toto per pharmacum corpore; Quid hoc eſt medicinæ? An iſthæc eſt curatio corporis mei? cùm anteà multo meliùs habuerim, iam omnia interiora mea turbata ſunt, ita vt exitium minari videantur. Sapere tne ægrotus iſta dicens? Quid medicus hîc diceret aliud, quàm, Benè habet fili: propterea veni vt iſtam commotionem in corpore tuo excitarem, ad liberandum illud à malis humoribus, atque adeò ab ipſo exitio. Doceant itaque qui talia queruntur, bonam fuiſſe concordiam in cauſa religionis. Hoc ſi docuerint, certè non inanis erit ipſorum querimonia: nempe quæ meritò doctrinam hanc incuſet turbatæ publicæ pacis, excitatiq; inteſtini ac mali diſſidij. Si verò illud nequiuerint, quid eſt quòd perpetuò iſtorum temporum turbas obijciunt, quas libenter agnoſcimus? vtpote quas ſcimus Euangelij beneficio excitatas, & meliores eſſe præteritâ pace; ſalutiferaſque multis Dei electis, quibus ad verita-

veritatem inde facta eſt via? Et tam abeſt vt non agnoſcamus quod obijciunt, vt cupiamus iſta diſſidia vltrà etiam inter illos excitari, qui adhuc in erroribus malè concordes deſident. Vtinam & iſtos corripiat gladius hic, & ignis Euangelicus: quin corripiat & Turcas, & Iudæos, & quoſuis incredulos. Hæc ille ex D. Chryſoſtomo: ſed, quo iure, iam declarabimus.

CAPVT. XXXI.

Quínam bellorum ac diſſidiorum, occaſione Religionis obortorum; ſunt cauſa dicendi; hæreticíne, an Catholici?

TOTA hæc difficultas videtur in duplici quæſtione conſiſtere; quæ tamen duplex quæſtio reipſà ad vnam tandem reducitur. Primùm, quia hoc tam grande diſſidium animorum, tam multiplex, tam graue, tamque diuturnum bellum, tanta odia aliorum in alios, tot clades animarum & corporum, tamque innumera mala quæ prouenerunt in omnibus pænè regnis & prouincijs Chriſtianis, annis iam ampliùs ſexaginta, occaſione innouatæ religionis; quia hæc, inquam, omnes boni deplorant: quæritur, quínam illorum cauſa ſint, hæreticine an Catholici. Hæretici enim frequenter affirmant, Catholicos omnium iſtorum malorum cauſam eſſe: quia pati nolunt mores ſuos & religionem reformari, iuxta verbum Dei; quin potiùs in ſimplices & innoxios tyrannidem exercere, atque ad veteres ſuperſtitiones ſuas omnes volunt compellere. Catholici contrà in hæreticos omnem malorum iſtorum culpam reijciunt: quòd nimirum, veterem, bonam, veram, ſanctamque religionem abolere, nouamque & falſam introducere conentur; illaque reformare velint, quæ vel nulla reformatione opus habeant, vel quorum ſanè reformatio ad illos nullo iure vel ratione pertineat. Itaque, hîc propriè certamen illud & quæſtio eſt, quæ inter Achab regẽ Iſraël, & Eliam Prophetam. Achab dicebat Eliam eſſe, qui turbabat Iſraël; Elias contrà: Non ego, inquit, turbaui Iſraël, ſed tu, & domus patris tui; qui dereliquiſti mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim. Quis hoc certamen dirimet? quis, vter iuſtam & veram cauſam ſuſtineat, iudicabit? Non deerant Eliæ grauiſſimæ rationes ad defenſionem cauſæ ſuæ: ſed nullas Achab rex impius rationes audire volebat, vel admittere. Quid ergo conſilij? Miraculo Elias ingenti litem diremit; quo teſtatum fecit omnibus, quem ipſe colebat Deum, verum eſſe, illiuſque legem veram & ſanctam. Vnde conſequebatur, non qui ſeruarent legẽ illam, ſed qui contemnerent, pacis & felicitatis publicæ turbatores eſſe. Felix Elias, qui ſic cauſam ſuam, & quam docebat veritatem, probare potuit. Vtinam talis aliquis nunc Elias viueret! facilè ille cauſam noſtram & veritatis contra hæreticos, pacis publicæ turbatores, defenderet. At nunc talis ferè eſt vbique locorum cauſa noſtra, & veritatis; qualis olim fuit agni contra lupum, in ſimili planè certamine: ſiquid energiæ ſimiles habent Apologi. Exſtant ea de re verſiculi quidam, ſi quis ijs potiùs quàm ſoluta oratione capitur.

Eſt lupus, eſt agnus; ſitit hic, ſitit ille; fluentem
Limine non vno quærit vterq; ſiti.
In ſummo bibit amne lupus; bibit agnus in imo.
Hinc rixæ inſurgunt, verba mouente lupo;
Rupiſti potumq; mihi, riuoq; decorem.
Agnus vtrumq; negat, ſe ratione tuens.
Nec tibi nec riuo nocui; namq; vnda ſupinum
Neſcit iter: ecce inde omnis arena venit.
Tunc iterùm tonat ore lupus: Mihi damna minaris.
Non minor, agnus ait. cui lupus; Imò facis.
Fecit idem pater antè tuus, ſex menſibus actis;
Tu mala nunc patris crimina conſequeris.
Agnus ad hæc: Tanto non vixi tempore. Prædo
Intonat: An loqueris furcifer? huncq; vorat.

MORALE.

Sic nocet innocuo nocuus; cauſamq; nocendi
Inuenit. Hi regnant qualibet arte lupi.

CAPVT

CAPVT XXXII.

An tanta hæc Eccleſiæ turbatio, qualem experimur, bona ſit, an verò mala dicenda.

ALIO modo quæritur, ſitne hæc tanta Eccleſiæ & populi Chriſtiani turbatio, quæ tamdiu durauit, tamque longè lateque peruagata eſt, bona, an mala. Catholici dicunt, malam eſſe ac deteſtabilem; & quidem ſupra modum. Hæretici contrà ſuſtinent, bonam ac neceſſariam, opuſq; & effectum eſſe veritatis Euangelicæ: vt iam ex verbis cuiuſdam hæreticorum coryphæi audiuimus. Non negat doctrinam ſuam cauſam eſſe tantorum diſſidiorum; vltrò hoc & libenter fatetur: quin cupit hoc diſſidium ſemper in maius creſcere: ita enim demum Dei gloriam, veritatis lucem, & potentiam, & ſalutem verorum Dei electorum promoueri. Quibus verbis ſi dicere vellet electos in huiuſmodi diſſidijs ac tumultibus magis ferè cùm numero tum pietate ſuccreſcere, maiorem habere curam ſalutis ſuæ; Deique adeò gloriam in aduerſis rebus magis quàm in proſperis, perſecutionis quàm pacis tempore magis elucere; dum tunc meliùs agnoſcitur, feruentiùs amatur, inſtantiùs ac ſæpiùs inuocatur à pijs & Catholicis; nihil ſanè contra veritatem diceret. At, non hoc ſentit: vult ſuam, iſtam, nouam, hæreticamque doctrinam omnis boni cauſam eſſe; ex illa, & per illam, Dei nomen & glotiam illuſtrari, fideleſque Dei atque electos ſaluari: vult illam eſſe bonam, ſalutarem, Deo gratam eſſe diſiunctionem, qua ſuæ doctrinæ ſectatores ſeparantur ab Catholicis, omnemque illorum in religione communionem deſerunt; & quæ huius diſiunctionis cauſa ac nomine diſſidia excitantur, bona eſſe ac laudabilia. Quemadmodum bona erant diſſidia ac neceſſaria quæ excitabantur initio ex doctrina & prædicatione Chriſti, itemque Prophetarum & Apoſtolorum. quia nimirum, niſi per huiuſmodi diſſidia, boni & electi à damnata ac perdita ſocietate malorum & reproborum abſtrahi non poterant. Vnde Chriſtus ideò ſe propriè veniſſe dicit, vt talia diſſidia faceret, gladiumque diuiſionis in mundum mitteret, vt ſuprà explanauimus. Huic Chriſti & Apoſtolorum doctrinæ ſuam hæretici conferunt, eumdemque planè effectum & fructum párere ſuſtinent.

Itaque omnes hæ quæſtiones ac difficultates ad vnam tandem referuntur, vt paulò antè etiam admonuimus: nempe, qualis ſit illorum doctrina; bonáne & ſalutaris, an mala & pernicioſa. Si enim bona eſt, vera, neceſſaria ad ſalutem; conſequitur, quæcumque ex ea diſſidia oriuntur, bona eſſe & neceſſaria. Si quid verò ſimul accidat, quod omnes per ſe malum eſſe fateantur, vtpote innocentum afflictio, legum bonarum extinctio vel oppreſſio, ordinis omnis ac rectitudinis perturbatio, diuini nominis iniuria, contumelia, blaſphemia, & ſimilia; non eſſe hæc imputanda doctrinæ aut effectionibus eius, ſed ijs qui illam admittere nolunt, aut recipere, eamque potiùs totis viribus oppugnant & perſequuntur. Quod eſt proprium argumentum D. Auguſtini, de Ciuitate Dei. Gentiles mala omnia quæ patiebantur, Gothis inuadentibus ac diripientibus vrbem Romam, teijciebant in doctrinam & religionem Chriſtianam; quòd illa videlicet in locum veteris idololatricæ ſuperſtitionis paulò antè illa in vrbe recepta fuiſſet. Auguſtinus contrà docet, religionem illam vtpote veram & ſanctam nullius mali cauſam eſſe: at verò, in eo malorum omnium veram cauſam ſitam eſſe, quòd religio illa & doctrina non recipiatur & colatur vt oportet. Si ergo talis quoque eſt hæreticorum doctrina; nihil ei mali eſt imputandum. Fatentur illam ſuſcitaſſe multum diſſidiorum in orbe terrarum; ſed illa bona atque ad ſalutem electorum & gloriam Dei neceſſaria fuiſſe diſſidia: malam fuiſſe veterem in religione mala & ſuperſtitioſa longam concordiam; illam proinde per nouam veritatis doctrinam ſcindendam fuiſſe & perrumpendam. Sic ille nouæ huius doctrinæ egregius doctor quicum diſputamus: Doceant, inquit, vt audiuimus, qui de horum temporum diſſidijs conqueruntur, bonam fuiſſe præteritam concordiam in cauſa religionis. Hoc ſi docuerint; certè non inanis erit ipſorum querimonia: nempe, quæ meritò doctrinam hanc incuſet turbatæ publicæ pacis, excitatique inteſtini ac mali diſſidij. Hæc ille iactabundus, vt Goliath: ſed nos illum ſuomet gladio iugulabimus.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

Religio Chriſtiana bona eſt: doctrina verò hæreticorum mala, pacem Eccleſiæ turbans.

ECCE, ipſius etiam aduerſarij noſtri teſtimonio in hac cauſa vincemus, ſi docuerimus, religionem illam, in quam ſummâ pace omnes orbis Chriſtiani prouinciæ conſentiebant, quamque ſumma animorum concordia Chriſtiani omnes colebant, antequam Lutherus & diſcipuli eius nouam ſuam doctrinam proferrent, bonam eſſe, veram ſalutiferamque religionem. Et profectò, ſi hoc doceamus; conſequitur, ipſorum doctrinam quæ huic ex diametro eſt contraria, malam eſſe, falſam, pernicioſam, peſtiferam: & propterea, iure ac merito illi imputari mala omnia, bella, ſeditiones, tumultus, odia, diſſidia implacabilia, & ſimilia quibus tot annos orbis Chriſtianus concutitur.

Atqui ſi hoc verum eſt, iam vicimus, etiam aduerſarij noſtri teſtimonio. Iam enim paulò antè oſtendimus certiſſimis & euidentiſſimis argumentis, doctrinam ipſorum malam & mendacem, ex meris erroribus, fraudibus, mendacijſque compoſitam, ipſique veritati totam contrariam. Probatum & euictum eſt hoc iamdiu, vt diximus, non modò ſcriptis eruditiſſimis omnium nationum Chriſtiani orbis, ſed ſcholarum etiam publicarum & vniuerſitatum totius Chriſtianiſmi; ac demum generali concilio Tridentino: hoc eſt, communi ſententia ac decreto totius orbis terrarum. Cui quòd acquieſcere noluerunt, non eſt mirum: faciunt hac in re, quod fecerunt omnes hæretici iam inde à primo Eccleſiæ Chriſtianæ exordio. Numquam enim vlli hæretici alicuius generalis Concilij, nedum aliorum quorumuis decretis ſtare, numquam cedere voluerunt. Et hoc præcipuè modo declarant, ſe veros & perfectos hæreticos eſſe: quum hæreticum faciat, non tam noua & falſa doctrina, quàm in tali doctrina inuincibilis pertinacia. Sed addamus nunc vnam tamen & alteram rationem, qua probemus apertiſſimè, etiam rudibus & ſimplicibus hominibus, (qui ex Scripturis ſumptas diſputationes vel ſimiles rationes ſubtiliores fortè non intelligunt) doctrinam hæreticorum noſtri temporis eſſe falſam.

Quomodo non eſſet falſa, erronea, pernicioſa hæc doctrina, quum magna ex parte conſtet ex erroribus ante multa ſæcula totius Eccleſiæ auctoritate damnatis in alijs hæreticis & ſectarijs? Deme enim articulos doctrinæ, quos ſumpſerunt hæretici noſtri à ſectarijs priorum temporum, perpaucos habebunt ſibi proprios, quorúmve ipſi auctores vel inuentores dici queant. Nos hîc tamen non omnes recenſebimus, quos à prioribus ſumpſerunt hæreticis. Prætermittemus illos quos hauſerunt à duobus Ioannis nomine execrandæ memoriç, Hus & Wyclef, quales ſunt pænè omnes illorum articuli: aduerſus quos propriè celebratum fuit generale cõcilium Conſtantienſe, Martino quinto ſummo Pontifice. Nec Albigenſes nominabimus, à quibus ſuos deſumpſit Wyclef, damnatos & exploſos ſub Innocentio tertio: nec ijs adhuc ſuperiores & antiquiores, circa tempora Eugenij tertij; quorum doctrinam cum noſtri temporis hæreticorum doctrina in multis conformem recitat ſimul & refutat D. Bernardus Serm. *66.* ſuper Cantica. Nec verò his omnibus etiam vetuſtiorem proponemus hæreticum Berengarium, damnatum cum doctrina ſua ab Leone nono Pontifice, in concilio Verſellenſi: ex quo primariam ſuam & capitalem doctrinam ſumpſerũt omnes noſtri temporis Sacramentarij, ſeu Zvvingliani vocentur, ſeu Caluiniſtæ, ſeu quocumque alio maledicto nomine. Denique non hîc commemorabo Iconomachos, damnatos ad extremum in generali concilio Niceno, Adriano primo Pontifice, ante annos ſeptingentos: à quibus noſtri ſectarij acceperunt doctrinam ſuam de tollendis ex Eccleſijs alijſq́; locis Chriſti Saluatoris & Sanctorum aliorum imaginibus. Ibimus ad tempora primæ Eccleſiæ Chriſtianæ, procul ante Gregorium primum Pontificem; cuius tempore hæretici noſtri, doctrinæ corruptionem primùm cœpiſſe, non verentur ſummo ſcelere & mendacio intolerabili affirmare. Sed diſſimulemus ad hoc tamen in præſentia, & aſcendamus ad tempora feliciſſima incorruptæ, puræ, & ſanctæ Eccleſiæ, vt loquuntur: in eo quidem, rectè & veriſſimè: at, quòd eius Eccleſiæ reſpectu, poſteriorem Eccleſiam in doctrina corruptam, impuram, fœdam nominant, in eo peſſimè & falſiſſimè. attamen ad hoc, inquam, diſſimulemus, & quid de doctrina primæ ac puriſſimæ illius Eccleſiæ ſentiant, eos interrogemus. Quæro ex illis, quid dicant

cant de Pelagio, de Manichæo, de Vigilantio, de Eunomio, de Iouiniano, de Aërio? Quæro, inquam, habeántne hos omnes pro hæreticis, an pro Catholicis. Si dicant, Pro Catholicis; ergo omnem illam damnabunt primam & puriſſimam in doctrina, vt ipſi quoque fatentur, Eccleſiam, quæ hos pro hæreſiarchis perniciosiſſimis condemnauit. Et ſi Catholici ſunt, quos iam nominauimus; ergo Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Epiphanius, (vt ceteros taceam) hæretici erunt. Hi enim omnes contra illos, ſua quiſque ætate, ex profeſſo, verbis, ſermonibus, concionibus, ſcriptis, & libris multis, pugnarunt conſtantiſſimè quamdiu vixerunt. Et in confeſſo eſt, ſcripta Patrum atque Doctorum iſtorum contra illos, quos iam nominauimus, ab omni Eccleſia Catholica & Chriſtiana probata ſemper & mirificè collaudata fuiſſe. Ipſique met adeò hæretici noſtri, quoties eis opportunum videtur, Patrum iſtorum ſcriptis ac teſtimonijs vtuntur, ad confirmationem, vt putant, doctrinæ ſuæ; non autem vel Iouiniani vmquam vel Vigilantij, vel Eunomij, vel Aërij, vel ſimilium. Quare effugere nullo modo poſſunt, quin fateri cogātur, illos quos ſuis ſcriptis & ſermonibus dicti Patres & Doctores ſanctiſſimi confutarunt, hęreticos deploratos & ſeductores fuiſſe. Sed pergamus in hac quęſtione.

CAPVT XXXIIII.

Quàm certum eſt, primorum temporum hæreticos fuiſſe ſeductores & deploratos hæreticos; tam certum eſt & de noſtri temporis ſectarijs.

QVOD ſi fateantur, priores illos fuiſſe hæreticos, ſimul etiam ſeſe hæreticos eſſe, falſamque, mendacem, & peſtilentem doctrinam tradere, illis eſt neceſſariò confitendum: nam eamdem planè omni ex parte doctrinam cum illis afferunt, & perſuadent populo. Cum Manichæo enim docent non eſſe in homine liberum arbitrium; contra quem errorem exſtant multa doctiſſimè ſcripta apud Auguſtinum, & Chryſoſtomum, vt ne alios nominemus. Cum Pelagio tradunt, liberum arbitrium non poſſe conuenire cum gratia Dei, & quodlibet iſtorum alterum tollere: proinde, vt gratiam Dei defendant, quam tanti videntur facere, liberum tollunt arbitrium. Hunc errorem quot libris confutauerit Auguſtinus, cunctis notum eſt. Cum eodem Pelagio docent, paruulos vel non habere peccatum, vel poſſe ſine Baptiſmo ſaluari. Nam in hac doctrina variant inter ſeſe, vti in multis alijs.

Cum Vigilantio & Eunomio (teſte D. Hieronymo) docent, Sanctorum defunctorum reliquias non eſſe vel in Eccleſijs vel altaribus honorandas à fidelibus. Cum eodem Vigilantio, cereos non eſſe in Eccleſijs accendendos; Sanctos cum Chriſto regnantes in vita beata, non eſſe inuocandos, nec ſcire illos, audite vel cognoſcere preces noſtras; multaque ſimilia. De quibus omnibus notum eſt quid D. ſcribat Hieronymus.

Ex Aërio ſumpſerunt, quod docent nullum eſſe purgatorium animarum poſt hanc vitam, nec orandum pro defunctis. Item ieiunia ab Eccleſia præſcripta, ſimiliter & dies feſtos, non eſſe obſeruandos; ſed vnicuique ieiunandum & feriandum, quandò ei lubet. Denique, nullam eſſe differentiam ordinis vel poteſtatis inter ſimplicem Sacerdotem & Epiſcopum. De quibus hæreſibus legere eſt diuos Auguſtinum in libro de hæreſibus & Epiphanium Hæreſi 75.

Ab Iouiniano verò acceperunt, ieiunium & caſtitatem virginalem non pertinere ad cultum Dei, nec per ſe Deo grata eſſe. Item, vota monialiū nullius meriti eſſe apud Deum; & ſine vllo peccato violari poſſe vel ſolui, matrimonio ſubſequente. Denique, non eſſe apud Deum maioris pretij vel dignitatis, ſanctam & perpetuam virginitatem, quàm caſtum coniugium. De quibus omnibus videre eſt Auguſtinum Hæreſi 82. Ambroſium Epiſtola 81. & Hieronymum in libris multis & Epiſtolis ex propoſito aduerſus Iouinianum conſcriptis.

Quod ſi igitur tanta pars doctrinæ hæreticorum noſtrorum ex veterum hæreticorum erroribus à tota Eccleſia primitiua & ab omnibus Eccleſiæ primarijs Doctoribus cōuictorum ac damnatorum, quoſque ipſimet quoque pro hæreticis habent, deſumpta eſt; annon palàm conſtat, doctrinam illorum omnem eſſe hæreticam & peruerſam? Dico omnem illorum doctrinam: quia non illa modò eſt mala & peruerſa cenſenda, quæ olim in alijs

hæreticis manifeſtè damnata fuit, vt nunc oſtendimus; ſed quamcumque etiam aliam tradunt, dummodò cum Catholica non conſentiat. Vt enim vel vna ſola hæreſis, ſiue vnus aliquis hæreticæ doctrinæ articulus, hæreticum facit; ſic vnus vel plures hæretici articuli totum doctrinæ corpus inficiunt: vt rectè vereque dicatur, propter vnum, duos, vel plures falſos articulos, doctrinam alicuius ſimpliciter eſſe malam. Quamquam in alijs doctrinæ articulis, quos ſibi habent proprios, quique præteritis temporibus videntur cogniti non fuiſſe, vtpote de numero, virtute, effectibus Sacramentorum, de Fide ſpeciali, de Iuſtificatione, & ſi qui prætetea ſunt eius generis; tam inter ſe diſſentiunt, vt vel eam ſolam ob cauſam ſat certò liquere poſſit, nihil in ijs veritatis ineſſe. De qua te pôſt latiùs ſuo loco.

CAPVT XXXV.

Ex modo, quo doctrina hæreticorum in vrbes & prouincias introducta eſt, & poſtmodum ſtabilita ac propagata, conſtat malam illam eſſe, ac pacis perturbatricem.

IAM, ſi conſideremus, quemadmodum hæc doctrina plantata, in vrbeſque & prouincias primum inducta ſit, quomodo deinde ſtabilita & propagata: longè etiam clarius videbimus, quàm toto cælo diuerſa ſit à doctrina veritatis; quamque multo alterius generis diſſidia exciret, quàm Chriſti doctrina vel Apoſtolorum excitauit. Omnes externi tumultus qui moti ſunt occaſione doctrinæ Chriſtianæ, non ab illis qui doctrinam illam afferebant aut prædicabant, excitati ſunt, ſed à malis, impijs, turbulentis hominibus, qui nec ipſi doctrinam illam ſuſcipere volebant, nec ferre poterant, vt alij reciperent: ideò omnes vires & conatus ſuos exeruerunt, vt illam doctrinam oppugnarent, aboletent, extinguerent. Qui verò doctrinam illam prædicabant, & quotquot illi credebant, bonis verbis & rationibus agebant dumtaxat, nulla externâ vi, nullis armis; nullum inuitum cogebant, nulli damnum aliquod afferebant, propterea quòd doctrinam ſuam non reciperet: patientiâ, manſuetudine, iniuriæ tolerantiâ, & ſimili ratione dumtaxat, pugnabant. At iſti homines, qui nouam hanc doctrinam attulerunt, omnes luctuoſiſſimos tumultus externos, quos ſcimus natos ſtatim & excitatos fuiſſe vbicumque hæc doctrina inualuit, ipſimet excitarunt. Quod ſi negare audeant, vt nihil non audent: omnium temporum & locorum hiſtorijs, monumentis, ac teſtimonijs certiſſimis conuincentur. Inuentæ fuerunt artes & fraudes innumeræ, mendacia maxima, calumniæ falſiſſimę, vel corrumpendi, vel affligendi, opprimendi, eijciendi in exilium, frequenter etiam occidendi, atq; e medio auferendi, omnes qui doctrinæ illorũ quouis modo aduerſabantur.

Iubentur Chriſtiani ex Chriſti & Apoſtolorum doctrina obtemperare in rebus ciuilibus, & in omnibus quæ diuinæ voluntati contraria non ſunt, Regibus & Magiſtratibus Ethnicis, à Dei cultu & religione alienis: iiſque non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis, vt Apoſtolorum princeps mandat. Iubentur iiſdem vectigalia & tributa dare: quin etiam orare Deum aſſidue pro vita, incolumitate, & proſperitate illorum; vt eſt apud Paulum, Timoth. 2. Tantum abeſt, vt liceat Chriſtianis aliquam aduerſus Magiſtratus quoſcumque ſeditionem mouere. At iſti homines, quas turbas & ſeditiones mouerint vbique locorum contra Magiſtratus, doctrinæ ſuæ ac religioni ſeu vetiùs apertæ & ſceleratæ impietati contrarios, quæ bella excitauerint ac geſſerint aduerſus Reges, Principes, Imperatores, & ſuperiores proprios, quibus omnem diuino ac naturali iure obedientiam & ſubiectionem debebant, quotum temporum aut locorum hiſtoriæ non teſtificantur? Quid hoc commune habet, cum annuntiatione veritatis vel doctrinæ ſalutaris?

Ad hæc, ſæuitum eſt incredibilem in modum in templa atque altaria Dei, in monaſteria vtriuſque ſexus, præcipueque in Paſtores populi & Sacerdotes omnis generis. Plura templa ac cœnobia diruta, exuſta, ſolo æquata ſunt vbique locorum à miniſtris & ſectatoribus doctrinæ huius, quàm numerari queant. Miniſtri verò Dei, Sacerdotes, Prælati eccleſiarum, Monachi, Moniales, pars crudeliter interfecti nouiſque & inauditis ſupplicijs excruciati, pars nudi & ſpoliati rebus omnibus, cunctiſque affecti opprobrijs & contumelijs, in exilium eiecti perpetuum. Domus illorum, agri, prouentus, redditus, dati quibus nouæ religionis doctoribus & prædicatoribus placuit. Quid dicam de bibliothecis an-

cis antiquiſſimis & ſacris libris exuſtis omnis generis ? quid de Chriſti & Sanctorum imaginibus igni traditis, aut in flumen coniectis ? quid de ſacris Martyrum Chriſti aliorumque Sanctorum reliquijs, manibus ſacrilegis violatis, in latrinas proiectis, flammis exuſtis? Quarum rerum exempla exſtant nimis vera & manifeſta in cunctis vrbibus, regnis & prouincijs, in quas noua hæc doctrina ingredi ac regnare potuit. Quid de ſacratis calicibus, alijſque aureis & argenteis vaſis diuino cultui dedicatis, indigniſſimè profanatis, confractis, in vſus alieniſſimos turpiſſimoſque conuerſis? quid de cappis auratis & ſericis, deque ceteris ſacris veſtibus & ornamentis miniſterij diuini, ludibrio habitis, diſciſſis, laceratis, flammis abſumptis ? quid demum de innumeris ſanctis Deoque dicatis virginibus per ſummum ſcelus violatis & conſtupratis ? Hic pietatis honos ? hæccine eſt natura veritatis Chriſtianæ quam iactant, hi fructus & effectus? Non probant iſta, dicent fortaſſis. Imò & probant, & faciunt, & facienda decernunt, ipſi quoque plerique omnes præcipui nouæ huius atque egregiæ veritatis auctores: & quum hæc faciunt, arbitrantur ſe obſequium præſtare Deo.

CAPVT XXXVI.

Quàm alienus ſemper fuerit à veris Chriſtianis, turbulentus ille procedendi modus hæreticorum.

IAM breuiter videamus, quàm hæc omnia aliena fuerint ſemper ab omnibus veris Chriſtianis, ſanctæ veritatis amatoribus & cultoribus, priorum temporum: quamque propria ſemper & familiaria perfidis Iudæis, impijs ac profanis gentilibus, & vtriſq; peioribus Arrianis, Donatiſtis, ceteriſque hæreticis: qui omnes, notum eſt, quàm manifeſti & iurati veritatis ac ſalutiferæ pietatis hoſtes fuerint.

Manſuetudo Chriſtianorum tanta fuit ab initio, vt non ſolùm nulli vim aliquam aut iniuriam facerent; ſed ne reluctarentur etiam violentiam inferentibus: nec ſe contra iniuſtam vim, inquit Cyprianus, quamuis plures & fortiores eſſent, vlciſcerentur. Quod & Tertullianus teſtatur cap. 37. Apologetici. Si enim hoſtes extraneos (inquit) non tantùm vindices occultos, agere vellemus; an deeſſet nobis vis numerorum & copiarum ? Euſebius quoque vel Ruffinus potiùs lib. 11. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 22. deſcribit, quanta patientia, modeſtia, manſuetudine ſe geſſerit populus Chriſtianus, in ſeditione gentilium propter ſimulachra, quum eſſent tamen fideles numero & potentia multò ſuperiores: idque imperante pijſſimo Imperatore Theodoſio. Quemadmodum enim iniurias & perſecutiones patienter ferendo, diuinam expectabant vltionem, iuxta illud, Mihi vindictam, & ego retribuam; ſic diuinam præſtolabantur virtutem ac temporis plenitudinem, vt ad ſolam veritatis prædicationē nulla vi adhibita conuerſis gentilibus, cultus impius & idololatricus ſponte ac velut ſuo languore & ſenectute concideret. Vnde ſedulò obſeruabant, ne in idolorum templa vel ſacrilega ſacrificia impetum aliquando aliquem facerent: néve aut idola ipſorum confringerent, aut quippiam e delubris illorum auferrent, etſi maximæ impietatis inſtrumenta eſſe non ignorarent. Sic legimus Tertullianum, Scapulæ præfecto Chriſtianos tamquam ſacrilegos inſimulanti, reſpondiſſe, eos non ſolùm vllo in ſacrilegio, ſed ne in furto fuiſſe vmquam ab illo deprehenſos. Et hinc canon exſtat 6. in concilio Libertino tempore Silueſtri Pontificis celebrato: Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occiſus (quia in Euangelio non eſt ſcriptum, neque inuenitur ab Apoſtolis vmquam factum) placuit in numerum eum nō recipi Martyrum. Scio exſtare nonnullorum exempla Sanctorum quædam in contrarium: veluti Theodori martyris, qui Maximiano Imperatore idolorum fanum incendit: ſed huiuſmodi facta ceteri Chriſtiani mirari maluerunt in paucis, & tamquam ſingulari inſtinctu Spiritus ſancti perpetrata exiſtimare, præter communem regulam, quàm imitari. Qualia ſunt & exempla quorumdam Sanctorum, qui in periculis poſiti, vltrò manus ſibimet intulerunt.

At verò paganorum opus eſſe, & quidem illorum qui inter paganos & gentiles ſceleſtiſſimi fuerunt, templa Chriſtianorum euertere ac ſolo æquare, & cuncta ibi reperta flammis conſumere, hiſtoriæ omnes teſtantur. De Diocletiano, certè Imperatorum omnium longè crudeliſſimo, hoc ſcribit Euſebius lib. 8. hiſtor. Eccleſiaſticæ cap. 2. Hunc ergo hęretici noſtri, templorum Dei atque altarium deſtructores, rerumq; ſacrarum direptores,

res, imitantur. De illis item ac talibus ſanctus Propheta Elias conqueritur, dicens; Domine altaria tua deſtruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio. Denique Propheta regius Pſalmo 78. Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam. Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli: carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ, &c. Item Pſal. 73. Incenderunt igni ſanctuarium tuum in terra, polluerunt tabernaculum nominis tui. Dixerunt in corde ſuo, cognatio eorum ſimul; Quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra. Inter illos egregiè excelluit impijſſimus ille Antiochus, de quo 1. Machab. 1. Eadem perpetraſſe olim hereticos & ſchiſmaticos Donatiſtas, Optatus Mileuitanus lib. 6. contra Parmenianum oſtendit, in hæc verba; Dicite fratres, quid vobis fecerat locus, quid ipſi parietes vt iſta paterentur? An quia illic rogatus eſt Deus? an quia illic laudatus eſt Chriſtus? an quia illic inuocatus eſt Spiritus ſanctus? an quia vobis abſentibus illic Prophetæ & ſancta Euangelia recitata ſunt? an quia illic fratrum iamdudum litigantium concordauerant mentes? Item: Quid eſt, inquit, altare, niſi ſedes corporis & ſanguinis Chriſti? Et paulò poſt: Hoc modo eſtis Iudæos imitati: illi manus iniecerunt Christo in cruce; à vobis percuſſus eſt in altari. Vult dicere, quòd in ſacratiſſimum Domini corpus vel ſacramentum Euchariſtiæ manus iniecerant impias, illudque pedibus conculcarant hæretici: id quod & gentiles ſæpenumerò odio Chriſtianæ religionis feciſſe, ſcriptorum monumenta declarant: & ab Arrianis etiam factum refert ac deplorat Hilarius lib. contra Conſtantium; Clerici, inquit, fuſtibus cæſi, Diacones plumbo eliſi, & in ipſum (vt ſanctiſſimi mecum intelligunt) in ipſum Chriſtum manus miſſæ. Itemque Victor Vticenſis lib. perſecutionis Vandalicæ; Arriani, inquit, tempore quo ſacra Dei populo porrigebantur, introeuntes, maximo cum furore, corpus Chriſti & ſanguinem pauimento ſparſerunt, & illud pollutis pedibus calcauerunt.

Annon autem & noſtri ſectarij idem vbique ferè locorum perpetrarunt? Nimirum diligenter cauere debuerunt, ne aliqua in parte veteribus cunctis pietatis & veritatis hoſtibus inferiores eſſent, vel diſſimiles. Conſtat omnibus, homines iſtos nullos vſpiam maioribus odijs & viribus perſecutos fuiſſe, nullis plus damni intuliſſe, nullorum vitæ & ſanguini vehementius inhiaſſe, quàm Paſtorum populi & cuiuſuis generis Sacerdotum, Monachorum etiam, religioſorum omnis ſexus, omnis ordinis. Nónne hac etiam in re gentiles & veteres omnes ſceleratiſſimos hæreticos imitati ſunt? Leo Pontifex, Sermone de ſancto Laurentio; Cùm furor, inquit, gentilium poteſtatum in electiſſima quæque Chriſti membra ſæuiret, & præcipuè illos qui ordinis erant ſacerdotalis impeteret, &c. Quod idem & Genſericum Vandalorum regem feciſſe, multoſque ab eo egregios Pontifices & varij generis Sacerdotes varijs ſuppliciorum generibus extinctos fuiſſe, teſtis eſt luculentus Victor in deſcriptione illius hiſtoriæ. Quid Valens & ante eum Conſtantius Imperatores Arriani? nónne in eamdem rem præcipuè ſtudium omne & rabiem impenderunt? Tunc (inquit Vincentius Lirinenſis) temeratæ coniuges, depopulatæ viduæ, profanatæ virgines, monaſteria demolita, diſturbati clerici, verberati Leuitæ, acti in exilium Sacerdotes, oppleta ſanctis ergaſtula, carceres, metalla: quorum pars maxima, interdictis vrbibus protruſi, atque extorres, inter deſerta, ſpeluncas, feras, ſaxa, nuditate, fame, ſiti, affecti, attriti, & tabefacti ſunt. Quid denique Apoſtata Iulianus? Nónne ſtatim initio Imperij ſui Hilarionis monaſterium Gazæ deſtrui fecit: ipſumque Hilarionem cum Heſychio ſocio toto orbe terrarum ad necem inquiri? Legatur D. Hieronymus in vita Hilarionis. Nónne eodem imperante ac iubente, Gazæ & Aſcalone virorum ſacerdotali dignitate præditorum, itemque mulierum perpetuam virginitatem profeſſarum aluos impij & crudeles miniſtri diſſecuere, & hordeo completas porcis eſcas obiecère? Legatur Theodoreti hiſtoria lib. 3. cap. 6. vbi etiam reperietur, impios & ſacrilegos Iuliani ſatellites Sebaſtæ ſacram reliquiarum B. Ioannis Baptiſtæ arcam aperuiſſe & oſſibus combuſtis cinerem diſſipaſſe. Prætereo templorum ſpoliationes, ſacrorum vaſorum aliorumque ornamentorum diuini cultus direptiones. In quibus illa quoque ponitur quæſtoris Iuliani ſacrilega inſultatio; En quibus in vaſis miniſtratur Mariæ filio. De quibus omnibus legi poteſt iam dicta Theodoreti hiſtoria lib. 3. cap. 12. Hiſtoria item tripartita, lib. 6. cap. 4. 7. 10. 22. & multis alijs. Nónne hæc omnia imitati ſunt ſtrenuè hiſce temporibus hæretici noſtri? Quid autem dico imitati? nónne multis partibus Iudæos, gentiles, & veteres omnes hæreticos atque ſchiſmaticos, odio & crudelitate in omnem veram pietatem ac religionem, ſuperarunt? Si quis mihi non credit, legat hiſtorias noſtri temporis à diuerſis magna fide conſcri-

conſcriptas, & comperiet, longè infra verum eſſe, etiam quæ hîc de ſectariorum tempeſtatis noſtræ furore atque immanitate notaui.

CAPVT XXXVII.

Doctrina hæreticorum totius diſsidij malorumq́; omnium noſtri temporis, cauſa, etiam Eraſmi ſententiâ.

EANT nunc hæretici noſtri, dicantque, turbas & diſſidia ab doctrina ſua in orbe terrarum excitata, bona, ſalutaria, ſancta eſſe diſſidia: comparentque doctrinam ſuam hac in re cum doctrina Euangelica vel Prophetica. Si furta manifeſta, ſi immanes rapinæ, ſi horrenda latrocinia, ſi omnis generis nefandiſſima ſacrilegia, ſi quidquid vmquam Iudæi, Pagani, Turcæ, hæretici, ſchiſmatici in odium Chriſti & religionis eius deſignarunt, ſanctum & laudabile dici poteſt, dicemus & fatebimur, illorum quoque doctrinam, quæ ſimilia prorſus, & multò etiam atrociora mundo attulit, vt palàm nunc oſtendimus, bonæ & ſalutiferæ allatæ diſſenſionis laudem mereri.

Sed præſtat de diſſidijs, quæ hominum iſtorum doctrina peperit, vnum ſaltem aliquem teſtem adducere: qui vnus maioris apud illos ipſos auctoritatis & ponderis eſt quàm multi alij. Nam & libros & ſcripta eius ſemper in ore habent, & omnibus commendant magno ſtudio, & nomen eius in ſanctorum ſuorum cæleſtium catalogum retulerunt: & certè, rem illorum longo tempore non parum iuuit ſcriptis ſuis. Eſt autem Eraſmus Roterodamus: qui in libello ad fratres inferioris Germaniæ, Nec illud, inquit, abſque riſu legetur, quod aiunt, ſe à ſeditione longe lateque abhorrere. Numquam (inquit in Epiſtola ad Pſeudoeuangelicos) illorum eccleſias ſum ingreſſus: ſed aliquando vidi redeuntes à concione, veluti malo ſpiritu afflatos, vultibus omnium iracundiam ac ferociam præ ſe ferentibus. Sic opinor decedunt milites à concione ducis, ad prælium exhortati. Et paulò pòſt: Populus iſte tam Euangelicus, etiam Turcarum principi dicitur deteſtabilis, quem ait ſeditioni natum. Quos ſubinde tumultus excitat! quoties quàm leuibus de cauſis procurrit ad arma! ne ſuis quidem Eccleſiaſtis ſatis obtemperans, niſi dicant blanda auribus; profligandi etiam ſi liberiùs in vitam eorum inuehantur, aut ab opinione diſſentiant. Si tam multum tribuunt Eraſmo, ecce hæc ſunt illius teſtimonia, de diſſidijs illorum inter Chriſtianos concitatis. Nec ignota ſcribit: vtpote qui & coryphæos illorum omnes optimè norit, & inter illos magnam ætatis & vitæ ſuæ partem egerit.

CAPVT XXXVIII.

Doctrinam hæreticorum nihil cum Veritate commune habere, eò quòd à mendacio patrocinium ſumat.

POSTREMÒ, & aliud afferre licet certiſſimum argumentum, doctrinam omnem hominum iſtorum nihil prorſus cum veritate commune habere. Quomodo enim veritas patrocinium poſtulet à mendacio, vel per mendacium ſe tueri deſideret vel confidat? Atqui hæreticorum noſtrorum doctrina, & totum quod obtinent infelix regnum, mendacijs primùm teterrimis conſtitutum, mendacijs ſtabilitum, mendacijs auctum & propagatum eſt; nec vſquam niſi maximis & flagitioſiſſimis mendacijs nititur: vt non dubitanter filios poſſis germanos agnoſcere illius, qui mendax eſt, & pater mendacij. Itemque illos, de quibus Iſaias 28. Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus. denique Ieremias; Extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacij, & non veritatis. Quis hîc commemoret, quot, quibuſque, quàm enormibus mendacijs & calumnijs vſi fuerint, initio vbique locorum aduerſus probos & innoxios viros, vtriuſque ſexus, quos malitioſis conatibus ſuis vel apertè contrarios eſſe, vel non ſic fauere videbant vt poſtulabant; quò eos vel de gradu deijcerent vel opprimerent etiam & interficerent? Quis neſcit, quas artes & fraudes excogitauerint, vt paſtores populi, canonicos, Abbates, Epiſcopos, ordines mendicantes, alioſque Sacerdotes, monachos & moniales omnis generis, aliquo iuris vel rationis colore, exutos bonis & ſupellectilibus omnibus, nudos eijcerent in

exilium, vel etiam morti traderent? Quo duplicem vtilitatem conſequebantur: nam & carebant illis, qui & actiones eorum propiùs ac diligentiùs obſeruare, & mores notare ac reprehendere, & doctrinam falſiſſimam poterant omnes, in ſuos & aliorum neſcio quorum vſus profanos ac ſacrilegos conuertebant. Sed hæc omnia (inquam) vt nimis omnibus nota prætermitto Dicam autem vnum atque alterum de mendacijs vnius & alterius, ex primis & primarijs hæreſum iſtarum auctoribus, vt ex illis aliorum omnium ingenia, & quàm longe potiſſimum ab amore & cultu veritatis abſuerint, cognoſcantur.

Sic ſcribit Cochlæus de Luthero in hiſtoria vitæ & actionum eius ad annum 1523. Interea dum ſic furerer Lutherus, quidam Germani piam & eruditam regis Angliæ aſſertionem, qua glorioſe ac fortiter defendit à Lutheri captiuitate Babylonica, ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, cœperunt à Lutheranis calumnijs aſſerere, & mendacia in os & calamum Lutheri retorquere; Dominus Ioannes Eckius Latine, & Dominus Thomas Murnerus Teutonicè. Et hic feſtiuiſſimè cùm enumeraſſet & conuiciſſet Lutheri mendacia quinquagiota, e libello ipſius vno in regem edito; quinquageſimo & vltimo eius mendacio appinxit in margine coronam inſignem, eò quòd inſigniſſimum & velut rex quidam ceterorum eius mendaciorum illud eſſet. Nempe dixerat, in fine libri ſui Lutherus, Latinè quidem ſic: A virulentia & mendacijs abſtinui; quibus liber regis refertiſſimus eſt. Teutonicè verò in hunc ſenſum: Ego quoque circumcirca dimicaui; at nullus adhuc vtique me vllius mendacij arguere poteſt. hoc nobile eius mendacium Murnero viſum coronâ dignum: cum ſatis conſtet quotquot in illum ſcripſere quàm plurimorum ipſum ſemper arguiſſe mendaciorum. Nam vnus Dominus Ioannes Dietenbergius, pius & eximius Theologus, in duabus dumtaxat confutationibus, quas in illú de Votis & de Confeſſione ſcripſit, arguit & conuicit eum octingentorum & ſeptuaginta quatuor mendaciorum; præter alia innumera, quæ alijs in reſponſionibus ſuis illi non falſò nec iniuſte imputauit. Hæc ille ibi.

Ex Lutheri ſchola prodierunt Zvvinglius & Oecolampadius, qui à placitis & doctrina præceptoris ſui mox deſciuerunt (eodem iure videlicet & quidem longè maiore, quo ipſe ante Lutherus à doctrina præceptorum ſuorum, Eccleſiæque totius, deſciuerat) & principes facti ſunt hæreſis ac ſectæ Sacramentariorum, qui veritatem tollunt & præſentiam corporis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ. De horum duorum mendacijs ſcribit idem Cochlæus ad annum 1526. in hæc verba: Dominus Ioannes Faber, cùm per abſentiam & côrumaciam Zvvinglij diſputare cum eo non poſſet verbis, ſcriptis protulit multa quæ illi obiecturus fuerat ſi comparuiſſet. Ingentem enim antilogiarum eius numerum coaceruauit in volumen vnum, quibus ille fœdiſſimè & ſibi ipſi contradixit, & ſuâ Lutherique doctrinam deſtruxit. Sed nimis longum foret omnia commemorare, quæ vir ille doctiſſimus, multiiugæque lectionis & inexhauſti laboris, ex libris Zvvinglij recitauit atque redarguit: partim tamquam ſibi ipſis contraria, partim tamquam fidei Catholicæ aduerſa & ſecundùm ſe impia, abſurda, & à vero aliena. Recenſuit item ſupra centum quinquaginta mendacia ex ſcriptis Oecolampadij, quibus ille populum fallaciter decipiebat, aſſerens antiquos Doctores Eccleſiæ idem ſenſiſſe de Euchariſtiæ Sacramento, quod ipſe ſentiebat. Hæc ille.

CAPVT XXXIX.

Hæretici non ſolùm Religionis doctrinam mendacijs ſuis infecerunt; verùm etiam hiſtorias rerum geſtarum, atque adeò ipſam quoque ſacram Scripturam.

NEc verò doctrinam ſolummodò religionis corruperunt hæretici noſtri mendacijs ſuis, ſed omnem quoque rerum geſtarũ hiſtoriam. Quàm falſò & mendaciter ſcripſerit Sleydanus hiſtoriam rerum geſtarum ſui temporis, tum ab alijs multis, tum præſertim ab Surio Carthuſiano, itemque à Fontano & Pontano abunde eſt demonſtratum. Ac demum Bartholomæus Latomus hiſtoriam ſcripſiſſe fertur, de vndecim millibus non virginum Vrſulanarum, ſed mendaciorum Sleydani: etſi hoc opus nondum vidimus. Hiſtorias verò Eccleſiaſticas veterum temporum Eccleſiæq; primitiuæ, quemadmodum infinitis

infinitis mendacijs corruperunt Magdeburgenſes hæretici ingentibus illis voluminibus Centuriatum ſuarum, ſatis ſuperq. oſtendit vel vnus Alanus Copus in ſex Dialogis, quos illum præcipue in finem in lucem edidit. Qui optimè & veriſſime ſcribit, Dialogo quarto cap. 8. Magdeburgenſes illos Centurianos, dum hiſtorias Eccleſiaſticas ſuo arbitratu fingunt atque refingunt, vt ſeruire videantur cauſæ ſuæ, pro veris & incorruptis Eccleſiæ hiſtorijs centurias nobis mendaciorum obtrudere. Quædam huc etiam pertinentia notatu lectuque digna habet Surius in hiſtoria ſua, ad annum 1560. Huc pertinent etiam mendacia ſectariorum noſtrorum, quæ prodere non ſunt veriti, in corrumpendis & falſificandis ſcriptis veterum Eccleſiæ Patrum atque Doctorum. De quibus multa hîc dicenda eſſent, niſi propoſitum nobis eſſet breuitati ſtudere.

Sed omnem impudentiam ac malitiam ſuperat, quòd auſi etiam fuerunt tam multis modis peruertere mendacijs ſuis, ſacras diuinaſque Scripturas, verbum vitæ, verumque paſtum continentes animarum noſtrarum. Qua de re vnum hîc tantum locum aſſcribam ex Cochlæi hiſtoria, de actis & ſcriptis Lutheri, ad annum 1522. Quis ſatis (inquit) enarrare queat, quantus diſſidiorum turbationumq; & ruinarum fomes & occaſio fuerit, ea noui Teſtamenti tranſlatio; in qua vir iurgiorum Lutherus, data opera contra veterem & probatam Eccleſiæ lectionem, multa immutauit, multa decerpſit, multa addidit, & in alium ſenſum detorſit, multas adiecit in marginibus paſſim gloſſas erroneas atque cauſſoſas, & in præfationibus nihil malignitatis omiſit, vt in partes ſuas traheret Lectorem? Inuenti ſunt ex Germanis, qui in ea tranſlatione, admiſſos ab eo paſſim errores & mutationes collegerunt, alij ſupra mille, alij pauciores. Sic ille.

Quid autem, an his omnibus in rebus, tantaque mentiendi libidine & impudentia, non ſtrenue imitati ſunt ſuperiorum omnium ætatum hæreticos? Quid Vrſatij & Valentis Arrianorum mendacio ſceleratius? Qui cùm in Nicæa Thraciæ vrbe ſynodum coëgiſſent, ſuaque illic dogmata decretis malitioſiſſimis confirmaſſent; ſparſerunt in vulgus, eam eſſe fidem, quæ ab ſancto ac legitimo concilio generali Nicæno dictata atque edita fuiſſet: vt ſimilitudine nominis Nicenæ ciuitatis ſimpliciores fallerentur, dum aliam nullam quam Nicæam Bithiniæ cogitarant. Sed non diu prodeſſe potuit tale commentum. Paulò enim poſt deriſi ſunt atque confuſi: deprehenſoque mentiendi aſtu, permultum auctoritati nominis ſui detraxerunt. Vide Hiſtoriam tripartitam lib. 5. cap. 25. De pudendis mendacijs, quibus ijdem hæretici ſanctum Epiſcopum Athanaſium opprimere nitebantur, ante meminimus.

Simili arte & fraude Nouatianos hæreticos vſos fuiſſe teſtatur Cyprianus lib. Epiſtolarum, Epiſtola 3. Illi enim, inquit, quaſi filij Diaboli, & mendacio pleni, auſi ſunt iactare viginti quinque Epiſcopos affuiſſe. Quod mendacium & iſthic prius apud fratres noſtros iactabant, dicentes viginti quinque Epiſcopos de Numidia eſſe venturos, qui ſibi Epiſcopum facerent. Quo in mendacio poſtquam quinque ſolis conuenientibus naufragis & à nobis abſtentis detecti ſunt atque confuſi, Romam cum mendaciorum ſuorum merce nauigarunt, quaſi veritas poſt eos nauigare non poſſet, quæ mendaces linguas, rei certæ probatione, conuinceret. Atque hæc eſt, inquit, vera dementia; non cogitare, nec ſcire, quòd mendacia non diu fallant; noctem tamdiu eſſe, quamdiu illuceſcat: clarificato autem die, & ſole oborto, luci tenebras & caliginem cedere, & quæ graſſabantur per noctem latrocinia, ceſſare. Hæc ille. Præclarè Auguſtinus Epiſtola 58. Cognitio veritatis omnia falſa (ſi modò proferantur) etiam quæ prius inaudita erant, & dijudicare, & ſubuertere idonea eſt.

Nec Donatiſtis hæreticis vel ſchiſmaticis defuit hæc malitia, & conſuetudo mentiendi: qui, vt multis in ſuo ſchiſmate conſtitutis redeundi ad veritatem Catholicam aditum præcluderent, maledicis rumoribus ſpargebant, neſcio quid aliud apud Catholicos in altari collocari. Quid de Manichæis dicam? quos narrat Auguſtinus hoc diabolico priuilegio vſos, vt quidquid eſſet in Euangelio, vel Epiſtolis canonicis, quo adiuuari ſuam hæreſim putarent, id eſſe à Chriſto & ab Apoſtolis dictum tenerent atque ſuaderent: quidquid verò ex ijſdem codicibus aduerſus eos ſonuiſſet; id immiſſum à falſarijs & corruptoribus Catholicis, ore impudenti & ſacrilego mendacio, aſſerere non dubitarent. Sic & de Marcione hęretico refert Tertullianus, lib. 4. contra eumdem, Contraria quæque ſententiæ ſuæ eraſit conſpirantia cum creatore, quaſi ab aſſertoribus eius intexta: competentia autem ſententiæ ſuæ reſeruauit. Hæc ille.

Non poſſum hîc ſilentio prætetire mendacium, & fraudem inſignem, qua Leo Armenus *Zonaras tomo 3. in Leone Armeno.*

nus Imperator quartus eius nominis ſeductus & perſuaſus fuit, vt hoſtem ſe Catholicæ religionis in perſequendis ſacris imaginibus acerrimum præbuerit. Cùm enim à quodam impio homine, quem ipſe habebat pro viro ſanctiſſimo, reprehenderetur, quòd Chriſti & Sanctorum imagines honoraret & coleret, vel certè non ſatis inſectaretur; detulit rem ad quemdam è Principibus & Conſiliarijs ſuis magni nominis: qui, vt ipſe quoque Iconoclaſtarum hæreſi erat infectiſſimus, fraudem excogitauit ad fallendum Imperatorem, penituſque in partes ſuas trahendum, eiuſmodi. Ait, in Degiſtenſi monaſterio degere monachum quemdam, mirabilia edentem facinora; cum hoc rem communicandam, eiuſq; ſententiæ obtemperandum. Hæc cum Leone locutus, ſtatim ab hoc ad monachum illum ſe confert; indicatque Imperatorem vili habitu ad ipſum proxima nocte venturum, de Religione conſultutum, alijſq; grauiſſimis negotijs: proinde, meminiſſet ei præſentem imperij vitæq; amiſſionem denuntiare, niſi vltrò Leonis Iſauri Imperatoris decretum amplectens, idola (ſic ſacras appellabat imagines) diuinis ædibus exturbaret: tin hoc feciſſet, fore dominationem vitamque eius diuturnam atque felicem. Hoc modo ſubornato monacho, & quæ cum Imperatore loqui deberet, inſtructo, abijt. Paulò pòſt, noctu Imperatorem vili habitu velatum ad monachum adducit. Ibi iam inito colloquio monachus proximè ad Imperatorem adſiſtens; veluti qui diuino inſtinctu Imperatoris maieſtatem adeſſe ſentiret; Non rectè, inquit, abs te factum eſt, ô Imperator, quòd nos priuati habitu decepiſti, intus occultans tuam perſonam: ſed, quamquam tu hoc agis, nos tamen gratia diuini Spiritus non diutius eſt paſſa à te falli. Hoc vt audijt Imperator, ſeque fruſtrà conatum vili habitu Imperatoriam dignitatem celare putauit; animo perculſus eſt, vt par erat, iſtius machinationis ignaro; monachumque diuinum hominem eſſe, faſſus, imperata ab eo, obedienter & ſine mora ſe facturum promittit: atque ita venerabilium imaginum ab eo mandatam deiectionem ſuo ſuffragio probat.

CAPVT XL.

Pars dialogiſmi iucunda, pro Veritatis innocentia & laude; ceu pacifica.

ANTEQVAM egrediamur è tractatione de manſuetudine & patientia veritatis, quòd amans & ſtudioſa eſt pacis & concordiæ, alieniſſima verò à ſtudio contentionis, à ſeditione, tumultu, ab iniurijs omnibus, vindictæ cupiditate, & ſimilibus vitijs; quodque nulli nocere quærat, ſed prodeſſe potiùs vniuerſis; operæpretium iudicaui aſſcribere hic quædam hac de re, cùm doctrinæ gratia, tum etiá relaxandi nonnihil animi cauſa, ex Polydoro, Dialogo de veritate & mendacio. Sic ergo ille introducit loquentem PINNIVM: Scienter equidem veritatem multis & magnis laudibus cumulas, nec ipſe eo inficias, quin digna ſit; verumtamen illud dixerim, mala infinita pati homines per veritatem. Annon memoria retines quod lib. Regum ſecundo exſtat? COLÆVS. Quid? PINNIVS. Dicam, ſi ignoras. Homo quidam Amalechites ex Hebræo exercitu fugiens, incidit in Saul Regem bello profligatum, ſalutemque ſuam iam manifeſtè deſperantem, ac propterea eum miſerè rogantem, vt ſe ilicò interficeret: quod & fecit. Atque ob id facinus ratus ſe feciſſe gratum aduerſario, confeſtim iuit ad Dauid, remque geſtam ordine narrauit. Dauid verò facti atrocitate commotus, quòd gregarius miles, qui è caſtris aufugiſſet, auſus fuerit inijcere manus in regem; ante ſuos oculos homicidam trucidandum curauit, ita affatus; Sanguis tuus ſuper caput tuum: os enim tuum locutum eſt aduerſum te, dicens; Ego interfeci chriſtum Domini. Attende quæſo, veritas hominem perdidit. COL. Imo ſcelus ipſum nefarium. PIN. Quid ais? ſcelus? Si enim ille tacuiſſet de occiſione ab ſe facta, potiùs præmium ob gratum nuntium quàm pœnam à Dauid habuiſſet. COL. Factum benè: Veritas enim mater maleficium iudicauit, Iuſtitia filia puniuit. Eſt enim veritas iuſtitiæ parens. Oportuit nempe, oportuit ſecundùm illud Dei Opt. Max. edictum, quod eſt lib. Geneſis cap. 9. eius Amalechitæ ſanguinem effuſum, qui humanum effudiſſet ſanguinem. PIN. Bellè profectò cauſam defendiſti: ſed aliam dabo tibi dicendam, quam nullo opinor poteris iure tueri. Satis liquet Ioannem Baptiſtam poſt homines natos longè ſanctiſſimum, veritatis cauſa ab Herode impio rege morte mactatum fuiſſe: quòd, velut Matthæus cap. 14. tradit, commoneret clamaretq; non licere regi habere eam mulierem

herem vxorem, quæ nupta eſſet cum eius fratre. Aretas enim Arabiæ Rex filiam nomine Herodiad[illegible] nuptum dederat Philippo ipſius Herodis fratri, Ituræ & Trachonitidis regionis t[illegible]hæ. Sed pauló poſt ortas inter ſocerum & generum ſimultates, Herodias locata eſt [illegible]ite nuptiis Herodi, eò quod fratres inter ſe minime amarent. Hoc pariter iniquu[illegible] deteſtabile matrimonium Ioannes damnabat, arguebatque palàm Herodem: a quo [illegible]ne occiſus eſt; atque ſic Prophetæ innocentiſſimo ſola veritas malo fuit. COL. Illiuſmodi quod vulgus malum vocat, Ioannes bonum ſummum iudicabat: ac idcircò ſtudio quærebat, magnoque animo ad illud ipſum contendebat: vt qui paratus erat pro veritate mori, & conſecutus eſt. Ita Chriſtus Seruator noſter verum docens, à Iudæis ad extremum oppreſſus & ſublatus eſt. Quod apud Ioan. cap. 8. futurum prædixit: Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus ſum. PIN. Acute omnia tangis: ſed in noſtro maneamus propoſito. Dixi homines propter veritatem multa perpeti mala. Ioannes Baptiſta homo fuit, Chriſtus hominis perſonam veram induit: ambo moriendo dolorem habuerunt. Id quod haud paruum eſt malum. Poteſtne malum cuiquam bono eſſe? COL. Nego dolorem eſſe malum. PIN. Eſne tu vnus de illo grege Philoſophorum, qui (vt Cicero demonſtrat) maxima id auctoritate affirmant? At Plato ille diuinus cum illis minùs conſentit: qui in ſuo Timæo dicit, dolores animæ morbos eſſe quàm grauiſſimos omnium iudicandos. COL. Haud negligo Platonis ſententiam, à qua diſcedendum non cenſeo. Neque non ſine dolore Ioannes omnino vitam profudit. qui tamen præ altera cæleſti vita, ad quam primo quoque tempore aſpirare deſiderabat, pro nihilo ſupplicium habuit. Sic Chriſtus iuſſit diſcipulos ſuos facere, cùm apud Lucam cap. 2. dixit: Per patientiam veſtram poſſidete animas veſtras. Hinc cognoſci licet ex tolerantia mali manare bonum, quod tibi factu permirum videtur. PIN. Satis iam certè planum feciſti quod rogaram. Nunc os aliud tuis apponam dentibus tondendum, quòd ſcio tibi eſſe perquàm acutos, quibus quemuis cibum, quamlibet durum, facilè conterere vales. Loquere, amabò, quid de illis iudicabis qui per veritatem miſerrime pereunt? COL. Qui ſunt hi quibus tantum noceat veritas? PIN. Latrones, fures, parricidæ, perduelles, piratæ, & id genus homines, malefici ac nocentes: quos ad exitium non aliud quidquam ad vltimum trahit, niſi veritas. COL. Veritas? imò iniquitas. PIN. Quid iniquitas? Quippe cùm eiuſcemodi maleficioſi homines in quæſtionem de aliquo crimine dantur, vt primùm confeſſi ſunt, hoc eſt, verum dixerunt; ilico damnantur, ac ſtatim pòſt ſupplicio afficiuntur. Qui ſi reticerent, nullo pacto in diſcrimen inciderent: quando quidem iure ciuili excipitur, vt nemo niſi confeſſus puniatur. COL. Cur fatentur? PIN. Quia tormentorum violentia coguntur. COL. At potiùs quòd conuincuntur conſcientia: quę ſi numquam anteà, ad extremũ ſaltem vitæ diem nobis facta noſtra, bona iuxtà ac mala, repræſentat; vt quanto vna ex parte nobis ſit magis gaudendum, tanto ex altera triſtiores ſimus. Et cùm longioris temporis medicinam non ampliùs expectare liceat; ita nos pœniteat, vt vltrò noſmet accuſemus, ad idque vltimæ horæ punctum à Deo veniam omnibus precibus impetrare curemus. Sic tandem benè actum cum illis, qui quòd culpam commeruiſſent, merito ſuo puniuntur. Quòd ergo tibi videtur confeſſio veri procreare periculum vitæ furibus & homicidis, id certè malum non eſt: partim quia ſic ciuitas purgatur, reſque publica, cuius eſt veritas conſeruatrix, liberatur maleficijs; partim verò ipſi nocẽtes homines eodem pacto meritas ſuorum delictorum pœnas luunt, à Deoque remiſſionem conſequuntur. Quod haud impetrarent, niſi priùs purè & ſanctè crimen faſſi forent. Ad hunc modum Chriſtus latronem ex cruce pendentem ſalute donauit, de quo Lucas ita ſcribit; Vnus autem de his qui erant ſuſpenſi cum Chriſto facino- Luc. 23.
roſorum conuitia dicebat in eum, dicens; Si tu es Chriſtus, ſerua teipſum & nos. Reſpondens autem alter, increpabat eum dicens; Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? & nos quidem iuſtè: nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit. Et dicebat ad Ieſum; Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Ieſus; Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.

CAPVT

CAPVT XLI.

Sententia ſequentis, cum prædictis de pace, conciliatio: VERITAS ODIVM PARIT.

HÆc ſententia malè admodum cohærere videtur cum præcedentibus. Nam ſi veritas pacifica eſt, ſi plena charitatis & beneuolentiæ, vti ſatis à nobis ſuperque iam eſt demonſtratum; qui fieri poteſt, vt odium pariat, ex diametro paci, beneuolentiæ, charitati contrarium? Perinde atque ſi ex eodem fonte prodeat dulcis aqua & amara: iſthuc ſanè ſit perabſurdum, ne dicam impoſſibile. Sed hæc ſimilitudo non aptè ſeruit huic propoſito. Magis ad rem facit quod à ſole procedere videmus duritiem & mollitiem: indurat ſol pariter & mollificat: contrarios effectus producit, ſed non in iiſdem rebus: indurat lutum, mollificat ceram. Sic veritas pacem efficit, charitatem, beneuolentiam: ſed nihilominùs etiam parit odium; vti & Comœdiographus ait, & omnis rerum temporumque docet experientia; verùm in diuerſis ſubiectis. Inter amicos ſuos, homines bonos, ſinceros, recti & veri ſtudioſos, miram gignit pacem, charitatem, concordiam, beneuolentiam. Rectiſſimè enim D. Auguſtinus Epiſtola 52. Nemo poteſt amicus eſſe hominis, niſi fuerit veritatis.

Si quis aliquem offendit dicendo veritatem, non eſt is qui ſic offenditur, amicus verus: ſi verus amicus eſſet, nihil priùs vel magis ab amico audire cuperet quàm veritatem; nihil illi gratius eſſet. Vt verus amicus nihil amicum celat, quod ad vtilem omnem & honeſtam veritatem pertinet; ſic in primis ad veram amicitiam ſpectat, veritatem ab amico omnem libenter audire. Quæ etſi aliquando amicum nonnihil pungat; tamen non ſolùm idcircò non debet ingrata eſſe, ſed multò etiam magis amari, & pluris fieri. Diligere aliquem, & celare illum, vel metu neſcio quo, vel pudore, quæ ad ſalutem eius vel honorem faciunt; non diligere eſt, ſed odiſſe. Huc illud ſpectat Philoſophi: Amicus Plato, amicus Socrates, ſed magis amica veritas.

Rurſus, amare quempiam, & non ferre vt ab illo admoneare vel carpare vti veritas po-
Galat. 4. ſtulat; non eſt amare ſimiliter ſed odiſſe. An inimicus factus ſum, inquit Apoſtolus, verum dicens vobis? Sic Cicero de Amicitia: Vna illa ſubleuanda offenſio eſt, vt & vtilitas in amicitia & fides retineatur. Nam & admonendi amici ſæpè ſunt & obiurgandi: & hæc accipienda amicè, cùm beneuolè fiunt. Sed neſcio quomodo verum eſt, quod in Andria familiaris meus dicit: Obſequium amicos, veritas odium parit. Moleſta veritas eſt, ſiquidem ex ea naſcitur odium, quod eſt venenum amicitiæ; ſed obſequium multo moleſtius, quod peccatis indulgens, præcipitem amicum ferri ſinit. Maxima autem culpa in eo eſt, qui & veritatem aſpernatur, & in fraudem obſequio impellitur. Sic ille. Hæc eò pertinent omnia vt intelligamus, veritatem per ſe cum primis amabilem eſſe, nullique inuiſam vel odioſam; niſi qui animi prauitate & malitia, illam non ſuſtinent audire.

Huius rei exemplis ac documentis plenæ ſunt omnes hiſtoriæ cùm ſacræ tum profanæ. Cuius rei gratiâ, Chriſtus Dominus iuſtorum omnium caput, & princeps Martyrum in tantum odium incurrit apud Iudæos, gentiles, & fratres ſuos, vt non deſtiterint donec eum morte turpiſſima è medio tulerint; ſolo veritatis nomine, quam prædicabat? Sic ipſemet teſtificatur, dicens; Quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus ſum, quam audiui à Deo. Sic Ioannes Baptiſta, quo maior inter natos mulierum non ſurrexit; ſic Stephanus, Paulus, omneſque demum Apoſtoli & Apoſtolici viri propter veritatem ſummum ſibi odium conciliarunt apud hoſtes veritatis: quod odium eis tandem mortem attulit. Nec alia fuit ſors Prophetarum omnium Deique nuntiorum in veteri Teſtamento: omnes veritatis cauſâ, cuius erant amatores, cultores, propugnatores fortiſſimi, perierunt: ſi tamen hoc perire dicendum eſt, veritatis gratia mortem oppetere.

Sed memorabile eſt audire, quemadmodum Rex quidam impius vltrò fateatur ſe odio
3. Reg. 22. habere veritatem. Achab Rex Iſraël interrogatus ab Ioſaphat Rege Iuda, eſſétne in regno eius Propheta Domini quiſpiam, vt per eum certiores redderentur de euentu belli, reſpondit: Remanſit vir vnus, per quem poſſumus interrogare Dominum; ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum, Michæas filius Iemla. Numquam quiſquam melius bonum appellauit malum, & malum bonum; tenebras lucem, & lu-

cem

cem tenebras, iuxta Iſaiam, quàm Rex iſte. Pſeudoprophetæ, quos habebat innumeros, nihil illi niſi mendacia prophetabant: hoc appellabat bonum. Verus Dei Propheta Michæas ipſiſſimam illi veritatem dicebat, hoc malum vocabat. Quid tandem accidit? Dum reges inter ſeſe de bello, quod erat præ manibus, conſultarent, Michæaſque de belli euentu rogaretur, nihil ad gratiam vel contra veritatem loquens, prædixit Iſraëlitici exercitus ſtragem & fugam, regiſque Achab mortem, ipſo audiente, & Pſeudoprophetis vnà præſentibus, proſperaque illi omnia tamquam ex Dei ſpiritu pollicentibus. Sed quando malis ſemper inimica eſt veritas, à Sedechia quodam ex Pſeudoprophetis vno in maxilla cæditur, & ab Achab rege in carcerẽ conijcitur, pane & aqua macerandus. Cùm autem eueniſſent quæ prædixerat, mendacium interijt, veritas manſit: & qui vera dicẽti manus iniulerãt, ab aduerſarijs cæſi & fugati pœnas falſitatis defenſæ & veritatis oppugnatæ dederunt.

Aliud exemplum huic non valde diſſimile extat in libro Iudith. Achior Dux Ammonitarum ab Holoferne Bethuliam obſidente de Iudæorum virtute interrogatus, veritati libera oratione teſtimonium perhibuit; aſſerens inexpugnabiles eſſe, quamdiu à Deo ſuo protegerentur. Idcircò vinctus Bethuliam mittitur, vt vnà cum Iudæis poſtmodum ab Holofernis exercitu mactaretur. Tale mox in eum odium veritas, ſeu potiùs inimica veritatis improbitas, excitauit: ſed longè aliter accidit quam veritatis hoſtes putabant. Holofernes, qui nihil armis ſuis reſiſti poſſe arbitrabatur, manu feminæ decollabatur: reliqui omnes vel trucidantur ab Hebræis, vel metu pleni aufugiunt. Achior verò non corporis ſolùm mortem euaſit, ſed animæ etiam æternam ſalutem conſecutus, in veram Iudæorum religionem aſſumptus eſt. Qui ergo pro veritate ſteterant, ſalutem; qui contrà nitebantur, mortem & morte grauiorem ignominiam ſempiternam, conſecuti ſunt. *Iudith 6.*

CAPVT XLII.

Cuiúſnam culpâ fiat, vt Veritas odium pariat; Veritatíſne ipſius, an audire nolentium?

CETERVM nunc meritò quærat aliquis, qui fiat quòd veritas ita ſemper ferè odium pariat: quodque tam dura, auſtera, moleſta, mordax eſſe videatur, vt ferri nequeat. Fit hoc, vt iam paulò antè ſubindicauimus, non veritatis ipſius culpâ, ſed noſtro ipſorũ vitio. Non aliter quàm bonus, dulcis, ſapidiſſimus cibus ęgroto, qui palatum omne infectum habet malis humoribus, amarus vel ſanè inſipidus eſſe videtur. Affectus animæ noſtræ ægroti ſunt & corrupti, illiſque omnes cupidè obſequimur, moleſteque ferimus, ſi quis illis aduerſetur. Hanc veriſſimã cauſam vnico verſiculo benè expreſſit Perſius Poëta Ethnicus:

Auriculas teneras mordaci radere vero.

Illis ſcilicet verum mordax videtur, qui teneras ſeu malè affectas habent auriculas. Sic vinum in bonum & ſanum ſtomachum, vel in manum etiam benè ſanam, infuſum; nihil mordet, ſed delectat etiam: at verò in vulnus infuſum, mordet atque dolorẽ infert: fit hoc igitur non vini vitio, ſed carnis malè affectę. Ex eadẽ naturæ corruptione prouenit, vt quiſquis vitioſis noſtris affectibus congrua dicit aut facit, libenter illũ & cum voluptate audiamus. Quiſquis nos laudat & extollit, is blandus nobis & ſuauis videtur eſſe, nimis naturâ gloriæ cupidis. Blanda vox erat ſerpentis, cùm diceret primæ parenti noſtræ, Nequaquam moriemini, ſed eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum. Hunc morbum ſuximus omnes vnà cum lacte materno, à prima illa matre omnium: hinc morbus iſte vſque adeò communiter omnibus Adę poſteris adhęret, nemo vt ſit mortalium, qui non laudibus & blanditijs emolliri aut vinci poſſe ſperetur. Vnde potentes ac diuites huius mundi, à quibus aliquid emolumenti expectatur, blanditijs paſſim palpantur. Ergo aſſentationes & blanditiæ, quæ ad fallendum ordinantur, omnibus gratæ ſunt; cùm nemo tamen falli vel decipi cupiat. Veritas autem, quæ fallacias omnes detegit, ob id ſolum quòd morbidis animi noſtri affectibus non reſpondet, auſtera & moleſta iudicatur, ac repellitur. Quin tanta eſt corruptio naturæ ac mentis noſtræ, vt non modò verum dicentibus non credamus, ſed ob id ipſum etiam repellamus, quia verum dicunt; veritatemque ipſam propterea odio proſequamur, quia veritas eſt. Recta ratio ac natura rerum habet, vt ideò alicui ſermoni aſſentiamur, quia verus eſt; idcircò propoſitio quæpiam fidem mereatur, quia vera eſt: contrà eam propriè ob cauſam aliquid non credamus, quia falſum eſt & veritati contrarium.

rium. At homines mali atque peruerſi omnem rationis rerumq́ue ordinem inuertentes, propterea veritatem oderunt & perſequuntur, quia veritas; ideò mendacium falſitatemq́ue amplectuntur, quia falſitas eſt.

Videntur hæc eſſe incredibilia: ſed efficiemus ſtatim, vt liquidò omnes intelligant & confiteantur, ſic rem habere. Chriſtus in primis Dominus noſter hoc diſertis verbis teſtatur, dicens; Ego autem quia veritatem dico, non creditis mihi. Non dicit: Quamuis veritatem vobis dicam non creditis mihi. vel, Mihi veritatem dicenti non creditis. ſed, Ideò, inquit, non creditis mihi, quia veritatem dico. Quid abſurdius? quid magis à ratione alienum, quàm idcircò alicui non credere, quia verum dicat? ideò credere, quia mentiatur? Sic affirmat Dominus ſecum actum fuiſſe. Ego, inquit, quia veritatem dico, non creditis mihi. Contrà verò Sathanæ credebant, quia mendax eſt. Significat ergo Dominus, veritatem reprobis hominibus cauſam eſſe, non ſolùm damnationis, ſed incredulitatis etiam; ſicuti eadem bonis & electis, & fidei cauſa eſt & ſalutis æternæ.

Nihil in rebus humanis procliuius accidit mortalibus, quàm vt res falſiſſimas & nugaciſſimas nugas facilè credant referentibus. At vbi credendum eſt veritati, ibi maxima hominum multitudo propterea non credit, quòd veritas proponatur: creditur, ſi proponatur mendacium. Vidimus paulò antè exemplum in Achab regè Iſraël. Quæ à Michæa Propheta dicebantur, non ſolùm credere nolebat ac recipere; ſed ne patienter quidem & æquis auribus audire. Quare? Quia veritatem dicebat. Quæ verò Pſeudoprophetæ dicebant, ea credebat libentiſſimè. Quid ita? Quia falſa erant & mendacia. Eadem planè mentis cæcitate ac nequitia erat Balac rex Moabitarum, de quo Numerorum 22.23.24. capitibus. Quia frequenter illi à Balaam Propheta, licet auaro atque impio, dicebantur inſtinctu Dei, quæ vera erant de populo Iſraël; irâ commotus fuit, & credere noluit, Prophetamq́ue obiurgauit: vt verò mendacia de populo illo deq́ue rebus futuris prophetaret, hoc volebat, rogabat, laborabat modis omnibus. Si hoc facere voluiſſet & potuiſſet; honoribus illum ampliſſimis & præmijs maximis decoraſſet. Atqui, inquit ille, non aliud poſſum dicere quàm quod iuſſit Dominus. Is autem non poteſt mentiri, nec facere vt homines mentiantur, aut fallere quemquam velint. Et quid aliud volebant ſibi, de quibus Iſaiç 30? Qui dicunt videntibus, Nolite videre: aſpicientibus, Nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt. Loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Hoc præcipuè indicio deprehenditur malitia humani ingenij, quòd bonum ideò nolit quia bonum eſt; verum idcircò audire non ſuſtineat, quia verum eſt. Qui natura ſunt ad iurgia, contentiones, rixas, & bella procliues; conſilia pacis ideò non probant quia pacis ſunt. Qui procaces ſunt, obſceni, laſciui; caſtitatis doctrinam non ob aliud aſpernantur, quàm quia caſtitatem ſuadet & commendat, quam non amant. Qui ebrietati ſunt dediti, ſobrietatem, vt talem, ſeu quia ſobrietas eſt, oderunt, tamquam ſuæ inclinationi & cupiditati contrariam. Ita planè qui mendacijs delectantur, veritatem vt veritatem oderunt ac reſpuunt, illiq́ue non credunt, ſed contradicunt.

CAPVT XLIII.

Quî fieri poteſt vt quis veritatem reſpuat, hoc ſolo nomine, quia veritas eſt?

SED hîc fortè dicet aliquis; Quæ de rixoſis, libidinoſis, ebrioſis iam dicta ſunt, nō grauatè conceſſero: at, quis ille eſt mortalium, qui verum dicenti, ob id propriè non credit, quia verum dicit, ipſamq́ue veritatem ceu talem auerſetur? Qui veritatem ideò reſpuit, quia veritas eſt; veritatem cognoſcit, & ſcit ſe veritatem reſpuere. Veritatem autem cognitam impugnare, videtur contra naturam eſſe. Vt enim voluntas ſemper ad bonum, ſic intellectus ſemper ad verum tendit. Nec quidquam appetit voluntas, niſi ſub ratione boni: nec intellectus quidquam intelligit, niſi ſub ratione veri. Deinde, veritatis cognitio, quam videntur habere qui veritatem dicti ſunt ceu veritatem reſpuere, non eſt reproborum; ſed electorum & verorum Chriſti diſcipulorum: idq́ue Chriſto Domino teſtificante ac dicente; Si manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.

Reſpondeo: Cùm dicimus, ab improbis veritatem odio haberi ac reſpui, quia veritas eſt,

tas [illegible] ſermonem Chriſti. Quis [illegible] o, ideò non creditis mihi? nihilo-quominus [illegible] la reprobæ [illegible] entis alienatione à veritate & inclinatione ad [illegible] ta-[illegible] cata, arcano quodam motu & Sathanæ inſtinctu à veri-ta[illegible] hoc [illegible] ciendo [illegible] dac[illegible] m auct[illegible] & [illegible] Ad [illegible] Chri[illegible], quibus [illegible] loque[illegible] atur [illegible] ta-bant v[illegible] tem [illegible], c[illegible] Chriſtum Dominum eiuſque doctrinam auer[illegible] bantur: ve[illegible] men [illegible] ma[illegible] ac [illegible] bo[illegible] d[illegible], ab illa a[illegible] horrebant etiam [illegible] bonis ad veritatem, ſic in improbis ad menda-ci[illegible] & [illegible] tatem [illegible] propenſio & conſenſio penitiſſimus. Eſt in mendacio qu[illegible] s [illegible] ud[illegible] us ex natura arrid[illegible] etſi mendac[illegible] m vt tale, i[illegible] s [illegible] on p[illegible] vero, in ſermone ac doctrina veritatis, qu[illegible] tas quædam eſt, iiſ-dem vehem[illegible] n[illegible] l cens illa nimirum ipſa qualitas, quæ naturæ veritatis eſt pro-pri[illegible], eiam[illegible] e c[illegible] verita[illegible] em n[illegible] n aſpern[illegible] t. Nec rixoſi & contentioſi pacem vt pacem auerſantur, ſe[illegible] eram tan[illegible] pacis cond[illegible] nem ac naturam, vt ſuis affectibus contrariam, oderunt [illegible] non veram pacem, ſed per contentiones, rixas, bella ac iurgia pa-cem [illegible] c[illegible] ruam. Propterea Chriſtus Dominus veram pacem à falſa diſcri-[illegible] ans, Pacem, [illegible] quit [illegible] quo [illegible] obis, non [illegible] uom[illegible] odo mundus d[illegible] t ego do vobis. Sic Auguſtinus lib. Confeſſionum 1[illegible] cap. 2[illegible]. Cur, inquit, veritas parit odium, & inimicus eis factus eſt homo [illegible] us, veru[illegible] prædic[illegible] s, cum amatur beata vita, quæ non eſt niſi gau-di[illegible] m de ver[illegible] mat[illegible] ve[illegible] t[illegible], vt [illegible] que aliu[illegible] a[illegible] nt, hoc quod amant, velint [illegible] ritatem; & quia falli nolunt, nolunt conuinci quod falſi ſunt? Itaque propter eam [illegible] oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Amant eam lucentem, od[illegible] t [illegible] quia e[illegible] n[illegible] t, & fallere volunt[illegible] amant eam e[illegible] m [illegible] ind[illegible], & od[illegible] nt e[illegible] m cùm eoſipſos indicat. Inde retribuet eis, vt qui ſe ab ea manifeſta[illegible] n[illegible] u[illegible] t & eos nolentes manifeſtet, & eis ipſa non ſit manifeſta. Sic, ſic etiam, ſ[illegible] an[illegible] s[illegible], [illegible] cæ[illegible] s & lang[illegible] idus, turpis a[illegible] que indecen[illegible] latere vult: ſe au[illegible] vt l[illegible] t al[illegible] non vult. Contra illi reddetur, vt ip[illegible] e non lateat veritatem, ipſum autem veritas lateat.

CAPVT XLIIII.

Alia ratio, ob quam Veritas odium pariat; & eam a[illegible] qui auerſen-tur, quia Veritas eſt.

IAM ergo v[illegible] audiuimus & grau[illegible] ſſimam rationem, cur veritas plerumque odium [illegible] Tertul[illegible] nus quodam loco reddit & alteram: Veritas, inquit, in hoc m[illegible] ndo p[illegible] re[illegible] na eſt: proinde inter ext[illegible] neos & ignotos fa[illegible] i[illegible] micos atque adue[illegible] nos [illegible] n[illegible]. O[illegible] e [illegible] v[illegible] e d[illegible] m [illegible] videmus natu[illegible] a comparatum eſſe vt non modò h[illegible] ena regione ferè omnibus ſint odio & cōtemptui, & fac le in multorum in-di[illegible] tant: ſed ide[illegible] s quoque [illegible] ma[illegible] bu[illegible] viu[illegible], [illegible] d[illegible] m ſpeciei [illegible] ad nouas g[illegible] nas afferatur vt magnis parua com[illegible] remus) omnes [illegible] t · roſtro vnguibus inuadunt & repellunt.

Iam, verita[illegible] um proprium ac v[illegible] m eſſe cælum, quis i[illegible] t? I[illegible] domi eſt, vbi pater hab[illegible] t. [illegible] em v[illegible] vt antè oſtendimus, Deus eſt. Dei vero lo-cus & [illegible] manſi[illegible] propria, vt [illegible] ou[illegible] nus, cælum eſt. Hinc dicimus orantes quotidie; Pater no-[illegible] es in cælis. Den[illegible] que, i[illegible] habitat veritas vbi ſoror eius, vel vt [illegible] v[illegible] unt, filia, [illegible] itat. Audiamus ea de [illegible] Apoſtolorum principem 2. Epiſtolæ 3. Nouo[illegible], inquit, [illegible] a[illegible] m, ſecu[illegible] m promiſſa ipſius, expectamus: in quibus iuſtitia h[illegible] bi-ta[illegible] per[illegible] piciu[illegible] ſi[illegible] ficat, in hac veteri, corrupta, maledicta ter[illegible], non eſſe do[illegible], [illegible] itare iuſtitiam[illegible] ic n[illegible] c veritas [illegible] hac terra eſt vtraque peregri[illegible] a.

Qu[illegible] mus, notandum, hominem cùm primùm à Deo creatus erat, & [illegible] ope[illegible] manuum eius, inter cetera beneficia coepiſſe [illegible] vitæ [illegible] tera-[illegible] m [illegible] ſ[illegible] mas virgines, Deiqu[illegible] as, quarum ſo-[illegible] erat [illegible] & [illegible] d[illegible] ma. [illegible] rant autem, miſericordia, veritas, iuſti-[illegible] M[illegible] ric[illegible] erat velut cuſtodem perpetuam & pediſſeq[illegible], vt ipſa [illegible] & [illegible] equeretur [illegible] m, ipſa protegeret & co[illegible] aret vbique. Sed præter

cuſtodem fidelem, [illegible] neceſſ[illegible]s etiam eru[illegible] [illegible] & [illegible] crea-turæ. Cui magiſterio nemo poterat aptior inueniri, quam veritas, quæ eum ad agnitionem aliquando [illegible]mæ perdi[illegible]t veritatis. At verò ne ſapiens inu[illegible]etur vt m[illegible] fa-ceret, e[illegible]e pe[illegible] ſcire bo[illegible] & non [illegible]e, [illegible]am [illegible]oque, [illegible]ua regere [illegible] accepit. Super hæc autem omnia, etiam pacem a[illegible]t diuina liberalit[illegible]; qua [illegible]iter delectaretur & foueretur. Pac[illegible]m autem d[illegible]plicem, vt videlicet nec int[illegible]s pugnæ e[illegible], nec fo[illegible] [illegible] hoc eſt, vt [illegible]o intus [illegible] pi[illegible] ce[illegible] du[illegible]s [illegible], nec vl[illegible] ei c[illegible] a f[illegible] nocere poſſet. Quid huic deerat, q[illegible] m[illegible]cor[illegible]a cuſtodi[illegible]bat doce[illegible] Veritas, [illegible]a regebat, pax [illegible]ou[illegible]bat? At ſimular[illegible] homo, magna cordis inſipien[illegible]riter & malitia, a Deo creatore ſuo ac benefactore receſſit, hoſti[illegible]ue eius Satanæ ſe [illegible]d-[illegible]xit, protinus ab eo quoque illæ quatuor cæleſtes filiæ receſſerunt, terr[illegible]ue tel[illegible]s, in cælum, vnde venerant, ſedes ſibi proprias, remearunt. Hoc Poëta etiam Ethnicus, velut à longe, vidiſſe at[illegible]ue intellex[illegible] videtur, cum ſcribit:

Protinus irrupit venæ peioris in æuum
Omne nefas: fugère pudor, verumq́; fideſq́;
In quorum ſubiere locum fraudeſq́; doliq́;
Inſidiæq́;, & vis, & amor ſceleratus habendi.

Sic veritas, cum reliquis virtutibus, à vitijs & ſcelenbus hominum è terris fugata, in cælumque reuerſa; rariſſi[illegible]è inde, a[illegible]ue ad quam pauciſſimos, in [illegible]rram reuertitur. Omnium in terra anim[illegible] ab [illegible] alieni [illegible]: ei[illegible]q[illegible]e an[illegible]us & natura [illegible]tiſſim ab omnibus; penituſque inter homines peccati [illegible]eruos, tamquam peregrina eſt in terra extranea. Hæc ergo vna eſt cauſa inter multas, vt rectè Tertullianus annotauit, quòd ve[illegible]s facile vbi[illegible]ue locorum inimicos inuenit, & pro beneficijs frequ[illegible]ter malam [illegible]m odiumq́, reportat.

CAPVT XLV.

Tertia ratio, cur Veritas non rarò malam gratiam at[illegible]ue odium reportet.

POTEST & tertia huius rei ratio reddi ex conſilio, prouidentia & [illegible]ntate Dei. Ideò enim permittit Deus veritatem odio haberi, contradictionem & perſecutionem pati, vt naturæ eius lux, v[illegible], forti[illegible]do præſtãtia, magis omnibus [illegible]feſta fiat. Vires [illegible]letę vel boni militis non probantur otio vel quiete, ſed aſſiduis certaminibus. Na[illegible]t hiſtoriæ, regem quemdam certiorem factum, filium ſuum in prima acie contra hoſtem pugn[illegible] [illegible]iter [illegible] vndique, in m[illegible]oque ve[illegible]ſati peri[illegible]lo, reſpondiſſe. Nolo ſubſid[illegible] à me petat[illegible] [illegible]amdi[illegible] [illegible]ſt fi[illegible]s: volo e[illegible], vt hodie virtutis [illegible]æ ſpecimen edãt, omniſque victoriæ laus penes ipſum [illegible]it. Sic de Diuo Antonio habet certa eius hiſtoria, cùm vſ[illegible]ue adeò affli[illegible]tetur a dæ[illegible]one, ine[illegible]ſque re[illegible]tur a[illegible] ſtias vi tormentorum, vt mortem ſibi videretur [illegible]ad[illegible]e non poſſe: paul[illegible]m rec[illegible]m, ſibique redditum, exclamaſſe ad Dominum: Vbi eras bone Ieſu, vbi eras, cùm in rantis eram anguſtijs? quar[illegible] non ab initio affuiſti mi[illegible]? Tum reſpondit Dominus: Antoni, h[illegible] eram, ſed exp[illegible]am, vt viderem [illegible]en tuum. Quo ma[illegible] igitur & periculoſ[illegible] certamen, hoc patientia Antonij & fortitudo magis enituit. Sic habet & negotium veritatis: quo magis premitu[illegible], hoc altiùs caput erigit: quoque magis & odi[illegible] exa[illegible]rur, vexatur, opp[illegible]b[illegible]pij[illegible] hoc magis atq[illegible]rder[illegible]tiùs ama[illegible]r, de[illegible], c[illegible]tu[illegible], & honora[illegible]r à pij[illegible]. Sed hoc [illegible]p[illegible]m antè quoque [illegible]bis oſtenſ[illegible]m [illegible]ur, [illegible]mad[illegible]odum ſcilicet veritas doctrinæ Chriſtianæ, cùm gentilium tum hæreticorum vehementiſſimis oppu[illegible]tionibus [illegible]s efflorur[illegible]que o[illegible]u[illegible] ſua [illegible]lem luce[illegible] & claritatem oſtendit.

Ex his omnibus conſtat, non ſemper eſſe bonam & firmam collectionem, vt multi tam[illegible]n i[illegible]pe[illegible]i exiſtimant. Doctri[illegible] hæc multos habet ad[illegible]s, pa[illegible] ab omnibus contrad[illegible]tur: ergo non eſt ve[illegible]a. Patet huiu[illegible] argume[illegible] e in doctrina Chriſti. Si in illo inimicos inuenit veritas, in quo illuſtriſſima habebat [illegible] certiſſima diu[illegible]næ vi[illegible]nta coniuncta, [illegible]uid de al[illegible]js m[illegible] ve[illegible]s, [illegible]rædicato[illegible]u[illegible] fiet?

Ioan. 15. Hoc eſt, q[illegible]od Dominus quoque ipſe dicebat Apoſtolis ſu[illegible]: S[illegible]ermo[illegible]em [illegible] ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt.

Sed

Sed tamen nec hoc rectè ſequitur, in contrarium ſenſum: Doctrina iſthęc multos habet aduerſarios, ergo vera & ſana eſt. nam & falſis doctoribus à veris doctoribus cõtradicitur. Proinde, nec ideò putanda eſt doctrina Catholica falſa eſſe, quia & hodie & olim ſemper plurimum contradictionis paſſa eſt: nec idcirco hæreticorum doctrina vera, quòd illi à pijs omnibus & Catholicis repugnatur. Quid ergo conſilij, ad veritatem cognoſcendam & diſcernendam à falſitate? Examinanda eſt omnis doctrina, ad canonem ſacrę Scripturæ, inquiunt aduerſarij. Non repugnamus. Sed quis erit iudex? Nos enim noſtram doctrinam canoni ſacræ Scripturæ conformem, ipſorum autem eidem aduerſa fronte repugnantem dicimus. Ipſi contrà ſuſtinent. Quis finiet hoc certamen? Recurrendum tandem neceſſariò ad iudicium illud finale Eccleſiæ Dei, & præfectorum eius, quod antè oſtendimus.

CAPVT. XLVI.

Veritas ſimplex & inculta.

ISTHÆC ſententia non incongruè necti videtur proximè antecedenti. Cùm enim homines naturâ ſuperbi ſint, ſimplicia omnia & modeſta deſpiciunt; hinc & veritas, licet multa habeat vera & præclara imò incomparabilia ornamenta, ſi quis propiùs illam aſpiciat, tamen quia foris magnam ſimplicitatem præ ſe fert, facilè hoc ſolo nomine, vt nihil accederet aliud, in odium multorum & indignationem incurrit. Sic Dauid adoleſcens, egregiâ animi virtute, & non contemnendis corporis viribus pręditus, tamen ſolius externæ ſimplicitatis gratia, quia more militari armatus non erat, non faſtuoſè incedebat, non armigerum habebat aut ſeruum, nihil ſuperbum præ ſe ferebat, à ſuperbiſſimo gigante Golia ſpernebatur. Numquid, inquit, canis ego ſum, quòd tu venis ad me cum baculo? 1. Reg. 17.

Deridetur iuſti ſimplicitas, inquit ſanctus Propheta Iob cap. 12. Sic eſt profectò. Sed ſi hoc iuſtos contriſtat, meminerint alterius diuinæ ſententiæ, Prouerb. 11. Simplicitas iuſtorum diriget eos: ſupplantatio autem peruerſorum, ſeu malitia, qua ſimplices ſupplantare moliuntur, vaſtabit illos. Ita ſanè res habuit in Dauid & Golia. Sic & vſuvenit quotidie in innumeris alijs. At nos de veritate loquamur: & videamus primùm, qua in re ſita ſit veritatis ſimplicitas: deinde, cur tantopere ſemper ſimplicitate delectetur: & vtrùm nihil illa præſtantiæ eius ac dignitati officiat.

Veritatis vſum ac naturam ſcimus propriè in ſermone & locutione conſiſtere. Proinde, cùm de ſimplicitate veritatis agitur, ſermonis & locutionis ſimplicitas præcipuè intelligitur. Vnde quod communiter dicitur, veritatem eſſe ſimplicem, alij velut explicationis gratiâ dicunt, veritatis ſimplicem eſſe orationem. Sic olim dixit Euripides; Simplex veritatis oratio eſt, nec variatum opus habet interpretationum: iniquus autem ſermo ægrotans in ſeipſum, medicaminum opus habet ſapientium. Quibus in verbis Poëta ille Ethnicus vnam attingit bonam rationem, quamobrem veritas ſimplici libenter oratione vtatur. Quemadmodum enim, qui ſana & firma ſunt valetudine, ſimplici, communi, & facilè parabili cibo vtuntur; ægroti autem varijs, nouis, exquiſitis cibis opus habent ad appetitum excitandum, eſtque hoc certum ſignum naturæ corruptæ: ſic veritas cùm naturam habeat benè ſanam & firmam, fortem & inſuperabilem, ſeipſam per ſe ſatis tuetur; nec opus habet multis ac varijs verborum lenocinijs. Bona cauſa in promptu habet bonas & breues rationes ad ſui defenſionem: mala autem & iniuſta, quia bonis & veris rationibus deſtituitur, longis ambagibus, rationibus procul quæſitis, multiſq; & ſpecioſis verbis indiget, vt ſeſe vtcumque ſuſtineat; nec quidquam tandem iuuant omnia.

Deinde, quemadmodum honeſta matrona ornatum amat, non ſuperbum & meretricium, ſed honeſtum dumtaxat; & ſicut verè formoſa mulier, ſi præcipuè ſimul pudica ſit, non quærit cultum valdè curioſum, mundanum, pretioſum, cùm ſe ſatis ornari & commendari ſciat propria naturæ ac vultus pulchritudine: at verò meretrices & impudicæ, quæ multis artibus omnibus placere ſtudent; vel deformes etiam, quæ nihil habent veræ & propriæ pulchritudinis, omnem laudem & commendationem quærunt ab ornatu & cultu externo, ideoque illum gerunt quàm maximè curioſum, laſciuum, pretioſum: ſic planè veritas ſimplici orationis perſpicuitate gaudet, vt quæ ſibi cùm eximiæ pulchritudinis ſuæ, tum ſummæ honeſtatis & probitatis, quæ omnibus bonis ingenijs ſatis bona ſunt, probe ſit conſcia; mendacium verò, inſtar ſcorti impudici & laſciui, multis varijſque

coloribus & figuris indiget, vtpote quod ſcit nulla ſe alia vera laude placere poſſe. Huc pertinet perelegans illa Apellis ſententia qua diſcipulum e ſuis quemdam reprehendit, quòd Helenam pinxiſſet auro ornatã: O adoleſcens (aiebat) quia non potuiſti formoſam pingere, feciſti diuitem. Quapropter, qui in veritate operoſum elegantiæ ſtudium orationiſque ornatum & flores poſtulat, nimis eſt delicatus; & perinde videtur facere, atque ſi maritus quiſpiam ab vxore ſua requirat inhoneſtum & laſciuum ſeſe ornandi & comendi ſtudium, quo meretrices gaudere videmus. Sic Lactantius lib. 3. cap. 1. Voluit, inquit, Deus hanc rei eſſe naturam, vt ſimplex & nuda veritas eſſet luculentior; quia ſatis ornata per ſe eſt: ideoque ornamentis extrinſecus additis fucata corrumpitur. Mendacium verò ſpecie valet alienâ, quia per ſe corruptum vaneſcit ac diffluit, niſi aliundè ornetur. Sic ille.

Perpulchra ſunt hac de re Auguſtini verba, lib. 4. De doctrina Chriſtiana cap. 11. Bonorum, inquit, ingeniorum inſignis eſt indoles, in verbis verũ amare, non verba. Quid enim prodeſt clauis aurea ſi aperire quod volumus non poteſt? aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt, quando nihil quærimus, niſi patere quod clauſum eſt? Quod ad doctrinæ Chriſtianæ veritatem attinet, quoniam illa vt ceteræ omnes, cùm verbo ſeu prædicatione tum ſcripto traditur; vtraque in re ſemper ſimplicitatem ſeruauit. De viuæ vocis prædicatione ſcribit Apoſtolus 1. Cor. 1. Non miſit me Deus baptizare, ſed euangelizare; non in ſapientia verbi, vt non euacuetur crux Chriſti. & cap. 2. Sermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis; vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.

CAPVT XLVII.

Ratio ex D. Paulo profertur, quam ob cauſam, prædicatio Euangelicæ doctrinæ, ſermonis ſimplicitate ſit vſa.

ERGO Paulus Apoſtolus, non modò fatetur ſeſe in prædicatione Euangelicæ doctrinæ magna verborum & ſermonis ſimplicitate vſum fuiſſe, vt ſuprà docuimus; ſed illius etiam rei rationem reddit: Vt non euacuetur, inquit, crux Chriſti. &, quod idem planè eſt, vt fides noſtra non pendeat ex ſapientia humana, ſed ex virtute Dei. Crucem Chriſti vocat prædicationem ſeu doctrinam Chriſti crucifixi, gratiæque per Chriſti crucem & mortem mundo præſtitæ. Hanc doctrinam noluit Deus mundo per elegantem ſermonem ad artem Rhetorices elaboratum proponi: ne quid dignitati detraheretur myſterio ſummo gratiæ Dei mortiſque Chriſti; néve id quod in ſe reuerà ſummum eſt, auguſtum, ſolidum, vtilitatis, dignitatis, potentiæ plenum, exile ac velut inane redderetur. Quæ enim vera & ſolida ſunt, ſimplicia ſunt; quæ verò falſa, ornamenta & medicamina poſcunt. Si Apoſtoli ſermone vſi fuiſſent compoſito ad artem Rhetoricam; obijcere potuiſſent hoſtes Euangelicæ veritatis, homines verſutiâ, arte, doctaque perſuaſione captos fuiſſe veriùs, quàm vi veritatis ad credendum adductos. Cùm ergo nihil tale in omni Apoſtolorum prædicatione appareat; omnis laus & fructus prædicationis eſt veritatis & virtutis Dei. Opponit autem Apoſtolus internum ſpiritum, & virtutem ſermonis ſui, perſuaſioni humanæ ſapientiæ, vel oratoriæ eloquentiæ. Humanæ huic ſapientiæ ad perſuadendum inſtitutæ, ſi detrahas ornamenta verborum & ſententiarum; nihil niſi vanum quiddam & inane relinquitur. At ſermo veritatis Euangelicæ, cum externa ſua ſimplicitate vegetus eſt, viuax, potens, pectora humana occultâ vi ingrediens, penetrans, commouens & transformans. Qua de re eleganter D. Hieronymus in 13. caput Matthæi: Prædicatio (ait) Euangelij, minima eſt omnibus diſciplinis. Ad primam quippe doctrinã, fidem non habet veritatis, hominẽ Deum mortuum, & ſcandalũ crucis prædicans. Confer huiuſmodi doctrinam dogmatibus Philoſophorum, & libris eorum, ac ſplendori eloquentię & compoſitioni ſermonum; & videbis, quanto minor ſit ceteris ſeminibus ſementis Euangelij. Sed illa cùm creuerit, nihil mordax, nihil viuidum, nihil vitale demonſtrat; totum flaccidum marcidumque ebullit in olera, & in herbas, quæ citò areſcunt & corruunt. Hæc autem prædicatio, quæ parua eſſe videbatur in principio, cùm vel in anima credentis vel in toto mundo ſata fuerit, non exurgit in olera, ſed creſcit in arborem; ita vt volucres cæli, quas vel animas credentium, vel fortitudines Dei ſeruitio mancipatas,

ſentire

[illegible], [illegible] & [illegible]. Ramos porò Euangelicæ arboris, doc-[illegible] quibus [illegible] volucrum [illegible]. Hęc ille.

[illegible] verò [illegible], Apoſtolum Paulum in ſupradictis ſententijs, ſimul [illegible] Chriſti [illegible] & conuerſationis ſuæ apud Corinthios, vt [illegible] [illegible]. Quum diceret; Neminem debere offenſionis vel ſcandali occaſionem dare, [illegible] prædicationis ſuæ. Talem enim eſſe prædicationem ſuam, [illegible] prædicabat, [illegible] erat tota quam dicebat. Prædicabat Chriſti [illegible] & mortem pro ſalute humani generis. Debebat ergo ſermo [illegible] Humilis in ſpeciem & abiecta res eſt [illegible], [illegible] humilitas vincit omnem mundi [illegible] & celſitudinem. Sic [illegible] Apoſtolorum prædicatio, [illegible] eloquentiæ deſtituta, ſed quæ plus longè poſſet, quàm omnium [illegible] ornamentis [illegible]. Id quod quotidie ipſa [illegible] experientia: quum [illegible] ſeculari philoſophiæ & doctrina, [illegible] Apoſtolorum prædicationem [illegible] mutarent & [illegible] ſunt [illegible] vita nouitate conſtantiſſimè [illegible] ad [illegible] vſque vos, [illegible] temporis: quod nunquam Philoſophi [illegible] humanæ ſapientiæ aut eloquentiæ præſidijs efficere potuerunt.

[illegible], inquit Apoſtolus, [illegible] ac tremore fui apud vos. [illegible] eſt, [illegible] fuiſſe, [illegible], nec [illegible] affectaſſe, ſed inſidijs [illegible] periculis [illegible]. Porrò [illegible] mundi vires, qui prædicationi Euangelicæ [illegible], [illegible] potentia [illegible]. Qualis fuit ſtatus & ratio [illegible], [illegible] & prædicatio: [illegible] humanum præſidijs, ſed ſolius Dei [illegible], [illegible] omnium violentiam atque iniuriam [illegible] ſermo [illegible] Rhetorum figuris, Philoſophorum argumentis, qui oſtenderet [illegible] vel eruditione ſeculari, vel eloquentiæ viribus præſtare poſſem [illegible] & [illegible] vos, non oſtentatione doctrinæ, ſed [illegible] Spiritus Dei, [illegible] meruditio, [illegible]: [illegible] quod ab infidelitatis tenebris ad Euangelij lucem translati eſtis, re tam incredibili perſpecta, exiſtimet hoc debere [illegible] vel eloquentiæ, ſed potentiæ ſoli & gratiæ Dei.

Non erit autem inutile, in confirmationem eorum quæ de admirabili potentia ſimplicis veritatis diximus, vnum atque alterum exemplum ſubijcere, ex hiſtoria Eccleſiaſtica. Sic [illegible] ſcribit Ruffinus lib. 1. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cap. 3. apud Euſebium: Quantam virtutem habeat [illegible] ſimplicitas, [illegible] quæ [illegible] referuntur, [illegible]. [illegible], [illegible] religioſi Imperatoris, ex omni terra Sacerdotes Dei [illegible], [illegible] Philoſophi [illegible] & Dialectici [illegible] & opinatiſſimi [illegible]. [illegible] quidam [illegible] arte Dialectica, per [illegible] ſingulis [illegible] Epiſcopis [illegible] in Dialectica [illegible] & [illegible], [illegible] & literatis viris. [illegible] Philoſophiæ [illegible] poterat, aut conſtringi. [illegible] putabatur [illegible]. Sed, vt oſtenderet Deus [illegible] in ſermone regnum Dei, ſed in [illegible] Confeſſoribus ſimplicis [illegible] & nihil aliud [illegible] Chriſtum, & [illegible], inter [illegible] Epiſcopis aderat. Qui cùm vidiſſet Philoſophum [illegible] & [illegible] diſputationis arte iactantem, poſcit ab omnibus locum, velle ſe [illegible] cum Philoſopho [illegible]. Tum verò noſtri, qui ſimplicitatem [illegible] & imperitiam [illegible] noſſent, [illegible], & velut [illegible] ſancta ſimplicitas. Perſtitit tamen ſenex, & [illegible] In nomine, inquit, Ieſu Chriſti, Philoſophe, audi quæ vera ſunt. Deus vnus eſt, qui [illegible] cœlum & terram, [illegible] hominem, [illegible] ſpiritu [illegible] quæ videntur, [illegible] quæ non videntur, virtute Verbi [illegible] & [illegible]. Hoc Verbum & Sapientia, [illegible] Filium [illegible], [illegible], ex Virgine naſcitur, & per paſſionem mortis [illegible]

[illegible] xandro dicente, [illegible]

Capvt [illegible]

Quemadm[illegible] pr[illegible] [illegible]

I[illegible] [illegible] Itaque [illegible] Scripturas [illegible] videbar. [illegible]

N[illegible]

[illegible]

Itaque [illegible]

[illegible] borata [illegible] ſ[illegible] up eſſis [illegible]

C[illegible]T [illegible]

Vtrum Ec[illegible]leſiaſt[illegible]e do[illegible]rina V[illegible] p[illegible] cendo, ſiue in ſcribendo, eloquentiam auer[illegible]tur, & dam[illegible]t.

SEd hîc duo poſſu[illegible] ſæn[illegible]s ver[illegible] Primu[illegible] o[illegible]nd[illegible] dicatione tu[illegible] a[illegible]tione [illegible] icæ ver[illegible] vel [illegible] gen[illegible] atati[illegible] vel d[illegible] eis [illegible] vo[illegible] m [illegible] Deinde n[illegible] pe[illegible] C[illegible] ve[illegible] æ v[illegible] bendo [illegible] lo[illegible] at[illegible]

Quod a[illegible]m quæſt[illegible] doctore[illegible] [illegible]

omnes quæ liberales dicuntur, nequaquam aduerſantur veræ pietati.

Quod verò ad Apoſtolum attinet, Coloſſenſes à Philoſophia tam ſeriò deterrentem, non de Philoſophia loquitur fundata in ratione naturali; ſed de illa gentilium vana Philoſophia, qua falſorum deorum cultus ac religio docebatur. Sic D. Auguſtinus eruditè lib. 1. de Geneſi ad litteram cap. 21. Reſpondendum hominibus, qui calumniari libros noſtræ ſalutis & eruditionis affectãt; quidquid ipſi de natura rerum veracibus argumentis demonſtrare potuerint, noſtris litteris non eſſe contrarium: quidquid autem de quibuſlibet ſuis voluminibus, noſtris litteris, id eſt Catholicæ fidei, contrarium protulerunt, nulla dubitatione, eſſe falſiſſimum. Atque ita teneamus mediatorem noſtrum, in quo ſunt omnes thesauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi; vt neque falſæ Philoſophiæ loquacitate ſeducamur, neque falſæ religionis ſuperſtitione terreamur.

CAPVT L.

Vtrùm Veritati Chriſtianæ implacabile cum ſtudio eloquentiæ ſit diſſidium?

ALTERA quæſtio plus aliquanto difficultatis habere videtur. Dicit enim Paulus Apoſtolus, idcirco ſeſe nulla humana eloquentia vſum fuiſſe in prædicatione veritatis Euangelicæ (eadem autem ratio eſt de ſcriptione) vt non euacuetur crux Chriſti: ergo penitus exinaniri videtur Chriſti crux, ſeu fructus mortis eius, ſi in eius doctrina admiſceatur mundana eloquentia. Proinde, apparet, illa ſimul ſtare non poſſe.

Reſpondeo, myſterium crucis Chriſti, eiuſque doctrinam, & mundanæ eloquentiæ vel ſapientiæ ſtudium quadam ratione inter ſeſe haud dubiè repugnare. In anxio enim ſtudio ſermonis (vel ſcriptionis) iuxta leges artis Rhetoricæ compoſiti, qualem homines curioſi quærere & admirari ſolent; permultum ineſt humanæ fiduciæ, iactantiæ, arrogantiæ, multorumque ſimilium vitiorum. Quæ omnia ex diametro pugnant cum myſterio crucis Chriſti, quæ omnem docet in primis humilitatem & modeſtiam, ſui ipſius veram abiectionem, nulla in re in ſeipſo confidere, ſibi placere, ſupra alios ſeſe efferre, ſe magni facere.

Proprium eſt Euangelij, & crucis Chriſti, omnem mundi ſapientiam & facundiam, qua tantopere ſibi placere ſolent homines, ſic penitus in ordinem redigere, vt proprio ſenſu vacui, toti à Deo eiuſque gratia & auxilio pendeamus; illi nos vni dociles præbeamus; nihil velimus aut appetamus, quàm quod ipſe docet. Cùm ergo Corinthij (vti alijs etiam pænè omnibus in rebus) ad ſuperbiam procliues erant; nimirum diuitijs animos ſemper & faſtum addentibus; Euangelicam doctrinam humilitatis & ſimplicitatis nomine parui facerent, vel ſaltem Paulum Apoſtolum, qui magna verborum & ſententiarum ſimplicitate in docendo & prædicando vtebatur; alijſque magis Pſeudoapoſtolis & ſeductoribus aures præberent, abſente Paulo, qui doctrinam ſuam, quò magis fallerent, magno dicendi artificio, orationis cultu & grandiloquentia ornabant: à ſtulta illa cupiditate & admiratione magniloquentiæ, qua aures eorum pruriebant, reuocandi erant à Paulo ad veram humilitatem & ſimplicitatem, quæ doctrinam Euangelicam & prædicationem myſterij crucis Chriſti decet. Nihil enim commune humanæ ſuperbiæ cum vera & ſancta humilitate crucis & mortis Chriſti, quæ ſumma eſt totius prædicationis & doctrinæ Euangelicæ. Ideò Deum videmus ſic voluiſſe & ordinaſſe ab initio, vt Euangelium omni mundanæ eloquentiæ ſubſidijs nudũ adminiſtraretur, tum prædicando, tum ſcribendo.

An putamus, eum, qui linguas hominum format ad facundiam, quique (vt Sapiens inquit) ſcientiam habet vocis, efficere non potuiſſe vt Apoſtoli veritatem Euangelicam cum ſumma facundia, magnaque humanæ ſapientiæ admiratione, prædicaſſent? Poterat efficere vt loquerentur non ſolùm Ciceroniana lingua, vel Demoſthenica, ſed angelica etiam. Cùm poſſet, noluit. Quare? Rationes iam ſatis audiuimus: ſed tamen ad maiorem inſtructionem breuiter quæ dicta ſunt, verbis alijs reperemus. Non illa eſt cauſa, quòd oderit Deus humanam omnem eloquentiam; quum ſit ipſe eius auctor; nec etiam quòd eloquentia humana vel oratoria nullum queat bonum vſum habere, in tractatione doctrinæ Euangelicæ, aut veritatis Chriſtianæ: ſed partim, vt in rudi & impolito ſermone magis conſpicua appareat veritatis ſuæ maieſtas; & vt ſola ſancti Spiritus efficacia.

cacia abſque vllis externis adminiculis in hominum animos penetret: partim verò, vt noſtram obedientiam ac docilitatem meliùs experiatur, & ſimul ad veram humilitatem, quæ caput eſt omnis veræ pietatis & ſalutis, erudiat. Solos enim paruulos in ſcholam ſuam admittit Dominus. Ergo illi demum cæleſtis ſapientiæ capaces ſunt, qui prædicatione crucis in ſpeciem abiectâ contenti, laruatum humanæ ſapientiæ aut facundiæ ornamentis Chriſtum nequaquam deſiderant. Ideò in hunc finem Euangelij doctrinam ab initio attemperari oportuit, vt ab omni faſtu & altitudine abſtraherentur fideles.

Quid autem ſi quiſpiam paulo nitidiùs diſſerendo Euangelicam veritatem doctrinamque Chriſtianam eloquentia illuſtret; totamque dicendi artem quam eſt aſſecutus, in religionis veræ & ſanctæ gloriam atque honorem conuertat? An repudiandus erit ille, quaſi veritatem contaminet, & Chriſti crucem obſcuret? Quis tam ſit ab omni intellectu & ratione alienus, vt hoc aſſeueret? Non pugnat ergo cum veritatis ſimplicitate, facundia; quæ illi ſine faſtu aliquo non tantùm cedit & ſe ſubijcit vltrò, verùm etiam tamquam ancilla ſeruit dominæ ſuæ. Nam, vt rectè alicubi Auguſtinus; Qui Eccleſiæ ſuæ regendæ, Chriſtianæque amplificandæ veritati, dedit Petrum piſcatorem, omnis dicendi artificij prorſus ignarum; dedit idem & Cyprianum oratorem, omni ſæculari eloquentia & ſapientia inſtructum. Quòd ſi illi diſplicuiſſet eloquentia; vel iudicaſſet, illam doctrinæ Chriſtianæ minime conuenire; ad illam tradendam atque illuſtrandam doctrinam numquam ex ſcholis ſæcularibus & media arte Rhetorica, vel dictum Cyprianum, vel Ambroſium, vel ipſum Auguſtinum, itemque inter Græcos Baſilium, Nazianzenum, Chryſoſtomum, vt multos alios prætercam, euocaſſet.

Sed diligenter obſeruandum, quo loco hoſce magnos & eloquentiſſimos Oratores in Eccleſia ſua eſſe voluerit. Nempe, qui tanta facundiæ laude excellunt, ad pedes ſubſideant piſcatorum illorum, Petri, Ioannis, & ſimilium, qui omni ſunt forenſi ac ſæculari dicendi gratia deſtituti: beneque illi ſecum agi, magnoque ſeſe honore affici arbitrentur, quòd omni ſua eloquentia & ſapientia ſæculari quoduis hiſce miniſterium præſtare queant. Hæc ergo ac talis eloquentia non eſt vel damnanda vel aſpernanda, quæ nō huc ſpectat, vt Chriſtianos in externo verborū cultu & colore detineat, vt vana eos delectatione inebriet, vel titillet; vt ſuo tinnitu aures feriat, vt pompa ſua tamquam inuolucro obruat gloriam vel ſimplicitatem crucis Chriſti; ſed potiùs, vt ad natiuam crucis humilitatem nos reuocet, vtque ipſa ſeſe ſponte in ordinem redigens, ſolam crucis laudem & prædicationem extollat: denique, vt tamquam præconis officio fungatur, ad comparandam piſcatoribus illis & idiotis audientiam, qui nihil habent gratiæ præter efficaciam ſpiritus. Sed hæc vna, omnem aliam mundanæ vel ſapientiæ vel facundiæ gratiam vera laude ac dignitate multis imò infinitis partibus ſuperat. Deinde notandum eſt etiam, ſuam quoque non deeſſe imperitis illis Euangelij prædicatoribus, ſacræque Scripturæ auctoribus eloquentiam: ſed quæ natiuo magis & proprio, vel potiùs intrinſeco & ſecreto ſplendore (illis noto qui vera illum humilitate rimari norunt) quàm aſcititijs ornamentis, luceat & commendetur. Talem habent Prophetæ: præſertim Iſaias, Dauid, & Salomon; & Moyſes quoque: vt litterarum Hebraicarum periti, & moris loquendi Hebræorum non ignari, nouerunt. Quin & in ſcriptis Apoſtolorū, etiamſi magis illa inculta videantur, huiuſmodi ſplendoris ſcintillæ non rarò emicant. Hinc extat etiam libellus ille perelegans Venerabilis Bedæ de tropis & ſchematibus ſacræ Scripturæ veteris ac noui Inſtrumenti.

CAPVT LI.

Apologia ſimplicitatis loquendi & ſcribendi Theologorum ſcholaſticorum, contra æmulos.

IAM ſatis, pro ea quam ſequimur breuitate, de veritatis ſimplicitate dixiſſe videmur; niſi veritas Theologiæ ſcholaſticæ, antequam ex hac materia prorſus egredimur, defenſionem à nobis aliquam & patrocinium ſuæ ſimplicitatis contra multorum obtrectationes vanaque obloquia poſtularet. Sunt namque non pauci, qui vel ob id ſolum vniuerſam Scholaſticorum doctrinam reſpuunt, quòd nullam penitus in loquendo non elegantiæ ſolùm, ſed ne Latinæ quidem dictionis rationem habeant, omniique penitus ſermonis cultu deſtituantur. Quæ res offendit grauiter nō modò hæreticos huius temporis omnes, ſed multos

[illegible] Quamquam [illegible] hæretici ſcholaſticis Doctoribus infenſi [illegible] generat ſermonis ſimplicitas vel barba[illegible] quod quædam in ſcholaſticis Doctoribus [illegible] hæreticis: [illegible]orum illorum proprium munus eſt, do[illegible] a [illegible] ſalutem æternam opituletur, & contra [illegible], & locos [illegible]les ſana in Catholicam [illegible] unt [illegible]que rationibus redarguere. Colligit [illegible] a [illegible] reuelatis concluſiones ſuas; atque in princi[illegible] rancam a[illegible]ntationem educit & ex[illegible] A[illegible] abſcondita latent, in lu[illegible], ad [illegible]nem, ſolatium, confirmationem piorum, & [illegible] hæreticorum, & quorumuis Chriſtianæ verita[illegible]tis [illegible] d[illegible]nibus adeo [illegible] infenſi hæreti[illegible]ci, [illegible], qu[illegible] expugnare m[illegible]untur, horum ſtu[illegible]di[illegible] A[illegible] videlicet [illegible] canes, eoſque odio proſe[illegible] ſcholaſticam Theologiam non aliud e[illegible] [illegible]ciat: a[illegible]us, Academias eſſe Antichri[illegible]ſti [illegible] ſcholaſticæ, qua admiſſa Euangelium obſcurari, fid[illegible]

[illegible], & [illegible] è ve[illegible]us, ſcholaſtica Theologia ex[illegible] o[illegible]tari, fidem Chriſtianam Catholicamque extingui. Con[illegible] Auguſtinum, Ambroſium, Cyprianum, [illegible] C[illegible], ceteroſque [illegible], quos ſcholaſtici Doctores d[illegible] au[illegible]ent, [illegible]on[illegible] negligi [illegible]e neceſſe eſt. Quod & faciunt e[illegible] manifeſt[illegible]. At v[illegible], antiquis illis ſanctis poſthabitis, & c[illegible] & [illegible] fid[illegible]s & religio Chriſtiana collabitur. Et v[illegible] ait. Qui ſpernit [illegible], paulatim decidit. *Eccli. 19.*

Ve[illegible] ſc[illegible]ticæ Theologiæ, deque fide & credulitate quæ profeſſo[illegible]ri[illegible] di[illegible]putare. Si cui placeat ea de[illegible] doctam [illegible] vidॆre, legat Melchiorem Canum de locis Theolo[illegible] lib. 8 [illegible]ag[illegible], non debere ſcholaſticorum diſputatio[illegible]nes d[illegible] vel facundia gratiave [illegible] proponitur

[illegible] ſuperiori ſæ[illegible] v[illegible] in d[illegible] eloquens, cuius multa etiamnum exſtant ingeni atque erud[illegible] monumenta, Hermolaus Barbarus nomine, Patriarcha Aqui[illegible] p[illegible] & d[illegible] poſteà deſignatus. Vigebat eius ætate mirificè in [illegible]oquen[illegible] [illegible] itaque ſtudij amore ſuccen[illegible]ſus H[illegible], qui nulli ſunt ac deſtituti penitus cunctis eloquen[illegible] ne[illegible] f[illegible]bat [illegible] ad [illegible] Picum Mirandulæ Principem, hu[illegible] T[illegible] Do[illegible] barbaros, ſordidos, rudes, [illegible]os & e[illegible]tinctos nisi fortè ſi quis vi[illegible]u[illegible]eret [illegible] & contumeliam. Hac d[illegible] Ioannes Picus, qui ſingu[illegible]la[illegible] do[illegible], [illegible] erudi[illegible] temporis [illegible] meritò dicebatur, a[illegible] vel [illegible], quod pro defenſione inculti ſermonis & [illegible] diſ[illegible] poſſe videretur: introducitque ſcholaſticæ doctrinæ protectorem [illegible] cauſam ſuam, loquendique ſimplicitatem, ru[illegible]d[illegible] ſc[illegible] ſenten[illegible]que & argu[illegible] ſimpl[illegible]us, de[illegible]ntem, cum dicto Hermolao veli[illegible]ti[illegible]ndo. Quam diſſertationem quoniam nobis viſa eſt lectu digna eſſe, vtpote non [illegible]di[illegible]onis q[illegible]m iucundæ voluptatis continentem, ex dicti Ioannis P[illegible] Epi[illegible] placuit; cui Ca[illegible] proximè ſequens conſignabimus.

CAPVT

CAPVT LII.

Apologia prædicta, pro ſimplicitate loquendi & [illegible] Theo[illegible]rum ſc[illegible]laſticorum, formatum exe[illegible]; contra Hermolai iudicium & cenſuram: quæ ſub fine præcedentis Capitis habetur.

Doctor quiſpiam ſcholaſticus loquitur.

VIximus celebres, ô Hermolaë, & poſthac viuemus, non in ſcho[illegible] & pædagogijs, ſed in Philoſophorum corona, in con[illegible]entibus [illegible] de matre Andromaches, non de Niobes filijs, atque id genus leui[illegible], ſed de [illegible] manarum diuinarumque rerum rationibus agitur & diſputatur. In [illegible] inquirendis, & enodandis, ita ſubtiles, acuti, creſque [illegible], vt [illegible] ando[illegible] & moroſi eſſe forte videamur, ſi modo eſſe moroſius quidpiam aut cu[illegible] in indaganda veritate poteſt. Atque in his quidem, ſi quis nos arguat he[illegible]tudinis & [illegible]ditatis; age amabo quicumque is eſt, pedem conferat, e[illegible] penetur habu[illegible] in lingua, ſed in pectore Mercurium; non defuiſſe nos ſapientiam, ſi def[illegible] eloquentia, quam cum ſapientia non coniunxiſſe, tantum fortaſſe abeſt a culpa, vt coniunxiſſe [illegible] fas. Quis enim cincinnos, quis fucum in proba virgine non damnet & [illegible] T[illegible] ta eſt inter Oratoris mu[illegible] & Philoſophi pu[illegible]; vt [illegible]e ma[illegible]ſ [illegible] non poſſint. Nam quid aliud Rhetoris officium quam mentiri, decipere, circumuenire, præ[illegible]giari? Eſt enim veſtrum vt dicitis, poſſe pro arbitrio in candida [illegible] gra candidum, poſſe quæcumque vultis tollere, a[illegible]jcere [illegible] do: demum, res ipſas magicis quaſi (quod vos iactatis) [illegible] eloquentiæ in quam libuerit faciem habitumque transformare vt non qualia ſunt ſuopte ingenio, ſe[illegible] volueritis, non fiant quidem, ſed cum non ſint, eſſe [illegible] aud[illegible] Hoc totum, eſtne quidquam aliud, quàm merum mendacium, mera imp[illegible], merum præſtigium: cùm à natura rei ſemper vel augendo excedat, vel mi[illegible]ndo [illegible]at, & fallacem verborum concentum velut [illegible] & ſimul[illegible] mentes blandiendo ludificet? [illegible] h[illegible] Philoſopho [illegible] omne in cognoſcenda & demonſtranda ceteris veritate verſatur. [illegible] nobis nulla erit fides, lautitias vocum & v[illegible] affecta[illegible] [illegible]tes, nec v[illegible] n[illegible]xi, trahere in ſententiam hi[illegible] [illegible] cauſam legere res ſacras, ruſtice potius [illegible]m elegant[illegible] dedecens & noxium in omni materia in qua de [illegible] vniuerſum iſtud dicendi genus elabor[illegible]m [illegible] turalium atque cæleſtium. Non eſt [illegible], qui in A[illegible] verſantur, in qua quæ fiunt, quæque dicuntur, [illegible] flores fructibus longe præponderant N[illegible] conueniunt? Eſt elegans res [illegible]temur hoc [illegible] ſed in Philoſopho nec decora nec grata [illegible] ludibundos oculos in hiſtrione & [illegible] non improbet, arguat, abominetur? Si [illegible] que dicaculam, laudabimus [illegible] ſequentur. Non ergo nos [illegible] grauitatem pl[illegible]oſophica[illegible] & [illegible] nectent. Profectò quod Syneſius de adoleſcente [illegible] commode poteſt [illegible] matam orationem ſemper [illegible]dam. [illegible] nos [illegible] lumus capillis hirtam, [illegible] bo[illegible], inexpeditam, [illegible] vel [illegible] fuſcione bellè co[illegible] Et vt [illegible] reliqua hoc e[illegible]mu, n[illegible] diuer[illegible] magis ab [illegible] euto P[illegible], quacumque [illegible] quàm quæ luxum, aut faſtum, aliqua ex parte fa[illegible] [illegible] habiles apto[illegible] ad pedem dicebat Socrates, ſed Socrati non con[illegible] omnino. Non

eadem ratio ciuilis habitus & Philoſophici; ſicuti neque menſæ nec ſermonis. Vtitur his Philoſophus dumtaxat ad neceſſitatem, vtitur ciuilis homo etiam ad gratiam. Quam & hic ſi neglexerit, non ciuilis; & ille ſi affectauerit, non erit Philoſophus. Si poſſet Pythagoras viuere ſine cibo, oleribus etiam parceret: ſi ſua ſenſa aſpectu, aut demum minore quàm ſermonis opera explicare, omnino non loqueretur; tantum abeſt vt linguam poliat & exornet: quod vel ob id cauendum nobis, ne illectus cute medicata Lector, demoretur ad eam, ad medullam & ſanguinem non perуadat, quem ſubeſſe ſæpe ceruſſato ori infectum vidimus. Vidimus, inquam, in hiſce omnibus, quibus propterea vſuvenir, cum nihil ſit intus non inane & vanum, detinere Lectorem in prima facie modulatu vario atque concentu. Quod ſi fecerit Philoſophus, clamabit Muſonius, non Philoſophum loqui, ſed tibicinem canere. Non ergo nobis vitio detur, id non feciſſe, quod feciſſe vitium erat. Quærimus nos, quidnam ſcribamus; non quærimus, quomodo; imò quomodo, quærimus; vt ſcilicet ſine pompa & flore vllo orationis. Quam nolumus vt delectabilis, venuſta & faceta ſit; ſed vt vtilis, grauis, & reuerenda; vt maieſtatem potiùs ex horrore, quàm gratiam ex mollitudine conſequatur: non expectamus theatri plauſum, quod aures demulſerit æquabilis clauſula, vel numeroſa; quod hoc ſit ſalſum, illud ſit lepidum; ſed expectamus paucorum potiùs præ admiratione ſilentium, introſpicientium penitiùs aliquid, aut de naturæ adytis erutum, aut de cæli aula ad homines adductum; tum vel aliquid ita argutum vt defendendi, ita defenſum vt arguendi non ſit locus. Admirentur pręterea nos ſagaces in inquirendo, circumſpectos in explorando, ſubtiles in contemplando, in iudicando graues, implicitos in vinciendo, faciles in enodando. Admirentur in nobis breuitatem ſtyli, fœtam rerum multarum atque magnarum, ſub expoſitis verbis remotiſſimas ſententias, plenas quæſtionum, plenas ſolutionum: quàm apti ſimus, quàm benè inſtructi, ambiguitates tollere, ſcrupos diluere, inuoluta euoluere, flexianimis ſyllogiſmis & infirmare falſa, & vera confirmare. His titulis, ô Hermolaë, vindicauimus huc vſque, & vindicaturos poſthac ab obliuione memoriam noſtram, non dubitamus. Quod ſi vulgo (vt dicis) habemur ſordidi, rudes, inculti; hoc nobis ad gloriam eſt, non ad contumeliam. Vulgo non ſcripſimus, ſed tibi, & tui ſimilibus: nec aliter, quàm priſci ſuis ænigmatis & fabularum inuolucris arcebant idiotas homines à myſterijs, & nos conſueuimus abſterrere illos à noſtris dapibus, quas non polluere non poſſent amariori paulùm cortice verborum. Solent, & qui theſauros occultare volunt, ſi non datur ſeponere, quiſquilijs integere vel ruderibus; vt prætereuntes non deprehendant, niſi quos ipſi dignos eo munere iudicauerint. Simile Philoſophorum ſtudium, celare res ſuas populum: à quo cùm non probari modò, ſed nec intelligi illos deceat; non poteſt non dedecere, habere aliquid quæ ipſi ſcribunt theatrale, plauſibile, populare, quod demum multitudinis iudicio accommodare ſe videatur. Sed vis effingam idæam ſermonis noſtri? Ea eſt ipſiſſima quæ Silenorum noſtri Alcibiadis; erant enim horum ſimulachra hiſpido ore, tetro & aſpernabili, ſed intus plena gemmarum, ſupellectilis raræ & pretioſæ. Ita extrinſecus, ſi aſpexeris, feram videas, ſi introſpexeris, numen cognoſcas. At, inquies, non ferunt aures, nunc aſperam, nunc hiulcam, ſemper inconſonam texturam: non ferunt barbara nomina, ipſo etiam pæne timenda ſono. O delicate! cùm accedis choraulas, citharœdos; pone te in auribus: cùm verò Philoſophos, auoca à ſenſibus, redeas ad te ipſum, in animi penetralia mentiſque receſſus, aſſume illas Tyanæi aures, quibus, cùm omnino non erat in corpore, non terreſtrem Marſyam ſed Apollinem cæleſtem, diuina cithara vniuerſi melos ineffabilibus temperantem modis, exaudiebat: his auribus Philoſophorum verba ſi delibaueris; mellea tibi ad Neſtoris inuidiam eſſe videbuntur. Sed hæc ſinamus, nimio plus aſſurgentia. Profectò faſtidire in Philoſopho ſubtiliſſimè diſputante minùs concinnam eloquutionem, non tam delicati ſtomachi eſt quàm inſolentis. Neque eſt aliter, ac ſi quem in Socrate de moribus docente offendat, aut laxus calceus, aut toga diſſidens, & ſectum prauè ſtomachetur ob vnguem. Non deſiderat Tullius eloquentiam in Philoſopho, ſed vt rebus & doctrina ſatisfaciat. Sciebat tam prudens quàm eruditus homo, noſtrum eſſe, componere mentem potiùs quàm dictionem; curare ne quid aberret ratio, non oratio. Laudabile in nobis, habere Muſas in animo & non in labris: ne quid in illo vel per iram ſonet aſperiùs, vel per libidinem eneruatiùs; denique, ne quà ſit diſcors à genuinâ ipſâ quâ temperatus eſt modulabiliter harmoniâ. Quam Plato cũ intelligeret theatrali iſta Poëtarum ſæpe corrumpi, à republicâ ſua Poëtas omnes eliminauit; gubernandam autem Philo-

ſophis reliquit, mox certè, ſi per laſciuiam diſſerendi Poëtas fuerint imitati, exilio condemnandis. At inſtabit Lucretius, etſi non egeant per ſe Philoſophiæ commeutationes amœnitate dicendi, per eius tamen adhibitionem diſſimulandam eſſe ipſarum rerum auſteritatem. Sicut abſinthia per ſe pellunt morbos, melle tamen illiniuntur, vt puerorum ætas improuida ludificetur, hoc forte tibi faciendum erat ô Lucreti: ſi pueris ſcribebas tua, ſi vulgo; faciendum vtique tibi, qui non abſinthia modò ſed meraciſſima toxica propinares. Sed longe alia nobis habenda ratio, qui vulgus (vt antè diximus) non allectare quærimus, ſed abſterrere: nec tetra abſinthia, ſed nectar propinamus. Sed contendet Lactantius, ſatis conſtare, in auditorum animos vel ſeniorum influere potentiùs veritatem vi ſua inſtructam, & luce orationis ornatam. Si fuiſſes, ô Firmiane, tam frequens in Sacris litteris, quàm in fictis litibus fuiſti; & hoc non dixiſſes, & noſtra non minus benè fortaſſe confirmaſſes, quàm deſtruxeras aliena. Dic, quæſo, quid mouet fortius & perſuadet, quàm Sacrarum lectio litterarū? non mouent, non perſuadent; ſed cogunt, agitant, vim inferunt, Legis rudia verba quidem & agreſtia, ſed viua, ſed amoiara, flammea, aculeata, ad imum ſpirituum penetrantia, hominem totum poteſtate mirabili transformantia. Periclis orationibus elaboratis & luculentis nihil ſe commoueri, inquit Alcibiades, ſed Socratis verbis nudis & ſimplicibus. Addit etiam, ſi ſint inepta, rapi in furorem, extra ſe poni, & velit nolit faciendum ei, quod ille præceperat. Sed, quid perdo verba, in re conceſſa? Si non deſipit auditor, à fucato ſermone quid ſperat aliud quàm inſidias? Tribus maximè perſuadetur; vitâ dicentis, veritate rei, ſobrietate orationis. Hæc ſunt, Lactanti, quæ Philoſopho fidem conciliabunt, ſi bonus fuerit; ſi veridicus, ſi id genus dicendi appetens, quod non ex amœnis Muſarum ſiluis, ſed ex horrendo fluxerit antro, in quo dixit Heraclitus latitare veritatem. At dicet quiſpiam: Age amice, examinemus hæc, depoſitâ contentione. Reuerendum quiddam atque diuinum per ſe eſt ſapientia, nec exotico quoquam eget ornatu. Sed quæ inuidia & huc accedere? Quis negat, quæ per ſe decent, ſi adornentur, fieri decentiora? Ego amice, hoc in pleriſque nego: adeò multa ſunt, quorum ſplendorem, ſi quid adiunxeris, elimines, & non illuſtres; ita ſunt ſcilicet in ſua natura optimo ſtatu, vt demutari ab illo niſi in peius non poſſint. Marmorea domus picturam non recipit, ſi opus albarium ſuperinduxeris, demas de dignitate, de pulchritudine. Non aliter & ſapientia, & quæ tractantur à Philoſophis, tectorio non clareſcunt ſed offuſcantur. Quid plura? Nónne vulgatum; bonas formas ceruſſa deuenuſtari? In vniuerſum, quidquid pulchri ſuperimponas, celat quod inuenit; quod affert ſecum, illud oſtentat. Quare, ſi quod priùs fuerat aduentino præſtat, iacturam fecerit illud quidquid eſt, non lucrum. Ob eam cauſam, nudam ſe præbet Philoſophia, vndique conſpicuam; tota ſub oculos, ſub iudicium venire geſtit; ſcit ſe habere, vnde tota vndique placeat. Quantum de ea vellas, tantum de forma vellas, tantum de laude minuas: ſinceram & impermixtam ſe haberi vult; quidquid admiſceas, infeceris, adulteraueris, aliam feceris; ſtat puncto inſectili & indiuiduo. Quapropter, nec ludendum tropis, nec verbis aut nimis luxuriandum, aut tranſlatis laſciuiendum, aut fictitijs audendum, in re tam ſeria, tanti diſcriminis: in qua demere, addere, demutare aliquid, ſit flagitium. At, inquies, age, damus hoc vobis, vt non ſit veſtrum, ornatè loqui; ſed veſtrum eſt certe quod nec præſtatis, vt Latinè ſaltem; vt, ſi non flundis, ſuis tamen verbis res explicetis: non exigo à vobis orationem comptam, ſed nolo ſordidam; nolo vnguentatam, ſed nec hircoſam; non ſit lecta, ſed neque neglecta; non quærimus vt delectet, ſed querimur quòd offendat. Benè babet, iam ſcilicet ad nos deficis; ſed amabò, cognoſcamus, quid iſthæc ſit Latinitas, quam ſolam dicitis debere Philoſophos, & non perſoluere. Si dicendo incurrat (exempli cauſa) à ſole hominem produci, cauſari hominem noſtrates dicent: clamabis actutum, Hoc non eſt Latinum, huc vſque verè, nō eſt Romanè dictum. Hoc vero verius, igitur non recte, peccat argumentum. Dicet Arabs eamdem rem, dicet Ægyptius, non dicent Latinè, ſed tamen rectè. Aut enim nomina rerum arbitrio cōſtant, aut natura. Si fortuito poſitu, vt ſcilicet communione hominum in eamdem ſentētiam conueniente, quo ſanxerunt vnumquodque nomine appellari, ita apud eos rectè appelletur; quid prohibet hoſce Philoſophos, quos nuncupatis barbaros, conſpiraſſe in vnam dicendi normam, apud eos non ſecùs ſanctam, ac habeantur apud vos Romana? illam cur rectam non appelletis, appelletis veſtram, nulla eſt ratio. Si hæc impoſitio nominum tota eſt arbitraria; quòd ſi dignari illam Romani nominis appellatione non vultis, Gallicam vocetis, Britan-

nicam,

nicam, Hiſpanam, vel quod vulgares dicere ſolent, Pariſienſem. Cùm ad vos loquentur, continget eos pleraque rideri, pleraque non intelligi; idem accidet vobis apud eos loquentibus: Anacharſis apud Athenienſes ſolœciſmum facit, Athenienſes apud Scythas. Quòd ſi nominum rectitudo pendet ex natura rerum, debemúſne Rhetores, an Philoſophos (qui rerum omnium naturam ſoli perſpectam habent & exploratam) de hac rectitudine conſulere? Forte, quæ aures reſpuunt, vtpote aſperula; acceptat ratio, vtpote rebus cognatiora. Sed, quid oportuit nouare eos linguam, & ſi nati erant inter Latinos, non Latinè loqui? Non poterant illi (ô Hermolaë) dum legebant in cælo fatorum leges & ordinem vniuerſi, legebant in elementis naſcendi vices & obeundi, ſimplicium vires, mixtorumque temperaturas; non poterant, inquam, eodem tempore in Cicerone, in Plinio, in Apuleio, Romanæ linguæ proprietates, leges, obſeruantias annotare, quærebant quid abhorrens, quid receptum in natura; quid à Romanis interea, non curabant. Verumenimuerò, iam te loco meliore ſtatuo; do tibi, eloquentiam & ſapientiam mutuo nexu inuicem conſpiraſſe. Abiunxerunt Philoſophi ſapientiam ab eloquentia; abiunxerunt Hiſtorici, Rhetores, Poëtæ, (quod deflet Philoſtratus) eloquentiam à ſapientia: hos tu victuros celebri famâ minimè dubitas; illos non niſi in pœnam & contumeliam? vide quid agas. Indiſertam mauult Cicero prudentiam, quàm ſtultam loquacitatem. Non quærimus in pecunia, quæ moneta percuſſa ſit, ſed qua materia conſtet: nec eſt, qui purum aurum non malit habere ſub nota Teutonum, quam ſub Romano ſymbolo fictitium. Peccant qui diſſidium cordis & linguæ faciunt; ſed qui excordes toti ſunt lingua, nónne ſunt mera, vt Cato ait, mortuaria gloſſaria? Viuere ſine lingua poſſumus fortè non commodè; ſed ſine corde nullo modo poſſumus. Non eſt humanus, qui ſit inſolens politioris litteraturæ: non eſt homo, qui ſit expers Philoſophiæ. Prodeſſe poteſt infantiſſima ſapientia; inſipiens eloquentia, vti gladius in furentis manu, non obeſſe maximè non poteſt. Ergo, inquies, & ſtatuæ, non à figura, ſed à materia commendantur: etſi Cherilus eadem quæ Homerus, & de eiſdem Mæuius ac Virgilius ceciniſſent; futurum erat, vt æquè illi atque iſti inter Poëtas reciperentur. Nónne vides diſparilitatem ſimilitudinis? Illud & nos aſſeueramus; à ſpecie rem æſtimari non ex ſubiecto. Eſt enim à ſpecie res id quod eſt: ſed alia ſpecie quiſpiam inter Philoſophos, alia inter Poëtas recipiendus. Scribat Lucretius de Natura, de Deo, de Prouidentia; ſcribat de eiſdem ex noſtris quiſpiam; ſcribat Ioannes Scotus, & quidem carmine vt ſit ineptior. Dicet Lucretius rerum principia atomos & vacuum, Deum corporeum, rerum noſtrarum inſcium, temerè omnia fortuito occurſu corpuſculorum ferri, ſed hæc Latinè dicet & eleganter: dicet Ioannes, quæ natura conſtant, ſua materia ſpecieque conſtitui; eſſe Deum ſeparatam mentem, cognoſcentem omnia, omnibus conſulentem, nec propterea quòd vniuerſa etiam infima videat ac moderetur, è ſua pace minimum dimoueri; at dicet inſulſè, ruditer, non Latinis verbis: quæſo, quis in dubium reuocet, vter Poëta melior, vter Philoſophus? Extra omnem eſt controuerſiam, tam rectiùs Scotum philoſophari, quàm ille loquitur ornatiùs. Sed vide quid differant. Huic os inſipidum, illi mens deſipiens: hic Grammaticorum (ne Poëtarum dicam) decreta neſcit, ille Dei atque naturæ; hic infantiſſimus dicendo, ſentit ea: quæ laudari dicendo ſatis non poſſunt, ille fando eloquentiſſimus, eloquitur nefanda.

CAPVT LIII.

Veritas ſemper vna eadémque.

QVAM hoc capite explicandam propoſitionem ſumpſimus, veritatem ſcilicet vnam ſemper eamdemque eſſe; duobus poteſt modis intelligi. Altero, vt hoc ſit vnam ſemper eamdemque eſſe veritatem, non aliam eſſe veritatem in vnis rebus vel ſermonibus veris quàm in alijs, in his, quàm in illis: ſed vna eademque veritate omnia eſſe vera. Id quod prorſus etiam ita habet. Sicut enim eſt vna eademque iuſtitia, qua omnes homines iuſti ſunt, & quæ iuſta facit, quæcumque iuſta ſunt; ſic non eſt niſi vna veritas qua vera ſunt omnia. Neque enim putandum eſt, pro multitudine rerum, vel ſermonum, vel articulorum fidei noſtræ, multas eſſe veritates. Vna eſt in omnibus, ſim-

plex & indiuidua veritas; nec ſcindi poteſt in partes, nec alia & alia eſſe: quin nec maior, aut minor etiam. Ineptè & malè dicitur, aliud alio magis aut minùs verum eſſe. Quidquid ſupra vel infra verum eſt, falſum eſt, & veritati contrarium. Acceſſio huiuſmodi, vel deceſſio, corrumpit, vitiat, tollit veritatem. Quemadmodum contra, inter mendaces, etſi vnus altero pluta dicat vel grauiora mendacia; tamen in ratione ac natura mendacij, omnes æquè participant. Quiſquis mendax eſt, totam mendacij naturam habet, ſeu plura ſeu pauciora dicat mendacia.

Atque hinc fit, vt qui vel vnam tantùm aliquam veritatis partem neget pertinaciter; etſi in alijs omnibus rectè ſentiat; nec quidquam commodi ex alijs omnibus quæ rectè credit conſequi poſſe, nec ipſam etiam veritatem habere, ſed totam veritatem amiſiſſe ac reliquiſſe dicendus eſt. Nimirum, cùm vna ſit veritas & indiuidua; qui partem aliquam veritatis negat, totam inficiari conuincitur. Quem in modum ſe habet etiam fides Chriſtiana. Vna fides, inquit Apoſtolus; & rectiſſimè dicit. Vna eademque fide omnes in Chriſtum credentes fideles dicuntur. Itemque vna eademque fide omnia credimus, quæ ad fidem Catholicam pertinent, quæ à Deo nobis, in Scripturis ſanctis, vel per Eccleſiam reuelantur. Nec poteſt inter Chriſtianos, rectè proprieque loquendo, vnus magis fidelis dici quàm alius; cùm quiſquis ritè veteque in Chriſtum credit, totam fidei naturam habeat: nec niſi à tota atque integra fide quiſquam fidelis dici poteſt. Quòd ſi quis vel minimam dumtaxat particulam, eorum quæ ad fidei regulam ſpectant, inficias eat; fidem totam perdit nec fidelis ampliùs, ſed infidelis: ſeu hæreticus, iure dicitur.

Quodam tamen loquendi modo, in vna eademque veritate ſeu fide Chriſtiana, rectè dici poteſt, in vno maiorem fidem eſſe, quàm in alio: vt videlicet eius fides maior dicatur, qui promptiùs, firmiùs, alacriùs, pleniori ac faciliori aſſenſu, credit; vel quæ ſimpliciores implicitè taciteque, ipſe diſcretè, clarè, explicatè credit & profitetur. Qua ratione, in veteri Teſtamento, maior fides fuit in Prophetis quàm in reliquis iuſtis & fidelibus; & noui Teſtamenti tempore, in Apoſtolis & Doctoribus Eccleſiæ quàm in ceteris Chriſtianis.

Hinc & aliud ſequitur: quamuis vna ſit in rebus omnibus veritas (cui nihil accedere, nihil decedere poteſt) tamen non eſſe æquale cuiuſlibet veritatis negatæ periculum. Exempli cauſâ: quæ nulla certa ac ſtabili cauſa fiunt, quæ obſeruari & cognoſci queat, ſed caſu quodammodò & fortuna feruntur; vtpote quæ arbores hoc anno flores & fructus ſint parituræ, qualis futura meſſis, & ſimilia; tametſi ſuam habeant veritatem, tamen ignorari hæc poſſunt etiam à ſapientiſſimis abſque culpâ. Quæ verò certas & perſpicuas, ordinarias omnibuſque notas habent cauſas, & quotidie verſantur ob oculos; vtpote, ſole abſente noctem ac tenebras, præſente verò lucem ac diem fieri, horumque omnium ſolem cauſam eſſe; etſi hæc neſcire nullam hæreſis notam inurit, magnam tamen ſtultitiæ vel amentiæ potiùs ſignificationem habet. Eæ autem veritates, quas ſacræ Scripturæ continent, quæque præcipuè difficiliores quæſtiones habent, quemadmodum à feminis, ruſticis, & ſimplicioribus Chriſtianis, ſine culpa aliqua neſciuntur; ſic ab illis qui Eccleſiaſtico ordini aſſcripti ſunt, vel qui potiſſimùm huiuſmodi ex officio profitentur, non citra vitium iuſtamque reprehenſionem ignorantur. At verò, quæ præceptis Decalogi articuliſque Symboli Apoſtolici continentur, vel ſolemnibus Eccleſiæ feſtis anniſque cæremonijs celebrantur & proponuntur, ea nemo Chriſtianus, ſine certo animæ periculo ac damno ſalutis æternæ, negare vel ignorare poteſt.

Ita, licet vna eademque veritas ſit, tamen propter rerum, in quibus verſatur, varietatem, maius minúſve ignorantiæ periculum facit: etſi propterea dici non poſſit, vel debeat, plures eſſe veritates. Nam, quod regius Propheta, Pſalmo 11. multas nominat veritates, ſi cui hoc fortaſſe videtur præmiſſis contrarium; D. Auguſtinus id breuiter & pulchrè ſoluit, dicens: Veritas vna eſt, qua illuſtrantur ſanctæ animæ. Sed quoniam multæ ſunt animæ, in iſtis multæ veritates dici poſſunt; ſicut ab vna facie, multæ in ſpeculis quibuſdam imagines apparent.

CAPVT LIIII.

Alius ſenſus prædictæ ſententiæ; Veritas ſemper vna eadémque.

ALTER ſenſus propoſitionis noſtræ, qua dicitur veritas vna ſemper eademque eſſe, & quem præcipue hic explicare intendimus, eſt, vt veritas ſignificetur non mutari ſecundùm ingenia, inuentiones, ſtudia vel machinationes hominum; ſed eamdem ſemper retinere integritatem ac ſinceritatem naturæ ſuæ. Natura veritatis propria, vt antè audiuimus eſt rectitudo: quando nimirum aut verba mentis conceptui, aut res & facta verbis reſpondent.

Notum eſt autem, rectitudinem ſibi ſemper conſtare. Quod rectum eſt, non poteſt niſi vno eodemque modo rectum eſſe. Recta linea, recta via, eodem ſemper tenore procedit: ſi quid ab hac vel ab illa parte deflectat, non eſt recta: quantum habet curuitatis, tantum amittit rectitudinis. Ita plane eſt veritas: ſemper recta, ſemper eadem, ſemper ſibi conſtans, eodem ſemper tenore progrediens. Et quemadmodum id quod à recto deflectit, multiplicem imò pænè infinitam habet differentiam (neque enim vno dumtaxat modo aliquid curuum eſt vel diſtortum, ſed multis admodum; neque vna tantùm ratione à recta via aberratur, ſed multipliciter) ſic error & mendacium, varium ſemper & multiplex eſt: nam, quia nullam veram & ſolidam habet rationem, qua ſe tueatur; hinc nunc hoc modo ſe fingit, nunc alio; nunc hoc, nunc illud affert; in omnem ſe partem vertens, vt veritas eſſe videatur: &, quo magis veritas eſſe, ſeu potiùs videri nititur; hoc magis prodit falſitatem ſuam. Hinc ex vno mendacio ſeptem, viginti, centum ſæpe mendacia naſcuntur. Nititur enim mendacium ſe tueri ſemper, ne id eſſe videatur & cognoſcatur quod eſt; ne falſitas eius & turpitudo deprehendatur. Cùm quis veritatem negligere incepit, alia ſemper ac noua mendacia comminiſcitur: non aliter, quàm qui ſemel rectam viam reliquit; quò magis progreditur, hoc errat magis.

Hinc fit etiam, vt mendacium non rarò ſibiipſi velut ex diametro contrarietur. Qui enim ad defendendum falſitatem tam multa mentitur, vt neceſſe eſt illi, qui veritatem impugnandam, mendacium tuendum ſuſcepit; non poteſt memor eſſe omnium quæ dicit & fingit, ac proinde facilè pugnantia loquitur. Inde vetus illud adagium; Mendacem memorem eſſe oportet. Sed hoc factu eſt difficillimum; ſemper ſcilicet ſibi conſtare qui mentiuntur. Vnde etiam hoc plerumque indicio deprehenduntur mendaces, dum obliti quæ priùs dixerint, diuerſa loquuntur à ſuperioribus; nonnumquam etiam manifeſtè contraria. Veritas naturæ eſt longè alterius & melioris: hæc ſibi conſtat ſemper, non flectitur, non mutatur: in ſolida ſua integritate & rectitudine perſtat ſemper, illaque ſe ſola defendit: Hoc dixi, inquit, hoc feci, ſic res habet, in eo permaneo, aliud affirmare aut fateri non poſſum, nec volo. Non poteſt veritas veritati eſſe contraria: mendacij vero & falſitatis natura eſt. Mendacium non ſolùm veritati contrarium eſt, ſed frequenter ſibiipſi.

CAPVT LV.

Vt Religionis Catholicæ doctrina ſemper vna eademq; fuit; ita doctrina hæreticorum ſemper inconſtans & varia.

VT autem hæc differentia veritatis & mendacij deprehenditur quotidie in communi ſermone; ſic longè magis habet locum in doctrina veritatis ac religionis Chriſtianæ. Ibi videre eſt clariſſime, quemadmodum veritas doctrinæ Catholicæ vna ſemper & eadem ſit, nec vllam mutationem vel diuerſitatem recipiat: niſi fortè in ritibus interdum quibuſdam & cæremonijs, quæ ad doctrinæ ſubſtantiam non pertinent. Retenta & culta fuit à Chriſtianis doctrina religionis, ab primo ſuo exordio, vſque ad annum hunc 1605.

in tot tamque diuerſis totius orbis terrarum nationibus, regnis, prouincijs, tam procul a ſe mutuo diſſitis, tanta linguarum, legum, morum diuerſitate differentibus. quodque traditum fuit ab initio, hoc retentum ſemper à poſteris: quod in vno prædicatum regno, hoc doctum, creditum & obſeruatum in ceteris omnibus, quamdiu Chriſtianorum & Catholicorum hominum nomen & profeſſionem ſeruarunt. O magnam, clariſſimam & certiſſimam demonſtrationem veritatis Catholicæ! quam hæretici nulli, veritatis iurati hoſtes, refutare vmquam aut conuellere potuerunt, nec poterunt in futurum.

Studioſe quidem & gnauiter laborant, vt oſtendant non illam nunc in Eccleſia Catholica doctrinam doceri, quæ tradita olim & obſeruata fuit in Eccleſia Chriſti; atque in hunc finem haud verentur ſcripta Patrum, hiſtorias Eccleſiaſticas, cunctaque antiquitatis monumenta peruertere, vt ſuprà oſtendimus: ſed nihil agunt; nihil his ſtudijs aliud lucrantur, quam vt magis prodant impudentiſſima ſua mendacia, ipſiuſque veritatis Catholicæ indiſcuſſam claritatem. Proinde, & continget illis certo certius illud Apoſtoli 2. Timoth. 3. Vltrà non proficient: inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus.

Hanc doctrinæ veritatis perpetuam vnitatem atque identitatem in Eccleſia, quodque nullam vmquam poſſit nec debeat mutationem vel alterationem admittere; multis elegantiſſimis verbis, ſententijs, & ſimilitudinibus, explicat & proſequitur Vincentius Lirinenſis, indita etiam hinc inſcriptione ſeu titulo operi ſeu libro ſuo, nimirum aduerſus profanas hæreſeôn omnium nouationes: docetque erudititiſſimè, Catholicam doctrinam, cum tempore bene poſſe proficere, ſed non poſſe mutari; poſſe explicari, illuſtrari, ornari, dilatari, ſed non alterari aut innouari. Ea de re citauimus antè, ad aliud propoſitum, nonnulla eius verba: hic alia quædam maioris declarationis gratiâ aſſcribemus. Quis eſt, inquit, tam inuidus hominibus, tam exoſus Deo, vt profectum Religionis vel doctrinæ Chriſtianæ, vel negare velit, vel prohibere. Habeatur planè profectus religionis in Eccleſia, & quidem maximus: ſed ita tamen, vt verè profectus ſit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, vt in ſemetipſa vnaquæque res amplificetur; ad perturbationem verò, vt aliquid ex alio in aliud tranſuertatur. Creſcat igitur oportet, & multum vehementerque proficiat, tam ſingulorum quàm omnium, tam vnius hominis quàm totius Eccleſiæ, ætatum ac ſæculorum, gradibus, intelligentiâ, ſcientiâ, ſapientiâ: ſed in ſuo duntaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu eademque ſententia. Imitetur animarum religio, rationem corporum; quæ licet annorum proceſſu numeros ſuos euoluant & explicent, eadem tamen quæ erant, permanent. Multum intereſt, inter pueritiæ florem & ſenectutis maturitatem: ſed ijdem tamen ipſi fiunt ſenes, qui fuerant adoleſcentes: vt quamuis vnius eiuſdemque hominis ſtatus habituſque mutetur; vna tamen nihilominus eademque natura, vna eademque perſona ſit. Parua lactentium membra, magna iuuenum; eadem ipſa ſunt tamen. Quot paruulorum artus, tot virorum, & ſi qua illa ſunt, quæ æui maturioris ætate pariuntur, iam in ſe minus ratione proſerta ſunt. vt nihil nouum poſtea proferatur in ſenibus, quod non in pueris iam antea latitauerit. Vnde, non dubium eſt, hanc eſſe legitimam & rectam proficiendi regulam, hunc ratum atque pulcherrimum creſcendi ordinem; ſi eas ſemper in grandioribus partes ac formas numerus detexat ætatis, quas in paruulis creatoris ſapientia præformauerat. Quòd ſi humana ſpecies in aliquam deinceps non ſui generis vertatur effigiem, aut certè addatur quippiam membrorum numero, vel detrahatur, neceſſe eſt, vt totum corpus vel intercidat, vel prodigioſum fiat, vel certè debilitetur. Ita etiam Chriſtianæ religionis dogma ſequatur has decet profectuum leges: vt annis ſcilicet conſolidetur, dilatetur tempore, ſublimetur ætate, incorruptum tamen illibatumque permaneat, & vniuerſis partium ſuarum menſuris, cunctiſque quaſi membris, ac ſenſibus proprijs, plenum atque perfectum ſit: quòd nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis diſpendia, nullam ſuſtineat definitionis varietatem. Exempli gratiâ. Seuerunt maiores noſtri antiquitus in hac eccleſiaſtica ſegete triticeæ fidei ſemina: iniquum valde & incongruum eſt, vt nos, eorum poſteri, pro germana veritate frumenti, ſubdiuitium zizaniæ eligamus errorem. Quin potius, hoc rectum & conſequens eſt, vt primis atque extremis ſibimet non diſcrepantibus, de incrementis triticeæ inſtitutionis, triticei quoque dogmatis frugem demetamus: vt cùm aliquid ex illis ſeminum primordijs acceſſu temporis euoluatur, & nunc lætetur & excolatur; nihil tamen de germinis proprietate mutetur:

addatur

ad[illegible], ſpecies, diſtinctio, eadem tamen cuiuſque generis natura perma-neat. [illegible], vt roſea illa Catholici ſenſus plantaria, in carduos ſpinaſque vertantur. [illegible]ſit, inquam, vt in iſto ſpiri[illegible] paradiſo, de cinnamomi & balſami ſurculis, [illegible]um repentè atque aconita proueniant. Quodcumque igitur in hac Eccleſia, Dei agriculturâ, fide patrum ſatum eſt, hoc idem filiorum induſtria decet excolatur & obſeruetur; hoc id[illegible] floreat & matureſcat; hoc idem proficiat & perficiatur. Fas eſt etenim, vt priſca illa cæleſtis Philoſophiæ dogmata, proce[illegible] temporis excurentur, limentur, poliantur: ſed nefas eſt, vt commutentur, nefas vt detruncentur & mutilentur. Accipiant licet euidentiam, lucem, diſtinctionem: ſed retineant neceſſe eſt plenitudinem, integritatem, proprietatem. Nam, ſi ſemel adm[illegible]a fuerit hæc impiæ fraudis licentia; horreo dicere, quantum excidendæ a[illegible]que abolendæ religionis periculum conſequatur. Abdicatâ etenim qualibet parte Catholici dogmatis, alia quoque atque item alia, ac deinceps alia & alia iam quaſi ex more & licito abdicabuntur. Porrò autem ſingulatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremu[illegible] ſeque[illegible]r, niſi vt totum pariter repudietur? Sed è contra, ſi nouitia veteribus, extranea domeſticis, & prophana ſacratis admiſceri cœperint; proſerpat [illegible] mo[illegible] in v[illegible]iuerſum neceſſe eſt; vt nihil poſthac apud Eccleſiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil [illegible], nihil [illegible]maculatum: ſed ſit ibidem deinceps impiorum ac turpium errorum lupanar, vbi erat ante caſtæ & incorruptæ ſacrarium veritatis. Hactenus Lyrinenſis, efficaciter hauddubiè, & magno cum ſpi[illegible]

CAPVT LVI.

Inconſtantia & varietas doctrinæ hæreticæ oſtenditur.

QVAM autem ſemper vna eademque eſt & fuit veritas doctrinæ Catholicæ, tam inconſta[illegible]s, dubia, mutabilis, incerta, varia, diuerſa, & ſibimetipſi frequenter repugna[illegible], fuit hær[illegible]rum d[illegible]ct[illegible]: vt vel ex hoc ſolo capite agno[illegible] liceat ac iudicare, veritati eſſe contrariam. De ſui temporis hæreticis Arrianis ſic ſcribit D. Hilarius, ad Conſtantium [illegible]ſtquam ſcribendæ & innouandæ fidei vſus inoleuit, & noua potius cœpit [illegible]am acc[illegible]a retinere, nec veterata defendit, nec innouata firmauit; & facta eſt fides [illegible]po[illegible] pot[illegible], quam Euangeliorum, dum & ſ[illegible] annos ſcribitur, & ſecundum confeſſionem Bap[illegible]ſmi non tenetur. Periculoſum nobis admodum eſt atque etiam miſerabile, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates; & tot nobis doctrinas eſſe quot mores; & tot cauſas blaſphemiarum pullulare, quot vitia ſunt: dum aut [illegible] fides ſcribuntur vt volumus, aut ita vt volumus intelliguntur. Hæc ille.

Irenæus ſimiliter lib. 4. cap. 69. cùm Valentinianorum hæreticorum varias pugnanteſque ſententias enumeraſſet; Semetipſos, inquit, quales ſunt, arguunt, de eiſdem verbis non conſentientes. nos a[illegible] vnum & ſolum verum Deum doctorem ſequentes, & regulam veritatis, de iiſdem ſemper eadem dicimus. Memorabilis ſententia; veritatis regulam ſequendo, de iiſdem ſemper eadem dicere: hoc Catholicorum eſt proprium. Sic & Te[illegible] lib. de Præſcript. Mentior, inquit, ſi non [illegible] ſuis variant inter ſe, dum vn[illegible]que per[illegible] de ſuo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de arbitrio ea compoſuit ille qui tradidit. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino; idem Marcioniſtis, quod Marcioni; de arbitrio ſuo fidem innouare. Denique penitus inſpectæ omnes hæreſes, in multis cum auctoribus ſuis diſſentientes deprehenduntur.

Quod attinet ad noſtri temporis hæreticorum doctrinam, quàm nihil certi, nihil ſibi conſtans, nihil ſolidi habeat, ſed mutetur in annos & dies; idque non modò in diuerſis il[illegible] doctrinæ profeſſoribus, ſed etiam in vnoquoque, manifeſtius eſt, quàm vt aliqua probatione opus habeat. Hinc i[illegible] erat vox Georgij ducis Saxoniæ, pij & Catholici principis, non lepida magis quàm veritati & ſapientiæ plena: Quid hodie Lutherus doceat, ſcio; quid autem cras docturus ſit, neſcio. Item Quid modò VVittenbergenſes credant, audio; quid a[illegible] proximo credituri ſint, ignoro.

Scripſit hac [illegible] inter alios orationes tres longè doctiſſimas Fredericus Staphilus: vnam contra Philippum Melanchthonem, alteram contra Iacobum quemdam ſiue Andream (nam vtroque dicebatur nomine) Smidelinum; qui negabant ambo in do-

ctrina Lutheri aliquam eſſe varietatem, diuerſitatem, compugnantiam: tertiam verò aduerſus Matthiam Flaccum Illyricum, qui affirmare non verebatur, multiſque futilibus argumentis probare nitebatur, contrarietatem eſſe etiam in doctrina Catholicorum. Quem prolixius quàm priorem, viuis atque efficaciſſimis rationibus confutauit, planeque depinxit coloribus ſuis. Oratio eſt lectu digniſſima. Huc pertinet & liber eiuſdem auctoris, De trimembri diuiſione Theologiæ Lutheranæ: præſertimque duæ libri illius partes poſteriores. Huc ſpectant & libri illi, quos Ioannes Faber & alij ſcripſerunt de antilogijs Lutheri, aliorumque huius temporis hæreticorum. Prodijt iam recens liber elegans De miniſtromachia, idem argumentum tractans, auctore [illegible] uiſlao Reſcio. Multa quoque huc pertinentia habet Hoſius, ſcriptor ætatis huius celeberrimus, tum in libro De expreſſo verbo Dei, tum in alio De hæreſibus noſtri temporis. Denique hoc etiam argumentum tractat Stapletonius, in oratione, quòd Proteſtantium nulla eſt certa & conſtans religio: item lib. 1. Controuerſ. cap. 13. quod caput eſt etiam lectu dignum. Nos enim non iudicauimus operæpretium immorari in ijs quæ apud alios (quorum libri paſſim habentur in manibus) benè & copioſè tractata legi poſſunt.

Lutherus, cum audiret Zvvinglium & Oecolampadium à ſua doctrina defeciſſe, nouamque de Sacramento Euchariſtiæ inſtituiſſe, quam multi ſequerentur, in illaque ipſa doctrina magnam eſſe diuerſitatem, alijs ſic interpretantibus verba Domini, Hoc eſt corpus meum, alijs aliter; ſcripſit ad Michaelem Stiffelium in hæc verba. Hæc doctrina ſectariorum, ſignum eſt certiſſimum, doctrinam illorum à Satana proficiſci, nam ſpiritus Dei non eſt ſpiritus diſſenſionis, ſed pacis. Multa peſſime dixit ſcripſitque Lutherus; ſed hoc ſane quam optimè ſcripſit. Quum id autem ſcriberet, ſic error ac diſſenſio increuerat inter Sacramentarios, vt octo vel decem diuerſis modis exponerentur à diuerſis ſectarijs, illa Christi verba, Hoc eſt corpus meum. De quibus interpretationibus videre licet Alani Copi Dialogum ſextum, cap. 14. Poſtea verò ſic error (vt fit) traxit errorem, vt Chriſtophorus Raſpergerus ducentos modos interpretationum dictorum Chriſti verborum recenſeat, libello impreſſo Ingolſtadij 1567. apud Alexandrum VVeynſſenhoren. Vnde ſatis liquet, quam non modo ſtulti, ſed dementes etiam ſint, qui à Catholicæ Eccleſiæ fide & communione recedentes, ſalutem ſuam huiuſmodi doctoribus committunt, qui nec finem vllum nec
2. Tim. 3. modum faciunt errandi, & in errorem mittendi, vt Apoſtolus ait. Sed obſeruandum, quod Lutherus ſcribit, inde cognoſcendum ac iudicandum eſſe, doctrinam Sacramentariorum à Satana profectam eſſe, quia tam varia eſt ac diuerſa, [illegible] pariè [illegible] ſua ipſius doctrina ſentiendum ac iudicandum eſſe: nec enim [illegible] vel diſcipuli eius fideliſſimi, in vllo doctrinæ nouæ articulo ſibi vmquam conſenſerunt; vt VVicelius, Faber, & alij multi, libris editis perſpicue docuerunt.

Oecolampadius apud Sychardum, edidit libellum, in quo dicit, non eſſe periculum, ſi quis Miſſam appellet ſacrificium. Id ſic execratur Lutherus, vt malit decies mori, quàm hoc ſemel fateri. Quo tumultu Zvvinglius exegit Diuorum imagines. Aduerſus hunc, libellum ſatis etiam acrem, ſcripſit Lutherus. [illegible] item per quinquennium pugnatum eſt inter Lutherum & Sacramentarios, de Euchariſtiæ argumento. Adde, quòd quæ Lutherus de diſcrimine Legis & Euangelij ſcribit, neque Bucero neque Oecolampadio probantur. Quæque Bucerus de Baptiſmo docet, impugnat Melanchthon; Melanchthon item Zvvinglium de errore originalis peccati accuſat: ſed hunc iterùm excuſat Bucerus. Porrò, in hoc vno omnes conſentiunt, quod Eccleſiam perſequuntur. Hæc Eraſmus.

Adde nunc his quæ Lutherus ipſe [illegible] Pſalmum [illegible]. Nulli hæretici vmquam victi ſunt vi aut aſtu, ſed mutua diſſenſione. Sic [illegible] inter [illegible] imitas, Iudicum nono capite; inter Babylonicæ [illegible] & in nouo Teſtamento, inter Arrianos, Donatiſtas, Pelagianos; ſed vt [illegible] perierunt diſſenſione. ita, vt Hilarius, ſanctus [illegible] Trinitate, Bellum hæreticorum, eſſe pacem Eccleſiæ. [illegible] & in Epiſtola ad Argentinenſes, Bucerum & alios Sacramentarios [illegible], Ab [illegible] ſpiritibus, inquit, credat doceri ve ritatem, ſi quem perire delectat. Op[illegible] Se[illegible]cus, [illegible], mutato nomine, de te fabula narratur.

Oſtendant hæretici talem aliquam doctrinæ diuerſitatem eſſe in libris aut ſcriptis Catholicorum Doctorum: colligant & proferant, ſi poſſint, aliquas illorum ſimiles antilogias. Sed fruſtrà omnino laborent, ſi id conentur. Nec inferiores apud nos ſupremis fidei Doctoribus aut magiſtris contradicunt; nec recentiores veteribus; nec ſcholaſtici, vt vocantur, primis Eccleſiæ Patribus: nec aliqui illorum omnium diſſentiunt inter ſe. Loquor de pertinaci diſſenſione aut implacabili; qualis eſt hæreticorum diſſenſio inter ipſos: itemq; de diſſidijs in iis rebus quæ ad fidei ac religionis Chriſtianę ſubſtantiam ſpectant: non de quæſtionibus, quæ probabilibus argumentis in vtramque partem diſputari poſſunt; & de quibus nihil certi eſt ab Eccleſia definitum. In huiuſmodi enim, ſi aliquando inter ſcholæ theologicæ Doctores, mutua ſalua charitate, non conueniat; vel ſi Schotiſtæ, vt appellantur, à Thomiſtis, exempli cauſâ, diſſentiant; nihil hoc impedit aut lædit Catholicæ veritatis vnitatem vel concordiam. Nam in ceteris quæ ad Catholicæ doctrinæ tamquam corpus & fundamenta pertinent, ſcholaſtici Doctores (vt notum eſt) inſtitutiones Petri Lombardi, qui vulgò Magiſter nuncupatur ſententiarum, ſequuntur: illiuſque omnes ceu ducis & magiſtri tum in ordine, tum in ſententijs Catholicis ſolent inhærere veſtigijs. Doctrina enim omnis Doctoris illius, quatuorque librorum quos de ſumma religionis Chriſtianæ contexuit, paucis quibuſdā demptis quæ illi ſunt propria, & ad ſubſtantiam ipſam Catholicę veritatis non ſpectant, ex veterum illorum ſummorum ſanctorumque Eccleſiæ Patrum Doctorumque primariorum ſcriptis deſumpta eſt: vt nemo non nouit, qui Magiſtrum illum ſententiarum legit. Ex illo ergo ſolo veritatis doctore videre eſt, quàm verum ſit quod hîc docemus: veritatis doctrinam eſſe vnam, eamdemque ſemper, nec mutationem vllam vel diuerſitatem admittere: ſic primam Eccleſiam Chriſtianam, ſic mediam item docuiſſe & credidiſſe, quemadmodum nos nunc qui in poſtrema verſamur ætate mundi, credimus & docemus: nec vſpiam fidei aut religionis vel minimam innouationem vllo vmquam tempore factam eſſe.

Et quoniam Magiſtri ſententiarum mentionem fecimus, ſi quis fortè audire cupiat, quid ſectarius quidam noſtri temporis de illo ſentiat, & quemadmodum illum comparet cum ſummis magiſtris nouæ huius hæreticæque doctrinæ, qua tot annis orbis Chriſtianus concutitur; quia non modo verum, ſed ſcitum quoque ac lepidum eſt, non grauabor hîc, ad laudem Catholicæ veritatis, adſcribere. Franciſcus quidam Stancarus, natione Italus, religione Lutheranus ſeu Confeſſioniſta, in libro de Trinitate & Mediatore, ſic habet, verbis nihil immutatis; Vnus Petrus Lombardus pluris eſt, quàm centum Lutheri, ducenti Melanchthones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri Martyres, quingenti Caluini. Qui ſi omnes in mortario contunderentur, non exprimi poſſet vna vncia veræ Theologiæ: præſertim in articulis de Trinitate, Incarnatione, Mediatore, & Sacramentis. Ecce ter miſeros & infelices, qui neſciant quid ſcribant, vel de quibus affirment. Sic ille, & rectiſſimè quidem. quibus tamen verbis ſi addantur hæc vel ſimilia; Pluris valere vnum Petrum Lombardum quàm ſexcenti Stancari, vel quicumque ſeſe ab Eccleſiæ Catholicæ vnitate proſciderunt, quocumque nomine cenſeantur; plena erit & perfecta ſententia.

CAPVT LVII.

De triplici Veritate; Vitæ, Doctrinæ, & Iuſtitiæ: inſtar appendicis operis vniuerſi.

QVANDO omnia perſequimur quæ ad veritatis notitiam ac declarationem ſpectare videntur (conamur id quidem certè pro modulo noſtro) non erit ab inſtituto noſtro alienum, videre paucis, quidnam ſit, quòd Scholaſticorum plerique diſputant de triplici veritate, vitæ ſcilicet, doctrinæ, atque iuſtitiæ. Beatus Thomas 2.2.q. 109. articulo 3. & alij tribuunt hanc diſtinctionem veritatis D. Hieronymo: adduntque nonnulli, id eum habere in commentarijs ſuper Matthæum. Sed ego nihil tale in eo vſpiam adhuc reperire potui. Quiſquis autem ita veritatem primus partitus eſt, non eſt locutus de veritate quatenus virtus eſt ſpecialis, quomodo ſuprà veritatem deſcripſimus, ſed generaliter vide-

videtur complecti voluiſſe tribus nominibus, quidquid aut legitur vſquam de veritate quouis modo ſumpta, vel diſputari poteſt. Certè enim in his tribus potiſſimùm veritas ſita eſſe videtur, cum primiſque in his requiri; in integritate vitæ, in puritate & ſinceritate doctrinæ, & in rectitudine iuſtitiæ: ſiue vt vita tua in primis bona ſit ac laudabilis, ſiue deinde, ſi inſtituendi alios prouinciam ſuſcepiſti, vt vera ſit, rectaque doctrina tua; vel ſi commiſſa tibi eſt adminiſtratio iuſtitiæ, vt cuncta ſecundum veritatem iudices. Circa hæc fere tria verſari videtur omnis veritas: adeò vt qui in his tribus rectè ſe habeat, omnem veritatem complexus eſſe videatur. Non aliter quàm qui ritè ſe habet erga Deum, erga proximum, & erga ſeipſum, omnem iuſtitiam adimpleſſe perhibetur: quòd nimirum iuſtitia circa hæc tria verſetur, vt Deo omnipotenti, vt proximo noſtro, vt nobiſipſis, quod ſuum cuique eſt, tribuamus. Iam facile erit hæc tria paulo dilucidius ac fuſius explicare.

VERITAS VITAE. Veritas vitæ dicitur ſecundùm eamdem rationem, qua cuncta alia vera dicuntur. Ea enim ratione res aliqua dicitur vera, quòd regulæ ſeu menſuræ ſuæ reſpondet, ſecundum quam facta eſt: vtpote vera domus, exempli gratia, quæ benè iuxta regulas artis conſtructa eſt: verus pannus, vera pecunia ſimiliter. Regula autem, ſeu menſura vitæ hominis totiuſque conuerſationis eius, eſt lex Dei: vt nemo non nouit. Quando igitur vita noſtra legi Dei conformis eſt; vera eſſe dicitur. Ita vt veritas vitæ dici queat (ſi cui definire lubeat) conformitas humanæ vitæ, ad dictamen legis Dei. Ad quem modum veritas ſumpta, non eſt virtus aliqua ſpecialis, vt ſuprà de veritate locuti ſumus; ſed generaliter in ſe omnem virtutem includit. Præcipit enim lex Dei, vt in omni virtute perfecti ſimus. Sic generaliter de veritate vitæ loqui videntur crebrò Scripturæ ſacræ, Ioannis 3. Qui facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius; quia in Deo ſunt facta. item in 3. Epiſtola Diui Ioannis: Maiorem horum non habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare. Tale eſt etiam dictum illud Ezechiæ regis, Iſaiæ 38. Obſecro Domine, memento quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto; & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim.

I. PARS VERITATIS VITAE. Sed qui hanc vitæ veritatem penitiùs inſpiciunt atque examinant, diuidunt eam in verum ſeu rectum iudicium mentis, in veram locutionem oris, & in veram executionem ſiue impletionem operationis. Hæc enim tria profectò, iudicium mentis, ſermo oris, & præſtatio operis, totam hominis vitam abſoluunt: quique perfectus & benè conſtitutus eſt in his tribus, omnem humanæ vitæ rectitudinem abſoluit. Quòd ad verum iudicium mentis attinet, ſi quis exiſtimaret lapidem eſſe panem, auricalchum aurum, niueam lanam aut farinam, vel quid ſimile; magnum is certè in animo ſuo errorem & falſitatem foueret, quadam falſus externa rerum ſimilitudine. Sic ſanè qui reputat mundanam voluptatem verè bonam & appetendam eſſe, cum ſit noxia & fugienda; qui cenſet bona quælibet temporalia, diuitias, honores, vitam hanc ipſam, bona eſſe maxima & pretioſiſſima, adeò vt præ illis cæleſtia omnia æternaque deſpiciat; in maximo iudicij errore verſatur, proculque abeſt à recta vitæ veritate. nec illi competere poteſt illud Pſalmi 14. vbi veritas ſeu rectitudo humanæ vitæ deſcribitur: Qui loquitur veritatem in corde ſuo. Is loquitur veritatem in corde ſuo, qui temporalia omnia, quamlibet vtilitatem ſeu delectationem adiunctam habere videantur, parua ſeu veriùs nulla bona exiſtimat, comparatione cæleſtium & æternorum. Hoc Apoſtolus faciebat, dicens; Quæ mihi erant lucra, hæc propter Chriſtum arbitratus ſum detrimenta. item, Exiſtimo omnia detrimentum eſſe, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam. Qui vera vniceque expetenda bona reputat gratiam & gloriam, de quibus in Pſalmo 83. hoc eſt gratiam Dei in hac vita, & gloriam in futura, & præ hiſce nihili facit cuncta alia; is demum veritatem loquitur ipſiſſimam in corde ſuo.

II. PARS. *Epheſ. c. 4.* Altera pars veritatis vitæ, poſita eſt in locutione oris. de qua Apoſtolus ad Epheſios: Loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra. Et hæc veritas virtus eſt illa humanæ vitæ ſpecialis, à qua homo propriè verax dicitur. De qua quia antè ſatis copioſè diſſeruimus, nihil hîc neceſſe eſt amplius dicere.

III. PARS. Tertia pars veritatis vitæ, eſt recta operatio: qua de præcipuè loqui videntur Scripturæ illæ paulò antè citatæ, ex 3. cap. Euangelij, & ex 3. Epiſtola B. Ioannis; itemque ex 38. Iſaiæ. Quò pertinet etiam illud Epheſ. 4. Veritatem facientes in charitate, creſcamus

in il-

in illo per omnia, &c. Plus eſt enim facere veritatem in charitate, quàm loquendo veritatem dicere. Facere veritatem in charitate, eſt ſeſe proximo ſuo totum per charitatem impendere. Hoc illi præſtare, quod tibi fieri cupias; hoc verum, & rectum, & iuſtum eſt. Hæc vitæ veritas poſtulat, vt talis ſis in opere, qualis es verbis & ſermone: Hoc pulchre D. Ioannes dicit: Non diligimus verbo neque lingua, ſed opere & veritate. 1. Ioan. c. 3. Hoc eſt in veritate diligere proximum, opere ipſo ei auxilium & miſericordiam exhibere. Poſtulat item hæc veritas, vt ſi ſobrietatem, caſtitatem, iuſtitiam, patientiam, obedientiam laudas, & commendas alijs; eaſdem virtutes ipſe quoque operibus præſtes. Denique, vt opus noſtrum ſit verum (inquit quidam) oportet vt remoueatur ab eo omnis ſiniſtra intentio, ſimulatio, & indebita circumſtantia. Nec vllum opus verum aut rectum eſt, quamlibet longa conſuetudine roboratum, quod repugnat manifeſtæ veritati. De quo videatur Auguſtinus lib. 3. contra Donatiſtas, cap. 5. 6. 7. 8. 9.

Veritas doctrinæ, ait Thomas, vbi ſupra, conſiſtit in quadam manifeſtatione verborum, de quibus eſt ſcientia. VERITAS DOCTRINAL. Vnde conſtat, veritatem hanc non propriè pertinere ad virtutem veritatis, quæ virtus eſt ſpecialis; nec ad omnes Chriſtianos ſpectare, ſed ad doctos ſolummodò, quorumque officium eſt docere alios. Horus autem veritatis munus proprium eſt, docendo, exhortando, prædicando, conſulendo, aut alio quouis modo, in quacumque ſcientia vel diſciplina, verum dicere. Vnde, quia ſacra Scriptura, vtpote diuinitus inſpirata, talem doctrinam continet, quæ nullam habet falſitatem admixtam, conuenit in omni exhortatione, prædicatione, doctrina, præ cunctis alijs ſacræ Scripturæ auctoritatem adducere, in illaque ſemper præcipuè ſe fundare. Quòd ſi quid ex ſæcularibus litteris occurrat, quod ad veritatis vel confirmationem vel declarationem facere videatur; licebit illud quoque non ad oſtentationem, ſed ad meliorem & clariorem doctrinam afferre. Vnde exſtat in Canonico Iure canon inſignis ex Clemente Papa deſumptus, diſtin. 37. cap. Relatum: Cùm ex diuinis Scripturis integram quiſque & firmam regulam veritatis ſuſceperit, abſurdum non erit, ſi aliquid etiam ex eruditione communi, ac liberalibus ſtudijs, quæ fortè etiam in pueritia attigit, ad aſſertionem veri dogmatis conferat: ita tamen, vt vbi vera didicit, falſa & ſimulata declinet.

Hæc veritas requirit etiam, ne quis vel pudore, vel timore, vel quacumque alia occaſione, docendo, prædicando, exhortando, veritatem ad ſalutem neceſſariam occultet aut ſubticeat. Hinc in opere imperfecto, Chryſoſtomo aſcripto, ad illud Matth. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, ſic habetur: Ex his verbis oſtenditur, quòd non ſolum ille proditor eſt veritatis, qui tranſgrediens veritatem, palàm mendacium pro veritate loquitur; ſed etiam ille, qui non liberè pronuntiat veritatem quam liberè pronuntiare oportet, aut non liberè veritatem defendit, quam liberè defendere oportet. Nam, ſicut Sacerdos debitor eſt vt veritatem, quam audiuit à Deo, liberè prædicet; ſic laicus debitor eſt, vt veritatem quam audiuit à Sacerdotibus proditam in Scripturis, defendat fiducialiter. Quod ſi non fecerit, proditor eſt veritatis. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Rom. 10. Hæc ante diximus, quoniam multi Chriſtianorum palàm quidem tranſgredi veritatem putant peccatum: tacere autem veritatem coram infidelibus, non putant eſſe peccatum: & propterea multi inueniuntur in iſto reatu. Ideò nos conuenit, aperte dicere; quoniam nihil de veritate neganda præſens continet ſermo, ſed de veritate non liberè prædicanda, dicens: Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine: & nolite timere eos, qui occidunt corpus, quo minùs dicatis in lumine, quod audiſtis in tenebris. Vide, quoniam non ſolùm ille tranſgreſſor eſt veritatis, qui palàm denegat veritatem; ſed etiam ille, qui propter timorem eorum qui poſſunt occidere corpus, tacet veritatem. Et quid dicam? Quia propter timorem mortis tacent homines veritatem, & propter miſerum ventrem, & propter ſpem vani honoris, in conſpectu infidelium tacent homines veritatem. vtputa, eunt homines ad conuiuium impiorum ſacerdotum, & confugiunt ad patrocinium malorum hæreticorum, fit ſermo de fide: ille ſacerdos impius vel patronus, blaſphemat veritatem tuam, quaſi mendacium; fidem tuam quaſi perfidiam, vt aut ſeducat, aut vulneret conſcientiam tuam, & faciat eam infirmam, etſi ad plenum capere non potuerit: tu autem etſi non denegaueris palàm veritatem, tamen non contendis cum perſona eius, cuius panem inanem manducas,

vt non

vt non perdas ſpem patrocinij, aut rapacitatis; veritatem: quam oportebat te liberè defendere, tacens confundis eam in conſpectu inimicorum eius; vt videatur a te tacente falſa, quæ vera eſt: & quo modo non es tu proditor veritatis? Sed forte dicis: Si taceo veritatem ante aduerſarios, numquid conſentio mendacio eorum? Dic mihi; ſi princeps aliquis Imperatoris, videns ciuitatem Romanam ab hoſtibus expugnari, cùm poſſit liberare eam, negligat defendere: num ipſe videbitur tradidiſſe, quam potuit liberare, ſi voluiſſet? Sic & tu videns veritatem ab impijs expugnari, cùm eam potuiſſes defendere, ſi loqui voluiſſes; tacens expugnaſti, per hoc ipſum, quod eam paſſus es expugnari. Et, ſi propter timorem eorum qui occidunt corpus, tacere veritatem (ſicut præſens Scriptura teſtatur) impietas eſt; quomodo non ſit impietas maior, tacere veritatem propter miſerum ventrem, & ſpem vani honoris? & meliorem facere gratiam panis & honoris, quàm gloriam veritatis Dei? Hæc ille, egregiè reuera & ſolidè. Qua tamen in re notandum, non vbique, nec ſemper omnem dicendam vel prædicandam eſſe veritatem; ſed qualis conuenit auditoribus, cuiuſque capaces ſunt; iuxta illud 1. Cor. 3. Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tamquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis: ſed nec nunc poteſtis. & Hebræor. 5. Facti eſtis quibus lacte opus eſt, non ſolido cibo. Deinde, videndum an iuſta aliqua vtilitas prouentura ſit, ex prædicatione veritatis, nec ne. Cùm enim probabiliter nullus ſperari aut expectari poteſt fructus ex doctrina veritatis, meminiſſe oportet illarum Chriſti ſententiarum; Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos: ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & canes conuerſi dirumpant vos. Chriſtus ipſe Dominus non vbique & ſemper dixit omnia, nec ad quæuis interrogata reſpondit. Pilato pauciſſima tantùm quædam dixit: Herodi nihil penitus; cùm tamen interrogaretur ab eo multis ſermonibus.

Matth. 7.

Iam ſi contingat quempiam docendo vel prædicando aliquid falſi dicere, vel quod mali cuiuſquam occaſionem præbeat; poſtulat veritas doctrinæ, ne quis hoc vel reuocare modeſtè vel declarare erubeſcat: ne quis ſcrupulus aut anſa erroris, vel peccati alterius, auditoribus relinquatur. Semper enim memoriæ mandandum, quod D. Auguſtinus veriſſimè dicit, in Prologo retractationum ſuarum: Qui primas non potuit habere ſapientiæ, ſecundas habeat partes modeſtiæ; hoc eſt, Qui non valuit omnia impœnitenda dicere, ſaltem pœniteat quæ cognouerit dicenda non fuiſſe. Huc pertinent ſententiæ illæ memorabiles Scripturæ ſacræ Eccleſiaſtici 4. Non contradicas verbo veritatis vllo modo: & de mendacio ineruditionis tuæ confundere. Rurſus 2. Corinth. 13. Non poſſumus aliquid contra veritatem, ſed pro veritate. de qua ſententia latiùs ſuprà. Citatur in Decretis Gratiani (cauſa 22. q. 4. cap. Magnæ) breuis quædam, ſed pulchra & veriſſima ſententia, ex Auguſtino: Magnæ ſapientiæ eſt, reuocare hominem, quod malè locutus eſt, &c. Et hæc breuiter, de veritate Doctrinæ.

VERITAS IVSTITIAE.

Quod ſpectat ad veritatem iuſtitiæ, docet illa ſeruare legum rectitudinem in iudicijs, vt D. Thomas inquit quæſtione illa iam ſæpiùs memorata 109. articulo 3. 2. 2. hoc eſt, non iudicare ex vitioſis aliquibus affectionibus, odij, inuidiæ, auaritiæ, ſed ſecundùm iuſtitiæ veritatem. non flecti muneribus, vt quidquam aduerſus veritatem facias: non reſpectum habere aliquem perſonarum; vt, quia vel pauper eſt quiſpiam, vel extraneus, vel te forſitan offendit aliquando, minùs illi faueas; alteri autem magis, quia vel diues eſt, vel notus, vel conſanguineus, vel amicus tuus, &c. ſed vbique & in omnibus ſolam attendere cauſæ iuſtitiam & veritatem. Vnde Sapiens, Prouerb. 28. Qui cognoſcit in iudicio faciem, non benè facit; iſte & pro buccella panis deſerit veritatem. & Dominus in Lege: Non miſereberis pauperis in iudicio, vt à vero deuies: Exod. 23. Ecce vbique notatam & præceptam iuſtitiæ veritatem.

Huc pertinent ſententiæ quædam Patrum, quæ ab Gratiano citantur in Decretis: vt illa Auguſtini, (Cauſa 2. quæſtione 7.) Queritur pater de filio; queritur filius de duro patre. Seruamus honorificentiam patri, quæ debetur à filio: non æquamus filium patri in honore, ſed præponimus filium in veritate: & ſic tribuimus honorem debitum, vt non perdat æquitas meritum. Item (Cauſa 11. q. 3. ex Gregorio;) Qui rectè iudicat & præmium remunerationis expectat; fraudem in Deum perpe-

perpetrat : quia iuſtitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendidit. Bonis malè vtitur, qui pro temporali lucro iuſtè iudicat. Tales quippe ad veritatem, non iuſtitię defenſio, ſed amor pręmij prouocat. Quibus ſi ſpes nummi ſubtrahitur, confeſtim à iuſtitię confeſſione diſcedunt. Acceptio nummorum, pręuaricatio veritatis eſt. Vnde & pro iuſto dicitur Iſaię 33. Qui excutit manus ſuas ab omni munere, ille in excelſis habitabit. Sic ibi.

Denique, Ambroſius Serm. 20. in Pſalmum 118. (& citatur Cauſa 3. quæſt. 7. Iudicet.) Bonus iudex nihil ex arbitrio ſuo agit, & propoſito domeſticæ voluntatis; ſed iuxta leges & iura pronuntiat : ſtatutis iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati: nihil præparatum & meditatum de domo defert; ſed ſicut audit, ita iudicat; & ſicut ſe habet natura, decernit: obſequitur legibus, non aduerſatur; examinat cauſæ merita, non mutat. Hæc ille.

Sed, quoniam de iuſtitiæ veritate pluribus ſuprà egimus, vbi ſententiam Zorobabel ex 3. Eſdræ, de ſumma veritatis potentia ac fortitudine, explanauimus; nolumus hîc eſſe longiores. Hoc tantùm adijciemus, ad veritatem hanc iuſtitiæ pertinere, non modò quod rectum & verum eſt iudicare; ſed veritatem etiam, iuſtitiam, innocentiam, contra quoſvis aduerſarios defenſare, hoſtes atque oppreſſores veritatis coërcere, punire legibus & ſupplicijs, vt oportet. Qua de re extant verba quædam memorabilia apud Gratianum diſtinct. 83. ex Innocentio Papa : Error, cui non reſiſtitur, approbatur; & veritas, cum minimè defenſatur, opprimitur. Negligere quippe, cùm poſſis perturbare peruerſos, nihil eſt aliud quàm fouere. Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinet obuiare. Hæc ille. Quò etiam illa Iſaiæ Prophetæ querela ſpectare videtur, cap. 59. Corruit in plateis veritas, & iuſtitia non potuit ingredi.

Triplicem hanc veritatem, vitæ nimirum, doctrinæ, atque iuſtitiæ, affirmant quidam notari poſſe, in verbis illis Iudæorum, tentandi cauſa prolatis, Matth. 22. Magiſter, ſcimus quia verax es : & viam Dei in veritate doces : & non eſt tibi cura de aliquo; non enim reſpicis perſonam hominis. Illud enim, Scimus quia verax es, intelligi poteſt, integer, ſincerus, atque irreprehenſibilis in vita & conuerſatione. Alterum autem, Et viam Dei in veritate doces; manifeſtè ad doctrinæ veritatem pertinet. Tertium verò, ad veritatem iuſtitiæ : Non eſt tibi cura de aliquo, non enim reſpicis perſonam hominis. Vtrùm hæc omnia intelligi voluerint ex hiſce verbis Iudæi, quum Chriſtum alloquerentur, incertum eſt. Etſi cùm tot tamque ſpecioſis & quæſitis verbis vterentur, non dubium eſt, quin ſignificare voluerint, ſe magna de illo admodum & præclara ſentire. Et quidem procul erat (vt crediderim facilè) animi eorum ſententia à ſignificatione verborum illorum; ſed tamen cogebat eos veritas vel inuitos, quæ longè veriſſima erant, effari.

Et nominatim, quod ad triplicem de qua agimus veritatem attinet, ſic omnem illam veritatem in ſe habuit & præſtitit Chriſtus; vt nemo vmquam hominum ea in re vllo pacto cum eo conferri potuerit : nec quidem, etſi omnium ſanctorum & veracium hominum integritas & veracitas in vno aliquo homine poſſet conſtitui. Quamuis tertiam veritatem, quæ iuſtitiæ dicitur, in ſecundo aduentu ſuo magis oſtenſurus ſit, quàm oſtendit in primo. Vultis audire, qualis in eo fuerit veritas vitæ? Quis ex vobis, inquit, arguet me de peccato? Audite iam de veritate doctrinæ : Si veritatem, inquit, dico vobis; quare non creditis mihi? Item : Vultis me occidere, hominem qui veritatem locutus ſum vobis, quam audiui à Patre meo.

Sunt, qui triplicem hanc veritatem ſic deſcribant, vt conueniat & neceſſaria ſit omni Chriſtiano, ſeu quicumque Deo placere deſideret. Veritas, aiunt, doctrinæ, docet verum à falſo diſcernere, quod verum eſt credere, quod falſum reſpuere. Veritas vitæ, cognoſcere bonum & malum; illud ſequi & amplecti, hoc autem vitare. Veritas iuſtitiæ, ſuum vnicuique reddere, Deumque in omnibus iudicijs ſuis iuſtum agnoſcere & prædicare. Adduntque eos, qui triplicem hanc veritatem vel non credunt vel non imitantur, incidere in maledictionem Propheticam; Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum. hoc eſſe contra eos, qui *Iſaia 5.*
non obſeruant veritatem vitæ; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras : contra eos qui carent veritate doctrinæ; ponentes amarum in dulce, & dulce in ama-

rum : aduerſus eos qui peccant in veritatem iuſtitiæ. Det nobis omnipotens, verax, & miſericors Dominus, ita in omni veritate coram ipſo ambulare, vt in die iudicij & iuſtitię, ſecundùm magnam miſericordiam ſuam retribuat nobis, & ſaluos nos faciat.

APPROBATIO.

VBi Reuerendiſſimus, & in omni ſcientiarum genere feliciter verſatus, D. Petrus Simonis, Yprenſium Epiſcopus, omnigenis variæ eruditionis floſculis VERITATEM *adornaſſet, ac veluti depinxiſſet : viſum illi eſt, cenſuræ noſtræ iudicio eam induſtriæ ſuæ lucubrationem probandam contradere. Quam ſanè non illubenter accepi, tum vt viro mihi amiciſſimo, & de Bacherio benè merito, gratificarer; tum etiam quòd certò ſperarem, candidum ac diligentem Lectorem eam euoluendo perlegendóque bonas horas non malè collocaturum. Quapropter, cenſeo opus iſtud prælo quàm correctiſſimo propediem admouendum, vt maiori cum fruge euulgetur, ac in manus hominum exeat : præſertim cùm nihil vel ſcandali vel erroris contineat.*

F. Petrus Bacherius S. Theolog.
Profeſſor, Dominicanus.

PETRI SIMONIS TILETANI
EPISCOPI YPRENSIS
VERITATIS CATHOLICÆ
APOLOGIA, contra Caluinum;

Pro Epiſtola IACOBI SADOLETI, S.R.E. Cardinalis, nouellam adhuc Caluini hæreſim iugulante:

Cuius exemplar Epiſtolæ, in fine huius APOLOGIÆ, Lector reperies.

CAPVT PRIMVM.

Sternitur via ad diſputationem: primùm ob oculos ſtatuendo peruerſum Caluini Nouatorumq́; omnium ſtudium, in diſcordiæ, diſsidiorum, ac ſeditionum ſeminibus iaciendis.

ANTEQVAM Sadoletus Geneuenſibus, quibus in erroribus & periculis verſarentur, aperiat; docet primùm, quomodo, & à quibus in errores pertracti & ſeducti fuerint. Quo ſimul & ad principalem diſputionem viam ſternit, & beneuolentiam eorum captat, quos in rectam viam reducere nitebatur. Dicit igitur; homines quoſdam aſtutos, inimicos Chriſtianæ vnitatis & pacis, inter Geneuenſes, malæ diſcordiæ ſemina iecisſe; Chriſtique fidelem populum, à via Patrum maiorumq́ue ſuorum, & à perpetuâ Eccleſiæ Catholicæ auertisſe ſententiâ; omnia diſſidijs ac ſeditionibus impleſſe.

His verbis ſeſe inter alios notatum haud immeritò Caluinus exiſtimans; Ego, inquit, ex his quos tam hoſtiliter impetis, vnum me eſſe profiteor. Neque perſonam ſuam duntaxat ſed miniſterium quoque damnari à Sadoleto perſenſit, quod gereret, vel geſſiſſet in Eccleſia Geneuenſi. In qua Doctoris primùm, deinde Paſtoris munere ſe functum confitetur.

Sed, vnde (quæſo) hocce illi Eccleſiæ illius miniſterium? Conſtat enim, quinam Eccleſiæ Geneuenſi, ante illum anteq́ue Pharellum, & Viretum (qui aliquantò prius ibi regnum inuaſerant, vt Caluinus hîc etiam agnoſcit) præſederunt: vt pòſt ſuo loco dicetur. Caluinus verò miniſterium ſuum, Dei vocatione fundatum & ſancitum eſſe non dubitat: quodq́ue eam prouinciam ſuſcepit, legitimæ fuiſſe vocationis, iure ſuo contendit. Vtq́ue miniſterium ſuum à Chriſto eſſe nouit (ſicut iactabundus præſumit) ita ſanguine ſuo, ſi opus ſit, ſibi vindicandum exiſtimat: quod & in quocumque ſcelere obſtinatos, ſubire paratos agnouimus. Denique, hoc ſuum miniſterium à Domino eſſe, liquidò comproban-

probandum deprædicat, vbi audita fuerit cauſa. Sed illam cauſam antequam aggrediatùr, ſibi priùs nonnihil mouendum eſſe putauit, ad id, quo vehementiſſimè ſe vri ſentiebat. quòd nimirum Sadoletus affirmet, aſtutos illos nouæ Religionis, ſeu potius execrabilis ſuperſtitionis miniſtros, ad illud ac tale miniſterium, atque ad turbandam Eccleſiæ pacem, ambitionis præcipuè atque auaritiæ ſtimulis accenſos fuiſſe.

Hoc ferre nón potuit Caluini modeſtia: quòd nimirum inſimularetùr ambitionis alicuius, aut auaritiæ. Quid igitur adfert in contrarium? quomodo turpiſſimas ambitionis & auaritiæ notas à ſe repellit? Dicit, nullas ſe alias opes vel dignitates affectaſſe aut captaſſe, quàm quæ ipſi obtigerunt; cuius rei teſtes accerſit omnes qui ipſum audiuerunt: quoniam illi in omnibus dictis & factis ipſius, non modò nullam ſuſpicionem ambitionis aduerterint; verumetiam claris indicijs deprehenderint, ipſum ab ea toto pectore abhorrere: quod quàm verum aut vero ſit ſimile, ex conſequentibus cognoſcetur. Multa deinde, de iure gladij, partibúſque ciuilis iuriſdictionis, quæ penes quoſdam Eccleſiæ Prælatos exiſtit, ſuo hæreticorumque omnium more, profert in medium; vt & de rerum temporalium affluentia, quam Eccleſiæ inuident, quamque liuidis ſemper dentibus cum Iuda proditore arrodunt.

Capvt II.

Catholicorum Epiſcoporum iuriſdictio quàm æqua ſit; quàm verò iniqua Nouatorum irruptio.

Calvmniis hiſce Caluini reſpondemus; Epiſcopos Catholicos, ius gladij, aliaſque ciuilis iuriſdictionis partes, nec Magiſtratui temporali eripere, nec ſibi perperàm vſurpare: ſed Eccleſiaſticam iuriſdictionem in ijs quæ ad forum (vt vulgò dicunt) Eccleſiæ, ſeu quæ ad Eccleſiaſticam cognitionem ſpectant, retinere; vt quæ humano iuxtà ac diuino illis iure debetur: & quam mille ducentos & ampliùs annos, Epiſcopos habuiſſe & exercuiſſe, eamque longè etiam maiorem atque ampliorem, quàm nunc exerceant, multaſque ſubditorum ſuorum cauſas, merè ſæculares, tractaſſe ac iudicaſſe, ex Gregorio, Ambroſio, Chryſoſtomo, & alijs veteribus, liquidò conſtat. Quæ iudicia, vt cum maiori auctoritate & fructu exercerent, habuiſſe quoque externos carceres, ad coërcendam rebellium contumaciam, Eccleſiaſtici Annales teſtantur. Ac nominatim ex Hiſtoria liquet Ioannis Chryſoſtomi, quemadmodum Eudoxia Imperatrix Chryſoſtomo inimica, omnibuſque in rebus aduerſaria, quemdam ob debitam viduæ certam pecuniæ ſummam, quam ſoluere detrectabat, in carcerem coniectum ab Chryſoſtomo, per vim inde extrahere ac liberare nitebatur.

Baronius ad finem anni Chriſti 401.

Gladij verò ius non exercent Epiſcopi, niſi qui ſunt etiam Principes ſæculares; quemadmodum totà pænè Germaniâ, & vicinis regnis ac prouincijs. Quos principatus, reges Chriſtiani olim, quibus dignitas & amplitudo poteſtatis Epiſcopalis benè perſpecta erat, vltrò Epiſcopis detulerunt, maioris auctoritatis gratiâ.

HAERETICORVM IN IVRISDICTIONES ET POSSESSIONES INVASIO ET SACRILEGIA.

At verò, quomodo Caluinus cum ſuis gladium ciuilemque omnem iuriſdictionem principibus ſæcularibus violenter extorſerit, vt ſibi vel miniſtris ſibi ſubiectis, ab ſuoque Magiſtratu dependentibus largiretur, ſi putat eruditis ignotum eſſe, fallitur. Scitur etenim, quomodo vrbem Geneuenſem cum locis illi ſubiectis Duci Sabaudiæ eripuerint, ſub annum Domini 1535. vt nouum ibi tribunal, nouamque plane dominij ac iudicij formam, adinſtar vicinorum Heluetiorum, inſtituerent, omni excluſa auctoritate veri ac legitimi Principis, ſimulque noui illic Euangelij radices plantarent. Cuius rei exempla multa antè præceſſerant in Germania, auctoribus Caluini patribus & præceptoribus, Zvvinglio, Oecolampadio, Bucero, & ſimilibus. Et quid de ſpirituali iuxtà ac temporali iuriſdictione hîc dicam Epiſcopi Geneuenſis? deque omnibus eius bonis patentibus temporalibus, quos vel Caluinus ipſe, vel Magiſtratus Geneuenſis, Caluino & ceteris id genus impulſoribus, vendicarunt ab initio rebellionis nefariæ ciuitatis illius? Et hæc eſt illa ſcilicet miniſterij Caluini in Eccleſia Geneuenſi diuina vocatio, de qua ſuprà. Qualis etiam fuit vocatio diuina Oecolampadij, Baſileæ bonis omnibus Epiſcopi illius ciuitatis per eum & ciuilem Magiſtratum occupatis, omnique illius cùm temporali tum Eccleſiaſticà poteſtate extinctà. Et vbicumque locorum receptum fuit nouum quin-

quintumque Euangelium, bona Eccleſiaſticorum cuiuſuis generis atque ordinis, mobilia, vt vocantur, atque immobilia, erepta veris legitimiſque dominis & poſſeſſoribus ſuis, & fiſco magiſtratus addicta, in vſum miniſtrorum Doctorumque nouellorum, ac aliorum, pro libito magiſtratus; miniſtris hæc probantibus & mandantibus. Quo iure, Caluinus, aut ratione, hæc fundata reperit? Clamat hic, Epiſcopos fures eſſe, vt audiuimus; qui ex Eccleſiaſticis & ſuis opibus plus ſumunt quàm neceſſitas poſtulet. Et ipſe non eſt fur, bona Eccleſiaſticorum, & aliorum, manifeſtà vi inuadendo, in ſuoſque & ſuorum vſum conuertendo pro arbitrio ſuo? CALVINI AVARITIA, ET RAPACITAS.

Sacerdos quidam Catholicus olim, qui Lucernæ in Heluetia initio mutatæ religionis verbum Dei prædicabat contra Zwinglium, ſic in eum, & qui erant eiuſdem factionis inuectus eſt; Famoſus (ſchelm) hoc eſt, infamis eſt, qui cenſus & reditus vſui diuino & pijs cauſis deputatos, in profanos vſus tentat commutare; & eum alterius detrimento ac iniuria, alium facere locupletiorem. Quam concluſionem probabat ex multis legibus Conſtantini Magni, Iuſtiniani, L. Iubemus. cap. De ſacroſanctis Eccleſijs. Deinde adiecit: Auditis iſta, vos Eccleſiarum fures. Ideò nihil vobis aliud expectandum, quàm vt exutis calceis ad patibulum deducamini. Et pergens etiam vlterius: Hinc, inquit, primò conſequitur, infamem eſſe quemlibet, qui Eccleſijs & religioſis ſuas per vim auferr hypothecas, & ab ijs illos vi depellit. L. Prætor. §. Nequid. ff. De vi, & vi armata, Lege Iulia publicorum iudiciorum plectendum. Conſequitur ſecundò, dupliciter infamem eſſe, duplicemque furem, qui cum retentis hypothecis etiam capitalia detinet bona. Conſequitur tertiò, hunc tripliciter eſſe famoſum ac trifurciferum, qui vltra hypothecas & bona capitalia, etiam eorum litteras vel ſigilla furatur, L. Nec intereſt. ff. Ad legem Iuliam de vi priuata. Conſequitur quartò, quadrupliciter infamem eſſe, qui vltra hæc tria, homines vi cogit ſibi cenſus & reditus afferre, cùm ei ne obulum quidem debeant. Poſt quæ omnia; O vos, inquit, tam multipliciter infames, Euangelici nequam, criminoſi ac ſcandaloſi, Eccleſiarum fures, quibus huiuſmodi cum veritate obiiciuntur! O quæ ſcandala, quas inſanias, pio natali ſolo noſtro irrogatis, veſtriſque parentibus in terra ſepultis! Pertingant (obſecro) hæc lamenta in thronum diuinæ Maieſtatis, ad veſtras tandem iniurias vlciſcendas. Sic ille. *Cochlæus de actis & ſcriptis Lutheri, anno 1526.*

Capvt III.

Multiplex Caluini auaritia per exempla probatur; contra mentitam ipſius huius notæ fugam.

QVOD autem propriè ad Caluini auaritiā pertinet, videat qui volet, quid ea de re ſcribat Hieronymus Bolſecus, in vita ipſius. Dicit illum præter ſtipendium ordinarium pro concionibus & lectionibus ſuis, quod minime contemnendum erat, à Typographis extorſiſſe qui libros (quos edebat quotannis bene multos) imprimebant, pro ſingulis folijs ſingulos ſolidos Geneuenſes. Dicit cuſtodem fuiſſe burſæ pauperum, ſeu præfectum eleemoſynis diſtribuendis, quæ non erant parui momenti; cùm ſæpè duo, tria, millia Francorum etiam ab extraneis multis eum in vſum mitterentur. Quæ pecunia, quemadmodum ab illo adminiſtrata fuerit, & quòd minimè vir tam ſapiens ignorauerit, quod vulgò iactari ſolet prouerbij loco, Charitas incipit à ſeipſo; poſtremò quid fecerit Caluinus de relictis nummis Dauidis cuiuſdam Hannonienſis prædiuitis, itemque ferri mercatoris; res eſt digna lectu. Regina Nauarræ Ioanna, hæreſi Caluinianæ (vt notum eſt) addictiſſima, quemdam è familiâ ſuâ id temporis itidem hæreticum Montouſelum cognomine, Geneuam vt ibi habitaret, mittebat; cùm verò paulò antè, quatuor francorum millia eò miſiſſet in vſus pauperum, & Montouſelus non valde opibus abundaret, commendabat eius tenuitatem Regina per litteras miniſtris Geneuenſium præſertimque Caluino, burſæ pauperum præfecto primario. Hic miſer cùm longiuſculo tempore nihil reciperet, obſeruare cœpit diligentiùs atque inquirere, quemadmodū Caluinus illa in adminiſtratione verſaretur. Et certa ſtatim experientia compertum habens, nihil aut perexiguum ex omni illa pecunia ad pauperum ſubleuandam inopiam deriuari, ſed conſumi omnia pro Caluini arbitrio in alios vſus, ſcribit rem omnem Reginæ dominæ ac magiſtræ ſuæ. Quæ rei indignitate irritata, miſit eò confeſtim vnum e domeſticis ſuis, ad *Cap. 11.* EXEMPLA AVARITIAE CALVINI. *Cap. 15.*

Geneuenſes, & nominatim ad Dominum de Falais magnæ ibi inter alios auctoritatis (de quo paulò pòſt) grauiter conquerens, quòd publicarum eleemoſynarum tam mala ratio haberetur. Quod vbi ad Caluini aures peruenit, ſtatimque olfeciſſet Montouſelum delationis auctorem eſſe, is illicò in peſſimam incidit gratiam eius: & vt ſe apud Reginam purgaret, ſcriptis litteris eam rogauit, ne facilè poſthac aures præberet improbis delatoribus, libertinis, atheiſtis (nam his coloribus depingere erat ſolitus quotquot illi quouis modo aduerſarentur) qui non ad aliud operam darent, quàm bonorum virorum actiones calumniari, cùm nihil ipſi boni queant præſtare, ſuiſque mendacijs optimorum quorumque famam denigrare.

[Bolſecus cap 10. Claud de Sainctes in Apolog. contra Bezam fol. 49. & 50.] De nobiliſſimo iuxta atque opulentiſſimo viro Iacobo à Burgundia, Domino Faleſij ac Bredanni, Imperatoris quondam Caroli cubiculario, ſcribunt auctores, cùm in hæreſim incidiſſet, primumq; Argentinam ſe recepiſſet, quot litteris à Caluino ſollicitatus fuerit vt Geneuam veniret, cum non ignoraret eum multa præſente pecunia abundare. Quò tandem poſtquam habitandi cauſa veniſſet, Geneuenſes ſtatim ab eo duo aureorũ millia emunxerunt. Sed non multò pòſt offenſus diſputationibus Caluini blaſphemis de Prædeſtinatione, & alijs quibuſdam de cauſis (de quibus poſtmodum) ad Bernates ſe contulit, fremente Caluino quod prædam tam opimam perdiderat, quam tamen iam magna ex parte arroſerat, & ſpe deuorarat.

CAPVT IIII.

Superbia atque ambitio Caluini manifeſtatur; contra prætenſum ipſius modeſtiæ fucum.

[CALVINI SVPERBIA ET AMBITIO.] IAM breuibus etiam videndum, quàm alienus fuerit ab ambitione & ſuperbia. Quo in genere non deſunt ex ijs qui intimè eum nouerunt, qui ſcribunt, numquam hominem magis ambitioſum & arrogantem, magis inuidum & iracundum, magiſque vindictæ cupidum (quæ ſunt omnia eiuſdem naturæ) fuiſſe ſuper terram. Quod num cum [Cap. 12. & conſequentibus.] aliquo dicant teſtimonio veritatis, videre licet apud prædictum Bolſecum. Ibi reperient, cùm tam ſollicitè Caluinus, odio videlicet idololatriæ, tolli iuſſerit ac aboleri vbique locorum imagines Chriſti & Sanctorum quorumuis, quòd ſuam tamen ipſius pictam imaginem (licet oris turpiſſimi, vultuſque truculenti, barbari ac Scythici) vbique locorum haberi & ſeruari permiſerit: imò, etiam auro argentoque expreſſam, ab vtriuſque ſexus hominibus ad collum & pectus geſtari. Cumque admoneretur à prudentioribus, hæc non decere paſtorem Eccleſiæ, qui in aliorum ambitionem, ſacerdotum præſertim atque Epiſcoporum Catholicorum, ſemper inueheretur; nihil aliud reſponſi tulerunt, quàm, Si cui hoc diſpliceat, creparet inuidiâ ac dirumperetur, licere. Quod genus eſt etiam, cùm Geneuâ Bernam vel aliò illi eundum eſſet, comitatum ferè fuiſſe honoris cauſâ 25. vel 30. bonis equitibus: adeò vt Bernates etiam ambitionem eius intolerabilem non ferentes, Papam Geneuenſem, per ignominiam, appellarent: nimirum, cùm numquam non clamaret in ſuperbiam & ambitionem Romani Pontificis, ipſe nihilo ſe modeſtiùs gereret. Certè, non ita incedunt vel ſe gerunt Epiſcopi, quos tam ſeuerè ſemper ambitionis gratiâ reprehendit: niſi fortè ſimul ſint & Principes.

Denique, faſtum eius incredibilem, & non ferendam inſolentiam, damnarunt etiam qui illi fuerunt iunctiſſimi. Cùm in idolum quoddam transformari videretur, & ſicut olim Titum Flaminium Græcia, ſic velit iſte vt ſe colat Gallia victimis & ſacrificijs: vt quos Idololatras, eoſdem & Caluinolatras vocari liceat. Buceri quidem hoc de illo iudicium fuiſſe fertur (qui eius fuit præceptor) quòd maledicentiæ morbo infectus eſſet. Quem etiam profectò in ſcriptis eius nemo eſt qui non videat. Melanchthon ſimiliter (quem tamen Caluinus ſemper viſus fuit plurimi facere) de intolerabili eius arrogantia non rarò palàm conqueſtus eſt, quòd nihil temperanter ageret, ſemper tumultuaretur, numquam quieſceret. Non patiebatur ſibi à quoquam mortalium vlla ratione contradi- [Bolſecus c 4. & 18.] ci, quidquid ageret, quidquid diceret. Teſtes inter multos infelix Petrus Annæus cartularius, & dominus ſancti Germani.

Huc facit quod in ſcriptis & ſermonibus ſuis nunc ſe conferebat cum Abraham Patriarcha; quaſi videlicet non minùs quàm ipſe pater eſſet multarum gentium: nunc cum Dauide,

Dauide, quòd omnium iniurijs & perſecutionibus exerceretur, pietatis & veritatis cauſſa; quibus tamen omnibus Deo iuuante ſuperior euaderet: nunc cum Helia Propheta, quòd totum Dei verum cultum, per longam & variam idololatriam collapſum, reſtituiſſet. Et conſtat, indigniſſimè tuliſſe, quòd Lutheri diſcipuli eius per aſſentationem tertium Heliam appellaſſent: cùm videlicet exiſtimaret, laudem & gloriam illam ſibi potiùs quàm Luthero deberi. Quomodo præ ſe contempſerit ac nihil duxerit omnes ſui temporis miniſtros, & prædicatores noui Euangelij; qui, vel non prodierant ex ſinu eius, vel per omnia non iurabant in verba ipſius; notius eſt, quàm vt hic referri debeat. Nec mirum: cùm & veteres omnes, primoſque Eccleſiæ Patres ac Magiſtros, quacumque vitæ ſanctimonia aut eruditione præcellentes, ſic paſſim tractet atque excipiat ad omnem occaſionem in ſcriptis ſuis, quaſi minimè digni fuiſſent corrigiam calceamentorum eius ſoluere; nunc omnes hallucinari dicens, nunc delirare, nunc abreptos in errorem, dum nimium mori publico & vulgi imperitiæ dederunt; nunc ſpiritum ſuum potiùs ſecutos, quàm verbum Dei; nunc aliud relatu indignum. Quin nec Apoſtolis quoque ipſis pepercit, vt alibi oſtendemus. Quæ quid aliud ſignificant, quàm quòd ſe vnum voluerit in templo Dei adorandum præbere, ibique ſedere tamquam ſi Deus fuiſſet? quemadmodum de Antichriſto dicit Apoſtolus. Et adhuc affirmare audet, ſe ſuoſque eſſe ab omni ambitione alienos?

Sed eſt hîc & aliud præterea quiddam addendum, eodem pertinens, maioris lucis atque intelligentiæ cauſâ. Dicit Caluinus initio Epiſtolæ huius, ſe Geneuam vocatum eſſe, poſtquam ibi iam mutata eſſet religionis forma: ſed quæ à Pharello & Vireto priùs geſta fuerant, non modò ſuo ſuffragio comprobaſſe, ſed etiam quantum in ipſo fuit conſeruare. & confirmare ſtuduiſſe. Hæc ita ſe habent: Non fuit Caluinus Geneuæ ab initio illius ſynagogæ Pontifex, vt poſtmodum; ſed prælector dumtaxat Theologiæ, ſub Guilielmo Pharello, qui tum rerum ibi potiebatur. Qui ambo, non multò pòſt, propter inſignem arrogantiam & contumaciam, & quia manifeſtam etiam tandem ſeditionem in vrbe aduerſus magiſtratum concitare deprehendebantur, edicto Magiſtratus ciuitate eiecti ſunt, iuſſique exulare, anno 1537. Quò tamen Pharellus poſtea miris artibus prior rediit, oppreſſis aduerſarijs ſuis. Sed veritus, ne iterùm eijceretur, vt potentiam ſuam confirmaret, Caluinum Argentorato (quò profugerat, vbi & hanc quam impugnamus in Sadoletum epiſtolam ſcripſit) Geneuam reuocandum inſtantiſſimè procurauit: tametſi priùs iurauerat Caluinus, ita percitus, numquam ſe ad aliquod obeundum miniſterium, in ingratam ciuitatem rediturum. Rediit tamen, ſuadentibus, vrgentibus Pharello & Bucero; ſed nonniſi præſcriptis conditionibus de creando imprimis Conſiſtorio, cuius operâ (reſtituendæ Chriſtianæ diſciplinæ prætextu) inſidiaretur quibus vellet, atque inuidiam tyrannidis ſuæ occultaret, vel armaret: Pharello reſtitutori ſuo hac relata gratia, vt primas regendi atque imperandi partes illi ſtatim præriperet, & cathedrâ atque Eccleſiâ Geneuenſium deturbaret: quamuis bellè interim finxerit, ſibi cum illo optimè ſemper conuenire, ſeque plurimùm illi velut ſeniori deferre. Reſtitutus autem, & Conſiſtorio ſtabilito, ab eorum ſanguine, per quos pulſus fuerat, & quorum potentiam formidabat, exorſus eſt pontificatum. Cuius conatibus cùm plerique ciues & miniſtri reluctarentur, ipſe malignarum in eos machinationum ſuarum non priùs finem fecit, quàm multorum ignominioſo ſupplicio oculos ſuos pauiſſet; alijſque variè afflictis, alijs fuga, ſolus Gallus in alieno regnaret ſterquilino.

QVOMODO CALVINVS IN ECCLESIAM GENEVENSEM IRREPSERIT.

Bolſecus c. 9. 10. 11. Claud. de Sainctes Apolog. contra Bezam.

Hæc latiùs paulò referre placuit, vt planè videat Lector, quàm verum ſit, quod hîc ait Caluinus, ſe conſilijs omnibus & ſtudijs ſuis non aliud cum ſuis ſpectaſſe, quàm vt ipſorum tenuitate atque humilitate regni Chriſti amplitudo promoueretur: & paulò pòſt, quòd tam anxiè laborarent pro regno Chriſti.

CAPVT. V.

Excipit Caluinus aduerſus præcedentia illi obiecta; eiuſq; exceptio eliditur.

SED excipit tamen aduerſus hæc omnia Caluinus, dicens; ſi ambitione aliqua tactus fuiſſet, facilem ſibi fuiſſe ad honores obtinendos viam. Nec quidquam ſibi extrà regnum

gnum Papæ quæſiſſe, quod illic ſibi non eſſet paratum. In quem modum etiam dicit, fuiſſe ſibi facillimum ad diuitias honoreſque compendium, ſi ſtatim ab initio, iis quæ offerebantur pactionibus, nubiſcum voluiſſet tranſigere.

Cuiuſmodi pactiones Caluino, vel ceteris quibuſuis eiuſdem factionis, oblatæ fuerint ab initio, vt ſeſe ad Catholicorum partes transferrent, equidem neſcio: nec ea de re quidquam vmquam reperi apud probatos auctores. Hoc autem hic primùm dicam, non omnibus etiam in Eccleſia Catholica honores contingere, qui ad illus aſpirant; nec omnibus etiam, qui illis digni ſunt. Neque hoc malè etiam ipſos habet: ſciunt enim, diuinam vocationem expetédam, quam cóſtat frequenter multùm diſtare ab humanis iudiciis. Ita Caluinus etiam, tametſi eruditus erat & facundus, fieri tamen potuiſſet multis modis variiſque occaſionibus, vt nullos in Eccleſia Catholica magnos honores conſecutus fuiſſet, quemadmodum alij fuêre innumeri, & ſunt etiamnum, Caluino haud inferiores, multis præclaris dotibus, qui nullos vmquam honores adepti ſunt.

Sed ego aliud quiddam ſentio de Caluino: nempe, tametſi honores ampliſſimos in Eccleſia Catholica conſequi potuiſſet, mutatâ peſſimarum opinionum ſententiâ, nequaquam tamen commiſſurum fuiſſe, vt doctrinam mutaret, vel priſtinam ſententiam recantaret: tum, quia magni & eruditi illi (vt ſibi videntur) quiduis potiùs malint, quàm aliquid de veteri ſua ſententia retractare; quoniam ſe putent nuſquam errare poſſe, adeoque deos potius quoſdam terreſtres eſſe, quàm homines aliqua ignorantia præditos: tum præcipuè, quia multo ſibi ad gloriam melius & conſultius duceret, in noua erigenda Eccleſia, tamquam in nouo regno creádo, primum eſſe (vt de ſe credebat ipſe, & ab aliis haberi volebat) quàm in veteri regenda ac docenda, vnum inter multos ſummos & magnos. Nam quis maior illi honos in Eccleſia Catholica contingere potuiſſet, quâ vt vel Epiſcopus eſſet aliquis magnus & opulentus, vel Cardinalis: Atqui, tales eſſe permultos vtriuſq; generis nó ignorabat, vbiq; fere locorum. Is honor etſi aliis longe maximus, illi tamen pro ingentibus meritis ſuis nimis exilis eſſe videbatur. Maluit igitur, noui tamquam principatus conditor, nouæ pater generationis aut ſtirpis eſſe, nouæ inuentor doctrinæ eximiæ, quæ alios ante ipſum omnes magno ſtupore ignorantiæ latuiſſet; denique nouæ Eccleſiæ nouus & primus fundator haberi: non, vt diſcipuli vel ſubditi illius, ſicut aliorum Eccleſiæ paſtorum vel Epiſcoporum, Chriſtiani vel Catholici communiter dicerentur; ſed vt nouo & peculiari nomine, Caluiniſtæ.

Eſt enim & fuit ſemper cunctis hæreticis, præſertim hæreſiarchis, proprium, noua conuenticula facere; nouam ſocietatem, velut nouum quoddam regnum, inſtituere; noua nomina, noua ſigna ſuis imponere, quibus ab aliis ac veteribus omnibus diſcernantur. Id quod Apoſtolus, Actorum 20. de talibus ait: Ex vobiſipſis exurgent magiſtri mendaces, vt abducant diſcipulos poſt ſe. Nimirum abducere ſtudent ſuos à veteri Eccleſiæ ſocietate & communione, vt ſe priuatim nouos duces, nouos Doctores & magiſtros ſequantur, à ſeſe nomen & profeſſionem gerant. Hanc putant eſſe gloriam longè maximam, multoque magis appetendam, quàm honores quoſuis gerere inter alios, vel cum aliis, in Eccleſia veteri & Catholica.

CAPVT VI.

Poteſtas Epiſcoporum præfectorumq; Catholicorum, quam in animas fidelium exercent, à Deo eſt. Hæretici verò miſerandam in animas carnificinam exercent.

IAM, quid de illo dicemus, quod ait, Epiſcopos meram exercere carnificinam in animas fidelium, ſine verbo Dei?

POTESTAS EPISCOPORVM IN FIDELIVM ANIMAS, A DEO EST. Quam poteſtatem Epiſcopi exercent in animas ſubditorum ſuorum, non à ſeipſis ſumpſerunt, nec alteri cuiquam extorſerunt, ſed ab iis acceperût, ad quos id legitima auctoritate ſpectat, iuxta ordinem & rationé ſemper in Dei Eccleſia obſeruatam. Omniſq; illorum poteſtas, quâ exercent in animas, in expreſſo Dei verbo fundatur: illo nimirum, Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit. item, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur iis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. vt alia multa ex verbo Dei huc pertinentia prætermittam. At ve-

At verò, quam carnificinam Caluinus, cum ſuis, in animas fidelium exerceat, contra verbum Dei, magis eſt deplorandum, quàm explicandum: cùm videlicet incautos & ſimplices, vel data opera perire volentes, pernicioſis conſilijs, doctrinis, perſuaſionibus ſuis, à vera Chriſti & Catholica Eccleſia abducunt, in qua ſola eſt verum verbum Dei, & vita animarum; ſua eis ſomnia & figmenta, pro verbo Dei obtrudentes, atque ita infinitas animas vbique locorum in æternum pertrahentes exitium. Sed hæc, ex ijs quæ ſequuntur, pluſquam manifeſta euadent.

CARNIFICINA HAERETICORVM IN ANIMAS HOMINVM.

CAPVT VII.

Cura cuiq; ſalutis æternæ cum primis commendanda.

ANTEQVAM autem propiùs adhuc ad rem ipſam atque ad doctrinæ tractationem veniamus; refutanda primùm breuiter inuectiua ſeu reprehenſio quædam Caluini in Sadoletũ iniuſtiſſima, qua eum arguit & perſtringit, quòd diutiùs multo hæſerit, quàm par fuerit, tamquam vagatus extra metas, in commendationem vitæ futuræ æternæque beatitudinis.

Dicit, Sadoletum parum Theologicè feciſſe, homines ita excitando ad cogitationem ſalutis ſuæ perpetuæ, vt non potiùs ſollicitus fuerit, de illuſtranda Dei gloria; cùm Deo, non nobis nati ſimus; nec Deo quod ſuum eſt tribuatur, ni rebus omnibus eius gloria & ſanctificatio præferatur. Quaſi verò id vel quiſquè pius & Catholicus neget, vel Sadoletus præcipuè ignorauerit. Sed non omnia ſunt vbique dicenda vel explicanda: hîc autem, ad rem maximè faciebat, vt perſuaderet vnicuique, in primis amandam & procurandam eſſe ſalutem ſuam ſempiternam: idque iuxta doctrinam etiam diſertam Chriſti redemptoris noſtri, quam & citat nominatim Sadoletus: Quid prodeſt homini ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Dum autem præcipuum noſtrum ſtudium eſt, vt ſeruemus animam noſtram in vitam æternam; quid aliud agemus, quàm quòd ſolliciti ſimus pro honore & gloria Dei? vt nimirum illum in vita beata abſque intermiſſione & ſine fine laudemus? Nam & in hac vita idcirco ſtudium amplectimur ſanctimoniæ, mundoque, carni, & peccato morimur, vt Deo deinde viuamus, & Deus in nobis: ſicut rectè etiam hîc Sadoletus annotauit. Et, cùm idem hîc docet, Chriſtianos in Chriſtum credentes & ſperantes, id ea vna de cauſa facere, quòd ſalutem ſibi atque animabus ſuis, non hanc mortalem & citò interituram, ſed illam ſempiternem & immortalem quærerent; quid aliud docet, quàm quod Iacobus Apoſtolus: In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poſſit ſaluare animas veſtras? Et Petrus ſimiliter; Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum veſtrarum. Num, quia in ſtudio pietatis, ſalutis dumtaxat animarum meminerunt, honoris Dei & gloriæ oblitos eſſe cenſebimus? & coarguentur à Caluino, quòd quæ minoris momenti ſunt inculcantes, longè potiora prætermiſerint? Chriſtus etiam, cæleſtis Doctor, cùm ſuos ad perſecutionum omnis generis tolerantiam animaret; In patientia, inquit, veſtra poſſidebitis animas veſtras. Cur non potiùs dixit, ſecundùm Caluinum; In patientia veſtra Deum glorificate gaudebitis? quaſi hæc duo vmquam diſiuncta eſſent; & in ſalute animarum non ſemper refulgeret gloria Dei. Ad ſimilem modum totam licet Scripturam ſacram reprehenſioni ſubijcere: Filius hominis non venit animas perdere (inquit idem Filius hominis) ſed ſaluare. Iuxta Caluini Theologiam dicendum erat; Filius hominis venit ſanctificare nomen Patris ſui, & promouere gloriam eius. id quod profectò etiam verum eſt, ſed à priori illo haudquaquam excluditur. Cùm autem admonentur homines, vt rationem habeant ſempiternæ ſalutis ſuæ, hoc in primis agitur, vt omni ſtudio caueant ſibi à peregrino & præpoſtero Dei cultu, id eſt ab hæreſi omni & corruptione doctrinæ ſalutaris. Hoc Caluinus hîc etiam cogitur confiteri. Fides enim recta, ſalutis fundamentum eſt: teſte Apoſtolo; Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Fidem autem ibi Apoſtolus vocat, non quamcumque Dei cognitionem, ſed talem Dei notitiam, quæ veram & perfectam illius colendi rationem complectatur: in qua, veritatis Dei profeſſio, contra hæreſes omnes contraque erroneas quaſuis, ſuperſtitioſas & peregrinas, includitur.

Matth. 16. *Luc. 9.* *Hebr. 11.*

Cùm autem ſemper verum fuerit, quod Leo Magnus & alij docuerunt, non in ſolo opere virtutum, aut in ſola obſeruantia mandatorum, ſed etiam in tramite fidei anguſtam

Serm. 4 de Natiuit. Domini.

ſtam & arduam eſſe viam, quæ ducit ad vitam ;& magni laboris eſſe magniq́ue diſcriminis, inter dubias imperitorum opiniones, & veriſimiles ſalſitates, per vnam ſanę doctrinæ ſemitam inoffenſis greſſibus ambulare, cumq́ue vndique ſe laquei erroreſq́ue opponant, omne periculum deceptionis euadere: conſtat, nunc temporis, quando vndique errores atque hæreſes omnis generis ex imo inferni ſe in terram (velut agmine facto) effuderunt, omnibus interim clamantibus, Ecce hîc eſt Chriſtus, & reliquos omnes damnantibus; longè eſſe periculoſiſſimum, rectam ſanæ fidei puræq́ue doctrinæ viam tenere: ijs potiſſimùm, qui in medio falſorum doctorum verſantur, vt erant ij, ad quos ſcripſit Sadoletus. Vnde ſatis liquere poteſt, quàm rectè & prudenter, & neceſſariò, in eo inſiſtere multiſq́ue verbis & argumentis hoc agere debuerit, vt viderent etiam atque etiam, quomodo putarent in tantis periculis animas ſuas ſaluas facere; quæ prima eſſe debet & poſtrema cura hominibus: ne, dum fortè ſibi videntur rectam atque ipſiſſimam viam ſalutis ingreſſi, in æternum exitium pergant.

Capvt VIII.

Quanam, aut vbi, ſeu penes quos ſit Eccleſia Chriſti.

SED nunc, his prætermiſſis, ad primarium diſputationis argumentum accedamus. Concedit Sadoleto Caluinus (quòd negari non poteſt) non aliud eſſe grauius ſaluti noſtræ periculum, quàm à præpoſtero peruerſoq́ue Dei cultu. Concedit & illud, neminem poſſe temerè ac pro ſua libidine nouum aliquem Dei cultum ſibi fingere; ſed hunc vnum legitimum eſſe, qui à principio fuit illi approbatus: proinde, intereſſe tantummodò, vt quæratur, vtra pars cultum illum Dei, qui vnus eſt legitimus veruſq́ue, retineat. Negat verò Caluinus, ſe ſuoſq́; ab ea colendi Dei ratione (quam ſemper obſeruauit Eccleſia Catholica) abducere voluiſſe populum Chriſtianum, vt Sadoletus obiecerat: nimirum, quia non ſit Eccleſia Chriſti, quam deſeruerat, & à qua populum abducere nitatur. Dicit enim, Sadoletum in Eccleſiæ nomine hallucinari: atque hic propriè ſtatus & difficultatis omnis & controuerſiæ inter nos, & inter hæreticos omnes huius temporis. In hoc tamquam in præcipuo cardine omnis vertitur quæſtio: Quænam videlicet, aut vbi, ſeu penes quoſnam, ſit Eccleſia Chriſti; quando omnes fatentur, Eccleſiam in doctrina ſalutis æternæ errare non poſſe, in ſola Chriſti Eccleſia reperiri veritatem, Spiritum ſanctum, remiſſionem peccatorum, ſpem vitæ & ſalutis æternæ, quiſquis extra illam eſt, perditum eſſe.

STATVS TOTIVS FERE DIFFICVLTATIS ET CONTROVERSIAE, INTER NOS, ET HVIVS TEMPORIS HAERETICOS.

Proinde ne quiſquam in tanti re momenti falleretur, Sadoletus (vt neceſſum erat) Eccleſiam definiuerat; Quæ nimirum in omni anteacto & hodierno tempore, in omni regione terrarum, in Chriſto vna & conſentiens, vno Chriſti ſpiritu vbique & ſemper directa eſt. Sed hæc Eccleſiæ definitio Caluino haud arridet, & meritò ſanè. Videt enim aſtutus homo, ſi illa ſit Eccleſiæ natura ac definitio, ſeq́ue cætumq́ue ſuum, nullum in Eccleſia locum habere. Neque enim cætus ille hominum, cui ipſe præſidebat, vbique locorum, nec omni anteacto tempore fuerat: id eſt, cum omnibus locorum omnium & ſæculorum priorum fidelibus, in fide & doctrina, in cultu Dei, in obſeruatione religionis, communicauerat; quod eſt verè propriéq́ue eſſe Catholicum, vt ille ait. Et audet tamen nefarius paulò pòſt in ſua Eccleſiæ definitione, has clauſulas ponere; vt videlicet ſibi etiam ſuiſq́ue Catholicæ Eccleſiæ titulum (quem non neſcit quanti momenti ſit) aſſcribat: ſed hoc tantâ impudentiâ, vt pueri etiam non difficilè percipere ac dijudicare valeant. Sicut enim norunt omnes, quo tempore, quo loco, quo auctore inceperit eorum eccleſia; nempe, cùm nulla vſpiam mentio eſſet huiuſmodi eccleſiæ, quæ talem fidem ac religionem coleret, toto orbe terrarum, priuſquam Martinus Lutherus in Saxonia nouam planè & numquam priùs auditam doctrinam de Indulgentijs primùm, & mox de alijs, ſenſim multis fidei articulis (vt fit, & ſicuti error ſemper errorem trahit) in medium afferret.

ECCLESIAE DEFINITIO, SECVNDVM SADOLETVM.

Vincentius Lirinen.

CAPVT IX.

Puram doctrinam, in ſola Eccleſia eſſe quidem: ſed non eſſe veram & certam notam Eccleſia.

SED obſeruandum, quidnam Caluinus potiſſimùm in Eccleſiæ definitione requirat; veram nimirum & incorruptam doctrinam verbi Dei. Hanc notam Eccleſiæ, & quidem primam notam, omniumque certiſſimam, omnes vno ore nouatores conſtituunt; hanc vrgent, hanc vnam efferunt ſupra alias omnes: verùm ingenti fraude, & contra propriam plerumque omnium ipſorum conſcientiam. niſi forte quando poſtmodum illa tandem per inuidiam & malitiam excæcatur: quod non raró contingit. Nos quidem non negamus, veram & incorruptam doctrinam verbi Dei, ſanamque interpretationem Scripturæ ſacræ, in ſola eſſe Eccleſia Dei; ſed non poſſe illam eſſe veram certamque Eccleſiæ notam, qua ab omnibus hæreticorum contumelijs & Antichriſti Synagogis diſcernatur, multi egregij ſcriptores Catholici clariſſime demonſtrarunt: non magis, quàm nota Eccleſiæ Chriſti veræ eſſe poteſt remiſſio peccatorum, & ſanctificatio mentis, ac multa alia; quæ tamen in ſola Dei Eccleſia reperiuntur, extraque illam nuſpiam.

Non pigebit autem nos, rem tanti momenti paucis aliquot argumentis (ſi hoc fortaſſe Lector veritatis cognoſcendæ auidus poſtulet) confirmare. Nam primùm quidem conſtat, Eccleſiam, tam in nouo quàm in veteri Teſtamento, longo tempore ſine verbo Dei ſcripto fuiſſe. quo tempore tamen Eccleſia non caruit notis ſuis, quibus inueniri & cognoſci, & ab alijs omnibus infidelium atque hæreticorum cœtibus dignoſci, potuerit.

Secundo, incertum eſt ac dubium, quodnam ſit verbum Dei, niſi doceatur, dijudicetur, ac definiatur ab Eccleſia. Conſtat enim, inter hæreticos, alios hunc librum admittere ac recipere pro verbo Dei, alios reijcere. Manichæi in nouo Teſtamento, Apoſtolorum ac Euangeliſtarum ſcripta tantùm recipiebant, vt nunc multi etiam Anabaptiſtæ. In veteri Teſtamento, Saducæi libros dumtaxat quinq; Moyſis admittebant, omnes omnium Prophetarum Scripturas ſpernentes. Lutherus Epiſtolam S. Iacobi vocat non Apoſtolicam ſed ſtramineam. idem (vt & Caluinus cum alijs multis) Apocalypſim B. Ioannis repudiat. Sic olim alij Euangelium S. Thomæ, alij Nicodemi, alij aliud, quod erroribus ſuis & ſomnijs magis fauere credebant, pro verbo Dei & ſacra Scriptura Eccleſiæ obtrudebant. Quomodo igitur in tanta incertitudine verbi Dei (ſi Eccleſiæ iudicium tollas) verbum Dei ſignum poſſit eſſe Eccleſiæ? Hinc certè S. Auguſtinus illam habet grauem veriſſimamque ſententiam: Ego Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoueret auctoritas.

Aug. contra Epiſtolam Manichæi.

Tertiò, vt conueniat inter omnes de numero librorum ſacræ Scripturæ, tamen ingens erit controuerſia & quæſtio infinita de ſenſu ſacræ Scripturæ: quemadmodum videmus, quanta ſit hodie concertatio ea de re, non modò Catholicorum cum hæreticis, ſed hæreticorum etiam inter ipſos.

Quartò, hanc notam veræ Eccleſiæ, nimirum verbum Dei, & ſanam puramque ſalutis doctrinam, omnes & ſinguli hæretici ad ſe trahunt, ſibique ſolis aſcribunt, ceteris omnibus adimunt. Omnes apud ſe ſolos eſſe clamant verbum Dei, verumque & ſanum ſenſum ſacræ Scripturæ, puram & ſalutarem doctrinam vitæ æternæ: nec magis ille hunc conuincere poteſt erroris aut falſitatis hac in re, quàm hic illum, dum in ſolo hæretur muto verbo Dei, & non eſt recurſus ad iudicium Eccleſiæ. Quonam pacto igitur, per Dei verbum, vera definietur vel cognoſcetur Eccleſia, & ab omnibus hæreticorum conuenticulis diſcernetur?

Caluinus eccleſias ſibi ſubiectas, ſuamq; doctrinam ſequẽtes, veras eſſe aſſerit eccleſias Chriſti; quia in ijs vera & pura traditur ſalutis doctrina per verbum Dei: atqui idem planè, eamdem ob cauſam, Anabaptiſtæ affirmant, de ijs qui cum ipſis ſentiunt; & Caluiniſtas omnes eodem argumento condemnant. Quo iudice igitur hæc lis terminabitur?

*Verùm, ſi hæc ita ſe habent, quid mouet ergo Nouatores omnes, vt Eccleſiam quæri & cognoſci velint per verbum Dei? vt nimirum ibi ſit Eccleſia vbi purum Dei verbum traditur & docetur? Maxima (vt antè cœpimus dicere) hoc fraude faciunt: vt videlicet numquam erroris alicuius, ſeparationis ab Eccleſia, ſeditionis aut rebellionis poſſint conuinci:

*QVID HAERETICOS MOVEAT, VT IN HANC OMNES VERBI DEI ET DOCTRINAE NOTAM CONSENTIANT, CVM OMNES INTER SE DISSENTIANT.

uinci: dum, quidquid illis dicitur aut proponitur, ſemper hoc retineant fundamentum, atque ad hanc ſe recipiant velut ſacram anchoram, certumque refugium, ſe verum ſequi verbum Dei; ac proinde non poſſe hæreſis alicuius ſchiſmatiſve redargui. Cùm etenim verbum Dei iudex ſit mutus, nec pro cuius ſtet parte declarare veleat, hîc ſe ſemper tutos exiſtimant, dum ſeſe adhærere clamant verbo Dei, nec poſſe ab illo quibuſuis perſuaſionibus dimoueri. Et cùm ab ijs quæritur, vnde illis tanta certitudo verbi Dei; cùm non modò Catholici etiam ſe Dei verbum ſequi dicant, ſed idem quoque de ſe clament omnes hæretici, quamlibet inter ſe in rebus maximis diſſidentes; nihil aliud adferunt, vt nec poſſunt afferre, quàm ſe ſatis certos eſſe in conſcientia ſua, per illuſtrationem Spiritus ſancti, ſe verbum Dei habere quod deſerere nequeant. Sic Caluinus hîc loquens de miniſterio ſuo; Vt à Chriſto, inquit, illud eſſe noui, ita ſanguine meo ſi opus ſit, vindicandum mihi eſt. Quod per vim & fraudes varias miniſterium occupauerat (vt antè oſtendimus) ſcire ſe dicit à Chriſto eſſe. At, quinam hoc ſcit? Per internam vtique aliquam reuelationem Spiritus ſancti vel ſuggeſtionem Angelicam.

VERBVM DEI, IVDEX MVTVS, ERGO INIDONEVS.

Quis fraudem hanc nefariam non percipiat? Quomodo enim non pari modo ſe excuſare queant latrones & malefici omnes in ſceleribus ſuis, ſi viam illam ingrederentur? Et, quid hoc aliud eſt, quàm quod Saluator noſter ait; Omnis qui male agit, odit lucem: & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Sed hac de re pòſt latiùs, ſub finem totius diſputationis huius. Sed quid eſt tamen? dicat aliquis: num igitur ſeparare vis ab Eccleſia verbum Dei ſinceramq; doctrinam ſalutis? Minimè omnium. Dicimus, verbum Dei, & diximus etiam breuiter antea, verumque eius ſenſum, ſanamque doctrinam ſemper eſſe in Eccleſia, & quidem in ſola Eccleſia: adeoque hoc Eccleſiæ Dei eſſe præclariſſimum ornamentum, & inſtrumentum in primis vtile & ſalutare, à Spiritu ſancto illi ex ſingulari gratia datum & prouiſum, ad ſalutem eius, & filiorum ipſius: quodque ſemper eſt præ oculis habendum in via ſalutis, tamquam lux animarum noſtrarum: & huc ſeruiunt teſtimonia illa omnia ſacrarum Scripturarum, veteris iuxtà nouique Teſtamenti, quæ magno numero congerit Caluinus aduerſus Sadoletum.

Ioan. 3.

ETSI VERBVM DEI VERVM, ET PVRA SALVTIS DOCTRINA, NON SIT NOTA ECCLESIAE, NON EST TAMEN VSQVAM NISI IN ECCLESIA.

Sed aliud eſt donum & ornamẽtum alicuius eſſe, aliud ſignum certum, & notam infallibilẽ, quò ab alijs rebus diſcernatur. Non ſtatim notæ ſunt Eccleſiæ, quæ inter bona eius, ſeu donaria, recenſentur. Eccleſia eſt Chriſtiana, eſt fidelis, eſt vnius Dei cultrix, eſt ſancta, eſt virgo caſta, eſt ſponſa Chriſti, eſt in ea remiſſio peccatorũ, Sanctorum communio, Spiritus ſanctus, & multa ſimilia: ſed per hæc tamẽ velut per certa ſigna noſci haud poteſt vel diſcerni ab alijs multis conuenticulis, quæ non minùs dicuntur à multis Eccleſię Dei: cùm hæc omnia illæ etiam omnes Eccleſiæ (quæ tamen nihil minùs ſunt quàm Eccleſiæ Dei) æquè ſibi tribuant. Quemadmodum in principis alicuius ciuitate vel regno, ſunt bonę leges, & inſtituta viuendi ciuibus vtiliſſima; ſed illæ non ſunt notæ, quibus ciues huiuſmodi ab alterius ditionis aut regni ciuibus diſtinguuntur: at verò, fides vel iuſiurãdum, quo regi vel principi ſuo ſubiectionem atque obedientiam perpetuam promiſerunt; hæc ſigna ſunt propria, quibus à cunctis alijs atque extraneis diſcernuntur. Sic planè inter Chriſtianos: vt qua multitudo, vel cœtus hominũ, ſe, vel partem Eccleſię, vel Eccleſiam ipſam, vel Chriſti regis populum regnumque probet; non ſatis eſt dicere, quòd veram Chriſti doctrinam ſequatur, legeſque obſeruet ab eo traditas; neceſſe eſt inſuper, vt hoc totum præſtet in vnitate atque obedientia Eccleſiæ Catholicæ, quæ ſemper ab omnibus pro vera Chriſti Eccleſia agnita habitaque fuerit. Proinde, quod citat Caluinus ex Chryſoſtomo, repudiandos eſſe omnes, qui ſub prætextu Spiritus, à ſimplicis Euangelij doctrina nos abducunt; agnoſcimus veram eſſe ſententiam & Chryſoſtomo dignam. Quemadmodum & illud Caluino haud ægrè concedimus, Spiritum eſſe promiſſum Eccleſiæ, non ad nouam doctrinam reuelandam, ſed ad imprimendam hominum animis Euangelij veritatem.

At, quid hoc aduerſus nos, vel Sadoletum? nam & falſum eſt, quod Sadoleto impingit, quòd Spiritum ſanctum ſeparauerit à verbo ſuo; & quod nobis tribuit, ſeu Doctoribus Catholicis, propterea nos faſtuoſè iactare Spiritum ſanctum, vt oppreſſo ſepultoque Dei verbo locum faciamus noſtris mendacijs. Et hac in re nos comparat (ſi Deo placet) Anabaptiſtis; qui cùm Eccleſiæ auctoritate, & verbi etiam Dei teſtimonijs in omni pænè abſurdiſſima doctrina ſua deſtituantur, omnia ſua referunt ad internam ſuggeſtionem Spiritus ſancti. Quo certè nihil eſt vanius, nihil eſt ineptius. Atqui, nemo illis hac in re ſimilior quàm Caluinus cum ſuis; qui cùm vrgentur à nobis, quî ſcire queant, ſe habere & ſequi verbum Dei (cùm toti repugnent Eccleſiæ, tum veteri, tum huius etiam temporis) reſpondent,

ſpondent, ſe habere in ſe teſtimonium Spiritus, qui conſcientias ipſorum de verbo Dei certas & ſecuras reddit. Sicam nunc audiuimus dicentem & affirmantem Caluinum, quod miniſterium ſuum in Eccleſia à Chriſto receperit. & in fine Epiſtolæ huius, in eumdem ſenſum clariùs & fuſius, Deum eſſe vnum, qui mentes noſtras ad perſpiciendã ſuam veritatem illuminet, qui Spiritu ſuo illam cordibus noſtris obſignet, qui certa eius teſtificatione conſcientias confirmet. Nec aliud ſibi vult, quod hoc loco dicit, Spiritum ſanctum Eccleſiæ prælucere, ad patefaciendam verbi intelligentiam. Quod verum eſt quidem, ſi de Eccleſia Catholica loqueretur: ſed mens eius eſt (ne veram Eccleſiam cogatur agnoſcere, ab illaque accipere, cum pijs & Catholicis omnibus, verbum Dei) ad ſecretam Spiritus reuelationem concurrere, quæ in ſua ipſorum eccleſia ſit, eoſque de verbi ſui veritate certos & ſecuros reddat. Nam, quod rurſus ait, verbum Dei eſſe velut Lydium lapidem, quo Eccleſia doctrinas omnes examinet, etiam hoc ei largimur: at ita vt non cuiuis eccleſiæ examen hoc permittatur; ſed illi, quæ ſemper, vbique, & ab omnibus, pro vera Dei Eccleſia habita fuit; præterea, vt examen hoc fiat non ſolùm per verbum Dei ſcriptum, ſed etiam per traditiones Eccleſiaſticas, à maioribus ſemper velut per manus acceptas, etſi expreſſis verbis non reperiantur in ſacris Litteris. De quo plura poſtmodum ſuis locis.

Capvt x.

Definitio Eccleſiæ ſecundùm Caluinum improbatur, prolatâ Eccleſiæ definitione ſecundùm Catholicos.

Svbivngit deinde Caluinus definitionem Eccleſiæ, Sadoleti (vt ait) definitione veriorem: dicitque, ſocietatem eſſe Sanctorum omnium, quæ per totum orbem diffuſa, per omnes ætates diſperſa, vna tamen Chriſti doctrina & vno ſpiritu colligata, vnitatem fidei & fraternam concordiam colit. ECCLESIAE DEFINITIO SECVNDVM CALVINVM.

In hac definitione, non hic reprehendam quòd Eccleſiam dicit eſſe ſocietatem Sanctorum, quaſi nimirum ſoli in Eccleſia Sancti ſint, vt volunt Anabaptiſtæ: cui ſimile eſt, quòd alij hæretici in Eccleſia ſolos ponunt prædeſtinatos ad vitam æternam. Sed Caluinus potius hic Sanctorum nomine intelligit generaliter fideles, in Chriſtũ credentes; quos Paulus Apoſtolus, & alij paſſim, in Epiſtolis ſuis, ſanctos appellant. idque bona ac iuſta ratione, quę hîc nobis nõ eſt excutienda. Proinde nec illud, nec aliud etiã quidquam in definitione Caluini carpere aut exagitare lubet. Totam hanc definitionem, omneſque eius partes admittimus. Sed dicimus, talem eſſe hanc definitionem Eccleſiæ, vt illam ſibi omnis generis hæretici aſſcribere valeant. Aſſcribere dico, eodem ſcilicet iure eademque ratione, qua ſibi ſuiſque illam Caluinus attribuit. Nulla enim iam eſt vſpiam nec fuit vmquam fere hæreticorum ſecta vel colluuies, quæ non affirmet & ſuſtineat, ſe ſocietatem eſſe Sanctorum, vna cum doctrina vnoq; ſpiritu colligatam, quæ vnitatem fidei & fraternam charitatem colat. Hanc & huiuſmodi Eccleſiam omnes agnoſcunt; & cum Caluino dicunt, quod eam reuerentur matris loco, ſeſeque cupere modis omnibus in eius ſinu permanere. Adeò nihil iuuat Caluinum in definitione ſua mentio expreſſa verbi vel doctrinæ Chriſti, quam ab Sadoleto prætermiſſam tantopere queritur.

Sed perperàm & malitioſe, adeoque contra ſuam ipſius (auſim dicere) conſcientiam facit, quod de ſua etiam ſecta dicere audet, toto eſſe terrarum orbe diffuſam, & per omnes ætates diſperſam. Quod tamen ceteri etiam omnes hæretici de ſua quiſque ſecta pariformiter aſſerunt. Eodem iure ſcilicet (vt ſtatim diximus) quo Caluinus; id eſt, nullo.

Siquis autem veram & propriam Eccleſiæ definitionem requirat, qua ab omnibus hæreticorum & infidelium quorumuis cœtibus & cõuenticulis diſcernatur, poſſet is ad hunc vel ſimilem modum Eccleſiam definire: Eccleſia, est Fidelivm societas, continva svccessione ab Apostolis descendens, toto terrarvm orbe et per omnes ab initio ætates diffvsa, Christi Salvatoris sanctam doctrinam seqvens, qvæ svb vno semper, svmmoqve post Christvm capite et pastore, in terra gvbernatvr. ECCLESIAE DEFINITIO SECVNDVM CATHOLICOS.

In hac deſcriptione ſunt omnes Eccleſiæ propriæ & præcipuæ notæ, quas nulli alij hominum cœtus, vllo veritatis colore, quidquid garriant in contrariũ, ſibi poſſunt aſſcribere. Et hinc patet, longè eſſe veriſſimum, quod Sadoletus ait; Quæcumque ab annis

V mille

mille quingentis aut ampliùs conſtanti fidelium ſenſu ſunt comprobata, ea Caluini ac ſuorum importunitate conuelli & abrogari. Hoc quidem Caluinus ferre non poteſt; aitque Sadoletum, hoc ſcribendo, callide vafreque veritatem diſſimulare: ſed ipſe potiùs, aut loquitur manifeſtè contra conſcientiam hoc negando, vel certè declarat ſe conſcientiam gerere cauteriatam, vt Apoſtolus ait, tenebriſque ſuffuſam pluſquam Cimmerijs: vt dicere audeat, ſibi non modò longè meliorem cum antiquitate conſenſionem eſſe, quam nobis; verùm etiam nihil ſe aliud conari, quàm vt inſtauretur aliquando vetuſta Eccleſiæ facies: quam dicit primùm ab indoctis & non optimis defædatam, deinde à Pontificibus Romanis, illiſque adhærentibus, laceratam ac propè deletam. Quò pertinet etiam quod paulò pòſt ait confidenter: In doctrina non dubitamus ad veterem Eccleſiam prouocare. id quod frequenter etiam tota Epiſtola repetit, alijs atque alijs verbis.

CAPVT XI.

Quo tempore dicant hæretici Eccleſiam declinare atque errare cœpiſſe.

ATQVE ita hic rurſus attingitur præcipuum quoddam diſputationis caput, & controuerſiæ maximæ inter nos interque hæreticos omnes huius temporis: vtra nimirum pars cum veteri Eccleſia (quam pars vtraque venerari ſe profitetur) conſentiat in doctrina Chriſtiana, vtra minimè. Nam hoc omnes pænè vtriuſque partis profitentur, veterem Eccleſiam, ante mille præſertim annos, doctrinæ veritatem habuiſſe, à Spiritu ſancto edoctam & gubernatam fuiſſe. Etſi inter ſectarios noſtros non conueniat, quo tempore cœptum ſit à pura doctrina & veritate diſcedi. Lutherus enim (qui primus omnium huius ab Eccleſia nefarij diſceſſus ac peſtiferæ nouitatis auctor fuit) aſſerebat initio in comitijs VVormatienſibus ſub annum 1522. Eccleſiam in doctrina labi cœpiſſe in concilio generali Conſtantienſi, quod ferè centum annos Lutheri ætatem præceſſit: in quo etiam concilio damnatus fuit Ioannes Hus, à quo Lutherus omnem pænè doctrinam ſuam deſumpſit. Alij poſt Lutherum, Eccleſiæ errantis ac degenerantis initium, iam inde ab annis plus minùs trecentis poſuêre: poſtquam videlicet Doctores ſcholaſtici florere cœperunt, atque in pretio eſſe; per quos nouatores iſti doctrinam veritatis valde corruptam eſſe aſſerunt: qua de re ſuo loco fuſiùs agendú erit. Imò Lutherus ipſe poſtmodum, meliùs (vt ſibi videbatur) re tota perſpecta, totos pænè ſexcentos annos poſteriores Eccleſiæ declinantis numerauit; vt nimirum poſt annum milleſimum erroribus in doctrina, & alias, commaculari cœperit. Pro qua etiam ſententia afferebant illud Apocalypſis, ligandum Satanam per annos mille, vt non ſeducat ampliùs gentes; deinde rurſus ſoluendum: & ſic ferè edocti erant ab Ioanne VViclef, vt Thomas VValdenſis teſtatur. Sed alij, eo etiam non contenti longiùs progreſſi ſunt, nempe ad annum vſque à Chriſto ſexcenteſimum, quod erat ſæculum ferè Gregorij Papæ primi: atque ita primum Antichriſtum (vt loquuntur) faciunt, Bonifacium ſecundum, qui Gregorio ſtatim in Romana Sede ſucceſſit. Vnde Melanchthon in Oratione quadá Gregorium vocat Eccleſiæ vltimum præſulem. Quemadmodum & Caluinus in Inſtitutione ſua, de illo ait iure dici poſſe, vltimum fuiſſe Romanum Epiſcopum. Quaſi nimirum, quotquot illum ſecuti ſunt, non veri fuerint, ſed falſi aut perſonati Pontifices, adeoque vt alibi ſæpè dicere non vereatur, Antichriſti. Qui & aliàs de hoc ſancto Pontifice non erubeſcit affirmare, quòd in materia de Purgatorio, de ſacrificio Miſſæ, de Imaginibus, & alijs multis, eruditus non fuerit in ſchola Spiritus ſancti. Taceo alia etiam multò atrociora, quæ Bulingerus & alij eiuſdem monetæ, tam pio tamque erudito viro palàm impingunt; adimunt illi doctrinam veram, & defæcatam pietatem: tribuunt ſuperſtitionem, iudicium obtuſum, & multa ſimilia. Egregij ſcilicet Ariſtarchi & cenſores ſeruorum Dei, tantorumque Eccleſiæ Magiſtrorum atque Paſtorum.

Thom. 1. doctrin. cap. 18.

CAPVT XII.

Quo tempore Caluinus fateatur veram fuiſſe Eccleſiam, quæ in recta fide ac pietate floruerit.

SED, [illegible] Caluinus hic de contaminata ac deprauata Eccleſia ſentiat, & quo tempore [illegible] incorruptam Eccleſiam ſtatuat, quam ſequi in [illegible] colere ac venerari oporteat, & cui ipſe quoque paratus ſit honorem deferre [illegible].

[illegible] ob oculos [illegible] veram [illegible] Eccleſiæ faciem, qualem Chryſoſtomi [illegible] Baſilij ætate apud Græcos Cypriani, Ambroſij, Auguſtini ſæculo, apud Latinos [illegible] ipſorum [illegible] fidem faciunt. Poſtea, ruinas quæ apud vos ex illa ſuperſunt, [illegible]plare.

Hic ergo tandem [illegible] quando Caluinus palàm dicere ac declarare videtur, vbi & quando [illegible] Eccleſia, [illegible] agnoſcat, quicum in doctrina communicare eiuſque man[illegible] Chriſti mandata, & Spiritus ſanctus. Illam enim ac talem Eccleſiam fatetur [illegible] temporibus Chryſoſtomi, Baſilij, Cypriani, Ambroſij, Auguſtini. Hoc nos [illegible] libenter admodum agnoſcimus & confitemur. veram nimirum [illegible] Eccleſiam [illegible]; de qua rectè dici poſſit, quòd columna fuerit & firmamentum ve[illegible] quiſque illam non audiat, habendum pro ethnico & publicano. Sed, quod Caluino haudquaquam concedimus, poſt illam ætatem florentiſſimam, paulo[illegible] Eccleſiam [illegible] vera Chriſti doctrina deſciuiſſe in multoſque incidiſſe graues & fœdos errores. Dicimus ex aduerſo, & [illegible] nemus, nullo vnquam ſæculo errores in Eccleſia fuiſſe quos Eccleſia ipſa probauerit. Nec loquimur hic de eccleſia aliqua occulta, [illegible] Caluinus [illegible] ſectarum, fidem ſemper rectam, ſanamque doctrinam, & [illegible] quam [illegible], in neſcio qua eccleſia fuiſſe incognita atque occulta: ſed de illa agimus ac tali Eccleſia, quam boni omnes & Catholici palàm ac publice a[illegible]unt & venerati ſunt pro vera Chriſti Eccleſia. Adeò quidem, vt tempore etiam Arianorum, quando maxime omnium Eccleſia toto orbe terrarum in ſana doctrina pe[illegible]debatur, ac ſtudio ingenti corruptorum Imperatorum principumque aliorum, hæreſis vbique præualere, non fuerit tamen obſcurum, ver[illegible] intueri volentibus, vbi & apud quos vera eſſet Eccleſia, veraque & ſalutaris doctrina. Sed hac de re latius poſtea.

Nunc videamus, qualis fuerit doctrina Eccleſiæ vbique locorum, tempore Ambroſij & Auguſtini, Chryſoſtomi & Baſilij, quo tempore fatetur hic Caluinus veram fuiſſe Eccleſiam. Sed, vt citò ac breuiter Lectori veritatem aperiam, nihil aliud Caluinus hoc dicendo quàm fallere ſtudet imperitos ac ſimplices; verumque agit impoſtorem, & lo[illegible]riam conſ[illegible]. Nam dicere, nunquam fuiſſe in terris poſt Apoſtolos veram Chriſti Eccleſiam, ſanamque ſalutis doctrinam (quæ duo ſemper coniuncta eſſe [illegible] donec Caluinus, aut Lutherus eius præceptor [illegible] eſt d[illegible]e, nouamque Eccleſiam inſtituere [illegible] Caluinus, hoc [illegible]que proiectæ eſſe impudentiæ: quam nemo [illegible] ferre poſſet. Itaque [illegible] Eccleſiam ſuam, non eſſe primam in terris Eccleſiam poſt Apoſtolos, ſed cum alia priorum temporum communionem habere, ne videretur nouitatis appellatione [illegible] (præſertim in materia odioſam) admittere [illegible]que [illegible] tribuere coger[illegible].

Vidit & illud aſtutus homo, atque in hiſtorijs priorum temporum [illegible] la [illegible] poſt Apoſtolos in qua dici queat, fides, religio, ac pietas Chri[illegible] ne[illegible] laudem illam ac gloriam præ alijs ſæculis, ac temporibus [illegible] tribuere [illegible] Doctorum illorum, Ambroſij, Auguſtini, Chryſoſtomi & B[illegible] C[illegible] vt [illegible] nomen & laudem daret veræ ac incorruptæ d[illegible], ſanctæ & [illegible] ac [illegible] Chriſti. Sed ita hoc facit, homo non minoris au[illegible] ac [illegible] quam aſtutiæ, quaſi nullus vnquam futurus eſſet, qui dolum eius ac fraudem po[illegible] agnoſc[illegible] vel [illegible]. Nam [illegible] nouit Caluinum, etiam vel mediocriter verſatus [illegible] eius, [illegible] non [illegible], q[illegible] a[illegible] pæne omnes libri eius multò aliter ſonent, atque hic loquitur de Eccleſia.

Ac reuera, ſi hæc eſſet mens Caluini, quam hic palam [illegible]te v[illegible]r, recipere videlicet ac ſequi doctrinam ſalutis & cultus Dei, quam præ[illegible]os P[illegible] os qui c[illegible] illis vixerunt amplexos & ſecutos con[illegible]t, o[illegible] Labo[illegible] & [illegible]bus ſui[illegible] pons tradidiſſe & inculcaſſe, atque ad poſt[illegible]s tra[illegible]ſmiſiſſe; i[illegible]am[illegible]e eſſe [illegible] ſinceram, adeoque vnicam, & ſolam veræ ac ſempiternæ ſalutis do[illegible]na[illegible] e[illegible] doctrinam [illegible]ic aduerſam omni odio atque exe[illegible]one d[illegible] eſſe, [illegible] pernicioſam, exi[illegible]alem, pe[illegible]ram, ac mo[illegible]am; a[illegible]m eſſet de Calu[illegible]o deq[illegible] ni eccleſia & doctrina ipſius, eiuſque ſimilium. No[illegible] non aliud poſtulam[illegible] à Ca[illegible] cum [illegible]us, quàm vt in antedictorum Patrum clara, perſpic[illegible]a, c[illegible], & perpetua [illegible] [illegible]quieſcat: quemadmod[illegible] nos Ca[illegible]holici dicim[illegible]s & affirmam[illegible]s, proteſta[illegible] priuatim & publice, quòd non aliam ampl[illegible] vel r[illegible]tinere, tradere vel retine[illegible] [illegible]ponere volumus fidem vel doctrinam, quam quæ illorum Eccleſiæ R[illegible]ctor[illegible] & [illegible] [illegible]n c[illegible]ta & conſta[illegible]s fuiſſe con[illegible]ci poteſt liquidiſſimis documen[illegible]is & ſolid[illegible]ſimis t[illegible] monijs. Et hoc Caluinum minimè latet, q[illegible] f[illegible]t & qual[illegible]s fuer[illegible] ſæcul[illegible] [illegible]us doctrina, de cunctis propè articulis fidei, de quibus hodie tantopere dece[illegible]tur.

Capvt XIII.

Omnem pænè doctrinam, etiam primi i[illegible]ius temporis Eccleſiæ reijcit Caluinus vt ceteri Nouatores.

VNde & ſciens, ſe mox planè victum iri, ſi doctrina ip[illegible] ad horum Patrum i[illegible]ſque ætatis doctrinam examinetur, & cu[illegible] i[illegible]a confer[illegible]r, [illegible] p[illegible]ne om[illegible]us ſcriptis ſuis dicit apertè, ac nihil diſſimulat, ſe ſe hanc eti[illegible]m [illegible]ccleſiam, [illegible]ue Lectores & Paſtores nihil morari: quum illi quoque ipſi frequenter C[illegible]luino lapſi fuerint, ioqu[illegible] in rebus maximi momenti ad ſalutem æternam. Quod etſi multis forte mirum ad[illegible]dum videatur, tamen ea in re Caluinus mihi multo verius & c[illegible]ndidius loqui videtur ſecundum mentem & doctrinam ſuam, quàm dum ait hoc loco, ſe [illegible]ccleſiam, quæ erat Ambroſij & Auguſtini tempore, pro Eccleſia Chriſti agnoſcere, colere & venerari vt oportet. In eo Caluinus ſe maximè mendacem improbumque declarat; nam, ſi vere illius Eccleſiam temporis doctrinamque eius reciperet, non tam mani[illegible]ſtè illi ſecun[illegible]is ferè in rebus opponeret. Eſt enim omnis illius doctrina tam illius ſæculi atque ætatis doctrinæ contraria, quàm vel præſentis ſæculi vel alterius. Quod, quia aliàs ([illegible]um ab eruditis vrgetur) negare non poteſt; vt ſuas opiniones mordic[illegible]s hæreticorum o[illegible] more tueatur, illius etiam temporis atque Eccleſiæ doctrinam manifeſtè re[illegible]e mauult, quàm ſuam recantare vel damnare. Nec pudet huiuſmodi homines, tam contraria inter ſe aduerſaque velut fronte pugnantia ſcribere; nunc admittere quippiam nunc [illegible] idem reijcere ac negare. Putare videntur, lectores ſimplices talem in ſcriptis ſuis repugnantiam tamque apertam antilogiam haud eſſe animaduerſuros. Qu[illegible] qui interdum animaduertant; tunc multa inuoluunt ac prætexunt, tenebras aut nebul[illegible]ndendo oculis imperitorum, quorum maxima ſemper multitudo, ne v[illegible] [illegible] q[illegible]. Ceteros autem qui perſpicaciores ac doctiores ſunt in Eccleſia, [illegible]aud[illegible] [illegible]oru[illegible] & nequitias facile deprehendunt; præ ingenti cordis ſuperbia, nihil morantu[illegible] [illegible] diu[illegible]t.

* QVAM CONCINNE SCILICET CALVINVS CVM PRIMORVM PATRVM DOCTRINA (VT IACTAT) CONSENTIAT

* Sed, videamus tandem & probemus, quàm vanum ſit quod [illegible] C[illegible] de [illegible]cleſia tempore Ambroſij & Auguſtini, quòd illam ſcilicet vene[illegible], [illegible]e Doct[illegible]rum & Rectorum il[illegible]ius temporis doctrinam ſit paratus ample[illegible].

* IN DOCTRINA DE VIRGINITATE.

* In quæſtione perpetuæ virginitatis & caſtitatis; ſitne res Deo accepta & ca[illegible]o c[illegible]gio præferenda; dicit audacter non vulgares tantu[illegible] ſed pri[illegible] Eccl[illegible]æ Doct[illegible]mia virginitatis laude falſos fuiſſe: omnéſque humanæ infirmitat[illegible] obl[illegible] ne[illegible] Apoſtoli, Si non ſe contineant, nubant. Diuum autem Hieronymum, ne[illegible] zelo ait excæcatum, non modò lapſum in falſas opiniones ſed præcip[illegible]tant[illegible] [illegible]epte ſolum luſiſſe in hac materia, ſed impie [illegible]larum fu[illegible] Sic [illegible] prioris ad Corinth. & in Inſtitutione ſua. Videte præfract[illegible] præ[illegible]ption[illegible] in San[illegible]os blaſphemiam.

DE PVRGATORIO

In doctrina de Purgatorio. Cùm mi[illegible], [illegible], obiici[illegible]nt [illegible]duerſ[illegible] [illegible] m[illegible] & [illegible]centos annos (illo nimirum velut aureo ſæculo, cui hic, aduerſus S[illegible]

l[illegible]

[illegible] tæ ſi[illegible]æque doctrinæ [illegible] & gloriam tribuit: hoc in vſu fuiſſe [illegible]eo, veteres illos [illegible]re, & [illegible] Dei, & legitimo exemplo deſtitutos [illegible] ab[illegible]os denique in errorem [illegible] dum nimium pu[illegible] errori & vulgi imperitiæ de[illegible] Si[illegible] [illegible].3. [illegible].cap.5.§.[illegible] Qui ferat excæcati rabulæ ma[illegible]entiam?

De Pœnitentia & Satisfactione [illegible] Parum [illegible] me mouent, quæ in veterum ſcriptis de S[illegible] fa[illegible] [illegible]ſunt. Video enim [illegible] eorum nonnullos, dicam ſimpliciter, omnes fere, quo[illegible] b[illegible] ex[illegible] t aut hac [illegible] e[illegible] plos e[illegible], a[illegible]is aſpere ac durè locutos. H[illegible] perb[illegible]s doctiſſimos ſa[illegible]ſſimosque Patres [illegible] contemnit. DE POENITENTIA.

I[illegible]one d[illegible] arb[illegible], omnes [illegible] ſcriptores [illegible]ſiaſticos, vno excepto Auguſtino, ita [illegible] locutos eſſe, vt nihil [illegible] haberi queat. Et al[illegible] de vetuſtiſſimis Patribus [illegible] Origene, Tertulliano, B[illegible]ſilio, Chryſoſtomo, [illegible] arbitrio frigidam ac deformatam Theologiam tradidiſſe, magiſque ea [illegible], quæ ex vero [illegible], [illegible] to tractaſſe. Sic Moinus i[illegible]ſupercili[illegible]. DE LIBERO ARBITRIO.

R[illegible] ſacræ Euchariſtiæ, cum apud vetuſtiſſimos Patres [illegible]u fuiſſe, negare non poſſet; H[illegible]bent, [illegible] ve[illegible] Ec[illegible] ex[illegible], fateor: ſed [illegible] nihil tutius quàm ipſam veritatem ſequi. Quam [illegible] Ec[illegible]on ſequatur veritatem, & quidem ipſa ſola. DE EUCHARISTIA RESERVATIONE

Quid de ſacrificio Miſſæ? A[illegible] retere P[illegible]s [illegible] potius Iudai[illegible]ficandi mod[illegible], quàm q[illegible]d [illegible]us ord[illegible], [illegible] ratio ferebat. Videte, vt ſe iudicem vniuerſorum arroganter conſtituat. DE MISSAE SACRIFICIO

Ita [illegible] C[illegible] p[illegible], q[illegible] a Catholicis ſ[illegible]us veteris Eccleſiæ doctrina & ſanctorum [illegible] te[illegible] premit[illegible] N[illegible] ſec[illegible] a[illegible] Nouatores

Sed agedum, quod ſi hæc ita [illegible] habeant, ſi Eccleſia [illegible]la tempore Auguſtini quam ſæculorum om[illegible] p[illegible] Apoſtolorum ætatem [illegible] atque [illegible] cenſent, ita inquam ipſa [illegible] E[illegible]leſia, [illegible] momen[illegible] doctrinæ Euangelicæ tam turpiter lapſa e[illegible]: hoc eſt, ſi omnis Chriſti Eccleſia ſemper no[illegible] & cum omnibus [illegible] hol[illegible] ſe[illegible] docuit, omne ve[illegible] eſt quod [illegible] Noua[illegible] ea [illegible] abducere velle populum C[illegible]num, quem ſemper obſeruauit Eccleſia D[illegible], pro[illegible]nde multò etiam falſiſſimum eſſe quod Caluinus [illegible] ait; nunc quidem longe ipſi meliorem cum vetuſtate conſenſionem eſſe quàm nobis, nunc vero [illegible] al[illegible] c[illegible]ri quàm vt vetuſta Eccleſiæ facies ab vltimis vt volunt [illegible] defædata reſtauretur; nunc ad regnum Eccleſiæ Romanæ ſeu Catholicæ expugnandum, conterendum, diſperdendum, non modò diuini verbi virtute, ſed ſanctorum etiam Patrum præſidio ſe armatum eſſe, nunc quoque ab ipſis ſtare veterem Eccl[illegible]iam, & nos [illegible] potiùs quàm illoſipſos aduerſari?

CAPVT XIIII.

Non Patres [illegible] E[illegible]ſiæ, ſed hæreſiarchas antiquos eſſe n[illegible]rum [illegible] pa[illegible] ac [illegible]ſtros.

QVID autem [illegible] N[illegible] Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Cl[illegible] & [illegible]ſt[illegible] [illegible] plus [illegible] virginitatem lauda[illegible], [illegible] matrimonio præt[illegible] [illegible]dum [illegible]tur & ſequendum [illegible] in [illegible] Patres, & [illegible] es pri[illegible] defen[illegible] ex[illegible]m m[illegible]ſt.

[illegible]ſtinus, Epiphanius, Chryſoſtomus, & a[illegible] omni[illegible] vt Caluinus n[illegible] & o[illegible] fi[illegible]bus [illegible] d[illegible] exc[illegible]s; A[illegible]nus igitur qui contrarium do[illegible] & propterea A[illegible] velut h[illegible] a tota E[illegible] & damnatu[illegible] & [illegible] E[illegible] c[illegible], A[illegible] his [illegible] Caluino & cum ceteris no[illegible] pe[illegible]s [illegible] A[illegible]nus, ideo[illegible]e etiam ma[illegible] hæreſis ab Eccleſia d[illegible]tus fuit, vt [illegible] Patres teſtantur.

Si Hieronymi, A[illegible] Chryſoſtomi Patri, ac [illegible] & falſa doctrina de [illegible] quo[illegible] nor[illegible]is [illegible] Reliquijs; recte igitur contrarium d[illegible] Vigilantius [illegible] men pr[illegible] huiuſmodi doctrinam à tota Eccleſia, & q[illegible] e [illegible] dat Caluinus, [illegible] ſ[illegible] inter hæretic[illegible]

Denique ſi Origenes, Tertullianus, Baſilius, Chryſoſtomus [illegible], qui [illegible] ho[illegible] defe[illegible] laude [illegible] or[illegible] & [illegible] les [illegible] præ[illegible] Patres ad eum modum de libero [illegible] diſputarunt.

Quæ [illegible] Caluini & [illegible] noſtri tempori [illegible] ſe[illegible] vel n[illegible] Augu[illegible] A[illegible] nimum B[illegible]um, Chryſoſtomum, E[illegible] Lat[illegible] qu[illegible] fuiſſe velint, nec [illegible] nſeant e[illegible] inter veros [illegible], laude ac honor[illegible] Doctores & [illegible] ſ[illegible] E[illegible], A[illegible] V[illegible]dan[illegible] vt nihil hic [illegible] de [illegible] de A[illegible] de VVicleffis [illegible] & [illegible] qui veri ſunt Patres Caluini & ſuorum, quos etiam palam pro ſanctis cælestibus pr[illegible] doctrinam illorum, [illegible] Eccleſia [illegible] vene[illegible] vſque [illegible] diſputatione peruenimus vt nihil [illegible] nope[illegible] e[illegible], x[illegible] cipuis capitibus quæ hodie in controuerſia & certamine [illegible] poſita inter nos [illegible] ſtantes qu[illegible] po[illegible] poſt [illegible] de[illegible] tione inter [illegible] ato[illegible] & [illegible] endimus, [illegible] num, omnisque generis & ſectæ hæreticos noſtri temporis, [illegible] quidem et [illegible] Eccleſia [illegible], [illegible] ipſe quoque fatetur veram atque [illegible] fuiſſe Ec[illegible] Chriſti, [illegible] poſt C[illegible] Eccleſia [illegible] Q[illegible] doctrina [illegible] multis in re[illegible] que ac talibus, quæ maxime ſpectant ad cultum Dei, & ad [illegible] animarum, [illegible] Eccleſiæ doctrina ita ex diametro pugnat vt nunc clariſſim[illegible] cum[illegible] ſ, [illegible] Caluini [illegible] ipſo[illegible] deſum[illegible] ſtat [illegible] & quotquot eius doctrinam ſequuntur, lo[illegible] extra Eccleſiam eſſe, [illegible]; Ec[illegible] communi voce damnatum.

Capvt XV.

Tria, quibus etiam Caluini iudicio conſtat Eccleſiam [illegible]

QVOD igitur [illegible] diſputatione & cog[illegible] Caluini [illegible] it[illegible] vt [illegible] qua[illegible] fini[illegible] quæ at eſſe diſſerendi. Sed [illegible] de [illegible] eps [illegible] ad [illegible] em explicationem eorum quæ iam diximus, quam ad magi[illegible] al qu[illegible] ua[illegible]

Videamus igitur quid [illegible] Caluinus [illegible] Sadoletum Epiſtola [illegible] D[illegible], [illegible] integritatem vel [illegible] quatuor primarijs re[illegible] ru[illegible] & [illegible] C[illegible] partes [illegible] quarto [illegible] nſeam [illegible]

Donemus [illegible] Ca[illegible] tem atque in[illegible] lumitatem Eccleſiæ adeo [illegible] nu[illegible] o[illegible] s perf[illegible] veritatem [illegible] fin[illegible] ſe, ſed hoſtiliter etiam arcen[illegible] At, [illegible] pe[illegible] [illegible] nijs, & [illegible] numerauimu[illegible] partes [illegible] E[illegible] ve[illegible] c[illegible] v[illegible] di[illegible]

DE DISCIPLINA ECCLESIÆ DISCIPLINA. [illegible] ad [illegible] tem [illegible] c[illegible] vt [illegible] [illegible] & [illegible] a c[illegible]

[illegible] re veſtigia [illegible] o[illegible] ta [illegible] o [illegible]; [illegible] omnes ped[illegible] pet- [illegible] H[illegible] ve[illegible] & ration[e]m [q]uamobrem ſ[e]mper clamarunt [illegible], ſe [illegible] Catholicæ [c]ommunione [illegible] d [illegible] vi[t]ijs & vitæ in[illegible]que [illegible]

T[illegible] d at [illegible] m [illegible]ſum cum ſuis mou[i]ſſe vt [illegible] ne[illegible] a [illegible] eti conu[i]ctus f[u]erat, etſi [illegible] R[illegible] [pr]ofeſſio[n]i & doctrinæ minùs fortè reſpo[illegible] [illegible]m vel ſocietatem illorum de- [illegible] c [illegible] [cathe]dra M[oyſis] ſedent, quæ di- [illegible] A[illegible] d[e] R[illegible] s Pon[t]ifice[s] [l]ugens. In illis, inquit, Epiſt. 165. [illegible] Anaſtaſium, qui nunc eandem cathedram [illegible] po[illegible] [illegible] p[r]æiud[i]ca- [illegible] E[illegible] Dom[in]us ait, de propoſitis m[al]is [illegible] po[illegible] dicunt enim & non faciunt. Vt [illegible], numquam tem- pe[illegible] [illegible] me.

[illegible] id[illegible] & [illegible] alijs [illegible] graui[illegible] à [illegible] [f]acere N[illegible] [illegible] ſepulcrum Dei verbum, vi[illegible] C[illegible] paſtor[illegible] [v]niuerſum. Ita iſte. Et v[idea]- tur hæc pro[illegible] g[illegible] a & ſocietate recedendi, in qua re- gnan[illegible]. A[illegible] m[illegible] eiuſdem verbis alio lo- co [illegible] m [illegible] ad ſeparationem ab Eccleſia facien- dam. A[illegible] cit [illegible] Prophe[t]as [illegible] [i]oſque iu- ſtos, & [illegible] tre[illegible] s [illegible] regni Iudæ ſub diuerſ[is] impijs regi- bus do[c]trina v[illegible] valde c[orrup]ta [illegible] que D[e]i vatij[s] ſuperſtitionibus vi[tiatu]s, ideirco tame[n] [illegible] coe[illegible] co [illegible] deſerebant; nec erigendam [illegible] [Eccl]eſiam, altare aduerſus altare.

In raiſ. cap. ſuæ 18. lib. 4

Sed quæſti[onem] i[ſ]tam non [illegible] mittam [illegible] donec alia occurret oc[caſi]o [illegible] reſumendi, & de vi[illegible], quæ [illegible] & mores concernunt [illegible]

Capvt xvi.

Vitia Præpoſitorum Eccleſiæ numquam eidem Eccleſiæ placue- runt, ſed ſemper damnauit: neque propter illa, ab Eccleſia eſt diſcedendum.

Recte [illegible] Sa[illegible] m [illegible] hominum [illegible] Eccle[ſia] [illegible] m [illegible] pore [illegible] hu[iuſ]modi [illegible] od vtinam non & [illegible], & eun[illegible] [illegible] ſt[illegible] ac[illegible] is [illegible] uere poſſ[illegible]. S[e]d [illegible] i[n] ma[illegible] re[illegible]. Numquã eum Eccleſia lau[illegible] a [illegible] d[illegible] t [illegible] contrà potius ſemper [illegible], ſemper d[illegible] & [illegible] orauit. Docent hæc tot in Ec- cleſia Cat[holica] [illegible] c[illegible], in quibus [illegible] in [illegible]orum [illegible] & [vi]tæ clericalis [illegible] te, ſeu [illegible]. Doc[illegible] [illegible] æ [illegible] Pon[illegible] R[o]manorum ac [illegible] Præſulum [illegible] [illegible] Iuris canonici. Denique, documento [illegible] [illegible] T[ride]ntinum [illegible] bo[illegible] Seſſionibus, pe[illegible] probitate [illegible] o[illegible] ſexus [illegible] ac ſanctiſ- [illegible] tem cernere & conſiteri volentibus, multam ia- gnan[illegible] nda[illegible] m vbique [illegible] rum in Eccl[eſia] poſt illud Concilium, & [illegible] d[illegible] a, conſ[illegible]

[illegible] multumq[u]e ſemper deſi[d]erari in vita [illegible] m [illegible] honeſtate [illegible] re[l]ucere debe[illegible] vn[illegible] & ſal terræ appe[lla]ntu[r] [illegible] ur, ſimulque deplorare. Nec mi[illegible] ta- men

men interim dicimus & docemus, doctrinam ill[illegible] Eccleſiaſticam tradunt, [illegible] a pe[illegible]andam, neq[illegible] Catholicæ communione delet[illegible]m [illegible] vitæ [illegible]orum & [illegible] vt Sadoletus admonuit, doctrinam vero ſe[illegible]endam ac [illegible] præſtandam obe[illegible]ientiam ac teue[illegible]m [illegible] E[illegible] c[illegible] membra languere vt officium ſuum minime exequantur, [illegible] corporis: imo quamuis totum corpus ægrotet, cunctaque mem[illegible] ideò deſinit corpus eſſe corpus hu[illegible]an[illegible] [illegible] aut e[illegible] mam [illegible]uam redditur quidem pa[illegible]s, d[illegible]s, [illegible]s, m[illegible] priùs: ſed idem tamen, quod erat ante, corpus manet. Ne quiſpiam [illegible] ſuum vel alterius, quia ſic affectum [illegible], oc[illegible] p[illegible]itus, a[illegible] e medio a[illegible] membra [illegible]orum ſocietatem reſu[illegible] ſemel[illegible] præſcind[illegible]a, ſed [illegible] uent potius omni ſtudio, vt vires, pulchritudinem, ſanitatem recuper[illegible]

ECCLESIAM NON ESSE DESERENDAM PROPTER QVORVMDAM CORRVPTELAS.

de Eccleſia Dei, ſic cum illa agendum: corpus eſt myſticum, quod [illegible] bet membra ægra, languent[illegible], male affecta, quæ [illegible]m ſ[illegible]o[illegible] oportet, ſed propterea nec membra illa de[illegible] eſſe a[illegible], [illegible] ſtituta in Eccleſia Dei, nec priſtinam perdunt auctoritatem ſuam. Nec p[illegible] male [illegible] huiuſmodi membra, corpus Eccleſiæ ab al[illegible] membris deſere[illegible] pe[illegible] dum. ſed danda potius opera, vt ſanetur & [illegible], me[illegible]aq[illegible] morbida, [illegible] officium ſuum, tamquam ad veram ac ne[illegible]riam ſanitatem re[illegible].

Hoc ſibi volunt etiam parabolæ illæ Euangelicæ de palea & frumento in area, [illegible] agro ferente bonum triticum ſimul & zizania, de [illegible] no[illegible] iuxta [illegible] bonis piſcibus. Denique, idem docent manifeſtæ illæ ſententiæ C[illegible], de ſeruis ebrioſis & ſomnolent[illegible] in quibus Dominus imaginem & figuram expreſſit futurorum Eccleſiæ [illegible]uæ paſtorum & præpoſitorum improborum, otioſorum, n[illegible]gl[illegible] [illegible]ffi[illegible] ſuo, [illegible]e multos ſciebat ſequentibus tẽporibus non de[illegible]uturos. Conſent[illegible] & do[illegible] Patrum [illegible]leſiæ, & magiſtrorum omnium, Græcorum & Latinorum. Chryſoſtomus Homil. 33. in Matthæum, Quanto, inquit, præpoſiti Eccleſiæ minus d[illegible], tanto maior in cælo merces manet eos qui non in perſonarum acceptione fidem habent, neq; [illegible] ipſi, verùm quis & quantus ille ſit, pro quibus legatione funguntur, attendunt. De ſancto Auguſtino, quid hac de re ſentiat, paulò antè oſtendimus, ex epiſtola 165. A quo etiam audiuimus citatam in hoc argumento Scripturam illam memorabilem: Omnia, quæ dixerint vobis ſeruate, & facite; ſecundum autem opera illorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt.

Sed operæpretium eſt audire, quid de hac Scriptura, quam ſatis intelligit ſibi obſiſte[illegible], dicat C[illegible]. Obijcit, ſibi ex Sadoleto ſcriptum eſſe Quæ dicunt facite [illegible] ſi in cathedra Moyſis ſedeant, ſed vbi è cathedra vanitatis populum magis dementa[illegible]t, ſcriptum eſt; Cauete ab eorum fermento. Sic ille pro more atque imperio ſuo auda[illegible]er acc[illegible]t quos vu[illegible], ac [illegible]pingit q[illegible]duis. A[illegible]umquam probabit, vti numquam hactenus probare potuit, Pontifices Romanos, [illegible]mè alijs a[illegible]ios [illegible] cedentes, aut alios vſitata atque ordinaria via alijs præfectos Eccleſij[illegible] vel in cathedra ſediſſe vanitatis, vel populũ falſâ doctri[illegible] deme[illegible]ſſe. Co[illegible]igit [illegible] interdũ, vnum atque alterum hîc ibi f[illegible] à ſectarijs tentaſſe doctrinâ C[illegible] L[illegible]ranâ [illegible] ve[illegible] atque mod[illegible] plebem ſibi commiſſam corrumpere ac dementare: ſed vt primum re[illegible] ſos infelices [illegible] vl[illegible]ò ab Eccleſia præſciderunt, vel auctoritate legitima [illegible]perti inc[illegible]biles amoti fuêre.

CAPVT XVII.

Quàm fideliter (ſcilicet) Caluinus D. Bernardi au[illegible] [illegible] leget: quoad Præfectorum Eccleſiæ corrupt[illegible]

PERGIT tamen Ca[illegible]s, & [illegible], ſe [illegible] ſuis h[illegible] m[illegible] querimoniam de [illegible]rum & [illegible]eterorum Eccle[illegible] B[illegible] quanta vehe[illegible] in Eu[illegible] omneſque ſuæ ætatis [illegible]piſcopos ful[illegible]! S[illegible] qui[illegible]iam intoler[illegible]em hom[illegible]nis audaciam [illegible] Quis vmquam, tam paucis verbis, tam multa & tam ſplendida [illegible]

Et [illegible] non impoſturis fallunt miſeros & incautos, qui talibus vti mendacijs non vereſ[illegible] erudiros. Dicit imprimis Bernardum non modò reprehendiſſe & obiurgaſſe, [illegible] ſumma vehementia [illegible] in Eugenium Papam; hoc eſt, in vitam & mores illius: deinde inuectum fuiſſe eadem vehementiâ in Epiſcopos omnes ætatis illius: cùm nihil verum ſit horum omnium: nam nec Epiſcopos omnes reprehendit ætatis ſuæ Bernardus, nec in Eugenium Papam vel minimum quiddam vnquam dixit, tantum abeſt vt in illum tanta vehementia fulminauerit.

Facile eſſet multos Epiſcopos recenſere nominatim ex ſcriptis Bernardi, quos mirum in modum collaudat. Quod verò ad Eugenium attinet, in præfatione librorum De conſideratione, quos illi ad ſummum Pontificatum euecto miſit ac dedicauit, ſic habet: Non enim [illegible] quia pater pauperum factus es, ideò non pauper ſpiritu es. In te hanc mutationem [illegible] eſſe confido, non de te; nec priori [illegible] tuo ſucceſſiſſe promotionem, ſed acceſſiſſe. Monebo te proinde, non vt magiſter, ſed vt mater: plane vt amans. Hæc Bernardus ad Eugenium. At hoc eſt fulminare in eum qui terribili fulmine dignus ſit [illegible] bonum Pontificem, & [illegible] fieri ſtudeat, blandis verbis inſtruere & exhortari. Fecit D. Bernardus quod boni eſt & prudentis viri ac periti animarum medici. curam omnem [illegible] operamque dedit docendo, exhortando, admonendo, increpando, obſecrando, clamando, ſcribendo, vt corpus Eccleſiæ quod ægrotare videbat, membraque eius languentia ad ſanitatem reduceret; vt recte omnia [illegible] officio ſuo. quemadmodum & alij quidam ſancti viri tunc temporis. Iidem [illegible] in Eccleſia, qui pro officio ac miniſterio quod gerebant, bono zelo honoris Dei & ſalutis animarum accenſi, ægris membris conuenientem [illegible] adhibere ſtatuerunt vt & ipſa, & corpus Eccleſiæ, curaretur. Non autem id [illegible] Eccleſiam, non propterea perſecuti ſunt, non è medio penitùs tollere, vel ſeſe a tam male affecto corpore præſcindere & ſeparare cogitauerunt. Ad ſimilem etiam modum [illegible] erga veterem Eccleſiam ſæpenumerò Prophetæ habuerunt: erga nouam autem à Chriſto [illegible] & ſponſo cæleſti conditam Apoſtoli, viríque alij Apoſtolici. Qui fecerunt, quod monet Apóſtolus: Argue, increpa, obſecra, in omni patientia & doctrina.

Bernardus [illegible] reprehendendo vitia Prælatorum quorumdam Eccleſiæ ſui temporis, non deſeruit vocationem ſuam; non eiecit Epiſcopum quempiam improbæ vitæ violenter Eccleſiâ ſuâ. non inuaſit officium illius vel miniſterium; non ſpoliauit bonis ac prouentibus temporalibus, vt fecit Caluinus Epiſcopo Geneuenſi, & alij complices eius alijs Epiſcopis, Abbatibus, cannnicis, monachis, & ſimilibus. Manſit Bernardus ſemper in vocatione ſua, in officio & dignitate, quam habuit in Eccleſia: in illa ſtando, fecit quod potuit ad ſanandam & reformandam Eccleſiam, qua parte laborabat. Et de malis Eccleſiæ Prælatis, quid ſenſerit, & quo loco habendi ſint, liquet ex Sermone 3. de Aduentu: Redde, ait, reuerentiam Prælato, & obedientiam: quarum altera cordis, altera corporis eſt. Nec [illegible], exterius obtemperare maioribus noſtris, niſi ex intimo cordis affectu [illegible] ſentiamus de ijs. Quòd etſi tam manifeſtè innotuerit Prælati alicuius vita [illegible] dißimulationis, nihil excuſationis admittat: propter eum tamen, à quo [illegible] quem modò talem nouimus, excellum reputare debemus, non [illegible] pœnæ meritis, ſed ordinationi diuinæ, & dignitati ipſius officij, deferentes.

Sed lubet iam hic [illegible] Caluiniſtarum, ex Bernardo nobis quodammodo inſultantem, vt ſa[illegible] omnem factionis ipſius. Quid illis cum Bernardo. Si Bernardi ſententiam vna in re tantopere amplectuntur contra nos, cur etiam non audiunt & [illegible] in alijs? Notum eſt Bernardi ſeculo cæremonias Eccleſiaſticas in cultu [illegible], [illegible] e myſteri[illegible], eaſdem plane fuiſſe quæ nunc ſunt, & quidem a Bernardo religioſiſſimè [illegible]atas, magnificè collaudatas. Cur iſti igitur (vt mox audiemus) omnes reijciunt F[illegible] et [illegible] & conſuetas cæremonias? Quid Bernardus ſentiat de poteſtate Romani [illegible] per totam Eccleſiam, ſiue in ijs quæ ad fidem, ſeu quæ ad mores ſpectant, notum [illegible] & videre licet ea de re, inter alia, Epiſtolam eius 100. ad Innocentium Papam [illegible] que De conſideratione 2. ad Eugenium in exordio. Sicuti non [illegible] con[illegible] id [illegible] ſenſerit de materia ſacræ Euchariſtiæ, de ſacrificio Miſſæ, de [illegible] ne Sanctorum, de precibus pro defunctis, de votis monaſticis, multiſque [illegible] ſimilibus. Cur iſti igitur in his omnibus à ſententia Bernardi tam procul recedunt,

QVID BERNARDVS SCRIPSERIT DE CORRVPTELIS QVORVMDAM.

[illegible] MODO [illegible] INO [illegible] SEN[illegible] DO BERNARDO [illegible] NERET.

cedunt, ſi illum in alijs quibuſdam ſcriptorem idoneum cenſent, cuius auctoritate pugnant contra nos?

CAPVT XVIII.

Eximia, ſcilicet, Caluini cæterorúmque vitæ ſanctimonia & puritas.

NVNC in hoc argumento vlteriùs nonnihil pergamus. Inſimulant nos negle[illegible] in Eccleſia ideò expulſæ penitus & conculcatæ diſciplinæ. Quamnam igitur, vel qualem tandem vitæ morumque diſciplinam ſeruant ipſi: Carere enim debet omni vitio (inquit ille) qui in alium paratus eſt dicere. Et Poëta ethnicus:

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius. ——

Optat hîc Caluinus iudicium fieri ex comparatione ſuæ & ſuorum vitæ, cum no[illegible]. Nec dubitat affirmare diſertis verbis, palamque gloriari, ſe cum ſuis in integritate & puritate vitæ nos omni ex parte antecellere.

Quid hic dicemus? non referam ex Bolſeco & alijs qualis fuerit Caluinus antequam palam in hæreſim prolapſus eſſet. Prætereo etiam natales eius impuriſſimos, vitæque ſequenti perſimiles, vtpote quòd natus Nouioduni ex concubina Sacerdotis, teſte V[illegible] phalo Lutherano. Nec repetam illa, quæ iam ante breuiter attigi, de auaritia ac ambitione ipſius poſtquam in Pontificatum Geneuenſem irrepſerat. Vnum dumtaxat atque alterum verbum adiungam, vt omnes intelligant, quantus fuerit contemptor (vt videri ſemper voluit) tum pecuniæ, tum carnis obſcœnarum voluptatum. Habebat in m[illegible]ſterio ſuo adoleſcentem quemdam, ex vicina prouincia (quæ olim Gallia Narbonenſis, nunc Regnum Arelatenſe, dicebatur) qui tandem alterius domini ac miniſterij cupidus, à Caluino clàm fugam cepit, furto ſecum ablatis quatuor millibus Francorum Gallorum. Quod damnum, etſi malè admodum (vt par erat) Caluinum haberet; numquam tamen induci potuit, vt permitteret (amicis licet ac familiaribus eius operam ſuam offerentibus) vt aliqua de illo fieret vſpiam mentio. Quod multis tacitè ſuſpicionem præbuit, eum cum puero illo turpiſſimam ac nefariam conſuetudinem habuiſſe, ac proinde metuiſſe, ne fortè inuentus ac retractus, aperuiſſet quæ nequaquam fuiſſent ex honore ma[illegible]. Quæ ſuſpicio eò erat maior & veriſimilior; quia nequaquam multis adhuc exciderat, quòd Nouioduni olim eiuſdem flagitij conuictus fuerat, nec e[illegible] ſupplicium effugiſſet, niſi magnis amicorum eius precibus intercedentibus, Ep[illegible] Nouiodunæi & Magiſtratus indulgentia, vrbe excedere ſolúmque vertere iuſſus fuiſſet, ſtigmate tamen [illegible] eius priùs inuſto. Cuius rei publica eiuſdem ciuitatis acta ac monumenta, hodiéque fidem faciunt. illudque imprimis, quòd nonnulli eius familiæ honeſtiores ciues multum ſæpè laborarunt, vt facti huius memoria e regiſtris publicis deleret[illegible] nec [illegible] adhuc tamen impetrare potuerunt.

Alterum [illegible] ſt, pro Caluini encomio, n[illegible] tu d[illegible] m. Bonica[illegible] m quemdam la[illegible] ab Atrebatibus cum ingenti ciuium pecunia fugitiuum in d[illegible] mum ſuam rec[illegible] pta[illegible] [illegible], cum magna talis pecuniæ dote, vt turtis ſci[illegible] [illegible] o Antonio collocauit. Poſtea e[illegible] mdem, c[illegible] m [illegible] adulterium obiec[illegible] t, c[illegible] ntu[illegible] fratris eiecit, retentâ tamen pecuniâ, vt [illegible] ign[illegible] minia initæ cum latrone o[illegible] cultæ [illegible] ret, ſiue ipſemet illi verum inceſtum intulerit [illegible] ne proxim[illegible] s. Nam Beza (de quo [illegible] us in [illegible] arare no[illegible] retur, qui in Patriarcharum familij [illegible]

At, ne quis hæc fortaſſe demiretur, operæpretium eſt & [illegible] ud qu[illegible] multum abſimile. Dix[illegible] a[illegible] Geneuam co[illegible] v[illegible] æreſim incid[illegible] ſſet, nobilem v[illegible] rum [illegible] B[illegible] a [illegible] D[illegible] [illegible] Breder[illegible] d[illegible] u. m oculos [illegible] os iniec[illegible] rat Caluin[illegible] s [illegible] v[illegible] r P[illegible] I[illegible] P[illegible] ſi[illegible] to par[illegible] t[illegible] ore[illegible] G[illegible] æger c[illegible] a[illegible] [illegible] v[illegible] t[illegible] [illegible] ere[illegible] [illegible] u[illegible] fr[illegible] que[illegible], veluto[illegible] au'a, viſum & conſolatum veniret, tand[illegible] m [illegible] da[illegible]

QVANTVS CONTEMPTOR PECVNIAE CALVINVS.

Bolſecus c. 11. vita Caluini.

CALVINI PVRITAS.

[illegible] de [illegible] ſologia in [illegible]

[illegible] PVRI[illegible] TIS CAL[illegible] VI[illegible] EX[illegible] EMPLVM

ALIVD EIVSDEM FARINAE

Gen. 19.

cia [illegible] animi ſui Iolandæ apeuit, & quadam vice, Quid, inquit, ô generoſa domina, [illegible] hoc viro tibi expectandum ex[illegible]mas? mihi certè ſanitatem numquam recuperaturus videtur, quidquid agat: adeoque non dudum in humanis futurus. Ego illum iam habeo pro pluſquam ſemimortuo ac deplorato: quare non dubitem tibi conſulere, curam vt [illegible]us ex animo tuo exuas, ac mori ſinas. Illo enim extincto, ſi tu non renuis, paratus ſum te illicò in vxorem ducere, boniq́ue mariti officium tibi præſtare. Quæ verba Caluini in animum dominæ illius non ſic recepta fuere, vt ſperauerat: quin potiùs huiuſmodi ſermones viro ſuo confeſtim indicauit: adeoq́ue illis offenſa fuit (caſtior multo quàm Caluinus, Pontifex Geneuenſis) vt non ceſſauerit donec marito perſuaſit, Geneuâ migrare, ſeq́ue in Bernenſium vicinorum terras conferre. Hæc Bolſecus ſe ex ore dominæ Iolandæ audijſſe teſtatur; quæ idem narrauit & multis alijs.

Vnde etiam accidit, vt amor Caluini in Phaleſium anteà ardentiſſimus, in tantum odium verſus ſit, vt cùm initio illi Commentarios ſuos in priorem ad Corinth. diui Pauli, cum maxima laudum prædicatione dedicaſſet; poſtmodum eraſo eius nomine, eoſdem Commentarios Italo cuidam inſcripſerit, cuius gratiam venabatur.

Sed iam miſſum faciamus Caluinum, ac nonnihil de proximo illius in Pontificatu Geneuenſi ſucceſſore Theodoro Beza diſſeramus. Qui & anteà ibi dudum cum Caluino, & alibi, miniſter fuerat (vt loquuntur) verbi Dei. Viuentis viri vxorem, meretricem fædam (quam nunc Publiam in verſibus ſuis, nunc Candidam nuncupat) perditè primùm amauit: deinde ſibi vxorem iunxit. Hanc omnibus Poëtarum dîs ac deabus prętulit; ipſamq́ue Venerem formâ & elegantiâ ait antecellere: ac demum tamquam deam conſecrare non erubeſcit. Et interim tamen Audebertum, adoleſcentulum quemdam, amaſium ſuum, adeò perditè ſimul amauit; vt vnum hunc in formæ venuſtate cum Candida ſua conferendum putaret: cumq́ue ab vtroque, occaſione quadam, abſens eſſet; incredibili vtriuſque deſiderio inflammatus, incertus hærebat, vtrum è duobus priorem vellet inuiſere, & maſculáne an muliebri libidine ſe priùs explere. Nec enim puduit affirmare, pluris ſibi eſſe ſcortorum ſuorum conſuetudinem, quàm patris & patriæ, fratrumq́; ſuorum domeſticam familiaritatem. Hęc non facilè cuiquam in mentem videntur venire poſſe, vt vera eſſe credantur; niſi ipſemet rem totam editis Epigrammatis diuulgaſſet. BEZAE NEFANDA LVXVRIA.

Antequam ſe vltrò poſt maxima flagitia omnis generis ad Caluiniſtarum cœtum transferret, patruo cohabitauerat lõgo tempore, Abbati cuidam in Burgundia, qui Latinis eum Græciſq́ue litteris diligenter inſtituendum curauerat, multiſq́ue onerandum Eccleſiaſticis beneficijs. quæ poſteà, cùm fugam meditaretur ad hæreticos, vendidit. Et nihilominùs, venditis beneficijs, quaſi adhuc eorum poſſeſſor fuiſſet, ab ijs quibus beneficiorum illorum terras & prouentus elocauerat, quàm maximas potuit nummorum ſummas, per anticipatam (vt loquuntur) ſolutionem, extorſit; fraudatis ita & ſpoliatis miſeris ruſticis & villicis. Vnde factum poſteà anno 1561. Poſſiaci, vbi inter Doctores quoſdam Theologiæ Catholicos, & miniſtros doctrinæ Caluiniſticæ (Caluino adhuc ſuperſtite) colloquium habebatur, Reginâ etiam Galliæ Catharinâ de Medicis & Cardinali Lotaringo pręſentibus; cùm inter alios Caluiniſtarum corypheos Beza etiam velut primarius & anteſignanus adeſſet; accidit, vt vidua quædam, vnà cum pauperculis filijs ſuis, palàm conqueſtum veniret de Beza, quòd miſerè ab eo depauperata & ſceleratè defraudata fuiſſet; reſtitutionem poſtulans pluſquam mille ducentarum librarum, quas ab ea per fraudem extorſerat.

Quæ cùm ita ſe habeant: iam nulli mirum videbitur, cùm Beza multis fraudulentis artibus & factionibus ſcelerum ſuorum, potiùs quàm virtutis alicuius merito, alijs multis ſi non præſtantioribus, certè multo minùs indignis, prætermiſſis, ſedem Geneuenſem poſt Caluinum occupaſſet; paſſim multos cordaros dixiſſe, fieri non poſſe, quin tali ſucceſſione ſedes illa breui deuolueretur ad Antichriſtum: alios autem per amaram ironiam & ſarcaſmum exclamaſſe; Talis decebat vt nobis eſſet Pontifex; ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus, ſi dijs placet.

Quod ad alios attinet Miniſtros primarios Euangelij Caluiniani, qui vnà cum Caluino, vel ſtatim poſt illum, hîc ibi docuerunt & prædicarũt, ſiquis de adulterijs eorum alijſq́ue flagitijs & turpitudinibus, certi aliquid ſcire velit, legat breuem defenſionem Gallicam Matthæi Launoy, & Henrici Pennetier, contra falſas accuſationes Caluiniſtarum. Impreſſus eſt libellus Pariſijs, 1578. ALIORVM MINISTRORVM CALVINISMI COLLVVIES.

Capvt

CAPVT XIX.

Res geſtæ diſcipulorum Caluini in Braſilia.

NON poſſum autem hic prætermittere mentionem rerum quarumdam geſtarum à Caluini diſcipulis in nouo orbe, qui vocatur, & Breſilliana prouincia, eò miſſis anno, vt nouum ſuum quintumq́ue Euangelium nouis illis miſeriſq́ue hominibus prædicarent anno Domini 1559. Nam illam quoque laudem Apoſtolicam ſibi vendicare volebant egregij illi miniſtri Euangelici. vt videlicet non ſuper alieno fundamento ædificarent, vbi nominatus eſſet Chriſtus, ſicut Paulus ait; ſed quemadmodum ſcriptum eſt, quibus non eſt annuntiatum de eo, videbunt; & qui non audierunt, intelligent. Miſſus igitur eo fuit Petrus Riſcherus, antea Religione Carmelita, velut coryphæus, Petrus Bourdonius, Matthæus Vernellus, Guilielmus Catterius, Pontanus quidam, & alij nonnulli. Quidnam autem tandem effectum? Quod alij multi Catholici prædicatores ex Societate Ieſu, atque ex alijs Religionis approbatis ordinibus, in regnis & prouincijs nouarum Indiarum, tam Orientem quàm Occidentem verſus, feliciter multo ante tempore perfecerant, miſeros Idololatras ab infidelitate profunda ad Dei veri & Chriſti filij eius mundi redempto cognitionem cultumq́ue producendo, fidemq́ue illis Euangelicam & Catholicam verbis & exemplis tradendo, Eccleſias nouas ædificando, ſcholas Catholicas extruendo, templa atque altaria erigendo, & ſimilia quæ ad exercitia fidei ſpectant Chriſtianæ Religionis Catholicæ: hoc noui Euangeliſtæ iſti in Breſillia ne incipere quidem potuerunt, Deo nequaquam conatus eorum nefarios ſua benedictione proſequente. Sicuti numquam etiam vllis ſuperioribus ſæculis viſum vel auditum fuit, hæreticos vllos infidelibus quibuſvis primam Dei cognitionem lucemq́ue gratiæ illius tradidiſſe. Quod diligenter obſeruandum & magna conſideratione dignum eſt.

STVDIVM SOCIETATIS IESV, IN NOVO ORBE CHRISTI DOCTRINA IMBVENDO.

HÆRETICORVM NON EST INFIDELES CONVERTERE, SED PERVERTERE FIDELES.

Iam verò qui alijs doctrinæ Euangelicæ lucem volunt inferre, non modò veritatem debent docere Catholicam, ſed vitæ etiam ſanctæ & probæ conuerſationis exemplo alijs prælucere; nec minùs vitæ integritate ac puritate, quàm ſermone prædicare. At, vita Apoſtolorum iſtorum Geneuenſium, tam erat impura ac fœda, tam infamis & execrabilis, vt barbaris etiam illis admirationi atque horrori eſſet. Vulgaria adulteria minimum illorum crimen erat. Quidam illorum, vxoribus Geneuæ relictis, aut alijs locis, libidinem ſuam explebant cum puellis iuuenculis, quas ſecum adduxerant eo prætextu, vt faciliùs in tenera ætate linguam Breſillianam diſcerent. Alij item habebant cum fœminis Breſillienſibus, & infidelibus, ſemen ſanctum miſcentes contra legem Dei cum polluto, quamuis illorum ſemen longe erat magis pollutum magiſq́ue execrabile quàm Idololatrarum iſtorum. Et cùm vehementer inueli conſueuiſſent in principes & alios ſectę ſuæ, qui matrimonium inire volebant cum Catholicis, nulla nunc eis religio fuit, nullus conſcientiæ ſcrupulus, ſtupra quotidiana & adulteria committere cum Paganis. Quin & vltrà in flagitijs progredientes, omneſq́ue Dei & naturæ leges violantes, non ſunt veriti Sodomorum & Gomorrhęorum ſcelera turpiſſima imitari; adeò vt vnus illorum cum nepote proprio, ſocrus ſuæ filio, huiuſmodi crimen peſſimum perpetrauerit; Richero ſupremo eorum Pontifice (ſi Deo placet) ad horrendam huiuſmodi fœditatem conniuente, pœniſq́ue eum clàm ſubtrahente.

CAPVT XX.

Impura Lutheranorum miniſtrorum vita.

NEQVE ſolùm Caluini diſcipuli nefandis huiuſmodi ſceleribus infecti fuêre. Quocumque locorum vel gentium perrepſit hoc Euangelium, non aliam vitæ puritatem & ſanctitatem illius doctores & prædicatores coluerunt.

Anno 1563. De Miniſtris doctrinæ Lutheranæ in Germania ſcribit Surius hunc in modum: Valde offenduntur iſti puri Euangelici impurâ vitâ quorumdam in clero Catholico, & eam vehementer traducunt apud indoctum vulgus: ſed ſunt ex noſtris qui quandoque in tabulas quaſdam viſitatorias iſtorum viſitatorum Euangelicorum inciderunt, in iiſque plura ac deteriora à coniugatis concionatoribus adulteria perpetrata legerunt, quàm poſſint à Catholicis Paſtoribus in tam auguſto orbe ſcortationes reperiri.

Quidam

EXEMPLVM EX SVRIO.

Quidam Lutheranus ſacerdos, mirabili fraude adeptus parochiam quamdam, vxorem duxit. Illa verò, cum iam nouello marito minùs arrideret, toxico ab eo perimitur, vt nouis nuptijs via ſterneretur. Interrogatus, cur tantum admiſiſſet facinus; reſpondit, coniugium in Lutheranis ſacerdotibus non reſtinguere vagas libidines. Hoc rectè. Innumeris id poſſet exemplis doceri. Hæc Surius. Quibus planè concinit Eraſmus, alioqui nouatoribus iſtis in negotio religionis non admodum iniquus: & hos alloquitur in Epiſtola quadam hiſce verbis; Vos ſtrenuè clamatis in luxum Sacerdotum, in ambitionem Epiſcoporum, in tyrannidem Romani Pontificis. At quid interim profertis melius, aut Euangelio dignius? Circumſpice populum iſtum Euangelicum; & obſerua, num minùs illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ, quàm faciunt quos deteſtamini. Profer mihi, quem iſtud Euangelium, ex commeſſatore ſobrium, ex feroci manſuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos oſtendam, qui facti ſunt ſeipſis deteriores. Sic ille.

ERASMI TESTIMONIVM. *Epiſtola ad Vulturium Neocomiū. anno 1529.*

PAVLI EBERI TESTIMONIVM.

Quòd ſi quis fortè delectatur plurium teſtimonijs, & quidem aduerſariorum noſtrorum, quæ ſolent eſſe maximi ponderis: Paulus Eberus poſt Lutherum & Melanchthonem primas tenuit in ſchola VVittembergenſi, primaria Lutheranorum academia. Hic in Præfatione Commentariorum Melanchth. in 1. Epiſt. ad Corinth. ſcribit in hæc verba: Tot & tātis ſcandalis deformatur Euangelicorum cœtus, vt nihil videatur minùs eſſe quàm quod profitetur: nam, ſi ad docentes reſpicias, videas quoſdam vel ambitione, vel æmulatione, vel curioſitate, doctrinam corrumpere; & falſam doctrinam audacter ſpargere & pertinaciter tueri; alios deteſtanda certamina ſerere, & fouere implacabilibus odijs; aliquos religionem inflectere, fingere ac refingere, ad cupiditatem & nutum vel dominorum vel cœtuum, quorum gratiam pluris faciunt, quàm gloriam Dei & veritatis propagationem; aliquos verò, id quod vera dicendo extruxerunt, morum licentia & turpitudine vitæ rurſus deſtruere. Hi nævi, conſpecti in ordine profitentium doctrinam cæleſtem, non poſſunt non contriſtare pios, & multos ab Euangelij ſtudio reddere alieniores. Rurſus, ſi ad auditores oculos conuertas, videbis religionis & libertatis Chriſtianæ fœdiſſimum abuſum, contemptum & neglectionem ſancti miniſterij, diſputationum profanationem, direptionem bonorum Eccleſiæ, ingratitudinem erga fideles miniſtros Dei, diſciplinæ laxationem, effrænem contumaciam iuuentutis, & aliorum vitiorum ſegetem vberrimam indies ſuccreſcentem: quæ mala quis intuens, non poteſt non vehementer animo percelli, & interdū quaſſari fluctibus dubitationum, ambigens, an hic cœtus poſſit eſſe Eccleſia, in quo tantum ſit deſtructionis, confuſionis, & enormiū vitiorum.

SMIDELINI TESTIMONIVM. *Concio 4. in ſecundum cap. Lucæ.*

Hæc omnia Eberus de magiſtris & diſcipulis, nouum nunc Euangelium profitentibus. Quid Iacobus quidā Smidelinus, Doctorum Lutheranorum minimè infimus, in Lucam ſcribens? Vt ſciat totus mundus & agnoſcat, eos non eſſe Papiſtas, nec bonis operibus quidquam fidere, illorū etiam operum nullum exercent penitus. Ieiunij loco, commeſſationibus & perpotationibus nocte dieque vacant. Vbi pauperibus benignè facere oportebat, eos deglubiunt & excoriant. Precationes vertunt in iuramenta, blaſphemias & diuini nominis execrationes: idque tam perditè, vt Chriſtus ne ab ipſis quidem Turcis hodie tantopere blaſphemetur. Pergit idem, Lutheranus tamen: Demum, pro humilitate regnat paſſim ſuperbia, faſtus, elatio; atque hoc vniuerſum vitæ genus ab illis Euangelicum dicitur inſtitutum. Sic ille. Poſtremò accedat hæreticorum iſtorum omnium Patriarchæ teſtimonium, ipſius inquam Martini Lutheri; breue quidem, ſed non minùs obſeruabile: Mundus, inquit, indies fit deterior. Sunt nunc homines magis vindictæ cupidi, magis auari, magis immodeſti & indiſciplinati, multoque deteriores quàm fuerint in Papatu.

Super Euāgelium Dominica 1. Aduent.

CAPVT XXI.

Quàm iniquè nobis hæretici, diſciplinæ defectum obijciant.

HÆc pluribus aliquanto referre placuit, vt intelligant omnes, quàm præclaram nobis morum diſciplinam attulerint illi qui tantopere nos de neglecta Eccleſiaſtica diſciplina inſimulant: &, cùm ſe religionis reformatæ vindices iactitent, quàm bellè reformatis moribus ipſi fuerint, & ſectatores habuerint ab initio.

Quòd ſi talia fuerunt noui huius Euangelij prima principia, vt nunc oſtendimus, &

omnes viderunt; quid cenſendum vel expectandum de temporibus conſequentibus? Prouerbij loco dicitur vulgò, nouas ſcopas benè verrere. Si igitur ſcopæ iſtæ Euangelicæ, & proprias domus & aliorum tam malè mundarunt, ex quo primum illatum vſus eſſe cœpit; quid fiet vbi temporis longitudine detritæ fuerint magiſque ſordidatæ?

Qui nouum quippiam inſtituere, aut alios ad vitæ nouitatem excitare meditatur, debet ipſe mox ab initio exhortationis ſuæ melius aliquod opus, ſanctius, laudabiliuſq; efficere, quàm ſit quod in alijs reprehendit. Sicut notum eſt, Apoſtolos qui ad vniuerſi mundi reformationem mittebantur, vitam duxiſſe eximiæ & quodammodò Angelicæ puritatis & ſanctitatis: & poſt ipſos, qui in illorum locum ſucceſſerunt, viros Apoſtolicos longo tempore. Romæ certè (quandoquidem ſectarij omnes vrbem illam eiuſq; Præſules tanto præ omnibus odio proſequuntur) quotquot D. Petro in cathedra illa Apoſtolica ordine ſucceſſerunt, totis pænè trecentis annis, vſque ad triginta tres, tantæ virtutis & pietatis fuere, vt omnes digni habiti ſint à diuinâ bonitate coronâ martyrij. Et qui poſtea homines vitijs corruptos & flagitioſos ad vitæ innocentiam & pœnitentiam ſeriam aggreſſi ſunt excitare, Dominicus nominatim & Franciſcus, quomodo ipſi in primis pœnitentiam, vitæque puritatem & ſanctimoniam coluerint tota vita ſua, eorumque diſcipuli in eodem vitæ inſtituto multis annorum centurijs poſt illos, omnis temporum hiſtoria docet.

At iſti noui Euangelici cùm cęterorum omnium vitam & mores tâto ſupercilio impuritatis condemnent; audiuimus nunc, & palàm fecimus clariſſimis documẽtis, ijſque non aliunde fere quàm ex ipſiſmet deſumptis, quam qualemque, à primis annis inductæ in orbem peſtiferæ nouitatis ſuæ, puritatem vitæ & ſanctitatem præſtiterint: quæ videlicet mundum vniuerſum cælumque adeò & terram ſætoris ſui grauitate infecerit.

Nec pudet interim Caluinum hic ſcribere, ſe verecundia ſcilicet impediri quò minus de ſua ſuorumque eximia ſanctitate eximiè glorietur: mihi certo perſuaſum, quòd hæc ſcribens, aut riſum Lectoribus mouere voluerit, vel craſſis certè palpabilibuſque mendacijs inſulſos homines data opera (vt pro more habet) fallere.

CAPVT XXII.

Quomodo per Caluinum & eius diſcipulos corrupta ſit doctrina de Sacramentis.

SED miſſis his tandem factis, ad tertium veniamus quod ad incolumitatem & ſalutem Eccleſiæ aſſerit pertinere; Sacramenta videlicet. In his ait ſe nihil tentaſſe, niſi vt, in natiuam puritatem vnde deciderant reſtituta, dignationem ſuam reciperent.

Hic primùm pro confeſſo ponit, Sacramenta, quo tempore ſe ipſe cum ſuis ad Eccleſiam docendam ac reformandam accingeret, à natiua puritate ſua decidiſſe. At hoc illi in primis probandum fuerat: nos enim illud inficias imus; dicimuſque, nihil Sacramentis per Catholicos, quod ad puritatem illorum natiuam attinet, ſæculis antecedẽtibus detractum fuiſſe: nihil mutatum in ijs, quæ vel ad naturam, vel ad congruam illorum adminiſtrationem, requiruntur: at verò permulta ſtatim in Sacramentis mutatum, plurimumque illorum dignitati ac puritati detractum per Caluinum ac ſimiles, cùm primum nouam mundo doctrinam propinare cœperunt: imò nihil pænè integrum & ſanum relictum in omnibus, quæ ad naturam & integritatem Sacramentorum, ad operationem & fructum, ad ornatum & dignitatem ſpectant.

In primis enim, cum ſemper Eccleſia ſeptem agnouerit ac venerata ſit Sacramenta, qui numerus etiam Sacramentorũ varijs rebus præfiguratus fuit in Scripturis vtriuſq; Teſtamenti: viſum fuit nouatoribus iſtis confeſtim multa Sacramenta, pro arbitrio ſuo, ex hoc numero tollere. Nec ſaltẽ hic meminerunt doctrinæ primi magiſtri ſuis Ioannis VVycleſ (ex quo omnem pænè hauſerunt hæreſim ſuam) & ſimilitudinis ſeu figuræ pulcherrimæ, cui ſaltem hęc Sacramenta pereleganter comparauit, teſte etiam Ioanne Rocheſana, Huſſitarum alioqui patrono & Doctore primario. Sacramenta Eccleſiæ, inquit, ſunt velut caſtrum & munitio tutiſſima; quam velut fluuius immenſus primò circuit aqua Baptiſmatis, quæ prima coërcet acceſſus hoſtiles. In interioribus ripis fluminis, ſunt Confirmatio & Pœnitentia; velut vallus & murus exterior. In medio autem, velut turris fortiſſima, Sacramentum Euchariſtiæ collocatur, ad quam aſcenditur per gradus Ordinis. Et citra

Rocheſana de Sacram. cap. 19.

citra hos gradus, Matrimonium, quaſi murus interior, defendens legitimè forum ſæculare & Eccleſiaſticum. Oſtiolum autem, per quod ingreſſus eſt in vitam futuram, eſt Extrema vnctio. Sed & totam iſtam ſeriem caſtrorum fundauit Chriſtus, dans vicarijs poteſtatem vbique erigendi. Sic ille de natura, numero, ordine, operatione, virtute, deque auctore, atque inſtitutore Sacramentorum Quorum iam nihil prorſus nouatoribus noſtris, diſcipulis eius, placet.

DE NVMERO SACRAMENTORVM DISSENSIO INTER HAERETICOS.

Et quod ad numerum quidem Sacramentorum attinet, alij quinque tantùm, alij quatuor, alij tria, alij duo eſſe dumtaxat Sacramenta, docuêre, Baptiſmum ſcilicet, ac Euchariſtiam, quá nomine Cœnæ dominicæ appellare maluêre. De qua nouorum iſtorum magiſtrorum diſſenſione, in re tanti momenti, quidam olim facete iocatus, cùm rogaretur à quibuſdam, quamobrē doctrinæ Lutheranæ ſectatores non reciperent cum tota Eccleſia ſeptem Sacramenta: Imò, inquit, habent & recipiunt ſeptem, & pluſquam ſeptem. Nam VVittembergenſes (aiebat) quatuor agnoſcunt, Lipſenſes tria, Magdeburgenſes duo. En, inquit, habes hîc in vniuerſum nouem Sacramenta. Nec alij tantùm ab alijs ita diſſentiunt hac in re, ſed vnus idemque frequenter à ſeipſo: nunc videlicet plura nunc pauciora Sacramenta agnoſcens.

Claud. de Sainct. contra Bezam.

Quos inter, Caluinus quoque initio duo tantummodò Sacramenta credenda propoſuit, Baptiſmum & Cœnam Domini: poſtea verò tertium adiecit, Ordinis ſcilicet, ſeu manus impoſitionis, vt vocat. De quo reprehenſus à quibuſdam, reſpondit, quòd duobus ab initio tertium non adiecerit, quia populus ſolùm docendus fuerat de numero Sacramentorum quæ ad plebeios pertinerent, & non quæ ad ipſam Dei Eccleſiam.

Iam verò quod ad Sacramenta illa attinet quæ videntur agnoſcere ac recipere; quantum ijs ipſis etiam adimant, non ſolùm natiuæ puritatis, ſed veræ etiam integritatis, virtutis & efficaciæ, norunt eruditi Catholici. Docent enim, eſſe nuda atque inania collatæ gratiæ ſigna, quaſdamque velut teſſeras, ſigilla, obſignationes (omnibus enim his vocabulis vtuntur in hac materia) gratiæ prius acceptæ. Hæc eſt ipſiſſima doctrina Caluini de Sacramentis, quam accepit à Zvvinglio: in qua etiam ſententia Bucerus olim fuit Caluini præceptor; ſed eam poſtea, à veritate conuictus, correxit ac reuocauit; vt ſcribit ipſemet in 3. cap. Matthæi. Si omnes alios errores ſuos ad ſimilem modum retractaſſet, & ex animo ſe conuertiſſet ad Catholicam vnde exiuerat Eccleſiam; benè conſuluiſſet animæ ſuæ ac ſaluti ſempiternæ.

DOCTRINA ECCLESIAE DE SACRAMENTIS.

Doctrina Eccleſiæ Catholicę, hac in parte, breuiter & perſpicuè explicatur in Concilio generali Florentino: Sacramenta videlicet nouæ Legis, & gratiam in ſe continere, & eam dignè ſumentibus conferre. Nimirum ſicut potio medica & continet in ſe ſalutem & eam ſumenti largitur.

Hinc autem palàm eſt, Caluinum & ceteros (cùm è ſeptem Sacramentis duo dumtaxat recipiant) horum etiam duorum nuda nomina tantùm amplecti, rem verò in ijs nullam agnoſcere. Nam Baptiſmo quidem (vt nunc audiuimus) gratiam penitus aufert, ac remiſſionem peccatorum; ſacræ autem Euchariſtiæ, corpus & ſanguinem Chriſti prorſus adimit. Hæc eſt enim doctrina illius hæreſiſque primaria, quam ipſe à Zvvinglio didicit, Zvvinglius à Berengario. Ita his etiam duobus Sacramentis naturam & ſanctificandi rationem, Sacramentis propriam, demunt. Imò, qui ſe hodie pro purioribus Euangelicis venditant, in Anglia præcipuè, vix Sacramenti nuncupatione illa dignantur; ſed Baptiſmum quidem ablutionem, Sacramentum verò Sacramentorum, communionem & ſynaxim appellant: & actiones eſſe docent, non religioſas & ſacras, ad cultum Deo exhibendum inſtitutas; ſed Euangelicas & hiſtoricas, ad rerum geſtarum memoriam retinendam.

CAPVT XXIII.

Quàm iniurij ſint ſectarij in ſanctas Eccleſiæ cæremonias.

SEQVITVR, vt nunc audiamus quid ſentiat Caluinus de cæremonijs, quæ etiam haud dubie ad cultum Dei, atque ad dignitatem Eccleſiæ pertinent. Cæremonias, inquit, maxima ex parte aboleuimus. Verùm coacti ſumus id facere, &c. Retinuimus tamen eas, quæ pro temporis ratione ſufficere videbantur. Ita ille faſtuoſus Rabbinus.

Fatetur hîc Caluinus in primis, quod res eſt, ſe Eccleſiæ cæremonias maxima ex parte ſuſtuliſſe. Sed quo iure? qua auctoritate? quis ei eiuſque conſortibus hanc dedit poteſtatem?

tem?

tem? quis iudices ac reformatores conſtituit? Conueniam eos verbis Paulinis, quibus inuehebatur Apoſtolus ille magnus, in cauſa neutiquam tam graui, in Corinthios. Sic igitur hos compello: Num à vobis verbum Dei proceſſit? vel in vos ſolos peruenit? Hoc eſt: Vóſne eſtis primi vel vltimi Chriſtiani in mundo? vel à vobis originem ſumpſit Eccleſia Dei, vel in vobis deſijt, vt vltrà progredi nõ poſſit: vt nimirum hac confidentia tantum audeatis, vobiſque ſumatis, in cæremonias cultus Dei & publicæ honeſtatis, contra morem & ſenſum omnem Eccleſiarum aliarum? vel vt omnes alij à vobis debeant exemplum ſumere? Caluiniſtarum profectò Eccleſia, vel ſatanica potius ſynagoga, tantum abeſt vt Eccleſiarum Chriſti omnium prima fuerit; vt conſtet, illam his ſuperioris ſæculi annis infelicibus, Geneuæ in Sabaudia, infauſtis initijs primum exortam, poſt annos nimirum erecti in terris regni Chriſti, & fundatæ Eccleſiæ Catholicæ, pluſquam mille quingentos. Et quòd duratione futura omnium poſtrema non ſit, ſi hoc ab omnibus minimè creditur; videbunt aliquando nepotes noſtri. Neque enim melior erit horum ſectariorum conditio, hac in re, quàm ſuperiorum omnium; etſi non defuerunt, qui pluſquam centum annos Eccleſiam turbarunt, fultæ etiam patrocinio Imperatorum, Regum, & Principum terræ ferè omnium.

Quòd ſi dicant interdum nouatores noſtri, Euangelium verum, iam inde à multo tempore longa obliuione ſepultum fuiſſe, ac veluti ſub ſcamno abſconditum latuiſſe; ſe primos eſſe, qui mundo lucem attulerunt, cùm cæcutirent ac dormirent omnes, (vti nonnunquam effutire auſi ſunt, hic, ibi, annis præteritis:) maior hæc eſt impudentia, quàm vt verbis vllis ſit vel rationibus refutanda.

Sed redeamus ad verba Caluini, & videamus quid ſit, quod dicit ſe ex cæremonijs Eccleſiæ veteris & Catholicæ illas retinuiſſe, quæ pro ratione temporis ſufficere videbantur. Si clariùs explicuiſſet, quas vel quales cæremonias illi retinere placuerit; liceret intelligere, quáſnam pro ineptis & vitioſis, quas verò pro bonis ac tolerabilibus habuit. Nunc nobis ea de re diuinandum.

Inter cæremonias quas retinuit, fortaſſe numerat obſeruationem diei Dominicæ, & aliorum quorumdam per annum Feſtorum. Etſi annotatum in vita ipſius, cùm primùm ferè Geneuam veniſſet, ſub annum Domini 1537. modis omnibus conatum fuiſſe, cum alijs quibuſdam miniſtris ſuæ factionis, (nequid videlicet commune haberent cum Catholicis quos Papiſtas vocabant) vt dies Dominicus verteretur in diem Veneris, quo in hoc ab omni opere manuali vacaretur, conciones haberentur, & cetera, vti in die Dominico: in eoque tam contumaciter inſtitiſſe, contra voluntatem Magiſtratus; vt eijci maluerit in exilium, quàm mutare ſententiam. *Bolſecus cap. 6.*

Conueniunt etiam publicè inter ſe Caluiniani more Catholicorum, vt mortis Dominicæ memoriam celebrent. Sed quàm longè diuerſi ſint illorum conuentus à cœtibus Eccleſiaſticis Catholicorum, ſatis notum eſt. Denique etiam in templis conuentus habent, vt Catholici. Sed qualibus in templis? Primùm, ſi quæ occupant, Catholicis per vim erepta; ea omni ſtatim ornatu ac decore ſpoliant, & in formam auditorij potiùs alicuius vel ſcholæ, quàm ſacri templi, redacta, profanis ædibus aut horreis potiùs vacuis adæquant. Sic, inquam, de nobis ereptis. Si quæ verò noua ipſi extruunt; Caluiniſtæ quidem more veteris ſynagogę in orbem ædificant, vt aliquibus locis nuper factum vidimus: Lutherani verò oblonga faciunt inſtar aulæ ſenatoriæ: à noſtrarum Eccleſiarum formâ, quæ crucis ſalutiferæ imaginem repræſentat, omnes abhorrent. Sed, hac de re paulò pòſt aliquantò plura.

CAPVT XXIIII.

Cæremonias Eccleſiæ plurimùm diſtare à Iudaicis.

AT verò quamobrem hîc, & alijs in rebus, Eccleſiæ Catholicę ritus & cæremonias reiecerunt? Partim (ait Caluinus) quia ſua multitudine in Iudaiſmum quemdã degenerarunt: partim quòd tantâ ſuperſtitione occupauerant plebis animos, vt pietati (quam promouere debuerant) officerent plurimùm. Atqui, hoc ipſe, vt alia omnia, audacter dumtaxat dicit; non etiam probat. Nos dicimus contrà, cæremonias Eccleſiæ Chriſtianę & Catholicæ nec multitudine Iudaicis ſimiles eſſe, nec vllo pacto obeſſe pietati, ſed plurimùm potiùs promouere. Et certè, quomodo affinitatem aliquam habere queunt cum Iudaica-

Iudaicarum cæremoniarum multitudine, vel ſinceræ pietati aliquid impedimenti præbere; cùm ſatis liqueat pleraſque omnes cæremonias, quarum vſus eſt in Eccleſia in cultu Dei, notas & vſitatas fuiſſe vbique locorum inter Chriſtianos, iam inde pænè ab initio? Id quod Caluinus quoque ipſe, cùm res ſit Sole clarior, negare non poteſt: nec tamen propterea recipiendas putat, quia veteri Eccleſiæ ab initio placuerunt; ſed ipſam potiùs idcirco veterem Eccleſiam reprehendendam.

Si hæc ita ſe habeant, vt nouatores quoque confitentur; ſi Eccleſia multis in Dei cultu cæremonijs vſa fuit, iam inde à primo Chriſtianæ religionis exordio, vt liquidò etiam conſtat ex Dionyſio Areopagita, Tertulliano, Origene, Auguſtino, Hieronymo, Cypriano, Baſilio, Chryſoſtomo, Euſebio Cæſarienſi, vt alios taceam: ſi inquam ex his omnibus certò conſtat, Eccleſiam horum Patrum tempore, in officio Eccleſiaſtico, in officio Altaris, in adminiſtratione Sacramentorũ, iiſdem pænè cæremonijs vſam fuiſſe, quorum nunc adhuc vſus eſt apud Catholicos: quid eſt, quòd Caluinus eas quaſi vel Iudaiſmum ſapientes, vel ſuperſtitioſas, & veluti noxias veræ pietati, abolendas cenſuit? Cur non potiùs contra impudentiſſimas illius calumnias obtinebit grauiſſima ſententia Auguſtini? Si quid tota per orbem frequentet Eccleſia (etſi videlicet ſcriptum non ſit in Sacris litteris, nam hunc ſenſum indicant verba proximè antecedentia) hoc quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ eſt inſaniæ? De quo etiam cæremoniarum genere ſubijcit conſequenter: Illa quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, (quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur) datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel à plenarijs Concilijs (quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas) commendata atque inſtituta retineri. Sic ille.

Epiſt. 118. cap. 5.

Hoc eſt ecce, quod nos dicimus, cæremonias Eccleſiæ Catholicæ, quæ omni tempore, omni loco, à fidelibus obſeruatæ ſunt; ab Apoſtolis, vel à viris Apoſtolicis, emanaſſe: & propterea, impie & ſceleratiſſimè feciſſe nouatores, quòd cæremonias huiuſmodi, velut inutiles & noxias è medio tollendas cenſuerunt: cùm ſemper exiſtimauerit Eccleſia, ipſâ etiam naturâ ac rerum experientiâ ſatis comprobatum ſit, ritus huiuſmodi ad pleniorem Dei cultum, ad maiorem reuerentiam & dignitatem ſacrorum myſteriorum religionis Chriſtianæ, ad multarum rerum ſublimium egregiam ſignificationem, ad ædificationem & inſtructionem populi, denique ad excitandam rudium & ſimplicium deuotionem, permultum momenti habere. Quò ſpectat etiam illud Baſilij Magni: Si extra corpus conſtituti eſſemus, neceſſarium eſſet ea tantùm curare, quæ animæ ſoli conducerent: quoniam verò geminus eſt homo, conuenit geminum eſſe virtutis ſtudium, quod & corporis exercitijs & animæ ſtudijs abſoluatur.

De vita ſolit. cap. 5.

Et certè, cùm ſit in confeſſo, partem hominum longè maximam ſenſibus magis quàm intelligentiâ mentis duci ac moueri; ſuis ipſi cogitationibus, ad piè colendum Deum, eiuſque bonitatem, potentiam, ſapientiam, miſericordiam, iuſtitiam, veritatem ritè cognoſcendam, difficilè excitantur: vt opus habeant rebus externis, quæ in oculos & aures incurrunt, ſenſibuſque externis offeruntur, adiuuari, excitari, pulſari, quo curas & cogitationes, Deo & Chriſtiano homine dignas, ſuſcipiant. Quod verò garrit Caluinus de cæremoniarum apud nos multitudine, quæ populum Chriſtianum grauet ac perturbet, ac Iudaiſmum quemdam inducere videatur; friuolum eſt multoque falſiſſimum. Perpauci ritus externi ſunt in Eccleſia, quibus populus obligatur.

Septem ſunt tantummodò Sacramenta, ad ſalutem & ſanctificationem inſtituta: numero quidem (inquit Auguſtinus) pauciſſima, vſu facillima, ſignificatione præſtantiſſima, intellectu auguſtiſſima, obſeruatione ſaluberrima. E quibus vix quinque ſunt, quæ ſimpliciter ad omnes ſpectent. Et ex his, duo ſemel dumtaxat tota vita vſitantur, numquam pòſt repetuntur. Poſtremum etiam omnium, ſatis eſt in vltimo ex hac vita diſceſſu ſuſcipere. Duo autem reliqua ex Eccleſiæ præcepto non ampliùs quàm quotannis ſemel adeunda. Præter hæc adiiciuntur & alia Eccleſiæ tria præcepta: puta, de ſeruandis per annum præcipuis quibuſdam Feſtis, de Ieiuniis item quibuſdam, & de audienda Dominicis Feſtiſque diebus Miſſa: quæ viua quædam eſt & expreſſa memoria Sacrificij illius vnici, quo nos in cruce redemit Chriſtus. Quid eſt autem in his ritibus, quo populus dici queat grauari vel impediri à rebus melioribus? Nam ceteræ pænè omnes cæremoniæ ad clericos ſpectant (qui ſic dicuntur) & Sacerdotes: quorum munus eſt proprium in Dei cultu ſemper eſſe occupatos.

Epiſt. 118. & lib. 19. cont. Fauſtum, c. 13.

Quàm verò odioſè & malignè comparentur Eccleſiæ cæremoniæ, à Caluino & ſimilibus, cum ritibus obſeruationibuſque Iudaicis, quis bonæ mentis non perſpicit? Ibi enim

præter ſacrificia & ſacramenta tam varij generis, præter duram & cruentam circumciſionem, præter agnum paſchalem, præter oblationem victimarum, purificationes, expiationes, baptiſmata varia, vt Apoſtolus ait; præter hoſtias pro peccatis vltroneis, pro delictis per ignorantiam, de quibus pænè totus Leuiticus; multa etiam ſacra ſigna erant & obſeruationes propheticæ ac figuratiuæ pænè innumeræ: tantaque circa ſingula, tam operoſa & curioſa obſeruationis ratio; præterquam quod omnia erant per ſe egena, infirma, inania elementa, (teſte Paulo Apoſtolo) atque ad emundationem carnis, vt idem docet, inſtituta; vt ſi quis Chriſtianorum cæremonias cum illis conferre velit, is Iudaico potiùs quàm Chriſtiano ſpiritu præditus eſſe cenſendus ſit, vel potiùs Chriſtianiſmi totius deriſor Lucianicus & Apoſtaticus.

Sed ſolent aduerſarij quidam noſtri proferre verba quædam ex Auguſtino, contra multitudinem cæremoniarum Eccleſiæ Chriſtianæ; quibus verbis, tantæ vir auctoritatis, cæremonias noſtras Iudaicis obſeruationibus comparare videtur. [Epiſt. 119. cap. 19.] Multa, inquit, hodie obſeruantur, quæ quamvis contra fidem non ſunt, ipſam tamen religionem (quam pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationum ſacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit) ſeruilibus oneribus premunt; vt tolerabilior ſit conditio Iudæorum; qui, etiamſi tempus libertatis non agnouerunt, legalibus tamen ſarcinis non humanis præſumptionibus ſubijciuntur. Sic ille. Sed quid iſta commune habent cum impijs nouatorum blaſphemijs? His enim verbis Auguſtinus (vt paucis nos ab hac obiectione expediamus) non loquitur de ritibus & obſeruationibus vniuerſalis Eccleſiæ; abſit: nec de cæremonijs etiam veteribus, bonis atque vtilibus, Eccleſiarum particularium; quæ plerumque non paulò plures ſunt, quàm quæ generaliter vbique ſeruantur. Et quidem de hoc poſteriori cæremoniarum genere, hanc ibi ipſemet Auguſtinus præſcribit ſaluberrimam regulam: vt, quæ non ſunt contra fidem, nec contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicumque inſtituta videmus, vel inſtituta cognoſcimus; non ſolùm non improbemus, ſed etiam laudando & imitando ſectemur. De his ergo ac talibus ritibus tam honorificè locutus, deſcendit tandem ad tertium rituum Eccleſiaſticorum genus, qui videlicet recèns in aliquibus Eccleſijs inſtituti ſint, & quotidie inſtituantur ac mutentur, etiam cum obligatione præcepti ac obſeruationis neceſſariæ. Et hæc quidem tametſi creſcunt multitudine; tamen in his etiam & ſimilibus, propter ſcandalum infirmorum, multa toleranda eſſe declarat. Quod autem inſtituitur, ait, propter conſuetudinem, vt quaſi obſeruatio Sacramenti ſit, approbare non poſſum: etiamſi huiuſmodi multa, propter nonnullorum vel ſanctorum vel turbulentorum ſcandala deuitanda, improbare non audeo. Clara eſt igitur in his verbis mens & doctrina Auguſtini: cum qua [Epiſt. 118. cap. 7.] optimè conuenit doctrina eiuſdem de vniuerſalibus Eccleſiæ Sacramẽtis, & ritibus, quam tradit Epiſtola proximè præcedente, vt paulò antè diximus; Chriſtum Dominum, qui leui nos ſuo iugo ſubdidit, & ſarcinæ leui Sacramentis pauciſſimis & obſeruatu facillimis ſocietatem noui populi colligaſſe.

CAPVT XXIIII.

Cur nunc plures in Dei cultu cæremoniæ quàm fuerint initio Eccleſiæ.

QVAMVIS autem hæc ita ſe habeant, nolumus tamen inficias ire, Chriſtum Dominum & Apoſtolos eius perpaucos in conſecratione ſacræ Euchariſtiæ, atque in oblatione eiuſdem, in Baptiſmo, in ceteris Sacramentis, & in alijs ad exercitia Chriſtianæ religionis ſpectantibus, ritus externos aut cæremonias adhibuiſſe: cuius rei cauſa fuit grauis, eaque non vna. Primùm enim initia rerum omnium ſemper tenuiora ſunt, paulatim creſcunt in maius. Ita in religione veteris Teſtamenti, quam Deus tamen ipſe omnem inſtituit, nequaquam tam multæ nec tam ſplendidæ fuerunt cæremoniæ ab initio, quam poſteà Dauidis & Salomonis regum temporibus. Tunc & templum ipſum demum erectum fuit, caput veluti religionis, & cæremoniarum omnium: tunc & cantores ordinati, qui per vices, tum viua voce, tum varijs inſtrumentis muſicalibus, Dei laudes in templo cantarent, vt patet ex libris Paralipomenôn.

Paupertas frequenter vna in cauſa eſt, vt multa non fiant ad gloriam Dei, quæ poſteà rebus melius habentibus, Deique ſuperueniente benedictione, inſtituuntur. Illa occaſio

in pri-

in primis locum habuit, vt notum eſt, initio Eccleſiæ Chriſtianæ, multis ſæculis. At verò, primaria cauſa, cur paucæ adhiberentur externæ cæremoniæ in initio Eccleſiæ Chriſtianæ, illa erat, quòd plena omnia vbique iræ, odij, inuidiæ, maleuolentiæ, & hinc naſcentis perſecutionis grauis ac multiplicis in Chriſtianos: adeò vt nuſquam ijs tutò liceret conſiſtere, nec templa erigere poterant, nec fixa altaria, nec publicè canere Dei laudes, nec multa alia facere, quæ ad decorem & ornatum & magnificentiam ſpectant cultus Dei: ſecretò in priuatis ædibus, in cryptis locisque ſubterraneis, non ſine magna trepidatione, erant omnia peragenda. At poſteà, pace Eccleſiæ diuinâ benignitate conceſſâ, multiſque non ſolùm diuitibus & nobilibus viris, ſed Regibus quoque & Principibus Chriſtianam fidem amplectentibus, viſum fuit minime conuenire, vt diuinus cultus tam tenuiter perageretur. Tacti fuerunt Principes & Præpoſiti Eccleſiæ illa religione, illoque ſpiritu moti, quo Dauid rex correptus erat, cùm diceret Prophetæ Nathan, Vide'ſne quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium? Ita ſenſim externos ritus in Dei cultu inſtituere cœperunt, quales diuini nominis ſplendor & magnitudo requirere videbatur; erigere templa atque altaria, ornare illa ſacris picturis, imaginibus, vaſis aureis atque argenteis; cantum ſolemnem, organa, campanas adhibere, & ſimilia: tum, vt hac ratione dignitas cultus Dei, maieſtaſque diuini nominis magis omnibus commendaretur, & res ſacræ à contemptu vindicarentur; tum ad maiorem inſtructionem rudis & ſimplicioris populi: vt vis religionis noſtræ, operatio & fructus Sacramentorum, in ipſa actione externa cum ritibus & cæremonijs congruis & decentibus, luculentiùs explicaretur & proponeretur ob oculos.

Quibus etiam in ritibus habita fuit ratio eorum; quæ viſa fuerunt ſeruire ad conſeruationem ordinis ac decori, in conuentibus fidelium, vbi Sacramentorum adminiſtratio celebranda fuit. Illa verò erant duplicis generis. Conſtabant enim partim verbis, partim multis geſtibus. Verbis quidem, vt ſunt lectiones ex Scripturis ſacris, exhortationes, laudes, gratiarum actiones, & alia huius generis, quibus doctrina fidei de gratia Dei, de merito paſſionis Chriſti, de virtute Sacramentorum, de vitijs & virtutibus explicatur. Quibus non contenti, vt doctrina illa omnis, cùm meliùs traderetur, tum memoriæ tenaciùs infigeretur, magiſque & efficaciùs animos moueret, verbis illis adiecerunt certos ritus ac geſtus externos. puta, in obſeruatione dierum feſtorum ad Chriſti redemptoris, Martyrum, & aliorum Sanctorum memoriam; in veſtibus ſacerdotalibus, in ornatu templorum atque altarium; in calicibus & crucibus aureis atque argenteis, in luminaribus, & ſimilibus.

Et hæc quidem de cæremonijs Eccleſię ſatis eſſe videri poſſunt ad inſtructionem legentium, pro breuitate potiſſimùm, quam toto hoc in ſcripto ſequi decreuimus.

Capvt xxv.

De cæremonÿs Nouatorum, in Dei cultu, & conuentibus ipſorum: quàm diuerſa à cæremonÿs Eccleſiæ.

Attamen, quia ſectarij noſtri, Eccleſiæ penè omnes cæremonias tanta audacia ac temeritate reijciunt atque explodunt, non erit fortaſſe Lectori ingratum, videre quibuſnam ipſi ritibus & cæremonijs vtantur in conuentibus ſuis, & celebratione myſteriorum, ſeu veriùs ſacrilegiorum ſuorum: nullos enim omnino in huiuſmodi actionibus ritus externos adhibere ad maiorem lucem, ad declarationem rerum quæ aguntur, eſt quodammodò contra naturam. Quomodo igitur ipſi ſe habent, in ſacris ſcilicet conuentibus ſuis, & in adminiſtratione Sacramentorum ſuorum? Vtuntur etiam templis, ſeu locis, illum in vſum propnè deſignatis. Sed quàm longè alia ſit plerumque forma templorum ipſorum, quæ ipſimet præſertim noua exſtruunt, quàm noſtrarum Eccleſiarum; etſi paulò antè breuiter indicauimus, vno tamen verbo hîc idem ad meliorem omnium intelligentiam duximus repetendum.

Noſtra templa ferè præ ſe ferunt figuram crucis Chriſti, inſtrumenti primarij redem- FORMA TEMPLORVM CATHOLICORVM.
ptionis & ſalutis noſtræ. Chorus (qui vocatur) Eccleſiarum noſtrarum, locus proprius Sacerdotum, eſt velut ſumma crucis pars, quam caput attingebat Redemptoris noſtri, illaque ſemper Orientem reſpicit. Ab ea parte, mox extenduntur in contrarias partes (Aquilonem

lonem ſcilicet ac Meridiem verſus) duo Eccleſiæ latera, ceu totidem crucis vel Saluatoris crucifixi, brachia. Ab his deinde reditur ad medium, indéque vtrimque æquali ſpatio longior extenditur Eccleſiæ pars, Occidentem verſus, vt infima crucis pars habeatur, quæ terræ imponebatur. At, nouatorum templa vel ſolam habent ac perpetuam tantum longitudinem, inſtar horreorum; vel ſunt in orbicularem ac rotundam formam extructa, ad modum Meſchitarum Turcicarum. Quæ profectò formæ, præterquam quòd nullam habent aſpectus pulchritudinem, nec diuerſorum locorum ad varia pietatis ac deuotionis Chriſtianæ exercitia commoditatem, vt noſtra habent templa, carent etiam ſignificatione illa & figura ſaluberrima myſterij Crucis, in qua eſt omnis ſpes ſalutis, vitæ, & reſurrectionis noſtræ.

Ad hæc, quæ ipſi templa ædificant, nullam habent conſecrationem vel benedictionem Pontificalem; quæ cæremoniæ ſunt in templis Chriſtianorum antiquiſſimæ, vt omnes Eccleſiaſtici ſcriptores teſtantur, quarum myſterium, ſignificationem, doctrinam, Bernardus explicat ante annos quingentos. Nulla habent in templis altaria, vetuſtiſſimo etiam Eccleſiæ ritu conſecrata; & loco ſanctorum altarium, in celebratione cœnæ ſuæ, menſis vtuntur communibus & profanis: veſtes ſacras in eadem actione nullas; vt apud eos, non ſacrificium Chriſtianorum, ſed vulgare dumtaxat & profanum côuiuium, queas agnoſcere. Sicuti nec incenſum nec luminaria adhibent vlla; quæ tamen iam inde ab initio in templis & myſterijs Chriſtianorum adhiberi ſolita, Hieronymus, Prudentius, ceteríque veteres ſcriptores vno ore teſtantur, bonamque etiam illius rationem reddunt.

Hieronym. contra Vigilantium. Prud. hymno de ſancto Laurentio.

De miniſtris autem illorum, vt vocant, quid dicemus? qui & ad verbum Dei prædicandum in habitu planè laico ſuggeſtum aſcêdunt; nonnumquam etiam accincti gladio, & ad cœnæ ſuæ (nam Domini cœna vel ſacra vocari non meretur) actionem perficiendam, ſimili habitu menſæ accumbunt: vt milites potiùs & hiſtriones eſſe videantur, quàm rerum tam ſacrarum (vt quidem profitentur) diſpenſatores. Vituperant mirum in modum canendi modum noſtrum per Sacerdotes & alios Deo dicatos, in habitu Eccleſiaſtico; preces horarias & ſimilia officia cultus Dei. Sed dicant nobis, obſecro; quid ipſi præſtant melius vel decentius, cùm religionis cauſâ conueniunt promiſcuè viri & mulieres, iuuenes & puellę ſimul, decantant in habitu domeſtico vel nuptiali hymnos, Pſalmoſque Dauidicos? Et cùm Paulus in Eccleſia mulieres inter viros loqui non permittat, ipſi mulieres omnis generis, virgines etiam honeſtâ formâ cantare illic publicè & muſicis inſtrumentis ludere in cœtu virorum non ſolùm permittunt, ſed etiam iubent. Quis vnquam tale aliquid in Eccleſia, niſi fortè à deploratis hæreticis, factum audiuit?

MINISTRORVM HÆRETICORVM DESCRIPTIO.

CANTILLATIO PROMISCVI SEXVS.

Accuſatur hoc nomine grauiter à ſcriptoribus Eccleſiaſticis Paulus Samoſatenus; ab Epiphanio Euchitæ ſeu Maſſiliani; Pelagius ab Hieronymo. Quid enim magis hominum mentes permouere poteſt ac pellicere ad leuitatem & laſciuiam, quàm vox & cantus muliebris ac puellaris, ad ſuauitatem & modulationem compoſitus? Quàm multi illic non tam ad verba Pſalmorum, quàm ad dulces & artificioſas formoſarum puellarum voces, vocumque gratiſſimas inflexiones, auſcultant? Et, ne mireris; proinde etiam multo plures auditores ad huiuſmodi Pſalmorum cantum, quàm ad miniſtrorum Euangelicorum conciones, plerumque conueniunt.

Hieronym. dialog. contra Pelag.

Quòd ſi nobis hic obiiciant, virgines ſacras & moniales iuxta Eccleſiæ Catholicæ morem; in templis ſuis alternos hymnos Pſalmoſque decantare: illud ſibi reſponſum habeant, virgines huiuſmodi haudquaquam promiſcuè cum viris, ſed Deo & ſibi canere, loco, ab omni virorum & extraneorum quorumuis acceſſu, ſeiuncto. Certè, in monaſterijs, ab ſancta illa & nobili Paula Romana extructis, tempore & conſilio Diui Hieronymi, ſacras virgines Dei laudes ceciniſſe idem teſtis S. Hieronymus; & in alijs monaſterijs idem factum ſcribit Auguſtinus.

Hieron. in Epitaph. Paulæ.

Accedit ad huiuſmodi (ſacros ſcilicet) hæreticorum noſtrorum conuentus publicos, & alius abuſus longè maximus, iſque multiplex. Quis ille? Quòd nimirum omnia hic leguntur, cantantur, lingua vernacula, cùm hactenus in precibus liturgicis vſus tantummodò fuerit apud Catholicos omnes linguæ Græcæ aut Latinæ. Deinde quòd Pſalmi Dauidici, & aliæ Scripturæ, legantur cantenturque verſa ex Græco vel Hebraico [illegible] ab hæreticis, detortaque ad confirmationem errorum ac blaſphemiarum ſuarum. Quo quid eſſe poteſt magis impium vel ſacrilegum?

LINGVAE VERNACVLAE VSVS, QVANTVS ABVSVS.

Quòd ſi quæras, vbinâ in cœna illorum ſit ſolemnis precatio pro pace Eccleſiæ, vbi ſupplicatio & inuocatio ſuper dona ſancta pro regibus & principibus, de qua Auguſtinus, vbi myſte-

myſteriorum oſtenſio, generatio, adoratio, de qua Baſilius; vbi Sanctorum cæleſtium inuocatio, vbi memoria pro defunctis, de qua Chryſoſt. Auguſt. & alij; vbi ſolemne pacis oſculum, vbi gratiarum actio, vbi ſacerdotalis benedictio ſuper populum, vbi frequens populi ſalutatio, & multa ſimilia, quorum veteres vbique meminerunt; nihil ibi penitus horum omnium: nimirum huiuſmodi gemmæ procul ab hæreticorum ſterquilinio; nec tales margaritæ quærendæ apud porcos. Et interim, videri volunt ad primæuæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ formam, egregij reformatores, omnia reformare.

Nec quidquam hîc adhuc de crucis in ſacris myſterijs ſignatione meminimus, quàm Chryſoſtomus * (inter alios) in ſacra menſa ac myſtica cœna adhiberi teſtatur. Quid autem illam cæremoniam adhiberent; cùm ludibrio habeant potiùs, caneque & angue peius oderint? Sed nimirum, vix alio certiore ſigno declarare poſſent, ſe illos ipſos eſſe, de quibus Apoſtolus; * Inimicos crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt & gloria in confuſione ipſorum.

[DE SIGNO CRVCIS APVD CATHOLICOS.]
[* *Contra gentes quod Chriſtus ſit Deus.*]
[* *Philipp. 3.*]

Et eſt ratio longè maxima, quamobrem Satanas, hanc cæremoniam ſignationis crucis Chriſti, tanto odio proſequatur. Iſta nimirum: quòd in ſola hac ſignandi nos cruce ratione, tota propemodum fidei Chriſtianæ ſumma, totumque redempti per Chriſtum humani generis myſterium, exprimatur. Exprimimus in primis & formamus ſignum crucis tribus communiter digitis. quo ſignificamus totam ſanctam Trinitatem opus redemptionis noſtræ perfeciſſe: id quod vbique etiam Scriptura teſtatur. Ducitur autem primùm manus à vertice capitis vſque ad vmbilicum; vt ſignificetur, Dei filium mundo redimendo à ſummo cælo in vterum vſque Virginis deſcendiſſe, ibique aſſumpſiſſe naturam noſtram, carnemq; mortalem. Deinde à ſiniſtro humero ſeu brachio, ad dextrum, in crucis formatione proceditur; vt nimirum cauſa incarnationis filij Dei exprimatur. Nam propterea de cælo in terram deſcendit, reliquit domum ſuam, dimiſit hereditatem ſuam, dedit dilectam animam ſuam in manus inimicorum ſuòrum (vti Propheta inquit) vt nos, qui eramus propter indignitatem noſtram à ſiniſtris inter hœdos collocandi & ſupplicijs perpetuis addicendi, ad dextram transferret inter oues ſuas; vbi vocem illam gratiſſimam audire liceret: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.

[FORMA TAE CRVCIS SIGNIFICATIO.]
[*Innocentius lib. 2. c. 44.*]

Ecce quanta fidei noſtræ myſteria, hac vnicâ nos cruce ſignandi cæremoniâ, comprehendat ac doceat filios ſuos mater Eccleſia! vti, ſi rudis quiſpiam inter Chriſtianos, qui cetera fidei ſublimiora myſteria aſſequi nequeat, nihil præterea ſciat, vel hoc vnum illi propemodum ad ſalutem conſequendam ſufficiat; cùm hîc & incarnatio Chriſti, & paſſio, & cauſa vtriuſque, & extremum iudicium, vnâ crucis ſignatione, repræſentetur, & quaſi ob oculos ſtatuatur. Sed, quando his de rebus ſatis iam diſputatum, ad alia pergamus, quæ ſcribit Caluinus.

CAPVT XXVI.

Vnde, & à quibus petenda ſit recta Scripturæ interpretatio.

DIXERAT Sadoletus, imperitum populum ad nouitatem vſque procliuem, deceptum fuiſſe ab his nouis doctoribus & magiſtris, per nouam quamdam & plauſibilem Scripturarum interpretationem; qua rudibus proponebant neſcio quam nouam obſcuramque ſapientiam, qua fraudem ſuam malitiamque tegebant, vt meritò illud Pauli in eos locum haberet; Videte nequis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum. Hoc Caluinus grauiter admodum fert. Et quod in primis ad Scripturæ interpretationem attinet, dicit, ſe ſuoſque tantam verbo Dei lucem ſuis lucubrationibus intuliſſe; vt hoc in genere omni laude eos fraudare, vel inuidiam ipſam pudeat. O frontem meretriciam, quæ neſciat erubeſcere! Nos hic Caluino pro Sadoleto reſpondemus, non lucem eum cum ſuis verbo Dei & ſacris Scripturis aliquam intuliſſe, ſed tenebras illis potiùs pluſquam Ægyptiacas vel Cimmerias offudiſſe.

[*Coloſſ. 2.*]

Eſt autem hæreticis fuitque ſemper proprium, de ſacrarum Litterarum peritia rectaque interpretatione gloriari, illarumque teſtimonia ſemper in ore habere: ſed illa (vt rectè Vincentius Lirinenſis ait) nouo maloque modo interpretata. Qui & pulchrè docet, quænam recta ſit & vera Scripturarum interpretatio; nempe vt diuinum Canonem ſecundùm

[*Hilarius libro de Trinitate.*]

dum vniuerſalis Eccleſiæ traditionem, & iuxta Catholici dogmatis regulas, interpretemur; in eoque Eccleſiæ Catholicæ ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Quidquid verò, quamuis ſanctus quiſpiam vel doctus, præter omnes, aut contra omnes, ſenſerit; id inter proprias, priuatas, & occultas opiniunculas, à communis, publicæ, & generalis ſententiæ auctoritate ſecretum ſit: nec cum ſummo æternæ ſalutis periculo, iuxta ſacrilegam hæreticorum & ſchiſmaticorum conſuetudinem, vniuerſalis dogmatis veritate dimiſſa, vnius hominis nouitium ſectemur errorem. Sic & Clemens D. Petri diſcipulus & ſucceſſor: Oportet, inquit, ab eo diſcere intelligentiam Scripturarum, qui eam à maioribus ſecundum veritatem ſibi traditã ſeruauit; vt & ipſe poſſit, ea quæ rectè accepit, competenter aſſerere. Cui pulchrè concinit æqualis Clementis Dionyſius Areopagita: Ad ſanctiſſimarum, inquit, Scripturarum intelligentiam, prout illam à Patribus accepimus, pro viribus pergamus. Nec diſſonat Irenæus: Vbi chariſmata, inquit, Dei poſita ſunt, ibi diſcere oportet veritatem; apud quos eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis Eccleſiæ ſucceſſio; & id quod eſt ſanum & irreprehenſibile ſeruatur. Hi enim fidem noſtram cuſtodiunt, & Scripturas ſine periculo nobis exponunt. Denique Tertullianus; Ordo, inquit, rerum deſiderat, illud priùs proponi, à quo, & per quos, & quomodo, & quibus ſit tradita diſciplina, qua ſunt Chriſtiani. Vbi enim apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ & fidei Chriſtianæ; illic erit veritas Scripturarum, & expoſitionum, & omnium traditionum. Qui & veriſſimè idem dicit, hæreticos nullum ius habere vel citandis vel interpretandis Scripturis: ex quo enim fideles eſſe deſierunt, & proprietatem & poſſeſſionem omnem Scripturarum amiſiſſe. Si hæretici, inquit, ſunt, Chriſtiani non ſunt. Ita, non Chriſtiani, nullum ius habent Chriſtianarum Litterarum. Similia habent Origenes & Athanaſius. Sed inprimis memorabile exemplum huius rei præbent duo illa Græcę Eccleſiæ lumina Baſilius & Nazianzenus; quòd nimirum ita tractabant ſacras Litteras, vt earum intelligentiam non ex propria præſumptione, ſed ex maiorum ſcriptis atque auctoritate haurirent: eorum ſanè quos ex Apoſtolica ſucceſſione intelligendi regulam ſumpſiſſe conſtabat.

Clementis Epiſtol. 1. Dionyſius de Cælest. Hierar. lib. 1. cap. 1. Iren. lib. 4. cap. 45. & 63. De Præſcript.

Ruff. lib. hiſt. cap. 9.

CAPVT XXVII.

Quomodo Caluinus & ceteri ad Scripturam interpretandam accedant.

QVID autem Caluinus? quid ceteri eiuſdem farinæ? Accedunt ad Scripturarum tractationem cum ingenti & ſuperbiſſimo Patrum Eccleſiæ veterumque Doctorum ac totius Eccleſiaſticæ interpretationis contemptu, pleni arrogantiſſima proprij ingenij fiducia, vt de Caluino nominatim oſtendimus antè. Et qui inter eos doctiores ſunt, humanis dumtaxat armis inſtructi veniunt & præſidijs; linguarum ſcilicet ac hiſtoriarum notitiâ, cum eloquentiæ ſæcularis & bonarum litterarum vel nonnulla veritate vel opinione. Accedunt imbuti nouis erroribus, pleni hæreſibus teterrimis: accedunt poſtremò inflammati inuidiâ atque odio maximo in totam Eccleſiam Catholicam, præſertimque in Eccleſiæ eiuſdem ſummum Paſtorem, inque alios Prælatos & Præpoſitos. Quomodo in huiuſmodi animos influere poſſet Spiritus ſanctus, ad rectam intelligentiam & explicationem ſanctarum Scripturarum?

1. Pet. 1. Petrus Apoſtolus hoc in primis ſciendum admonet, quòd omnis prophetia Scripturæ, propriâ interpretatione non fit. Quomodo igitur? Ab eo petenda vera Scripturæ interpretatio, qui auctor eſt Scripturæ. Non eſt autem Scriptura allata, inquit, propria hominum voluntate: ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines. Hic eſt igitur interpres vnicus Scripturarum, ſicuti rex interpres eſt legum quas condidit. Super quem verò requieſcet Spiritus ſanctus, aut ad quem reſpiciet? Ad pauperculum, inquit, tantummodò & contritum ſpiritum, & trementem ſermones Dei. Hic veram Propheta haud dubiè mentis demiſſionem ſiue humilitatem deſcribit: quæ longiùs abeſt ab animo hæreticorum omnium, quàm cælum ſupremum à terrâ infimâ.

*QVOMODO HAERETICI CANONEM SCRIPTVRAE PERVERTANT.

*Hi igitur ſuperbiæ ſpiritu pleni, primùm nobis illas ac tales Scripturas relinquunt, quas volunt, & quas volunt tollunt. Vt enim vetus hîc Inſtrumentum prætercam, ex quo reijciunt libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum; alij ex noui Inſtrumenti Scripturis repellunt Epiſtolam Pauli ad Hebræos, alij Epiſtolam Iacobi, quam Luthe-

Lutherus non Apoſtolicam vocabat, ſed ſtramineam: credo, quia dilucidè prædicat iuſtitiam, & merita bonorum operum. Alij non probant ſecundam Epiſtolam Petri, vt nec Iudæ Apoſtoli; Caluinus nihili facit Apocalypſim B. Ioannis. Interrogatus enim quid de libro illo ſentiret, reſpondit, ſe penitus ignorare, quid ſibi vellet tam obſcurus ſcriptor; qui, quis, qualiſque fuerit, nondum ſibi conſtare. *Bodinus in methodo Hiſtoriarum.*

CAPVT. XXVIII.

Verſiones S. Scripturæ, per hæreticos editæ, plenæ errorum.

ALTERA quam Scripturæ intulerunt iniuria & ignominia, hæc eſt, quòd noui iſti Eccleſiæ magiſtri, noui Doctores atque interpretes Scripturarum, tum veteris Interpretis tum Diui etiam Hieronymi tranſlationem omnes vno velut ore repudiant; nec quidquam commune habere volunt cum vnius vel alterius verſione. Vnuſquiſque verò nouam ſibi veteris Scripturę ex Hebraico, nouę autem ex Gręco textu verſionem conficit; vt tot ſint ferè tranſlationes nouæ ſacrarum Scripturarum, quot ſunt qui Commentarios in illas ſcripſerunt: ſunt autem, vt notum eſt, pæne innumeri. Ita nemo alterius doctrinam, aut verſionem, aut commentarios etiam, quidquam moratur: cùm ſe ſinguli tam doctos reputent, quàm alios quoſuis & tam multum ſe præſtare poſſe in interpretatione quàm ceteri quilibet; nec quiſquam diſcipulus hîc cedere velit, aut honorem deferre aliquem præceptori ſuo; quin & vnus atque idem etiam qui nunc ſic vertit Scripturam aliquam ex Græco aut Hebraico textu, breui temporis interuallo aliter vertit, ac diſſentit à ſemetipſo. O monſtra! Edidit primus omnium nouam veteris Inſtrumenti verſionem Lutherus: in cuius præfatione audet affirmare, ſe locis innumeris ſententiam Scripturæ clariùs & fideliùs reddidiſſe quàm Hieronymus. Adeò ſe tam eximio Eccleſiæ Doctori præferre homo improbus non dubitauit. Et tamen, paucis pòſt annis, nouam iterùm aliamque verſionem emiſit lingua Germanica, in qua multa addidit, omiſit, mutauit, ſecùs atque prima habebat editio. Si prima eius tranſlatio tam exacta & perfecta erat omnibus numeris, vt Hieronymi tranſlationem tot modis ſuperaret; quî factum vt in ſecunda ſtatim tranſlatione tam multa mutata ſint? Quando ad eum modum ſuam verſionem mutauit atque inuertit Hieronymus? Sed dum ſemel à veritate, ceu recta via, receditur, numquam finis aut modus errandi. Vel ex vno Euangelio Matthæi annotarunt quidam locos pluſquam triginta tres, in quibus aliter habet ſecunda Lutheri editio, *Cochleus anno 1522. in vita Lutheri.* quàm prima; quæ poſteriorem annos dumtaxat quinque præceſſerat.

Quanta verò omnium rerum, iudiciorum, doctrinarum confuſio, quanta animorum turbatio, quanta diſſenſio, ex tot & tam diuerſis Scripturæ verſionibus ſecuta ſit in populo, quis facile credat aut explicet? Pars, illius verſionem ſequitur, pars alterius: pars eò tandem cæcitatis ac dementiæ venit, vt, cùm tantam videant verſionum Sacræ ſcripturæ diuerſitatem, in animum inducant, omnes omnium verſiones, veteres iuxtà nouaſque reijcere: nec vllam prorſum recipere ſacram Scripturam, ſed ex interna Dei vel Spiritus ſancti doctrina ac reuelatione pendere. Vide dementiam hinc emergentem. Huius inſaniæ auctor tandem fuit Zvvencfeldius quidam: nec paruum etiam diſcipulorum gregem poſt ſe traxit. Inuenti ſunt ex Germanis, qui in ſolo nouo Teſtamento, per Lutherum in Germanicam linguam tranſlato, mille errores & falſitates annotarint. Poſt aliquot verò annos, creſcente ſemper errore, Cutbertus Gonſtallus Epiſcopus Londinenſis ex ſimili nouo Teſtamento, in Anglicam linguá ex Lutheri Germanica tranſlatione conuerſo, vbi Coloniæ clàm impreſſum atque in Angliam per fautores hæreticorum importatum fuerat, Londini in concione publicè affirmauit, ſe ſupra duo millia falſitatum reperiſſe. *Luth. vide ſuprà. & anno 1526.*

Quomodò igitur in tanta verſionum confuſione ac diuerſitate in tanta Scripturarum ſanctarum peruerſitate & corruptione, veritas inueniri queat à nouatoribus iſtis; dum ſuam quiſque verſionem atque interpretationem pro vera, alterius pro falſa atque adulterina habet ac tuetur? Et hæc eſt videlicet lux illa, quam Caluinus ſuos homines inueniſſe, verboque Dei & Scripturis ſacris intuliſſe dicit, lucubrationibus ſuis; & de quo tam magnifice gloriatur. Imo hi ipſi ſunt potiùs, qui Scripturis offundunt denſiſſimas tenebras, vt nunc ſatis manifeſtum fecimus, qui multis eas modis corrumpunt & peruertunt; qui in alienos & contrarios ſenſus detorquent, numquam priùs auditos in populo

pulo Chriſtiano : qui ludunt in Scripturis interpretandis, ad ſimplicium ſubuerſionem, pro arbitrio ſuo; qui ex ſaluifico pane Scripturarum, & vino ſalutari, merum faciunt toxicum; qui mel dulciſſimum in venenum mortiferum vertunt, quo animas fidelium intoxicant, occidunt, perdunt miſerrimè.

Vtuntur Scripturarum pallio, pro veſtimentis ouium, ad fallendos incautos. Verè illi (*Matth. 7.*) de quibus Chriſtus: Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, (*Vincen. Lerinenſis.*) intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Quid ſunt enim veſtimenta ouium (inquit Catholicus quidam & eruditus) niſi Prophetarum & Apoſtolorum eloquia? Quid ſunt lupi rapaces, niſi ſenſus hæreticorum feri & rabidi, qui caulas Eccleſiæ ſemper infeſtant, & gregem Chriſti quaquà poſſunt dilacerant. Sed vt fallaciùs incautis ouibus obrepant, manente luporum feritate deponunt lupinam ſpeciem, & ſeſe diuinæ legis ſententijs, velut (*2. Pet. 3.*) quibuſdam velleribus, obuoluunt. Hi ſunt indocti atque inſtabiles illi, qui, teſte Petro Apoſtolo, Scripturas ſacras deprauant ad ſuam ipſorum perditionem. volentes eſſe le- (*1. Tim. 1.*) gis Doctores, vt Paulus ait, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

CAPVT XXIX.

Quòd Scriptura ſit mutus iudex; & quæ Philoſophia in Scripturis ſacris improbetur.

A Quibus ſuis Eccleſiæ Conciliorum, Pontificum, Patrum decretis, ſumma fraude ac nequitia, ad Scripturas ſemper appellant, tamquam ad mutos iudices; eas cùm in manus acceperint, vertunt, inuertunt, peruertunt, vt volunt: mox adorant opera manuum hominum; ſua ſcilicet commenta, pro Dei verbo obtrudentes. Chriſtum dicere, Apoſtolum docere, Scripturam loqui, verbum Dei clamare mentiuntur; quod ipſi contra omnem Scripturam & verbum Dei confinxerunt è cerebro ſuo.

SENSVS SENTENTIAE PAVLI, NE QVIS VOS SEDVCAT, PER PHILOSOPHIAM. *Coloſſ. 2.*

Negat Caluinus, quod Sadoletus ſcripſerat, ſe vel alios noui Euangelij nouos Doctores, populum ſpinoſis ſubtilibuſque quæſtionibus ſeduxiſſe; aut per inanem aliquam Philoſophiam, quam Paulus condemnat, circumduxiſſe: imò illam Pauli ſententiam potiùs contra nos facere, qui humanis conſtitutionibus, tamquam inanibus elementis, Eccleſiam perdiderimus. Quæ vt meliùs intelligamus, videndum ante omnia, quid ſibi his verbis velit Apoſtolus, quem vterque dicit ſtare pro parte ſua. Sic autem habet: Videte nequis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum. Quibus in verbis inquirendum in primis, quid Apoſtolus nomine Philoſophiæ intelligat. Lutherus, ſub initium ruinæ atque apoſtaſiæ ſuæ, docebat, hîc damnari ab Apoſtolo Philoſophiam omnem Ariſtotelicam: vnde & dicebat, imprudens & impudens; Meum eſt conſilium, vt (*Cochlæus anno 1522. & Surius anno 1522.*) adoleſcens vitet Philoſophiam & Theologiam ſcholaſticam, vt mortem animæ ſuæ. Nec ſolus Lutherus aut primus hoc Apoſtoli teſtimonio abuſus eſt, ad damnandam Philoſophiam naturalem, ab Ariſtotele & ſimilibus traditam. Inter articulos Ioannis VVyclef, damnatos in concilio generali Conſtantienſi, ante annos propè ducentos, eſt huius quoque farinæ articulus 29. Quibus reſpondet Clemens Alexandrinus in libris Stromatum; docens, non reprehendi ab Apoſtolo Philoſophiam veram quæ de rerum naturis diſſerit, nec artes liberales, ſed Philoſophiam Epicuream, quæ Deo adimit prouidentiam, ac in Deorum numerum refert voluptatem; præterque res viſibiles & corporeas nihil eſſe credit. Huiuſmodi & ſimiles Philoſophiæ doctrinas atque opiniones condemnat Apoſtolus, quæ ab ipſis auctoribus Philoſophiæ nomine venditantur, cùm nihil minùs ſint, ſed futiles tantùm inſipientium hominum traditiones, quemadmodum Apoſtolus ait.

Addo, inanem Philoſophiam apud Apoſtolum ſignificare quoque argumenta Philoſophica inania, defectu materiæ vel formæ. Deficiunt enim aliquando in veritate antecedentis, aliquando in conſequentia. Talibus argumentis oppugnabatur fides, & etiamnum oppugnatur, à gentilibus: & modò Caluiniſtæ, contra venerabilem Euchariſtiam, quod corpus non poſſit eſſe in pluribus locis.

* PHILOSOPHIA NON EST ILLA MERETRIX. *Prouerb. 5. & 7.*

* Nec eſt Philoſophia meretrix illa, vt alij garriunt, quietis impatiens, vaga, & garrula, procax, blanda adulatrix, præparata ad decipiendas animas, iuxta Sapientem. Sed,

ſi quid

ſi quid ſimile de Philoſophia ſentiendum, eſt Thamar illa (vt Melchior Canus ait, ne quem laude ſua fraudemus) quæ cauſa prolis ſuſcipiendæ ſedet in biuio; ad quam ſtudioſus & fidelis Iudas declinauit, ex eaque genuit Phares & Zaram, ex quorum priore natus eſt Chriſtus. *Lib. 8 de locis Theol.* Alij Philoſophiam Ariſtotelicam & ſæcularium Litterarum ſcientiam comparant tum gladio Apollonij, quem hoſti ereptum, fidelis Machabæus magna laude in hoſtes ſtrinxit; *1. Mach. 3.* tum quoque enſi Goliath gigantis, quo ipſemet à pio Dauide truncatur, *1. Reg. 17* & alia perficiuntur egregia opera ad gloriam Dei: qua de re multa & eleganter Auguſtinus libro 2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 40. & ſequentibus.

Quod ſi quis alijs verbis eiuſdem pæne ſententiæ delectetur; poteſt dicere, Apoſtolum nomine Philoſophiæ intelligere, quidquid homines ex ſe comminiſcuntur in cauſa religionis & pietatis, dum volunt proprio ſenſu ſapere, idque non abſque ſpecioſo rationis prætextu, vt ſit in ſpeciem probabile quod dicunt: neque enim in reijciendis hominum commentis, quæ nullum habent colorem veritatis, multum eſt negotij, ſed in ijs, quæ fallaci oſtentatione ſapientiæ, quam Philoſophi profitebantur, mentes imperitorum capiunt.

Aut aliter etiam Philoſophia hic dici poteſt, ſermo perſuaſionis veritati contrarius, qui pulchris & plauſibilibus argumentis (qualibus Philoſophi vtebantur) ſe inſinuet in animos hominum. Ita Paulus ſub Philoſophiæ nomine damnat omnes adulterinas doctrinas, & verbi Dei corruptelas, quæ naſcuntur ex humano cerebro, qualemcumque habeant rationis colorem. Et cùm proximè addit de inani fallacia, epexegeſis eſt, ſiue interpretatio præcedentis: vt ſenſus ſit; Videte ne decipiamini per humanam aliquam Philoſophiam, quæ nihil aliud eſt quàm inanis fallacia. Et quod ſequitur, Secundùm traditionem hominum, clarius explicat qualem Philoſophiam improbet. Quam & conſequentibus verbis duplici nomine vanitatis coarguit; nempe, quià non ſit ſecundùm Chriſtum, fontem vnicum omnis veræ ſapientiæ, & ſita ſit in elementis mundi. Per elementa verò mundi huius, intelligere videtur extremas legis cæremonias ad quas tunc Pſeudoapoſtoli Coloſſenſes trahere nitebantur: ſicut ad Galat. 4. Nam & hîc ſpeciem ſtatim vnam adducit, exempli gratia, circumciſionem: & videtur externas cæremonias elementorum nomine appellare metaphoricè; quia ſunt rudimenta quædam atque initia puerilia (ſicuti elementa mundi ſunt principia rerum omnium) quæ ad perfectionem & ſolidam doctrinam (quæ in ſolo Chriſto eſt) non perducunt. Ad quem etiam modum de elementis loquitur Hebræorum 5. Et notandum, quòd tam mundi elementis quàm hominum traditionibus Chriſtum opponit: vt nimirum ſignificet, quidquid doctrinæ in hominum cerebro fabricatum eſt, Chriſto non conuenire; ſed illi potiùs eſſe contrarium, qui vnicus à Deo Patre Doctor nobis datus eſt: vt in ſimplicitate Euangelij ſui nos retineat; quæ vel exiguò humanæ adinuentionis vel ſuperſtitionis fermento corrumpitur.

CAPVT XXX.

Leges & conſtitutiones Eccleſiæ, non ſunt contra verbum Dei, vel promotionem pietatis.

HIs explicatis, videamus iam quàm verum ſit, quod Caluinus ait, nos contra doctrinam Apoſtoli pias animas per conſtitutiones hominum & elementa huius mundi, deprædari atque Eccleſiam perdere. Hoc cùm tam audacter hoc loco affirmet dumtaxat, non etiam probet, videri meritò poſſumus ſatis feciſſe, negando ſolummodò quod nobis impingit. Attamen, ſi quid ampliùs fortaſſe Lector ſtudioſus à nobis exſpectet, ad defenſionem fidei Catholicæ, grauiſſimæque depulſionem calumniæ, non pigebit hic vnum atque alterum verbum adijcere.

Conſtitutiones hominum quibus aſſerit Caluinus decipi à nobis piorum animas, & Eccleſiam perdi, illas vocat, quas Præſules Eccleſiarum ipſique potiſſimùm ſummi Romani Pontifices populo præſcripſerunt contra verbum Dei, vt dicit; quæque ad nullam pietatis promotionem vel ſalutem animarum pertinent, ſed tantummodò ad tricas, vt loquuntur, & laqueos conſcientiarum, atque ad veræ pietatis contemptum. Per quas & quales conſtitutiones, Eccleſia reuerà perditur, vt Caluinus ait, piæque animæ capiuntur. Sed nos fortiter negamus, tales vllas in Eccleſia Catholica conſtitutiones reperiri.

Et cùm tantopere clamauerunt ab initio hæretici noſtri aduerſus innumeras conſtitutiones huiuſmodi, quibus plena eſſent omnia apud nos; ne vnam quidem hactenus oſtendere vel probare potuerunt.

Matth. 15. Citant contra nos, magnâ confidentiâ, obiurgationes illas Chriſti aduerſus Pharisæos
TRADITIONVM AVCTORITAS A DEO. Iudaicos: Quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditiones veſtras? item
& illud; Sine cauſa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum. At nos negamus, illa in nos competere: negamus, mandata Eccleſiæ Catholicæ vel Prælatorum
illius legitimorum mandata eſſe hominum. Dicimus, eſſe mandata Dei, non hominum:
1. Cor. 14. & probamus in primis per Apoſtolum, dicentem in ſimili cauſa diſertis verbis: Si quis
videtur Propheta eſſe vel ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quòd Domini ſunt
1. Theſſ. 4. mandata. Et alibi: Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum. Item per ſen-
Act. 15. tentiam aliorum Apoſtolorum dicentium de ſimilibus: Viſum eſt Spiritui ſancto & no-
Luc. 10. bis. Denique per Chriſtum ipſum; Qui vos audit, inquit, me audit: & qui vos ſpernit, me
ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me. Miſit enim Chriſtus Apoſtolos, & qui in eorum locum ſucceſſuri erant (nam de omnibus eadem eſt ratio) cum am-
Ioan. 20. pliſſima poteſtate: nimirum cum illa ipſa, quam acceperat à Patre ſuo: Sicut, ait, me
miſit Pater, & ego mitto vos. & ideò ſimul etiam dedit illis Spiritum ſanctum, Eccleſiaſticæ omnis & ſummæ poteſtatis auctorem: Accipite, ait, Spiritum ſanctum. Quam
Act. 15. & 16. etiam poteſtatem inſequendo Apoſtoli & ſeniores Eccleſiæ, præcepta dederunt varia in
Chriſtum credentibus; & obedientiam alijs Eccleſiæ Præpoſitis præſtandam mandarunt.
Denique reliquerunt Eccleſijs traditiones obſeruandas, partim ſcriptas, partim non
2. Theſſ. 2. ſcriptas, vt Paulus teſtatur. Quas etiam alibi apertè non tam humanas præceptiones, quàm diuina mandata appellat; vt loci illi docent quos iam citauimus. Quemadmodum Apoſtoli quoque & ſeniores Eccleſiæ dicebant, de mandato illo abſtinendi ad tempus à ſuffocato & ſanguine; Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis. vt ſuprà meminimus. Non erat hoc diuinum præceptum, quod vſpiam extet in Euangelijs: nec Spiritum ſanctum ea de re loquentem audierant Apoſtoli vel ſeniores; ſed quod ipſis rectum videbatur, hoc decernebant. Proinde, quidquid poſtmodum Eccleſia ſimili modo obſeruandum conſtituit, eodem loco habendum eſt. Nec enim minùs Spiritus ſanctus Eccleſiæ poſt mortem Apoſtolorum, quàm Apoſtolis ipſis promiſſus fuit: ſed potiùs aliquanto magis, ſi qua hic differentia fieri poteſt: nam Apoſtolis datus fuit Spiritus ſanctus, non propter ipſos, ſed propter Eccleſiam; Eccleſiæ verò non propter Apoſtolos, ſed propter ipſammet Eccleſiam, vt eam doceret omnem veritatem, & cum ipſa atque in ipſa maneret vſque ad conſummationem ſæculi.

Quòd ergo Caluinus & cæteri nouatores conſtitutiones huiuſmodi nuncupant traditiones humanas, quibus nos plus tribuamus quàm verbo Dei; multis hîc modis hallucinantur & mentiuntur, non intelligentes, nec quid verbum Dei ſit, nec quid humanæ traditiones. Nam, & verbum Dei ſolis Scripturis ſacris definiunt, & omnes Sacris litteris non expreſſas traditiones humanas appellant. Vtrumque non ſolùm falſò, ſed ineptè etiam atque inſcitè. Nam & quæ D. Paulus Corinthijs ac Theſſalonicenſibus ſeruanda præcipiebat, licet priùs ſcripta non eſſent, tamen verbum Dei erant, vt iam ſatis oſtendimus: & quæ poſtea in Euangelijs ſcripta ſunt, verbum Dei erant, & pro Dei verbo ſeruanda & credenda erant cùm prædicarentur & docerentur, antequam ſcriberentur.

Eiuſdem Caluiniani candoris, quod ait, Traditiones Eccleſiaſticas nihil facere ad promotionem veritatis, ſed eſſe dumtaxat inutilia & noxia conſcientiarum grauamina, inſtar traditionum Phariſaicarum. Bona verba, Caluine. Plurimum enim intereſt, inter
traditiones Phariſaicas & Eccleſiaſticas. Illæ enim reuerà nihil faciebant ad pietatem:
[a] 1. Tim. 1. *[b] Lib. 2. c. 1.* ſed vel manifeſtè contra veram pietatem erant; quando videlicet Phariſæi irritum facere
[c] Epiphan. in hæreſi Ptolemaitarum. non verebantur mandatum Dei, propter traditiones ſuas; vt Chriſtus ijs iure meritoque
improperabat: vel ſi tantum in ijs non inerat mali; ineptæ erant, friuolæ, inutiles, nihilque ad veram pietatem conducentes. Vnde Paulus Apoſtolus [a] eas vocat aniles fabulas.
[d] Hyeron. in cap. Iſmæ in cap. 2. ad Titum, ad Algam cap. 10. Quò pertinebant omnes illorum & tam variæ lotiones, genealogiæ infinitæ, & ſimilia multa. De quibus eruditè Auguſtinus [b] contra aduerſarios legis & prophetiæ. Cuiuſmodi traditiones paulò ante aduentum Chriſti à Phariſæis & ſimilibus confictæ & introductæ fuerant; teſtibus [c] Epiphanio, [d] Hieronymo, [e] Irenæo, & alijs.

[e] Irenæus lib. 4. c. 25. & 26. At traditiones Eccleſiaſticæ ſunt pleræque omnes conſtitutiones Apoſtolicæ, totius antiquitatis concordibus teſtimonijs confirmatæ, ad maiorem vel diuini cultus reuerentiam

tiam vel populi fidelis inſtructionem, vel deuotionem, vel morum correctionem, vitæque puritatem, vel ad communem omnium ædificationem ſaluberrimè inſtitutæ ac receptæ. Quod in ſingulis Eccleſiæ decretis & præceptis perfacile eſſet oſtendere, ſi opus eſſet, quidquid contrà ganniant cum Caluino hæretici omnes.

CAPVT XXXI.

Hæreticos ſeducere homines per inanem & improbatam à Paulo Philoſophiam.

ETiam ſatis reſponſum ad Caluini calumnias, quibus ſcribere non veretur, nos per humanas conſtitutiones, contra Apoſtoli doctrinam, pias animas deprædari, adeoque Eccleſiam perdere. Videamus nunc, quam alienum ſit a veritate, quod Sadoletus dixerat, miniſtros Caluinianæ doctrinæ per ſubtiles & ſpinoſas diſputationes, tamquam per obſcuram Philoſophiam, iuxta Pauli ſententiam, populum ſimplicem circumueniſſe ac decepiſſe; vt inter imperitos obſcuram quamdam nouæ ſapiẽtiæ oſtentationem iactarent.

Hanc obiectionem Caluinus à ſe ſuiſque longiſſimè remouere conatur. Sed quàm nihil agat, & fruſtrà laboret, mox opinor manifeſtum faciemus. Oſtendimus, Paulum Philoſophiæ nomine intelligere, quidquid homines ex ſuo ingenio comminiſcuntur in negotio religionis vel doctrinæ ſalutis, contra verbum Dei vel traditam ab initio pietatis regulam; quamlibet ſpecioſis verbis figmenta ſua colorare ac veritatem ipſam tegere aut obſcurare conentur: vt olim Philoſophi multis verbis & argumentis ſpecioſis inanem doctrinam ſuam rudi atque imperito populo proponebant, ſapientiam ſuam iactantes, multis adhibitis ſermonum inuolucris, quibus rem ipſam inuoluebant, vt frequenter vix ſatis etiam intelligerent ſemetipſos.

Quid Caluinus? De primario capite peſtiferæ omnis doctrinæ ſuæ, nempe de præſentia corporis & ſanguinis Chriſti, in Sacramento Euchariſtiæ, tam dubiè, tam vafrè loquitur, quò veritati ipſi tenebras (ne percipiatur) offundat, vt nec alijs nec ſibiipſi ſatis ſeipſum explicare queat; nec quiſpiam omnino valeat, quid tandem ſibi velit, intelligere. QVAM OBSCVRE LOQVATVR, ET PHILOSOPHETVR DE EVCHARISTIA CALVINVS.

Cum Eccleſiâ Catholicâ veram corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam in hoc Sacramento non admittit Caluinus: à Svvinglianis autem, qui præſentiam Chriſti penitus remouent, ait ſe diſſentire. * Vult videri conſentire cum confeſſione Auguſtana. fortè, quia ſcripta eſt illa à Philippo Melanchthone, quem magni ſemper facere viſus fuit. Et tamen confeſſio illa præſentiam Chriſti in Sacramento veram & corporalem agnoſcit: niſi quòd ſimul eodem in Sacramento panem & vinum manere docet. Quid ergo? * Dicit Caluinus, corpus & ſanguinem Chriſti reipſa quidem abeſſe ab Euchariſtia, ſed reipſa tamen in illa ſumi; vel, ſi quis alijs eius verbis delectetur, realiter ſumi, & tamen realiter non applicari. Súntne hęc prodigio quàm ſimilia? Et talibus verbis illudit ſimplicitati fidelium.

* Claudius de Sainct. contra Bezam.

* Genebrardus in breuic. anno 1562.

Sed explicet perſpicuè, qualis hæc ſit ſumptio vel exhibitio corporis & ſanguinis Chriſti. Præſentiam Chriſti, ait, qua nos illi inſeramur, à cœna minime excludimus. Hic tergiuerſari incipit. Agnoſcit præſentiam Chriſti in cœna: at, qualem præſentiam? Qua nos illi, inquit, inſeramur. Sed, quæſo, quomodo inſeramur? Satis ſubindicat, ſe loqui de ſpirituali inſertione, quæ fit per fidem, de qua Apoſtolus; Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Et Chriſtus ipſe; Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Et ita ſe Caluinus interdum aperte explicat: quamuis alibi rurſus id negare bellè videtur, ac dicere Chriſtum in Euchariſtia non fide ſolùm recipi, ſed reipſa. Quò pertinere etiam videtur quod hîc ait, animam non imaginariâ aliquâ Chriſti conceptione frui in cœna, ſed efficaci veritate. At, in illa veritate explicanda, cùm veram Chriſti & corporalem in cœna præſentiam tollat, hæret vbique dubius & perplexus mirum in modum; nec exitum reperit. Nunc negat carnem Chriſti in cælo exiſtentem ad nos penetrare; nunc rurſus ait ad nos eamdem deferri ac penetrare; manifeſta ſcilicet repugnantia. Et nunc vult, carnem Chriſti in cœna propriè ac realiter exhiberi, nunc per ſpiritualem tantùm virtutem, in animam ex carnis & ſanguinis Chriſti ſubſtantia profluentem. Quam rurſus virtutem nunc ineſſe ait ſignis externis panis & vini, in ipſiſque hærentem ſumentibus porrigi; nunc per ſigna illa nequaquam adminiſtrari, ſed extra ſigna à Deo infundi, quo tempore ſigna ſumuntur. Aliquando, nihil ſubſtantiæ de carne

Gal 3.

Ioan. 15.

* Claud. de Sainct. ubi ſuprà.

Chriſti diſtribui mediantibus ſignis: ſed neſcio quam efficaciam carnis Dominicę ſeorſum à ſignis per fidem infundi, eo tempore, quo ſigna panis & vini ſumuntur. Et hic in doctrina iſthac de cœna Domini progreſſus illius fuit; vt aliquando quidem Lutheranis adhæreret, aliquando Zvvinglianis ſe addicetet, aliquando vtrorumque eamdem eſſe de cœna ſententiam teneret, aliquando plurimum diſcrepare diceret, & aliquando neutram probaret; ſed communiter, inter vtramque locum ſibi & ſectam quæreret. Et Caluiniſtarum hæ ſunt præſtigiæ, vt contendant Auguſtanam confeſſionem pro ſe ſtare; nolint tamen eidem ſimpliciter ingenueque ſubſcribere: negent ſe illius hoſtes eſſe; non deſinant tamen illius aſſertoribus moleſtos & inimicos capitales ſe præbere. Qui ad hanc tam nouam, tam intricatam & perplexam Philoſophiam non obſtupeſcat? Talis erat olim aduerſus fideles Catholicos Philoſophia Theologica, ſeu potiùs Theologia Philoſophica Origeniſtarum. De qua pulchrè & latè Hieronymus Epiſtola ad Oceanum.

CAPVT XXXII.

Omnes penè hæreſes ex Philoſophorum placitis ortæ.

ITA cùm ſe premi ſentit Caluinus à Catholicis per diuinam omnipotentiam, dicere mauult ex placitis Philoſophorum gentilium, quòd nō magis poſſit Deus vnum idemque corpus eodem tempote pluribus locis conſtituere, quàm facere vt ſol idem ſit lucidus & obſcurus. Nec aduertit, nequaquam repugnare naturæ corporis, vt ſimul ſit in duobus locis per diuinam potentiam; vt repugnat conſtitutioni naturæ, idem eſſe ſimul obſcurum & lucidum.

Quapropter, optimè atque eruditiſſimè Sadoletus de Caluiniſtis & ſimilibus, hunc in modum: Iſti, inquit, parum gnari, quemadmodum in vnoquoque genere doctrinæ adhibere argumenta & rationes oporteat; ex alienis & longè diuerſis Dialecticæ naneque Philoſophiæ rationibus Dominum ipſum vniuerſi, & diuinam cum eo ſpiritualemque potentiam (quæ prorſus libera & infinita eſt) in angulos corporeæ naturæ (quæ ius cancellis conſcripta eſt) conantur includere.

Hieron. contra error. Ioan. Hieroſolymitani. Auguſt. lib. 13. de ciuit. c. 17. & 18. & lib. 22. cap 11. Epiphan. in hæreſi Origenianſi. Sic olim hæretici Philoſophicis argumentis contra fidem reſurrectionis diſputabant, Hieronymo, Auguſtino, Epiphanio, teſtibus. Denique etiam Arrius, Neſtorius, Pelagius, & plerique omnes hæreſiarchæ, errores ſuos ex placitis Philoſophorum ſuxerunt, eorumque naturalibus argumentis ſimplices Chriſtianos fefellerunt: vt omnes Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cuncta veterum monumenta, teſtantur: ne poſtremò Ioannem VVyclef, ſummum quodammodò hæreticorum noſtri temporis patriarcham, ab Thoma VValdenſi optime confutatum commemorem: vt veriſſimè & pulcherrimè Tertullianus Philoſophos hæreticorum Patriarchas vocauerit.

Optimè autem Sadoletus ex aduerſo, veritatem Catholicam, ait, non ſyllogiſmis nec verborum captionibus, ſed vera humilitate, ſed religione, ſed obedientia erga Deum eſſe ſubnixam: eam deinde in tenebris lucere, & nemini non eſſe perſpicuam; qui videlicet cum tali animi humilitate, reuerentia atque obedientia, eam inquirit.

CAPVT XXXIII.

Paſtorum concionatorumq́ Catholicorum, cum miniſtris hæreticorum collatio.

NECDVM penitus materiam hanc miſſam facere poſſumus, in qua de Scripturarum interpretatione differitur.

Quia dixerat Sadoletus, nouatores iſtos Scripturarum interpretationem iactare dumtaxat apud imperitos, fraudemque & nequitiam ſuam præclaro illo quidem, ſed falſo atque alieno ſapientiæ atque doctrinæ nomine, tegere: viſum fuit Caluino, conferre Doctores & Miniſtros religionis reformatæ, (vt ſe vocitabant) partim cum Paſtoribus tunc temporis Eccleſiarum Catholicarum, partim verò cum Doctoribus ſcholarum Theologicarum in academijs Chriſtianis. Et Paſtores quidem ac concionatores noſtros dicit homines fuiſſe indoctos & futiles; quorum conciones non aliud erant, quàm vel quæſtiones

[illegible], vt [illegible]itates Scholarum [illegible], quæ rudem plebeculam obſtupeſace-[illegible] ſ fabulæ, ex quib[us] plura del[illegible] nt aniculæ, quam communiſci toto [illegible] ad focum ſuum. Sic ille de concionatoribus & Paſtoribus noſtr[is] pro [illegible] ſua proteruia.

PASTORES [ET] CONCIONATORES SCHOLASTICORVM, [illegible] PRAESTENT MINISTRIS ET PRAEDICANTIBVS NOVATORVM.

N[obis] autem hic nõ eſt animus, laborare magnopere vitijs omnibus Paſtorum & concionatorum, [qu]i id temporis Eccleſi[æ] Catholic[æ] præ[ſ]ant, & ſæculis aliquot præced[enti]bus, excuſandi[s]. Nec vſque adeò m[irum] v[i]deri debet, Paſtores & Rectores plebis, mul[tis] [illegible] ſæculis, longaque pace a[d] [oti]um & ignauiam, ad incuriam & laſciuiam, tum etiam ad [b]onarum litterarum & [ſcie]ntię Theolog[icæ] ignoranti[a]m, denique ad obliuionem eorum quæ ad [illegible] Paſtorum officium ſpectant, de[ge]neraſſe. Quis enim [ig]noret, nihil tam [illegible]tum in rebus humanis, qu[i]n lapſu [t]emporis, a naturæ atque o[ffic]ij ſui [illegible] deflectat & vitia contr[a]hat. Hoc potius admiratione dignum, qu[od] [illegible] aliorum [illegible] iactant, eo[ſq]ue tam [illegible] tamque acerbè [r]eprehend[er]e norunt; n[ec] more [illegible] ſan[cti]ores [illegible] nec maiorem etiam ſapientiam aut [illegible]ionem afferre, idque in primis [illegible] exord[ijs] [illegible] miniſterij ſui, quando certe omnia ſo[illegible] lud[illegible] & præſtigia. Qui[bu]s enim maxima ex parte vel fuerunt ab initio, vel [illegible]mnium ſunt [illegible] ac [illegible] rei[illegible]. Si non ſunt e fęce Sacerdo[t]um ac monachorum n[o]ſtr[orum], qui [illegible] libertatis carnis ad eos confugerunt, [illegible]ntes d[amn]ationem [quia] primam fid[em] irritam fecerunt, (vt Apoſtolus ait) ſunt homi[n]es v[illegible] v[illegible]. ijque [illegible] etiam mechanici generis, [ſut]ores, molitores, [illegible]dones, & [illegible] fa[illegible], v[iles] & ſordidi, qui bonas litteras numquam ne a limine quid[em] [illegible]. Tantum vulgaribus legendis Biblijs, eorumque ſummarij[s] & capitulis memoriæ commend[an]d[is] op[eram] dederunt: quæ quauis data occaſione in medium pro[ferunt]. Quorum non pauci in hoc etiam gloriantur, quòd Latinam linguam, Roma[illegible] & [P]apiſticam (vt aiunt) numquam didicerunt. Et, vt docet experientia, iamdud[um] [illegible] in loc[i]s abierit in prouerbium; Miniſtro indoctior.

MINISTRORVM HAERETICORVM IMPVRITAS VITAE.

Qu[od] [illegible] ad con[c]iones talium miniſtrorum attinet: ſi ex ijs demas conuitia & [illegible]as in Romanos Pontifices alioſque Eccleſiæ Catholicæ Præſules, maledicta [illegible] [Pri]ncip[e]s & Magiſtratus, qui non ſunt factionis ipſorum, blaſphemias in Sanctos cælites, eorum [illegible] & [r]el[i]quias, in Dei genitricem, in Chr[iſ]tum ipſum, in Sa[cra]menta, præſ[e]rtimque in auguſtiſſimum noui Teſtamenti ſacrificium; nihil magnopere [illegible] quod domum referre [illegible]cas.

CONCIONVM IPSORVM ABSVRDITAS.

CAPVT XXXIIII.

De vtilitate Scholaſticorum Doctorum in Eccleſia.

DE Scholaſticis autem Doctoribus, hodiernis iuxta & veteribus, quid dicit vel garrit [illegible] Qu[a]lem inquit, in ſcholis do[ct]r[i]nam diſcebant, [e]a[m] ad Eccleſias erudienda[s] [c]omparabant. Scis ipſe Sadoletum (loquitur) m[e]ram fu[iſſe] ſop[h]iſticen: ſed adeò con[to]rtam, implicitam, ſpinoſam, perplexam: vt merit[o] dici poſſet Scholaſtica Theologia, [qu]ædam araneæ magnæ ſpecies. Sic [il]le ſuo more co[nuit]ijs, maledictis & blaſphemijs and[illegible]. Nec aliud ab eo expectandum fuit in laudem Theologiæ Scholaſticæ: nemo enim amat niſi ſui ſimiles.

Cùm ergo Theologorum [illegible]nus prop[illegible] fraudes hæreticorum ſub ornati & plerumque blandi ſermonis pallio occ[ul]ta[s] do[illegible]e, & ſuis coloribus depingere, vt cognoſcantur & vitentur, tamquam venena mortifera ſi[ue] mel[l]is integmento latentia: non mirum, ab hæreticis omnibus ſemper odio habitos Doctores Scholaſticos, præſer[tim]que ab VVyclefo, quem hac in parte (vt in alijs pænè omnibus) noſtræ tempeſtatis nouatores ſequuntur: nempe, vt lupi canes ouium cuſtodes oderunt. Alioqui, tantum abeſt vt Scholaſtica Theologia aliquid habeat commune cum ſecretis ſcientiarum magicarum, vt po[ti]us [m]aleficia illa argume[n]tis & rationibus proſequa[tu]r, ceu telis ferratis ac mortiferis. Hic eſt enim finis & [ſco]p[u]s vnicus Theologiæ Scholaſticæ, fidem Chriſtianam, veræque & ſempiternæ ſalutis doctrinam, aduerſus Ethnicos, Iudæos, magos omnis generis, præſertimque contra hæreticos hoſt[e]s pietatis Chriſtianæ omnium nocentiſſimos, tueri, de[fen]dere, ſartam [te]ctam ſ[er]uare.

LAVS THEOLOGIAE SCHOLASTICAE [ET] QVI ODIVM.

Ne[c] quidquam eſt in Scholaſticorum Doctorum ſcriptis, quæſtionibus, argumentis,

 quod

quod ex Doctorum Eccleſiæ veterum monumentis, vel [illegible] Conciliorum decreti[illegible] non ſit. Sed quod patres ad populum declamantes, aut alias libera [illegible] oluta [illegible] tione, fuſiùs diſſeruere, hoc iſti ſtrictiùs, luculentius, & ad intel[illegible] ac [illegible] dum memoriæ faci[illegible] per breues quæſtiones & argumentationes declararunt. Qu[illegible] etiam argumentis, propoſitionibus, deductionibus, concluſionibus ſ[illegible] ita aduerſari[illegible] veritatis conſtr[illegible]os atque irretitos tenent, nuſquam vt elabi queant. Hoc [illegible] eſt, quod nouatores noſtros vrit, hoc quod odium illorum [illegible] Scholaſticam ſcribendi & docendi rationem incendit.

CAPVT XXXV.

Hæreſes omnes ſpeciem habere magnam cum magia & idololatria.

QVOD verò propriè ad magiæ ſecretioris naturam attinet, cuius hic Caluinus ne [illegible] meminit, (illius ſpeciem vocans Theologiam Scholaſticam, ſi idololatriæ ſpeci[illegible] magia, vt eruditi omnes confitentur) nemo propius ad magiæ ſpeciem [illegible] accedit, quàm Caluinus, & ſimilis monetæ deplorati hæretici. Malefici [illegible] ac [illegible] pe rel[illegible] Deum verum, confugiunt ad auxilium Satanæ. quod vt conſequantur, eum non [illegible] tur pro Deo habere ac adorare. Quid minus faciunt hæretici, qui [illegible] & conſ[illegible] pudiato totius Eccleſiæ, hominum peruerſorum & factioſorum doctrinam pro ve[illegible] tis doctrina amplectuntur, eamque velut diuinam, & tamquam purum dei verbum adorant? Quid hoc aliud eſt, quàm pro Chriſto adorare maleficorum atque incanta[illegible] omnium principem Antichriſtum? Venit primùm Lutherus, & dixit, Quod eg[illegible] Dei verbum eſt, & purum Euangelium. mox recipitur, adoratur, & coram id[illegible] nua incuruantur. Dicunt idem poſteà Zvvinglius & Caluinus, dicunt Anabap[illegible], Zvvencfeldiani, dicunt omnes, & quiuis hæretici; & mox e[illegible]a Scrip[illegible] runtur in prauum & alienum ſenſum detortatum. ita hominum verbum, vel [illegible] potiùs per eos loquentis, pro Dei verbo & Chriſti Euangelio miſeri homines reci[illegible] atque adorant. Horrenda hæc eſt atque ipſiſſima idololatria, iuxta Prophetarum & Apoſtolorum doctrinam totis conatibus fugienda.

Deut. 32. Ad hæc, magorum ac incantatorum proprium eſt, quod Moyſes ait, Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui. Annon autem idem [illegible] mè in hæreticos noſtros? Nonne Lutherus, Caluinus, & quotquot auctores [illegible] errorum tot iam annis regnantium, non modo corporaliter geniti, ſed etiam per Spiritum ſanctum in Eccleſia regeniti ſunt ad vitæ nouitatem, & participes facti merito [illegible] Chriſti ad ſalutem æternam. Illum Deum po[illegible], ab Eccleſia Catholica rece[illegible] [illegible]que facientes, dereliquerunt, atque ad alios Deos deſciuerunt. Neque enim Deus verus aut Spiritus ſanctus eſt apud ſectarios, ſed Deus venter, Deus Antichriſtus, qui ſedens in templo Dei, ſeipſum Deum facit: denique Deus huius ſæculi, quo excæcantur hæretici omnes, ne fulgeat eis illuminatio Euangelij Ieſu Chriſti, quod refulget dumtaxat in Eccleſia Catholica.

Melchior [illegible] de locis Theolog. [illegible] contra Sadeelem. Sed hæc de auctoritate Doctorum Scholaſticorum ſufficiunt. Qui plura de hoc argumento requirit, habet Scriptores doctos atque egregios, qui hac de re aduerſus ſectarios ex profeſſo copioſe ſcripſerunt. Nobis hic vbique propoſitum eſt breuitati ſtudere.

CAPVT XXXVI.

De Iuſtificatione concertatio.

DESCENDIT iam Caluinus, Sadoleti Epiſtolam inſequendo, ad tractationem controuerſiarum quarundam, de quibus inter nos & illius ſortis homines maxima eſt concertatio. Et primo quidem loco hîc diſputatio incidit de Iuſtificatione. de qua Caluinus Sadoletum interrogat, num illi ſpinoſa aut inu[illegible] quæſtio eſſe videatur.

Atqui, hoc Sadoletus tota Epiſtola ſua nuſpiam dicit: nec Catholicus etiam quiſpiam [illegible] eruditionis vel iudicij. Quin potius fatemur non illibenter cum Caluino, quòd ſublata Iuſtificationis cognitione, & Chriſti gloria extincta eſt, & abolita [illegible], & Ec-

cle[illegible]

[illegible], & ſpes omnis ſalutis penitus euerſa. Sed hoc nihilominùs audacter etiam dico, [illegible] quæſtionem iſtam à tot [illegible] uariorum noſtri temporis grege, multis ſpinoſis ob[illegible] atque argumentis inuolui; & ſic tractari, vt nec ſibi vſpiam conſtent, & [illegible] intelligi queat, quorſum tandem vergant, vel quid ſibi velint in hac materia: nec [illegible] vehementer à ſe mutuo, ſed vnus [illegible] idemque à ſeipſo ſæpe diſſentiat. Cuius rei non alium hic teſtem proferam quàm vnum ex ipſiſmet, Oſiandrum nomine. Qui de vno hoc dogmate viginti ſcribit diuerſas opiniones fuiſſe inter nouus hos doctores Euangelicos ſui tēporis; ac nominatim Philippum Melanchthonem hac in re quaterdecies variaſſe: Nam ſimul vt locum aliquem, inquit, in ſcriptis viderunt, in quo iuſtitiæ mentio fieret, ſtatim nouam ex eo iuſtificationis rationem fabricati ſunt. Ita ſe enumeraſſe ſcribit nouem genera [illegible] canonum e Scripturis collecta, male inter ſe cohærentia, neque tamen [illegible] adhuc recenſuiſſe. Enumerat deinceps, quæ ex ſuo quiſque capite confinxit: Alij, [illegible], dicunt, quòd iu[illegible] ſit opus Dei, quod ipſe in Chriſto operatur: alij, quod nos [illegible] eus ad æternam vitam recipit; alij, quòd meritum Chriſti: alij, de media [illegible] luq[illegible] tamen [illegible] plicare nequeunt: alij dicunt, quòd eſſentialis iuſtitia Dei creat in no[illegible] nouam [illegible] tam iuſtitiam. Sic ille quatuordecim de Iuſtificatione opiniones recenſet, & quam ipſe profert, eſt quartadecima. Nam, quid [illegible] hic [illegible] ipſi hic al[illegible] atque alijs: cum ſe ijs nequaquam inferiorem exiſtimet. Omnes [illegible] de Iuſtificatione opiniones (iuxta numerum, cuius meminit in confutatione ſcripti, quod contra ſe Philippus ediderat) ſimul viginti & vna.

Sed miſſis his fa[illegible] s veniamus ad Caluinum. Is hic de Iuſtificatione aduerſus Sadoletum longam [illegible] que verbo[illegible] onem contexit. Nos totam illius diſſertionem per ſequentia aliquot capita confutabimus, vt illa in ordinem redactâ, doctrina clarior ſit & facilior.

DE IVSTIFICATIONE DIVERSAE ATQVE PVGNANTESQVE HAERETICORVM SENTENTIAE.

Oſiander lib. contra Neſtoranum.

Hoſius de hæreſibus noſtri temporis.

CAPVT XXXVII.

Propoſitionum Caluini de Iuſtificatione partim elucidatio, partim confutatio.

PRIMAM propoſitionem ſenſ[illegible] ad[illegible]mus, nec in eo vllam difficultatem Caluino mouemus, ſi loquatur de homine ante regenerationem vel iuſtitiam per Chriſtum adeptam. vt nec grauate illi etiam ſecundam largimur: modo quod de meritis ibi humanis dicit, de operum di[illegible]ione & de gratuita Dei clementia, in ſanum & Catholicum ſenſum accipiatur, vt nunc explicabimus. Concedimus enim hominem iuſtificari, Deoque reconciliari nullis meritis quæ habeat à ſeipſo, nullaque operum dignatione, quæ ex ipſo, id eſt, quæ ex naturæ ipſius corruptæ viribus prodeat; ſed hic locum habere ſolam Dei clementiam. quæ niſi hominem corruptum, perditum, damnatum, ad naturam eius reformandam reſpiciat, numquam Deo reconciliatum iri. Multum tamen valent opera fidei & pœnitentiæ ex Dei gratia profecta, quòd diſponant hominem ad gratiam & [illegible]m. Vnde illud: Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cælorum, Matth. 3. & illud Act. 2. Pœnitentiam agite & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm.

Tertia propoſitio vera eſt, ſi ſentiat, non fide [illegible] & operibus fidei viuis: hæc enim eſt iuſtitia fidei Chriſtum amplecti: mortua [illegible], ſiue opera fidei, tantum ad id diſponunt.

At in quarta propoſitione proditur m[illegible] venenum, cùm dicit in homine iuſtificando opera omnia ne pilum quidem valere. Et in hac tota pars magna vertitur cardinis [illegible] totius diſputationis de Iuſtificatione inter nos & ſectarios hoſtros. Quòd videlicet nos ſeu Catholici, bonis operibus in hominis iuſtificatione locum damus, hæretici verò minimè. [illegible] doctrina cùm videri velint magni honoris Chriſti & dignitatis aſſertores (vt vbique [illegible]tant) nos ex aduerſo dicimus (ſicuti benè hic etiam adnotauit Sadoletus) hoc vno dogmate Chriſtum omni ſuo officio ac dignitate ab ijs ſpoliari, adeoque aduentum eius inanem vtrumque reddi.

Nam, quod ad priorem eius aduentum attinet, credimus illum e cælis in terram veniſſe, vt faceret nos ſectatores bonorum operum; vtque iuſtificatio legis Dei impleretur in nobis, velut Apoſtolus loquitur [illegible], vt Ezechiel ait, vt faceret nos ambulare in præceptis ſuis.

[illegible] DOCTRINA [illegible] NIHIL [illegible] AD IVSTITIAM, ADVENTVM VTRVMQVE CHRISTI [illegible]

ſuis. Alter autem [illegible] aduentus ad [illegible] illum [illegible] vt reddat vnicuiq; ſecundum opera ſua: quemadmodum Scriptura [illegible] Quomodo autem hæc vera erunt, ſi ad iuſtitiam Chriſtianam nihil cóferant bon[illegible]

Quid autem Scriptura hac de re nominatim doceat, e[illegible] conſequenti materiæ d[illegible] ne liquebit. Ven[illegible] ad propoſitionem quintam. Paulus, ai[illegible], quoties iuſticationem dei tribuit, ab omni illam reſpectu bonorum operum auertit.

CAPVT XXXVIII.

Caluini ſententia de Iuſtificatione pugnat cum Pauli ſententia.

HOc Caluinus audacter affirmat cùm ſit longè falſiſſimum [illegible] potiùs ve[illegible] eſt, fidem iuſtificantem ab Apoſtolo commendatam, vbi [illegible] ad vitæ nouitatem [illegible] ſpicere, quæ in bonorum operum exercitatione con[illegible]. Hoc videre licet clariſſime, [illegible] tota deductione diſputationis Paulinæ, de fide ad iuſtitiam neceſſaria, in [illegible]piſtola [illegible] pue ad Ro[illegible]: vt non ſit neceſſe multa con[illegible] tele[illegible]. Hanc fidem alibi [illegible] appellat per dilectionem operantem. De qua fide ſi[illegible] Auguſtinus: Quid eſt, inquit, [illegible] dere in eum qui iuſtificat impium? Credendo amare, credendo in eum ire, & eius membris incorporari.

Tract. 27. in Ioan.

Vult tamen Caluinus propoſitionem ſuam prædictam probare. [illegible] eſt, inquit, familiaris Apoſtoli collectio: Si per fidem iuſtificamur, ergo non ex operibus; ſi ex operibus, ergo non ex fide. Ego vero huiuſmodi collectionem nuſquam reperi in Apoſtolo. D[illegible] quidem & colligit, ad Rom. 3. Vbi eſt ergo nunc gloriatio t[illegible] eſt. Per quam le[illegible]gem Factorum? Non: ſed per legem fidei. E[illegible] paulo poſt. Abraham ſi ex operibus [illegible] ficatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. Ad Epheſios autem 2. Gratia eſtis ſaluati, per fidem: non ex operibus. Et potuiſſet quidem certè Apoſtolus (ne quid d[illegible] lemus) ita apertè colligere: Si ex fide iuſtificamur, ergo non ex operibus; ſi e[illegible] operi[illegible], ergo non ex fide. Sicuti in eumdem ſenſum argumentatur ad Galat. 2. Si per legem iuſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Quæ ſic formari poſſet collectio: Si ex oper[illegible] gis iuſtitia; ergo non e[illegible] fid[illegible] Chriſti mort[illegible] pro peccatis noſtris & vt nobis [illegible] rer. Et hæc bona eſt [illegible]ectio. Sed omnis hic eſt quæſtio, de quibus vel cuiuſmodi operibus loquatur Apoſtolus, cum ex iis quemquam iuſtificari, vel cùm illa fidei iuſti[illegible] ex aduerſo opponit. Non loquitur enim certe de bonis operibus factis per gra[illegible] & ſpiritum Chriſti, quæ opera fidei ſunt. quod falsò & per ſummam nequ[illegible] hæretici omnibus perſuadere conantur: ſed loquitur de operibus factis ab homine, [illegible] ſpiritu & gratia deſtituto, vel etiam adiuto ſola cognitione legis, [illegible] ſciat quid bon[illegible] ad [illegible]lum, quid Deo acceptum, quid non. E[illegible] diſputat Apoſtolus in hac materia, p[illegible] aduerſus Philoſophos gentium, qui in ſolis naturæ viribus gloriabantur, arbitrantes ſe ſuo Marte poſſe rectè viuere, iuſtique & boni euadere, naturæ humanæ corruptionem ignorantes; partim vero & potiſſimum quidem aduerſus Iudæos, qui hoc habebant ſupra gentiles & ethnicos, quòd per legem ſuam ſcirent quid Deo gratum eſſet, quid fac[illegible] q[illegible] ve vt iuſti & ſalui eſſent facere deberent. [illegible] legis ſola cognitione inſtructi, putabant ſe parere poſſe voluntati Dei, bene viuere, iuſtitiam omnem operari, etſi nulla alia i[illegible] rentur interiore gratia Dei; & [illegible] omne fide vel reſpectu in Chriſtum mediatore[illegible]: [illegible] hac re ſuperiores profanis gentilibus, quod de Dei veri & voluntatis eius notitia [illegible] cti eſſent per legem: per quam ſane haud [illegible]em immeritò gloriabantur contra gentes: ſed docet [illegible]men Apoſtolus, illam ſol[illegible] ac Dei notitiam non ſufficere a[illegible] abſque auxilio nimirum ſpeciali gratiæ D[illegible] adiuuantis infirmitatem noſtram, ac [illegible] mantis corruptionem naturæ noſtræ: & ſine fide in Chriſtum, cuius vnius merito [illegible] nem ſalutarem gratiam atque opem ſuam Deus ad [illegible] nob[illegible].

NVSQVAM IN [illegible] STO [illegible] PAVLO REPERITVR, HOMINEM IVSTIFICARI PER SOLAM FIDEM, SED CONTRARIVM, PER FIDEM ET OPERA.

Hic verus eſt ſtatus diſputationis Paulinæ de Iuſtitia. Proinde cum fide[illegible] Chriſti opponit operibus, vel per opera negat quemquam iuſtificari, non loquitur de quibuſuis operibus, nec vere etiam de bonis & ſanctis operibus; ſed de operibus [illegible] ſolius naturæ [illegible] vel etiam adiutæ duntaxat cognitione legis Dei. Vnde & [illegible] pænè [illegible] citer dicit, o[illegible] non iuſtificare, ſed opera legis. Id quod er[illegible] atque etiam notandum in [illegible] materia. Ex operibus legis, ait, non iuſtificabitur omnis caro coram D[illegible] lo p[illegible] A[illegible]amur [illegible] iuſtificari per fidem, ſine operibus l[illegible]

Rom. 3.

S

Si per legem iuſtitia (non ait, Si per opera bona) ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Et paulò antè: Scientes, quod non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti. Et paulò pòſt iterùm: Qui tribuit vobis ſpiritum, & operatur virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex virtute fidei? Talia ſunt multa paſſim in hoc Apoſtolo. *Galat. 2.*

Quod ſi vſpiam Apoſtolus de operibus, quæ non iuſtificant, abſque vlla tali adiectione loqueretur, tamen quia hoc toties adijcit, inde eius ſenſus atque interpretatio peti deberet. Quemadmodum ibi: Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Ei verò qui non operatur, credenti verò in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam. Quæ verba Auguſtinus exponens: Si qui operatur, inquit, id eſt de operibus præſumit, & eorum merito ſibi datam eſſe dicit gratiam fidei, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Quid eſt hoc, niſi quòd merces noſtra, gratia vocatur? Si gratia eſt, gratis datur. Quid eſt gratis datur? Gratis conſtat: nihil boni feciſti, & datur tibi remiſſio peccatorum. Attenduntur opera tua, & inueniuntur omnia mala. Sic ille: nimirum de operibus hîc Apoſtolum explicans, non quæ fiunt ex ſpiritu fidei & gratia Dei, ſed de ijs quæ gratiam Dei, fidemq́ue præcedunt: quæ profectò nihil conferunt ad iuſtitiam. Vnde & paulo ante ibidem, Nemo, inquit, computet bona opera ſua ante fidem. Vbi fides non erat, bonum opus non erat: bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. *Rom. 4.* *In Pſalt. Pſalm. 31.*

Caput XXXIX.

Senſus verborum Pauli Apoſtoli: ABRAHAM SI EX OPERIBVS IVSTIFICATVS EST, HABET GLORIAM, SED NON APVD DEVM. *Et ſenſus Iacobi:* ABRAHAM, NONNE EX OPERIBVS IVSTIFICATVS EST? *&c.*

SIMILIS eſt locus ille apud Apoſtolum, Rom. 4. Si ex operibus Abraham iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. Denique ille: Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iuſtitiam ſine operibus. Loquitur enim hîc vbiq; Apoſtolus, de operibus ante fidem: quæ non modò nullam gratiam vel mercedem mereantur, ſed merentur pleraque etiam pœnam & ſupplicium. Hoc optimè & fuſe declarat S. Auguſtinus loco prædicto.

Sic nuſquam reperitur in Apoſtolo, iuſtificari hominem per ſolam fidem. Dicit Apoſtolus ex Propheta; Iuſtus ex fide viuit. Hoc Lutherus legens, *Hîc me, inquit, prorſus renatum eſſe ſentio, & apertis portis in paradiſum intraſſe. Iſte locus Pauli mihi verè fuit porta paradiſi. Sic ecce homines iſti, inuidiâ & malitiâ cæci, ſeipſos ſumma aſtutia ac nequitia fallunt, & alios. Sed quid inſanum Lutherum iuuat triumphos agere tam ingentes ante victoriam? *Habac. 2.* *Rom. 1.* *In 1 Præfatione operũ ſuorum.*

Et nos, renaſci nos in Chriſto exiſtimamus, cælumq́ue nobis aperiri, cùm legimus iuſtum ex fide viuere; ſcimus enim fidem eſſe principium & fundamentum ſalutis. At vbi dicit Apoſtolus iuſtum viuere ex ſola fide, vel hominem ſola fide iuſtificari? Contrà potiùs; Non auditores, inquit, legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Cui planè diſertis verbis conſonat Iacobus Apoſtolus, dicens; Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum. quod & probat exemplis Scripturarum: Abraham, inquit, pater noſter, nónne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare? Et addit: Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt? *Rom. 2.* *Iac. 2.* *Senſus verborum Iacobi 2.*

Et memorabile eſt, quòd Auguſtinus loco iam dicto ambos hos Apoſtolos Paulum & Iacobum (quorum iſte, Abrahamum ex operibus iuſtificatum eſſe aſſerit; ille autem negat) erudite inter ſe conciliat, ne pugnantia dicere videantur. Iacobus Apoſtolus voluit, inquit, corrigere homines, qui male intellexerant Paulum Apoſtolum; contra eos agens, qui de ſola fide præſumebant, ipſius Abrahæ opera commendauit, cuius Paulus fidem: & non ſunt ſibi aduerſi: nimirum, quia vnus loquitur de operibus ex ſolius naturæ viribus profluentibus ante fidem, quæ nullum iuſtificant; alter verò de operibus bonis per gratiam Dei ex fide manantibus. Qua de re idem Auguſtinus, Doctor vtique longè alius quàm *ABRAHAM, NONNE EX OPERIBVS IVSTIFICATVS EST, &c.*

De Spiritu & littera cap. 32. quàm Lutherus aut Caluinus, alio loco pulcherrimè in eandem ſententiam: Quærendum eſt, inquit, quam fidem tanta conflictatione commendet Apoſtolus, non enim quodlibet credere bonum eſt. Quod cùm oſtendiſſet, ſubiungit: Nulli itaque dubium, eam fidem ab Apoſtolo commendari qua creditur Deo. Quod cùm adhuc nimis generaliter dictum ſit; Adhuc, inquit, eſt aliquid diſcernendum: quoniam & illi credunt, qui ſub lege ſunt, & timore pœnæ iuſtitiam ſuam facere conantur; & ideò non faciunt Dei iuſtitiam, quia charitas eam facit, quâ non libet, niſi quod licet. Hæc nimirum fides eſt per charitatem operans, quam commendat Apoſtolus, quæ numquam vacua eſt bonis operibus. Hæc eſt fides, inquit, qua creditur in eum qui iuſtificat impium; hæc eſt fides, per quam excluditur gloriatio. Hæc omnia ibi, & multò etiam plura, Auguſtinus. Nec fugit Caluinum doctrina iſthæc atque interpretatio Auguſtini: ſed quem negare non poteſt ſuæ doctrinæ aduerſantem, audacter & ſuperbè contemnit. Neque verò me latet, inquit, Auguſtinum ſecus exponere. Iuſtitiam enim Dei eſſe putat regenerationis gratiam: & hanc gratuitam eſſe fatetur, quia Dominus immerentes ſpiritu ſuo nos renouat: ab hac autem opera legis excludit; hoc eſt, quibus homines à ſeipſis citra renouationem conantur Deum promereri. Sed Apoſtolum, inquit Caluinus, omnia ſine exceptione opera complecti, etiam quæ Dominus in ſuis efficit, idque ex contextu planum eſſe. Sed fallitur manifeſtè Caluinus, & fallit alios. Negat enim Apoſtolus Abrahamum ex operibus iuſtificatum: non quia opera ex fide & ſpiritu Dei facta non iuſtificent; ſed quia ſi opera Abrahæ ſine fide facta fuiſſent, eum coram Deo minime iuſtificaſſent: ſicut Auguſtinus interpretatur de ſpiritu & littera: Non ex lege operum iuſtificatur qui iam iuſtus eſt, ſed ex lege fidei; quia videlicet credidit, nullo modo ſuæ infirmitati ad implenda ea quæ lex factorum iubet, niſi gratiâ diuinâ ſubueniretur. Senſus igitur Apoſtoli eſt: Si in Abraham illa opera extollitis, & per illa & talia opera iuſtificatum vultis, quæ ſuo Marte, ſuæque ſolius naturæ viribus fecit, ſine Dei gratia: profectò, ex huiuſmodi operibus laudem habere poterit apud homines veſtri ſimiles, qui placent ſibi, atque in ſe ipſis de ſuis operibus gloriantur; ſed nullam inde laudem aut gloriam habebit apud Deum, qui non laudat, probat, aut commendat, ac ne agnoſcit quidem, niſi quod ipſe in homine facit per gratiam ſuam. iuxta illud, Faciam vt in præceptis meis ambuletis. *Ezech. 36.*

Iam hic ſubſumendum: Atqui Abraham laudem habuiſſe apud Deum, illi vnicè placuiſſe, ab eoque mirificè propter opera ſua commendatum fuiſſe, palàm & liber Geneſis, & tota vbique Scriptura teſtatur: igitur non eſt confiſus in operibus vllis, ſine ſingulari auxilio gratiæ Dei & fide in Chriſtum ex ſe naſciturum factis, ſolis liberi ſui arbitrij viribus; nec ex talibus operibus iuſtificatus. Hinc patet, nullam eſſe inter Paulum Apoſtolum & Iacobum, in negotio iuſtificationis, ſententiarum pugnam, etſi nonnulla diuerſitas ſit verborum. ſed pulchrè inter ſe ambos conuenire, doctrinamque veriſſimam & ſolidiſſimam tradere; nimirum de alijs alijſque operibus loquentes, dum vnus ex operibus iuſtificatum eſſe Abrahamum affirmat, alter negat.

CAPVT XL.

Soluitur nodus hæreticorum, de Iuſtitia imputatiua.

SED hanc Apoſtolorum concordiam Caluinus oppugnat totis viribus; quia hæreſi ſuæ tam contrariam videt: vt conſtat ex eius verbis, in Epiſtolam Iacobi: Qui opera Abrahæ in iuſtitiam fuiſſe imputata Iacobi teſtimonio probare volunt, &c.

Videamus igitur, num nodus iſte tam inſolubilis ſit, quàm dicit. Sunt, qui ſic nodum hunc conentur diſſoluere: quòd etſi Geneſ. 15. cùm dictum fuit, Credidit Abrahā Deo & reputatum fuit illi ad iuſtitiam, nondum fuerat reipſa opus illud per quod Iacobus affirmat iuſtificatum fuiſſe; tamen ex opere illo iam tunc coram Deo iuſtum habitum, quia tunc paratus erat facere, ſi ita res & Dei voluntas tuliſſet. hanc in eo voluntatis atque obedientiæ promptitudinem Deum tunc in animo eius vidiſſe, & pro facto habuiſſe, illique ad iuſtitiam reputaſſe. Sed ſi hæc ſolutio quibuſdam fortè coactior, ac longiùs petita videatur; quid impedit, quo minùs intelligamus, Iacobum dicere voluiſſe, Abrahamum per immolationem filij ſui, talemque obedientiam, ſic iuſtificatum fuiſſe corā Deo, ſicut antè per fidem iuſtificatus fuit quando credidit Deo, & reputatum illi fuit ad iuſtitiam: atque ita nunc iterùm in eo impletam alio nouoque modo (ſcilicet per incremen-

tum

tum iuſtitiæ) Scripturam illam; Credidit Deo, & reputatum illi fuit ad iuſtitiam? Quaſi diceret Iacobus: Ibi iuſtificatus fuit per fidem, hic per bona opera, obedientiæ ſcilicet admirabilis, humilitatis, & alia multa. Ibi dictum fuit; Credidit Abraham Deo, & reputatum illi fuit ad iuſtitiam. hîc dici potuit; Obediuit Abraham Deo promptiſſimè, vſque ad mortem vnigeniti filij ſui, & reputatum illi fuit ad iuſtitiam. Sed vnde liquet, hoc opus Abrahæ ad iuſtitiam imputatum fuiſſe? ex eo quod ſtatim ibi Deus illi dixit; Quia feciſti hãc rem, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me, benedicens benedicam tibi, &c.

Sed nondum quieſcit Caluinus. Dicit ſenſum Iacobi non eſſe, quempiam verè iuſtificari coram Deo bonis operibus. Arripiunt, inquit, Sophiſtæ vocem iuſtificandi, deinde quaſi victores clamant, partem iuſtitiæ in operibus eſſe poſitam, &c. Sed nullius momenti atque operæ erit commentum hoc refutare. Primùm enim Iacobus hîc ex profeſſo contra illos agit (vt ſuprà ex Auguſtino audiuimus, nec negat Caluinus) qui ex doctrina Pauli Apoſtoli ad Roman. perperàm de iuſtificatione ſentiebant: quaſi videlicet ad veram iuſtitiam nec neceſſaria nec vtilia eſſent bona opera, quique ſola ſteti fide in Chriſtum ſaluatorem, frigidi, negligentes, ceſſatores erant in bonis operibus. Si igitur Paulum Iacobus rectè explicat, erroremque ex verbis eius natum benè refutat; neceſſe eſt eadem ſignificatione iuſtificandi vocem accipiat, qua Paulus. Deinde, quomodo eſt conſentaneum, Iacobum in vna eademque breui ſententia, iuſtificandi vocem aliter atque aliter ſumere? Videtis, inquit, quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm. Si ex fide iuſtificari, eſt fidem ipſam reputari atque haberi pro vera iuſtitia coram Deo, vt vult Caluinus; neque nos repugnamus vtique ex operibus iuſtificari; ſimiliter Iacobo erit verè iuſtum fieri ex operibus coram Deo. Cùm enim ex profeſſo doceat, hominem non tantùm ex fide iuſtificari, ſed etiam ex operibus; neceſſe eſt, vt iuſtificationem vtrobique eodem modo accipiam, niſi dicere velimus, ſallere homines amphibologia ac ſophiſticatione voluiſſe.

CAPVT XLI.

Imputata Iuſtitia error expugnatur.

QVOD in ſexta propoſitione dicitur, per ſolam Dei bonitatem peccata remitti, & quidem gratis, extra omnem eſt controuerſiam, modò non excludas opera fidei, pœnitentiæ, aliarumque virtutum; quæ ad peccati remiſſionem diſponunt: ijs enim non obſtantibus, gratis remittitur peccatum; quia opera præuia gratiæ & remiſſioni peccati, non merentur eam condignè: nec beatus eſt homo ſine operibus (quod habet in ea propoſitione Caluinus) ſed cui ſine operibus legis remittitur peccatum, & iuſtitia fertur accepta.

Sed & hoc Caluini dictum, aliam hæreſim habet de iuſtitia imputata, quæ in proxima propoſitione fuſiùs explicabitur. Hic alius eſt & nouus error hæreticorum noſtrorum, ipſiſque quodammodò proprius: ſed non idcircò minùs impius & blaſphemus.

Multa ſcribunt ac diſputant de Iuſtificatione hominis, & de iuſtitia quam per Chriſtum conſequimur, quaſi res illa apud eos magni ſit momenti, & quam magnis laudibus extollere velint ad gloriam Dei: ſed quando ad rem venitur, nullam prorſus in homine ponunt vel agnoſcunt iuſtitiam; id eſt, vitæ rectitudinem, aut animæ puritatem. Fingunt, inſtitiam noſtram non eſſe rem aliquam vel qualitatem nobis inhęrentem aut permanentem in anima; ſed, Deum ex benigno fauore nos propter Chriſtum filium ſuum pro iuſtis habere, cùm reuerà tales non ſimus. Docent enim, hominem numquam ſatisſacere legi Dei, cùm natura omnes corrupti ſimus, Deique legi contrarij: iuxta illud; Scio quòd *Rom. 7.* non habitet in carne mea bonum. item, Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. hinc nos *Galat. 5.* ſemper iniuſtos eſſe, & per conſequens, à Deo maledictos. cùm ſcriptum ſit; Maledictus *Deut. 27.* omnis, qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis huius. at, Deum *Galat. 3.* nos per crucem & mortem Chriſti ab illa maledictione abſoluere, nec imputare nobis peccata noſtra, quibus ſemper pleni ſumus: hinc omnem noſtram iuſtitiam eſſe iuſtitiam Chriſti: ſeu, quòd Deus Pater, reſpiciendo in iuſtitiam & obedientiam perfectam Chriſti filij ſui, propter illam nobis remittat omnem iniuſtitiam noſtram. Hinc ſeptima eſt hæretica Caluino propoſitio: Omnem noſtram inſtitiam eſſe, quòd per Dei bonitatem non imputatur nobis noſtra iniuſtitia: illam ac talem iuſtitiam noſtram à Paulo deſcribi, cùm docet, nos Deo per Chriſtum reconciliari, non imputando nobis delicta noſtra.

ſtra. Quaſi verò. Huc quoque trahunt illud Pſalmi 31. Beatus vir cui non imputauit Do- *Rom. 4.* minus peccatum. & illud Pauli; Dauid dicit beatitudinem hominis cui Deus accepto *2. Cor. 5.* fert iuſtitiam ſine operibus. denique & illud ex Epiſtola ad Corinth. Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputans illis delicta ipſorum. Ad quam Scripturam hic Caluinus in ſeptima propoſitione alludit: & in principium 4. ad Roman. Notemus, inquit, eos omnes quibus iuſtitia imputatur, pro iuſtis haberi: quando hæc duo à Paulo tamquam ſynonyma ponuntur. Vnde colligimus, ait, non diſputari, quales ſint in ſe homines, ſed quo loco Deus ipſos cenſeat. Sic ille. Sed valde inepte & malè colligit: quaſi nimirum Deus homines alio loco habeat quàm ſint; & quaſi, quod dam- *Prou. 17.* nat & execratur in hominibus) Qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum, abominabilis eſt vterque apud Deum.) hoc ipſemet Deus faciat; pro iuſtis habens qui ſunt impij atque iniuſti, & pro impijs qui iuſti. Quaſi etiam Apoſtolus de iudicio Dei non di- *2. Cor. 5.* ceret; Manifeſtari oportere vnumquemque ante tribunal Dei, vt referat vnuſquiſque propria corporis ſui, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.

De gratia Chriſti cap. 30. Longè aliter, de gratia Dei qua iuſtificamur, Auguſtinus: Iſtam, ait, gratiam, qua iuſtificamur, id eſt, qua charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, in ſcriptis Pelagij numquam legere potui. Ita nec in Caluini libris aut aliorum noſtri temporis hæreticorum legere eſt huiuſmodi gratiam. Alibi verò clariùs *De ſpiritu & littera c. 27. & 6.* etiam; Iuſtificati, inquit, gratis per gratiam Chriſti; qua gratia in interiori homine renouato iuſtitia ſcribitur, quam culpa deleuerat. Et priùs, eodem libro: Iuſtificati gratis per gratiam ipſius: quia, nec per legem, nec per propriam voluntatem (nempe vt cauſas iuſtificationis noſtræ eam per modum meritorum præcedentes) ſed per gratiam Chriſti: quia, etſi ſine voluntate noſtra non fiat, (qua videlicet oblatæ gratiæ aſſentimur) tamen ſanat priùs gratia voluntatem; vt ſanata voluntas impleat legem.

QVID SONET VEL SIGNIFICET DICTIO (GRATIS) CVM SCRIPTVRAE DICVNT, HOMINEM GRATIS IVSTIFICARI.

Hæc verba Auguſtini de implenda lege per ſanatam Dei gratiâ voluntatem, diligenter notanda ſunt: vt intelligamus, quanam in re poſita ſit vera noſtra primariaque iuſtitia; nempe in impletione legis & mandatorum Dei. Id quod ſatis etiam ipſe docet Paulus Apoſtolus, dicens, Chriſtum veniſſe in ſimilitudine carnis peccati, vt iuſtificatio legis *Rom. 8.* impleretur in nobis. Conformiter etiam ad clariſſimam doctrinam Prophetarum: Da- *Ierem. 31.* bo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam. Item: Auferam *Ezech. 11. & 36.* cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum; & faciam vt in præceptis meis ambuletis.

CAPVT XLII.

Iuſtitiam noſtram non in ſola peccatorum remiſſione conſiſtere.

HÆc procul admodum abſunt, ab eo quod & paulò antè audiuimus ex Caluino, & alibi etiam docet expreſſis verbis, vnà cùm ceteris omnibus nouatoribus huius temporis; iuſtitiam omnem noſtram in ſola peccatorum remiſſione conſiſtere, nec aliquam in homine intrinſecam qualitatem denotare. Quam eamdem vocant iuſtitiam fidei: qua nimirum credimus, peccata nobis propter Chriſtum remiſſa eſſe, Chriſtique iuſtitiam nobis imputari quaſi noſtram. Sic in quartum caput ad Romanos Caluinus: Manet, inquit, ſalua nobis pulcherrima ſententia, iuſtificari fide, qui gratuita peccatorum remiſſione coram Deo purgatus ſit. Et paulò antè; Cùm Deus, inquit, nos iuſtificet, peccata non imputando; ijs verbis docemur, iuſtitiam Paulo nihil aliud eſſe, quàm remiſſionem peccatorum. Sic ille. Sed parcit veritati. Ex eo enim quod Apoſtolus ex Pſalmiſta docet, beatum eſſe cui Deus remiſit peccata, vel cui non imputauit peccata (bis enim, Hebræorum more, alijs atque alijs verbis, idem dicitur) tantùm ſequitur, remiſſionem peccatorum ad iuſtitiam pertinere, ſeu partem eſſe iuſtitiæ; non quòd ſit omnis vel tota iuſtitia noſtra. Fatentur Catholici, iuſtitiam noſtram etiam in remiſſione peccatorum conſiſtere: ac ſimul etiam docent, non minùs bona opera, per gratiam Dei facta iuxta legem & præcepta illius, ad naturam iuſtitiæ atque integritatem ſpectare. Vna autem iuſtitiæ pars non tollit alteram.

Et certè, qui diuinę Scripturæ paginas euoluit, pro vno atque altero loco apud Paulum & Pſalmiſtam, in quo beatitudo ſeu iuſtitia noſtra peccatorum remiſſioni tribuitur, centum locos facilè reperiet, in quibus iuſtitia in operatione ſiue exercitatione virtutum, vel

(quod

(quod in idem recidit) in impletione ſeu cuſtodia diuinorum præceptorum, collocarur. vt vehementer mirum ſit, aduerſarios noſtros ita cæcutire in re clariſſima: ſed excæcat eos malitia, & videntes nolunt videre. Sic nimirum, qui extra lucem Eccleſiæ ſunt, in qua ſola reſplendet per Spiritum ſanctum lucerna veritatis, nihil vident, etiam eorum quæ vident.

CAPVT XLIII.

Quid ſit, gratis iuſtificari.

VNVM præterea verbum hîc adijciendum de vocabulo gratiæ, quod ſæpè occurrit apud Paulum, præſertim in hac materia; quid nimirum declaret. Docet Paulus, hominem gratis iuſtificari: & in ſexta propoſitione hîc audiuimus, per Dei bonitatem nobis peccata remitti, & iuſtitiam dari; & quidẽ vtrumque gratis. Hæc nos etiam libenter Caluino concedimus, ſed alia longè ratione, multoque in alium ſenſum, quàm ipſe arbitratur. Ille cum ſuis hominem ita gratis iuſtificari vult, vt nullum Deus reſpectum habeat penitus bonorum quorumlibet operum, quæ iuſtificationem hominis vel antecederent vel ſequerentur. Nos contrà affirmamus, & ante iuſtificationem multa nobis eſſe bonorum operum adiumenta, vtpote gemitus, lacrymas, preces, ieiunia, eleemoſynas, & ſimilia; quibus diuinam clementiam flectimus, vt veniam nobis conferat delictorum. Et veniâ peccatorum perceptâ, ſimilibus alijſque pietatis exercitijs, iuxta legem Dei factis, iuſtitiam in nobis augemus, vt plenior ſemper & perfectior euadat: ſecundùm quod ſcriptum eſt; Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc; & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc. *Apoc. 22.*

Quid autem Caluinus? Talibus, inquit, mendacijs oppono gratuitam peccatorum remiſſionem, qua nihil in Scripturis clariùs prædicatur. Egregium verò pertinacis in concepto ſemel errore præſumptum. At nos, ſicuti gratuitam peccatorum remiſſionem in Scripturis agnoſcimus, idque in Scripturis non ſolùm noui Teſtamenti, ſed in Iſaia etiam dicente; Ego, ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me. & rurſus; Venite, & emite abſ- *Iſaias 43.*
que argento, & abſque vlla commutatione vinum & lac. ſicut, inquam, gratuitam il- *& 45.*
lam peccatorum remiſſionem agnoſcimus: ſic legimus etiam; Peccata tua eleemoſynis *Dan. 4.*
redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum. item: Miſericordia & veritate redi- *Prou. 16.*
mitur iniquitas. rurſus: Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum. & mul- *Luc. 7.*
ta ſimilia. Sed quid? Nónne gratuita eſt ſemper venia omnis & condonatio peccatorum? Eſt haud dubiè. Primùm quidem, quia Deus clementiſſimus, fidem nobis (principium omnis bonæ actionis) & pœnitentiam gratis inſpirat, gratis culpam, reatum, & ſupplicium mortis æternæ remittit. Denique, gratis nobis opera omnia illa bona infundit, quibus illi & pro pœnis temporalibus (quarum illi poſt remiſſionem peccatorum manemus debitores) ſatisfacimus, & perceptam cordis iuſtitiam ſemper augemus. Vnde nunc facile eſt intelligere, quòd gratuita peccatorum remiſſio, non ſolùm non pugnet cum bonis operibus, ſed hæc etiam ſe mutuò ſemper iuuent ac promoueant.

Gratia autem quæ in nouo percipi Teſtamento prædicatur, nõ opponitur omnibus aut quibuſuis bonis operibus; ſed aut legis tantùm operibus, quæ ſic in Scripturis appellantur, aut illis ac talibus operibus quæ ſolis & proprijs fiunt viribus humanæ naturę, ſeu liberi arbitrij. Quæ verò fiunt per gratiam Dei, ex eiuſq́; ſpiritu manant; adeò non pugnant cum gratia, vt in illa potiùs tamquam effectus aut fructus in cauſa ac radice includantur.

Sic & vita æterna apud Apoſtolum, gratia nuncupatur: non quòd bonis operibus tamquam merces debita non reddatur, vt idem Apoſtolus docet; ſed quia ipſa hominis bona merita, Dei ſunt munera. Quibus, cùm vita æterna pro mercede redditur, quid niſi gratia pro gratia datur? inquit Auguſtinus, Enchiridij 107. Qui & alibi eamdem Scripturam tractans, Verumtamen, ait, quia & ipſa vita æterna, quam certum eſt bonis ope- *De cor. &*
ribus debitam reddi, à tanto Apoſtolo gratia Dei dicitur; cùm gratia non operibus redda- *gratia cap.*
tur, ſed gratis detur; ſine vlla dubitatione confitendum eſt, ideò gratiam vitam æternam *11.*
vocari, quia his meritis redditur quæ gratia contulit homini.

CAPVT XLIIII.

Veriſſimum eſt, per doctrinam Caluini & ſimilium de Iuſtificatione, ſtudium virtutis ac pietatis extingui.

IN octaua Caluini propoſitione dicitur, non tolli ſtudium benè viuendi per doctrinam Caluini & ſuorum de hominis Iuſtificatione. Eſt, inquit, hæc calumnia aduerſarijs noſtris perpetuò in ore quòd benefaciendi ſtudiũ tollimus grauitæ iuſtitię commendatione. Certe hac in re Caluinum & ſimilis factionis hæreticos omnes grauiter accuſamus, nec calumniam illis vllam ſtruimus, ſed ipſiſſima veritate conuincimus. Quid enim corruptis hominibus & à ſtudio veræ pœnitentiæ ſinceræque pietatis alienis gratius vel iucundius, quàm audire, bona opera cuiuſuis generis nihil facere ad iuſtitiam? Nam hanc eſſe Caluini & ſectariorum omnium doctrinam, & ex iam dictis ſatis liquet, & meliùs etiam clariuſque conſtabit ex tractatione propoſitionis ſequentis. Et quid hæc doctrina differt ab illa, qua Eunomiani olim & Simon Magus docebant, opera bona non eſſe neceſſaria ad ſalutem? Si enim nihil faciunt ad ſalutem, non pertinent etiam ad iuſtitiam; cùm non alia pateat via ad ſalutem æternam, niſi per iuſtitiam: dicente Saluatore; Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. & Pſalmiſta; Ego autem in iuſtitia apparebo in conſpectu tuo. Quòd ſi bona opera ad iuſtitiam nihil conferunt; ſi iuſtitia omnis noſtra in ſola fide & peccatorum condonatione conſiſtit: quid ſupereſt igitur, niſi vt de vitæ innocentia parum ſollicitus, in vnam fidem incumbam, in eaque ſecurus quieſcam, qualiſcumque ſit vita mea?

August. de heret c 54. Irenæus lib. 1. cap. 20.

Matth. 5.

Pſalm. 16.

Quid dulcius auditu pigris & carnalibus, quàm, Chriſtus eſt iuſtitia noſtra omnis, in illum credite, & ſalua erunt omnia? Notum eſt profectò, Lutherum hac doctrina ab initio innumeros vbique locorum, quibus dura atque ingrata erant opera pœnitentiæ, ab Eccleſiæ & ſuperiorum ſuorum obedientiâ abductos, ſuas in partes traxiſſe. Hoc teſtantur non pauci ipſius etiam Lutheri diſcipuli: Iacobus Andreas in ſermonibus de planetis, ſeu de vitijs capitalibus (excuſus eſt liber Tubingæ, anno 1574.) inter alia multa ſic ſcribit: Alia Germanorum pars permittit quidem vt prædicetur verbum Dei; verùm nulla ſubſequitur emendatio, ſed diſſoluta, Epicurea, belluina vita, in commeſſationibus, ſympoſijs, auaritia, ſuperbia, nominis diuini blaſphemia. Atque hic non minùs quàm Papiſtæ in ſua idololatria redargui non ſuſtinent. Grauis & Chriſtiana modeſtia ac diſciplina, quam Deus verbo ſuo tam grauiter præcepit, & à Chriſtianis requirit, tam dura illis videtur; vt ad eam opere complendam, nouus ſit papatus nouuſque monachiſmus inſtituendus. Dicimus, inquiunt illi, nos per ſolam fidem in Ieſum Chriſtum ſaluos fieri, qui morte ſua omnia noſtra peccata expiauit; nec poterimus noſtro ieiunio, eleemoſyna, oratione, aliiſque operibus, pro iiſdem ſatisfacere. Miſſam igitur faciamus bonorum operum inculcationem; facilè ſiquidem poſſumus per Chriſtum ſalui fieri, omnemq; fiduciam in ſola Dei gratia & Chriſti merito collocemus. Atque vt vniuerſus orbis videat, eos à papatu alienos, nec in operibus ſpem ponere; idcirco nihil bonorum operum faciunt, locoque illorum, commeſſantur & inebriantur totos dies & noctes: pro eleemoſynis, pauperes expilant ac deglubunt; pro oratione, execrantur & blaſphemant nomen Domini, vſque adeò prophane, vt ne Turcæ quidem & Sarraceni tantam in Chriſtum impietatem diſignent: pro humilitate, regnat ſuperbia, faſtus, ferocia, luxus veſtimentorum. Hæc omnia Euangelij prætextu defenduntur, & nihilominùs perſuadent ſibi homines infeliciſſimi, ſinceram ſe habere fidem erga Deum in cordibus ſuis, ſe Deum habere propitium, ſe meliores idololatris & apoſtaticis Papiſtis. Sic ille Lutheranus.

TESTIMONIVM LVTHERANI DE EXSTINCTO PIETATIS STVDIO, PER DOCTRINAM IVSTIFICATIONI PER SOLAM FIDEM.

In quem etiam plane ſenſum Menno, Anabaptiſtarum Doctor primarius, in libro De vera Chriſtiana fide, titulo De fide Lutheranorum: Hæc, inquit, diſſoluta doctrina (ſolam nimirum fidem ſine operibus iuſtificare & ſaluare) effrænem & rudem populum, maiores & minores ciues, & plebem, ad tam diſſolutam & belluinam viuendi rationem induxit, iiſque frænum ita laxauit; vt tam impia & tam abominabilis vita inter Turcas & Tartaros inueniri non poſſit, qualem inter ipſos videre licet. De miniſtris verò Lutheranorum & Sacramentariorum, eodem lib. titulo De fide mulieris Cananeæ, ſcribit hunc in modum: Cùm ad concionatores venitur, qui ſe gloriantur habere Dei verbum, quoſdam

SIMILE TESTIMONIVM MENNONIS.

dam manifeſtè ac apertè mendaces, quoſdam ebrioſos, quoſdam vſurarios, quoſdam maledicos conuitiatores, quoſdam perſecutores & proditores eſſe, deprehendes. Quomodo etiam illorum quidam ſe gerant, & qua ratione vxores ſuas conſecuti ſint, quales etiam vxores habeant, id ego Domino atque ipſis etiam committo. Vitam quietam, otioſam, deſidem, & iucundam ducunt, ſeductionibus atque adulationibus ſeſe alunt de rapinis Antichriſti; & tantum concionantur, quantum terrenus & carnalis magiſtratus ferre atque audire vult. Sic ille.

Et hi ſunt fructus noui Euangelij Lutheri de ſola fide iuſtificante atque ſaluante; quo ſimplices dementabat: cùm præcipuè multa etiam perſpicuis verbis adderet, quibus bona opera palam cunctis exoſa reddebat. nunc exempli gratiâ ſic dicendo; Quanto ſceleratior es, tanto citiùs gratiam infundit. Item: Nunc debemus cum ſolo Iſaac venire, id eſt cum fide; ſeruos & aſinos, id eſt opera, deorſum dimittere. Item aliàs: Ego tibi dico, quia anguſta eſt via, oportet fieri renuem; ceterùm qui operibus onerati ſunt (ſicut conchilijs onuſtos videmus S. Iacobi peregrinos) ij non poterunt penetrare. Et paulò pòſt: Si veneris cum magnis ſaccis operum plenis, deponere oportebit; alioqui non poteris penetrare. Sic inſanus ille excuculatus monachus.

Lutherus Sermone de piſcatione Petri.

Idem Sermone Sic Deus dilexit mundum.

Sic & in præludio ſuo Babylonico ſcribit, hominem Chriſtianum tam diuitem eſſe, vt etiamſi maxime velit, non poſſit perdere ſalutem, niſi nolit credere; nec vlla peccata eum damnare queant, eò quòd per fidem in promiſſionem quæ baptizato facta ſit, mox abſorbeantur ac deleantur omnia peccata, modò credat aut cogitet ſe baptizatum eſſe. Denique, in Sermone de præparatione ad Euchariſtiam; Errorem eſſe perniciofum, ad menſam Domini tranquilliore animo accedere, eò quòd confeſſus ſis peccata rua, quodque nullius grauioris culpæ tibi conſcius ſis; quòd per preces & alia pietatis opera ad hoc te præparaueris: qui ſic affecti ſunt, eos ſibi iudicium manducare & bibere: quò verò magis quis ſit multis magniſque ſceleribus coopertus, eò magis præparatum & digniorem accedere. Ex his fontibus manarunt præclara illa dogmata, quæ Lutheri diſcipuli in colloquio Altemburgenſi tueri ac ſtabilire conati ſunt: nimirum; Opera bona legis, & noua obedientia, non ad regnum Chriſti, ſed ad mundum pertinent; ad Satanam ſpectant Chriſtiani, cum omnibus bonis operibus; precari verò oportet, vt in fide ſine bonis operibus, ad finem vſque conſtanter perſeueremus. Adeò neceſſaria illa non ſunt, vt etiam ad ſalutem incommodent ſintque pernicioſa. Id quod Nicolaus Amſdorphius, inter alios vnus ex primis & primarijs Lutheri diſcipulis, peculiari quodam libello perſuadere conatur. O hominum perditorum dementiam!

Cochl. anno 1517.

CAPVT XLV.

Doctrinâ Nouatorum, ſtudium bonorum operum è vita Chriſtianorum tollitur.

HÆc autem & ſimilia, palàm dicere, diſputare, tueri, ſcribere, prædicare, quid aliud eſt quàm verbis clanſſimis ſtudium omne bonorum operum tollere è vita Chriſtianorum & fidelium? Quæ certè doctrina, altero errore ingenti valde etiam iuuatur & confirmatur: quòd nimirum bonis operibus merces nulla debeatur in regno cælorum. Quod etiam dogma hæretici noſtræ tempeſtatis omnes certatim amplexi ſunt. eo prætextu videlicet, quod per merita huiuſmodi cauſam ſalutis noſtræ in nobiſmetipſis conſtituamus, & Chriſti meritis iniuriam faciamus. Quæ nequaquam ex doctrina de bonorum operum meritis (quam Scripturæ omnes agnoſcunt) ſequuntur; vt vel ſola illa teſtimonia Auguſtini ſatis docent, quæ paulò antè citauimus; ad declarandum, quomodo vita æterna ab Apoſtolo vocetur gratia, cùm iuſta ac debita ſit merces bonorum operum: quia nimirum his meritis vita æterna redditur, quæ gratia contulit homini.

Denique, ſummoperè eneruat ac debilitat ſtudium benè viuendi doctrina Caluini & ſectariorum omnium de ſatisfactione: quòd nimirum nulla à nobis requiratur nec præſtari etiam poſſit ſatisfactio pro peccatis, per ieiunia, lachrymas, eleemoſynas, orationes, & ſimilia: per huiuſmodi ſcilicet ſatisfactionē, iniuriam fieri ſatisfactioni crucis & mortis Chriſti. quòd vnus ille abundè pro omnibus ſatisfecerit. Sed de hac re nominatim pòſt agendum erit ſuo loco. nec huius etiam loci eſt, de meritis operum fuſiùs diſputare.

Arqui, dicit hîc Caluinus, ſe probè meminiſſe doctrinæ Apoſtolicæ, electos eſſe fideles ante mundi conſtitutionem, vt ſancti & immaculati in conſpectu Dei. item, vocatos eſſe non ad immunditiam, ſed in ſanctificationem. Hæc quidem dicit, vt magni facere in fidelibus videatur ſtudium pietatis: attamen ſic interim hoc ſtudium totum reuerà extenuat; vt apertè aliàs fateatur, propterea nihilo magis quemquam à Deo reſpici vel amari. Vnde in Commentarijs ſuis in Epiſtolam ad Roman. Non ſeparamus, inquit, à gratuito Dei fauore puritatem conſcientiæ ac vitæ integritatem: ſed, vbi cauſa quæritur, cur nos Deus amet & pro iuſtis agnoſcat, Chriſtum prodire neceſſe eſt, qui ſua nos iuſtitia induat. Qui ſenſus eſt etiam poſterioris partis propoſitionis nonæ; in homine iuſtificato bona opera regnare, per Chriſtum videlicet quem poſſident, qui nuſquam eſt ſine ſua iuſtitia. Sed quàm falſa & peſtilens ſit hæc in Caluini ſenſu doctrina, omnes vbique Scripturæ teſtantur; docentes expreſſis verbis, innocentiam & puritatem vitæ, cauſam eſſe veram & pro-
Ioan. 16. priam, cur nos amet Deus. In primis autem verba illa Chriſti in vltima cœna: Ipſe Pater meus amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia à Deo exiui. Item: Qui habet
Ioan. 14. mandata mea, & ſeruat ea; ille eſt qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre
1. Ioan. 3. meo, &c. Ioannes autem ipſe; Qui facit, inquit, iuſtitiam, iuſtus eſt.

CAPVT XLVI.

Quid ſentiendum de bonis operibus quæ iuſtificationem hominis præcedunt.

NVNC vnum hîc atque alterum verbum addendum de prima parte propoſitionis nonæ, qua dicitur, opera bona locum nullum habere in homine iuſtificando: licet fateri videatur, in eo qui iam iuſtificatus eſt aliquid poſſe; ſed non aliter quàm nunc explicuimus.

Quod ad primam hominis iuſtificationem attinet, quâ quis ex infideli fidelis, ex impio pius efficitur; illam iuſtificationem, vel potiùs iuſtificationis illius exordium, nulla merita humana præcedunt, teſte etiam Auguſtino Epiſtola 105. Vt iuſti fierent, inquit, homines, merita non fuerunt, iuſti enim facti ſunt cùm iuſtificati ſunt: ſed, ſicut dicit Apoſtolus, iuſtificati gratis per gratiam ipſius; & quod ad fidem propriè attinet primum iuſtificationis exordium, idem Auguſtinus frequenter docet ex Scripturis, primam omnium ſine vllis meritis præcedentibus, licet non abſque cooperatione humanæ voluntatis, dari à Deo, vt per illam cetera impetrentur.

Sed, quia iuſtificationis perfectio in remiſſione demum peccatorum conſiſtit; iuxta illud, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates; antequam eò perueniatur, ad hanc ipſa fides ex libero hominis aſſenſu multú valeret; & præter fidem multa etiam alia antecedút, quæ ad iuſtificationem permultum momenti habent: vt ſunt, dolor de admiſſis peccatis tam vehemens ille (quem ſcholæ ferè contritionem vocant) quàm alius imperfectior: & ex dolore huiuſmodi, lacrymæ ſalutares, oratio, inuocatio diuinæ gratiæ & miſericordiæ, propoſitum firmum ampliùs non peccandi, & ſimilia, de quibus Petrus prima concione
Act. 2. ſua poſt acceptum Spiritum ſanctum: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm, in remiſſionem peccatorum. Quæ hoc Sacramentum bona opera antecedunt, ſunt velut cóceptiones quædam, geſtationes, & ſimilis generis præparationes, quibus miſer peccator in vtero Eccleſiæ ſenſim diſponitur & præparatur, vt in Baptiſmo, vel poſtmodum in Sacramento pœnitentiæ, percepta peccatorum remiſſione, ſpiritualiter renaſcatur.

Nec ſufficit confiteri & agnoſcere, hæc quidem ante remiſſionem peccatorum homini facienda eſſe; vt tanto ſe beneficio dignum præbeat: verumetiam fatendum eſt, hominem per eiuſmodi verè iuſtificari (vt iam nunc ex Auguſtino audiuimus) ſaltem diſpoſitiuè, ſicut homo non ſola infuſione animæ generari dicitur, ſed etiam per præuias diſpoſitiones ad animæ infuſionem: quodque Dei clementia per huiuſmodi moueatur & prouocetur ad remiſſionem peccatorum pœnitentibus largiendam. Quemadmodum de Niniuitis ſcriptum eſt, Deum ad pœnitentiam illorum reſpexiſſe, & propterea pepperciſſe ciuitati; atque ex irato placabilem factum peccatis ciuium remiſſis. Cuiuſmodi exempla multa exſtant in Scripturis noui Teſtamenti. Et quidé in primis, de Cornelio in Actis
Act. 10. Apoſtolorum: Orationes tuæ & eleemoſynæ aſcenderunt in conſpectu Dei. Ita de ſeruo ne-

uo nequam : Omne debitum dimiſi tibi , quoniam rogaſti me. De Publicano autem: *Matth.18.*
Deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam. quia nimirum ſtabat à longè in templo Dei, *Luc. 18.*
quia non audebat oculos in cælum leuare, quia percutiebat pectus ſuum , dicens ; Deus
propitius eſto mihi peccatori. Vnde hic notare eſt inſignem ac pænè incredibilem Cal-
uini impudentiam, qui in ſua Inſtitutione non veretur ſcribere , dici non poſſe , Publica-
num in domum ſuam iuſtificatum abijſſe , aliquo operum merito,ſiue congruo ſiue con-
digno: ſed nulla refutatione indiget, tam craſſa calumnia ; cùm ſolis Euangelij verbis ſatis
ſuperque (vt nunc oſtendimus) refutetur. Vtque ſuprà meminimus , de Magdalena
eadem eſt ratio; Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quam mulie- *Luc. 7.*
rem haud dubiè permultum iuuit , ad veniam & gratiam impetrandam , fides illius,quæ
impulit eam & permouit , vt medicum quæreret animæ ſuæ , ab eoque medicinam &
gratiam poſtularet : vnde & ſcriptum etiam; Fides tua te ſaluam fecit. Verumtamen ope-
ra illa externa pœnitentiæ, quòd lacrymis ſuis lauit pedes Domini , capillis terſit, vnguen-
to vnxit , & cetera ex fide profecta , viciniores quædam & planiores viæ fuerunt ad pec-
catorum veniam impetrandam : habentque huiuſmodi in ſe quiddam Deo gratius &
acceptius , quàm fides ; hæc enim virtus (fides inquam) poſita eſt præcipuè in intellectu
hominis , nec quidquam ex ſe habet amoris coniunctum. Vnde, eſt illa quoque fides cer-
to quodam modo in dæmonibus; vt Iacobus ait Apoſtolus, & mox in refutatione propo- *Iac. 2.*
ſitionis ſequentis latiùs audiemus : tametſi fides in dæmonibus virtus non ſit ; quia non
eſt libera, neque ex pio affectu voluntatis, ſed coacta quædam. Progreſſus autem in iuſti-
ficatione, eſt huiuſmodi ; vt ex fide voluntas etiam hominis paulatim immutari incipiat,
vertendo ſe ac retrahendo ab amore veterum peccatorum , totamque ſe conuertendo
ad amorem Dei; eſurire iuſtitiam, deſiderare gratiam Dei , promittere meliora , inuocare
ſuppliciter opem & miſericordiam eius, multis cordis amaris gemitibus. Hæc ſunt omnia
amoris officia, qui ſedem habet in voluntate ; vnitque amantem cum amato : hinc tan-
dem ſequitur in homine iuſtitia perfecta, per veniam & remiſſionem peccatorum. Vt ea-
propter meritò rectiſſimeque de Magdalena,pro his atque huiuſmodi amoris diuini offi-
cijs, dictum ſit ; Remittuntur ei peccata multa,quoniam dilexit multum. *Luc. 7.*

Et hoc eſt,quod Sadoletus hic etiam recte & eruditè de Iuſtificatione diſputat;afferen-
dam ad Deum in primis mentem ſeu voluntatemq; cupidam efficiendi quæcumque illi
grata ſunt, in eoq; præcipuè vim eſſe Spiritus ſancti : quæ voluntatis promptitudo etiamſi
interdum ad externa opera non progreditur, ipſam tamen ad benè operandum , iam in-
tus paratam eſſe ; promptumque ſtudium gerere , vt Deo in cunctis rebus obſequatur :
huncque verum in nobis eſſe iuſtitiæ habitum.

Quod autẽ Scripturę noui Teſtamenti,fidei magis interdum quàm pœnitentiæ & cha-
ritatis officijs iuſtitiam tribuere videantur;huius rei ratio eſt & bona,quòd fides initium ſit
& fundamentum iuſtitiæ & operum ad eam diſponentium aut iuuantium. Adde, & Scri-
pturam ferè de fide viua loqui,quæ opera fidei & obſeruantiam mandatorum ex fide pro-
fectam non excludit, ſed comprehendit Sed non eſt nobis propoſitum hic omnia expla-
nare : res eſſet iuſti libri, ſi iſta ad plenum pro dignitate & pro materiæ amplitudine tra-
ctanda eſſent; etſi tamen hac de re infrà etiam ſimili occaſione nonnihil dicetur.

CAPVT XLVII.

Manifeſtus eſt error , fidem numquam eſſe abſque bonis operibus , ſeu bona voluntate.

IN decima propoſitione dicit Caluinus: Vbi non viget ſtudium ſanctificationis & inno-
centiæ, ibi nec ſpiritum Chriſti eſſe, nec Chriſtum ipſum, nec iuſtitiam; imò neque fi-
dem, quæ Chriſtum ad iuſtitiam, ſine ſpiritu ſanctificationis, apprehendere non poteſt.

Priorem huius propoſitionis partem admittimus: vbi videlicet non viget ſtudium ſan-
ctificationis, & innocentiæ; ibi nec Chriſtum eſſe , nec ſpiritum eius , nec iuſtitiam. At,
quod dicit, ne fidem quidem abſque ſtudio ſanctificationis poſſe ſubſiſtere ; vehementer
alienum eſt à veritate, & à doctrina ſanctarum Scripturarum. In quibus in primis , per-
ſpicua eſt admodum ſententia Iacobi Apoſtoli ; qui fidem ſine bonis operibus non qui- *Iac. 2.*
dem nullam , ſed mortuam eſſe docet . Et adhibet ſimilitudinem : Sicut enim corpus,
ait, ſine ſpiritu mortuum eſt; ita & fides ſine operibus mortua eſt.

Luc. 12. Idem docent & alij multi Scripturæ loci. Qui nouit voluntatem domini ſui (per fidem videlicet) & non facit; plagis vapulabit multis. item; Non omnis qui mihi dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Loquitur de ijs qui per rectam fidem cognoſcunt, labijſque externis inuocant Deum. Quales illi erant de quibus alibi queritur: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Quin & in ſimilitudine illa de vite & palmite idem agit Chriſtus: Omnem, inquit, palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum Pater meus, & in ignē mittet. Iam itaque hîc videamus: Quis eſt palmes in Chriſto non ferens fructum? Optimus huius loci interpres Cyrillus Alexandrinus magnus ille Eccleſiæ Doctor, qui floruit tempore Auguſtini, vel certè paulò pòſt: Qui per fidem, inquit, Chriſto ſolummodò coniunguntur, ſola illi confeſſione inhærentes, nec charitatis vimine ſe colligantes; palmites quidem ſunt, ſed non fructuoſi. Et Caluinus quidem ſatis etiam ſubolfecit, hic palàm iugulari à Chriſto doctrinam ſuam, de fide non ornata bonis operibus: eùm de fide ſic ornata, viua, & per charitatem operāte, tot locis, tam apertè loquatur Chriſtus. Obijcit ideò ſibi Caluinus: Quæritur an fructu poſſit carere, qui in Chriſto inſitus eſt. Et reſpondet, multos in vite cenſeri, opinione hominum, qui re ipſa radicem in vite non habent. O tortuoſum colubrum!

Matth. 7.

Matth. 15.

Ioan 15.

Ecce, quomodo veſanus hæreticus, Chriſti parabolam peruertere, ipſumque adeò Chriſtum falſitatis arguere mauult, quàm recedere à præſumpta ſententia ſua. Chriſtus dicit, palmitem in ſe eſſe, qui non affert fructum; eumdemque à Patre ex ſe tolli, & perſpicue, vt in ignem mittatur. Contrà Caluinus, huiuſmodi palmites non eſſe in Chriſto, nec reuerà inde tolli, vt Chriſtus ait; ſed videri dumtaxat in Chriſto eſſe, indeque tolli, opinione hominum. Sic nimirum hæretici iſti Scripturas reuerentur, quas ſemper in ore habent: nimirum, mendacij eas potiùs & falſitatis inſimulantes, quàm vt à prodigioſis dogmatibus ſuis vel tantillum recedant.

CAPVT XLVIII.

De qua fide loquatur Apoſtolus, qua montes quis transferat.

1. Cor. 13. SED nullum videtur eſſe falſitatis Caluinianæ in hac doctrina clarius teſtimonium, quàm Pauli Apoſtoli in priore ad Corinth. Si habuero, inquit, omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Quid dici poteſt certius & manifeſtius ad docendum fidem eſſe poſſe ſine charitate? Proinde, valde hîc etiam ſudat Caluinus, vt hanc difficultatem effugiat, nec retibus veritatis capiatur. Fides, inquit, de qua loquitur Paulus, eſt particularis. quod patet ex particula illa adiecta; Ita vt montes transferam. particulari verò fide, quam alij ſignorum vocant, non apprehenditur totus Chriſtus, ſed tantùm potentia in edendis miraculis.

Ad quod commentum reſpondemus; fidem illam miraculorum, ſicut nec hiſtoricam nudam (de qua aliàs loquitur) nec Sacris litteris nec Eccleſiæ Catholicæ notam eſſe. Contrà verò, fides omnia credit, quæ & Scriptura ſacra & Eccleſia credenda propoſuit. Quomodo Abrahæ fides deſcribitur, pleniſſimè ſciens quòd quæcumque promiſit Deus potens eſt & facere. Credere enim miracula omnia, quæ Deus vel Chriſtus fecit, vera eſſe, & non ſimul fidem adhibere indubitatam verbis eius omnibus, quæ vel in Scripturis habentur, vel ab Eccleſia credenda mandantur; aut vnum aliquem, vel multos articulos credere, alios autem non; non eſt fides. Significat enim fides veritatem integram, quantum ad obiectum fidei attinet. Adeò quidem, vt etſi vnum tantùm quemlibet articulum ad fidem ſpectantem reijeias pertinaciter, & credere nolis; fidem non habeas: nam ſi propter auctoritatem Dei dicentis verè credas, omnibus credas neceſſe eſt, quæ dixerit aut reuelarit; aut, ſi pro libito vnum credas, alterum non credas, conuinceris non propter Dei auctoritatem credere (quod fidei eſt) ſed ex arbitrio tuo, vel alia ratione.

CAPVT XLIX.

Fidem particularem aut hiſtoricam quam hæretici fingunt, Scriptura non agnoſcit.

QVOD ad hiſtoricam fidem attinet, ſi illam ac talem intelligunt fidem, quæ in ſolius humani ingenij aſſenſu fundatur, quæ ethnicis etiam & paganis communis eſſe poteſt;

poteſt; non eſt illa etiam fides Chriſtiana, in Scripturis commendata. Hæc enim à Spiritu ſancto & à diuina reuelatione originem ducit: vt Chriſtus aiebat Petro; Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt. Quocirca Apoſtolus, dicens, Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam; hac adiectione, non nouam aliquam vel particularem fidei ſpeciem declarat, ſed fidem amplificat, ab omni naturæ ſuæ plenitudine & perfectione: quæ ex duobus conſtat; nempe, ex tota multitudine credendorum, quod vulgò dicitur obiectum fidei; & ex credendi ſiue aſſentiendi intentione, magnitudine, facilitate, promptitudine: quibus ex cauſis fides in Scripturis magna vel parua dicitur; habetque gradus ſuos & incrementum, in ijs qui dociles ſunt, & proficere ſtudent, iuſtamque tandem magnitudinem & perfectionem. Hinc Apoſtoli, non ſemel à Chriſto dicuntur modicæ fidei: quia videlicet, vel tardè credebant, vel nondum omnia de illo credebant, quæ ad officium vel dignitatem eius ſpectabant, quòd non ſatis aduerterent ea à Deo dicta vel reuelata. Initio credebant Prophetam illum eſſe dumtaxat, quales multi fuerant ſæculis præcedentibus; non autem Chriſtum regem, mundi Redemptorem, nó verum Filium Dei. Sic videre eſt creſcentem per gradus fidem Reguli illius (vt Gregorius inter alios annotauit) de quo Ioannes Apoſtolus. Hinc illud etiam Apoſtolorú; Domine adauge nobis fidem. item; Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Pauli igitur ſenſus prædicto loco hic eſt: Etſi fidem habeam, omni laude dignam in ratione fidei; vt nimirum & omnia credam quæ credenda ſunt, totaque animi promptitudine & firmiſſime credam; non habeam autem ſimul charitatem, nihil ſum. Significat igitur fidem, etiam perfectiſſimam, & quæ cum gratia miraculorum (quam Marci vltimo promiſit ijs qui crediturі ſunt) ſit coniuncta, poſſe tamen à charitate & bonis operibus ſeparari, ac reipſa aliquando ſeparata eſſe: vt Matth. 7. Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus & virtutes multas fecimus, &c.

Matth. 16. *1. Cor. 13.* *Ioan. 4.* *Luc. 17.* *Matth. 9.*

Atqui dicunt, fidem veram & iuſtificantem non magis à charitate auelli poſſe reipſa, quàm lucem ab igne: adduntque, fidem eſſe bonam arborem, quæ bonos ſemper fructus proferat. & huc citant etiam illa; Omnes filij Dei eſtis per fidem; ſi autem filij, aguntur igitur ſpiritu Dei. item; Iuſtus ex fide viuit. Hîc nos reſpondemus; fidem iuſtificantem haud dubiè à charitate ſeparari non poſſe, cùm per charitatem ipſam iuſtificet: iuxta illud Lucæ 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Hæc eſt fides quæ per charitatem operatur; vt alibi appellat Apoſtolus. Et de tali etiam fide intelligi poteſt, vt verum ſit quod in decima hac propoſitione Caluinus ait, quòd fides Chriſtum apprehendere nequeat, ſine ſpiritu ſanctificationis. Sed quòd Scriptura non aliam agnoſcat fidem, quàm iuſtificantem, hoc nimirum eſt quod negamus; & hoc Scripturæ illæ omnes perſpicuè docent, quas hîc paulò antè citauimus.

Galat. 5.

CAPVT L.

Quamobrem hæretici, omnem fidem volunt eſſe fidem iuſtificantem & charitate præditam.

SED miretur quiſpiam, quamobrem nouatores noſtri hoc dogma ſuſtineant; fidem ſcilicet numquam charitate vel bonis operibus vacuam eſſe. Quid eos mouet vt hoc doceant? Verè admiratione dignum: ſed non eſt æquè facile, omnis illorum & tam multiplicis peruerſę doctrinæ rationem reddere, cauſámve aſſignare. Nec tamen in hoc etiam laborandum: vti nec vna omnibus cauſa eſt, cur hanc aut illam hæreſim ſequantur: alios ſtimulat habendi cupiditas, alios ira atque inuidia, alios ambitio, alios venter, alios aliud. Verumtamen, quod de fide, ſtudio ipſi pietatis boniſque operibus ſemper coniunctâ, dicunt; idcircò videri poſſunt facere, vt, quando & iuſtificationem omnem & ſalutem hominis vni ſoliq́ue fidei tribuunt, (quod eſt illorum dogma primarium) non videantur bonis operibus vel charitati iniuriam facere, cùm illam fidei ſuæ ſemper coniunctam affirment. Ita, vno inconuenienti dato (vt ait vulgaris parœmia) ſequuntur multa. Sed non plus agunt dum vnum errorem alio palliare vel mitigare conantur, quàm dum extra viam receſſerunt, longiùs ſemper audaciuſq́ue pergunt, vt benè rectéq́ue incedere videantur.

Vndecima Caluini de Iuſtificatione doctrina hæc eſt: Hominem, non modò ſemel iuſtificatum, nullo operú merito; ſed & hac gratuitâ iuſtitiâ ſalutem eius perpetuò conſtare.

Tota hæc propoſitio poſſet in Catholicum & bonum ſenſum accipi, exceptis forſitan verbis illis, Nullo operum merito. Quamuis & illis quoque ſenſus queat bonus veruſque accommodari: loquendo ſcilicet de operum meritis, quæ habeat homo à ſeipſo. Docet enim Eccleſia totam hominis iuſtitiam, ab initio vitæ vſque ad finem, diuinæ gratiæ tribuendam: imò etiam vitam æternam, quæ vera tamen & ſumma eſt merces omnis iuſtitiæ: vt ſuprà in fine refutationis propoſitionis ſeptimæ oſtendimus. Sed dum hoc docet, Eccleſia nequaquam excludit ab integritate iuſtitię noſtræ, merita bonorum operum, quæ ex ſpiritu Dei, gratia eius cooperante, proficiſcuntur: ſicut nec dum agnoſcit iuſtitiam, quæ in nobis naſcitur ſine mentis operum, non negat augmentum iuſtitiæ & gratiæ ex mentis operum, quæ iuſtitiam primam conſequunrut, vt non tota hominis iuſti iuſtitia æquè ſecundùm omnem ſui partem ſit gratuita.

At Caluini hac de re longè alia eſt ſententia. Vult enim ille, æquè nullum habere locum menta quæcumque bonorum operum, poſt adeptam iuſtitiam, totâ hominis vitâ, ad quemcumque pietatis vel ſanctitatis gradum & perfectionem peruenians: ſicut ſuſtinet, nullum eſſe reſpectum bonorum operum coram Deo, ante iuſtificationem adeptam; ſeu, priuſquam homo ex impio iuſtus fiat. Nec ſatis illi eſt, primam hominis iuſtificationem ſeu reconciliationem cum Deo, ita per ſolam gratuitam fidem docere, vt nec pœnitentia quæuis ad illam valeat aliquid; nec per quæcumque opera aliqua mentis innouatio fiat, aliqua peccatorum remiſſio impetretur, ſola fide ex parte noſtra impetrante atque efficiente omnia: ſed vult etiam fidem ſolam, toto decurſu vitæ ac iuſtitiæ Chriſtianæ, omnia facere & largiri, quæ ad totam pietatis & iuſtitiæ laudem pertinent; excluſis vbique ac ſemper bonis operibus vniuerſis.

Capvt LI.

Secundùm Caluinum, omnis iuſtitia quantumlibet ſancti, non eſt aliud coram Deo, quàm mera iniuſtitia.

Qvod ſi quis alijs verbis dictum vel explicatum cupiat: hominis Chriſtiani (quantumlibet ſancti) iuſtitiam hanc eſſe; vt ſemper in ſe iniuſtus, impius, impurus, ſceleratus, execrabilis, & maledictus permanens in oculis Dei; per vnam ſemper gratuitam fidem, peccatorum ſuorum remiſſionem accipiat: tectâ nimirum atque impunitâ manente per meritum Chriſti iniuſtitiâ atque impuritate ipſius. Sic aperte docet & ait, loco ſu-
Lib. 3. prà dicto, in Epiſtolam ad Romanos: ſed quàm impiè & horrendè blaſphemè, paulò
cap. 12. §. 4. pòſt explicabimus. In quem etiam ſenſum in Inſtitutione ſua, de iuſtitia hominis ſeu potiùs iniuſtitia ſcribens, opera etiam iuſtificatorum vniuerſa næuo aliquo deformara aſſerit: imò verò, omnia (ſi ſua dignitate æſtimentur) nihil eſſe, niſi inquinamenta & ſordes: & quæ iuſtitia vulgò habetur, eam apud Deum eſſe meram iniuſtitiam; quæ integritas cenſetur, pollutionem; & ignominiam, quæ gloria dicitur. O ſcelus execrandum!

Qui cùm ita ſentiret, de fidei ipſius, de ſpiritus hominem inhabitantis ac regentis, de charitatis eius, quæ eſt de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta, bonis vniuerſis operibus (quæ iam bona eſſe non poſſunt, ſi ſint peccatis multis inquinata:) quid mirum ſi vecors homo ſubiungat eodem loco §. 13. totam hominis iuſtitiam in vnum cumulum coactam, vel vnius peccati compenſationi parem eſſe non poſſe? At, quantò aliter Scri-
Dan. 4. ptura ſacra? Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum. Caluinus ait, omnem totius vitæ hominis iuſtitiam, vnius peccati compenſationi parem eſſe non poſſe; Propheta verò aſſerit, vnum opus iuſtitiæ (eleemoſynam ſcilicet) totius vitæ impijſſimi Regis Nabuchodonoſoris peccata & ſcelera omnia delere ac redimere poſſe. Vide Caluini blaſphemi proteruiam.

Sed, redeamus paululum ad ea quæ ſuprà dicebat de Dauide. Hunc Prophetam, virum ſecundùm cor Dei, affirmare non veretur, tota vita ſua iniuſtum fuiſſe; magnoque ac perpetuo conſcientiæ ſuæ cruciatu fatigatum, in ſola peccatorum remiſſione beatitudinem & iuſtitiam omnem ſuam poſuiſſe. Et interim tamen addit, quòd per annos complures Deum coluerit. Quod quomodo cum præcedentibus & ſequentibus omnibus conſtare poſſit, equidem non intelligo; quia delirio ſimile. Quid enim: num colitur Deus per flagitia? vel, num alij homines, quàm flagitioſi & ſcelerati, diuturno ac perpetuo conſcientiæ

ſcientiæ cruciatu fatigantur? Illi nimirum, de quibus Ethnicus ille Poëta;

Nocte dieq; ſuum geſtare in pectore teſtem.

Et Propheta noſter; Non eſt pax impijs. Ac rurſus: Cor impij quaſi mare feruens, quod Iſa 48.
quieſcere non poteſt. Vnum igitur neceſſe eſt verum ſit è duobus: aut, Deus per conti- Iſa. 57.
nua ſcelera colitur; aut, ſi Dauid per complures annos Deum coluit, falſum eſt, quòd
poſt magnos progreſſus in cultu Dei, diuturno conſcientiæ cruciatu fuerit fatigatus.

Deinde, quid magis eſt in opprobrium perpetuum ſancti Regis & Prophetæ, imò etiam
diuinæ veritatis; quàm, quòd Rex ille poſt tantos in pietate progreſſus tot annis continua-
tos, tandem expertus ſit in ſe miſeros & infelices eſſe omnes qui ad Dei tribunal vocan-
tur. Annon verba iſthæc, ſtudia omnia & conatus in cultu Dei, omnemq́ue pietatis pro-
fectum, ſtultitiæ ac dementiæ veræq́ue impietatis condemnant? annon Scripturas illas
omnes ludibrio exponunt, quæ iubent ambulare in via Domini, in cultu ac obſeruatione
mandatorum ipſius, cuſtodire iuſtificationes eius, & ſimilia? Cuius doctrinæ inter alias
doctrinas plenus eſt Pſalmus ille pulcherrimus & longiſſimus, 118. Quò pertinent etiam
loci illi Scripturarum, qui docent atque hortantur ſeruire Deo in ſanctitate & iuſtitia
omnibus diebus vitæ noſtræ. Ergo, miſer & infelix tota vita ſua fuit magnus ille Iob, ſim-
plex, & rectus, & timens Deum, qui tot aduerſis probatus, dicebat; Non reprehendit Iob 27.
me cor meum in omni vita mea. Infelix Ezechias Rex, qui ad Dei tribunal citatus, &
in hora mortis (vt putabat) conſtitutus, dicebat Deo confidenter; Memento quomodo 4. Reg. 20.
ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te,
fecerim. Poſtremò, infelix, miſer & maledictus erit Caluino Paulus Apoſtolus; qui
cùm breui vocandum ſe ſciret ante tribunal Dei, dicere non dubitabat: Bonum certa- 2. Tim. 4.
men certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: de reliquo repoſita eſt mihi corona
iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex. Non referam hîc, quod
de prædicto Ezechia rege & de Ioſia ſcriptum eſt: Similis illi non fuit ante eum Rex, qui 4. Reg. 23.
reuerteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in vniuerſa virtu-
te ſua, iuxta omnem legem Moyſi.

Præteribo & alia multa ex Scripturis eiuſdem ſententiæ. ſed vnam dumtaxat quam- LVCAE
dam noui Teſtamenti Scripturam ſilentio præterire non poſſum: quæ nimirum exſtat in VERBA,
exordio Euangelij Lucæ Euangeliſtæ, de Zacharia & Elizabeth parentibus Ioannis Ba- ERANT
ptiſtæ: * Quòd erant iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iuſtifi- AMBO IV-
cationibus Dei ſine querela. Hîc ſingulæ dictiones diligenter notandæ. Si tantùm dixiſ- STI, ETC.
ſet Euangeliſta, fuiſſe iuſtos, ſine vlla alia adiectione; iniuriam tamen ſanctis coniugibus, DILVCIDE
verbiſq́ue Euangeliſtæ vim faceremus, ſi non verè ac propriè fuiſſe iuſtos, ſed ſola homi- CONTRA
num opinione, cum hæreticis noſtris diceremus. At nunc, etiam cautionem addidit, CALVINVM EXPLICANTVR.
minimè alioqui neceſſariam, nempe, Iuſti ante Deum: qua phraſi, non fallax, aut fuca- * Luc. 1.
ta, vel Phariſaica, vel opinione tantùm & iudicio hominum nixa, ſed vera & ſolida iuſti-
tia notatur, Dei ſummi (qui falli non poteſt) iudicio comprobata: teſtibus inter alios
Ambroſio in Lucam & Gregorio lib. Moral. 35. cap. 5. Sed hac etiam adiecta cautio-
ne Euangeliſta non contentus, quaſi Lutheranorum & Caluiniſtarum hæreſim futuram
omnino in ſpiritu præuidiſſet; aliam adiecit, qua totius erroris huius de iuſtitia (quem re-
futamus) fundamentum euertit: Incedentes, inquit, in omnibus mandatis & iuſtifica-
tionibus Domini. multis nimirum & clariſſimis verbis declarans, Zachariam & Eliza-
beth omnia Dei mandata ſeruaſſe, ideoq́ue, operibus etiam bonis ac Deo gratis, iuſtos
fuiſſe. Aſt hæretici verſutiam attendamus. Quid interſit inter mandata & iuſtificationes
Dei, Caluinus hoc explicat; ſed quis illius interpretationi aliquid tribuendum putet? Di-
cit, mandata Dei ad præcepta moralia & Decalogum pertinere; iuſtificationes verò, ad
cæremonialia quę ſpectant propriè ad cultum Dei. Amplectamur nihilominùs hoc diſcri-
men, quando hîc aduerſus illius auctorem diſputamus. Subindicat ergo Euangeliſta, pa-
rentes Ioannis nullum diuinæ Legis præceptum, magnum, paruum, cuiuſcumque gene-
ris, ſeu legis naturæ, vt ſunt moralia, ſeu nouæ ac diuinæ inſtitutionis, vt ſunt cæremonia-
lia, non diligentiſſimè obſeruaſſe; etſi quid alterius differentiæ ſit, inter mandata & iuſti-
ficationes Dei, quidquid vnum vel alterum illorum ſignificet (vt Lucas certè aliquid in-
ter hæc duo intereſſe ſubindicat) & quacumque de cauſa præcepta aliqua iuſtificationes
vocentur (in quo variant interpretes) docet Euangeliſta, coniuges hoſce, mandata Dei
omnia & iuſtificationes obſeruaſſe. Et quaſi hoc etiam ſatis non eſſet, epitaſim addidit;
Sine querela; ita videlicet, vt nihil in illis eſſet, quod iure poſſet reprehendi. Adeò ſtudio-

ſe &

ſe & ſeriò Dei mandata ac iuſtificationes ſeruaſſe; vt nec apud homines, nec apud Deum, ea in re quidquam deſiderari potuent. Nam peccata venialia (quibus veriſimiliter minimè caruerunt) teſte etiam Auguſtino, iuſtitiam veram non impediunt, nec Dei gratiam amicitiamq; excludunt, eodem teſte Auguſtino Serm. 41. De Sanctis, & in Sententijs, Sententia 46. Sed nihilne de hac tam memorabili Scriptura Caluinus? cùm non poſſet non proſpicere, quàm vehementer omni ex parte contraria eſſet hæreſi ſuæ, debuit aſpergere veneno aliquo interpretationis peſſimæ. Hoc autem in hunc modum facit: A iuſtificatione fidei, inquit, proficiſcitur, vt opera impura, immunda, dimidiata, indigna Dei conſpectu nedum amore, iuſtitiæ imputentur. Iuſti ergo Zacharias & Elizabeth, quòd Deus non imputauerit eis peccata, nam & ſuis vtique vitijs laborabant. Sic ille. O caput ſupra caput ſerpentis!

De nat. & gratia cap. 37.

Sed hic attentè conſideret Lector, quàm ſit homo iſte ſuo Commentatio Lucę contextui ex diametro velut contrarius. Non potuit Euangeliſta luculentiùs teſtari, opera Zachariæ & Elizabeth non ſolùm munda & pura, ſed etiam iuſta fuiſſe; quàm dicendo eos fuiſſe iuſtos, & quidem coram Deo: atque in omnibus mandatis & iuſtificationibus Dei inceſſiſſe ſine querela. Interim, ecce, Caluinus, impudenti ore, opera illorum non ſolùm imperfecta ac dimidiata, ſed etiam immunda pronuntiat. Lucas non potuit clariùs explicare nullum eos peccatum habuiſſe, quàm dicendo, eos in omnibus Dei præceptis ambulaſſe abſque querela: Caluinus affirmat, ſuis eos vitijs laboraſſe. Quibus verbis haud obſcure ſignificare videtur, eos non vnum atque alterum, ſed plura habuiſſe peccata: cum laborare vitio aliquo dicatur, qui non ſemel atque iterùm labitur; ſed qui frequenter in idem recidit: vt perinde eos habere Caluinus videatur, quemadmodum Scriptura eos habet quos vocat peccatores. Quid autem Lucæ magis contrarium dici poteſt, qui aſſerit eos fuiſſe iuſtos? & quidem cum adiectionibus illis quas audiuimus? Nec agit Caluinus de peccatis venialibus, ſeu quotidianis, vt Auguſtinus ea libentius nominat, nulla etenim nouus hic Doctor venialia peccata agnoſcit: noſtramque diſtinctionem, qua peccatorum alia mortifera, alia dicimus venialia, ſuperbè irridet. Ad hæc de vera vtique internaque iuſtitia loquitur Lucas, cùm eos ambos iuſtos appellat, de imputatione aut acceptatione mentionem facit nullam. Caluinus verò quam Lucas iuſtitiam vocat, imputationem interpretatur: & ſi quod ſentiebat, auſus fuiſſet palàm vbique profiteri; nó alia tantùm quælibet ſanctorum iſtorum coniugum opera, ſed illam ipſam quoque mandatorum diuinorum exactam cuſtodiam ab Luca expreſſam, peccatum eſſe dixiſſet: vt ex locis eius pluribus, iam antè commemoratis, manifeſtum euadit. Quis ferat eiuſmodi hominum inſolentiam?

CAPVT LII.

Charitatem, rectè dici à Sadoleto, primariam cauſam ſalutis noſtræ.

DIXERAT per occaſionem Sadoletus, principem & præcipuam ſalutis noſtræ cauſam eſſe charitatem: ſiquidem Deus charitas eſt, inquit. Ita, ſicut ſine Spiritu ſancto nihil noſtrum neque gratum neque acceptum Deo eſt; ſic nec eſſe poſſe ſine charitate.

Hæc concio Sadoleti de charitate, Caluinum peſſime habuit. Dicit ſe obſtupefactum fuiſſe, cùm audiuit à Sadoleto charitatem eſſe principem & potiſſimam cauſam ſalutis noſtræ. Et rogat Sadoletum, quis ab eo talem vocem expectaſſet: additque, cæcos quoque aliud in Scripturis videre poſſe: nempe ſalutis noſtræ principem & primariam cauſam eſſe Dei gratiam & miſericordiam; ex illa manare adoptionem noſtram, ante mundi conſtitutionem; ex illa cæleſtem hereditatem Dei filijs ab æterno præparatam; & Scripturam ſacram, de adoptionis huius cauſa loquentem, docere, quòd nos non priùs ipſi dilexerimus Deum, ſed vltrò in gratiam & beneuolentiam eius receptos eſſe.

Et hæc quidem vera fatemur omnia. Sed, quid omnia contra laudem, quam Sadoletus in perficienda ſalute noſtra charitati tribuerat? Hanc principem & præcipuam fecerat cauſam ſalutis noſtræ. Nónne hoc ipſum, tanto ante illum docuerat Ioannes Apoſtolus, dicens; Nos ſcimus, quia tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres? Quid hoc aliud ſonat quàm charitatem fraternam cauſam eſſe potiſſimam ſalutis no-

1. Ioan. 3.

tis noſtræ? Nónne ſalus noſtra in eo eſt poſita, quòd de morte æterna ad vitam transferamur? Hoc Apoſtolus ille tribuit charitati. Qui & alibi ſcribit, verbis minimè obſcuris: Qui diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. *Ioan. 14.* Quánam in re poſita eſt ſalus ſumma & beatitudo noſtra? Nónne in eo quòd ſeipſum Deus nobis manifeſtabit ſicuti eſt? Et cùm dicit hîc Chriſtus, Diligetur à Patre meo; & alibi, Ipſe Pater meus amat vos, quia vos me amaſtis; num hæc pugnare dicemus cum eo quod alibi idem Apoſtolus ait, Non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos? Diligit nos Deus prior ex pura miſericordia ſua, omni ſuo amore indignos: diligendo autem, nobis inſpirat amorem ſuum. Nos deinde illâ eius gratiâ, ipſo ſemper adiuuante, bene vtentes, diligimus Deum, tamquam ſummum & vltimum & omne noſtrum bonum. Hinc ille rurſus, noſtra gratitudine delectatus, magis etiam nos diligit; magiſque gratiæ omnis & beneficentiæ participes facit. Ita eſt quidam reciprocus progreſſus, inter Dei amorem erga nos, noſtrumque erga eum. Prorſus Dei donum eſt, diligere eum, inquit Proſper & Auguſtinus: ipſe enim vt diligeretur dedit, *In ſententijs.* qui non dilectus dilexit: diſplicentes amati ſumus, vt fieret in nobis vnde placeremus.

Et verum eſt etiam quod Caluinus ait, Dei miſericordiam cauſam eſſe principem & primariam ſaluris noſtræ. Sed cauſa illa non excludit alias cauſas, ex prima illa manantes, quarum vna & quidem ex primarijs (vt nunc oſtendimus ex Ioanne Apoſtolo) eſt charitas Dei & proximi. Qui riuulum prædicat, & cauſam eſſe mundiriæ omnis quæ ſordibus riuulo ablutis enaſcitur; non excludit à laude illa fontem, è quo oritur riuulus.

CAPVT. LIII.

Odium Caluini in charitatem: & quomodo verba Apoſtoli, quibus charitatem fidei præfert, conetur eludere.

SED eſt obſeruatione dignum, quemadmodum hæreſiarcha iſte vbique & ad omnem occaſionem monſtret odium ſuum in charitatem, virtutemque hanc totis ingenij viribus perſequatur, laudemque & præcellentiam eius ferre non poſſit; adeò quidem, vt non ſatis æquo animo ferat, extolli hanc virtutem ab Apoſtolo ſupra fidem & ſpem, cùm dicit ad Corinthios, verbis minimè obſcuris: Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas, tria hæc; maior autem horum eſt charitas. *1. Cor. 13.* Miratur Caluinus, cur ita locutus ſit Paulus; mirumque in modum laborat, ſudat, angitur, vt euincat, Apoſtolum non recté ſcripſiſſe, charitatem fidei præcipuè præferendo: *In locum illum 1. Cor. 13.* Apoſtoli autem clariſſima verba, miris interpretationibus, meriſque nugis & cauillis, eludere ac peruertere nititur.

Vertit ſe veterator in omnem partem, vt lucem veritatis, velit nolit oculos eius perſtringentem, exſtinguat vel obſcuret. Omnia autem huc tendunt, vt euincat charitatem nihil facere ad iuſtitiam Chriſtianam; ſed totam iuſtitiæ laudem & dignitatem vni fidei in ſolidum tribuendam. Sic autem habet: Maxima ex his eſſet charitas; nempe, ait, ſi æſtimemus præſtantiam ab effectis, quæ antè enumerauit; deinde, ſi conſideremus eius perpetuitatem. Sua enim cuique fides & ſpes prodeſt; charitas autem ad alios diffunditur: fides & ſpes ſunt imperfectionis; charitas verò manebit, etiam in perfectionis ſtatu. Nam, ſi excutiamus ſingulos fidei effectus, & conferamus; reperietur in multis fides ſuperior. Quin etiam, charitas (eodem Apoſtolo teſte) effectus eſt fidei; effectus autem ſuâ cauſâ (procul dubio) eſt inferior. Prætetea, inquit idem, fidei tribuitur laus inſignis, quæ in charitatem non conuenit, cùm Ioannes prædicat, eſſe victoriam noſtram quæ vincit mundum. Per fidem denique renaſcimur, efficimur filij Dei, obtinemus vitam æternam, Chriſtus in nobis habitat. Prætereo alia innumera: ſed hæc pauca ſufficiunt ad probandum quod volo, fidem in multis effectis ſuperiorem eſſe charitate. Hæc ille verſipellis vitilitigator. Ex quibus liquet, hominem iſtum, odio charitatis excæcatum, non vereri diſputare manifeſtè aduerſus Apoſtolum; vt probet fidem, cunctis ritè perpenſis, maiorem eſſe & præſtantiorem charitate; cùm Paulus & perſpicuis verbis & longa rationum deductione doceat, charitatem ſupra fidem & ſpem principatum tenere.

Capvt LIIII.

Quarè charitas maior ac præſtantior ſit fide ac ſpe.

INfelix autem hæreticus iſte affirmare audet, charitatem fide ſuperiorem eſſe, non abſolutè loquendo, nec ſecundum naturæ vtriuſq; dignitatem; ſed ex effectis dumtaxat; iiſque non omnibus, ſed paucis tantùm quibuſdam, nempe duobus aut tribus: contrà autem, fidem charitate præſtare innumeris (ita loquitur) alijs effectibus, è quibus hîc multos recenſet nominatim exempli cauſâ. Quid hic dicemus? facillimum erit blaſphemum hunc impoſtorem manifeſtæ falſitatis conuincere; non in vno ſolùm atque altero, ſed in omnibus quæ hîc contra excellentiam charitatis effutit.

Nam in primis, quod dicit, charitatem fidei præferri ab Apoſtolo, non ſimpliciter, ſed propter effectus ſolùm quoſdam charitatis, falſum eſt. Præſtantior eſt fide charitas ex natura & proprio officio vtriuſque. fides enim (vt antè etiam diximus) donum eſt ac ornamentum intellectus noſtri, quo purgatur & illuſtratur ad cognitionem Dei; vt verbo eius totum ſe ſubigat, credatque & recipiat quæ rationi humanæ ac naturali videntur incredibilia. Charitas autem, ornamentum ac donum eſt voluntatis, quo ab amore omni rerum terrenarum & caducarum abſtracta, quatenus legi Dei repugnant, tota affectione illi adhæreat, & coniungatur, & efficiatur cum illo vnus ſpiritus. Quamuis enim fides hoc à voluntate habeat, quòd intellectum ſub Dei verbo humiliet; vt aſſenſum præbeat rebus captum eius & facultatem excedentibus: vera tamen & propria fides eius eſt in intellectu, quo verum apprehenditur; non in voluntate, quo bonum amatur. Proinde, per charitatem Deus habetur quodammodò, guſtatur & poſſidetur; qui per fidem eminus tantùm oſtenditur & videtur. Hæc eſt natura, hic ordo, hæc officia trium virtutum iſtarum, quæ in ſcholis Theologicæ ſeu Diuinæ appellantur; fidei nimirum, ſpei, & charitatis: quæ plenum Dei cultum docent; vt fides Deum procul oſtendat, quo cognoſcatur, quid nimirum ſit, & quonam modo colendus, quid ab eo expetendum: ſpes ad eum conſequendum & poſſidendum tendat; charitas apprehendat, totumque implendis votis ac deſiderijs ſuis conuertat. Fides eſt tamquam oculus, quo Deus abſens videtur, & cognoſcitur tamquam in ſpeculo, & in ænigmate tamen vt Paulus ait: ſpes verò manus ſuas ad illum magno deſiderio extendit; charitas tamquam brachijs voluntatis ſtringit atque amplectitur. Quis autem neſcit, melius multò, & optabilius, & præſtantius eſſe, præſentem habere amicum quem diligis, eoque frui pro voluntate, quàm procul tantùm videre abſentem? Et in hunc ſenſum Auguſt. Apoſtolum multo meliùs & fideliùs interpretatur in libro De fide, ſpe, & charitate (quem vocant Enchiridion) quàm Caluinus. Sic itaque præclarus ille Doctor Eccleſiæ habet; Charitas, inquit, quam duabus iſtis, id eſt fide & ſpe maiorem dixit Apoſtolus, quantò in quocumque maior eſt, tantò melior eſt, in quo eſt. Cùm enim quæritur, vtrùm quiſquam ſit homo bonus; non quæritur quid credat aut quid ſperet, ſed quid amet. Nam, qui rectè amat, procul dubio rectè credit & ſperat: qui verò non amat; inaniter credit, etiamſi ſint vera quæ credit: inaniter ſperat, etiamſi ad veram felicitatem doceantur pertinere quæ ſperat; niſi & hoc credat & ſperet, quod ſibi petenti donari poſſit vt amet. Sic ille.

LAVS ET ENCOMIVM CHARITATIS.

Cap. 117.

Ergo, auctore Auguſtino, propterea charitas maior eſt fide & ſpe, ſecundùm Apoſtolum, quia eius poſſeſſio hominem bonum, & proinde Deo gratum, facit: quod nec fides facit, nec ſpes. Quod idem eſt, cum eo quod iam diximus alijs verbis; Charitatis naturam eſſe, vt hominis voluntatem reformet, qua præcipuè Deo coniungimur, cùm fides circa intellectum modò verſetur. Dicitur autem quiſquam bonus, non quia magno præditus eſt ingenio, vel quia intellectum habet fidei luce vel ſcientiatum quarumlibet cognitione fulgentem; ſed, quia bonam habet voluntatem: ſicuti ex aduerſo malus eſt quiſquam, à mala voluntate. De corde (id eſt à voluntate) exeunt cogitationes malæ, inquit Chriſtus: homicidia, adulteria, &c. hæc ſunt quæ coinquinant hominem.

Matth. 7.

Capvt

CAPVT XLV.

Effectus omnes, quos Scripturæ fidei tribuunt, æquè vel etiam magis in charitatem quadrant.

IAM verò, quod dicit Caluinus, fidei multos eſſe præclariſſimos effectus, qui in charitatem non conueniunt: ex omnibus, quos nominatim recenſet, nullus eſt, qui doceri non poſſit æque in charitatem competere, vel magis etiam quàm in fidem.

Refert primo loco illud Ioannis; Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. *1. Ioan. 5.*
Eximia ſane fidei laus; non negamus: ſed eamdem laudem nihil ad charitatem pertinere, hoc imus inficias. quin potiùs in charitatẽ quadrat, aliquanto magis meliuſq;. Fides mũdum vincit, quia initium prębet ac velut primum hoſtibus omnibus terrorem & formidinem incutit: illum ſcilicet oſtendendo, per quem vnum vincere licet, Chriſtum videlicet, meritumq́. paſſionis & mortis ipſius. At, tota victoria, qua mundus planè conſternitur, omneſque inimici humanæ ſalutis, ad charitatem ſpectat, ſeu bonam hominis voluntatem, charitate ornatam ac inflammatam.

Gloriamur in tribulationibus, inquit Apoſtolus, quia tribulatio patientiam operatur, *Rom. 5.*
patientia probationem, probatio ſpem: ſpes autem non confundit. Quare? quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Ecce tibi,
vnde perfecta victoria. Vis aliquid etiam dilucidius ex eodem Apoſtolo? Quis nos ſepa- *Ibid. 8.*
rabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, &c. & paulò pòſt: Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.

Vides, Caluine, victoriam nobiliſſimam charitatis de mundo, & de omnibus quæ cum mundo contra fidelium ſalutem conſpirant? Quid autem de Chriſto cenſes Redemptore noſtro? quis illo vmquam glorioſiùs de mundo triumphauit? In mundo, ait, preſſu- *Ioan. 16.*
ram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum. Quibus verò armis? Certè, non tam fide
(quam Doctores eum non habuiſſe teſtantur) quàm ardentiſſima charitate. Iuxta illud: *Thom. in 3. parte.*
Vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem. item, Surgite, eamus hinc; ad mortis certa- *Ioan. 14.*
men videlicet. &, Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis *Ioan. 15.*
pro amicis ſuis. Et martyres omnes poſt Chriſtum, quibus potiſſimùm & qualibus armis mundum mundiq́ue principem ſuperarunt? Non dubium quin fide etiam: hinc enim
illud Petri inter alia; Aduerſarius veſter diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens *1. Pet. 5.*
quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide. Et Paulus in eumdem ſenſum: In omnibus ſu- *Ephes. 6.*
mentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.

Itaque fide vicerunt, fatemur: ſed non minùs etiam profectò (vt paulò antè audiuimus, ex Epiſtola ad Romanos) vera charitate. Leo Magnus de S. Laurentio crati igneæ ſuperpoſito; Superari, inquit, charitatis Chriſti flamma non potuit: ſegnior fuit ignis, qui foris vſſit, quàm qui intus accendit. De ſancto verò protomartyre Stephano, dum lapidibus obrueretur, ita ſanctus Fulgentius: Neceſſarium nobis eſt, inquit, cognoſcere, quibus armis præcinctus Stephanus ſæuitiam Iudæorum potuit ſuperare, vt ita meruiſſet feliciter triumphare. Stephanus ergo, vt nominis ſui coronam meruiſſet accipere, charitatem pro armis habebat, & per illam vbique vincebat: per charitatem Dei, ſæuientibus Iudæis non ceſſit: per charitatem proximi, pro lapidantibus interceſſit: per charitatẽ arguebat errantes, vt corrigerentur: per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur: charitatis virtute ſubnixus vicit Saulum crudeliter ſæuientem; &, quem habebat in terra perſecutorem, in cælo meruit habere conſortem. Quid præclarius de charitatis victoria proferri potuerat? Sed hac de re ſatis. Quid verò prætereà Caluinus in medium producit, pro fidei ſupra charitatem præſtantia?

Per fidem, inquit, renaſcimur, efficimur filij Dei, obtinemus vitam æternam, Chriſtus in nobis habitat. Vera ſunt omnia, eo tamen ſenſu; quòd, ſicut initium ſalutis à fide, ita & regenerationis adoptionis filiorũ Dei & vitæ æternę, in quibus ſalus noſtra cõſiſtit: perfectum tamen & cõplementum eſt à charitate, vt hęc ſuperet. Nam quod ad ſpiritualem regenerationẽ attinet, quid magis renouat ſpiritum hominis, atque à peccati vetuſtate re-

Rom.9. purgat, quàm charitas Dei diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis: Priuſquam enim cor hominis igne Spiritus ſancti accenditur, flectitur, vertitur ad amorem Dei & iuſtitiæ, odio peccati concepto, quantauis Dei cognitione per fidem polleat, vetus homo eſt (de quo ſcriptum; Expoliantes vos veterē hominē cum actibus ſuis.) nondum renatus eſt ad vitę nouitatem per Spiritum ſanctum. Et hinc Auguſtinus, mandatum de charitate, docet vocari mandatum nouum. De quo dicitur: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Quærit Auguſtinus, Nónne erat hoc mandatum in antiqua Dei Lege, vbi ſcriptum eſt, Diliges proximum tuum ſicut teipſum? Cur ergo nouum appellatur à Domino, quod tam vetus eſſe conuincitur? An ideò, inquit, eſt mandatum nouum; quia exuto veteri homine induit nos hominem nouum? Innouat quippe audientes, ſeu potiùs obedientes, non omnis, ſed iſta dilectio: quam Dominus, vt à carnali dilectione diſtingueret, addidit; Sicut dilexi vos. Multa ibi apud Auguſtinum ſequuntur in eamdem ſententiam, quæ nos hîc breuitatis cauſa omittimus.

Coloſſ 3. Ioan.13. Tract.65. in Ioan.

Act.15. Ad hanc renouationem ſpectat, quod Petrus ait; Fide purificans corda eorum: nimirum per remiſſionem peccatorum. Sed idem effectus alibi, in Scripturis tribuitur charitati, vt cùm dicitur: Vniuerſa delicta operit charitas. Et Petrus; Charitas operit multitudinem peccatorum.

Prouer.10. 1.Petr.4.

Dicit Caluinus, nos per fidem effici filios Dei. nemo eſt qui de fide viua neget. Sed quid de charitate Apoſtolus ad Romanos? Quicumque, inquit, Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Et ne neſciamus quinam ſint qui ſpiritu Dei aguntur, vel quiſnam, aut qualis ſit ille ſpiritus Dei: Non accepiſtis, inquit, ſpiritum ſeruitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum; in quo clamamus, Abba Pater. Quis verò eſt hic ſpiritus, niſi ſpiritus charitatis? de quo paulò pòſt: Qui ſcrutatur corda Deus, ſcit quid deſideret ſpiritus, qui ſecundùm Deum poſtulat pro ſanctis. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, &c.

Rom.8.

Sic Ioannes Apoſtolus: Chariſſimi, diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo eſt, & omnis qui diligit ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum. Et paulò antè: Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus. Et hinc Auguſtinus, ſuper illud eiuſdem Apoſtoli: In hoc manifeſti ſunt filij Dei, & filij diaboli. Certè, inquit, iam manifeſtum eſt, vnde dicat: Et qui non diligit fratrem ſuum. Dilectio ergo ſola diſcernit inter filios Dei, & filios diaboli. Signent ſe omnes ſigno crucis Chriſti; reſpondeant omnes Amen; cantent omnes Alleluia, baptizentur omnes, intrent eccleſiam, faciant parietes baſilicarum: non diſcernuntur filij Dei à filijs diaboli, niſi charitate. Qui habent charitatem, nati ſunt ex Deo; qui non habent, non ſunt nati ex Deo. Magnum indicium, magna diſcretio. Quidquid vis habe; hoc ſolum non habeas, nil tibi prodeſt. Alia ſi non habeas; hoc habe, & impleſti legem. Qui enim diligit proximum, legem impleuit, ait Apoſtolus.

1.Ioan.4. 1.Ioan.3. Tract.5. in epiſt.Ioan. Rom.13.

Sed, quid prætereà efficit fides, ſecundùm Caluinum? Per illam, inquit, obtinemus vitam æternam. Vbi hoc illis verbis habeatur iam non occurrit, ſed eſt tamen eo quem ſuprà dixi ſenſu verum. Vnde magis verè vitam æternam obtinemus per charitatem. Nam ſi per hanc regeneramur in interiori homine, & per eamdem efficimur filij Dei, vt ſatis iam probauimus: conſequens eſt, per eamdem vitam æternam obtineri. Nam, ſi filij, inquit Apoſtolus, & heredes; vtique regni cæleſtis, & vitæ æternæ. Non eſt hîc opus in re perſpicua pluribus verbis.

Quam fidei Caluinus poſtremam laudem tribuit, eſt, quòd Chriſtus per fidem in nobis habitet. Id quod etiam expreſſum ſcimus Litteris ſacris. Verùm hac in re nequaquam eſt fide inferior charitas. Nam & de hac ſcriptum eſt: Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Et rurſus: Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.

Ioan.14.

CA-

CAPVT XLVI.*

Multæ magnæq́ laudes charitatis, tum in Scripturis, tum in Patribus, ſupra alias omnes virtutes.

HÆC de prærogatiua charitatis ſupra fidem, pro Sadoleto & contra Caluinum ſatis eſſe videntur. Si quis alias & plures charitatis eximias laudes videre cupiat, latiùs recenſitas; legat Proſperum de vita contemplatiua, lib. 3. cap. 13. & ſequentibus, Auguſtinum Serm. de Tempore 39. Vt nihil hîc dicamus (ſicuti Caluinus ſe dicit laudes fidei & prærogatiuas ſupra charitatem innumeras præterire) de encomijs charitatis præclariſſimis, quæ hîc & ibi diſertis verbis habentur in arcanis litteris. vt, quòd Petrus hortatur fideles ante omnia ad charitatem continuam, tamquam quæ operiat multitudinem *1. Petr. 4.* peccatorum: quòd Paulus charitatem nunc appellat vinculum perfectionis; nûc finem *Coloſ. 3.* diuinorum præceptorum; nunc legis totius plenitudinem: quòd Ioannes Apoſtolus *1. Tim. 1.* *Rom. 13.* non ſemel Deum ipſum dicit eſſe charitatem; quibus verbis toties repetitis, haud dubiè *1. Ioan. 4.* eximium quiddam & memorabile, de charitatis dignitate nobis commendat. Vnde & Auguſtinus ſuper illis Apoſtoli verbis, Ampliùs, inquit, non potuit charitas commendari, quàm vt diceretur Deus. Fortè munus Dei contemturus eras: & Deum contemnis? *Tract. 8. in epiſt. Ioan.*

At charitas, ait Caluinus, effectus eſt fidei: effectus autem ſua cauſa eſt inferior. Reſpondemus, hoc nõn ſemper verum eſſe; tametſi id Caluinus audacter (ſuo more) ponat extra dubium. Nam, & in rebus naturalibus, ſemen non eſt dignius arbore neque fructu ſuauiſſimo quem profert; nec radix pulcherrimis & fragrantiſſimis floribus ſuis. quemadmodum nec arbor nec fructus eſt propter ſemen, ſed ſemen propter illa: cauſa autem finalis ſemper dignior eſt efficiente; vt Philoſophi docent. Non ſatis autem fuit Caluino, omnia hæc effutiſſe contra charitatem eiuſque dignitatem: addit & aliud quiddam. Mirum, ait, quantum ſibi placeant Papiſtæ, dum iſta verba detonant: Si fides iuſtificat; ergo multò magis charitas, quæ vocatur maior. Sic nos certè colligimus. Quid ipſe contrà? Primùm, negat, contra diſertiſſimam Pauli doctrinam, charitatem fide maiorem eſſe. Iam, inquit, ex his quæ dixi, conſtat obiecti ſolutio. Nempe quia conatus fuit Caluinus oſtendere, fidem charitate eſſe maiorem: at, quàm nihil effecerit omnibus argumentis ſuis, nos planum fecimus.

Sed demus, ait, charitatem modis omnibus præcellere. Qualis eſt iſta argumentatio; quia maior eſt, plus valere ad homines iuſtificandos? &c. Sic ille verſipellis: meris ſcilicet nugamentis ſtudens fallere imperitos, nebulaſq́. oculis offundere, ne videant lucem veritatis. Nam neque nos ex hoc ſolo charitati maiorem vim quàm fidei in hominis iuſtificatione tribuimus, quia maior eſt & præſtantior, ſed quia primùm quidem natura ſua officioque proprio ad hoc multò eſt accommodatior: vtpote, cuius natura eſt purgare, ornare, ſanctoque igne inflammare in amorem Dei hominis voluntatem, veram propriamque iuſtitiæ ſedem; hominemque verè bonum facere, vt antè ex Auguſtino oſtendimus. Deinde, quia innumeri ſacrarum Scripturarum loci manifeſtè teſtantur, charitatem ſeu bona opera ex charitate manantia, primarias partes in hominis iuſtificatione habere: niſi quis ſit Caluini ſimilis, vt nimirum ad clariſſimæ veritatis lucem data opera oculos claudat.

Et hactenus quidem in explicanda Iuſtificationis doctrina diutiùs hæſimus, quàm nobis propoſitũ fuerat. Sed oportuit tot Caluini ineptias, in re tanti momenti, minimè obſcuris rationibus refutare; & nequiſſimas eius fraudes, ad Lectoris inſtructionẽ, detegere.

CAPVT XLVII.*

Operibus pœnitentiæ Deo ſatisfactionem pro peccatis præberi.

VBI de Iuſtificatione Caluinus quæ voluit diſputauit, meminit obiter etiam de Satisfactione, quòd nimirum pœnitentijs & ſatisfactionibus expiari peccata doceamus. Quam doctrinam reijcit, & condemnat, pro imperio ſuo, ex vnica illa hoſtia piaculari, quam de ſeipſo obtulit in cruce Chriſtus. A qua, inquit, ſi diſceditur; nullum omni-

no piaculum teſtare, teſtatur Scriptura. Percurre, ait, quidquid oraculorum Dei habemus: ſi vnicus Chriſti ſanguis vbique pro ſatisfactionis pretio, pro pacificatione, pro ablutione proponitur; qua confidentia tantum honorem ad tua opera tansferre audes? Sic ille in Sadoletum, atque eâdem operâ, in vniuerſam Eccleſiam, quæ id docet.

Quòd verò tamquam indignum facinus nos docere ait, pœnitentijs & ſatisfactionibus expiari peccata; fatemur, hanc noſtram eſſe & Catholicorum doctrinam. In qua etiam nihil indignum ineſſe profitemur, dum, inquam, peccata expiari dicimus pœnitentijs & ſatisfactionibus noſtris, pro modulo & facultate noſtra. Nam, etſi hic vocabulo ſatisfactionis vtamur, nemo tamen ſentit pro iniuria infinita diuinæ Maieſtati peccatis illata, vllis pœnitentiæ noſtræ operibus Deo æquiualens reddi, vt ita loquamur; vel ſic ipſi ad plenum ſatisfieri, vt nihil amplius à nobis iure queat exigere. Scimus, peccatis grandibus atque mortiferis ſupplicia deberi in inferno ſempiterna. Quis miſerorum mortalium pro illo ac tali debito poſſet vllo pacto ſatisfacere? Ergo ſolius Chriſti eſt, per meritum paſſionis & ſanguinis ſui (quod eſt pretium dignitatis infinitæ) à tali nos debito liberare.

Nos verò ſatisfacere dicimur, cùm illa ac talia pœnitentiæ opera placandæ iræ Dei præſtamus, qualia a nobis eius clementia poſtulat; vt aliquid etiam fiat & exoluatur noſtra ex parte, ad ſalutem conſequendam, perditamque Dei gratiam recuperandam. Orando ſcilicet, veniam ſuppliciter petendo, miſericordiam implorando, gemendo, lacrymando, ieiunando, eleemoſynas largiendo. Sic de poſtremo hoc ſatisfactionis genere ſcriptum
Dan. 4. eſt: Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum. De prio-
Ioel. 2. ribus autè; Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu, quia benignus, & miſericors eſt, & patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia Dominus Deus veſter. Quò pertinet etiam, quòd Ioannes in nouo Teſtamento tam
Luc. 3. ſeriò admonet, non ſimpliciter agendam pœnitentiam pro peccatis, ſed dignos fructus pœnitentiæ faciendos; vt nimirum peccator intelligat, ait D. Gregorius, tantò maiora ſibi acquirenda bonorum operum lucra per pœnitentiam, quantò maiora ſibi intulit damna per culpam. Et Auguſtinus Epiſtola 54. Nihil aliud agit quem veraciter pœnitet, niſi vt id quod mali fecerat, impunitum eſſe non ſinat; eo quippe modo ſibi non parcenti, ille parcit, cuius altum iuſtumque iudicium nullus contemptor euadit. Et Homilia 50. inter quinquaginta, in fine. Non ſufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, niſi etiam de his quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo, per pœnitentię dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis. Qua de re, multa etiam pulcherrimè D. Ambroſius, libro 2. De pœnitentia, cap. 10. Nec deſunt hic etiam exempla Sanctorum omnium veteris & noui Teſtamenti, Dauidis, Manaſſæ, Niniuitarum, Petri Apoſtoli, Zachæi, Magdalenæ, & ſimilium.

CAPVT XLVIII.*

Satisfactio noſtra, virtute ſatisfactionis Chriſti nititur.

NON ſolùm autem dicimus, prædicta opera pœnitentiæ per meritum Chriſti nobis diuinitus dari: ſed hoc etiam confitemur; vt opera eiuſmodi pro nonnulla peccatorum noſtrorum ſatisfactione à Deo recipiantur, vtque illis diuina iuſtitia ſe placari patiatur, non fieri niſi interuenientibus meritis ſatisfactionis Chriſti, per mortem & crucem ipſius. Similem enim eſſe ſatisfactionem noſtram, precibus ac gemitibus filij, qui grauiter offendit patrem ſuum; vel ſerui, qui in iuſtam incidit iram domini ſui: quorum ſatisfactio nec eſt condigna crimini per eos commiſſo, nec aſtringuntur pater vel dominus iure illam admittere: adeò vt vbique & per omnia Chriſti mors & ſatisfactio cum noſtra ſatisfactione concurrat, eamque adiuuet & commendet. Atque ita veriſſimum
Lib. 6. c. 8. eſt, quod Auguſtinus ait contra Iulianum; in occultis Dei legibus ſcriptum eſſe, vt nulla ſit iniquitas impunita, niſi quam ſanguis Mediatoris expiauerit.

Nec hoc prætereundum, Eccleſiam huiuſmodi ſatisfactionibus locum facere, non in quibuſuis peccatis, ſed in ijs dumtaxat quæ poſt Baptiſmum admittuntur. Quidquid enim peccatorum ante hoc Sacramentum perpetraueris, ſi cum vera animi pœnitentia
Act. 2. illud ſuſcepens (iuxta illud, Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in remiſſionem

miſſionem peccatorum) nulla baptizato imponitur ſatisfactio. Omnia crimina anteacta, & pœnas omnes, æternas iuxtà ac temporales, credit Eccleſia per meritum paſſionis Chriſti in baptiſmo remitti. Adeo quidem, vt ſi quis bono animo baptizatus, illa in gratia moreretur; nulla ei prorſus ſupplicia temporalia luenda eſſent in purgatorio: Chriſto nimirum ſemel pro omnibus peccatis plenam gratiam & ſatisfactionem præbente.

At, ſi quis à tanta adepta gratia ac indulgentia ſponte excidat, nouiſque ſe non vereatur peccatis inquinare; remittit quidem diuina clementia, propter Chriſtum mediatorem, quotieſcumque peccator ex animo iterùm veniam poſtulat, debitum mortis æternæ, quæ gratia eſt longè maxima; ſed non rurſus etiam ſtatim pœnas temporales: vt nimirum vel hoc metu, quaſi fræno, homines Dei bonitatem toties offendere vereantur. Hinc in ſacramento Pœnitentiæ, quæ eſt velut altera vitæ ac ſalutis tabula poſt naufragium; abſolutione peccatorum data, ſatisfactio quædam iniungitur. Quæ Eccleſiæ doctrina ſumta videtur, tum ex parabola illa Euangelica Matth. 18. in qua ſeruo nequam prima vice remiſſum fuit omne illud ingens debitum decem millium talentorum; tum ex 10. cap. Epiſtolæ ad Hebræos: Voluntarie peccantibus nobis, inquit Paulus ibi, poſt acceptam notitiam veritatis (id eſt poſt baptiſmum, in prima noſtra ad Deum conuerſione ſuſceptum) iam non relinquitur pro peccatis hoſtia; (illa ſcilicet leuis & facilis expiandi ratio, quæ priùs locum habuit in baptiſmo, ſed (niſi difficilior ac laborioſior per pœnitentiam ſuſcipiatur, aut per indulgentiam condonetur) terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio. Quo pertinet illud Ambroſij in 11. cap. ad Romanos, ad illud; Sine pœnitentia ſunt dona Dei. Gratia Dei in baptiſmo non quærit gemitum, aut planctum, aut opus aliquod afflictiuum ſcilicet: ſed gratis donat peccata in baptiſmo; nempe ſine compenſatione huiuſmodi, qua Dei iuſtitiæ per ſui punitionem ſatisfiat. At, poſt baptiſmum, non abſque huiuſmodi aliquâ ſatisfactione peccata donantur. *Hebr. 10.*

Caput XLIX. *

Nulla fit iniuria ſatisfactioni Chriſti, per ſatisfactiones noſtras.

NVLLA autem fit iniuria ſatisfactioni Chriſti, per ſatisfactiones noſtras, vt Caluinus calumniatur, quandoquidem omnis noſtra ſatisfactio originem ſumit, pretium & valorem, ex ſatisfactione Chriſti, eidemque ſemper innititur. Nec Chriſti mortem inſufficientiæ alicuius accuſamus, per ſatisfactiones noſtras; nec noſtras ſatisfactiones quidquam valere dicimus, Chriſti ſatisfactione excluſa: quin potiùs omnia expiari per crucem & ſanguinem Chriſti; etiam illa, in quibus noſtram ſatisfactionem locum habere vel requiri oſtendimus. Nec magis noſtras ſatisfactiones obeſſe docemus ſatisfactioni Chriſti, quàm preces noſtræ quidquam repugnant orationibus Chriſti, quas pro nobis effudit. Orauit pro nobis Chriſtus in cruce, dicens; Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt: orauit poſt vltimam Cœnam, vt omnes ſuos Pater ſeruaret, ſanctificaret, à malo liberaret; vt alias eius orationes omnes, priores & poſteriores, prætercam. Cur igitur fideles poſteà pro ſe quiſque orant, dicentes: Dimitte nobis debita noſtra, & libera nos à malo? Cur item iubemur orare pro inuicem, vt ſaluemur? Cur Stephanus eo modo pro aliis orauit: Ne ſtatuas illis hoc peccatum? Cur ſcriptum eſt generaliter: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit? Sed nimirum tantum abeſt vt huiuſmodi preces noſtræ aliquam inferant iniuriam precibus Chriſti, vt per orationes noſtras virtus, effectus, & fructus orationum Chriſti, meliùs nobis communicetur ac applicetur. Sic planè de ſatisfactione ſentiendum.

In eodem quidem genere cauſæ, preces & ſatisfactiones noſtræ cum precibus & ſatisfactione Chriſti concurrunt; efficientes ſcilicet, vel meritoriè; ſed nequaquam in eodem gradu. Fatentur aduerſarij, cauſas ſubalternas inter ſe non pugnare; vt poteſtas iudicis inferioris non aduerſatur poteſtati iudicis ſuperioris vel Regis: ſic aiunt, merita Chriſti non repugnare miſericordiæ Dei. Rectè ab ijs hæc, & nobis accommodè. Poſtulamus dumtaxat, vt idem agnoſcant in ſatisfactionibus noſtris cum Chriſti ſatisfactione comparatis; & nihil hic quæſtionis vel difficultatis ſupererit.

CAPVT L.*

Veterum Patrum de noſtra ſatisfactione teſtimonia.

QVOD ad veteres eccleſiæ Patres attinet, ij omnes tanto conſenſu noſtras ſatisfactiones agnoſcunt, probant, tuentur, vt impudentiſſimus Caluinus malit hic palàm ab ijs recedere, illorumque doctrinam atque auctoritatem repellere, quàm operam aliquam dare, vt ſententiam illorum ad ſuam doctrinam detorqueat; quòd fruſtrà ſe conaturum intelligit. Parum me mouent, inquit, quæ in veterum ſcriptis de ſatisfactione paſſim occurrunt. Video enim, eorum nonnullos (dicam, inquit, ſimpliciter, omnes ferè, quorum libri extant) aut in hac parte lapſos eſſe, aut nimis aſperè ac durè locutos eſſe. Proinde, quod impoſtor Caluinus hic dicit (alio commento vſus) habuiſſe quidem veterem Eccleſiam ſatisfactiones ſuas, non illas tamen, quibus Deo litarent peccatores, ſeque à noxa redimerent; ſed quibus quam profitebantur pœnitentiam, non eſſe fictam probarent: deinde, non quibuſlibet præſcriptas fuiſſe ſatisfactiones; ſed ijs modò, qui in graue & publicum facinus prolapſi erant. vtrumque eſt longè vaniſſimum.

Serm. de eleemoſ. Remedia, inquit Cyprianus, propitiando Deo, ipſius Dei verbo data ſunt; & quid deberent facere peccatores, magiſteria diuina docuerunt. Operationibus iſtis Deo ſatisfieri, *Eccli. 29.* miſericordiæ meritis peccata purgari, apud Salomonem legimus: Conclude eleemoſy-*Ad virginẽ lapſam.* nam in ſinu pauperis; & hæc pro te exorabit ab omni malo. Auguſtini ſententiam ex Homilia vltima inter quinquaginta paulò antè poſuimus. Ambroſij ſimiliter; Peccator ſi ſibi non pepercit, à Deo illi parcitur: &, ſi futuras gehennæ perpetuas pœnas in hoc *Lib. 7. in Luc. c. 19.* paruo vitæ ſpatio compenſauerit, ſeipſum ab æterno iudicio liberat. Qui & alibi dicit, compenſatione charitatis aliorumque bonorum operum, & ſatisfactione, quamcumque peccati pœnam diſſolui.

His vnum dumtaxat adiungam, S. Proſperum; vt ex eo diſcamus, & ad quid valuerit tunc temporis ſatisfactio, & quomodo etiam impoſita pro peccatis occultis. Cùm nobis, *Lib. 3. de vit. contẽp. cap. 7.* inquit, fratres quilibet noſtri, peccata ſua tamquam medicis vulnera, quibus vrgentur, aperiunt; operam dare debemus, vt quantocyus ad ſanitatem Deo auctore perueniant, ne in peius, diſſimulatâ curatione, proficiant. Ecce autem crimina quorumlibet, ſi, ipſis criminoſis confiteri nolentibus, vndecumque claruerunt; quæcumque non fuerint patientiæ leui medicamento curata, velut igni quodam piæ increpationis vrenda ſunt, & curanda. Quòd ſi ne ſic quidem, æquanimiter ſuſtinentis & piè increpantis medela profecerit, in eis qui diu portati, & ſalubriter obiurgati, corrigi noluerunt; tamquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abſcindi: ne, ſicut caro morbis emortua, ſi abſciſſa non fuerit, partes reliquas carnis putredinis ſuæ contagione corrumpit; ita iſti qui emendari deſpiciunt, & in ſuo morbo perſiſtunt, ſi moribus deprauatis in Sanctorum ſocietate permanſerint, eos exemplo ſuæ perditionis inficiant. Porrò illi, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipſis confeſſa, nec ab alijs publicata, ſi ea confiteri ac emendare noluerint; Deum, quem habent teſtem, ipſum habituri ſunt & vltorem. Et quid eis prodeſt, hominum vitare iudicium; cùm, ſi in malo ſuo permanſerint, ituri ſunt in æternum, Deo retribuente, ſupplicium? Quòd ſi ipſi ſibi iudices fiant, & veluti ſuæ iniquitatis vltores, hic in ſe voluntariam pœnam ſeueriſſimæ animaduerſionis exerceant; temporalibus pœnis mutabunt æterna ſupplicia; & lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus, reſtinguent æterni ignis incendia. Ita Sanctus ille, ponderoſo grauique ſermone, ſe digno.

CAPVT LI.*

Quàm clara & conſtans fuerit doctrina Patrum contra Caluinum in materia de Euchariſtia.

SEQVITVR nunc in Caluino de præſentia corporis Chriſti in ſacra Euchariſtia diſputatio. Qua in diſputatione, dogma ſuum aſſerit habitum ſemper in Eccleſia fuiſſe pro confeſſo: proinde, ſe hic non eſſe nouitatis arguendum. Certe, non ita hic Caluinum

num nouitatis arguimus,quin ſciamus dogma ſuum accepiſſe à Berengario,qui quadringentis ampliùs annis Caluino anterior fuit. Ante Berengarium verò tam certa & perſpicua ſemper fuit doctrina Eccleſiæ Catholicæ de præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia; vt ex hoc dogmate Patres Eccleſiæ varijs ſæculis errores diuerſos ac hæreſes exorientes confutauerint.

Contra Valentianos, negantes carnis reſurrectionem, docuerunt, carnem illam in morte manere non poſſe,quæ corpore & ſanguine Chriſti immortalis aleretur. *Iren. lib. 5. cont. hæreſ.*

Aduerſus Marcionitas, Manichæos,& Eutychianos,docentes,Chriſtum non aſſumpſiſſe veram carnis noſtræ ſubſtantiam, Leo Magnus inter alios: Sic, inquit, ſacræ menſæ communicare debetis, vt nihil prorſus de veritate corporis & ſanguinis Chriſti ambigatis;hoc enim ore ſumitur,quod fide creditur: & fruſtrà ab illis Amen reſpondetur, à quibus,contra id quod accipitur,diſputatur. *Ignat. epiſt. ad Smyrneſ. Theodor. in dialog. 3.*

Ex hoc etiam dogmate Hilarius & Cyrillus Arrianos oppugnarunt, qui voluntatis tantummodò, non naturæ vnitatem, inter Deum Patrem & Chriſtum Filium, ſtatuebant. *Hilar. lib. 8. de Trinit. Cyrill in Ioannem.*

Ex his paucis plùs ſatis conſtat,quàm verũ ſit, quod ait Caluinus, dogma ſuum ſemper in Eccleſia habitum fuiſſe pro confeſſo.

Sed mittit Caluinus Sadoletum ad Auguſtinum epiſtola 57. ad Dardanum, vt intelligat,vnum eumdemque Chriſtum, & ſuæ diuinitatis amplitudine cælum terramque excedere, & ſecundum humanitatem non vbique diffuſum,ſed certo loco conſiſtere. At Auguſtinus diſputat ibi manifeſtè, non de ijs quæ miraculo fiunt, ſed de corporum conditione naturali. Spatia, inquit, locorum tolle corporibus; & nuſquam erunt: & quia nuſquam erunt,nec erunt. Tolle ipſa corpora qualitatibus corporum; non erit vbi ſint: & ideò neceſſe eſt,vt non ſint. Quis hîc enim non videt Auguſtinum de naturalibus corporum conditionibus agere? At non dicit, Deum omnipotentia ſua ſupplere non poſſe, dum ei lubet; quod locus & qualitates naturales præſtant corporibus. *QVO SENSV D. AVGVST. DICAT CHRISTVM SECVNDVM HVMANITATEM NON VBIQVE DIFFVSVM, SED CERTO LOCO CONSISTERE.*

Docet alibi Auguſtinus, verbis minimè obſcuris,quòd, ſupra modum & curſum rerum conſuetum ac naturalem, poteſtas Creatoris apud ſe habeat poſſe, de his omnibus aliud facere,quàm eorum quaſi ſeminales rationes habeant. Nec docet Eccleſia,carnem Chriſti ſic vbique locorũ diffuſam,vt eſt eius diuinitas. hæc eſt doctrina abſurdiſſima alterius noſtri temporis hęretici, in ceteris Caluini ſodalis, Ioannis Brentij. Contra hunc & ſimilem dicit Auguſtinus in prædicta epiſtola; Chriſtum carni ſuæ immortalitatem dediſſe, naturam non abſtuliſſe. *De Geneſi ad lit. lib. 9. cap. 17.*

Sed quid ſentit Caluinus,de eo quod diſputatur in Eccleſia, de dogmate ſuo,tempore Berengarij, qui primus omnium Caluini in hoc argumento ſatanicam doctrinam inuenit,auſuſque fuit diuulgare? Quæ & deprehenſa confeſtim Paſtorum Eccleſiæ ſupremorum vigilantiâ, multiſque hoc nomine etiam coactis Synodis damnata & profligata fuit: primum Vercellis, ſub Leone IX. ſummo Pontifice: deinde Turonis, præſente Gregorio: pòſt Romæ,in Concilio 112. Epiſcoporum, ſub Nicolao II.

Hæc quidem non ignorauit Caluinus, ſed ſuperbiſſimè contemſit omnia. Agnoſcunt h[illegible] interim omnes pij & Catholici, os blaſphemum,& ſpiritum verè diabolicum: quem nil [illegible] ſt opus verbis pluribus refutare. Satis igitur hac de re: cùm præcipuè ſuprà etiam de hoc dogmate alia occaſione nonnihil dixerimus.

CAPVT LII.*

De tranſſubſtantiatione in materia Euchariſtia.

SED ſunt alia quædam duo, quæ Caluinus hîc,in doctrina Eccleſiæ Catholicæ de Euchariſtia, paucis verbis exagitanda putauit. Tranſſubſtantiatio ſcilicet atque adoratio Euchariſtiæ. De vtroque igitur hoc argumento hîc aliquid nobis paucis dicendum.

Tranſſubſtantiationem vocat more ſuo blaſphemans, craſſam adorationem, ſtupidam, quæ hominum mentes in elementis detinet,in Chriſtum aſſurgere non ſinit. De tranſſ[illegible]e primum agemus,de altero poſteà. Quemadmodum hîc Caluinus [illegible]tionem vocat craſſam, ſic alij noſtræ ætatis ſectarij nuncupant, alij barbaram,alij monſtroſam & prodigioſam. Vel hoc vno argumento ſatis conſtare poteſt ſatis omnibus,tranſſubſtantiationem rem eſſe bonam, vtilem, ſalutarem, ſcituque apprimè neceſſariam;quod tanto odio ac l[illegible]brio habeatur ab hoſtibus veritatis. *TRANSSVBSTANTIATIO RES BONA EST, ET SCITV APPRIME NECESSARIA.*

Fuerunt annis ſuperioribus nonnulli Catholici, & ſunt fortè etiamnum viri boni, manſueti, pacifici; ſed nō perinde cauti ac prouidi: ſimplices quidem vt columbæ, ac non perinde prudentes ſicut ſerpentes: qui videntes, hæreticos nomine tranſſubſtantiationis tantopere offendi, dubitarunt, eſſetne conſultius pacis & concordiæ causa, ab hoc vocabulo abſtinere, alijſque verbis vti, in hac materia. At illi, nec fraudes atque inſidias hæreticorum nefarias ſatis perſpectas habent, nec meminerunt hiſtoriarum ſæculorum præcedentium. Eadem ratione multa alia nomina, quibus & nunc temporis vtimur docēdis & explicandis religionis noſtræ myſteriis, mutanda eſſent: quod genus ſunt, purgatorium, & liberum arbitrium. Nec deſunt hodie etiam, quibus diſpliceat nomen Trinitatis; & olim frequenter mutanda fuiſſent vocabula ſimilia, Chriſtianæ & Catholicæ religioni propria.

Neſtorianos valdè offendebat nomen Theotocos, Arrianos non minùs Homouſion. Diſputabatur, dicendúmne potiùs eſſet Homiouſion quàm Homouſion. De vno tātùm iota res agi videbatur: neque tamen vel tantillum Arrianis concedendum eſſe Catholici ad extremum iudicabant: quòd ſub hac vna littera viderent, eos hæreſim ſuam occultare; qua largitate gratiæ, non proprietate naturæ, Filium Deo Patri ſimilem volebant intelligi. Quibus autem non artibus Cæſareæ Præfectus Baſilio eiuſdem vrbis Epiſcopo perſuadere conabatur, vt tempori cederet, neque tot Eccleſias in diſcrimen adduci pateretur, tenui dogmatum mutatione? Quid verò ad hæc Baſilius? Reſpondit, adoleſcentulis tales ſermones congruere, qui leuiter promiſſis ac minis in diuerſa mutantur: at qui enutriti eſſent in Diuinis litteris, non poſſe æquo animo pati, vt vel ſyllaba vna mutetur in dogmatibus; ac ſolere, cùm res poſtularet, nullum genus mortis hoc nomine recuſare. Et viſus quidem fuit Baſilius hæreticis pertinax eſſe, vt ante eum fuerant Athanaſius & Hilarius: ſed, quam hæretici pertinaciam, eam Catholici & Orthodoxi laude omni dignam conſtantiam iudicabant.

Hiſtor. tri- part. lib. 7. cap. 36. lib. 8. cap. 7 lib. 5. cap. 34.

In quem etiam ſenſum D. Hieronymus ſcribit: propter vnum atque alterum verbum, quod contrarium ſit rectæ fidei, multas hæreſes eiectas fuiſſe ab Eccleſia. Et præceptor illius Gregorius Nanzianzenus, nihil ait periculoſius eſſe hæreticis hiſce, qui cum integrè per omnia decurrant, vno tamen verbo, quaſi veneni gutta, vnam & ſimplicem fidem inficiunt.

Apologia contra Ruffinum. In tractatu de fide.

Auguſtinus quoque in eo laudat Eccleſiæ Catholicæ ſapientiam; cùm paria ſæpè Sacramenta ſecum celebrantes, tamen quia ſententia diſpares ſunt, & errores ſuos animoſius defendunt, à ſua communione excludit.

De vera religione, c. 5

Notum eſt quid contigerit in Ariminenſi Concilio, tempore Arrianorum: quàm miſerè decepti fuerint Catholici, fraudulentis vafrorum hæreticorum conſilijs; dum exiguum tantùm quiddam de regula fidei, & de conſtitutionibus Concilij Nicæni, mutatum fuit: quomodo ſtatim, ad huiuſmodi mutationem, totus mundus ingemuit, & Arrianum ſe eſſe miratus eſt, teſte Hieronymo. Nec vnquam huiuſmodi aliqua mutatio contigit, quin res fuerit infeliciſſimi exitus.

Cōtra Luciſer. lib.

Rideant igitur & ſubſannent ſectarij omnes vocem trāſſubſtantiationis, vt volunt: ſicut benè & ſapienter inuenta eſt, ad fidei noſtræ veritatem explicandam; ſic nullo pacto à Catholicis aboleri, omitti, vel mutari debet. Videtur autem primùm inuenta ac nominata vox iſta, in Concilio generali Lateranenſi, ſub Innocentio Tertio, anno Domini 1215. vbi in 1. Canone de fide Catholica, ſtatuitur ac docetur, verum Chriſti corpus & ſanguinem, in Sacramento altaris, ſub ſpeciebus panis & vini, veraciter contineri; tranſſubſtantiatis, pane in corpus, & vino in ſanguinem, poteſtate diuina.

Conc. Trid. Seſſ. 13. c 4

CAPVT LIII.*

Vox tranſſubſtantiationis rem ſignificatam optimè exprimit; & ab omni Eccleſia veteri pro tali cognita & recepta fuit.

ET quamuis nomenclatura iſthæc non reperiatur in veteri Eccleſia, ante prædictum Concilium, rem ipſam tamen doctrinamque Eccleſiæ, quæ hoc nomine de[illegible], probè ſemper agnitam, & conſtanter receptam fuiſſe, verbiſque ſimilibus idemq[illegible] ſignificantibus expreſſam, primis etiam Eccleſiæ quadringentis annis, idque tam apud

Græcos

Græcos quàm Latinos, in confeſſo eſt. Chryſoſtomus: Nos, inquit, miniſtrorum ordinem tenemus; tranſmutat ea Chriſtus, dum ſacerdotis ore hæc verba proferuntur, Hoc eſt corpus meum; Hic eſt Sanguis meus. Theophylactus: Panis, inquit Chriſtus, quem ego dabo, caro mea eſt. non dicit; Figura eſt carnis meę, ſed, Caro mea eſt. Tranſmutatur enim arcanis verbis, per myſticam benedictionem, & Spiritus ſancti acceſſionem, in carnem Domini. Gregorius Nyſſenus, & Damaſcenus, docent talem fieri conuerſionem panis in corpus Chriſti, qualis eſt conuerſio ciborum in corpus humanum per nutritionem: Theodoretus, mutationem hîc fieri ex diuina gratia: ideò, non attendendum ad ea quæ cernuntur. Ambroſius verò: [a]Panis iſte, panis eſt ante conſecrationem; vbi acceſſit conſecratio, de pane fit corpus Chriſti. & adhibet [b] varia exempla tranſmutationum admirabilium ex Scripturis ſacris. Id quod Melanchthonem etiá agnoſcere & confiteri coëgit, panem hic ſecundùm Ambroſium in Chriſti corpus conuerti. Hæc, inquit,[c] tam longa recitatio exemplorum, oſtendit, Ambroſium ſenſiſſe, panem non eſſe tantùm ſignum, ſed naturam panis mutari.

Homil. 83. in Matthæum & Homil. de proditione Iudæ.
Claud. de Sainctes in liturgijs Græcorum.
[a] Dialog. 1. Polimor.
[b] Lib. 4 de Sacram. cap. 4. & 5.
[c] Epiſtola ad Miconium.

Hæretici quidam, ex verbis Ambroſij, quibus ait, Si tanta vis eſt in ſermone Domini, vt incipiant eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant, & in aliud commutentur? ex his, inquam, verbis colligunt, in Euchariſtia panem manere, & alterius rei ſignificationem vel naturam induere, nempe corporis Chriſti. Sed friuola eſt hæc collectio. Melior interpres verborum Ambroſij nemo, quàm ipſe Ambroſius. qui alibi: Sermo Chriſti, ait, qui potuit ex nihilo facere quod non erat; non poteſt ea quæ ſunt in id mutare quod non erant? Non enim minus eſt, nouas rebus date, quàm mutare naturas. Proinde, cum de Euchariſtia dicit, ſermonem Dei operatorium eſſe, vt ſint quæ erant, & in aliud commutentur; illud, vt ſint quæ erant, accipiendum ſecundùm externam ſpeciem: & ſic optime fluit ſenſus verborum. Quamquam hîc non eſt ſilentio prætereundum, Lanfrancum annotaſſe, in pleriſque libris Ambroſij, illud, Vt ſint quæ erant, non haberi; ſed legi hoc modo; Quanto magis operatorius eſt, vt quæ erant in aliud commutentur. Quæ certè lectio plane congruit alijs Ambroſij verbis quæ mox citauimus.

De ijs qui myſ. initiantur.

Cyprianus in Sermone de Cœna Domini, panem dicit quem Dominus Diſcipulis dedit, non effigie ſed natura mutari. item, panem omnem mutari in carnem & ſanguinem. Quòd ſi quis auctorem illorum Sermonum dicat non Cyprianum Epiſcopum martyrem, ſed Rufinum Aquileienſem presbyterum, qui nequaquam auctoritate par eſt Cypriano; haud magnopere equidem reſragabor: ſed qualiſcumque ſit fueritq; Rufinus, ad hoc teſtis eſt ſatis idoneus, vt teſtificetur de ſenſu & doctrina hac in re eccleſiarum omnium ſui temporis. Vixit autem vt notum eſt, ætate S. Hieronymi.

Lib. de Cardinal. Chriſti operibus.

Quod ad Auguſtinum attinet, exſtat apud eum Sermo de verbis Domini 28. in quo ſunt verba ſequentia: Dixi vobis, quòd ante verba Chriſti, id quod offertur, panis dicatur; vbi verba Chriſti depromta fuerint, non iam panis, ſed corpus dicitur Chriſti. Verùm, fatemur Sermonem illum non eſſe Auguſtini; collegit autem illum, quiſquis fuit, ex Ambroſio, libro 4. cap. 4. de Sacramentis. Vnde etiam ſumtum capitulum, In calicem: de conſecratione, diſtinct. 2.

Quid verò Auguſtinus hac de re ſenſerit, ſatis colligi poteſt, vel ex ſolo tertio lib. de Trinitate cap. 4. vbi mutationem panis in carnem Chriſti per myſticas preces (id eſt per verba conſecrationis) inter illa Dei miracula refert, quibus creaturas ſuas ad nutum ſuum mutat, in quaſcumque res voluerit. Quod ibi argumentum tractat, à capite ſecundo, vſque ad decimum.

Euſebius Emiſſenus, Sermone de corpore Domini pulcherrimis verbis & argumentis inſequendo S. Ambroſium, tranſſubſtátiationem in hoc argumento declarans; Recedat, inquit, omne infidelitatis ambiguum; quandoquidem, qui auctor eſt muneris, ipſe teſtis eſt veritatis: nam inuiſibilis ſacerdos, viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, ſecreta ſua poteſtate conuertit. Multa deinde apud eum ſequuntur diſſerta elegantiſſimè atque doctiſſimè, in eamdem ſententiam; quæ longum eſſet adſcribere. Sed hic obiter obſeruandum quod Illuſtriſſimus Cæſar Baronius rectè admonet, eruditorum omnium Sermonum illorum qui Euſebio Emiſſeno adſcribuntur, non Euſebium illum auctorem eſſe, qui & Græcus fuit, & Arrianus, ſed Eucherium Lugdunenſem Epiſcopum, virum doctum, facundum, Catholicum, ſanctum, qui circa tempora Auguſtini floruit.

In Annalibus.

Poſſe-

Poſſemus hîc etiam, ad doctrinam tranſſubſtantiationis probandam, teſtimonia ex vtroque Cyrillo, Alexandrino & Ieroſolymitano, producere: quorum hic docet ita vinum in ſanguinem, & panem in Chriſti carnem, mutari, eiuſdem virtute; quemadmodum aqua in nuptijs per eumdem in vinum conuerſa eſt. Sed, quibus prædicti omnes auctores, tanti ſemper nominis in Eccleſia, non ſufficiunt; plures non prodeſſent.

Capvt LIV.

Ioannes Hus, & Hieronymus de Praga, tranſſubſtantiationem in Euchariſtia docuerunt, & in illius confeſſione mortui ſunt.

Attamen, veteribus prætereà omnibus prætermiſſis, duos quoſdam recentis memoriæ, etſi nullius auctoritatis in Eccleſia Dei, non ſilebo. Sunt autem Ioannes Hus & Hieronymus de Praga, hæretici ambo, damnatæ recordationis: ſed, quos Caluiniſtæ, omniſque generis hæretici noſtri, tot tantiſque laudibus in cælum extollunt; vt, quia Conſtantiæ anno Domini 1415. propter hæreſim imperatoria auctoritate exuſti ſunt, inter primæ claſſis ac ſummæ dignitatis martyres collocent. At, quonam hoc modo? quo iure? quamuis enim in pluribus in dogmatibus idem planè cum Caluiniſtis, Lutheranis, & ceteris æui huius peſlibus, ſenſerint vſque ad mortem; certò tamen in fœda illa idololatria mortui ſunt conſtanter, quam Caluinus impingit Catholicis, quòd Deum verum Chriſtumque ipſum Dei filium eſſe credant, & pro tali adorent in Euchariſtia: cùm ipſe Caluinus doceat, nihil aliud eſſe quàm creaturam ſenſibilem, merumque panem. Quod ſi verum eſt, ac proinde ingens eſt idololatria, Euchariſtiam pro Deo colere ac adorare; in illa perſtiterunt ambo illi (quos diximus) vſque ad mortem. quomodo igitur coli poſſunt atque haberi a Caluiniſtis, & alijs eiuſdem farinæ, pro ſanctis martyribus? Etſi enim in ceteris omnibus cum Caluino ſenſiſſent, tamen qui offendit in vno (ait Iacobus Apoſtolus, præſertimque in re tam graui & enormi, vt eſt idololatria, factus eſt omnium reus.

Quòd verò prædicti duo docuerunt, non modò in Euchariſtia eſſe verum corpus & ſanguinem Chriſti, quod credunt etiam Lutherani; ſed conuerti etiam panem & vinum, vel tranſſubſtantiari, in corpus & ſanguinem Domini, quod nec Caluiniſtæ nec Lutherani concedunt; hîc iam nobis probandum. Dicemus autem primùm breuiter de Hieronymo Pragenſi, qui doctrina & facundia prior erat; licet alter eſſet ætate & auctoritate maior, inquit Æneas Siluius. Hieronymi mortem extremumque ſupplicium die 9. Septembris anni prædicti, deſcribit Pogius Florentinus, qui teſtis fuit hiſtoriæ tragicæ oculatus, Epiſtola ad Leonardum Aretinum: Cùm rogaretur, inquit, quid ſentiret de Sacramento; reſpondit, anteà panem eſſe, poſteà verum Chriſti corpus; & reliqua ſecundùm fidem. Tum quidam; Aiunt te dixiſſe, poſt conſecrationem remanere panem. Tum ille, Apud piſtorem, inquit, panis remanet. Sic illi adhuc iocari libuit morti proximo: veritati tamen teſtimonium dedit.

Hiſtoria Bohemica cap. 36.

Ioannes Preybra de non remanentia panis contra VVicleſitas.

Ioannes Hus, duobus ferè menſibus antè exuſtus fuerat, nempe 7. Iulij. Hic rogatus in primis in eodem Concilio, ab Didaco quodam, quidnam ſentiret ac doceret, de Sacramento Euchariſtiæ, conſecratione peractâ; num videlicet ibi adhuc panis remaneat; negauit ſe hoc docere. Quod Didacus ambigens, num ex animo diceret; rogauit iterùm atque iterùm, vt mentem ſuam ea de re perſpicue explicaret; cùm præcipue ſe audiſſe diceret, eum longè aliud docuiſſe. Tum rurſus Ioannes feriò affirmauit, ſe numquam aliud docuiſſe vel ſenſiſſe, quàm nunc dixerat. Quo audito, Ioannes de Cælun Didacum monuit, ne quid ampliùs interrogaret; quando iam toties clatis verbis ſententiam eius audiſſet. Ac cùm productus eſſet Hus coram iudice pro tribunali ſedente, iuſſi ſunt adeſſe teſtes, vt quid ex illo, vel ab alijs de illo & contra illum audiſſent, edicerent. Ibi primus prodiens ait, ſe Ioannem Hus affirmantem audiſſe, quòd ſub Sacramento conſecrato panis maneret: Hus autem contrà, ſeſe hoc vmquam dixiſſe vel docuiſſe negabat. Prodit ſecundus teſtis Beneſſius nomine, tertius Nicolaus Boduinus, quartus Broda, quintus Plebanus de VViſſetat: qui omnes iurati aſſerunt, idem ſe ex Hus audiſſe, quod primus dixerat: quin & Petrus Cardinalis idem iurabat. Quod videns Hus, ſe nimirum tot tamque grauibus teſtibus conuictum, quòd panem verum in Euchariſtia manere dixiſſet,

xiſſet, nec locum eſſe ampliùs tergiuerſationi, ſe tum mentemque ſuam claris verbis explicuit: Quando, inquit, me cogis veritatem ſine ambagibus & inuolucris profiteri; dixi ſane, & adhuc dico, panem in Euchariſtia conſecrata manere, & quidem panem verum; illum nimirum qui dixit de ſeipſo; Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi. Chriſtus enim panem triticeum, & vinum racemis expreſſum, virtute arcanorum verborum ſuorum in proprium corpus & ſanguinem ſuum tranſſubſtantiat. Sic ibi Ioannes Hus. Proinde, ſi nihil aliud contra eum probatum fuiſſet, vel non alios in fide errores ſuſtinuiſſet, hæc de tranſſubſtantiatione doctrina ipſius, non ſupplicium, ſed laudem & præmium merebatur. Sed hac propemodum ſola doctrina excepta, ipſe cum Hieronymo Pragenſi alios omnes Ioannis VVicleſ nefandos errores & ſacrilegas hæreſes pertinaciter ſuſtinebat.

Cum prædicta autem eius aſſertione de conuerſione ſubſtantiali panis in corpus Chriſti, pulchre conſonant verſus ipſius aliquot, ex hymno quodam ab eo compoſito, quem ſæpe ac libenter in ore habuiſſe fertur: infelix quòd non conſimiliter in ceteris cum Eccleſia ſenſit ac docuit. Verba autem hymni ipſius ſunt iſta:

Aue deitatis forma,	*Non eſt panis, ſed eſt Deus,*
Dei vnionis norma:	*Homo liberator meus;*
In te quiſque delectatur,	*Qui in cruce pependiſti,*
Qui de fide ſpeculatur.	*Et in carne defeciſti.*

CAPVT LV.

Tranſſubſtantiatio in Scripturis fundatur: & Concilijs probatur.

TOTA autem hęc de tranſſubſtãtiatione doctrina fundatur certiſſimè in verbis Chriſti, HOC EST CORPVS MEVM, &c, HIC EST SANGVIS MEVS. Nam, ſi conſecratione panis non verè mutatur in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem; falſa eſt propoſitio, HOC EST CORPVS MEVM, &c, HIC EST SANGVIS MEVS, cùm eſſet tantummodò panis & vinum.

Quòd ſi corpus Chriſti ibi eſſe fingatur, vnà cum pane vel ſub pane (quæ erat Lutheri ſententia abſurdiſſima) eadem erit locutionis falſitas. Sic enim, quod datur atque oſtenditur, dicendo, Hoc eſt corpus meum; non eſt corpus Chriſti, ſed mixtum quiddam ex pane ſimul & corpore Chriſti. Et ad hunc ſenſum indicandum, enunciatio facienda erit, non per pronomen, ſed per aduerbium: & dicendum, non, Hoc eſt corpus meum, ſed, Hìc eſt corpus meum.

Eſt hæreticus quidam ex multis noſtri temporis, Henricus Artopœus nomine, qui ſcribit in Concilio generali Florentino, ſub Eugenio Quarto, vbi facta eſt vnio eccleſiarum Græcarum & Latinarum, tametſi à Pontifice Romano corrupti Orientales pleraque placita Romana receperint, nullis tamen argumentis perpelli potuiſſe, vt monſtrum tranſſubſtantiationis (ſic ille vocat) reciperent. cumque vnionis litteræ eſſent formandę, diligenter cautum fuiſſe, nulla vt huius rei fieret mentio. Vnde colligit, non eſſe hæreſim, tranſſubſtantiationem negare. Sed hallucinatur & fallitur hæreticus iſte toto cælo. Neque enim Græci tunc temporis, vt nec priùs etiam, de doctrina tranſſubſtantiationis vnquam dubitabant. Nam, [a]Samonas in primis Gazæ Archiepiſcopus, vtitur ſimilitudine illa Nyſſeni ac Damaſceni, quam paulò antè retulimus. Sic nimirum panem & vinum mutari in corpus & ſanguinem Chriſti, quemadmodum cibus & potus mutantur in ſubſtantiam corporis & ſanguinis noſtri. Nicolaus autem Epiſcopus Metonenſis, non vult hìc quæri naturæ ordinem: cùm ſit Chriſtus præter naturæ ordinem natus ex Virgine. Additque hìc ſumi corpus Domini ſub aliena ſpecie, ne quis horror contingat ſumentibus: vt alij etiam multi Latini Doctores: ac nominatim [b] Ambroſius. Marcus autem Epheſius, qui Græcorum omnium pertinaciſſimè, longo tempore ſe Latinis oppoſuit, in doctrina præcipuè de proceſſione Spiritus ſancti, teſtatur, Baſilium oblata vocare antitypa corpus Domini; eò quòd nondum ſint perfecta, verùm adhuc typum & imaginem ferentia, donec ſpiritus adueniat, qui ea mutet.

Quid verò quæſtionis fuerit in Concilio Florentino in negotio tranſſubſtantiationis,

IN CONCILIO GENERALI FLORENTINO SVB MARTINO V. NIHIL ACTVM CONTRA DOCTRINAM TRANSSVBSTANTIATIONIS: SED EADEM IBI A GRAECIS AGNITA ET RECEPTA.

[a] *Claud. de Sainct. vbi ſuprà.*

[b] *Lib. 4 de Sacram. & lib. 6. cap. 1.*

inter

inter Latinos & Græcos, ex Actis conſtat eiuſdem Concilij; in quibus ſcriptum eſt hunc in modum, ſeſſione 25. quæ & vltima: De panis autem tranſmutatione Latinis quærentibus, cur Græci poſt hæc verba Dominica, Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum, quibus profectò verbis Sacramentum confici creditur, hac etiam vtantur oratione; Et fac panem quidem hunc honorabile corpus Filij tui: quod autem in calice iſto eſt, honorabilem ſanguinem Filij tui, ea ſancto Spiritu tuo tranſmutante: reſponderunt, ſe firmiter credere, verbis illis Dominicis Sacramentum fieri. ſed, quemadmodum Latini, confecto Sacramento, hac ſolemni oratione vtuntur, Iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum; ita Græcos prædictis vti verbis ſolere, vt ſanctiſſimum Chriſti corpus & ſanguis, peccatorum noſtrorum remiſſioni, & animabus noſtris ſaluti fiat. Sic ibi. Vnde patet, nullam tunc quæſtionem fuiſſe, fieretne conuerſio panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti; ſed quando quibúſve verbis fieret: nec in eo tamen etiam Græcos & Latinos diſſenſiſſe. Licet initio nonnulli ex Græcis, puta Nicolaus Cabaſila & Marcus Epheſius, conſecrationem fieri putarent non illis verbis quibus Latini, Hoc eſt corpus meum, &, Hic eſt ſanguis meus; ſed per prædictas ſacerdotis preces quas Græci prædictis Chriſti verbis ſubiungunt. Quam opinionem Beſſarion, etiam Græcus, erudito libello confutauit, reliquis etiam Græcis Epiſcopis approbantibus.

Extat libellus apud Claud. de Sainctes.

Quamquam quod ad tranſſubſtantiationem attinet, hoc interim etiam verum eſt, Romanum Pontificem in Concilio Florentino poſtulaſſe, vt inter alias de fide quæſtiones ex profeſſo etiam de tranſſubſtantiatione tractaretur. Ad quod Græci reſponderunt, ſe de illa quæſtione diſputare non poſſe, abſque totius Orientis eccleſiarum ſpeciali atque expreſſa auctoritate ac mandato: cùm alia occaſione, inprimiſque de quæſtione proceſſionis Spiritus ſancti, Synodus conuocata fuerit.

CAPVT LVI

Sacram Euchariſtiam eſſe adorandam.

NVNC, quid de adoratione Sacramenti dicendum ſit, videamus. Si autem vera ſunt, quæ de tranſſubſtantiatione diſputauimus, vt ſunt vtique multò veriſſima, de adoratione Euchariſtiæ nulla relinquitur quæſtio. Nam ſi hîc adeſt loco panis corpus, & prò vino ſanguis Chriſti, quis ſanus dubitet quin illa ſint adoranda?

Et propterea ineptior multò & inconſideratior hac in re eſt Lutherus quàm Caluinus. Ille enim, cùm fateatur, in Sacramento Chriſtum verè præſentem adeſſe (licet vnà etiam verum manere panem ſomniet, & propterea etiam tranſſubſtantiationem neget) adorationem tamen Sacramenti improbat. Quis vnquam audiuit aliquid vanius? Nam vbicumque Deus præſens adeſt, quis ambigere poteſt (qui quidem quid Deus ſit nouit) quin ibi ſit adorandus? Quis vnquam gentilium aliquid Deum eſſe putauit, quod non crederet adorandum? Et quid videtur Luthero de apertiſſima Scriptura illa; Dominum Deum tuum adorabis?

Atqui nuſquam præceptum eſt, aiunt Lutherani, Euchariſtiam adorandam. Atqui præceptum eſt tota Scriptura ſacra, Deum adorandum: quod & natura etiam ipſa ſatis dictat. Vos autem Lutherani confitemini, in Euchariſtia Deum Chriſtum præſentem adeſſe: debetis igitur agnoſcere præceptum eſſe, Euchariſtiam adorare.

Caluinus meliore hîc niti fundamento ſibi videtur; quia negat in Sacramento eſſe corpus vel ſanguinem Chriſti: proinde, non eſſe Euchariſtiam adorandam, cùm ſolus Deus ſit adorandus. Quæ profectò collectio, conceſſis præmiſſis, non eſt mala. Sed nos contra hunc, argumentum inuertimus, hunc in modum: Euchariſtia eſt adoranda; & quidem tali animo atq; adoratione quali Deum adoramus: eſt igitur in ea corpus Domini. Quin bona & firma ſit hæc argumentatio, nemo vel mediocriter eruditus ibit inficias. Antecedens autem ſtatim à nobis probabitur: ſi priùs vnum adhuc atque alterum verbum adiecerimus, in probationem conſequentiæ, vt omnia vndique ſint clariſſima & firmiſſima.

Deus Pater de Ieſu Chriſto Mariæ filio dixit: Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite. Etſi hîc non adiecit, dicens: Ipſum adorate; quis tamen oraculo illo inſtructus, non adorabit Ieſum Chriſtum, vbicumque illum inuenerit? De Magis ex Oriente Chriſtum puerum, Regem Iudæorum quæſitum venientibus, inuentumque ſuppliciter adorantibus, nihil hîc dicam: quia cuinam incertum eſſe queat, qua mente illum adorauerint, &

quin

quin intellexerint eſſe verum Deum; non autem habuerint dumtaxat pro magno Rege, & pro tali adorauerint, ſicuti moris erat Orientalibus adorare Reges ſuos: nam & munera ipſorum hoc loquebantur: iuxta illud;

Thus, aurum, myrrham, Regiq́; hominiq́; Deoq́; Dona ferunt.

Denique cęcus in templo Chriſtum in terrâ proſtratus adorauit tamquam Deum, poſtquam audiuerat à Chriſto, quòd Filius Dei eſſet: tametſi iuſſus non erat eum adorare.

Sed obijciunt iterùm: Corpus Chriſti, aiunt, vt maximè ſit in Euchariſtia, non eſt Deus, nec eſt Chriſtus etiam: cur igitur pro eo adoratur? Futile eſt argumentum, verberibus potiùs quàm verbis retundendum: & eſt tamen Caluini, tanti Doctoris. Videre quæſo abſurditatem. Ne in cælis quidem, vbi ſedet Chriſtus ad dexteram Patris ſui, corpus Chriſti eſt Chriſtus: proinde, ne ibi quidem adorandus eſſet ab Angelis. Et vnde igitur illud; Adorent eum omnes Angeli eius? Aduramus Chriſti corpus in Euchariſtia, non quia ſimpliciter loquendo corpus Chriſti ſit Chriſtus; ſed quia eſt Chriſti, & in eadem perſona cum eius diuinitate ſubſiſtit &, quia ſcimus, non eſſe mortuum corpus ſed viuum, iuxta illud: Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur: mors illi vltrà non dominabitur. Quamuis etſi mortuum & exangue eſſet, quale erat triduo mortis Chriſti; tamen nihilominùs adoraretur à fidelibus, quia ſummæ ac ſempiternę Deitati, à qua ſemel in perſonę vnitatem aſſumtum eſt, coniunctum perpetuò ac vnitum manet. quæ eſt doctrina non modò Doctorum ſcholaſticorum, ſed generalis etiam Concilij Epheſini, celebrati ſub annum Domini 433. contra Neſtorium. Verba Concilij admodum memorabilia ſunt, & ſic ſe habét: Annunciantes, ſicut ſecundùm carnem, mortem vnigeniti Filij Dei, id eſt, Ieſu Chriſti, & reſurrectionem eius, & in cælos aſcenſionem pariter confitentes, incruentam celebramus in Eccleſijs Sacrificij ſeruitutem: ſic etiam ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamur, participes ſancti corporis & pretioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrûm Redemptoris effecti: non vt communem carnem percipientes (quod abſit) nec vt viri ſanctificati & Verbo coniuncti ſecundùm diuinitatis vnitatem, aut ſicut diuinam poſſidentis habitationem; ſed verè viuificatricem, & ipſius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter vt Deus exiſtens, quia propriè carni vnitus eſt, viuificatricem eam eſſe profeſſus eſt. Et ideò quamuis dicat ad nos, Amen amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem; non tamen eam vt hominis vnius ex nobis exiſtimare debemus (quando enim iuxta naturam ſuam viuificatrix eſſe caro poterit hominis?) ſed vt verè propriam eius factam, qui propter nos Filius hominis eſt factus & vocatus. Hæc omnia magnum illud ſacrumq́; Concilium. *In Epiſtola Concilij ad Neſtor.*

CAPVT LVII.

Doctrinam de Euchariſtiæ adoratione veteres omnes tradiderunt.

SED iam tempus eſt, vt probemus, Chriſtum in Euchariſtia ſemper à fidelibus adoratum fuiſſe, cunctis prioribus ſæculis. Hîc ergo primo loco prodeat Auguſtinus. quando præſertim Caluinum aliàs affirmare non pudet, Doctorem hunc Eccleſiæ eximium, planè ſuum eſſe in doctrina de Euchariſtia.

Quod ait Apoſtolus, Corinthios non dijudicaſſe corpus Domini; Auguſtinus interpretatur, quòd non diſtinxerint ab alijs cibis, veneratione ſingulariter debita. At quęnam eſt veneratio Sacramento huic ſingulariter debita, niſi qua creditur in eodem Sacramento Chriſtus veraciter contineri, taliq́ue fide, mente & corpore adoratur? Vnde clariùs etiam ſuper Pſal. 21. ad verſiculum illum, Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terrę (Auguſtinus legit diuites) Et ipſi quippe, inquit, deducti ſunt ad menſam Chriſti, & accipiunt de corpore & ſanguine eius. Sed adorant tantùm, non etiam ſaturantur: manducantes enim pauperem, dedignantur eſſe pauperes. Clariſſimè verò in Pſalmum 98. ſuper illo verſiculo, Adorate ſcabellum pedum eius. Nemo, inquit, carnem Chriſti manducat, niſi priùs adoret. item, Quia, inquit, in ipſa carne hîc ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, niſi priùs adorauerit; inuentum eſt, quemadmodum adoretur tale ſcabellum Domini: & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. *Epiſt. 117.*

Lib. 2. de Spiritu ſancto c. 12. Sic & Ambroſius, eumdem Pſalmi verſiculum explicat: Per ſcabellum, ait, terra intelligitur. Terra autem caro Chriſti, quam hodie quoque in myſterijs adoramus; & quam Apoſtoli in Domino Ieſu adorauerunt.

Homil. 14. in 5 ad Corinth. Inter Græcos autem Chryſoſtomus: Hoc corpus in præſepi reueriti ſunt Magi; & viri pij & barbari, longo itinere confecto, cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur igitur ſaltem barbaros, nos qui cælorum ciues ſumus. Illi enim cum præſepe & tugurium tantùm, neque eorum quidquam, quæ nunc intueris, viderent; ſumma acceſſerunt reuerentia. tu verò non in præſepi id, ſed in altari; non mulierem quæ in vlnis teneat, ſed ſacerdotem & Spiritum ſanctum perabundè ſuper propoſito diffuſum ſacrificio vides. Sic ille. *Dialog. 2. polimor.* Theodoretus autem, Intelliguntur, inquit, myſtica ſymbola quæ facta ſunt, & creduntur & adorantur.

De Spiritu ſancto c. 27 Denique huc pertinet quod Baſilius de verbis inuocationis ſcribit: Inuocationis verba, cum oſtenditur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis; quis Sanctorum in ſcripto nobis reliquit?

Quibus ex omnibus iam ſatis manifeſtum euadit, quàm ſplendidum ſit putidumque mendacium; quod ait Caluinus, ſibi, in damnanda tranſſubſtantiatione & adoratione Euchariſtiæ, veteris Eccleſiæ conſenſum ſuffragari. Sed dicit, adorationem Sacramenti huius, mentes hominum in elementis detinere; in Chriſtum aſſurgere non ſinere. Quaſi verò, cum Apoſtoli & alij Chriſtum hominem ſecum conuerſantem adorabant, vt Scriptura teſtatur; mentem ſuam in elementis defixam habuiſſent, vt ſurſum aſcendere non valerent. Imò verò hæc magna ſunt adminicula, ad ſurſum attollendum mentem noſtram, atque ad diuinitatem Chriſti contemplandam. Nempe (vt Eccleſia canit) vt dum viſibiliter Deum cognoſcimus, & cognitum adoramus, per hunc in inuiſibilium amorem rapiamur.

At, ſurſum corda habere iubemur, inquit alibi Caluinus, non igitur Euchariſtia ad adorandum proponenda. Sed hoc argumentum non aliam ſolutionem poſtulat quàm præcedens. Et cùm ſurſum corda habere iubemur, non reſpicitur ad altitudinem, ſed ad altum & ſublimem Deum; & ad conſiderationem magnorum illorum & ſublimium myſteriorum, quæ in altari tractantur, animi videntium & audientium excitantur. Contemplari Chriſtum mortuum, ſepultum, ad inferos deſcendentem, eſt ſurſum cor habere.

Alij verò ſic argumentantur: Apoſtoli Euchariſtiam ſibi datam non proſtrati adorauerunt, ſed menſæ accumbentes acceperunt & manducarunt: ergo non aliud etiam nunc exigendum à Fidelibus. Reſpondendum, Apoſtolos ſedendo adoraſſe: non enim in genuflexione vel corporis proſtratione ſita eſt adoratio, ſed in quacumque oſtenſione reuerentiæ, pro loco ac tempore. Oculis adoramus, manibus, pedibus, varijs modis ac geſtibus; & cum aliter non commode licet, profunda & humili inclinatione interni cordis.

CAPVT LVIII.

Contra confeßionem peccatorum coram ſacerdote, octo Caluini propoſitiones erroneæ diſſoluuntur, hoc & ſequentibus aliquot capitibus.

QVIA Sadoletus obiter mentionem fecerat confeſſionis peccatorum ad ſacerdotem; velut quæ ſuum etiam locum habeat inter alia ad fidem Chriſtianam & Dei cultum ſpectantia, quæque veram nobis potiſſimùm humilitatem doceat; Caluinus hanc octo propoſitionibus exagitandam putauit, pluribus ſuo more magnisque admiſtis mendacijs: quæ omnia ſubſequentibus aliquot capitibus diſſoluemus.

SOLVTIO I. PROPOSITIONIS DE CANONE, OMNIS VTRIVSQVE SEXVS, ETC. IN CONCIL. LATERANENSI.

Quod ergo ad primam propoſitionem attinet: lex illa, de ſemel vt minimùm in anno, coram proprio ſacerdote, confeſſione peccatorum facienda; non eſt priuatim Innocentij Papæ, ſed totius generalis Concilij Lateranenſis, cui præſedit Innocentius: quo numquam in Eccleſia maius fuit aut celebrius, vt meritò Concilium illud, propter tantam auctoritatem, extra omnem reprehenſionem eſſe deberet; & locum hîc habere illud Chriſti: Si Eccleſiam nõ audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Niſi Caluinus eſſet

ex pri-

ex primarijs eius membris, de quo ſcriptum eſt; quòd factus ſit vt neminem timeat, & *Iob 41.* quòd rex ſit (infelix) ſuper omnis filios ſuperbiæ. Nec tunc primùm inuenta vel inſtituta fuit confeſſio, ſed quæ hactenus vbique locorum cunctiſque ſæculis vſitata fuerat, ab his ſæpius per annum, vt fit, ab illis rarius; ab alijs etiam ſalutis ſuæ paruam curam gerentibus vltra annum frequenter dilata; iuſſa ibi eſt, ſemel vt minimùm in anno fieri ab omnibus: idque eo anni tempore, quo ſemper etiam ſolita fuerat à Chriſtianis omnibus ſacra ſumi Communio; nempe in feſtis Paſchalibus. Quo tempore apud Græcos etiam confeſſionem in vſu fuiſſe, palàm eſt ex Chryſoſtomo, Homil. 20. in Geneſ. & ex Gregorio Nyſſeno, Epiſtola ad Epiſcopum Mitylenes, quæ extat in Bibliotheca ſanctorum Patrum.

Lutherus initio canonem hunc Concilij Lateranenſis non damnauit, nec confeſſionem etiam ſuſtulit, aut abrogandam eſſe putauit, licet multos circa illam errores admiſcuerit: docuit tantummodò, canonem haud eſſe intelligendum de peccatis venialibus. Quod etiam verum eſt: licet hoc falſum ſit, quod addebat, prohibitum & malum eſſe, peccata venialia confiteri. Qui plura de his, legat Roffenſem.

Capvt lix.

Pudor, qui confeſſioni coniunctus eſt, maximo eſt adiumento ad remiſſionem impetrandam.

SEd quid eſt, quòd Caluinus canonem hunc Concilij abolendum cenſuit? Docet hoc *Solvtio II. propoſit.* ſecunda propoſitio: quia nimirum magno tormenti pondere premit conſcientias, & non ſinit quieſcere. Loquitur (opinor) de tormento pudoris & verecundiæ, quę confeſſioni peccatorum ferè coniuncta eſt. At, qui ſeriam habent curam ſalutis ſuæ, & pondus ſentiunt grauiſſimum peccatorum ſuorum; de quo Pſalmiſta, rem iſtam in ſeipſo *Pſalm. 37.* experiens: Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum; & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. qui hoc, inquam, ſentiunt, non cenſent verecundiam confeſſionis, qua peccata tolluntur, magnum tormentum. Quemadmodum nemo ferè tam verecundus eſt aut imprudens, vt, ſi in ſecretiori aliqua vel pudibunda corporis parte lęſus ſit & curari queat, non libenter oculos medici & chirurgi manum admittat. Scitum eſt autem illud Poëtæ ethnici:

Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignem,
Arida nec ſitiens ora lauabis aqua:
Vt valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At, pretium pars hæc corpore maius habet.

Meminiſſe hîc oportet ſententiæ Sapientis: Ne confundaris confiteri peccata tua. Eſt *Eccli. 4.* enim confuſio adducens peccatum: & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam. & alibi: Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit & reliquerit ea, *Prou. 28.* miſericordiam conſequetur. Quibus ſententijs accedens Chryſoſt. in Matth. Qui timet, *Homil. 9.* inquit, iudicium Dei, peccata ſua non erubeſcit confiteri: qui autem erubeſcit, non timet. Optimè dicit, & planè loqui videtur de confeſſione peccatorum, quæ fit coram ſacerdote. Pudor enim, de quo Chryſoſt. apud homines locum habet, non apud Deum: illis enim erubeſcimus detegere vulnera & ſordes animæ noſtræ, quibus arbitramur eas ignotas eſſe. id quod vnuſquiſque in ſeipſo experitur. Et ſi Chryſoſtomus loqueretur de confeſſione peccatorum coram Deo; non diceret, Qui timet iudicium Dei, peccata ſua non erubeſcit confiteri: qui autem erubeſcit, non timet. ſed contrà potiùs diceret; Qui timet iudicium Dei, erubeſcit illi confiteri peccata ſua: qui autem non erubeſcit, non timet. Nam timor efficit, vt magni faciamus eum quem timemus: ac proinde etiam, vt erubeſcamus coram illo turpes & flagitioſi videri. Sed quia maior timor vincit minorem, ideò rectè dicit Chryſoſtomus, eos qui ſeriò timent iudicium Dei, non erubeſcere peccata ſua homini ſacerdoti confiteri: vincente nimirum timore Dei timorem hominum. Contrà autem, qui confiteri hominibus erubeſcunt, nõ timere iudicium Dei. nam alioqui nõ permitterent ſe ita ſuperari ab humano timore, vt propterea medicinã vnicam animarum ſuarum, confeſſionẽ videlicet, recuſarent. Maximi ponderis verbũ eſt S. Ambroſij ad hoc propoſitum: Soluit criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum. *Lib. 2. de Pœnitent. cap. 6.*

Quod

Quod autem ad hanc confeſſionis verecundiam attinet: qui peccare non erubuit in oculis ſummi Dei, legem eius ſanctiſſimam violando, eiuſque imperium contemnendo (quod fit haud dubiè in omni peccato mortifero) eſtne æquiſſimum, vt paruam hîc aliquam & momentaneam verecundiam ſubeat propter Deum in confeſſione peccatorum ſuorum, vt remiſſionem omnium & veniam conſequatur? Et nónne res eſt perexigua, dum benè perpenditur, coram vno homine, tui ſimili, qui & ipſe debet ſimilem ſubire verecundiam quoties peccat, pudorem nonnullum ferre, vt ſempiternum coram Deo totaque Angelorum & Sanctorum cæleſtium ſocietate pudorem euadas? cùm præcipuè clementiſſimus Deus hunc ipſum pudorem in certam peccatorum medicinam conuertat, & pro magnâ parte debitæ ſatiſtactionis recipiat. vt, quò plus eſt in confitente ſanctæ ac humilis verecundiæ, eò minus hîc vel poſt hanc vitam pœnæ temporalis luendum ſuperſit. Poteſtque talis eſſe hæc verecundia, ex tantoque peccatorum odio ac dolore proficiſci, vt omnem planè debitam pœnam temporalem redimat atque abſtergat.

Capvt LX.

Exemplum admirabile vtilitatis pudoris in peccatorum confeßione.

Extat hac de re memorabilis hiſtoria apud Ioannem Climacum in gradu quarto Scalæ ſpiritualis: Ne celent, inquit, fratres prælatis cogitationes ſuas: quia eſt principium inobedientiæ. ſed à principio confiteantur omnia peccata ſua iudici ſuo ſpirituali: & ſi mandauerint, confiteantur ea coram omni populo; quia qui detegit vulnus ſuum, non deteriorabitur, ſed ſaluabitur. Et pro certitudine huius rei, narro quandam expaueſcendam ſententiam cuiuſdam boni iudicis, quam ego vidi: Dum eſſem, inquit, ego in eius monaſterio, venit vnus latro, volens effici monachus. quem Abbas, perfectus & verus paſtor, & medicus animarum, fecit ſtare ſeptem diebus ad contemplandum modum & ſtatum monaſterij: poſteà eum interrogauit ſi placeret ei remanere. Reſpondit, Placet. Tunc Abbas dixit, Volo ſcire quidquid inhoneſtum feciſti in mundo. Tunc latro confeſſus eſt ei omnia peccata ſua. Poſteà dixit Abbas, tentans eum in eo quod petebat, vt manifeſtaret ea quæ commiſerat, coram omnibus fratribus. Et latro, qui perfectè oderat ſua peccata, promiſit hoc facere, dicens Abbati; Si iubes, etiam dicam in platea Alexandriæ. Tunc Abbas fecit congregari omnes monachos in Eccleſia, qui erant numero ducenti triginta; & poſt lectum Euangelium fecit venire illum peccatorem, manibus ligatis poſt tergum, veſtitum cilicio, capite nudo & puluere aſperſo: & vnus trahebat eum tunc, alter ſequebatur diſcretè verberando. Ad hoc ſpectaculũ omnes fratres commoti ſunt ad fletum: quia nemo ſciebat, quare Abbas hoc faceret. Appropinquante autem ad fores eccleſiæ, benignus Abbas clamauit voce magna, dicens ei; Siſte: quia non es dignus intrare in locum ſanctum. Ad hanc vocem perterritus latro (quia, ſicut poſteà iuramento firmabat, non credidit vocem audiſſe hominis, ſed grande tonitruum) ſubitò cecidit in terram, cum grandi terrore & tremore, totumque locum in quo iacebat lacrymis irrigabat. Et ille mirabilis medicus, qui in omnibus procurabat ſalutem animæ eius, dans formã efficacis humilitatis ſuis monachis, permittit vt ſpecificè diceret omnia peccata ſua coram eis. qui cum timore omnia confeſſus eſt, horribilia ad audiendum, non ſolùm de peccatis carnalibus ſecundùm naturam, contra naturam, cum rationabilibus & irrationabilibus; ſed etiam de homicidiis & veneficiis, cum multis aliis, quæ non ſunt ſcribenda. Poſt hoc fecit eum indui monaſtico habitu. Admirans autem ego de ſapientia huius ſancti Abbatis, ſeparatim interrogaui, qua de cauſa fecerat hanc nouam rem. Qui reſpondit, Duplici. Prima eſt: quia per hanc confuſionem fuit liberatus à finali confuſione. recepit enim remiſſionem omnium peccatorum, antequam diſcederet ab eo loco, & ſurgeret à pauimento. Et non videatur hoc tibi, ô frater Ioannes, incredibile. quia, vnus de fratribus qui aderant mihi dixit, quòd vidit quemdam hominem terribilem, cum penna & charta in manu, ſtantem iuxta latronem, & ſigillatim, ſicut latro confitebatur, ille delebat. Secunda cauſa eſt: quia habeo aliquos fratres, non confitentes peccata ſua; qui ex confeſſione huius fuerunt confortati, ad ea confitendum. Sine confeſſione autem nemo reus ſaluabitur. Hæc ibi.

Capvt

CAPVT LXI.

Confeßionem peccatorum non eſſe tormentum conſcientiæ, ſed ſolatium.

DICIT Caluinus confeſſionem tormentum eſſe ingens conſcientiæ: alij eius ſimiles, carnificinam; alij alijs nominibus odioſiſſimis eam depingunt. Quid ſi verò oſtendero, non modò nullã conſcientiæ inquietudinem, ſed ſummam etiam pacem ac iucundiſſimam ſecuritatẽ afferre. Prædicant ipſi omnibus Euangelium; ſed quintum Euangelium quoddam: non aliquod ex quatuor quæ agnuſcit & veneratur Eccleſia. Ex eius auditione & fide omnibus affirmant omnia peccata remitti. at, præterquam quòd falſiſſima eſt hæc doctrina, quænam ex hac generali annuntiatione remiſſionis peccatorum certitudo veniæ, quænam ſequi poteſt vera tranquillitas conſcientiæ?

In confeſſione autẽ noſtra, vbi veri nominis iudicium exercetur, & cauſa cognita pronuntiatur ſententia; hinc demum ingens naſcitur pax & conſolatio cordis. Chriſtus ipſe multis Euangelium prædicabat, publicè & priuatim. quis credat omnes ex eius concionibus, tametſi doctrinam eius amplecterentur, cum peccatorum plena remiſſione domum ſuam receſſiſſe? At paralyticus & Magdalena, quibus dicebat Dominus, Remittuntur tibi peccata tua, illi demum ex talibus eius verbis plenam conſcientiæ ſecuritatem adepti ſunt. Idem plane contingit nobis, dum poſt confeſſionem audimus à ſacerdote, Abſoluo te à peccatis tuis. Neque enim minorem vim habet abſolutio ſacerdotis, ſi nihil ſit obſtaculi in confitente; quàm ſi Chriſti ipſius ore proprio proferretur: cùm fundata ſit in verbo ipſius, vt pòſt ſuo loco demonſtrabitur. Vnde etiam conſtat, longe eſſe vaniſſimum, quod Caluinus hîc dicit; conſcientias hominum, antequam ipſe cum ſuis infauſto ſidere in lucem prodiret, perpetua anxietate æſtuaſſe. Imò potiùs, vera humiliſque confeſſio, abſolutione Sacerdotali ſubſequente, ab omni nos anxietate & perturbatione conſcientiæ liberat, vt nunc oſtendimus. Et non poſſunt ipſimet aduerſarij noſtri negare, tanti confeſſionis inimici, multis modis vtilem eſſe confeſſionem quæ priuatim fit ſacerdoti, ad inſtructionem & conſolationem conſcientiæ.

ETIAM NOVATORES QVIDAM FATENTVR MAGNAS ESSE CONFESSIONIS VTILITATES.

Martinus Kemnitius, vnus ex primatijs Lutheranorum Doctoribus, quinque recenſet fructus confeſſionis minimè contemnendus: Confert, inquit, primò ad inſtructionem rudiorum: ſecundò ad remedia contra peccata futura: tertiò ad conſilium capiendum in rebus dubijs: quartò ad conſolationẽ recipiendam ex priuata conſolatione: quintò ad diſcernendum, an qui abſolutionem petit, ſit verè pœnitens, nécne. Et alibi idem: Priuatæ, inquit, confeſſionis vſus apud nos ſeruatur: vt generali profeſſione peccati (ecce qualem confeſſionem agnoſcat) & ſignificatione pœnitentiæ petatur abſolutio. cumque non ſine iudicio vſurpanda ſit clauis, vel ſoluens vel ligans, in priuato illo colloquio paſtores explorant auditorum iudicia, an rectè intelligant doctrinam de peccatis, de gradibus peccatorum, de ſtipendio peccati, de fide in Chriſtum: deducuntur ad conſiderationem peccatorum, explorantur an ſeriò doleant de peccatis, an iram Dei timeant & cupiant effugere, an habeant propoſitum emendationis: interrogantur etiam, ſi in certis peccatis hærere exiſtimantur: traditur illis doctrina & exhortatio de emendatione: quæritur conſilium vel conſolatio de grauaminibus conſcientiæ: & tali confeſſioni impertitur abſolutio. Sic ille, de fructibus confeſſionis. Quæ rectè quidem ab illo omnia differuntur, ſed præter omnes illos confeſſionis fructus, Catholici agnoſcunt & alios longè maximos, in primiſque veram peccatorum remiſſionem, per abſolutionem ſacerdotis. quo in fructu ſumma eſt & præcipua conſolatio conſcientiæ.

CAPVT LXII.

De fide ſpeciali, qua ſola docent hæretici remitti peccata.

SED quid eſt, quòd hîc de diuinæ gratiæ fiducia meminit Caluinus, qua conſcientiæ noſtræ pacem conſequerẽtur? Hæc nimirum eſt fides illa ipſorum nouitia, numquam prius audita in Eccleſia Dei; qua docent, fideles debere ſibi perſuadere, quòd credentes

Euangelio, per Dei gratiam, propter meritum Chriſti, peccata ipſis omnia remittantur, nullis adhibitis Sacramentis aut rebus alijs. Atque ita in errore pergentes, docent inſuper, vnumquemque debere certò apud ſe ſtatuere & firmiter credere, ſe per merita Chriſti mediatoris vitam æternam conſecuturum: nullum Deo hîc etiam reſpectum habenre ad quæcumque bona opera. nec cuiquam metuendum, ne à gratia Dei quam ſe habere credit, à fide vel à peccatorum condonatione excidat. vnumquemque Chriſtianum de his omnibus ſola fide in Chriſtum & in meritum paſſionis ipſius recumbentem, ſecurum eſſe debere. Quid facilius, quid commodius, ad pacem & tranquillitatem conſcientiæ? ad ſecuritatem perfectam? nihil certè hac doctrina ſuauius, nihil gratius carni, corruptæq́ue naturę noſtræ. Vnde etiam factum, vt tantum ſtatim diſcipulorum gregem Lutherus vbique locorum ad ſe traxerit, ſimul atque ſe ab Eccleſia Catholica ſeparare, nouumq́ue hoc mundo Euangelium proponere cœpit, vt ſuprà etiam diximus: videbant enim mali & corrupti homines, ad vitia quæuis proni, ſe hac doctrina exemtos ab omni cura bonorum operum, ab vſu Sacramentorum, præſertimq́ue à Sacramento Pœnitentiæ, quod præ alijs graue ac moleſtum eſt improbis & peruerſis hominibus, à ſtudio pietatis & ab omni exercitatione virtutum tota natura alienis. Iam nec confitendum fore ampliùs ſacerdotibus, nec aliquam ſatisfactionem pro peccatis ſubeundam, nec orandum, nec ieiunandum, nec anxiè laborandum in via iuſtitiæ: omnia enim hæc ſuppleri apud Deum vna fide in Chriſtum redemptorem: illum oraſſe, ieiunaſſe, laboraſſe, ſudaſſe, ſatisfeciſſe, & pluſquam ſatisfeciſſe pro nobis. hoc recipiendum & credendum, tali fide Deo Patri clementiſſimo adhærendum, & ſalua fore omnia: per huiuſmodi fidem homines iuſtificari, per eamdem in iuſtitia conſeruari & firmari, per fidem demum ſaluos fieri in vita æterna. Hac, inquam, fide, hac tam facili via oſtenſa ad gratiam Dei atq; ad beatitudinem ſempiternam, nihil ſuauius auditu, nihil iucundius, ſi perinde vera, certa & ſolida eſſet doctrina.

Rom. 2. At ſi ita eſt, ſi ſic res habet, vbi igitur locum habebunt Scripturæ illæ; Non auditores *Iacob. 2.* Legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores Legis iuſtificabuntur? Ex operibus iuſtificatur *Matth. 7.* homo, & non ex fide tantùm? Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in *Luc. 12.* regnum cælorum, ſed qui fecerit voluntatem Patris mei? Seruus ſciens voluntatem do- *Matth. 7.* mini ſui & non faciens, plagis vapulabit multis? Arcta eſt via quæ ducit ad vitam, & pau- *Matth. 11.* ci ſunt qui inueniant eam? Regnum cęlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud? & ſexcentæ aliæ eiuſdem ſententiæ?

Hinc ergo palàm eſt, niſi quis ad lucem clariſſimam oculos ſponte claudat, fiduciam iſtam gratiæ Dei (quam prædicant hæretici noſtri) non modò nullam veram conſolationem & ſecuritatem afferre conſcientijs, ſed ab omni vera & ſolida conſolatione ac quiete longiſſimè abducere: proq́ue vera & ſolida ſpe, quam Scripturę prædicant, inanem fiduciam, ſtultam & fallacem præſumtionem, ac temerariam confidentiam, hominibus præbere. denique hoc veriſſime præſtare miſeris cæciſq́ue mortalibus, quod olim Pro- *Ezech. 13.* pheta queritur de ſimilibus impoſtoribus ſui temporis: puluillos nimirum collocare ſub omni cubito, & parietem linire luto abſque paleis & temperamento, qui diu non poteſt conſiſtere: decipere populum ſtultum, dicendo, Pax pax, & non eſt pax. Cui alter Pro- *Ierem. 8.* pheta concinit, dicens: Et ſanabant contritionem populi mei ad ignominiam; dicentes, *Iſai. 3.* Pax, cùm non eſſet pax. Poſtremò, Iſaias quoque: Popule meus qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.

CAPVT LXIII.

Quid Lutherum mouerit, ad hanc inanem fidem excogitandam.

SED mirum alicui videatur, quid Lutherum mouerit, vt fidem iſtam vſque adeò Scripturis vniuerſis repugnantem, imò omnem potiùs Scripturarum doctrinam penitus ſubuertentem, excogitarit & confinxerit. Nimirum, magna vt hoc faceret neceſſitate coactus fuit. cùm enim, quo populum faciliùs ad ſe traheret, pœnitentiam omnem reijceret; docens, optimam pœnitentiam eſſe, nouam vitam: cùm vim omnem & fructum Sacramentorum tolleret; docens eſſe dumtaxat ſigna acceptæ gratiæ & remiſſionis peccatorum: denique, cùm nihil tribueret ad iuſtitiam vllis bonis operibus, omnemq́. rationem meritorum ab ijs auferret; quia eſſent omnia infecta atque immunda, ex mala hominis

minis concupiſcentia in carne ſemper hærente, legiq́; Dei repugnante, adeoq́ue veri nominis peccata coram Deo, niſi clementer illa propter Chriſtum Filium ſuum conniueret, vt antè quoque oſtendimus: cùm, inquam, hæc doceret omnia, & ſic ſeduceret miſerum populum; aliquid ei quærendum erat, ad pacificandum quoquo modo hominum conſcientias. Nam prorſus nihil præſcribere ad placandum Deum, ac tantùm dicere, Deum ſimpliciter propter Chriſtum omnia condonare, cunctoſq́ue in gratiam recipere, poſt quæcumque vel quotcumque flagitia, nihil omnino præſtando, nullaq́ue penſatione requiſita; nihil aliud fuiſſet, quàm ex Chriſtianis Turcas facere, ac dicere cum impijs: Non eſt Deus.

Itaque excogitauit, Satanæ opera & ſuggeſtione, fidem hanc nouam atque inanem; qua crederent homines, ex diuina bonitate peccata ſibi omnia propter Chriſtum remitti, nullo habito reſpectu ad cuiuſuis generis bona opera. eadem fide ſimiliter crederent, ſe abſque vllis operum meritis vitam conſecuturos ſuo tempore ſempiternam. Hæc, inquam, doctrina malis ac deprauatæ naturæ hominibus, varijſq́ue criminibus longo tempore aſſueris, ab omniq́ue veræ pietatis amore iamdudum auerſis, longè fuit gratiſſima ac iucundiſſima. Qua in doctrina non parum etiam iuuit Lutherum, quòd in Euangelijs & in Epiſtolis Paulinis fides in Chriſtum magnoperè extolleretur, etiã interdum ſupra opera; imò etiam nonnunquam cum vituperio ac reiectione operum, quaſi in hominis iuſtificatione, pretij nullius aut valoris eſſent, coram Deo. nec conſiderare vel aduertere voluit, cuiuſmodi opera ſic à Scriptura damnarentur; vt nos ſuprà declarauimus; vt veritatis lucem ſibi ſuiſq́ue data opera occultaret, ac meliùs falleret.

Hæc autem doctrina fidei nouæ ac ſpecialis (vt vulgò ferè nominatur) adeò placuit Lutheri diſcipulis, ceteriſq́ue huius temporis hæreticis omnibus, errorumq́ue magiſtris, vt, quamuis in multis & grauibus rebus à Luthero magiſtro ſuo primùm, deinde alij etiam ab alijs diſſentirent (vt pòſt loco ſuo fuſiùs explicabimus) omnes tamen hanc fidem amplecterentur. Nempe, quia videbant, homines libertatis carnis amantes, & peccati ſeruos, medicinam Sacramentorum Chriſti, animarum medici, habere pro medicina inſuaui atque amara, & pro moleſta, graui, ac difficili ſarcina. ad hæc, leges eccleſiaſticas & præcepta ſuperiorum iiſdem hominibus non parum diſplicere, nihilq́ue magis quàm occaſiones quærere, iugum huiuſmodi excutiendi. Quas omnes ad res nihil melius fide illa gratuita, quam appellabant; qua ſibi credunt gratis omnia condonari, cælumq́ue omnibus abſque vllis bonorum operum meritis latè patere.

Quo vel vno etiam argumento ſatis liquet, veritatem videre volentibus, omnem hæreticorũ iſtorum & ſectariorum doctrinã, eſſe merè Satanicam, nec micam poſſe aliquam veritatis habere. vtpote, cùm & in multis & grauiſſimis fidei & religionis Chriſtianæ articulis à ſe inuicem diſſentiant, & oderint ſe mutuo odio irreconciliabili; omnes tamen dicant, ſe de ſua doctrina certos eſſe, tamquam de cæleſti & diuina: & per fidem prædictam, omnes ſuæ ſortis homines iuſtificari & ſaluari. Sic olim Doctores Catholici probabant, Donatiſtarum hæreticorum doctrinam ſeipſam euertere. cùm enim docerent, baptiſmum ab hæreticis datum non eſſe bonum verumq́ue baptiſmum; tamen, qui à Maximinianis, quos ipſi quoque habebant pro hæreticis, ad ipſorum ſocietatem veniebant, abſque rebaptizatione recipiebant.

CAPVT LXIV.

Doctrina Concilij Tridentini de fide hac ſpeciali.

SED, lubet hanc doctrinã decreto memorabili Patrum Concilij Tridentini concludere. Verba eorũ hęc ſunt: Quamuis neceſſarium ſit credere, neque remitti, neq; remiſ- *Seſſ. 5. c. 9.*
ſa vnquã eſſe peccata, niſi gratis diuina miſericordia propter Chriſtum; nemini tamen fiduciam & certitudinem remiſſionis peccatorum ſuorum iactanti, & in ea ſola quieſcenti, peccata remitti vel remiſſa eſſe dicendum eſt: cùm apud hæreticos & ſchiſmaticos poſſit eſſe, imò noſtra tempeſtate ſit, & magna contra Eccleſiam Catholicam contentione prædicetur, vana hæc & ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud aſſerendum eſt, oportere eos qui verè iuſtificati ſunt, abſque vlla omnino dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere, ſe eſſe iuſtificatos: neminemq́ue à peccatis abſolui ac iuſtificari, niſi eum qui certò credat ſe abſolutum & iuſtificatum eſſe; atque in hac ſola fide abſolutio-

nem & iuſtificationem perfici. quaſi, qui hoc non credat, de Dei promiſſis, deque Chriſti mortis & reſurrectionis efficacia dubitet. Nam, ſicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti meritis, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet; ſic quilibet dum ſe ipſum ſuamq; propriam infirmitatem atq; indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare ac timere poteſt: cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum. Hæc ibi.

Quibus in verbis notandum, non quamuis certitudinē à Patribus damnari, ſed certitudinem fidei, vt ſe explicant, cui non poſſit ſubeſſe falſum. illa ac tali certitudine quemquam negant ſcire poſſe, quòd Dei gratiam conſecutus ſit. quo minùs probabili aliqua certitudine id ſcire queant aliqui, aut ex facta ſibi diuinitus reuelatione, ſicuti de beata Maria virgine & de Apoſtolis creditur, de eo Patres pugnare non videntur. Nec tamen etiam iubent dubitare vnumquemque de iuſtificatione ſua, quod hæretici noſtri falſò Patribus tribuunt: ſed poſſe dicunt quemlibet, (dum ſeipſum ſuamque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit) de ſua gratia ac iuſtificatione formidare. Nihil vt ea res impediat, quo minùs aliquis in gratia ſit: etiamſi de propitiato ſibi peccato iuxta

Eccli. 5.

Sapientis admonitionem non ſit ſine metu.

Proinde, rectiùs multo certa ſpe, quàm certa fide iubemur expectare peccatorum remiſſionem. Fides enim & certa fiducia, qualem Nouatores docent, timorem omnem excludit: ſpes autem comitem ducit metum.

Quamquam nec credere quiſquam prohibetur, modò abſit ſecuritas; & fides huiuſmodi non aliud putetur, quàm bona & firma & certa ſpes. Quem in ſeoſum ipſe quoque interdum Caluinus loquitur: veritate nimirum ſui confeſſionem ab inuito & hoſte interdum mirabiliter extorquente. Nunc enim dicit; [a] Sic certos Dominus ſuos eſſe iubet, vt tamen ſecuros eſſe nolit. nunc autem, [b] Nos, dum fidem docemus eſſe debere certam & ſecuram, non certitudinem aliquam imaginamur, quæ nulla tangatur dubitatione: nec ſecuritatem quæ nulla ſollicitudine impetatur. quin potiùs dicimus, perpetuum eſſe fidelibus certamen cum ſua ipſorum diffidentia; tantum abeſt, vt eorum conſcientias in placida aliqua quiete collocemus, quæ nullis omnino turbis interpelletur. Rurſus tamen qualemcumque in modum affligentur, decidere ac deſciſcere negamus, à certa illa quam de miſericordia Dei concepimus fiducia.

CALVINUS QVOQVE A VERITATE COMPVLSVS, ALIBI CONTRA FIDEM SPECIALEM SCRIPSIT.

[a] In 5. cap. Ioannis.

[b] In inſtit. lib. cap. 5.

CAPVT LXV.

Falſum eſſe, Confeſſionem peccatorum, clades in Eccleſiam importaſſe.

IN tertia propoſitione dicit Caluinus confeſſionem auricularem tot clades in Eccleſiam importaſſe, vt propterea meritò debeat eſſe omnibus execrabilis.

SOLVITVR III. PROPOSITIO.

Sed ſi bona fide agit, debebat ſimul declaraſſe, quaſnam, vbi, & quādo, tot clades confeſſio in Eccleſiam important; vel certè aliquot clades recenſuiſſe aut indicaſſe, exempli cauſa: nos enim dicimus, nullam prorſum cladem, nihilque vnquam mali per confeſſionem in Eccleſiam introductum. Actori autem, vt ait Iuriſperitus, incumbit probatio. Quamquam hoc ſimul etiam confitemur, nihil tam bonum & ſanctum eſſe in rerum natura, quo mali atque improbi homines eo interdum abutantur. Et propterea tamen nemo ſanæ mentis ea putat è medio tollenda aut vituperanda. alioqui, & vinum & panem, exempli gratia, creaturas nobiliſſimas, damnare oporteret. quin & Sacramenta etiam omnia & ſacras Scripturas. nam his omnibus multos impios & profanos varijs modis indigniſſimè abuti conſtat. Sed hoc vitio hominum, non rebus ipſis imputandum. Ita, etſi probaret Caluinus, ſacerdotes quoſpiam aut alios, confeſſione abuſos fuiſſe ad aliquam turpitudinem vel nequitiam, non idcircò dicendum eſſet, confeſſionem ipſam cladis in Eccleſia alicuius cauſam dediſſe.

CAPVT LXVI.

Hiſtoria Nectarij de confeßione abrogata, ab hæreticis perperàm intelligitur & profertur.

SED videtur Caluinus reſpicere ad hiſtoriam Nectarij Conſtantinopolitani Epiſcopi, quam Socrates & Sozomenus deſcribunt.

Ad Sozomenum autem quod attinet, qui magis aliquanto videtur Caluini opinioni fauere: quamuis nos breuiter hîc ab eo expedire poſſemus, dicendo cum ſancto Gregorio, *Lib. 6. Epiſt. 30.* multa eum in hiſtoria eſſe mentitum; oſtendemus tamen, quidquid de confeſſione ſcribit, in bonum & Catholicum ſenſum accipi poſſe. is enim docet expreſſis verbis, Confeſſionem & iuris diuini eſſe, & ad ſalutem neceſſariam. Sic enim habet in hiſtoria tripartita: *Lib. 9. cap. 35.* Omnino non peccare, diuinum & vltra humanam naturam eſſe cognoſcitur. peccantibus & pœnitentiam agentibus veniam dari Deus præcepit: qui verò confiteri refugiunt, maius peccatorum onus acquirunt. Quæ verba alij ex Græco longè clariùs vertunt hunc in modum: Cùm prorſus non peccare, naturæ ſit humana diuinioris, pœnitentibus (quamuis frequenter deliquiſſent) veniam dari Deus iuſſit: & ad impetrandam veniam confiteri peccata neceſſarium eſt. Sic ille hiſtor. ſuæ lib. 7. cap. 16. Quæ verba paulò etiam aliter, nec minùs dilucidè, ex Sozomeno recitat Nicephorus in hiſtoria ſua. *Lib. 12. cap. 28.* Poſt quæ verba Sozomenus deſcendit ad deſcribendam conſuetudinem Romæ & in alijs eccleſijs ex antiquo Epiſcoporum decreto obſeruatam de ſacerdote pœnitentiario, cui omnes peccata ſua cõfiteri tenerentur, quæ quidem publicè vel multis conſcijs perpetrauerant. Nam ſecreta peccata poterant homines alijs etiam presbyteris confiteri: cùm præſertim vnus ſacerdos pœnitentiarius ad audienda & dijudicanda omnium ſecreta peccata nequaquam ſufficeret. Quamquam, ſi quis illi etiam ſecreta peccata confiteri vellet, non prohibebatur: pro publicis autem peccatis publicam pœnitentiam iniungebat, pro occultis & ſecretis occultam. Qui ritus publicum pœnitentiarium inſtituendi contra Nouatianos hæreticos introductus eſt, negantes, eos qui poſt baptiſmum rurſus publicè lapſi eſſent, recipiendos ad pœnitentiam. Hoc Socrates manifeſte teſtatur hiſtoriæ ſuæ lib. 5. cap. 19. dicens inter alia, Epiſcopos tunc ritum illum veteri canoni adiecisſe: illi videlicet canoni quo ſemper in Eccleſia confeſſio peccatorum decreta fuerat, ſed ita, vt quilibet quidquid peccaſſet, adire poterat presbyterum quem volebat.

Deinceps narrat Sozomenus, quid Conſtantinopoli, occaſione publici pœnitentiarij, contigerit: Conſtantinopoli, inquit, presbyter ſuper pœnitentes fuit, vſque ad illud tempus, quo mulier quædam nobilis cùm peccata ſua confeſſa fuiſſet, & ei à presbytero præceptum fuiſſet vt ieiunaret & Deo operibus ſupplicaret, cum hoc obſeruaret, crebriùs in eccleſia cum Diacono ſe concubuiſſe confeſſa eſt. Hoc cùm populus cognouiſſet, ſæuiebat in ſacerdotes, quaſi per eos facta fuiſſet iniuria eccleſiæ. Tum Nectarius Epiſcopus remouit Diaconum ſceleratum: & quibuſdã ſuadentibus vt ſingulos ad communicandum iudicio conſcientiæ ſuæ relinqueret, etiam presbyterum nequaquam ſuper pœnitentes eſſe præcepit. Et ex illo conſuetudo antiquitatis ſublata eſt: cùm, vt arbitror, minora peccata præ pudore confeſſionis & ſubtilitate examinantium patrarentur. Hæc Sozomenus. Et hinc Caluinus, omneſque Nouatores noſtri, tantam cauſam nacti ſibi videntur calumniandi & abrogandi confeſſionem. adeò, vt Muſculus etiam interpretans Sozomenum lib. 7. hunc capiti decimoſexto titulum fecerit; Quomodo abrogata fuerit priuata confeſſio. Qui titulus quàm apertam falſitatem contineat, ex tota Sozomeni narratione planum eſt. cùm tota ſcriptoris huius deductio clamet, non auricularem ſeu priuatam, ſed publicam dumtaxat confeſſionem ab Nectario ſublatam fuiſſe. ſicut & ſatis notum eſt eruditis, nomine pœnitentium ſolos publicè pœnitentes intelligi. Vnde, cùm hiſtorici omnes hiſtoriam hanc deſcribentes, dicant, presbyterum ſuper pœnitentes conſtitutum, à Nectario ab officio amotum fuiſſe; accipiendum hoc vtique de ijs qui ſimpliciter pœnitentes dicebantur, id eſt publicis.

Præterea, non ſuſtulit Nectarius niſi quod neceſſarium erat, ad ſcandalum amouendum, & populi tumũltũ ſedandum. Ad hoc autẽ ſatis ſuperque erat, è medio tollere con-

feſſionem

feſſionem & pœnitentiam publicam. neque enim ex ſectera confeſſione tumultus alicuius occaſio naſci poterat.

Ad hæc, poſt Nectarij tempora manſit ſemper priuata confeſſio in Eccleſia, etiam apud Græcos, vt ex Chryſoſtomo patet, ac alijs, quos ſuo loco poſtmodum memorabimus. Nullus autem ſcriptor aut hiſtoricus refert ab vllo ſequentibus temporibus Epiſcopo vel Concilio reuocatum fuiſſe quod Nectarius fecerat. non abrogauit igitur ille confeſſionem auricularem.

Proinde, quòd ſcribunt Sozomenus & Socrates, permiſſum à Nectario, vt vnuſquiſque ad communicandum relinquererut iudicio cõſcientię ſuæ; non ſignificat, permiſſum fuiſſe Fidelibus, vt ſine confeſſione vel iudicio ſacerdotis ad ſacram menſam cum vellent accederent: ſed, vt non cogerentur adire publicum Eccleſiæ tribunal; verum ipſi conſcientiæ ſuæ rationem habentes, ſi à peccato mortali immunes ſe reperirent, ad communicationem diuinorum myſteriorum accederent: ſin autem, vnumquemlibet ex preſbyteris eligerent, cui priuatim confiterentur.

Et notandum poſtremò, crimen mulieris cum Diacono admiſſum ad aures populi peruenisse & publicum factum, non ex reuelata per presbyterum pœnitentiarium priuata mulieris confeſſione, ſed ex publica confeſſione mulieris ipſius coram populo. Quamuis enim crimen illud occultum eſſet, nec presbyter illi mandauerat, vt populo propalaret; ipſa tamen, cùm alia peccata ſua, quæ publica erant, populo publicè pateſaceret atque agnoſceret, longiùs quàm debebat progreſſa, hoc etiam crimen ceteris adiecit, & publice confeſſa fuit. Quod ſic diſertè narrat Socrates, qui tunc temporis viuebat; totamque hiſtoriam accepit à quodam qui præſens viderat. in primis autem, duplicem mulieris illius confeſſionem diſtinctè refert: vnam ſecretam coram ſolo presbytero pœnitentiario: alteram publicam coram populo. Mulier, inquit, nobilis ad presbyterum pœnitentiarium accedit, peccata quæ poſt baptiſmum commiſerat, particulatim confiterur. ecce priuatam & Catholicam confeſſionem omnium peccatorum. Subiungit deinde, impoſitam pœnitentiam: Presbyter mulieri mandatum dat, vt ieiunijs & continuis precibus ſe dederet: quo vnà cum peccatorum confeſſione opus dignum pœnitentia oſtenderet. ecce ſatisfactionem, poſt confeſſionem priuatam. Addit deinde de confeſſione publica, quæ fuerat illi iniuncta cum ieiunijs & precibus pro peccatis publicis. Mulier, inquit, longiùs in confitendo progreſſa, alterius culpæ ſeipſam inſimulat: docet, diaconum Eccleſiæ cum ipſa dormiuiſſe. Quibus in verbis, illud (Longiùs in confitendo progreſſa) ſignificat, non iniunctum fuiſſe mulieri, vt peccatum illud publicè detegeret; ſed ipſam proprio inſtinctu ex indiſcreta deuotione feciſſe. Fuiſſe autem hoc crimen ſuum publice confeſſam, docet Socrates, cùm ſubiungit continuò: Ob quod facinus hoc modo patefactum, Diaconus ab Eccleſia eiectus eſt: tumultus deinde in populi multitudine excitatus.

Quibus ex omnibus manifeſtum euadit, matronam illam adeò ſcelus, quod cum Diacono perpetrarat, non prætexuiſſe ſpecie confeſſionis ſimulatæ, (vt Caluinus alibi aſſerit *In Inſtitut.* ad infamandam confeſſionem) vt contrà potiùs flagitium ſuum in vera confeſſione preſbytero patefecerit. Satis hac de re.

CAPVT LXVII.

Confeßio peccatorum, in Scripturis fundata: & de clauibus Eccleſiæ.

IIII. PROPOSITIO NIS SOLVTIO.

DICIT quartò Caluinus, quòd locos Scripturæ quos ad ſtabiliendam confeſſionem detorquemus, validè nobis extorſerit. Sic ipſe quidem audacter, ſuo more: ſed nos contrà affirmamus locos Sacrarum litterarum, quibus confeſſionis vſum ſtabilimus, huiuſmodi eſſe, vt nec Caluinus cum omni ſubtilitate, verſutia, nequitia, impudentia ſua, nec quiſquam omnino hæreticorum, imò nec Satan quidẽ ipſe, eripere nobis aut extorquere valeat. Ad cuius rei probationem non aſſerimus locos omnes Scripturarum veteris aut noui Teſtamenti, quibus nos cauſamq́. noſtram, more veterum Patrum, iuuare poſſemus. Duos dumtaxat, vel ad ſummum tres, proferemus ex nouo Teſtamento, tam claros hac in re, vt cæci etiam quodammodò videre queant. Primus autem erit

ex

ex Matth. 16. capite; vbi poteſtas clauium Eccleſiæ data deſcribitur: Tibi dabo claues DE CLAVIUM ECCLESIAE POTESTATE. regni cælorum: & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Cui loco alter ille ſimilis eſt, Matthæi 18. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Quibus in locis non ſolùm diuo Petro & Apoſtolis omnibus, ſed toti Eccleſiæ in illis & poſt illos datur poteſtas clauium; vt nec aduerſarij quidem noſtri negare poſſunt. Eſt autem in nomine clauium iſtarum manifeſta metaphora, per quam regendi atque adminiſtrandi auctoritas ac poteſtas ſignificatur. Propterea ſcilicet, quòd quibus claues domus aut aliorum in domo locorum dantur, quæ oſtijs & ſeris clauduntur; ijs facultas ingrediendi in loca illa, ſeruandique & adminiſtrandi quæ illic ſunt, datur. Id quod manifeſtius etiam declaratur per claues portarum ciuitatis, caſtri, aut ſimilis loci, quæ Magiſtratibus dantur & creduntur, vnà cum regendi poteſtate. Et multis in rebus illa obtinet cæremonia, vt per traditionem clauium præfecturæ alicuius officium vel dignitas ipſa conferatur. Ex qua agendi ratione ſumta eſt etiam ſententia illa Apocalyp. de ſuprema Chriſti Regis poteſtate ſuper totum mundum: Apoc. 3. Qui habet clauem Dauid: qui claudit, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit.

Ex quibus omnibus ſatis conſtat, quando Apoſtolis à Chriſto, & in ijs toti Eccleſiæ Chriſtianæ, ſeu præpoſitis eius, Apoſtolorum ſucceſſoribus, datæ ſunt claues regni cælorum, clauium nomine accipiendam regendi in Eccleſia poteſtatẽ: poteſtatem, inquam, iudiciariam ligandi & ſoluendi conſcientias. Ita nimirum, vt quemadmodum in domum vel cameram clauſam nemo ingredi poteſt, vel quidquam ibi agere, niſi qui domus vel cameræ clauem habet; ſic nemini in cælum peccatis clauſum aditum patere, niſi cui ſacerdotum & paſtorum poteſtate ac miniſterio reſeretur: remiſſis nimirum ac ſublatis peccatis, quæ ab ingreſſu in cælum arcebant, cælumque claudebant peccatoribus.

Capvt LXVIII.

Pro clauium poteſtate, atque peccatorum confeßione & abſolutione, Patrum auctoritas.

Atqve in hunc modum omnes veteres Patres loca hæc Scripturarum ad ſtabiliendam confeſſionem interpretati ſunt. Hilarius in primis in cap. Matth. 18. Ad terrorem, inquit, metus maximi, quo in præſens omnes continerentur, immobile ſeueritatis Apoſtolicæ iudicium præmiſit: vt quos religauerint, & quos ſoluerint; confeſſione videlicet veniæ receperint in ſalutem; hi Apoſtolicæ conditione ſententiæ in cælis quoque aut ſoluti ſunt aut ligati.

Hieronymus in 16. cap. Matthæi: Legimus, inquit, in Leuitico de leproſis, vbi iubentur, vt oſtendant ſe ſacerdotibus; & ſi lepram habuerint, tunc à ſacerdotibus immundi fiant: non quòd ſacerdotes leproſos faciant & immundos; ſed quòd habeant notitiam leproſi & non leproſi, & poſſint diſcernere, qui mundi ſint, qui immundi. Quomodo ergo ſacerdos ibi leproſum vel mundum vel immundum facit; ſic & hîc alligat vel ſoluit Epiſcopus & presbyter: non eos qui inſontes ſunt vel noxij; ſed pro officio ſuo, cùm peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, qui ſoluendus. Et clariùs etiam ad Heliodorum: Abſit, inquit, vt de his quidquam ſiniſtri loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes Chriſti corpus ſacro ore conficiunt: per quos & nos Chriſtiani ſumus: qui claues regni cælorum habentes, quodam modo ante diem iudicij iudicant.

Auguſtinus autem Homil. 49. Ne quis, inquit, ſibi dicat: Occultè ago: Apud Deum ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt: Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cælis? ergo ſine cauſa ſunt claues datæ Eccleſiæ? fruſtramus nos Euangelium? fruſtramus verba Chriſti?

Nec aliter Patres Græci. Athanaſius Sermone ſuper verba illa: Ite in caſtellum quod contra vos eſt: Noſipſos, inquit, examinemus, num ſoluta ſint noſtra vincula, vt in melius proficiamus. quòd ſi nondum ſoluta ſunt vincula, tradas teipſum diſcipulis Ieſu. Adſunt enim qui te ſoluant, pro poteſtate ea quam à Saluatore acceperunt: Quæcumque enim, inquit, ligaueritis in terra, ligata erunt & in cælis; & quæcumque ſolueritis in terra, erunt ſoluta & in cælis: & ſi quibus remiſeritis peccata, remittentur eis.

Chry-

Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio: Corporis lepram purgare, ſeu veriùs dicam haud purgare quidem, ſed purgatos probare Iudæorum ſacerdotibus ſolis licebat: at verò noſtris ſacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt. Idem eodem libro: Qui terram, inquit, incolunt, atque in ea verſantur; eis commiſſum eſt, vt ea quæ in cælis ſunt diſpenſent: ijs datum eſt, vt poteſtatem habeant, quam Deus neque Angelis neque Archangelis datam eſſe voluit; neque enim ad illos dictum eſt: Quæcumque alligaueritis in terris, erunt ligata & in cælis, &c. Pergit deinde: Habent quidem & terreſtres Principes vinculi poteſtatem: verùm corporum tantùm. Id autem quod dico ſacerdotum vinculum ipſam etiam animam contingit, atque ad cælos vſque peruadit. adeò vt quæcumque inferne ſacerdotes confecerint, ea etiam Deus ſuperne rata habeat: ac ſeruorum ſententiam Dominus confirmet. Quorumcumque, inquit, peccata retinueritis, retenta ſunt. Quænam quæſo poteſtas hac vna maior eſſe queat? Sic ille.

Ex hac poteſtate ligandi & ſoluendi diuinitus tradita ſacerdotibus pulchrè olim Ambroſius confutauit Nouatianos hæreticos, qui affirmabant homines poteſtatem non habere abſoluendi per Sacramentum Pœnitentiæ a peccatis, quia hoc eſſet Chriſto & Deo proprium: ſicut idem hodie etiam Caluiniſtæ alijque omnes hæretici noſtri garriunt. Verba autem illius, quia non minùs hæreticos noſtræ tempeſtatis quàm Nouatianos confodiunt, non grauabimur hîc adſcribere, ex lib. 1. de Pœnitent. cap. 2. Sed aiunt, inquit, ſe Domino deferre reuerentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſeruent. Imò nulli maiorem iniuriam inferunt, quàm qui eius volunt mádata reſcindere, commiſſum munus refugere. Nam cùm ipſe in Euangelio ſuo dixerit Dominus IESVS; Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt: quis eſt qui magis honorat? vtrùm qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit? Eccleſia in vtroque ſeruat obedientiam, vt peccatum & alliget & relaxet. Hæreſis verò in altero immitis, in altero inobediens; vult ligare quod non reſoluat, non vult ſoluere quod ligauit.

Ioan. 20.

CAPVT LXIX.

Idem argumentum alijs adhuc Scripturis Patrumq; auctoritatibus confirmatur.

QVOD hactenus ad ſtabiliendam Confeſſionem ex Matthæo Apoſtolo diſſeruimus, ſatis nunc planum factum eſt: ſed quod iam Ambroſius citat in eamdem ſententiam, ex Ioanne longe etiam eſt manifeſtius. Cùm enim in locis iam auditis ex Matthæo poteſtas Apoſtolis datur ligandi peccatores & ſoluendi, poteſt hoc intelligi de poteſtate excommunicandi, quæ haud dubiè ad claues etiam Eccleſiæ pertinet. Apud Ioannem verò Chriſtus aliter loquitur. dat hîc Apoſtolis ſuis poteſtatem claris verbis remittendi & retinendi peccata. Retinere autem peccata, quid aliud eſt, quàm nolle remittere? Sic certè etiam paulò antè hoc audiuimus interpretantem Hilarium: Et quos in terris ligauerint, inquit, id eſt, peccatorum nodis implexos reliquerint. Locus hic valdè eſt memorabilis: neque enim hic Chriſtus ſimpliciter & perfunctoriè Apoſtolis ſuis poteſtatem dat remittendi vel retinendi peccata, neq; ſtatim primo ſermone eò deſcendit; ſed multa præmittit, quæ magnopere ad poteſtatis huius dignitatem & excellentiam ſpectant.

EXPLICATVR LOCVS IOAN. XX. QVORVM REMISERITIS PECCATA, REMITTVNTVR EIS.

Primùm, dicit magna auctoritate; Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Quibus verbis declarat, poteſtatem remittendi peccata, non humanam eſſe poteſtatem, ſed planè diuinam. Quod etſi omnibus ſatis notum ſit, putauit tamen Chriſtus illud hîc expreſſis verbis ſubindicandum. Sciebat nimirum exorituros in Eccleſia ſua diuerſis temporibus, diuerſiſque nominibus, qui negarent homines hominibus poſſe peccata remittere, & ſic beneficium Dei longè maximum conarentur ex Eccleſia tollere; Remiſſionem ſcilicet peccatorum. De quibus paulò antè meminimus, occaſione doctrinæ Ambroſianæ lib. 1. de Pœnitent. cap. 2. Illorum igitur opinioni maturè hîc occurrit Chriſtus, ad neceſſariam inſtructionem Eccleſiæ ſuæ: docens, ſacerdotes in Eccleſia peccata remittere, non quidem ſuapte poteſtate, ſed quam ab ipſo adeoque à Deo Patre receperint. Huc ſpectant

ſtant verba illa: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Vnde Chryſoſtomus lib. 3. De Sacerdotio: Pater, inquit, omnifariam poteſtatem dedit Filio. ceterùm video eamdem omnifariam poteſtatem à Filio ſacerdotibus traditam: nam quaſi iam in cælum tranſlati ac ſupra humanam naturam poſiti, atque noſtris ab effectibus exemti, ſic illi ad principatum iſtum perducti ſunt. Sed obſeruandum in hac ſimilitudine poteſtatis hanc eſſe differentiam, quæ eſt inter principem & legatum, inter dominum & miniſtrum, inter ſupremum magiſtratum & vicarium. Chriſtus enim etſi tamquam homo poteſtatem hanc à Patre acceperat, tamen vt verus Deus eamdem habuit à ſeipſo: Apoſtoli verò & ſimiles in Eccleſia, illam non habent niſi beneficio Chriſti. denique Chriſtus illam habuit non pro alio, ſiue ad alterius cuiuſquam honorem (niſi Patris ſui; vt iam dictum eſt) ſed pro ſe: Apoſtoli autem & ceteri non pro ſeipſis, ſed pro Chriſto. vnde vnus illorum clamat: Pro Chriſto legatione ſungimur. Obſecramus per Chriſtũ, reconciliamini Deo. *2. Cor. 5.*

Secundò, Chriſtus dictis verbis quæ audiuimus, (Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos) inſufflauit in Apoſtolos. Quid hoc habet commune cum poteſtate remittendi peccata? Primùm adumbrari hic videtur vis poteſtatis huius in extinguendis peccatis. Quemadmodum enim ignis & candela flatu extinguitur, ac nebulæ diſſoluuntur; ſic Apoſtoli & ſucceſſores eorum ſpiritu oris ſui peccata repellunt à peccatoribus. Atque ita impletur hic etiam velut ad litteram illud Prophetæ: Deleui vt nubem iniquitates tuas. *Iſa. 44.* Deinde hoc flatu declarauit Chriſtus naturam Spiritus ſancti, quem dabat Apoſtolis ad remiſſionem peccatorum. eſt enim Spiritus ſanctus quaſi flatus quidam Patris & Filij, ſiue amor dulciſſimus, qui ex natura ac intimis præcordijs alicuius efflatur erga alterum: ſicuti & nomen ipſum ſpiritus flatum ſignificat. Vnde & illud inter alia multa: Spiritus vbi vult ſpirat. *Ioan. 3.* Denique hac cæremonia oſtendit Chriſtus, eumdem ſe eſſe, qui initio conditi hominis inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Nunc enim ſimili externo ſymbolo tribuit Apoſtolis ſpiritum nouum, quo vitam alijs nouam & ſpiritualem per remiſſionem peccatorum conferrent.

Tertiò, flans ſuper eos dicit: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c. Acceperant quidem priùs Apoſtoli Spiritum ſanctum, ſed ad remiſſionem dumtaxat peccatorum ſuorum, & ad alios particulares effectus, pro ipſis potiùs quàm pro alijs: nunc ijs Spiritus ſanctus datur ad vtilitatem aliorum, ad ſanctificationem totius Eccleſiæ, per remiſſionem peccatorum. Et hanc quidem poteſtatem alibi Apoſtolis ſuis promiſerat: vtpote cùm Petro diceret; Tibi dabo claues regni cælorum. *Matth. 16.* At hic, reipſa donat quod pollicitus fuerat; ad vtilitatem & ſalutem eorum qui in ſe credituri erant. Expediebat autem, hanc poteſtatem remittendi peccata, non expectari aut recipi ab Apoſtolis vnà cum alijs multis cæleſtibus donis ad Eccleſiæ vtilitatem in viſibili aduentu Spiritus ſancti, die ſancto Pentecoſtes; ſed per Chriſtum dari expreſſis verbis poſt reſurrectionem eius; illiuſque rei extare certiſſima teſtimonia cunctis futuris temporibus, ad inſtructionem Eccleſiæ, in re tanti momenti. Et valdè conuenienter hanc poteſtatem Apoſtolis ſuis totique Eccleſiæ, non Patris ſui nomine, ſed ſuo largitus eſt. Ipſe enim mortuus fuerat pro peccatis noſtris, ſiue ad multorũ exhaurienda peccata, vt Apoſtolus ait: ipſeque hanc poteſtatem à Patre merito ſanguinis ſui comparatam, tamquam caput Eccleſiæ, membris ſuis quibus voluit impertiuit. *Hebr. 9.*

Quartò, diligenter notanda ſunt verba Chriſti. non enim dicit; Quorum remiſeritis peccata, remiſſa erant vel fuerant: quomodo vtique dicere debuiſſet, ſi poteſtas clauium ſeu remiſſionis peccatorum in Eccleſia non eſt aliud, quàm declaratio ſeu teſtificatio remiſſionis peccatorum à Deo priùs acceptæ, vt volunt hæretici noſtri: ſed dixit; Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: ſignificãs vtique, priùs remittenda à ſacerdote quàm remittuntur à Deo; ratamque habere Deum ſententiam ſacerdotis præcedentem. Nec tamen dixit, Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis: ſed præſentis temporis verbo vtitur, Remittuntur. quod plus multo ſignificat, quàm ſi dixiſſet cum verbo futuri temporis, Remittentur. Hoc ſenſu nimirum: Quidquid in remittendis vel retinendis peccatis per vos vel per ſucceſſores veſtros factum fuerit, vſque in finem mundi, iam nunc ratum habeo.

Poſtremò, non dicit; Remittite omnibus peccata, & remittuntur eis: ſicut dicit; Prædicate Euangelium omni creaturæ: ſed; Quorum remiſeritis, remittuntur.

CAPVT LXX.

Error Caluini euertitur, quo remiſſionem peccatorum interpretatur Euangelij prædicationem.

ADVERSARII noſtri non aliam agnoſcunt remiſſionem peccatorum in Eccleſia per miniſterium hominum, quàm prædicationem Euangelij. Vnde Caluinus in Inſtitutione ſua, dicit, illud de remittendis ac retinendis peccatis mandatum, & illam de ligando & ſoluendo Petro factam promiſſionem, non aliò debere referri, quam ad verbi miniſterium, &c.

Lib. 4. cap. 11.

Nos verò reſpondemus; verè damnatos addictoſque eſſe æternis inferni vinculis, qui Chriſtum redemptorem ac liberatorem non recipiunt nec agnoſcunt: at, ſolutos ſtatim eſſe vinculis peccatorum omnino quotquot credunt in Chriſtum, nequaquam verum eſt; ſed qui ſacerdotum iudicio, peccatorum remiſſione digni habentur. Proinde etiam, longe aliter loquitur Chriſtus de miniſterio prædicationis Euangelij, quàm de poteſtate remittendi peccata. Euangelicam doctrinam vult abſque vlla exceptione omnibus prædicari: Remiſſionem autem peccatorum dari, non ſimpliciter omnibus, ſed qui ea præmiſſo iudicio digni reperientur. Hoc ſibi volunt verba illa; Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Et hoc eſt quod antè audiuimus ex D. Hieronymo; ſacerdotem, cùm peccatorum audierit varietates, ſcire quis ſoluendus ſit, quiſve ligandus. Quomodo autem varietates peccatorum cognoſcet, niſi peccatore dicente & confitente? Vnde alibi idem Doctor hac de re: Si erubeſcat, inquir, ægrotus vulnus medico confiteri; quod ignorat medicina non curat. Sic & Gregorius Homil. 26. explicans verba quæ tractamus: Videndum, inquit, quæ culpa, aut quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam: vt, quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos paſtoris ſententia abſoluat: tunc enim vera eſt abſolutio præſidentis, cùm æterni arbitrium ſequitur iudicis.

In 10. cap. Eccleſ.

CHRYSOSTOMVM NIHIL ACRIBERE CONTRA CONFESSIONEM IN ECCLESIA VSITATAM: SED PRO ILLA.

Chryſoſtomus quoque lib. 2. De ſacerdotio, multa arte opus eſſe docet, vt qui laborant Chriſtiani, vltrò ſibi perſuadeant, ſacerdotum curationi ſeſe ſubmittere oportere. Et quidem, inquit, complures recenſere poſſum, quos conſtat in extrema mala adactos, non ob aliud, niſi quòd dignæ ab ijs pœnæ, & quæ peccatis perpetratis pares eſſent, exigerentur. Neque enim temere ad delictorum modum oportet & mulctam ipſam adhibere; ſed tamquam coniecturis quibuſdam explorandus eſt delinquentium animus: ne qua fiat, vt dum conſuere vis quod interruptum eſt, ſciſſuram deteriorem facias. Sic ille. Ex quibus cònſtat, ſacerdoti confeſſario, ſecundùm Chryſoſtomum, rationem habendam, non ſolùm magnitudinis & multitudinis peccatorum, ſed etiam infirmitatis illius qui peccauit. Quæ omnia ſciri non poſſunt, niſi per ſpontaneam confeſſionem delinquentium Senſit igitur Chryſoſtomus, peccatorum omnium accuratam apud ſacerdotem confeſſionem faciendam, etiam occultorum: vtpote cùm illa non minus ſpirituali curatione opus habeant, quàm cetera.

SIC ET BASILIVS PRO CONFESSIONE. *Reg. 229.*

Ad quem etiam modum, de confeſſione loquitur Baſilius in Regulis breuioribus: Omnino, inquit, in confeſſione eadem ratio eſt, quæ in apertione vulnerum corporis. Vt igitur vitia corporis quibuſlibet temerè homines non aperiunt; ſed ijs tantummodò, qui rationem qua ea curanda ſunt teneant: eodem modo peccatorum confeſſio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea poſſunt curare. Quinam verò ſint qui peccata curare poſſint, docet regula proximè præcedente: Neceſſario, inquit, ijs peccata aperiri debent, quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei.

Ad argumentum hoc & doctrinam Catholicorum, qua docent, ſacerdotem peccata remittere non poſſe iuxta Chriſti mandatum, niſi quæ probè habuerit cognita; cognoſcere autem non poſſe niſi ex ore & confeſſione pœnitentis; putat ſe Caluinus expeditam habere ſolutionem, quam operæ pretium eſt cognoſcere. Quòd contendunt, inquit, non poſſe fieri iudicium, niſi cauſa cognita, in promptu eſt ſolutio; temere hoc ſibi arrogare, qui ſunt à ſeipſis iudices creati. Ita Caluinus. Sed, quis non videt ſolutionis illius promptæ ineptitudinem? nimirum, hoc pro re certa aſſumit quod priùs illi probandum fuerat, & quod eſt longè falſiſſimum: ſacerdotes nimirum Catholicorum, iudices eſſe animarum creatos à ſeipſis. Nequaquam ſeipſos ingeſſerunt in miniſterium illud, qui in Eccleſia Catholica iudicio animarum præficiuntur, & confeſſionibus audiendis. Nam, ex eo

Inſt. Lib. 3. cap. 4 §. 18.

ex eo perſpicuè miniſterium illorum & poteſtas deſcendit, quod hîc dicitur; Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Poſſunt omnes ordinationem ſeu creationem ſuam referre ad Apoſtolos, adeoque ad Chriſtum ipſum. Caluinus eſt potiùs cum ſuis, qui ſe ipſos crearunt, ac intrauerunt violenter in miniſterium quod in Eccleſia occuparunt: nec vllum ante ſe monſtrare poſſunt cui legitime ſucceſſerunt. Qua de re pôſt aliquanto latiùs ſuo loco. Sed, cùm ſe Caluinus vehementiſſimè premi ſentiret argumento de confeſſione ex clariſſima Scriptura deſumpto, & pertinenter reſpoudere non poſſet; ſatis habuit, quocumque modo eluſiſſe. Ioan. 20.

CAPVT LXXI.

Diſſoluuntur quinta & ſexta Caluini contra Confeſſionem propoſitiones.

ET hactenus quidem, ſatis opinor ſuperque quartam Caluini de confeſſione propoſitionem refutauimus, qua dicere audet, ſe nobis Scripruras omnes validè extorſiſſe, quas ad ſtabiliendam confeſſionem proferimus. In ſequentibus pronuntiatis eius refutandis, minus multo operæ ac negotij nobis ſumendum erit. Nam, quod ad quintam propoſitionem attinet; quæ in manibus ſunt, hiſtorias Eccleſiaſticas teſtari, confeſſionem iſtam porioribus Eccleſiæ ſæculis minimè extitiſſe, ex ijs quæ ſuper tertia & quarta propoſitione diſſeruimus, liquet eſſe maximum impudentiſſimumque mendacium. Niſi fortè nobis hiſtorias Magdeburgenſium citare velit; quæ centuriarum nomine in lucem emiſſæ, Matthia Illyrico Flacco, & alijs quibuſdam ſimilis factionis auctoribus. Quas hiſtorias, ſeu farragines potiùs, Caluino libenter relinquimus, vt ſimiles habeant (iuxta vetus prouerbium) ſua labra lactucas. Conſtat enim inter eruditos omnes, & ſtudioſos veritatis, centurias illas omnes, non niſi ex meris fraudibus, ex impudentiſſimis mendacijs, ex putidis fabulis, conſarcinatas eſſe; ad corrumpendas omnes veteas hiſtorias, in odium præcipuè Pontificum Romanorum, totiuſque Eccleſiæ Catholicæ; vt multi ex noſtris, certiſſimis argumentis manifeſtum fecerunt. Alanus Copus, Surius anno 1560. Hiſt. ſua.

Nos hîc ſuprà oſtendimus ex Socrate & Sozomeno, hiſtoricis Eccleſiaſticis, confeſſionem auricularem, quæ nunc adhuc in Eccleſia Catholica obſeruatur, cognitam & obſeruatam fuiſſe etiam in Græcorum Eccleſijs, ante tempora Chryſoſtomi, ipſoque viuente: quod vnum fuit vtique ex puriſſimis ſæculis; ſi qua dici poſſint rectè pura Eccleſiæ ſæcula.

Atque ita etiam ſextam Caluini propoſitionem abundè confutauimus, quæ æquè ex meris mendacijs contexta eſt, vt ſuperior: nimirum, hiſtorijs Eccleſiaſticis, quæ confeſſionem purioribus ſæculis non agnoſcant, Patrum quoque teſtimonia conſentire. Sunt enim à nobis allata non paucorum aliquot aut vulgarium Eccleſiæ Patrum obſcura teſtimonia in contrarium, ſed illuſtrium & celeberrimorum omnium totius vetuſtatis ſententiæ longè clariſſimæ; nec Latinarum ſolùm Eccleſiarum, ſed Græcarum etiam. Audiuimus, ex Latinis Gregorium, Leonem, Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, Hilarium; ex Græcis, Chryſoſtomum, Gregorium Nyſſenum, Baſilium, Athanaſium, præter Socratem & Sozomenum hiſtoricos Græcos.

Quòd verò Chryſoſtomum hæretici noſtri in hoc argumento pro ſe ſtare cõtendunt, vehementer hallucinantur. ille enim quibuſdam locis ſcribens contra eos qui ſe accuſant apud homines, in eos dumtaxat inuehitur, qui occulta peccata ſua publicè propalabant; vnde paſſim tempore Chryſoſtomi permultum mali & ſcandali in Eccleſia naſcebatur; (id quod Magiſter etiam ſententiarum tanto antè rectè annotauit:) vt ex Lib 4. multis quæ ſuprà ex eo de priuata confeſſione produximus, manifeſtum euadit: præſertimque ex commentario in 20. cap. Ioannis; vbi clariſſimè docet, ſacerdotibus noui Teſtamenti poteſtatem conceſſam, purgandi animas à ſordibus peccatorum. Quibus omnibus vnum adhuc dumtaxat locum adijciemus, ex Homilia in Geneſ. 30. vbi diſertis verbis meminit confeſſionis, quæ fieri conſueta erat in feſtis Paſchalibus: cuius etiam Gregorium Nyſſenum mentionem facere ſuprà oſtendimus. Quia, inquit, in magnam hanc Hebdomadam peruenimus Dei gratia, nunc maximè & ieiunij curſus intendendus, & magis continuandæ ſunt preces, faciendaque eſt pura & diligens confeſſio peccatorum. diſt. 17.

torum. Sic ille. Vbi, tametſi non apertè dicat, confeſſionem faciendam ſacerdoti, alijs tamen locis id perſpicuè docet, vt liquet ex ſupradictis.

Tractatur capit. Quidam Deo, De poenitentia, Distinct. prima. *Beda Hiſt. Angl. lib. 4. cap. 1.*

Sed, quid dicemus, ad cap. Quidam, vltimum de Pœnitent. diſtinct. 1. apud Gratianum, vbi affirmatur, Græcos docere, ſoli Deo peccata cōfirenda, nō ſacerdotibus? Sumtum eſt hoc capitulum ex Pœnitenriali Tbeodori Archiepiſcopi Cantuarienſis, qui Romæ crearus fuit Epiſcopus, & miſſus in Angliam à Vitaliano Pontifice, ſub annum Domini 668. optimeque Epiſcopatum geſſit annis pluſquam viginri, Lanne & Græcè doctus. Hic dicit, Græcos docere ſoli Deo confitendum: totam autem ſanctam Eccleſiam docere confitenda peccata eſſe ſacerdotibus. Quibus ex verbis ſatis colligendum, quinam vel quales erant Græci illi, qui ſoli Deo confitendum docebanr: hæretici nimirum aliqui, & alieni ab Eccleſia: quales frequentiſſimè apud Græcos fuiſſe omnis docer hiſtoria.

Sed hîc obſeruandum, in contextū illum Gratiani haud exiguam mendam irrepſiſſe: ſiue hoc ab hæreticis noſtris initio factum; vt ſunt in deprauandis Parrum ſcriptis ac detorquendis ad patrocinium errorum ſuorum meri artifices, ne ſacris quidem Scripturis ea in re parcentes, vt antè oſtendimus; ſiue ab imperitis quibuſdam aut ſciolis. Nam in Gratiano iam legitur ferè hunc in modum: Quidam Deo ſolummodò confireri debere peccata dicunr; vt Græci: quidam verò ſacerdotibus confirenda eſſe percenſent; vt tota (ſere) ſancta Eccleſia. Sed dictiuncula (ſerè) cùm dicitur, Vt tora fere ſancta Eccleſia, neque in antiquis eſt Gratiani exemplaribus, nec in Pœnitentiali Tbeoduri, & totius contextus veritatem corrumpit.

CAPVT LXXII.

Septima & octaua propoſitionis Caluini, contra Confeſſionem, euerſio.

SVPERSVNT iam poſtremæ duæ Caluini de confeſſione propoſitiones, quas breuiſſimè abſoluemus: nempe, fucum eſſe, quòd confeſſionem humilitatis cauſa inſtitutam, atque hactenus in Eccleſia obſeruatam dicimus: deinde, veram demum humilitatem iuxta Paulum eſſe, quæ ad verbi Dei regulam eſt compoſita.

Quod ad poſterius attinet, non eſt opus in eo magnopere laborare: cùm nos quoque non etiam laudemus aut cognoſcamus humilitarem, quæ non ad præſcriptum componitur verbi Dei. Sed quam in confeſſione peccatorum ſuorum coram ſacerdote Chriſti vicario demonſtrant Catholici, non eſſe verbo Dei conſentaneam, hoc nimirum eſt, quod negamus: &, quàm bonis id iuſtiſque cauſis negemus, ex ijs quæ iam antè à nobis dicta & producta ſunt, ſatis & plus ſatis perſpicuum eſſe putamus.

Quod autem in priore ex his poſtremis propoſitione dicitur; fucum eſſe, confeſſionem cauſa humilitatis inſtitutam à nobis dici: nos quoque iam antè, cùm rationibus multis, tum veterum Patrum teſtimonijs, non fucum eſſe, verùm apertiſſimam rei veritatem in ſecundæ propoſitionis refutatione oſtendimus. Vt rectiſſimè hîc ſcripſerit Sadoletus, & planè immeritò à Caluino reprehenſus fuerit; quòd veram humilitatem Chriſtianam, maximum ſalutis fundamentum, in confeſſione & à Scriptura demonſtra-
Homil. 30. tam & ab Eccleſia præceptam acconſtitutam eſſe dixerit. Numquid neſcimus (ait Opus imperfectum in Matthæum apud Chryſoſtomum) quòd confeſſio peccarorum habet pudorem, & quòd pœna eſt grauis hoc ipſum erubeſcere? Sed ideò magis iuber Deus confiteri peccata noſtra, vt verecundiam patiamur pro pœna. nam & hoc ipſum pars eſt iudicij.

CAPVT LXXIII.

Inuocatio Sanctorum, & preces pro defunctis, in charitate fundata ſunt.

CONQVESTVS erat etiam Sadoletus, Caluiniſtas aſpernati ac irridere preces Sanctorum in cælis pro nobis; & noſtras pro ijs ac talibus mortuis qui nondum beati ſunt.

Quod

Quod & dixerat non multo aliud eſſe quàm animas hominum mortales facere. Nam ſi ſunt, inquit, immortales; vnde tantum & tam repentè factum eſt corporis morte diſſidium, vt & viuentium & mortuorum animæ inter ſe nihil congruant, nihil communicent? Cuius ſunt cognationis nobiſcum & communis humanæ ſocietatis oblitæ? cùm præſertim charitas, inquit, quæ numquam non benigna, numquam non fructuoſa eſt, ſalua ſemper & efficax in vtraque vita permaneat? Sic ille.

Ne autem Caluinus, aut alius quiſpiam, hoc Sadoleri argumentum facilè damnet in hac materia, ſciat nec ſolum nec primum eſſe Sadoletum, qui ita ſit argumentatus. Nam, & Bernardus contra ſui temporis quoſdam anonymos, vt ait, ſcribens & prædicás, qui & purgatorium negabant animarum, & interceſſiones Sanctorum cæleſtium pro viuentibus; Mortuos, inquit, viuentium fraudant auxilijs, viuentes Sanctorum qui deceſſerunt ſuffragijs ſpoliant. Sed & viuentium, inquit, preces & hoſtias, mortui qui opus habebunt & digni erunt, mediantibus percipient Angelis, & eorum qui iam peruenerunt viuentibus adhuc nequaquam ſolatia deerunt, per Deum qui vbique eſt, & in Deo nuſquam affectu charitatis abſentium. Ita Cyprianus Epiſtola 1. ad Cornelium: Memores noſtri inuicem ſimus: concordes atque vnanimes vtrobique pro nobis ſemper oremus: preſſuras & anguſtias mutua charitate releuemus. & ſi quis iſtinc prior diuinæ dignationis celeritate præceſſerit; perſeueret apud Deum noſtra dilectio: pro fratribus & ſororibus noſtris apud miſericordiam Patris non ceſſet oratio. Sic ille. Denique Origenes Homil. 3. in Cantica: Omnes Sancti qui de hac vita deceſſerunt, habentes adhuc charitatem erga eos qui in mundo ſunt, ſi dicantur curam gerere ſalutis eorum, & iuuare eos precibus ſuis atque interuentu ſuo apud Deum; non erit inconueniens. ſcriptum eſt enim in Machabæorum libris: Hic eſt Ieremias Propheta Dei, qui ſemper orat pro populo.

Serm. 66. in Cantica.

2. Mach. 15.

CAPVT LXXIV.

Sanctorum interceſſio nihil derogat patrocinio vnici mediatoris Chriſti.

QVID verò Caluinus aduerſus hæc? Dicit in primis, per inuocationem Sanctorum innumeras ſuperſtitiones irrepſiſſe, quæ ipſi cum ſuis excudendæ fuerunt. At quænam illæ: Enumerat quaſdam ex innumeris: primò, per interceſſionem Sanctorum penitus ex hominum memoria deletam fuiſſe interceſſionem Chriſti: ſecundò, in illos, quę propria Dei ſunt officia, diſtributa: tertiò, Sanctos pro dijs inuocatos fuiſſe: quartò, nihil interfuiſſe inter Sanctorum cultum & veterem illam (quàm omnes meritò execramur) idololatriam.

Certè, ſi hæc vera eſſent, iure ac meritò Caluinus Sanctorum in Eccleſia Catholica inuocationem reprehenderet. at, vſque adeò nihil verum eſt horum omnium, vt non ſint omnia nihil niſi meræ calumniæ, ac mendacia putidiſſima, quæ nullam pænè reſponſionem merentur. Nec vmquam probauit Caluinus, vel quiſpiam alius, nec probabunt vmquam, vel minimum errorem, qui aliquam haberet affinitatem cum prædictis errorum capitibus, quos tenent Catholici omnes pro magnis impijſque blaſphemijs, in Eccleſia Catholica locum habuiſſe. Numquam Sancti aliqui inter Catholicos pro dijs habiti cultique fuerunt: numquam Sancto alicui tributa fuere quæ Deo ſunt propria. Verum quidem eſt, inuocatur in Eccleſia Deus, inuocantur & Sancti. ſed longè aliter atque aliter: Deus inuocatur vt fons bonorum omnium; Sancti vt interceſſores apud maieſtatem ipſius, & adiutores & patroni infirmitatis noſtræ.

Atqui, Chriſtus eſt mediator vnus inter Deum & homines. Si patrono aut interceſſore opus habemus; eſt profectò: nec meliorem omnino aut potentiorem patronum agnoſcimus aut requirimus. Sed, quid obeſt, ſi & alios quoſdam apud Deum patronos inuenire poſſumus? dummodò hoc principium teneamus, nullum Sanctorum per nos Chriſto mediatori vllo pacto conferri; nec ita velle apud Deum illorum meritis adiuuari, vt Chriſti meritis quidquam detractum velimus: quem ſcimus in morte ſua cruciſque ſacrificio meritorum theſaurum habere infinitum. Ipſe intercedit vnus pro omnibus, ſuaque interceſſione omnes ſine exceptione Deo reconciliat: at Sancti omnes, tam in cælo regnantes quàm hic adhuc in terris agentes, ſeu pro alijs intercedant, ſeu pro ſe-

ipſis orent, cum Chriſto & per Chriſtum poſtulant exaudiri, illiuſque ſemper interceſ-
Hebr. 7. ſione nituntur. Ipſe eſt ſolus qui accedit per ſemetipſum ad Deum, vt Apoſtolus ait: ceteri omnes, quidquid poſtulent, & pro quocumque, non niſi per ipſum. Nec magis interceſſioni Chriſti aliquam inferunt iniuriam pro alijs deprecando, quàm orando pro ſeipſis; quamdiu hîc adhuc in terris peregrinantur. Denique non magis Chriſto vnico aduocato iniurij ſunt, qui Sanctorum cum Chriſto regnantium aut Angelorum interceſſiones aut preces poſtulant, quàm qui Fidelium quorumuis hîc adhuc viuentium. Cuius tamen rei exemplis plenæ ſunt omnes vtriuſque Teſtamenti ſcripturæ.

ALIVD ARGVMENTVM, QVOD SANCTORVM INTERCESSIO NIHIL DEROGET VNICO MEDIATORI.

Vt autem & alia ratione perſpicue intelligatur, quomodo Sanctorum interceſſio non pugnet cum nomine vel officio Mediatoris, quod Chriſto eſt proprium; conſtituere licet hinc quidem à dextris omnipotentem iuſtumque Deum, inde verò à ſiniſtris totum genus humanum: id eſt, omnem hominum multitudinem ex primo homine, communi lege atque ordine naturæ deſcendentem: vno Chriſto hîc minimè comprehenſo. vtpote, qui natus eſt & conceptus de Spiritu ſancto, & proinde Sanctus, vt Euangeliſta docet. Hominum à ſiniſtra poſitorum nemo prorſus acceſſum habet ad Deum: cùm ſibi omnes Deum offenſum habeant, propter peccatum quod ex primo parente traxerunt. Nemo horum omnium aliquid propriæ virtutis vel iuſtitiæ, quo Deo placeat, habet, vel ſibi parare poteſt: ſed tota hæc hominum multitudo, niſi aliunde ei ſubueniatur, nihil eſt niſi maſſa quædam perditionis, damnationis, & maledictionis æternæ materia. Hîc autem ex Patris cæleſtis bonitate ac miſericordia Chriſtus interuenit medius, vt Deum inter & homines pacem componat: qui & ad hoc apprimè eſt idoneus, tamquam qui vtriuſque partis naturam gerat; hinc cum Patre Deo Deus exiſtens, inde hominibus ſimilis, & habitu inuentus vt homo.

CAPVT LXXV.

Officia & priuilegia Chriſto, vt Mediatori propria.

SI iam hîc officia expendamus, & priuilegia Chriſto mediatori propria; clariſſimè videbimus, nihil prorſus imminui honorem Mediatori debitum ex eo quòd beatę Mariæ vel reliquorum Sanctorum precibus aut meritis cupimus adiuuari.

Primò enim Chriſto proprium, quòd inter vniuerſum genus humanũ & inter Deum mediator interueniat: qua in re beata etiam Maria cum reliquis omnibus Chriſti beneficio opus habet.

Secundò Chriſto proprium, quòd ſit fons omnis boni, meriti, & gratiæ; fons, inquam, ex ſe ſcaturiens, non aliunde acceptam aquam fundens. quod nec beatæ Mariæ, nec alij cuiquam Sanctorum conuenit. Sed ſi aliquando Maria fons gratiæ dicitur, ſumitur fons pro occulta vena, quæ aliunde aquam haurit; nempe ex plenitudine Chriſti, ſicut ſcriptum eſt: & ita alijs, acceptam gratiæ aquam, communicat; inſtar Lunæ accepto lumine a Sole noctem illuſtrantis.

Tertiò Chriſto proprium, quòd acerbiſſimæ paſſionis & mortis ſuæ, in perſona propria, non recepit plenam & condignam remunerationem; ſed remuneratur in omni-
Pſal. 2. bus membris ſuis, iuxta illud: Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam. Et, Si
Iſa. 53. poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum: ideò diſpertiam ei plurimos. Mariæ autem (& eadem ratio de alijs Sanctis) in perſona ſua vel recepit, vel reci-
Rom. 14. piet ſuo tempore mercedem plenam omnium meritorum ſuorum. iuxta illud: Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque propria corporis ſui prout geſſit. Qua in ſententia Chriſtus non comprehenditur: quia non ſtabit ille inter iudicãdos, ſed ſedebit iudicaturus.

Quartò, non modò non aduerſatur honori Mediatoris, ſi eius beneficio ac dono ſic ditetur Maria, vel quiſquam alius Sanctorum viuẽtium aut mortuorum, vt poſſit & alijs gratiæ conſolationem impertiri; ſed auget & commendat potiùs bonitatem & magnitudinem diuitiarum Mediatoris, quòd ſic multos ditet, vt alijs etiam prodeſſe poſſint. Hęc verò ita ſe habere, ac poſſe viuentes Sanctorum defunctorum meritis precibuſque iuuari, ad eum ſcilicet modum quem diximus, & ſine vlla Mediatoris iniuria, teſtantur luculenter Scripturæ illæ, quæ docent, Deum multa præſtare beneficia, temporalia & ſpiritualia, propter merita Sanctorum quorumdam viuentium vel defunctorum, quæ aliàs præ-

ſtiturus

ſticurus non fuiſſet. Vt, quòd Lot nepotem Abrahæ ſeruauit in ſubuerſione Sodomæ & Gomorrhæ propter Abraham: quodq́ue ipſis etiam Sodomitis propter eiuſdem deprecationem atque interceſſionem pepercisſet, ſi fuiſſent inuenti inter eos vel decem iuſti: quòd Iſraëlitis pepercit propter Moyſem: quòd ciuitati Ieruſalem propter Dauid: & in nouo Teſtamento, quòd ſeruauit omnes qui cum Paulo Apoſtolo in naui erant propter Paulum. Quò pertinet etiam illud: Quorum fidem vt vidit, dixit paralytico: *Matth. 9.*
Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

Ex quibus etiam clarum euadit, quàm ſalſa, omniq́ue execratione digna ſit quarta calumnia, quam hîc imponit Caluinus, cultum & venerationem, quam Sanctis exhibemus, nihil differre à veteri idololatria gentilium. Sed reſpondeat hic pro nobis Caluino
verbis pauciſſimis Auguſtinus: Nos Martyres noſtros, ait, nec diuinis honoribus, nec hu- *De ciuit. Dei lib. 8.*
manis criminibus colimus; ſicut colunt illi deos ſuos: nec ſacrificia illis offerimus, nec *cap. 2. &*
eorum probra in eorum ſacra conuertimus. Et paulò pòſt: Nec templa eis, ſacerdotia, *Tract. 48.*
ſacra & ſacrificia conſtituimus: quoniam non ipſi, ſed Deus eorum, nobis eſt Deus. Hæc *in Ioan. & de verb.*
Auguſtinus. Quòd ſi inde forſitan Caluinus docere vult, Sanctos nobis pro dijs haberi, *Apoſtoli*
eosq́ue gentilium more coli à nobis, quia ſunt inter nos & vocantur templa B. Mariæ, *Serm. 17.*
ſancti Petri, aliorumq́ue Sanctorum: cùm Auguſtinus hîc aſſerat templa nulla inter Chriſtianos Sanctis conſtitui, ſciat, Eccleſiam non tam ex vulgari modo loquendi quàm ex intentione iudicandam. Templa enim inter nos appellantur Sanctorum nominibus, non quòd vere Sanctis illis dicata ſint, quorum nomen gerunt; ſed quòd vni Deo in huius aut illius Sancti honorem & memoriam ſint exædificata & conſecrata: diſtinctionis cauſa videlicet, vt nominibus huiuſmodi alia Dei templa ab alijs meliùs diſcernantur. Qui mos etiam nuncupandi templa Dei omnipotentis Sanctorum nominibus iam inde à primis Eccleſiæ ſæculis in vſu Fidelium fuit. Quod cùm ab alijs multis Catholicis ſcriptoribus luculenter oſtenſum & probatum ſit ante nos; fruſtrà hîc opera illa à nobis ſumatur. Legatur inter ceteros Henricus Vicus Flander, vir genere non minùs quàm eruditione nobilis, in opere egregio de Communione Sanctorum cap. 31. & deſcendamus hinc ad diſputationem de Purgatorio.

CAPVT LXXVI.

Purgatorium & preces pro defunctis omnis agnouit vetus Eccleſia.

QVID hac de re Caluinus? Quantum, inquit, ad purgatorium attinet, ſcimus veteres alicubi Eccleſias feciſſe nonnullam mortuorum mentionem: ſed illam ratam & ſobriam & paucis tantùm verbis comprehenſam. Denique id qua appareret nihil aliud velle quàm ſuam erga mortuos charitatem obiter teſtari.

Hæc ille, & alia etiam magis nefanda, de purgatorio. Cogitur autem in primis vel inuitus fateri, veteres Eccleſias in precibus ſuis mentionē feciſſe mortuorum, hoc eſt palàm oraſſe & publice pro defunctis. Quod profectò etiam tam verum & certum eſt, vt nullo negari pacto queat. quare nos etiam hic nullam dabimus operam, ad hoc probandum. Amplectimur quod aduerſarius noſter & Purgatorij impugnator ſummus, vi maxima veritatis coactus, nobis largitur. Sed dicit, apud veteres rarò pro defunctis oratum fuiſſe, nec niſi paucis verbis. Vt hoc nos illi viciſſim largiamur, quid inde poteſt efficere? Conatur mentionem illam purgatorij apud veteres, quibus poteſt modis & verbis, extenuare. Sed nihil agit. Si malum eſt orare pro mortuis, (vt ipſe cenſet) æquè peccatur paucis verbis orando ac multis. Pro Martyribus & aliis Sanctis in cælo regnantibus, orare nō licet, vt Auguſtinus etiā variis locis diſertis verbis admonuit. Iniuriam, inquit, facit Martyri, qui orat pro Martyre. Tam ergo illis iniuriā faceret, qui ſemel tātùm diceret: Miſerere Deus animæ ſancti Stephani, vel ſancti Laurentij (exempli cauſa) quàm qui decies aut ſæpiùs etiam pro ijſdem oraret. Si verò bonum eſt, orare pro mortuis, vt Eccleſia ſentit, & is
qui dixit, Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare; nihil prohibet, quin ſæpè *2. Mach.*
multumq́ue fiat: nec refert, ſeu paucis verbis (vt Caluinus habet) oretur pro mortuis, ſeu *12.*
multis & prolixis; modò illud vitetur multiloquium in precibus, quod damnat Chriſtus. Et hinc liquet, falſum eſſe, quod hîc tam audacter affirmat Caluinus, in veteribus Eccle-

 ſijs,

ſijs,notos non fuiſſe architectos purgatorij: nam quæ Eccleſiæ in precibus ſuis mentionem faciebant mortuorum, illæ vtique agnoſcebant purgatorium. nec refert, in quantam poſteà altitudinem creuerit purgatorium, vt hîc ridet & cauillatur Caluinus. Hoc enim commune eſt omnibus ferè,quæ ad verę cultum pietatis ſpectant; vt nimirum exigua ab imo, poſteà illorum vtilitate & præſtantia paulatim magis magiſque perſpecta, magnum cum tempore incrementū capiant. De quo ſuprà etiam aliquid admonuimus.

Interim autem non admodum diſplicet, quod hîc Caluinus ait, veteres pro defunctis orando, charitatem ſuam erga eos teſtari voluiſſe, nam & nos hodie, & omnes ſemper Fideles, totaq; Eccleſia, pro fidelibus defunctis orando, non aliud quàm charitatem erga eos ſuam demonſtrat.Cùm enim ſciat,defunctos huiuſmodi vera eſſe membra ſua, & proinde ad curam ſuam & ſolicitudinem pertinere; non poteſt illis negare charitatis officium;illarum ſcilicet afflictionem ſuam quodammodò reputando, eoſque ex charitate, precibus, omnibuſque miſericordiæ operibus ſubleuando,quantum poteſt. Quòd verò aſſerit, magnam errorum lernam emerſiſſe ex purgatorio, multaſque inde præſtigias ac impoſturas excitatas; nos eadem facilitate, multoque meliore iure ac ratione inficias imus, quam ipſe dicit tantummodò, & non probat. Quemadmodum & illa; Purgatorium in Eccleſia retentum magno pietatis detrimento;verum Dei cultum ex eo valde concidiſſe; & quod peſſimum dicit, dum certatim omnes voluerunt citra vllum Dei præceptū opitulari mortuis, germana charitatis officia quæ tantopere exiguntur, penitus neglexiſſe.Hęc omnia velut aduerſa fronte cum veritate pugnant:nam,& ad pietatis non vulgare augmentum ſpectat purgatorium,& verum Dei cultum haud parum promouet: & pij homines, dum mortuis in purgatorio opitulari ſtudent, nequaquam obliuiſcuntur viuentium, ac officiorum omne genus charitatis quæ iis debentur.

Sed hic ſe tacitè prodit (vt in alijs multis) ſpiritus ille, qui Iudam proditorem impleuerat, cum nefaria hypocriſi diceret: Vt quid perditio hæc. potuit enim vnguentū hoc vendi pluſquam trecentis denarijs,& dari pauperibus. Dicebat enim hoc (ait alius Euangeliſta) non quòd magna illum haberet aut ſeria cura pauperum; ſed, quòd ægre ferret, hoc pecuniæ non deriuari in quæſtum ſuum: ſibique perire arbitrabatur,quidquid fieret in honorem Chriſti. Et hæc quidem pauca ſatis eſſe videntur, ad ea quæ hîc effutiuit Caluinus de purgatorio. quando enim nec argumentis pugnat, nec Scripturas contra nos vllas in medium profert,nec quidquam probat eorum quę audacter affirmat;nobis quoque hic pluribus aduerſus eum agendum non videtur.

Matth. 26.

CAPVT LXXVII.

Ad ſalutem conſequendam, Eccleſiæ eſſe adhærendum, non Nouatoribus.

SED aliam deinceps materiam ingreditur magni momenti, & quæ longiorem diſputationem poſtulabit. Sadoletus miſſis factis particularibus de doctrina controuerſijs, inſiſtendum ſibi iudicauit in eo quod totius rei caput eſt:quid videlicet,omnibus omiſſis altercationibus, magis ad rem faciat, meliuſque & præſtabilius ſit, ſiue ad Dei gratiam conſequendam, ſiue ad ſalutem æternam procurandam: ſentire me cum vniuerſa Eccleſia Chriſti,eiuſque decretis,legibus,Sacramentis,ritibus,cum recta fide obtemperare; an verò aſſentiri hominibus nouis, & nouitatis ſtudioſis, nec aliud vbique locorum quàm tumultus ac diſſidia exitialia excitantibus.

Hic Caluinus,homo minimè obeſæ naris, ſe notari ac feriri ſenſit; hoc ferre non potuit eius modeſtia. Ac profectò, non poteſt in quemquam dici maior vel atrocior contumelia, quàm quòd ſeſe opponat Eccleſiæ Dei,ſponſæ Chriſti,in qua vna eſt veritas Dei, gemma longè omnium pretioſiſſima,in qua certa omnium ſalus includitur, extra quam nihil eſt niſi mors,maledictio, perditio ſempiterna. Audiamus igitur, quonam modo Caluinus hanc ignominiam à ſe amoueat. Non patiar,inquit, vt huiuſmodi flagitijs nomen Eccleſiæ inſcribendo, & eam contra fas & ius infames, & nobis inuidiam apud imperitos facias; ac ſi bellum cum Eccleſia gerere nobis decretum foret,&c. Sic ille ventoſa Mars in lingua.

Hæc verò iam ſatis ſunt ad diſputandum, priuſquam exempla ab eo propoſita videamus,

mus, quæ peculiarem & propriam diſſertionem poſtulabunt. Hîc autem cernere eſt, nihil magis vrere Caluinum, nihil peius illum habere, quàm quòd Catholicæ Eccleſiæ titulum atque auctoritatem nobis tribuamus: Caluiniſtis autem, & ſimilibus peſtibus detrahamus. nec ſine iuſta & graui cauſa eis hoc tantopere dolet, vt mox admonuimus. Et tamen vtcumque fremant & contrà pugnent, numquam efficient, non modò apud eruditos, ſed etiam apud quoſlibet ſana mente nonnulloque iudicio præditos, vt non credatur à noſtra parte ſtare Eccleſiam Dei: ipſos autem ex Eccleſia, tamquam aues implumes è nido, turpiter atque exitialiter excidiſſe, nihilque planè ampliùs commune cum illa habere. Hoc magis etiam clariuſque liquebit confeſtim, ex tractatione exemplorum ſeu argumentorum, quibus hîc Caluinus vtitur contra nos.

Priùs autem quàm ad illam conſiderationem deſcendamus, obiter hîc notandum (quod ſuprà latius explicuimus) fateri hîc rurſus haud obſcurè Caluinum, ſuperſtitionum omnium, quas nunc in Eccleſia regnare clamitant, ſaltem principia in veteri Eccleſia (etiam cùm puriſſima, vt loquuntur, eſſet) reſediſſe. Hoc ſatis indicant verba illa; Vt fateamur iam olim fuiſſe ſemina quædam ſuperſtitionum, quæ ab Euangelij puritate degenerabant. Euangelij puritatem appellat doctrinam ſuam & ſuorum. Ab illa ac tali puritate, qua nihil eſt impurius, ſemper receſſiſſe doctrinam omnium veterum Eccleſiarum, nos libentiſſimè confitemur. Nihil potuit à Caluino veriùs dici: &, ſi ſuperſtitionis nomen inſcribi poteſt doctrinæ religionis quæ nunc adhuc viget inter Catholicos; non imus inficias, quin talis ſuperſtitionis ſemina & plantaria olim iacta fuerint in ſancta illa antiquitate quam agnoſcit Caluinus. Vbi etiam cernere eſt iterùm, Caluinum, vt ſuam doctrinam tueatur, non veteri totam venerandam ſanctamque Antiquitatem ſuperſtitionis accuſare. Atque hoc eſt quod ſemper dicimus & ſuſtinemus, noſtram doctrinam, quam Eccleſia tradit Catholica, ab omni antiquitate cognitam, cultamque & receptam fuiſſe; & propterea bonam eſſe, puram, veram, ſinceram, ſalutarem: ipſorum autem doctrinam ab omni antiquitate diſſidere, nec vllas in veteri Eccleſia vel tenues radices habere: nouam eſſe, recens inuentam & confictam, cunctis retrò ſæculis inauditam; niſi quatenus ex erroribus & hæreſibus, olim diuerſis temporibus communi totius Eccleſiæ iudicio damnatis, deſumta eſt. Vt iure meritoque Caluino ceteriſque ſectarijs veteris Eccleſiæ nomen atque auctoritatem, ceu clypeum Aiacis, vt ait, ſemper (velint nolint) opponamus, ad tela quæ in nos iaciunt omnia retundenda ac retorquenda in caput ipſorum. Nec effugere vmquam poterunt, quidquid contra obijciant, vel in quaſcumque ſe formas vertant, quin veteris Eccleſiæ auctoritate nefarij ſceleris conuincantur.

Nunc videamus, quibus exemplis Caluinus docere prætendat, nos immeritò nobis veræ ac veteris Eccleſiæ laudem ac poſſeſſionem tribuere: ſe verò ad noſtram Eccleſiam impugnandam, conterendam, diſperdendam, non ſolùm diuini verbi virtute, ſed ſanctorum etiam Patrum præſidio armatum eſſe.

CAPVT LXXVIII.

Octo impietatis monſtra, Caluini iudicio in Eccleſia regnantia, eliduntur ſequentibus aliquot capitibus.

EXAMINEMVS quænam illa ſint impietatis monſtra, quæ iamdudum in Eccleſia noſtra regnare clamat. Enumerat ille ſeptem vel octo. & ſubijcit paulò pòſt; iam magis peruulgatum eſſe, quàm vt negando quidquam proficias, in iſtis omnibus non obſcurè ſtare pro ipſis veterem Eccleſiam, oobiſque nihilominùs quàm ipſoſmet aduerſari.

Si octo iſthæc (quæ exempli cauſa in ſequentibus capitibus referemus & refutabimus) vera eſſent; ſunt profectò horrenda impietatis monſtra, vt appellat. Sed, abſit, vt quidquam horum vmquam receptum fuerit ab Eccleſia. Dicimus, in his omnibus, veterem Eccleſiam haud dubiè aduerſari manifeſtè ijs, qui hæc probant vllo pacto vel recipiunt. in eo itaque Caluino aſſentimur. At, à nobis nunc hæc doceri vel probari, aut ab Eccleſia Catholica vel Romana, cui nos fatemur in fidei communione coniungi, hoc planè inficiamur, hoc manibus pedibuſque reijcimus. Caluinus affirmat, & nihil probat tamen. exiſtimat vniuerſum mundum, vel quotquot hæc lecturi ſunt, ſoli ſuæ affirmationi fidem habituros. Quaſi verò verba illius oracula eſſent Sibyllina: vel

quaſi

quaſi illius eſſet auctoritatis, cuius ille olim de quo narratur, αὐτὸς ἔφα. Quamuis ergo Caluinus eorum quæ nobis obijcit nihil probet; nos vt aliquanto pleniorem Lectori veritatis ſtudioſo ſatisfactionem præbeamus, cauſam noſtram contrà probabimus; ſed breuiter, ne hîc ex profeſſo res tantas tractare videamur, quod ab alijs Catholicis ſcriptoribus egregiè factum eſt.

Accuſat nos, in primis, euerſi miniſterij, cuius apud nos vacuum nomen maneat ſine re. accuſat quidem certè: ſed non conuincit. Si verò (vt ille aiebat) accuſari ſufficit, quis erit innocens? At, quid ſi probemus, in quo hîc nos accuſat, ipſummet in eo manifeſtè culpabilem eſſe? Quod Epiſcopi & ſacerdotes in Eccleſia Catholica miniſterium gerunt, non occuparunt ipſi vltrò, aut alijs eripuerunt; ſed conſueto ordine viaque legitima, iam inde ab initio recepta ac vſitata, in Eccleſia ingreſſi fuerunt. Quam viam & ordinem Paulus demonſtrat ad Titum ſcribens: Propterea reliqui te Cretæ, vt conſtituas per ciuitates preſbyteros, ſicut & ego conſtitui te. Et ad Hebræos: Nemo ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, quemadmodum & Aaron. Legitimum appellatur, quod legibus ſancitum, conſtitutum, vel approbatum eſt.

Tit. 1.
Hebr. 5.

CAPVT LXXIX.

Caluinus quàm nouo & ſcelerato modo irruperit in miniſterium Eccleſiæ Geneuenſis.

QVÆNAM autem vel quales ſint leges in Eccleſia de aſſumendis miniſtris ad cultum Dei, & ad miniſterium Eccleſiaſticum, & quemadmodum in eodem miniſterio conuerſari oporteat, notum eſt eruditis. Caluinus autem in toto miniſterio ſuo Geneuenſi, à primo exordio ad finem vſque, quas leges ſecutus eſt? a quo primùm miſſus fuit ad huiuſmodi miniſterium? cui Epiſcopo ſic docenti agenrique omnia, ſicut ipſe docuit, egitque, ſucceſſit? Nónne ipſe primus, vel Guihelmus certe Pharellus paucis annis ante illum, in miniſterium illud irrupit opera ciuilis magiſtratus, vero excluſo Epiſcopo Philiberto du Rys, Abbate ſancti Claudij? Philibertus iſte legitimus Eccleſiæ Geneuenſis Epiſcopus vltimus, ſuam potuit ordinationem, miſſionem, ſucceſſionem oſtendere. Succeſſit enim Ioanni à Sabaudia, cuius mentio eſt in Concilio Lateranenſi ſub Leone x. Ioannes iſte Franciſco, qui Concilio Baſilienſi interfuit, vt liquet ex ſeſſione 5. & 38. Franciſcus verò Ioanni, qui recenſetur cum laude in generali Conſtantienſi Concilio, ſeſſ. 41. In Caluinum autem aut in Pharellum quadrat, quod Optatus Mileuitanus Epiſcopus ſcribit de Maiorino primo Epiſcopo Donatiſta Carthagine: Non Cæcilianus à Maiorino auo tuo (Parmenianum alloquitur) exiuit, ſed Maiorinus à Cæciliano. nec Cæcilianus receſſit à cathedra Petri vel Cypriani, ſed Maiorinus; cuius tu cathedram tenes, quæ ante ipſum Maiorinum originem non habebat. Ad eumdem modum de Victore quodam alterius Eccleſiæ Epiſcopo Donatiſta: Victor, inquit, ante ſe aliquem illic ſediſſe (eiuſdem doctrinæ & ſectæ videlicet) monſtrare non poteſt; nec cathedram aliquam niſi peſtilentiæ oſtendere. erat itaque ibi Victor filius ſine patre, tiro ſine principe, diſcipulus ſine magiſtro, ſequens ſine antecedente, inquilinus ſine domo, hoſpes ſine hoſpitio, paſtor ſine grege, Epiſcopus ſine populo. Sicut autem Caluinus aut Pharellus Eccleſiam Geneuenſem in Sabaudia, ſic Lutherus primùm omniũ Eccleſiam VVittenbergenſem in Saxonia, Rothmannus in VVeſtphalia, Zvvinglius in Heluetia, Svvencfeldius in Sileſia, alij alijs in prouincijs, Eccleſias primi, fugatis veris Catholicis que Epiſcopis vel paſtoribus, per vim occuparunt. Nemini ſuccedentes à ſeipſis ordinati ſunt, inquit Cyprianus de Nouato, de ſeipſis naſci voluerunt, vt prædictus Optatus de Donatiſtarum magiſtris atque Epiſcopis.

Sed redeamus ad Caluinum. Hic cùm tam nouo modo, nec vmquam hactenus audito, in Eccleſiam Dei inuaſerit, miniſterium Eccleſiæ Geneuenſis, excluſo nimirum violenter auxilio magiſtratus vero legitimoque Epiſcopo; redactis etiam in ſuam ipſorum poteſtatem prouentibus eius omnibus temporalibus, quos quidem occupare potuerunt; hic, inquam, eſt ille ſycophanta egregius, qui accuſat Epiſcopos Catholicos euerſi miniſterij, eoſque, & paſtores inferiores, dicit prædando dumtaxat & vorando ſtrenuos eſſe.

Atqui dicit, manere apud illos vacuum nomen miniſterij Eccleſiaſtici ſine re. Quod & pro-

& probare nititur; quia, quantum ad paſcendi populi curam attinet, Epiſcopos & presbyteros noſtros, mutas eſſe ſtatuas dicit. Reſpondemus, ſimpliciter falſum eſſe quod dicit. neque enim vmquam Epiſcopi omnes (vt de inferioribus hîc paſtoribus nihil dicam) mutæ fuerunt ſtatuæ. Semper aliqui vbique locorum, etiam corruptiſſimis fuère ſæculis, qui in paſcendo populo doctrina ſana verbi Dei probè functi ſunt officio. Etſi negare nec velimus nec poſſimus, non defuiſſe etiam omni ferè tempore, qui hac in re muneri ſuo ac profeſſioni haud reſponderunt vt oportet. Quos, quia excuſare nō poſſumus, iudicio diuino relinquimus: hoc interim adijcientes, paſcendi munus doctrina & prædicatione verbi Dei, tametſi Epiſcoporum proprium ſit; tamen non mox euertere miniſterium ſuum, quicumque paſcendi vel docendi officium negligit. Is verè demum euertit penitus miniſterium ſuum, qui male docet, qui errores & hæreſim prædicat, qui pabulo vitæ mortem inferunt. Quod Caluinus eiuſque ſimiles faciunt; non paſcentes oues Chriſti ſed occidentes, mactantes, perdentes, vt Chriſtus ait. Sed illi, ſicut per fas & nefas ſe primùm intruſerunt in hoc miniſterium, nec ingreſſi ſunt per oſtium, ſed aſcenderunt aliunde, vt fures veri & latrones; ſic non niſi magnis etiam ſceleribus inuaſum miniſterium adminiſtrant, populo Dei pro pane vitæ cibum mortiferum, & pro pabulo ſalutis merum animarum toxicum miniſtrantes; vt hîc non commemorem alia multa flagitia quæ deſignant. Et ecce quæſo, quid interim effrontes homines, impudentiſſimo ore, Eccleſiæ Catholicæ miniſtris non verentur impingere.

CAPVT LXXX.

Sacrificium Miſſæ omnē efficaciam ſuam habet à ſacrificio Crucis.

SECVNDO dicit, in ſacræ Cœnæ locum apud nos ſacrificium veniſſe, quo mors Chriſti ſua virtute exinanitur. Quod ſi verum eſſet, haberent quòd meritò ægrè ferrent: ſed nos id haudquaquam admittimus. Quin potiùs dicimus, per ſacrificium Miſſæ (hoc enim eſt quod velut digito monſtrat, quodque tantopere odio habet Caluinus cum ſuis) mortis Chriſti virtutem mirificè prædicari, extolli, & commendari omnibus. Neque enim Miſſæ actionem, tale eſſe dicimus ſacrificium, quod ſua virtute peccata expiet, nullo habito reſpectu ad virtutem crucis & mortis Chriſti; ſed quod omnem vim, efficaciam, & fructum ſuum ex Chriſti morte hauriat. Dicimus & docemus, priuatim & publicè, nullam fieri aut impetrari peccatorum remiſſionem, niſi per mortem Chriſti: in ſacrificio crucis eius præſtitam pleniſſimam ſatisfactionem pro peccatis omnium mortalium: per illam oblationem, iuſto pretio, ac pænè pluſquam iuſto, emtum ac redemtum genus humanum à tyrannide Satanæ, & ſeruitute peccati, vt Scriptura teſtatur. Sacrificium autem altaris non offerri pro nouo aut alio pretio peccatorum: ſed, vt per illud, ſicut & per orationes & preces varias externæ huiuſmodi oblationi coniunctas, virtus ſacrificij Chriſti in nos deriuetur; ſiue ad remiſſionem peccatorum noſtrorum, ſiue ad gratiarum actionem pro acceptis ab eo beneficijs, ſiue ad alia à Deo beneficia impetranda: cùm moris ſit hominibus, & quaſi ex naturæ lege deſumtum, vt per externa aliqua ſacrificia ad Deum confugiant ſiquid ab eo petendum habeant, aut velint illi exhibere gratitudinem ſuam, aut honorem, vel cultum aliquem ei deferre. Quòd ſi quis ſimilitudinibus delectetur, ſacrificium crucis eſt tamquam fons plenus & exuberans omnis gratiæ: de quo ſcriptum eſt: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Sacri- *Iſa. 12.*
ficium autem altaris velut cochlear aut ſitula fonti appenſa, qua haurire liceat aquas gratiæ cuiuſuis ad ſitim explendam, ſiue ad purgationem & ſanctificationem animarum noſtrarum.

Refert Cochlæus, cùm eſſet vnà cum Philippo Melanchthone, Ioanne Brentio, & alijs *Philip. 7.*
quibuſdam, in colloquio Auguſtano, præſente etiam Cæſare, anno 1530. & hæretici illud ſemper inter alia in ore haberent, tamquam ingentem Catholicorum blaſphemiam, quòd per Miſſas noſtras tantam faciamus iniuriam ſacrificio crucis Chriſti, quo omnes redemti ſumus: refert, inquam, Cochlæus ſe Melanchthoni reſpondiſſe: Quomodo nobis ſemper inuidiam facitis apud omnes, quaſi per ſacrificium altaris derogare velimus virtuti crucis Chriſti, cùm nos doceamus, ſacrificium iſtud noſtrum non ſuapte virtute excluſis meritis ſacrificij Chriſti quidquam efficere; ſed eſſe dumtaxat memoriam quamdam ac repræſentationem mortis Chriſti, cuius omnis effectus & virtus ex Chriſti morte profi-

proficiſcitur? Hoc tu Philippe cum non ignores, & qualis ſit hac in re Catholicorum doctrina, eamque ſcias damnari ac reprehendi non poſſe; cur tuis non declaras: vt deſinant aliquando calumniari doctrinam noſtram veriſſimam? Ad hanc iuſtam querimoniam Philippus aliud nihil reſpondit, quàm, Dic hoc iſtis, (Brentium Sneppiumque demonſtrans) qui ſunt ſacrificuli: ego non ſum ſacrificulus. Ex quibus liquet, homines iſtos nō veritatem quærere, ſed occaſiones dumtaxat captare lites & contentiones ſerendi: & cùm veritatem videant atque agnoſcant, malitia tamen, odio, inuidiaque excæcatos, recipere nolle; ſcienteſque & prudentes Catholicæ Eccleſiæ mendacia quæ volunt, errores, blaſphemiaſque affingere, vt ſuas ipſi blaſphemas hæreſes tueantur.

Capvt LXXXI.

Sacrificium Miſſæ, totius antiquitatis teſtimonijs probatur.

ET hæc ſatis eſſent, abundè refutandæ calumniæ Caluinianæ, de ſacrificio Miſſæ: ſed, quia hic affirmare eum non pudet, ſtare pro ſe in his omnibus Eccleſiam veterem, aliquid hîc ad ſtabiliendam de Miſſa doctrinam ex vetuſtis Eccleſiæ primarijs Patribus addendū duximus. Et in primis quidē cum negari nō poſſit ne à Caluino quidem (quamlibet perſtrictæ frontis ſit) veteres Patres ſacrificium altaris offerendum docuiſſe, adeoque ipſoſmet obtuliſſe pro defunctis; vel ex eo ſolo ſatis conſtat, quòd ſenſerint ſacrificium iſtud in remiſſionem peccatorum, ſiue ad Deum propitiandum placandumque offerri: mortui enim nulla de cauſa egent ſacrificio, niſi ad remiſſionem peccatorum ſuorum. Vnde eſt etiam Scriptura illa de oblato ſacrificio pro iis qui in bello ceciderant:
2. Mach. 12. Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. Hic eſt ergo in primis Auguſtinus libro De cura pro mortuis: Etſi, inquit, nuſquam omnino in Scripturis legeretur de talibus animabus, non parua tamen hac conſuetudine claret auctoritas, vbi in precibus ſacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam commemoratio mortuorum. Cui ſimile eſt, quod ſcribit de ſancta
Lib. 9. confeſſ. cap. 11. Monica matre ſua monente, quòd, vbi defuncta foret, vnicè petebat, memoriam ſui fieri in precibus & ſacrificio ad altare.
Chryſoſtomus ſuper Epiſtolam ad Philip. Chryſoſtomus ſimiliter: Non fruſtra ab Apoſtolis ſancitum eſt (notanda ſunt verba) vt in celebratione venerandorum myſteriorum memoria fiat eorum, qui hinc deceſſerunt. Nouerunt enim multum iis hinc emolumenti fieri, populo ſtante, manus in cælum extendente, cœtu item ſacerdotali, verendoque propoſito ſacrificio, quomodo Deum non placaremus pro iis orantes? Idem docet Dionyſius Areopagita ſub finem Eccleſiaſticæ hierarchiæ: idem Cyprianus, Ambroſius, totaque vetus Eccleſia.

Quod verò ad præſentis vitæ neceſſitates attinet, atq; ad auertendā iram Dei à Fidelibus adhuc in mortali carne viuentibus, quantopere etiam illum in finem proſit altaris ſacrificium; memorabile eſt hac de re teſtimonium Auguſtini in libris De ciuitate Dei:
Lib. 22. c. 8. Vir, inquit, tribunitius Heſperius, qui apud nos eſt, habet in territorio Fuſſalenſi fundum Cubedi appellatum, vbi cum afflictione animalium & ſeruorum ſuorum domum ſuam ſpirituum malignorū vim noxiam perpeti comperiſſet; rogauit noſtros, me abſente, preſbyteros, vt aliquis eorum eò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi ſacrificium corporis Chriſti, orans quantum potuit vt ceſſaret illa vexatio, & Deo protinus miſerante ceſſauit.

Capvt LXXXII.

Nullam eſſe in Eccleſia Catholica Miſſarum nundinationem, quod Caluinus confingit.

QVIDNAM tertio loco Caluinus Miſſarum nundinationem appellet, quam ornat epitheto, Execrabilis, neſcio. Hoc vult fortaſſe, quod ſacerdotibus noſtris, vbi ſacerdotij munere proprio functi, altariſque pro quopiam ſacrificium obtulerunt, aſſes aliquot de more donantur. quaſi videlicet hoc pacto meritum virtutemque Paſſionis Chriſti vendamus. Atqui, non ea eſt mens noſtra, nec huc ſpectat modus ille agendi inter Catholicos.

tholicos. Scimus tanti rem momenti & dignitatis nullo pecuniæ pretio æſtimari poſſe. nec illud neſcimus; Gratis accepiſtis, gratis date. rurſus: Pecunia tua tecum ſit in per- *Matth. 10.* ditionem: eò quòd donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Sed cùm iuſtum ſit & ra- *Act. 8.* tioni conſentaneum, vt qui altari ſeruit, ſicut etiam ſcriptum eſt, de altari viuat, presby- *Rom. 9.* tero cùm ſacris eſt operatus aliquid datur à Fidelibus, pro quibus diuinę maieſtati ſupplicauit, non in pretium vel in compenſationem operis ſacri, ſed in vitæ nonnullum ſubſidium. Videte, obſecro, quibus eſt rationis vſus aliquis; quid hîc eſt rei execrabilis, in quam Caluinus tantopere cogatur vociferari? Vt autem Caluino & hoc dicamus: Sicut non licet vendere Sacramenta, ſic nec doctrinam vel prædicationem verbi Dei, nec alia quæuis ſacra miniſteria. & tamen non eſt obſcurum, cuiuſmodi annua & quotidiana ſtipendia pro huiuſmodi rebus, tum Caluinus ipſe Geneuæ, tum alij alijs locis miniſtri habuerint, nuſquam tamen hic valde eorum conſcientia reclamante: neque hæc ab illis vocatur execrabilis nundinatio. Ecce illud vobis hominum genus, qui trabes in oculis habentes, feſtucam in aliorum oculis ſcrutantur, quam vellicent & calumnientur.

Capvt LXXXIII.

Communionem ſub vnica ſpecie, nihil facere contra Chriſti præceptum vel inſtitutum.

Qvarta querela eſt, Cœnam Domini dimidia ex parte receptam populo Chriſtiano. Hîc nos rurſus ex aduerſo querimur, Eccleſiam Catholicam à Caluino aſpergi & grauari magno turpiſſimoque mendacio. Eſt enim longè falſiſſimum, populum Chriſtianum dimidia ex parte, aut vlla omnino ex parte, fraudari apud nos Cœna Dominica. Dicit autem Caluinus hoc, quia populo non diſtribuit Eccleſia ſacram Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie, ſed tantummodò ſub ſpecie panis. Et ſcimus quidem Sacramentū hoc à Chriſto in vltima cœna ſub duabus ſpeciebus inſtitutum: nec negamus etiam in primitiua Eccleſia ad ſimilem modum à multis vſitatum ac diſtributum fuiſſe: ſed ſimul etiam dicimus, nequaquam à Chriſto præceptum eſſe, vt eodem modo ſemper ab omnibus ſumeretur. nam, quod de calice in vltima illa cœna dicebat; Bibite ex eo omnes, manifeſte ad præſentes Apoſtolos tantùm ſpectabat: de quibus ſequitur, Et biberunt ex eo omnes.

Nec mirum cuiquam videatur, cùm fateamur Sacramentum hoc ſub duabus ſpeciebus à Chriſto inſtitutum fuiſſe ac diſtributum Apoſtolis, & tamen ſub altera tantùm omnibus dari Fidelibus. Multa enim fecit Dominus non aliàs modò, ſed in ipſa quoque illa vltima cœna, adeoque circa hoc quoque ipſum venerabile Sacramentum, quæ non mandauit ad eumdem modum ſemper obſeruari in Eccleſia ſua ſecuturis temporibus.

Primùm enim noluit hoc Sacramentum inſtituere nec ſumere niſi cum ſolis duodecim Apoſtolis ſuis: cùm tamen alios complures amicos & familiares haberet, quos non multò minùs fortaſſis amabat quàm Apoſtolos. an autem proptereà nobis præcepit, dum Sacramentum hoc ſumere vel diſtribuere lubet, nec plures nec pauciores adhibere quàm duodecim? Secundò, nullam ad conuiuium hoc Euchariſticum, cœnamque vltimam, admiſit mulierem: ne ſanctam quidem & dilectiſſimam Matrem ſuam. num idcircò voluit ſacram Euchariſtiam numquam diſtribui mulieribus? Tertiò conſecrauit Dominus deditque diſcipulis ſuis hoc Sacramentum in cœna, & dum ſatis iam ediſſent ex alijs cibis, nôn ſolùm illa in cœna, ſed alijs vicibus, vt eſt veriſimile, eodem die. eſtne proptereà vituperandum vel damnandum quòd idem Sacramentum nunc vbique à Chriſtianis ieiuno ore & ſtomacho ſumitur? Quam conſuetudinem docet Auguſtinus longe etiam ante ſua tempora in Eccleſia obſeruatam: bonamque illius rationem reddit.

Sunt igitur hæc duo valdè diuerſa, Chriſtus hoc vel illud ita fecit, &, Chriſtus vt ita fieret voluit aut præcepit. Poſſet hoc multo pluribus exemplis ac rationibus demonſtrari: ſed quæ iam dicta ſunt, ſi quis non eſt contentioſus, ſufficiunt.

Notandum & illud: Quamuis Eccleſia aliquando Sacramentum iſtud indifferenter omnibus ſub ambabus ſpeciebus diſtribuit, numquam tamen ſenſiſſe, hoc ita neceſſariò faciendum, vel ex mandato aliquo aut inſtitutione Chriſti, vel ad fructum Sacramenti in-

ti integrum percipiendum. Vnde & numquam ſic in Eccleſia inualuit conſuetudo ſumendi Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie, quin ſemper interim quibuſdam data fuerit paſſim varijs occaſionibus ſub altera tantùm ſpecie, panis videlicet. Qua de re legi poteſt, non ſolùm Algerus libro 2. De Sacramento altaris, & Beda in Martyrologio 15. Auguſti: ſed etiam Leo Magnus Serm. 4. de Quadrag. Hieronymus in Apologia pro libris contra Iouinianum, Ambroſius in Oratione funebri de obitu fratris, Cyprianus Serm. de lapſis, & Tertullianus lib. 2. ad Vxorem. Vnde tandem etiam factum, vt Eccleſia, videns non ſine magnis irreuerentiæ & alijs periculis miniſtrari ſub ſpecie vini paſſim omnibus, æque vt ſub altera ſpecie, morem illum paulatim abrogauerit, & ſub ſpecie panis tantum laicis dari maluerit.

Nam, quod ad Sacerdotes attinet, mortis Dominicæ memoriam in Altaris ſacrificio celebrantes: quia in morte Chriſti, ſanguis eius benedictus à ſancto fuit corpore peccatis noſtris abluendis expiandiſque ſeparatus; conuenit plane, vt ſicut ad ſacrum hoc myſterium repręſentandum, ſub vtraque ſpecie Sacramentum conſecrant, ita etiam ſumant. In ceteris autem Fidelibus, adeoque in ipſis etiam ſacerdotibus non ſacrificantibus, nulla eſt ratio, quamobrem ſub ſpecie tantùm panis ſumere nequeant. cùm præcipuè tantum fructus capiant ex vna dumtaxat ſpecie, quantum ex vtraque: nec plus, aut aliud omnino ſub vtraque ſit ſpecie, quàm ſub vnica: vt docent etiam diſertis verbis, Thomas in 3 parte q. 8. art. 11. & Bonauentura ſimiliter in 4. Sententiarum. cuius etiam ratio alioqui ſatis eſt manifeſta.

CAPVT LXXXIIII.

Sanctorum imagines quomodo colantur & adorentur ſecundum Scripturam.

QVINTO; In ſimulacrorum adorationem inuehimur, inquit Caluinus. Si per ſi-
mulacra hęreticus iſte idola intelligeret, aut idolorum imagines; quemadmodum
1. Cor. 12. Paulus Apoſtolus, dicens, Scitis quoniam ad ſimulacra muta prout ducebamini euntes;
1. Ioan. 5. & Ioannes Apoſtolus, Filioli cuſtodite vos à ſimulacris; iuſtam haberet cauſam in ſi-
mulacrorum adorationem inuehendi. At nulla ſunt talia ſimulacra in Eccleſia. habet autem illa & veneratur Chriſti & Sanctorum cum eo in cælis regnantium imagines ſculptas vel pictas, & adorat, ne quid diſſimulemus. Nec ob id tamen vllam Caluini vel ſimilium calumniatorum inuectiuam aut reprehenſionem veretur: quia non eas adoramus tamquam deos, vel deorum imagines (Chriſti imagine Saluatoris excepta) ſed quali adoratione frequenter creaturæ dignitate aliqua præcellentes, puta Reges aut Principes, adorantur; teſtante etiam frequenter & probante Scriptura ſacra. Quomodo etiam Iſaias Propheta de honore loquens, qui Eccleſię noui Teſtamenti eiuſque membris ac
Iſa. 60. miniſtris deferretur, ait: Adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi.

Nec mouere quemquam debet, quòd eodem ferè modo Chriſtiani coram imagine Chriſti vel Sanctorum procumbunt, quo coram idolis olim ſuis gentiles. nam etſi externi geſtus ſint ſimiles, in animo tamen atque intentione latum eſt diſcrimen.

NIHIL FIT CONTRA SCRIPTVRAM, IN IMAGINVM CVLTV.

Quòd autem Scriptura prohibet fieri ſculptilia, ſiue imagines quarumcumque creaturarum quæ ſint in cælo, vel in terra; eo fine hoc prohibet, vt ne adorentur tamquam dij vel deorum imagines. Sic plane Leuit. 26. Non facietis vobis idolum & ſculptile, nec titulos erigetis, aut inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum. Quomodo etiam Exodi 20. cum prohibuiſſet Moyſes fieri quæuis ſculptilia, vt explicet mentem ſuam, ſtatim ſubijcit: Non adorabitis, neque coletis. Et loquitur haud dubiè de tali adoratione, quali gentiles adorabant idola ſua, vel eorum imagines. Alioqui Moyſes ipſe palam fecit & propoſuit populo ſerpentem æneum, in quem læſi à ſerpentibus reſpicerent vt curarentur: fecit præterea imagines Angelorum obumbrantes propitiatorium. Quemadmodum & Salomon Rex poſteà ſculpſit in templo imagines leonum, boum, malogranatorum, rerumque aliarum.

CAPVT LXXXV.

In Eccleſia primitiua, Chriſti & Sanctorum imagines in honore habitæ fuerunt.

AD quem etiam modum Silueſter Papa noui tempore Teſtamenti, Conſtantino Magno imagines Apoſtolorum Petri & Pauli recognoſcendas exhibuit.

Quorum itidem Apoſtolorum imagines, ſimul & Chriſti mundi Saluatoris, Euſebius [a] in Palæſtina ſeruatas & à ſe conſpectas teſtatur.

Quin & Auguſtinus [b] teſtis eſt, eorumdem Apoſtolorum imagines ſuo etiam ſæculo pluribus locis ſimul depictas fuiſſe.

Et notum eſt, quid Euſebius [c] & alij ſcribant de ſculpta imagine Hæmorrhoiſſæ illius Euangelicæ, vna cum Chriſti curatoris illius imagine in vrbe Panaida: & de perpetuis miraculis quæ ad illas imagines contigerunt.

Extat & antiquiſſimi ſcriptoris Tertulliani [d] teſtimonium, de picta iam tum in ſacris calicibus imagine Chriſti paſtoris ad ſe vocantis miſeros peccatores, velut oues erraticas.

Nec deberet hac de re iam diu vlla eſſe quæſtio vel dubitatio, quando conſtat ad huius doctrinę veritatem declarandam, ante annos octingentos in Nicæa vrbe Bithyniæ celebratum generale Concilium, conuenientibus ibi ex omni orbe Chriſtiano Epiſcopis & Patribus 337. Quemadmodum ad ſuperioris propoſitionis doctrinam explicandam, de Communione videlicet ſub altera tantùm ſpecie, habita fuit Synodus generalis Conſtantienſis contra Bohemos. vt nihil interim dicam de nouiſſimo vniuerſali Concilio Tridentino contra hæreſes omnes huius temporis. Extat autem conſtitutio memorabilis, & maximæ grauiſſimæque plena rationis Gratiani Imperatoris in hæc verba; Iniuriam facit iudicio Synodi, ſi quis ſemel iudicata & rectè diſpoſita reuoluere & publicè diſputare contenderit: cùm & ea quæ nunc de Chriſtiana fide à ſacerdotibus qui Chalcedone conuenerunt per noſtra præcepta ſtatuta ſunt, iuxta Apoſtolicas expoſitiones & inſtituta ſanctorum Patrum 318. in Nicęa, & 150. in hac regia vrbe, definita eſſe noſcantur. Nam in contemtores huius legis pœna non deerit: quia non ſolùm contra fidem benè expoſitam veniunt; ſed etiam Iudæis & Paganis ex huiuſmodi certamine profanant veneranda myſteria. Conſonat lex Iuſtiniani: Nulli contra venerabiles Synodos Patrum liceat aliquid vel dictare vel ſcribere, vel edere atque emittere, aut aliorum dicta vel ſcripta ſuper eadem re proferre. Nemo huiuſmodi habere libros & ſacrilega ſcriptorum audeat monumenta ſeruare: quòd ſi qui in his criminibus fuerint deprehenſi, perpetua deportatione damnentur.

Acta Adriani Papæ apud Baronium.
[a] *Lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 14.*
[b] *Lib. 2. cõſ. Euang. cap. 10.*
[c] *Euſeb. vbi ſuprà. Socrat. lib. 6. Hiſt. Tripartitæ cap. 41.*
[d] *Lib. De pudicit.*
Lege Nemo Clericus. cap. de ſumma Trinit. & fide Cathol.
In D. L. Quicumq; §. Nullus. ſuper.

CAPVT LXXXVI.

Sextum à Caluino confictum monſtrum proteritur.

PRO ſexto exemplo doctrinæ, in quo diſſentiamus ab Eccleſia veteri, affert Caluinus quòd Sacramenta apud nos ſint multis profanis opinionibus inquinata. & hoc ſe dicit oſtendiſſe. Sed dicit tantummodò, nulla adiecta probatione. proinde, nos hîc eadem facilitate contrarium dicimus: nec dicimus tantùm, ſed ſuprà etiam multis validiſſque argumentis probauimus. nos nimirum Sacramenta à Chriſto inſtituta, integra atque illibata ſeruare: ipſummet verò Caluinum cum ſuis, licet pauciſſima illa quæ agnoſcit, multis ſacrilegis erroribus inquinaſſe. Si hîc Lector nobis fortè minùs credit, videat quæ ante de hoc argumento diſputauimus. non eſt animus, eadem frequenter repetere. Veniamus ad ſequentia.

CAPVT LXXXVII.

Indulgentiæ nullam faciunt iniuriam meritis Chriſti.

SEPTIMO loco, indulgentias crucis opprobrio irrepſiſſe blaſphemat Caluinus. Sed vbi hoc docuerit & probauerit, credemus verum dicere. at hoc nuſquam adhuc

videre licuit. Scio multa in Inſtitutione ſua & alibi contra indulgentias impudenter eſtutire: ſed illum nihil contra verum ſemperque agnitum & receptum in Eccleſia indulgentiarum vſum afferre, in confeſſo eſt, nec vlla habere aduerſus indulgentias argumenta, quæ referri mereantur.

Quamuis ne hoc quidem etiam argumentum relatu dignum eſt, quod de Sanctorum meritis, ad Christi inexhauſtum theſaurum accedentibus, profert: cum non aliud ſit, atque merum mendacium, ac effrons calumnia. Nemo enim eſt Catholicorum, nec vllo fuit tempore, qui ſanguinem Christi inſufficientem eſſe dixerit ad remiſſionem peccatorum totius mundi, ſiue ad pœnam Deo pro peccatis omnibus perſoluendam, ita vt opus hic habeat auxilio vel ſupplemento quorumuis Sanctorum.

CAPVT LXXXVIII.

Theſaurus Indulgentiarum inexhauſtus quis intelligendus.

QVIN & Clemens Sextus Pontifex in Extrauagante, Vnigenitus; vbi veram indulgentiarum doctrinam explicat, diſertis verbis confitetur, guttam etiam modicam ſanguinis Christi, propter vnionem cum Verbo ſeu Diuinitate, pro redemtione totius humani generis ſuffeciſſe: valdeque apte, erudite, & conſiderate Pontifex ibi theſaurum indulgentiarum explanat, dicens, conſtare primò & præcipue ex meritis paſſionis & mortis Christi, quæ pretij ſunt, valoris & dignitatis infinitæ; & tamen ad cumulum theſauri illius merita B. Mariæ virginis & Sanctorum omnium præſtare adminiculum. Quibus verbis ſatis perſpicue multò alio in gradu conſtituit merita ſanguinis Christi ad theſaurum indulgentiarum inueniendum, quam merita quorumuis Sanctorum: nimirum hoc ſignificans, quod ſuprà diximus, cùm de Sanctorum inuocatione ageremus; Christi merita per ſe & ſuapte dignitate nobis remiſſionem peccatorum conferre, & quidquid eò pertinet: merita verò Sanctorum, adminiculum præſtare ad ſalutem noſtram. quia videlicet ad hoc iuuant, vt virtus meritorum Christi nobis applicetur. Hoc efficiunt apud Deum, hoc ab eius clementia impetrant merita Sanctorum, preces, interceſſiones, tum etiam ieiunia, eleemoſynæ hic adhuc militantium, fides, patientia, & ſimilia, vt ex fonte exuberantiſſimo & inexhauſto crucis & ſanguinis Christi curetur infirmitas, ditetur inopia noſtra, omniſque nobis gratia & auxilium ad vitam æternam donetur.

Quemadmodum ſi in ciuitate, vbi multi ſunt pauperes & ægroti, vnus quiſpiam eſſet magnus princeps vel mercator ditiſſimus, qui & theſaurum pecuniæ haberet propemodum infinitum, & artem morbos omnes curandi: qui quamuis eſſet natura bonus & miſericors, vt omnes ad ſe confugientes opemque eius implorantes iuuare vellet, multoſque etiam iuuaret, curaret, locupletaret vltrò; interim tamen ſe exorari pateretur à conſanguineis, amicis, domeſticis, familiaribus, pro his aut illis quos illi commendarent, pro quibus intercederent, vel quos debiles aut ægrotos ad ipſum adducerent. Nónne rectiſſimè illi omnes, qui ſic aliorum ope vel interceſſione curarentur, vel quorum debita illius pecunia ad aliorum rogationem aut interceſſionem ſoluerentur, vel diuites etiam fierent ex pauperibus, dici poſſent ſola medicina medici illius præſtantiſſimi curari, ſolo eius theſauro diteſcere, aut ære alieno liberari? Et conſtat tamen, quorumdam patronorum ad hoc adminiculo vſos eſſe: quibus etiam nonnulla ex parte ſuam felicitatem imputant; illorum videlicet, quorum opera & interceſſione tantum beneficium ab illo opulento ſunt conſecuti.

CAPVT LXXXIX.

Indulgentiæ in doctrina ſacræ Scripturæ fundantur.

Matth. 9. HOc planè docent in hac indulgentiarum materia, Scripturæ illæ: Quorum fidem
Matth. 18. vt vidit, dixit paralytico: Remittuntur tibi peccata tua. Omne debitum dimiſi ti-
Luc. 7. Dan. 4. bi quoniam rogaſti, me. Dimittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multùm.
Ione 3. Peccata tua eleemoſynis redime. Hiſtoria Niniuitarum, & multæ ſimiles. Et ſic quidam intelli-

intelligunt illud Pauli: Dei adiutores ſumus. Non quòd egeat opera Pauli, vel cuiuſquam alterius, ad ſalutem aliorum; ſed quia illius opera & ſimilium libenter vtitur, ex bonitate & clementia ſua, vt ita homines ad gratiam ſuam melius præparati veniant, illiuſq; capaciores euadant. Quæ eſt etiã ratio cur Deus voluerit, vt vnuſquiſque proprijs laboribus ac meritis coronam comparet vitæ æternæ: iuxta parabolã laborantiũ in vinea; & Pauli doctrinam, Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit. Non quòd Chriſti merita non ſufficiant omnibus ad vitam & ſalutem æternam; vel quòd Deus opus habeat laboribus aut ſudoribus noſtris; ſed quia id tum nobis vtilius, tum Chriſto glorioſius. vtpote per quem, in eum credentes, tam nobiles & fortes redduntur, vt poſſint ipſi quoque & Satanam & mundum vincere, & coronam lucrari certando vitæ æternæ: iuxta alteram illam quoque Pauli ſententiam; Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium: ſic currite vt comprehendatis. Quemadmodum idem Deus inſtituit, vt, licet prima cauſa per ſe poſſit omnia, tamen ſecundæ cauſæ nec otioſæ ſint nec ſuperfluæ, ſed cum prima in ſuo ordine & gradu ad res producendas concurrant.

1. Cor. 3.
Matth. 20
2. Tim. 2.
1. Cor. 9.

CAPVT XC.
De meritis Sanctorum ſuperabundantibus.

QVIBVS ita poſitis & explicatis, non eſt neceſſe in diſputationem ingredi de meritis vel ſatisfactionibus Sanctorum ſuperfluis vel ſuperabundantibus. Cuius doctrinæ occaſione hæretici mirè ſe iactitant & exultant contra nos, magnamque nobis conantur inuidiam facere: ſed victorias ſibi & triumphos fabricant de re nihili. Nam & haud grauatè confitemur, diſputationem eſſe obſcuram atque incertam, quid quantumque meritorum Sanctis ad propriam ſalutem ſuperſit: & Pontifex in bulla prædicta ex profeſſo de natura indulgentiarum earumque theſauro loquens, nullam penitus facit ſupereffluentium ſatisfactionum mentionem. Quin potius non obſcurè ſignificat ſe huiuſmodi ſupereffluentium meritorum vel ſatisfactionum nullam in conſtituendo indulgentiarum theſauro rationem habere; cùm ait, adiumentum ad hunc theſaurum præſtare bona opera Sanctorum omnium à primo iuſto vſque ad vltimum. certum eſt autem permultos iuſtos eſſe, quibus non multum ſatisfactionis ſuperſit; ſed benè agi cum eis ſi nihil deſit.

Et iam nullo negotio reſpondebimus ad Caluini iactabundam obiectionem. Agnoſcant, inquit, an non hæc ſint ſua placita, &c. Nam, quemadmodum dixi, non cogimur agnoſcere, hæc eſſe placita noſtra, Martyres plùs præſtitiſſe ac meruiſſe, quàm ſibi opus eſſet, multumque ſatisfactionis ſuperfuiſſe. Quamuis Catholici quidam Doctores, non malè nec improbabiliter ſuſtineant, Martyres plus præſtitiſſe ac meritos eſſe, quàm opus illis eſſet ad ſatisfactionem pro pœnis temporalibus peccatis eorum debitis. nam de remiſſione culpæ & pœnæ æternæ hìc nulla eſt quæſtio, cùm de indulgentijs diſputatur. Exemplum dant illuſtre inter alia, non ſolùm B. Mariæ, ſed etiam Ioannis Baptiſtæ: qui cùm tota vita ſua tam iuſtè & ſanctè vixerit, ad remiſſionem & ſatisfactionem pœnarum temporalium, paruis eius & venialibus peccatis debitam, non videtur opus ei fuiſſe rigida illa totius vitæ pœnitentia, nec illa demum ignominia atque acerbitate carceris & mortis quam ſuſtinuit. Sed nihil neceſſe eſt, (vt oſtendimus) ad ſuperflua Sanctis merita recurrere, vt theſaurus indulgentiarum fundetur. nec hoc docet ſummus Pontifex: quemadmodum declarauimus.

Et falſum eſt, quod ſubſannando ait Caluinus, miſcere nos ſanguinem Martyrum ſanguini Chriſti, vt ex vtroque theſaurus Eccleſiæ efficiatur ad ſatisfactionem pro peccatis. Pontifex theſaurum indulgentiarum, eumque pretij infiniti & ſatisfactionis immenſæ, conſtituit ex ſolis meritis Paſſionis & mortis Chriſti: ad illius autem theſauri cumulum, dicit adminiculum quoddam præſtare merita Sanctorum omnium, ad eum videlicet modum quem diximus.

Ita perquàm falſum eſt, quod dicit hæreſiarcha Caluinus, nos Chriſto nomen nudum Redemtoris ac expiatoris relinquere, rem ipſam ad alios Sanctos transferre: denique, Chriſtum, vnum à nobis ſtatui ex vulgaribus ſanctulis, qui in turba vix dignoſcatur. Nihil aliud ſunt hæc omnia niſi meræ calumniæ. Nos non facimus Chriſtum vnum ex vulgaribus Sanctis, ſed habemus & colimus pro Sancto Sanctorum: nec facimus vnum

de turba, ſed Regem ſummum Martyrum & Sanctorum omnium: eumque vnum ſolumque abſolute & ſimpliciter redemtorem & propitiatorem pro peccatis noſtris & totius mundi.

CAPVT XCI.

A veteribus Eccleſiæ Patribus agnitæ & vſitatæ Indulgentiæ.

CVM hac doctrina conuenit optimè quod Leo Magnus ſcribit Epiſtola 83. Quamuis, inquit, multorum Sanctorum in conſpectu Domini pretioſa mors fuerit; nullius tamen inſontis occiſio, propitiatio fuit mundi. Accepère iuſti, non dedère coronas: & de fortitudine Fidelium exempla nata ſunt patientiæ, non dona iuſtitiæ. ſingulares quippe in ſingulis mortes fuère: nec alterius quiſquam debitum ſuo fine perſoluit. Sic ille eximius & Catholicus Doctor, bene explicans opinionem dignitatis & excellentię ſingularis, quam de Chriſto Redemtore ſupra alios omnes Sanctos habent Catholici.

Proinde, cum merita vel ſatisfactiones Sanctorum quorumlibet, Chriſti meritis & propitiationi in materia indulgentiarum coniunguntur; nequaquam hoc fit in pari gradu pretij, ſatisfactionis vel dignitatis: ſed ſicuti fidem aliorum ſuis meritis Chriſtus coniunxit, cum ſcriptum eſt, Quorum fidem vt vidit, dixit paralytico: Remittuntur tibi peccata tua. Ad hoc enim vt peccatorum veniam conſequamur, præter meritum paſſionis Chriſti, (quæ ſola iuſtum eſt pro peccatis noſtris pretium) requiritur in primis fides noſtra, ſtudium vel ſaltem deſiderium benè viuendi, & ſimilia. Quæ quoniam in nobis frequenter exigua ſunt admodum, & parui momenti; ideò opem imploramus aliorum, Sanctorum præſertim & digniorum: non vt vel pretium ſint peccatorum noſtrorum, vel pars aliqua pretij, quæ ab illis nobis præſtantur, aut vt locum teneant aliquem paſſionis Chriſti in materia indulgentiæ; ſed vt lege charitatis, & communione membrorum, noſtræ ſint inopiæ ſupplementum: vt per illa digni atque idonei efficiamur, vt remiſſionem peccatorum vel condonationem pœnarum temporalium, quæ peccatis noſtris debentur, per meritum ſanguinis & crucis Chriſti conſequamur. Matth. 8.

CAPVT XCII.

Doctrinam de Indulgentijs, cum ſacræ Scripturæ doctrina conuenire.

NVNC breuiter videndum, num, quæ nunc de indulgentijs diſſerimus, cum doctrina conſentiant Sacrarum litterarum: & affirmantem quidem partem non erit probare difficile. Docent Scripturę (vt antè oſtendimus, cùm de Confeſſione ageremus) Apoſtolis eorumq. ſucceſſoribus datam à Chriſto poteſtatem remittendi peccata, iudiciumque in conſcientias exercendi: vt nimirum dignos ad remiſſionem peccatorum, & ad beneficium abſolutionis admittant, indignos repellant. Quæ poteſtas hoc includit, vt videat ſacerdos confeſſarius, qualem pœnitentiam peccator ferre queat vel debeat, pro qualitate peccatorum ſuorum. &, ſi quidem illi duriorem vel grauiorem ſatisfactionem iniunxit, quam percipiat vires illius ferre poſſe; vt de illa ſatisfactione vel pœnitentia tantum relaxare valeat, quantum pœnitenti iudicauerit expedire. Nam eiuſdem eſt poteſtatis, legem ferre, & in lege ſecundum rationis dictamen diſpenſare.

Iam verò notum eſt etiam ex Scripturis, diuinam clementiam multis peccata remittere, non ſolùm propter propria ipſorum merita; ſed etiam in gratiam & interceſſionem aliorum. vnde eſt illud, quod iam aliquoties audiuimus; Quorum fidem vt vidit, dixit paralytico: Remittuntur tibi peccata tua. Super quibus verbis Ambroſius; Magnus Dominus, inquit, qui aliorum meritis ignoſcit alijs: & dum alios probat, alijs relaxat errata. Matth. 8.

Paſtores igitur animarum & Rectores Eccleſiæ, negotium habentes cum pœnitentibus, non modo reſpectum habere debent, & conſiderationem ſuam flectere ad ipſas perſonas pœnitentes; verum etiam, ſintne aliqui, à quibus infirmitati illarum ſuccurri valeat, & qui partem aliquam pœnitentiæ illis debitæ poſſint portare, vt coram Deo ſubleuentur.

uentur. iuxta legem illam charitatis: Alter alterius onera portate. Qua in conſideratione illis occurrit, totam Eccleſiam ſine intermiſſione die ac nocte orare pro miſeris peccatoribus, pœnitentibus ac impœnitentibus: vt illorum quidem pœnitentiam & bonam voluntatem acceptam gratamque habere dignetur, & ſi quid illi deſit, de infinita miſericordia ſua ſupplere; hos verò aliquando ad pœnitentiam veram perducere. *Galat. 6.*

Quò pertinent etiam magna ex parte alia pietatis & pœnitentiæ opera, vtpote ſanctarum vigiliarum, ieiuniorum, mortificationũ varij generis, eleemoſynarum, & ſimilium, quibus ſeſe innumerabilia eccleſiæ membra vbiq; locorum indeſinenter exercent. Quæ omnia tantorum opera meritorum, quibus, quomodo, quantum, quouſque ſint ad ſalutis eorum adiumentum applicanda, illorum eſt ſtatuere & iudicare, quibus iudicium remittendorum vel retinendorum peccatorum diuinitus eſt commiſſum, illis verbis: Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Idcircò autem nunc minùs à nobis intelligitur natura gratiæ huius, quæ communiter appellatur indulgentia; quia iam pœnitentibus & confeſſis, & poſt abſolutionem imponitur pœnitentia, & nequaquam talis pœnitentia vel ſatisfactio, qualem, quantamque peccata poſtulant; rigore & ſeueritate iuſta eccleſiaſticæ diſciplinæ, propter nimiam hominum infirmitatem, languorem & tepiditatem, in fine ſæculorum iacente. Et tamen, cùm diuina iuſtitia nunc temporis non minùs de peccatis ſupplicium exigat, quàm ſæculis præcedentibus; non minùs vtiles ac neceſſarię nunc ſunt indulgentiæ, quàm temporibus ſuperioribus fuerunt. imò, quanto nunc eſt maior humana infirmitas, quantoque proinde magis opus habet ope & auxilio aliorum; tanto iam magis opportunæ ſunt indulgentiæ, quàm in Eccleſia primitiua, dum charitas Dei, cura ſalutis propriæ, & ſtudium pietatis, in cordibus Chriſtianorum feruebat. *Ioan. 20.*

Quemadmodum igitur Epiſcopi tunc indulgentias dabant, ijs qui à Martyribus litteras ad eos interceſſionis vel commendatitias afferebant; quibus litteris ſpõdebant, ſe pro ijs quos commendabant, apud Deum oraturos, ad quem per martyrium pergebant: ſic nunc indulgentiæ dantur, Martyrum aut aliorum Sanctorum eccleſias viſitantibus, ad pios aliquos vſus eleemoſynas conferentibus, pro Eccleſiæ Catholicæ proſperitate & ſalute, ſeu pro hæreſum atque errorum quorumlibet exſtirpatione orantibus, vel ſimili pia iuſtaque de cauſa. Quia nimirum credunt Eccleſiæ Rectores, quibus theſaurus indulgentiarum commiſſus eſt, Sanctorum precibus & meritis tum ſupernè cum Chriſto regnantiũ, tum hîc adhuc militantium, adiuuari, qui ſe in huiuſmodi operibus pietatis, miſericordiæ, charitatis exercent. Quæ ſententia fuit certiſsima & clariſſima Cypriani Epiſtola 18. libri tertij: Credo, inquit, vt qui libellum à Martyribus acceperunt, & eorũ auxilio adiuuari apud Dominum poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologeſi facta, & manu à vobis in pœnitẽtiam impoſita, cum pace à Martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remittantur. Quam doctrinam fuſiùs etiam explicat atque inculcat eiuſdem libri Epiſtola 15. & in Sermone de lapſis: Pœnitenti, inquit, operanti, roganti, poteſt clementer ignoſcere: poteſt in acceptum referre, quidquid pro talibus & petierint Martyres & fecerint Sacerdotes. Sic ille.

Non eſt autem vllo pacto veriſimile, pœnitentes ambiuiſſe patrocinia vel interceſſiones Martyrum, ſiue adhuc in carceribus detentorum, vel iam ductorum ad ſupplicium, quando ipſi integram pœnitentiam ſibi iniunctam volebant poterantque peragere; ſed tunc tantùm quando pacem, id eſt abſolutionem à peccatis, & communionem ſibi dari cupiebant, integra pœnitentia nondum peracta. Proinde, à Martyribus ſiue in carcere, ſiue in via, aut loco martyrij, ſuppliciter poſtulabant, vt ſibi ab Epiſcopo partem pœnitentiæ condonari (id eſt gratiam & indulgentiam dari) precarentur: ipſique partem illam, apud Deum, ad quem pergebant per martyrium, ſuis precibus ſupplere dignarentur. Qua de re Tertullianus etiam, non paulò Cypriano vetuſtior, ſcribit verbis æquè perſpicuis: Quam pacem, inquit, quidam in Eccleſia non habentes, à Martyribus in carcere exorare conſueuerũt: & ideò eam etiam propterea in vobis habere & fouere & cuſtodire debetis, vt ſi fortè & alijs præſtare poſſitis. Poſt illa verò tempora perſecutionum, Concilium generale Nicænum Canone 12. ſtatuit, vt qui ſeriò pœnitentiam agunt, poſſint indulgentiam aliquam ab Epiſcopo obtinere: Licebit, inquit, Epiſcopo, de his aliquid humanius cogitare; negligentes autem ac tepidos in agenda pœnitentia, vult idem Concilium pœnitentiæ ſuæ tempus implere. *Lib. ad martyr. cap. 1.*

Poſtremò hæc omnia conſonant ſententiæ illi Paulinæ, 2. Corinth. 2. Cui aliquid

EXPLICATVR SENTENTIA D. PAVLI PRO INDVLGENTIIS.

donaſtis, & ego: nam & ego quod donaui, ſiquid donaui, propter vos in perſona Chriſti, vt non circumueniamur à Satana. His paucis in verbis videamus omnia, quæ ad veram indulgentiarum naturam pertinent. nempe cauſam gratiæ, ſeu indulgentiæ, legitimam: ſecundò, vt cui fit indulgentia, ſit in ſtatu gratiæ: tertiò, vt iuſta auctoritate polleat, qui largitur indulgentiam. Quod ad poſtremū attinet, dicit Apoſtolus, ſe indulgentiam dediſſe inceſtuoſo illi, in perſona Chriſti: id eſt, Chriſti auctoritate, ſeu per poteſtatem ab illo acceptam. Cauſam indulgentiæ iuſtam ſubindicant verba illa, Propter vos, id eſt, ob communem Eccleſiæ totius vtilitatem, ædificationem, inſtructionem. & illa; Vt non circumueniamur à Satana. quod alijs verbis ibidem dicit: Vt non abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui peccauerat. Quæ eadem verba ſatis etiam ſignificant criminoſum illum tunc fuiſſe in ſtatu gratiæ, & ſatis compoſitum ad recipiendam indulgentiam. cùm nimirum tantum concepiſſet dolorem de peccato ſuo, vt periculum eſſet, ne doloris magnitudine abſorberetur, atque in deſperationem incideret: quod eſſet, miſerè circumueniri à Satana. Vnde ſatis colligi poteſt, eum per magnitudinem ſeriæ pœnitentiæ ad ſtatum (vt loquimur) gratiæ perueniſſe.

Sed de indulgentia nunc ſatis. Nam in hoc explicando argumento aliquanto longiores fuimus, quòd & res ipſa eſt apud minùs verſatos in ſtudio Theologico ſans obſcura; & non extent hac de re tam multa, nec tam perſpicua documenta, quemadmodum de alijs multis fidei controuerſijs. denique, quia non omnes ſcriptores Catholici eodem vel ſimili modo tractant atque explicant hoc argumentum.

CAPVT XCIII.

Qualem libertatem docuerint ab initio populum Nouatores.

SVPEREST poſtrema Caluini querimonia de Eccleſia, quòd nimirum traditionibus humanis Chriſtianam libertatem in ea obrutam atque oppreſſam dicat.

Notum eſt, libertatem Chriſtianam in Scripturis ſacris, præſertimque in Epiſtolis Paulinis, magnifice commendari: 1. Corinth. 7. Pretio emti eſtis, nolite fieri ſerui hominum. 2. Cor. 3. Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. Galat. 4. Non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ; qua libertate Chriſtus nos liberauit. item Galat. 5. Vos in libertatem vocati eſtis fratres. Hæc & ſimilia cùm legerunt in Scripturis, qui populum à veteri fide & religione ad nouitates vocare aggreſſi ſunt, his locis Scripturarum abuſi ſunt, ad populum ab Epiſcoporum & Paſtorum ſuorum obedientia abducendum; legeſque omnes & conſtitutiones Eccleſiaſticas (quas malus & corruptus populus oderat) negligendas, atque ſpernendas: & in primis Lutherus, omnium iſtarum factionum Belgicarum anteſignanus. Quaſi videlicet libertas Chriſtiana, quam attulit Chriſtus, & ſanguine ſuo nobis acquiſiuit, contraria ſit vinculis illis conſtitutionum ac legum Eccleſiæ, quibus Fideles ſub auctoritate & ſubiectione ſuperiorum ſuorum continentur; & eſſet bona argumentatio, Vos per Chriſtum liberi eſtis facti; ergo nulli iam obtemperare debetis, nullius leges aut præcepta morari. Quæ doctrina adeò ſtatim placuit populo, ad malum prono, vt certatim omnes vbiq; locorū Epiſcopos & Paſtores ſuos audacter contemnerent, legeſq; Eccleſiæ, de ieiunijs, de diebus feſtis obſeruandis, de confeſſione peccatorum ſacerdoti facienda, de ſacra Communione, ac ſimilibus rebus ad ſalutis promotionem inſtitutis, abſque vllo remorſu conſcientiæ paſſim abijcerent: gaudentes, ſe iam tandem aliquando commodiſſima occaſione libertatem nactos, quam tam diu tamque vehementer multi optauerant & quæſierant. Et, ſicuti mare, vel rapidus fluuius, repulſo aggere, aut foramine reperto, ad agros proximos inundandos, non ibi quieſcit, ſed pergit ſemper vlteriùs, longe lateq; ſubuertēs ac ſubmergens omnia: ſic malus & peruerſus Eccleſiæ populus, iugo Epiſcoporum & Paſtorum ſuorum excuſſo, non ſubſiſtit illic; ſed inde ſibi viam & gradum fecit, accedentibus ſemper exhortationibus nouorum magiſtrorum ſuorum, flatuque incendium promouentibus, ad magiſtratuum etiam ſæcularium & principum ſuorum imperium atque auctoritatem abolendam, omnemque eis negandam obedientiam. Et profectò, ſicut ad ſacerdotum omnium poteſtatem contemnendam, docebat populum, Chriſtianos omnes per Chriſtum ſacerdotes effectos, nec vnumquemuis hac in re alio ſuperiorem eſſe; ſic eodem Scripturæ loco dicitur, omnes ſimiliter reges eſſe. ſic

Apoc. 1. enim habet Scriptura quam proferebant: Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes.

Quare,

Quare nec decimas etiam ampliùs ſacerdotibus, nec tributa aut vectigalia regibus vel principibus ſoluere ampliùs cogitabant. &, quia non poterant non vereri, hoc male eis aliquando ceſſurum, armabant ſe vltrò aduerſus magiſtratus & principes ſuos, bellumque ruſticanum excitabant, anno 1525. in quo cæſa ſunt à principibus pluſquam centum millia. & hic fructus fuit libertatis Chriſtianæ, quam nouum pepererat Euangelium. Huc ſpectat Satan, oblata miſeris hominibus huiuſmodi libertate; hoc agit, hoc laborat toto ſtudio, vt ſublato ordine, legibuſque vniuerſis quibus homines in officio continentur excuſſis, omnia perturbentur, ſurſumque ac deorſum cuncta miſceantur: hoc eſt, vt ex filijs Dei faciat filios Belial, id eſt ſine iugo, vt ait Scriptura: ex Ieruſalem ciuitate pacis & concordiæ Babylonem efficiat, quæ ſonat confuſionem, & figuram loci illius, de quo Scriptum eſt, quod nullus ibi ordo, ſed ſempiternus horror inhabitet: denique ex Eccleſia Christi ſynagogam Satanæ. & hanc ſcilicet dicunt libertatem eſſe, quam attulit nobis Chriſtus.

Vide Surium, ad eundem annum.

Iob 10.

Capvt xciv.

Qualem libertatem Chriſtianam attulerit Chriſtus.

VERA libertas Chriſtiana quam Chriſtus attulit, cum hac viuendi agendique licentia, quam Nouatores libertatem appellant, ex diametro pugnat. Quid enim? An libertas Chriſti, quam ſanguine ſuo acquiſiuit nobis, contraria erit verbis Chriſti; Qui vos audit, me audit? & qui vos ſpernit, me ſpernit? An alijs eiuſdẽ; Si quis Eccleſiã non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus? An illis Apoſtoli Chriſti; Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis. ipſi enim peruigilant quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris? Hæc nimirum libertas eſt ſummæ atque incomparabilis vtilitatis & dignitatis, qua Fideles ſuperiorum ſuorum mandatis ex animo atque ex vero Dei amore obtemperant: qua eos vt Patres & Chriſti vicarios reuerentur: poſtremò, qua illud præſtatur, quod Paulus ait; Patres carnis noſtræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos: an non multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & viuemus?

Luc. 10. *Matth. 18.* *Hebr. 13.* *Hebr. 12.*

Caluinus, vt Eccleſiaſticis legibus & conſtitutionibus inuidiam faciat, appellat traditiones humanas: alludens, vt videtur, ad traditiones illas de quibus Chriſtus Matth. 15. Fruſtra me colunt, docentes mandata & traditiones hominum. Sed, quàm lato interuallo diſtent conſtitutiones Eccleſiæ ab illis Iudaicis traditionibus, ſupra oſtendimus. Ibi enim diſputat Dominus de illo ac tali traditionum genere, quod eſt de rebus leuibus, inanibus, inutilibus, ridiculis, nec quidquam facientibus ad cultum Dei; quale erat, manducare non lotis manibus, & multa ſimilia, quæ de externarum rerum frequenti lotione magna ſuperſtitione tradebant, vt Marcus Euangeliſta alijque teſtantur; vel de ijs quæ palam aduerſabantur mandatis Dei. quod genus eſt, quod refert Chriſtus; Munus quodcumque ex me eſt, tibi proderit, &c. quæ traditio directè erat contra mandatum Dei, de honorandis parentibus. Nihil igitur ibi aliud voluit Chriſtus (interprete etiam Baſilio) quàm huiuſmodi traditionibus obſequendum non eſſe, quæ aduerſarentur mandatis Dei. Huiuſmodi autem multis traditionibus Phariſæi tunc temporis obruebãt haud dubie libertatem populi Dei. At, quæ Eccleſia præcipit populo Chriſtiano, eò tendunt omnia, vt maiore ſpiritus libertate Deo ſeruiatur: libertas, quam attulit Chriſtus, libertas eſt à peccatis, & opponitur ſeruituti illi, de qua Dominus; Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. & Apoſtolus Paulus; A quo captiui tenentur (nempe à principe tenebrarum) ad ipſius voluntatem. A qua ſeruitute eo quis longiùs abeſt, quo maiore animi & voluntatis promtitudine Eccleſiæ Catholicæ & Superiorum legibus & præceptis ſuorum obtemperat: tantum abeſt, vt conſtitutionibus huiuſmodi Chriſtianorum libertas obruatur aut opprimatur. Hoc potiùs longè eſt veriſſimum; doctrina omni, ſtatutis & decretis hæreticorum noſtrorum, veram omnem Chriſtianam libertatem opprimi penitus ac euerti. Iactant illi quidẽ magnificè illud quod ex Paulo ante audiuimus: Vos in libertatem vocati eſtis fratres. Sed ipſi, ipſi inquam, verè ſunt in quos illud quadrat, quod ſequitur; quòd videlicet, libertatem quam dicunt, in occaſionem vertunt carnis: &, qui iuxta Petrum Apoſtolum libertatem ſuam habent in velamen malitiæ: denique qui promittunt alijs libertatem cùm ipſi ſerui ſint corruptionis. cumque illud ſemper in ore habeant;

TRADITIONES A CALVINO INODIVM TRAHVNTVR.

In Ethicis 12. *Ioan. 8.* *2. Tim. 2.* *Galat. 5.* *1. Pet. 2.* *2. Pet. 2.*

1. Cor. 7. habeant, Pretio emti eſtis, nolite fieri ſerui hominum: nulli omnium magis ſerui ſunt hominum, quàm ipſimet, & iis quibus libertatem vendicant.

Qua de re operæpretium eſt audire teſtimonium cuiuſdam quem magni faciunt ipſimet, quique longo tempore inter eos habitauit, vt mores illorum probe perſpectos habere potuerit: Eraſmum dico Roterodamum. Excuſſum eſt, inquit, iugum humanarum conſtitutionum; ſed vbi ſunt, qui ſubmiſerunt ceruicem ſuam iugo Chriſti? Et interim, conſtitutiones humanæ, conſtitutionibus humanis, imò parum humanis, mutantur. Pergit idem, & rectè: Titulus, inquit, modo mutatus eſt; vocatur enim verbum Dei: ceterum res adeò nihilo mitior, vt complures boni viri præferant voluntarium ſeruitium iſti magnificè decantatæ libertati. Atque adeò proceres & anteſignani illius factionis, cùm nondum ad Epiſcoporum dignitatem, opes, & ditioné peruenerint, tamen huiuſmodi ſpecimen de ſe præbent, vt ego me mallem in Epiſcoporum quam in horum poteſtatem tradere, ſi detur optio: mallemque Cæſaris potentiſſimi ferre iugum, quàm quorumdam Magiſtratuum Euangelicorum, quamuis humili ſorte. Sic excutiunt iugum hominum, qui veſtro Euangelio ſubmiſerunt ceruices. magis vereor, ne pleriq; pro iugo hominum portent grauius iugum Diaboli. Excuſſa eſt obedientia Epiſcoporum: ſed ita, vt ne profanis quidem magiſtratibus pareatur. Hæc ille, de illorum legibus, qui tanto clamore & conatu conſtitutiones Eccleſiaſticas, quacumque etiam vetuſtate firmatas, euerterunt. Eat nunc Caluinus, & dicat nos traditionibus noſtris Chriſtianam libertatem opprimere; cùm ipſemet totus cum ſuis hæreat in culpa illa, quam obijcit nobis: & iudicet æquus Lector, habeamúſne iuſtiſſimas cauſas expoſtulandi cum eo de iniuria, qua Eccleſiam aſpergit Catholicam, dum non fuit veritus ſacras eius ſanctiones omnes audaciſſimè violare atque abijcere. Quod tamen hîc tam procul à ſe reijcit: nec pudet eum inſuper affirmare, in his octo capitibus doctrinæ quæ iam tractauimus, non obſcurè ab ipſo ſtare Eccleſiam veterem. Sed nos hîc tam impudens mendacium iam ſatis ſuperque refutauimus.

Epiſtola cotra pſeudoeuangelicos.

CAPVT XCV.

Caluini calumniæ in Rectores Eccleſiæ diluuntur.

CVM autem Caluinus ſe valdè premi ſentiat pondere atque auctoritate Eccleſiæ; multis verbis & argumentis auctoritatem illam eleuare nititur, multis confictis mendacijs Lectorem fallere ſtudens, ſeque in omnes partes vertens ac reuertens, vt veritatem obſcuret, oculiſque imperitorum fumum falſitatis offundat. Et nunc alios quorumdam in Eccleſia mores arrodit, nunc doctrinam carpit, nunc officio ſuo ac miniſterio Prælatos noſtros dicit minimè ſatisfacere: vt cauſa illi iuſta videatur fuiſſe ab Eccleſia diſcedendi.

Sed nos in primis reſpondemus, procliuiùs multo ac faciliùs eſſe, hæc tanta (quæ dicit) ſcelera viris Eccleſiaſticis obijcere, quàm probare. deinde, ſi quæ interdum grandiora vitia regnant inter illos, tot ſæculorum decurſu, non adeò mirum videri debere: cùm inter Caluiniſtas nihilo minora paſſim notare liceat (vt ſuprà abunde oſtendimus) tam paucis annis, quibus regnare cœperunt, & dum vix adhuc exorti ſunt.

PRAEPOSITORVM ECCLESIAE VITIA, VEL ABVSVS, NON DARE IVSTAM CAVSAM RECEDENDI AB ECCLESIA. Poſtremò, etſi vera eſſent omnia, quæ Caluinus & ſimiles de vitijs Pontificum Romanorum & aliorum Eccleſiæ Prælatorum clamitant, nondum iuſta eſſet cauſa ab illorum ſocietate diſceſſionem tam nefariam faciendi. illud eſſet potiùs in memoriam reuocandum, quod Auguſtinus quodam loco ſapientiſſime ſcribit in hæc verba: [a]In illum ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro vſque ad Anaſtaſium, qui nunc eamdem cathedram ſedet, etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſurrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ & innocentibus Chriſtianis. quibus Dominus prouidens, ait de præpoſitis malis: [b]Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Vt certa ſit ſpes Fidelium, quæ non in homine, ſed in Domino collocata, numquam tempeſtate ſacrilegi ſchiſmatis diſſipetur. Sic optimè atque eruditiſſimè Auguſtinus. Cui & alius quidam[c] (licet nequaquam paris auctoritatis) conſentiens, fatetur quidem multa eſſe vitia ſemperque fuiſſe in Romana curia: ſed inde ſimul argumentum duci putat certiſſimum, fidei illic ac religionis veritatem reſidere: tantum abeſt, vt proptereà Eccleſiam Romanam deſerendam exiſtimet. Cum enim fidem illam, inquit, non ethnici tantùm & hæretici omnes oppugnent, ſed illi ipſi etiam qui verbis illam præ ceteris

a Epiſt. 165.
b Matt. 23.
c Bocat. in 2. fabula.

teris profitentur ac docent, moribus peruerſis deſtruere atque in nihilum velle redigere videantur: & illa interim tamen ſubſiſtat, vigeat, & floreat ſemper: quid hinc aliud colligi poteſt, quam eſſe re vera opus Dei; nec humana prudentia, conſilio, viribus, voluntate conſiſtere, ſed illius qui dixit: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam? Matth. 16.

Sed Caluinus huiuſmodi rationibus (vt videtur) tandem victus, fatetur, ſe ſuoſque propter malam Prepoſitorum Eccleſię vitam moreſque parum honeſtos, ab Eccleſia minimè receſſiſſe. Nihil, inquit, eorum nos perpuliſſet ad ea tentanda, quæ multo maiore neceſſitate ſumus aggreſſi. At, quæ tandem, Caluine, illa fuit tam ingens neceſſitas tanti facinoris? Iſta porro, ait, neceſſitas fuit; quòd lux veritatis diuinæ extincta, ſepultum Dei verbum, virtus Chriſti profunda obliuione inducta, munus paſtorale inuerſum erat. Sed hæc talia ſunt, vt nullam planè reſponſionem mereantur: cùm ſint iam antè à nobis omnia iterùm atque iterùm varijs locis manifeſtiſſimis rationibus exploſa & cófutata; ſintque hominis inſani deliramenta. Nihil horum omnium eſt in Eccleſia Catholica: ſed ad vnum omnia inuenire eſt, clariſſima veritate, apud Caluiniſtas, ceteroſque ſectarios noſtri temporis. Apud eos certo certius lumen omne veritatis extinctum, ſepultum verbum Dei, & cetera quæ Caluinus hîc nobis impingit. QVARNAM CALVINO, VT DICIT, CAVSAE FVERINT, DISCEDENDI AB ECCLESIA.

CAPVT XCVI.

Verbum Dei non eſt in Eccleſia Catholica ſepultum: vt cauillatur Caluinus.

QVOD ad primam obiectionem attinet qua verbum Dei apud nos alta obliuione ſepultum aſſerunt aduerſarij, apud ſe verò Solis inſtar fulgere: etſi non ſemel antè hac de re me diſſeruiſſe recordor, & oſtendiſſe quàm procul abſint à verbo Dei, verbumque Dei ab ipſis; quamquam indignis modis corrumpant & lacerent verbum Dei: tamen, vt vnum hic prætereà alterumque verbum addamus, ad pleniſſimam præſertim rudiorum ſimpliciorumque inſtructionem; quomodo credi vel exiſtimari poteſt, apud illos eſſe verbum Dei, vel ſanus Scripturæ ſenſus & intellectus, vbi ſic refrixit omnis charitas fraterna, ſic exarſit odium in eos à quibus receſſerunt, vt præter maledicta, conuitia, ſcommata, blaſphemias, contumelias, ſcurriles irriſiones, vix quidquam ex ijs in vulgaribus colloquijs, in publicis concionibus audire, in libris eorum legere liceat? Seruum Dei, qui verbum Dei docet & tractat, non oportet litigare, inquit Apoſtolus: ſed manſuetum eſſe ad omnes. Sectariorum æui noſtri princeps Lutherus, numquid non ſpirat in ſcriptis ſuis & ſermonibus omnibus, odium quoddam implacabile, tum erga fratres ſuos omnes, veteris & Catholicæ fidei, tum præcipuè erga illum, cuius opera fit vt fratres eſſe poſſimus, & vnanimes habitemus in domo Dei, vt idipſum dicamus omnes, idipſum ſentiamus, idem dicamus omnes, Pontificem inquam ſummum? qui propterea vnus vniuerſę prȩficitur Eccleſiæ, vt ipſius cura ac miniſterio fidei vnitas retineatur? Qua in re, qui eum errantem, atque in errores mittentem, deinde ſecuti ſunt, Caluinus autem in primis, nimis egregiè imitati ſunt. Tolle ex libris & cócionibus eorum ſcommata, lœdorias, maledicta, quibus & ſummum hunc Pontificem, & omne ſacerdotium, & monachorum genus, incredibili quadá petulantia inſectantur, quid tandem ibi remanebit lectu dignum? An hoc eſt in Chriſtiana charitate ambulare? hoc amare & prædicare verbum Dei?

Ad hæc, num illi dicendi ſint habere vel docere verbum Dei, qui non modò nobiſcum & cum Eccleſia Catholica, ſed etiam inter ſeſe tam infeſtis animis, tam hoſtiliter confligunt, vt immanes Barbari, & Crucis ac nominis Chriſti iurati inimici magis hoſtiliter non poſſint? An Dei verbum ita ſibiipſi contrarium? ſic toto cælo diuerſum, ſic ex diametro ſecum pugnans? An Spiritus Dei docere poteſt tam contraria, tam pugnantia, in his & in illis eccleſijs? Quòd ſi huiuſmodi inter ipſos pugnas eſſe negant, in verbo Dei & doctrina ſalutis ac veritatis, omnibus libris & ſcriptis ſuis conuincentur. Et nos hac de re ſuo loco poſteà copioſiùs. VERBVM DEI NON POTEST APVD SECTARIOS ESSE.

Denique, vúltne quiſpiam ſcire, quodnam vel vbi ſit verbum Dei? audiat pulcherrimè doctiſſimeque hac de re diſſerentem Hilarium: Memento, inquit, neminem hæreticorum eſſe, qui ſe nunc non ſecundùm Scripturas prædicare, ea quæ blaſphemat, mentiatur. Lib. ad Conſt.

tur. Hinc etiam Marcion verbum Dei dum legit, neſcit: hinc Photinus hominem IESVM Chriſtum dum loquitur, ignorat: hinc Sabellius, dum quod, Ego & Pater vnum ſumus, non intelligit; ſine Deo Patre, & ſine Deo Filio eſt: hinc & Montanus per inſanas feminas ſuas Paracletum aliū defendit: hinc & Manichæus & Marcion legem odit; quia littera occidit, & mundi princeps diabolus eſt. Omnes Scripturas ſine ſenſu loquuntur, fidem ſine fide prætendunt. Scripturæ enim non in legendo ſed in intelligendo ſunt: non in præuaricatione, ſed in charitate. Ex his Hilarij verbis illud diſcimus, vt non ſtatim quidquid verbum Dei eſſe prætenditur, id Dei verbum eſſe credamus. non enim quod ſcriptum reperitur in libris Canonicis, ſed quod recte interpretatum, & ſane intellectum eſt, hoc demum pro Dei verbo habendum. Arrius ad ſtabiliendā hæreſim ſuam, protulit Scripturam illam; Pater maior me eſt. ſed quo ſenſu protulit, non erat verbum Dei.

Lege Pauli Samoſateni opuſcula, inquit Lirinenſis, Priſcilliani, Eunomij, Iouiniani, reliquarumque peſtium: cernas infinitam exemplorum congeriem; prope nullam omitti paginam, quæ non noui aut veteris Teſtamenti ſententijs fucata & colorata ſit. Quid ergo, num habuerunt illi propterea verbum Dei? Ita cenſendum de Scripturis omnibus, quibus noſtræ tempeſtatis hæretici errores ſuos peſtiferos probare & ſtabilire nituntur. Sic enim acceptæ ac detortæ Scripturæ, non ſunt verbum Dei, ſed expreſſum verbum diaboli.

CAPVT XCVII.

Verbum Dei nuſquam locorum eſt extra Eccleſiam.

DEVS verbum ſuum non loquitur niſi in Eccleſia ſua: nec dat veritatem verbi ſui, niſi dilectæ ac fideli ſponſæ ſuæ; quam ſolam facit conſciam ſecretorum cordis ſui. Quiſquis loqui præſumit extra Eccleſiam, vel contra Eccleſiam, non loquitur verbum Dei, ſed verbum ſuum, verbum mendacij & falſitatis; nec Deus aperit os eius, ſed Satan, pater mendacij. Et hinc, in feſtis Euangeliſtarum ac celebrium Eccleſiæ Doctorum, legi-
Eccli. 15. tur pro Miſſæ exordio; In medio Eccleſiæ aperuit os eius: & impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectus. Quo ſignificatur, non aperire Deum os cuiuſque ad loquendum vel explicandum diuina myſteria, niſi in medio Eccleſiæ. à cuius ſenſu & voluntate quiſquis diſſentit, illius os ad loquendum non Deus aperit, ſed ſpiritus erroris. Ex Deo autem loquitur, Deo os eius aperiente, non quiſquis quomodocumque Scripturas profert; ſed qui Scripturas, non proprio, ſed ex Eccleſię ſenſu & conſenſu citat. Et hoc eſt quod verè & proprie dicitur verbum Dei, quando Scripturę verbis, non proprius aut nouus aliquis ſenſus accommodatur; ſed totius conſenſus Eccleſiæ Catholicæ, omnium temporum & locorum. Quem eumdem etiam eſſe Dei ſenſum & Spiritus ſancti, dubitari non poteſt.

VERBVM DEI IN PRIMIS DOCET CHARITATEM MVTVAM, QVAM NON HABENT HAERETICI.

In prædictis Hilarij verbis notandum & aliud quiddam ad cognoſcendam naturam verbi, & vbinam reperiatur. Docet enim Hilarius, Scripturas omnes, ſeu verbum Dei, in charitate conſiſtere. Quę mens eſt etiam Auguſtini: *In nullis, inquit, aliud inquiratis; nemo vobis aliud præcipiat. Quidquid obſcurum eſt in litteris, charitas ibi occulta eſt. quidquid ibi planum eſt, hæc ibi aperta eſt. Et alibi: Præceptum charitatis eſt ſuper omnes cælos, eſt ſuper omnes libros: & ſubduntur omnes libri: & militat omnis lingua Sanctorum, & omnis motus diſpenſatorum Dei, & animi & corporis. Quidquid habeas, hanc ſolam non habeas, nihil tibi prodeſt. Alia ſi non habeas, hanc ſolam habeas, & impleſti legem. Item, Si vna hæc abſit, inania; ſi vna hæc adſit, plena ſunt omnia.

*Præfat. in Pſal. 140.

CAPVT XCVIII.

Charitas apud hæreticos eſſe nequit: & proinde nec verbum Dei, quod illam docet.

NON poſſunt autem hæretici habere charitatē, & proinde non veras etiā Scripturas, nec verbum Dei; quia pleni ſunt cupiditate, quæ venenū eſt præſentaneum, & cer-

ta mors

ta mors charitatis. Cupiditatis autem pleni ſunt, multæ quidem & variæ, ſicuti multiplex eſt vitioſa cupiditas; ſed in primis & præcipuè laudis inanis & gloriæ. De quo vitio Poëta canit;

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Nihil æquè officit inueſtigandæ veritati, & nihil magis contrarium verbo Dei, atque ea quæ mater vera omnium hæreticorum, regina ſuperbia. Semper autem inter ſuperbos iurgia ſunt, dum vnuſquiſque eminere vult ſupra alium, nec vllum fert ſuperiorem. Ad capeſſendam autem veritatem, non dico melior, certior, aut facilior, ſed dico non eſt alia via quàm humilitas, per quam fouetur charitas, & retinetur vnitas. Et, ea eſt (vt alibi docet Auguſtinus) prima humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas: & quoties, inquit, interrogares, idem dicerem: ſicuti de pronuntiatione legitur aliquando reſpondiſſe Demoſthenes. De expreſſo Dei verbo, aduerſarij noſtri tantas nobiſcum & inter ſe ipſos mouent pugnas: & interim, quo nihil eſt in Scripturis expreſſius, quodque vel ſolùm ex ijs didiciſſe nobis abunde ſufficit ad ſalutem, expreſſiſſimum Dei verbum non vident, nimirum; Dilige: quæ ſumma, qui ſcopus eſt. *Epiſt. 56.*

Sic alibi rurſum Auguſtinus; Quiſquis Scripturas diuinas, vel quamlibet earum partem, intellexiſſe ſibi videtur, ita vt iſto intellectu non ædificet; iſtam geminam dilectionem, Dei & proximi, nondum intellexit. Quiſquis verò talem inde ſententiam duxerit, vt huic ædificandæ charitati ſit vtilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille quem legit eo loco ſenſiſſe probatur; quandoquidem in ſententia fallitur, quæ ædificat charitatem, quæ finis eſt præcepti, non pernicioſe fallitur, nec omnino mentitur: ſed ita fallitur, vt ſiquis errore deſerens viam, eò tamen per agrum pergat, quò etiam via illa perducit. Sic ille. *Lib. de Doctrina Chriſtiana cap. 36.*

Num verò dicendi ſunt habere charitatem, vel diligere Deum & proximum, qui ita ſentiunt de Præpoſitis ſuis, quibus Dei mandato obedire tenentur; quemadmodum paulò antè Caluinum dicentem audiuimus, quòd plena ſint omnia apud eos exemplis crudelitatis, auaritiæ, rapacitatis, intemperantiæ, arrogantiæ, inſolentiæ libidinum & ſcelerum omnium? Videturque ſine diligere proximum, qui ſe non ab vno aliquo, aut altero, qui Chriſtum piè confitentur, ſed ab vniuerſa Catholica Eccleſia, vbique terrarum diffuſa, præſcindit? patreſque ſuos & maiores omnes, impietatis, ignorantiæ, cæcitatis, idololatriæ, tamquam qui Spiritui ſancto reſtiterint longo tempore, nec agnitam veritatem amplecti voluerint, inſimulare non veretur? Charitatis & dilectionis proprium eſt, non diuidere, ſed vnire: non diſcindere, ſed coniungere: non diſpergere, vt cum Chriſto loquamur, ſed colligere. Iſti verò, quantam in Eccleſiâ Dei, ſuperioribus annis, vbique locorum, animorum diuiſionem fecerint; quantam ouium Chriſti diſperſionem; quas, vt in eamdem Eccleſiæ caulam & fidei vnitatem congregaret Dominus, mortem oppetere non dubitauit acerbiſſimam & ignominioſiſſimam: denique, quomodo tunicam Chriſti inconſutilem in partes propemodum infinitas conſciderint, peiores multò militibus impijs qui Dominum crucifixerunt, omnibus eſt in confeſſo. Hæc valdè ſunt aliena à natura charitatis, ac proinde vehementer pugnant cum verbo Dei quod nihil magis quàm charitatem commendat, vt audiuimus. Vnde ad extremum ſatis patet, quale apud iſtos ſit verbum Dei, quod ſemper in ore habent, quod ſermonibus omnibus & ſcriptis ſuis tantopere iactitant.

Pergamus nunc, & quid porrò Caluinus habeat dicatque videamus. Et adhuc, inquit, obedientiam, humilitatemque veſtram nobis venditas, quòd vos retineat Eccleſiæ veneratio, quo minus ad exigenda hæc flagitia manum admoueatis. Et addit: Quid homini Chriſtiano cum præuaricatrice iſta obedientia, quæ, verbo Dei licentioſè contemto, obſequia ſua defert hominum vanitati? Quid mihi cum iſta contumaci præfractaque humilitate, quæ, deſpecta Dei maieſtate, homines modò ſuſpicit ac reueretur? &c. Quæ tamen omnia, tot verborũ ambagibus diſſerta, non illibenter illi concedimus: niſi quòd primo loco dicit, quòd nos contineat, neſcio quæ Eccleſiæ falſa iniuſtaque veneratio, quòd ad corrigenda Præpoſitorum Eccleſiæ vitia manum admouere nolumus. Nam neque talia in plerîſque omnibus Eccleſiæ Prælatis flagitia agnoſcimus, qualia ipſe fingit, pro voluntate ſua: & dicimus Eccleſiæ in primis ſemper curæ fuiſſe, vt à Prępoſitis & miniſtris ſuis vitia omnia vitiorumque occaſiones amouerentur.

Sed Caluinus, in obſeruandis, exaggerandis, & propalandis Præfectorum Eccleſiæ vitijs, imitari maluit ſemper pij Patriarchæ Noë filium impium Cham, qui patrem ſanctiſſimum nudatis pudendis iacentem in tabernaculo ſuo non modò non obtexit, ſed ir-

riſit etiam, alijſque monſtrauit ad ludibrium; quàm vel fratres ipſius à Deo benedictos propter pietatem in patrem ſuum, vel Conſtantinum Magnum Imperatorem omni laude dignum: cui cùm eſſent oblati libelli, Epiſcoporum & ſacerdorum quorumdam vitia continentes, non ſatis habuit eos laceraſſe atque exuri iuſſiſſe, cùm nollet vel ſemel inſpicere, dicens, non illos à ſe, ſed ſe ab illis iudicari debere; verùm hoc inſuper addidit diſertis verbis, ſi fortè ſuis oculis turpe aliquod Epiſcoporum facinus videre contingeret, id paludamento ſuo mox contecturũ, ne ab alijs cerneretur. At, Caluinus, tantum abeſt vt Epiſcoporum, ſi quæ vidit, vitia tegere vmquam voluerit, vt plùs multo quàm veritas habeat, data opera affinxerit, ac exaggerauerit quantum potuit, totique orbi, quantum in ipſo fuit, videnda ac irridenda propoſuerit.

Capvt xcix.

Studium Eccleſiæ tollendi abuſus.

QVOD verò ad alteram iniquiſſimæ accuſationis eius partem attinet; quantæ ſemper fuerit curæ Eccleſiæ Catholicæ vitia Prælatorum ac miniſtrorum ſuorum cuiuſuis generis emendare, teſtes ſunt huius rei tot ſanctiones canonicæ, tot decreta ſummorum Pontificum aliorumque Præſulum, tot Concilia locis omnibus ac temporibus celebrata, ad correctionem morum, ad reſtitutionem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ad vitæ honeſtatem atque puritatem, & vt omnes in ſuo quiſque gradu muneri ac profeſſioni ſuæ ſatisfacerent. Quod genus decretis & conſtitutionibus pleni ſunt libri omnes iuris Canonici, & quotquot in illos ſcripſerunt & commentati ſunt. Etſi confiteantur, numquam tempora fuiſſe tam felicia, vt ſancta hæc decreta ſeruarentur exactè ab omnibus ſicut oportuit: nec mirum; cùm tam vetus ſit querela illa Satyrici de omni genere hominum;

Pauci quippe boni: numero vix ſunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel diuitis oſtia Nili.

Deplorauit hoc Eccleſia ſemper, dum vltrà non potuit.

DE OBEDIENTIA ECCLESIAE, EIVSQVE PRAEPOSITIS DEBITA. *Hebr. 13. Luc. 10. Matth. 18.*

Quod autem ad obedientiam attinet, damnamus cum Caluino omnem præuaricatricem obedientiam: quę, verbo Dei licentioſè contemto, obſequia ſua defert hominum vanitati. Sed nos talem in Eccleſia obedientiam eſſe negamus. nos obedientiam deferimus Præfectis & ſuperioribus noſtris legitimis, iuxta præceptum Apoſtolicum: Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. ipſi enim peruigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris. Quibus verbis conſonant verba Chriſti: Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit. item; Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Malumus hîc S. Ignatium ſequi diui Ioannis Apoſtoli diſcipulum, qui ad Magneſianos ſcribens, Dignum eſt, inquit, vos obedire Epiſcopo veſtro, & in nullo ei contradicere. non enim iſtum viſibilem quis ſpernit, ſed illum inuiſibilem in eo contemnit, qui non poteſt à quoquam contemni. hic enim non ab homine, ſed à Deo habet promotionem dicit enim Deus Samueli, de contemtoribus eius, Non te ſpreuerunt, ſed me. Sic ille ibi: ſimilia ſcribit ad Trallianos.

Nec nos retraxit ab hac obedientia, quòd non ignoramus Eccleſiæ Præpoſitos officio ſuo interdum minùs ſatisfacere: cùm meminerimus principem Apoſtolorum præcepiſſe principibus & magiſtratibus obedire etiam dyſcolis; & Chriſtum de Præfectis Eccleſiæ dixiſſe: Omnia quæ dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundùm opera autem eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.

Denique in Prælatis Eccleſiæ vitioſis ac improbis, nõ tam illoſipſos reueremur, quàm Deum à quo conſtituti ſunt, & Chriſtum, cuius vices & perſonam gerunt. Nam, quod ait Caluinus, nos ijs deferre libenter obedientiam, quæ verbum Dei licentioſè contemnit, mera eſt calumnia. Quemadmodũ & quod de humilitate noſtra dicit; quæ, deſpecta

DE HVMILITATE QVAE IN ECCLESIA CATHOLICA REGNAT.

Dei maieſtate, homines modò ſuſpiciat ac reuereatur. Et apud nos talis viget humilitas, qua proprio ſenſu deiecto, Eccleſię decretis nos ſubijcimus, quam ſcimus errare non poſſe à ſenſu & voluntate Dei, à veraque intelligentia verbi illius. vtpote quæ gubernetur in omnibus iuxta verbum & promiſſionem Chriſti à Spiritu ſancto. Quam humilitatem nos docet etiam Scriptura, dicens: Noli altum ſapere, ſed time. item, Nemo aduerſus alterum

terum infletur. Quid enim habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Sed in primis de hac humilitate agitur, 2. Corinth. 10. vbi in eos inuehitur Paulus, qui ſeſe efferebant contra auctoritatem Apoſtolicam, dicens, ſibi arma non deeſſe aduerſus talem ſuperbiam, contraque omnem altitudinem extollentem ſeſe aduerſus ſcientiam Dei; & ad redigendum in captiuitatem omnem intellectum in obſequium Chriſti.

Et hæc illa humilitas, quæ ab infimo exorſa (vt Caluinus ait) ſuo quemque gradu ita locat, vt Eccleſię ſummam dignationem obſeruantiamque deferat: quæ tamen ipſa demum ad Chriſtum Eccleſiæ caput defertur. Quæ nuſquam humilitas niſi in Eccleſia Catholica reperitur: nec ab vllis abeſt longiùs quàm ab hæreticis, qui ſeipſos ſuperbiſſimè efferunt contra omnem Eccleſiæ ordinem, vltrò irrumpentes ad miniſteria Eccleſiaſtica, & functiones in Eccleſia vſurpantes, quæ eis non debentur: ingerentes ſeipſos ad prædicationem verbi Dei, ad Sacramentorum adminiſtrationem, & ſimilia, abſque ordinatione, ſine miſſione vlla, aut vocatione conſueta ac legitima, nulla auctoritate ordinaria, deſpectis Eccleſiæ Præfectis, decretis, ſtatutis, legibus omnibus. Quemadmodum de hoc ipſo nominatim Caluino, deque vſurpato eius in Eccleſia miniſterio, planum fecimus ante. Et hic eſt ecce ille, qui tanto faſtu poſtulat a nobis humilitatem huiuſmodi, quæ ab infimo exorſa ſuo quemque gradu in Eccleſia locat.

Quod autem obſequia omnia in Eccleſia vult ad vnicam exigi regulam verbi Dei, illudque ſemper religioſa humilitate reſpici; nos illi hac in parte minimè refragamur. illud adijcientes, in Eccleſia Catholica hoc planè fieri, ſemperque factum præteritis ſæculis. At verò ſi his verbis reiectas vult traditiones omnes, vt vulgò appellamus, non ſcriptas diſertis verbis in litteris Apoſtolicis vel Propheticis; fallitur hac in re toto cælo, cum pertineant illæ etiam taleſque traditiones ad verbum Dei: quemadmodum & ſuprà ſatis oſtendimus, & infrà latiùs etiam explicabitur ſuo loco.

CAPVT C.

Quas Eccleſias Caluinus pro veris agnoſcat.

NVNC videamus quid ſentiat homo iſte de Eccleſia: atque in primis quid reſpondeat ad obiectionem ſibi factam in hoc argumento ab Sadoleto. Cuius, inquit Sadoletus, arrogantiæ eſt, iactare penes vos ſolos eſſe Eccleſiã, & eam interim adimere orbi vniuerſo? Bona certè ac iuſta admodũ Sadoleti totiuſq; Eccleſiæ querimonia. Ad quam quid reſpondeat Caluinus, ſeriò obſeruandum. Nos verò Sadolete, ait, Eccleſias Chriſti eas quibus præſideris eſſe nõ negamus: ſed Pontificẽ Romanum, cum toto Epiſcoporum grege, qui Paſtorum locũ illic occuparunt, lupos eſſe dicimus, &c. Sic ille Satanicus buccinator. Vbi quod ait & confitetur, Eccleſias Chriſti eſſe, quibus Sadoletus & alij Epiſcopi Catholici præſidebãt, hoc nos amplectimur: nec aliud propemodum à Caluino cum ſuis poſtulamus. proinde, cùm hic reum confitentem habeamus, iam vicimus quodammodò contra eum totam cauſam noſtram. Fatetur eſſe Eccleſias Chriſti, quibus Sadoletus Epiſcopus & alij eiuſdem ordinis tunc temporis præſidebant: nec excludere etiam videtur Romanum Pontificem, tametſi eum cum ceteris Epiſcopis vocet immanem lupum, gregem Chriſti diſperdentem. Hoc dicit ipſe, talibuſque honoris epithetis ornat paſtores ſummos Eccleſiarum noſtrarum, & ſimilia hactenus ab eo frequenter audiuimus: ſed nihil probat. quare eadem opera à nobis negatur, qua ab eo impudentiſſimè dicitur. Vna eſt hæc contumelia, ſeu conuitium magnum & intolerabile ex alijs innumeris. cui ſimile eſt, quòd Romanum Pontificem & ceteros Epiſcopos, dicit Paſtorum locum in Eccleſia occupare: nimirum quaſi iniecerint ſemetipſos in officium paſtorale, nulloque iure aut legitima poteſtate in eo verſentur. Sed hoc Caluini eſt, & qui illius ſunt factionis: hi reuerà locum paſtorum in Eccleſia contra ius & fas occuparunt, excluſis pulſiſque manifeſta vi Paſtoribus veris & legitimis. At Epiſcopi Catholici non ipſi locum in Eccleſia vltrò occuparunt, ſed via ac poteſtate ordinaria legitimaque ingreſſi ſunt per oſtium in ouile ouium, vt Chriſtus loquitur; ordinati miſſiq; ab ijs, ad quos hoc iure ac legibus omnibus ſpectat. Caluinus autem cum ſuis aſcendit in ouile Chriſti aliunde, contra omnem Eccleſię ordinem, contra canones, contra omnem veterem mo-

rem & conſuetudinem. Ac proinde non venit vt paſcat & ſeruet oues Chriſti, ſed furis & latronis inſtar, vt furetur, & mactet, & perdat. Hi ſunt demum lupi illi immanes, de quibus loquitur: itaque mi Caluine,

——*Mutato nomine, de te Fabula narratur.*——

Sed redeamus ad propoſitum. Si Eccleſiæ, quibus Sadoletus & alij Epiſcopi Catholici præſidebant illo tempore, veræ erant Eccleſiæ Chriſti, vt Caluinum hîc confitenrem audiuimus; quid hinc efficitur aut conſequitur? Vtique eccleſiam Geneuenſem, cui Caluinus tunc vel paulò pòſt præſidebat, & alias quæ occupabantur à ſectarijs, non Eccleſias Chriſti fuiſſe, ſed Antichriſti ſynagogas; nec Dei ſancta habitacula, ſed turpiſſima Satanæ proſtibula. Eccleſia enim Chriſti vna eſt dumtaxat toto orbe terrarum, vno Spiritu gubernata ac vegetata, vnum corpus myſticum, vnú caput Chriſtus. Proinde, in quibus Eccleſijs fides & doctrina tradebatur ex diametro contraria doctrinæ & fidei illarum Eccleſiarum, quas fatetur Caluinus veras fuiſſe Eccleſias Chriſti, non poterant eſſe Eccleſiæ Chriſti, nec aliquam cum Chriſti Eccleſia vnitatem vel ſocietatem habere. Iam verò etſi demus Caluino (quod nequaquam tamen illi concedimus) Romanum Pontificem & Epiſcopos pleroſque eſſe lupos, quid inde efficiet? Vult hinc colligere, non eſſe igitur veros Paſtores: cùm hæc duo valdè inter ſe pugnare videantur, lupum eſſe & paſtorem.

CAPVT CI.

Duplici modo poteſt accidere, vt Paſtor Eccleſiæ dicatur lupus.

ATQVI varijs modis contingere poteſt, Epiſcopum aut inferiorem Paſtorem, eſſe lupum, aut lupum agere, præbere ouibus ſuis occaſionem ruinæ, mortis, damnationis æternæ, quas ſeruare & contra ſalutis quæcumque nocumenta cuſtodire debebat. Fieri enim hoc poteſt, ſeu pabulo pernicioſæ doctrinæ, ſeu malæ exemplo vitæ.

Quod ad prius attinet, notum eſt, locum non habere in Epiſcopis vel Paſtoribus quibuſuis Catholicis. Non prædicarunt illi vel docuerunt vmquam doctrinam aliam quàm Catholicam, illam, inquam, doctrinam quam tantopere damnat, reprehendit, perſequitur, execratur Caluinus, omneſque aſſeclæ eius: ſed nos illam habemus pro recta, ſincera, ſaluifica doctrina, in qua ſola veritas & vna eſt ad vitam æternam. Quòd ſi qui in officio prædicationis aliquando ceſſarunt, quod non negamus non rarò contigiſſe; hoc ex illis eſt vitijs, de quibus iam dicere aggredimur, quæ cum altera parte officij paſtoralis pugnant, poſita nimirum in exemplis omnibus bonæ ſanctæq; vitæ. quæ exempla continent etiam docendi & prædicandi ſtudium & diligentiam. Decet enim Paſtorem & ignorantia carere ſcientiæ Theologicæ ad congruam inſtitutionem gregis ſui, & alienum eſſe ab omni turpi otio vel deſidia. quemadmodum & ab auaritia omni, rapacitate, ebrietate, intemperantia, impudicitia, ambitione, ſuperbia, arrogantia, luxu & ſimilibus. De qua certe parte muneris paſtoralis hîc loqui videtur Caluinus. citat enim in confirmationem & veritatem accuſationis ſuæ, Bernardum, quem dicit in Eugenium Pontificem & Epiſcopos ſui temporis fulminaſſe. Quamquam quod ad Eugenium attinet, oſtendimus antè, purum mendacium eſſe, quòd in illum Bernardus fulminauerit: immò quòd vitam aut mores eius vllo pacto reprehenderit. Quod verò ad Epiſcopos & ceteros Eccleſiæ Prælatos attinet, conſtat numquam eos à Bernardo accuſatos fuiſſe de falſitate doctrinæ; ſed tantummodò de nimio luxu, ambitione, ſuperbia, otio, intemperantia, & ſimilibus: idque non omnes, ſed quoſdam dumtaxat. Atqui, propter huiuſmodi vitia non deſinit Epiſcopus vel Paſtor eſſe qui eſt, vel munus habere quod gerit in Eccleſia. niſi fortè cauſa cognita à legitimis ſuperioribus propter flagitia aliqua ab omni adminiſtratione vel miniſterio deponatur. Quemadmodum Scribæ & Phariſæi tempore Chriſti ſedentes in ſede Moyſi tamquam magiſtri & Doctores populi, non idcircò excidebant miniſterio ſuo, quia vita illorum doctrinæ minimè reſpondebat. Quin potiùs omnia quæ dixerint vobis, aiebat Chriſtus, ſeruate & facite, ſecundùm opera autem eorum nolite facere. dicunt enim, & non faciunt.

Quod deinde ſubijcit Caluinus, in omnibus locis quæ Romani Pontificis tyrannide

(ſic

(ſic ei loqui lubet) occupantur; vix apparuiſſe iamdiu ſparſa quædam & lacera veſtigia, ex quibus Eccleſiæ illic ſemiſepultæ iacere agnoſcantur, & ſimilia: hoc ad conſueta eius mendacia & falſiſſimas calumnias ſpectat. quas, ſi quoties occurrunt, confutare vellemus, non aliud quàm actum ageremus, & ſuperuacaneis repetitionibus Lectorem teneremus.

CAPVT CII.

De Antichriſto locus Apoſtoli, in Romanum Pontificem non quadrat.

SED operæpretium eſt audire, quid deinde ſubijciat. Non debet, inquit, tibi hoc abſurdum videri, quòd nulla apparuerit facies Eccleſiæ Chriſti in illis Eccleſijs quæ regebantur à Romano Pontifice & ab alijs Epiſcopis; cum dicat Apoſtolus non alibi ſedem Antichriſti fore quàm in medio Dei ſanctuario. *2. Theſſ. 2.*

Verùm, hæc obiectio non magis contra nos militat quàm contra ipſummet. Vult enim ſuas Eccleſias haberi pro illuſtribus, vt loquitur, Eccleſijs Dei, & pro veris Dei ſanctuarijs: noſtras Eccleſias vix Eccleſiarum nomine dignas eſſe, vt nunc audiuimus; tametſi paulò ante fateretur, veras eſſe Eccleſias Chriſti. Nuſquam videlicet ſibi conſtans: vt contingit omnibus, qui à recta atque vnica via veritatis receſſerunt. Ceterum, ſi Antichriſtus (iuxta Pauli doctrinam) ſedem ſuam collocaturus eſt in Eccleſia Dei, & Caluini Eccleſię ſunt veræ Dei Eccleſiæ; conſequitur igitur, in ipſius Eccleſijs regnaturum Antichriſtum. Quo profectò nihil etiam verius dici poteſt; quidquid alioqui ſit quod Apoſtolus ad Theſſalonicenſes de Antichriſto diſputat, vel quomodocumque intelligendus locus ille omnium obſcuriſſimus.

Quòd ſi (iuxta Caluinum) Papa eſt Antichriſtus, & Antichriſtus regnaturus eſt, ſedemque ſuam collocaturus in medio Dei ſanctuario, vt hic ait Caluinus; notum eſt autem Papam non regnare in Eccleſijs Caluiniſtarum vel quorumuis aliorum ſectariorum, ſed in Eccleſia Catholica; conſequitur, nec Caluiniſtas, nec Lutheranos, vel ſimiles quoſuis eſſe veram Chriſti Eccleſiam, ſanctuarium Dei, ſed Catholicos. Eligat Caluinus vtrumcumque velit.

Quamuis autem locum hunc Pauli de Antichriſto, quem hîc obijcit nobis Caluinus, non eſt animus hîc ad plenum exponere, vel in medium afferre quæ eò facere poſſe videantur; illud tamen ſilentio præterire non poſſum, non deeſſe auctores, qui illud apud Apoſtolum, In templo Dei ſedere, ſic interpretantur, quòd ſibi Antichriſtus plenam auctoritatem tribuet in Eccleſiam, tamquam ipſe ſit Deus vel Spiritus ſanctus qui regit ac docet Eccleſiam. ſicut S. Athanaſius ſcribit, eum ſe iudicem ſupremum ſacturum Epiſcoporum; nec quidquam ferè grauius vel intolerabilius eſſe facturum. Quam ad rem, nunc egregiè Antichriſto viam præparant ac muniunt hæreſes noſtri temporis: dum principes temporales & magiſtratus paſſim in templo Dei collocant; id eſt, Eccleſiæ eius præficiunt: vt nimirum ſpreta & conculcata poteſtate omni Eccleſiaſtica, quam Chriſtus inſtituit, eam religionem colant omnes, quam princeps colit aut magiſtratus: & ſic colant, talibus legibus, ritibus, cærimonijs, quales arrident principi; ſicuti palàm eſt, Melanchthonem aliquando ſenſiſſe, Brentium confidenter docuiſſe, Anglos à tempore Henrici Octaui ſchiſmatici publice etiam iurare, ad regem ſpectare vt cauſis prę́ſit Eccleſiaſticis, & de doctrina iudicet pro voluntate ſua; ſitq; ſupremum in terra caput Eccleſiæ. Quam omnem Eccleſiaſticam poteſtatem in regno illo exercuit primùm quidem prædictus rex, deinde filius eius puer, poſtremò autem (quod monſtri eſt inſtar) etiam femina. quem ſexum Paulus vel loqui prohibuit in Eccleſia. Hoc certè eſſe videtur in templo Dei ſedere, iuxta Paulum, adeoque ſeipſum Deum facere. *Epiſtola ad ſolitariam vitã agentes.*

Poſthæc Caluinus aliam ſibi & Sadoleto obiectionem format, hanc videlicet: Sed qualeſcumque ſint Prælati Eccleſiæ, ſcriptum tamen eſt; Quæ dicunt facite. Admittit hoc Caluinus: ſed ſi in cathedra Moyſis ſedeant, &c. Atqui, multis modis nugatoria eſt hæc euaſio. Primùm, quia nec docuit vmquã adhuc nec probauit Caluinus, Epiſcopos & Paſtores Catholicos, etſi malè nonnumquã & perditę viuant, propterea dicendos non ſedere in cathedra Moyſis, ſeu ius ſuum & poteſtatem perdere miniſterij & dignitatis

ſuæ. nos autem iam paulò antè diuerſum oſtendimus, rationibus firmis & perſpicuis.
Matth. 16. Deinde, quod ait, ſcriptum eſſe, Cauete à fermento: quando magiſtri Eccleſiæ nugis ſeu doctrinæ ſaltitate dementant populum, verum eſſe confitemur. Nam, ſi Epiſcopus quiſpiam vel Paſtor eò prauitatis deueniat, vt gregem ſuum incipiat mala & peruerſa doctrina corrumpere; ſicuti annis ſuperioribus nonnulla hîc ibi huius rei exempla conſpecta ſunt, Nouatorum operâ; tunc haud dubiè locum habet illud Chriſti, Cauete ab eorum fermento. At, quàm diu Præpoſiti ac Paſtores Eccleſiæ ſanam & ſinceram doctrinam retinent; quomodocumque viuant, tolerandos à ſubditis, exempla morum quæ præbent cauenda, doctrinam verò illorum legeſque agendi ac viuendi ſequendas docemus.

Capvt CIII.

Poteſtas Præpoſitorum Eccleſiæ, non eſt alligata expreſſis Scripturis.

PErgit deinde Caluinus: Non eſt noſtrum, inquit, ſuum Eccleſiæ ius eripere, quod illi non modò Dei benignitate conceſſum, ſed multis etiam interdictis ſeuere vindicatum fuit, &c. Duo his verbis dicit Caluinus, quæ diuerſam conſiderationem habent; & quid valeant vel cuiuſmodi ſint, breuiter inquirendum.

Primò, Rectores Eccleſiæ ac Præpoſitos, adeoque ipſos quoque Apoſtolos, (nam hos etiam paulò poſt nominabit: ſicuti reuerà illorum & aliorum Eccleſiæ Prælatorum eadem eſt ratio) ad regendam Eccleſiam mitti à Chriſto non cum licentioſa & exlege poteſtate, ſed ad certam officij formam aſtringi, quam excedere non poſſint. Hoc vtique ex parte verum eſt. Non dedit enim Chriſtus Apoſtolis ſuis aut alijs Eccleſiæ Rectoribus eorum in locum ſuccedentibus, plane exlegem aut licentioſam poteſtatem, vt nimirum (ſicut rectè paulò pòſt hic ipſe veterator) pro libidine dominentur in populum ſibi commiſſum. Quam licentiam, quæ procul abeſſe debet ab officio Paſtorali, explicat damnatque multis memorabilibus verbis princeps Apoſtolorum, dicens: Seniores qui in vobis ſunt obſecro conſenior, paſcite qui in vobis eſt gregem Dei; prouidentes non coactè, ſed ſpontanee ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.
1. Pet. 5.

Ecce hæc eſt forma regendi, cui ex Dei mandato aſtricti ſunt Paſtores Eccleſiæ omnis generis. Quam Paulus etiam Apoſtolus explicat, dicens, datam ſibi à Domino poteſtatem in ædificationem, & non in deſtructionem. Et paulò ante: Non enim poſſumus aliquid aduerſus veritatem, ſed pro veritate.
2. Cor. 13.

Hanc etiam poteſtatẽ non male paulò pòſt declarat Caluinus: Ne quam, inquit, dominationis ſpeciem præ ſe ferat poteſtas data Apoſtolis, vt ne ad fidem ſubaugendam cõferatur. Quod ſumſit etiam ex Apoſtolo dicente: Non quòd dominemur fidei veſtræ; nam fide ſtatis. Hoc nos haud inuiti admittimus: omnem videlicet Apoſtolicam & Eccleſiaſticam poteſtatem ſeruire debere gloriæ Dei, promotioni fidei & pietatis, vtilitati & ſaluti animarum. & hæc vnica eſt forma cui aſtricta eſt poteſtas Rectorum Eccleſiæ. Sed hoc Caluino nequaquam ſatis eſt: longeque aliud latet ſub prædictis illis verbis ipſius, non dediſſe Chriſtum Præpoſitis Eccleſiæ poteſtatem exlegem aut licentioſam.

Capvt CIIII.

Traditionum auctoritas citra expreſſum Scripturæ verbum.

QVidnam eſt hoc? vt nimirũ nihil ſtatuere poſſint, niſi quod diſertis verbis expreſſum eſt in Sacris litteris. ac proinde, vt liceat Caluino eiuſque diſcipulis & collegis, audacter reijcere & contemnere leges omnes & conſtitutiones Eccleſiæ, Rectorumq; illius, quæ totidem verbis non extant in Scripturis canonicis: ijs etiam quas ipſi pro canonicis & diuinis Scripturis habent. Et ſi quid, vel in ſacris Scripturis ſatis clare propoſitum, vel ex ijs deductum dicatur; ipſis relinquatur poteſtas omnis Scripturas interpretandi, & ſic numquam erroris alicuius aut præuaricationis conuinci poſſint. Sic dicit ipſe & explicar

cat ſe, paulò pòſt, vetbis minimè obſcuris: Audiendos fatemut, inquit, non ſecùs ac Chri-
ſtum ipſum, Paſtores Eccleſiaſticos; ſed qui munus ſibi iniunctum exequantut. Sic ille.

Nos primùm hic audiamus vetba Chriſti: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hoc *Ioan. 20.*
eſt vtique, cum eadem poteſtate & poteſtatis amplitudine, quam accepi à Patre meo.
Nam hoc meliùs aliquanto declatat apud Matthæum: Data eſt mihi omnis poteſtas in *Matth. 28.*
cęlo & in terra. Ite ergo, docete omnes gentes. Nónne hoc dicẽs, ſignificat, ſe eos mittere
ad mundi conuetſionem cum eadẽ poteſtatis magnitudine & plenitudine, quam tecepe-
tat à Patte ſuo in cælo & in tetra? Quid enim ſibi reſetuat? quid excipit, quod non tradi-
dit Apoſtolis ad regendas Eccleſias? & nónne hoc ita etiam intellexerunt Apoſtoli? Pau-
lus de rebus quibuſdam non maximi momenti Corinthijs ſcribens: nempe quòd mulie-
ribus in Eccleſia docete fas non eſſet, nec ibidem aperto capite orate, quòd turpe eſſet
mulieri tondeti: item de mote & ordine prophetandi, ſeu docendi & pſallendi in Eccle-
ſia: à quibus cibis abſtinendum videretut, à quibus non: & de alijs quibuſdam, quorum
nulla vſpiam mentio in ſacris Euangelijs, & de quibus Chriſtus nihil vnquam præcepe-
tat: tamen huiuſmodi ſuarum conſtitutionum & mandatorum adeò nullam affert ra-
tionem, vt ſi quis vellet tepugnate vel tergiuetſati, ei hoc ſolùm teſpondeat; Si quis vide- *1. Cor. 11.*
tur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus. Non Scriptutas aliquas
contradicentibus, non rationes vllas, ſed ſolam opponit conſuetudinem. Et paulò pòſt,
ijſdem ſcribens magna auctoritate, Si quis, inquit, veſtrûm videtur propheta eſſe aut ſpi- *1. Cor. 14.*
ritualis, cognoſcat quæ ſcribo; quoniam Domini ſunt mandata. Et alibi rurſus: Qui hæc *1. Theſſ. 4.*
ſpernit, non hominem ſpetnit, ſed Deum. Vbique Apoſtolus iſte hac in re ſui ſimilis eſt.
Huc enim pertinet etiam quod in ſupradicta Epiſtola ad Corinth. poſt longam de varijs
tebus diſputationem, addit tandem paucis verbis: Cetera cùm veneto diſponam. Quem *1. Cor. 11.*
locum Auguſtinus tractans, Hinc, inquit, datur intelligi, quia multum erat, vt in Epiſtola *Epiſt. 118.*
totum illum agendi ordinem inſinuatet, quem vniuerſa per orbem ſeruat Eccleſia, ab ip- *cap. 6.*
ſo ordinatum eſſe quod nulla motum diuerſitate variatur.

Denique idem Apoſtolus alibi clariſſimis verbis: State & tenete traditiones quas di- *2. Theſſ. 2.*
diciſtis, ſiue pet ſermonem, ſiue pet epiſtolam noſtram. Super quibus verbis Chryſoſt.
Hinc patet, inquit, quòd non omnia per epiſtolam tradiderit, ſed multa etiam ſine litte-
ris. Itaque traditionem etiam Eccleſiæ dignam fide putamus. Traditio eſt: nihil quæras
ampliùs. Sic ille.

Origenes quoque, ſcriptor antiquiſſimus, iuxtà atque eruditiſſimus, tantum traditio- *In comment.*
ni tribuit, vt ſi quis ſe Chriſto credere profiteatut, ſi tamen aliud de veritate fidei Chri- *cap. 1. ad*
ſtianæ credat, quàm habet definino traditionis Eccleſiaſticæ; eum hæreticum pronuntia- *Titum.*
te non dubitet. Quin & vetuſtiſſimus Eccleſiæ Pontiſex & Mattyr Irenæus * perſpicuè *Citatur à*
& cum magna reuetentia meminit traditionis Apoſtolicæ, iterùm atque iterùm, aduet- *Pamphilo*
ſus hæreticos. Verùm quid nos Origenem, Auguſtinum, Chryſoſtomum, Itenæum, au- *Martyre*
ctotes grauiſſimos, ad huius rei declarationem & confirmationem proferimus? Omnis *apolog. pro*
Orthodoxorum cœtus iam inde à mille annis quingentis, eodem propè loco quo Scri- *Origene.*
pturas, traditiones habendas exiſtimauit: vt Tertullianus ait, & fidelis eſt obſeruator. ** Lib. 3. c. 3. 5. & ſequenti.*

Conttà verò, quotquot fuerunt hæretici iam inde à ſæculo Apoſtolorum vſque ad *De corona militis.*
hæc tempora, cùm de vetbo Dei gloriarentut, cùm ad Scripturas numquam non pro-
uocarent, cùm ſibi ſolis earum interpretationem vendicarent, ceteris omnibus detrahe-
rent, nihil maiore ſtudio, quàm traditiones Eccleſiaſticas non ſcriptas in Sacris litteris,
odetunt & oppugnatunt. Exemplis hoc planum facere, quod foret facillimum, non pu-
tanius operæpretium.

Sed quid? inquiunt: Num lex Chriſti Euangelica non ſufficit omnibus ad ſalutem? vt
opus ſit prætereà legibus & ſtatutis humanis? Sufficit planè. Omnia continet Euange-
lium, ait quodam loco Chryſoſtomus; præterita & futura, honorem, pietatem, fidem; ſi-
mul omnia prædicationis vetbo concludit. Verùm hæc ipſa lex Euangelij docet nos, vt
Eccleſiam audiamus, vt parentes honoremus, vt Præpoſitis obediamus, vt quæ dicunt
nobis in cathedra Moyſi ſedentes, ea faciamus, etiamſi non faciant ipſi quod dicunt.
Atque hæc tam ſeriò, tam graui comminatione præcipit, vt qui non audierit Eccleſiam,
eum haberi velit tamquam ethnicum & publicanum: vt Chriſtus ſe non audiri, Chri-
ſtus ſe ſperni dicat, ſi quis Præpoſitos ſuos non audierit: denique, vt minimè ob-
ſcutis vetbis affirmet Apoſtolus eius, damnationem ſibi acquirere, ſi quis vel ſæculari et-
iam, quantò magis Eccleſiaſticæ poteſtati, reſiſtat.

CAPVT CV.

Caluinus eſt iniurius & blaſphemus in Eccleſia Prælatos, &c.

IAM vnum hîc adhuc verbum dumtaxat addendum, ad improbam & ſceleratam Caluini mentem intelligendam, vtpote, qui non ſolùm poſterioribus Eccleſiæ Præpoſitis omnem adimit poteſtatem ſtatuendi in Eccleſia vel mandandi, quod ad ſalutem Eccleſiæ vel Fidelium expedire iudicent; verùm etiam Apoſtolis ipſis, talibus Eccleſiæ tantisque magiſtris, qui primitias Spiritus acceperunt. Hic enim dicentem audiuimus, quòd quibus legibus conſtrinxit poteſtatem (vt vult) aliorum Eccleſiæ Prælatorum, iiſdem cancellis terminauerit Chriſtus reuerentiam quam Apoſtolis ſuis voluit exhiberi. vt videlicet nihil ſua auctoritate præcipere Eccleſiæ poſſint, ſed tantummodò quæ ex ore Chriſti acceperunt.

CALVINVS IN APOSTOLOS QVOQVE INIVRIVS.

Idem alibi ſcribit verbis multo maiorem animi petulantiam atque impietatem ſpirantibus, hunc in modum: Si Apoſtoli, inquit, ſunt, id eſt, miſſi à Chriſto; ne garriant quidquid collibitum fuerit, ſed mandata eius à quo miſſi ſunt bona fide proferant. Et
Matth. 28. ſatis clara, inquit, ſunt Chriſti verba, quibus legationem eorum terminauit: Ite, docete omnes gentes, quæcumque præcepi vobis. Similiter, tractans verba illa, de Spiritu ſancto; Ille ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis: Iſta, inquit, reſtrictio attentè notanda eſt, vbi partes Spiritui ſancto aſſignat, ſuggerere, quæcumque antè ore docuit. Sic ille. Vbi notabit Lector blaſphemiam etiam alteram minime paruam, in Chriſtum iuxtà & in Spiritum ſanctum. quòd nimirum Chriſtus Spiritui ſancto, tamquam videlicet rudi ignaroque diſcipulo ſuo præſcribat, quid quantumque Apoſtolis ſuggerere debeat, & partes illi aſſignet, quas excedere nequeat, vel non poſſit. Quis vmquam os, in Deum & Spiritum ſanctum, magis impium & blaſphemum audiuit? Et tamen pòſt, loco alio, aliaque occaſione, longe etiam plura dicentur hac de re, deque ſumma eius in Deum impietate, omni ex parte.

ET IN IPSVM CHRISTVM AC SPIRITVM SANCTVM.

CAPVT CVI.

Spiritus ſanctus plura ſuggeſſit Apoſtolis & Eccleſiæ, quàm quæ Chriſtus expreſſis verbis docuerat.

SED quid ad Scripturas, quas pro ſe citat Caluinus? Quod ad poſteriorem attinet, de Spiritu ſancto, docuit ille ſane & ſuggeſſit Apoſtolis quæcumque illis anteà dixerat & præceperat Chriſtus. Sed non dicit Chriſtus, quòd illa ſolùm docturus eſſet Spiritus ſanctus, & non alia. Quinimò eodem ſermone ad Apoſtolos, ſatis manifeſtè diuerſum ſi-
Ioan. 16. gnificat: Adhuc multa, inquit, habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò:
Tract. 48. in Ioannem. cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Quæ verba Auguſtinus exponens, Admonitio, inquit, beatiſſimi Apoſtoli de veſtris cordibus non
Galat. 1. recedat: Si quis vobis euangelizauerit præterquam quod accepiſtis, anathema ſit. Non ait, pluſquam accepiſtis, ſed præterquam quod accepiſtis. Nam ſi illud diceret, ſibi ipſi præiudicaret, qui cupiebat venire ad Theſſalonicenſes vt suppleret, quæ eorum fidei deerant. Sed qui ſupplet, quod minus erat, addit; non quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, ſed recedit de via. Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Adiicienda illis fuerant quæ neſciebant; non quæ didicerant auferenda. Sic ille.

Homil. 5. in Acta. In quem etiam ſenſum Chryſoſtomus adeò negat partes huiuſmodi præſcriptas Spiritui ſancto, quas Caluinus ſomniat, vt non potuerit docere & ſuggerere niſi quæ Chriſtus antè docuerat; vt diſertis verbis aſſerat, plus multo Apoſtolos poſtmodum à Spiritu ſancto, quàm priùs à Chriſto, didiciſſe: maioremque doctrinæ portionem Spiritui ſancto relictam; idque, ne quis Filio illum minorem putaret.

Lib. 5. de Spiritu ſanct. c. 12. Et Ambroſius, prædicta verba tractans, Docebit vos omnem veritatem: Qui omnem, inquit, dicit, nihil præterit: non diem, non horam, non præterita, non futura. Ergo & præterita, id eſt olim Apoſtolis dicta, docturus erat Apoſtolos Spiritus ſanctus, ſecundùm Ambro-

Ambroſium; & futura, quæ dicta non fuerant. nam ideò dicebat etiam Chriſtus; Et quæ ventura ſunt annunciabit vobis.

Quin & addit ibidem Chriſtus, Arguet mundum de peccato, de iuſtitia, de iudicio. Vbi Apoſtolos tam variam & tam amplam Spiritus ſancti redargutionem docuit Chriſtus, vt illam poſteà Spiritus ſanctus non niſi ex eius ore ſuggeſſerit? Vbi docuit Apoſtolos ſuos de ceſſatione cærimoniarum legalium; & de eo quod poſteà nominatim per Spiritum ſanctum de ſuffocato & ſanguine decreuerunt?

Eadem autem ſolutio ſeruit alteri illi Scripturæ quam profert Caluinus: Docentes eos ſeruare quæcumque mandaui vobis. Monet Chriſtus Apoſtolos, vt illa prædicent quæ ab illo audierant: ſed non vult, vt alia vel plura numquam adijciant, modò ſuæ doctrinæ non ſint contraria: vt nunc ex Auguſtino audiuimus. Hæc autem verba (Quæcumque præcepi vobis) videtur Chriſtus opponere tum præceptis cærimonialibus & iudicialibus legis Moyſis, tum præcipue traditionibus omnibus Phariſaicis. quaſi dicat; Iam non amplius vobis adhærendum ſtatutis Moſaicis, quæ per mortem meam finem accipient. Multo autem minus ſolliciti eſſe debetis, de præceptis & conſtitutionibus Phariſaicis, de quibus multa frequenter audiſtis à Scribis & Legiſperitis: quæ prorſus nihil ad pietatem vel Dei cultum faciunt. Poſthac omnis cura veſtra & ſtudium in illis eſſe debet, quæ ego docui & mandaui vobis, qui de cælo vobis miſſus ſum Doctor & magiſter, vt ſcitis. Hæc retinete memoria; hæc docete, & commendate diligenter omnibus ad quos mittimini.

SENSVS VERBORVM CHRISTI DOCENTES EOS SERVARE QVAECVMQVE MANDAVI VOBIS.

Quod ex Petro Apoſtolo profert Caluinus; Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: nihil ſeruit ad hoc propoſitum. Docet enim Petrus, ſi quis dicendi gratiam habeat, vt docere alios vel exhortari valeat; vtendum eſſe gratia illa ad honorem illius qui dedit, non ad quæſtum aut gloriam propriam: loquendum cum magna reuerentia, non quaſi fabula aliqua narretur, vel quaſi humana aliqua inſtituatur confabulatio; ſed vt meretur ſermo à Deo profectus, atque ad illius honorem, & ſalutem animarum inſtitutus. Similis eſt locus apud Paulum ad Theſſalonicenſes: Accepiſtis à nobis doctrinam Euangelicam, non quaſi verbum hominum; ſed ſicut eſt verè verbum Dei.

1. Pet. 4.

1. Theſſ. 2.

Hac de re nunc ſatis. Videndum deinceps, quid altera pars habeat doctrinæ ſeu propoſitionis Caluinianæ quam audiuimus, in qua ſollicitus eſſe videtur pro iure Eccleſiæ.

CAPVT CVII.

Quomodo dicitur Eccleſia ius habere iudicandi Præpoſitos, Doctores, & Paſtores ſuos: & num hoc ius ad promiſcuum populum vel ad principes aut magiſtratus ſæculares pertineat.

NOVA planè ſollicitudo in hoc homine, niſi mox ſatis conſtaret, quorſum tendat tortuoſus hic coluber. Non eſt noſtrum, inquit, Eccleſiæ ius ſuum eripere. Nimirum, vt exploret quàm benè & fideliter vocationi ſuæ reſpondeant, quos Deus Eccleſiæ ſuæ Prælatos dedit. Ad cuius rei probationem citantur in margine duo loca, 1. Theſſ. 5. Omnia probate, quod bonum eſt tenete. & Ioannis 4. Nolite omni ſpiritui credere: ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt. Quò pertinet etiam, quod paulò pòſt ſubijcit, hiſce verbis Caluinus: Hic ordo, inquit, inter Fideles eſt conſtitutus, Domini voce, vt propheta, qui locum docendi tenet, à conſeſſu iudicetur. ab eo quicumque ſe eximit, è numero Prophetarum ſe prius expungat neceſſe eſt.

Hîc reſpondemus, diſtinguendo. Non enim omnino malè dictum, quod ait Caluinus (ne qua in re immeritò eum reprehendamus) ius datum Eccleſiæ ad explorandum quomodo vocationi ſuæ reſpondeant, qui ad munus Paſtorum ac Præpoſitorum aſſumti ſunt: nam & hoc ſatis indicant etiam Scripturæ prædictæ ex Ioanne & Paulo prolatæ, de probandis ſpiritibus. Sed hic valde hallucinatur Caluinus, ac pænè hæretici omnes noſtri temporis; quod putant ius illud probandi & examinandi doctrinam Paſtorum Eccleſiæ, & de illa iudicium ferendi, datum eſſe hominibus laicis, principibus, magiſtratibus populi, immò & populo ipſi: vt ad iſtorum iudicium doctrina Præpoſitorum Eccleſiæ damnari vel probari debeat; Paſtoreſque vel recipi, aut retineri, vel officio priuari,

prout

prout benè vel malè docere ab his dicerentur. Ea numquam fuit mens vel ſententia Eccleſiæ Dei. Data eſt quidem poteſtas Eccleſiæ iudicandi de doctrina & vita Prælatorum ſuorum: at non omnibus promiſcue qui ſunt in Eccleſia, nec quibuſuis Eccleſiæ membris; ſed ijs dumtaxat, qui ad ſimile regendi ac paſcendi officium à Spiritu ſancto vocati ſunt, viaque conſueta, ordinaria, legitima conſtituti.

Quemadmodum in corpore naturali homo videt, audit, loquitur, intelligit, ambulat, ſed per organa ad vnumquodque horum officiorum deſtinata: ſic & in vrbibus iudicium habetur de operibus & opificijs, quæ inibi exercentur, ne qua fraus interueniat, cum damno aliorum; ſed ab ijs dumtaxat hoc iudicium fertur, qui eiuſdem ſunt operis & opificij, vel rerum illatum periti, ac legitime ad hoc conſtituti. Quinam autem ſint qui

Act. 20. in Eccleſia iudices doctrinæ conſtituti, Scriptura ſacra non tacet. Attendite vobis & vniuerſo gregi, inquit magnus ille Apoſtolus, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Hi ſunt qui vigilare debent & curam habere, ne qua peruerſa doctrina grex Domini corrumpatur. Vnde & ſequitur ibi continenter: Ego ſcio, quòd intrabunt poſt diſceſſionem meam in vos lupi rapaces, non parcentes gregi: & ex vobiſipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe: propter quod vigilate.

Ecce ibi manifeſtè docet Apoſtolus, ad quos pertineat in Eccleſia curam habere doctrinæ ſalutaris: ad Epiſcopos nimirum & Rectores Eccleſiæ. His dicitur, Attendite & vigilate ſuper gregem Domini, ne à lupis diſpergatur, ne à falſis doctoribus corrumpa-

Heb. 13. tur. alijs autem dicitur: Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Illis dicitur: Qui vos audit, me audit. his autem: Quæ dicunt, facite. De illis ſcriptum: Quomodo prædicabunt niſi mittantur? de his: Quomodo audient ſine prædicante? Denique illorum eſt iudicare in Eccleſia de doctrina, quorum eſt & docere. Vt à quibus proficiſcitur doctrinæ traditio, ab iiſdem repugnantiæ eruditionis diſcordes ſoluantur, inquit Ambroſius.

Oratione Funebri Gratiani Imperat. Hoc diſcrimen populi & Rectorum Eccleſiæ pulchre ſubindicat Paulus ad Epheſ. 4. Docet ibi, Fideles omnes vnum Chriſti corpus efficere, quod eſt Eccleſia: ſed in hoc corpore, diuiſiones eſſe miniſteriorum & gratiarum. alios ibi Apoſtolos eſſe, alios Prophetas, alios Paſtores, & Doctores. Et, ne, cum dicit omnes vnum corpus eſſe vnumque ſpiritum habere, ne quis, inquam, inde colligeret, aut exiſtimaret, omnes eſſe præditos eadem ſapientia & poteſtate; addit ſtatim: Vnicuique data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti. Et ne de illa tantum gratia loqui videretur, quæ datur omnibus ad benè viuendum & credendum, non autem de poteſtate ſuprema regendi, docendi, iudicandi, ſubiungit protinus: Aſcendens Chriſtus in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores.

Deinde, docet quem in finem tales Eccleſiæ Rectores dederit. Ad conſummationem Sanctorum, inquit, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti. Pergitque deinde, magis etiam & clariùs explicans mentem ſuam, tantique rem momenti: Vt iam, inquit, non ſimus ſicut paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumuentionem erroris; veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus.

Caput CVIII.

Senſus verborum illorum Apoſtoli; Omnia probate, quod bonum eſt, tenete.

IAM facile erit reſpondere, ad Scripturas à Caluino citatas; Omnia probate, quod bonũ eſt tenete. &, Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt. Hæc procul dubio dicuntur Eccleſiæ: ſed Apoſtoli his verbis cœtum Fidelium alloquentes, non volunt ab omnibus & quibuſcumque illorum probari Doctores vel iudicari qualem doctrinã afferant, quonam modo officio ſuo ſatisfaciant; ſed ab ijs ad quos ſpectat, quique eius rei ex officio notitiam habent: qui nunc in Scripturis ſapientes vocantur, nunc ſpirituales, nunc perfecti; nunc officij nominibus, Præpoſiti, Paſtores, Doctores, Epiſcopi, Rectores. Tota autem Eccleſia facere dicitur, quod per illos ex ſe facit, qui gratiam illam

illam & facultatem à Deo in illum finem acceperunt. Quemadmodum ad ciuitatem ſpectat, vt bonæ merces & ſinceræ vendantur, vtque illum in finem explorentur diligenter, probentur, iudicentur: ſed per eos qui eiuſdem ſunt artis & opificij. alioqui fruſtrà fieret per alios.

Et eadem eſt ſolutio ad locum illum, 1. Corinth. 14. quo præcipuè triumphant, & valdè contra nos gloriantur Nouatores. In primis autem vehementer incertum eſt, quod vel quale fuerit eo tempore donum hoc prophetandi, de quo ibi tam multis Apoſtolus. Sunt qui probabiliter exiſtiment donum fuiſſe quoddam extraordinarium, ſicuti donum linguarum, miraculorum, & ſimilia, quæ fide Chriſtiana ſatis vbique plantata & radicata ceſſarunt. Sed qualecumque donum fuerit, cùm Paulus ait; Prophetæ duo vel tres dicant, & ceteri dijudicent. per ceteros illos non intelligit totum conſeſſum Fidelium, vel quoſuis aut ſingulos de conſeſſu, vt Caluinus in verbis prædictis interpretari videtur: ſed alios qui præſentes erant, prophetas, viros doctos & ſapientes, prophetiæ gratiam & ſpiritum diſcretionis habentes. Hæc res nimis clara eſt: nec pluribus opus eſt verbis. Nunc audiamus, quemadmodum pergat Caluinus in argumento ſuo faſtuoſo: Superbiat, ait, vt volet ſucceſſione Pontifex veſter. etiamſi eam euicerit; nihil tamen inde conſequitur, quàm ſibi obedientiam à Chriſtiano populo deberi, quantiſper fidem ipſe Chriſto ſeruauerit, nec ab Euangelij puritate deflectat.

Poſterius propoſitionis huius membrum non inuiti Caluino largimur: nullam videlicet Pontifici Romano obedientiam à Chriſtiano populo deberi, quando ipſe in vera Chriſti fide non perſtat, & Euangelicæ doctrinæ puritatem non ſeruat. non enim eſt æquum, vt ab alijs obedientiã poſtulet, qui ſuo atque omnium ſupremo Domino obedire recuſet. Sed, ſi tamdiu populus Chriſtianus Pontifici Romano obedientiam debeat, quamdiu ipſe Euangelij puritatem retinet, & in Deo vera religione colendo fidelis & conſtans permanet; iam obtinemus quod quærimus. Numquam enim docebit vel probabit Caluinus, Pontificem Romanum vllum ex tot numero, qui ſemper ſibi mutuo nulla interruptione interueniente ſucceſſerunt, à vera fide aut puritate Euangelica receſſiſſe. Quod ſi poſſit, quamuis dicere tunc adhuc poſſemus, errorem eſſe perſonalem, qui nihil Sedi Romanæ præiudicare poſſit; tamen parati hic ſumus, Caluino magnam victoriæ partem cedere. Quia autem res iſta facti eſt (vt vulgò loquimur) non iuris; & affirmanti incumbit probatio: nos hîc non erimus longiores.

CAPVT CIX.

Romanus Pontifex eſt ſancti Petri ſucceſſor.

SED, quia dicit, Romanum Pontificem de Petri ſucceſſione ſuperbire; & dubium facere nititur ac in incerto ponere, num illam ſucceſſionem poſſit euincere; de hac re diligentiùs paulò fuſiuſque agendum nunc nobis.

Et primum quidem, non eſſe rem parui momenti, quòd Pontifex Romanus Petri Apoſtoli ſucceſſor dicitur; non ſolùm Romani iſti Pontifices, ſed plerique etiam alij Eccleſiæ Patres celeberrimi, obſeruarunt. Nos hîc vnum atque alterum dumtaxat exempli cauſa proferemus, ne in re luce meridiana clariore non neceſſaria teſtimoniorum multitudine Lectorem remoremur.

Irenæus, ſcriptor antiquiſſimus, ſucceſſionem perpetuam Romanorum Pontificum iam inde à ſancto Petro ordine enumerat, ad ſua vſque tempora: & grauiſſimis verbis dicit, ſe per illam ſucceſſionem confundere omnes, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam, præterquam oportet colligunt. Et addit, hanc eſſe pleniſſimam oſtenſionem veræ Eccleſiæ, & ſanæ doctrinæ: denique illis presbyteris obaudiendum eſt, inquit alibi, qui cum Epiſcoporum ſucceſſione chariſma veritatis certum ſecundùm Patres acceperunt. *Lib. 3. c. 3.* *Lib. 4 cap. 42. & 44.*

Ecce, quomodo iam Caluinus, cum ceteris omnibus hæreticis cuiuſuis generis vel temporis, à tanto viro pudefactus ac manifeſtæ falſitatis conuictus ſit. Simili modo Auguſtinus, per continuam ſucceſſionem Romanorum Pontificum à primo Petro Apoſtolo, Donatiſtas hæreticos ſui temporis conuicit. Quos alloquens in Cantico doctrinali, à ſe contra eoſdem ad populi ſui inſtructionem ſimplicibus verbis compoſito; Venite, inquit, fratres, ſi vultis vt inſeramini in vite. Dolor eſt, cùm vos videmus ita præciſos iacere. *Pſalmus contra partem Donati.*

re. Numerate ſacerdotes vel ab ipſa Petri ſede: & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit, videte. Ipſa eſt petra, quam non vincunt infernorum portæ. Et idem contra epiſtolam fundamenti: Multa ſunt, inquit, quæ me in Eccleſiæ gremio iuſtiſſimè tenent; tenet me conſenſio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata; tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem ſuam Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio ſacerdotum. Sic Auguſtinus. Quæ eius verba, alia occaſione poſtmodum, alioque loco, aliquanto penitiùs conſiderabimus. Similia etiam habet Epiſtola 165. vt antea etiam vidimus.

Cap. 4.

CAPVT CX.

Hæreticis non eſt legitima miſsio nec ſucceſsio.

DENIQVE Tertullianus, contra hæreticos agens, in eumdem ſenſum: Edant origines eccleſiarum ſuarum, inquit, euoluant ordinem Epiſcoporum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerint, auctorem habuerint & anteceſſorem. Hæc totidem verbis nunc dicenda Caluino noſtro, ceteriſque hæreſiarchis omnibus noſtri temporis: Edant origines eccleſiarum ſuarum; euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, &c. Sed nō poſſunt; & propterea, vel vno hoc argumento conuincuntur manifeſtè, non aliud eſſe, quam meros impoſtores & ſeductores; imò (vt Saluator ait) veros fures ouium Chriſti & latrones. Similes ſunt Nouatianis hæreticis, de quibus ex Cypriano ſuprà audiuimus, quòd nemini ſuccedentes, à ſe ipſis ordinati ſunt, & de ſe ipſis naſci voluerunt.

CALVINVS CONIVGERE DEBET AD MISSIONEM EXTRAORDINARIAM VT NOVVM SVVM MINISTERIVM TVEATVR.

Si quis autem nunc fortè ſcire deſideret, quidnam ad hæc alibi dicat Caluinus (quem argumentum hoc noſtrum, ex perpetua deſumtum ſucceſſione, latêre non potuit, vt hic etiam prædictis ſuis verbis ſatis ſubindicat) & quid hîc pro ſe & pro noua ſua eccleſia Geneuenſi reſpondeat; quomodo ſuum in ea nouum miniſterium tueatur: non aliam poteſt inuenire elabendi rimam, quàm dicendo, ſe extraordinaria vocatione miſſum à Deo ad reſtitutionem labentis atque intereuntis Eccleſiæ Chriſti; quemadmodum Prophetæ olim, Apoſtoli, & Euangeliſtæ mittebantur. * Munus ipſum, inquit, extraordinarium appello; quia in Eccleſijs ritè conſtitutis locum non habet. Sic ille, de ſua vſurpata poteſtate ac miniſterio in Eccleſia: quibus ſimilia pòſt etiam audiemus in hac ipſa aduerſus Sadoletum Epiſtola. Atque idem plane & alij omnes hæreſiarchæ noſtri temporis de ſe quiſque dicunt; qui ſua poteſtate, auctoritate, operâve & auxilio Principis aut magiſtratuum ſęcularium in Eccleſiaſticum miniſterium inuaſerunt. Sed, quid nos contrà hîc replicabimus? Dicemus id verbis potiùs Tertulliani * quàm noſtris: Probent, inquit, ſe nouos Apoſtolos; dicant iterùm Chriſtum deſcendiſſe, iterùm docuiſſe, iterùm crucifixum, iterùm mortuum, iterùm reſuſcitatum. Sic enim ſolet Apoſtolos facere: dare eis prætereà virtutem eadem ſigna edendi quæ & ipſe. Volo igitur & virtutes & miracula eorum proferri. Sic ille. Cui ſi fortè minus credit Caluinus in hac materia, vel patrum verbis ac rationibus eius mouetur; non repugnabit ſaltem ſcientiæ doctrinæque patris ſui ac profeſſoris Lutheri, magni illius ac primi quodammodò Apoſtoli omnium noſtri temporis nouarum eccleſiarum. Hic, cùm Muntzerus, ille magnus Anabaptiſta, è Saxonia eiectus Mulhuſium pergeret, ſcripſit ad Mulhuſienſium magiſtratum; rectè eos facturos, ſi rogent ex illo, quis docendi munus illi commiſerit. &, ſi Deum nominet auctorem; tum iubeant hanc ſuam vocationem aliquo euidenti ſigno comprobare: quod ſi repręſentare nō poſſit, vt repudietur. hoc enim eſſe Deo proprium & familiare; vt quoties formulam conſuetam & rationem ordinariā velit mutare, tum voluntatem ſuā aliquo ſigno declaret. Vix vmquam Lutherus quidquam melius ſcripſit, inter pauca quæ ſcripſit ac dixit benè. Et, ne quis de rei veritate dubitet, non eſt Cochlæus qui hoc refert, qui nihil tamen de Luthero non verum memorauit, nec eſt quiſquam e Catholicorum numero, quos omnes hæretici religionis nomine ſuſpectos habent in huiuſmodi: ſed eſt egregius ille Sleidanus, qui hiſtoriam ſuam in gratiam Lutheri & fautorum illius tot ſplendidis fœdiſq; mendacijs inferciuit; vt non deſint graues auctores, qui libros ſcripſerunt

** Lib. 4. Inſtit.*

QVID CALVINO DESVPER RESPONDENDVM.

** De Præſcript.*

Sleidanus lib. 5.

pſerunt de vndecim millibus, non ſanctarum Virginum Colonienſium, ſed mendaciorum nefandorum Sleidani.

Conſonat autem planè hoc Lutheri conſilium, doctrinæ Innocentij Tertij, libro quinto Decretorum, titulo 7. De hæreticis, capite, Cum ex adiuncto. Poterit Lector locum videre. Sed quo iure hoc Lutherus dixit de Muntzero, eodem prorſus iure ac ratione de ipſo Luthero dicendum erat, cùm primus omnium in Eccleſiam inueheret nouam doctrinam, numquam priùs auditam: vt & de Caluino, deque omnibus, qui eum in hoc docendi genere pòſt ſecuti ſunt. Poſt hæc, Caluinus, vt auctoritatem Eccleſiæ, qua ſe vehementer grauari ſentit, conuellat atque imminuat; longam diſputationem inſtituit, & multa facit verba, de re, non quidem friuola certè aut ſuperuacanea, ſed quæ tamen non valdè per ſe obſcura eſt, niſi Nouatores iſti (vt lucem veritatis extinguant) nebulas multas oculis imperitorum offunderent.

CAPVT CXI.

In tentatione de fide vel religionis veritate, ad Eccleſiam eſt confugiendum.

QVÆRITVR autem, quò ſe vertere debeat, qui de fide vel religionis veritate tentatur, in his præcipue ac tantis Chriſtianæ doctrinæ diſſidijs, & anxius eſt ac ſollicitus de ſalute ſua ſempiterna. Sadoletus dixerat, tutiſſimum eſſe, agnoſcere hic & venerari Eccleſiam: in eius doctrina acquieſcere, leges eius, monita, decreta, tamquam diuina oracula, recipere, colere, obſeruare; atque ita ſalutem ſperare ſibiq; polliceri perpetuam. Hoc Caluinus haudquaquam: proinde, hanc doctrinam adnititur multis argumentis infirmare.

Primò, dicit animam Satanæ obnoxiam eſſe, quæ aliunde quàm à Deo vno pendet: propterea miſerrimos eſſe, qui talibus fidei rudimentis imbuuntur, vt in religionis controuerſijs ad Paſtores ſuos ac Eccleſiæ Rectores confugiant.

Secundò, hominem per huiuſmodi doctrinam in tam lubrico & tam præcipiti loco conſtitui, vt vix ad momentum poſſit conſiſtere, ſi quando vel minimum impellatur.

Tertiò, ait Paulum docere, vnico gladio verbi Dei pugnandum eſſe militi Chriſtiano. ergo inermem Diabolo ad necem dedi animam, quæ verbo Dei ſpolietur.

Quartò, primum excutiendi homini verbum Dei modum eſſe, vt Satan dubitationem illi iniiciat, ſitne verbum Dei cui innititur, an verbum hominis.

Quintò, Quid miſero, inquit, hic facies? Iubebiſne circumſpicere, vbinam ſint viri docti, in quos reclinatus quietem capiat? at, ne reſpirare quidem in hoc ſubterfugio ſinet hoſtis; nam, ſi ſemel eò impulerit, vt in homines incumbat, vrgebitur, percellet magis magiſque, donec præcipitem dederit.

Sextò, Aut ex facili ergo, inquit, opprimetur, aut relictis hominibus rectà in Deum reſpiciet.

Septimò, Ita ſanè res habet: fidem Chriſtianam non humano teſtimonio fundatam, non ambigua opinione ſuffultam, non hominum auctoritate ſubnixam eſſe oportet; ſed digito Dei viuentis, cordibus noſtris inſculptam, vt nullis errorum fucis obliterari queat.

Octauò, Nihil itaque habet Chriſti, qui hæc elementa non tenet: Deum vnum eſſe, qui mentes noſtras ad perſpiciendam ſuam veritatem illuminat; qui eodem ſpiritu illam cordibus noſtris obſignat, qui certa eius iuſtificatione conſcientias confirmat.

Nonò, Vtcumque tumultuetur mundus, opinionumque varietate perſtrepat; numquam tamen ſic deſtituitur Fidelis anima, quin rectum ad ſalutem curſum teneat.

Decimò, Quantiſper Dei verbo inſiſtit, numquam ita deprehenſam teneri, vt in exitium abducatur.

CAPVT CXII.

Decem prædictæ propoſitiones Caluini euertuntur.

HÆc omnia tanto ſtudio à Caluino poſita & collecta, quid ſibi velint, & quantum
1. habeant firmitatis, nunc videndum. Et in prima quidem propoſitione fatemur, animam Satanæ inſidijs obnoxiam atque expoſitam eſſe, quæ aliunde quàm à Deo pen-
Ierem. 17. det. Hoc & ratio docet ipſa & Scriptura ſacra. Maledictus homo qui confidit in homine, inquit Propheta, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Sed quid hinc efficit Caluinus? hoc nimirum: ſi Satanæ fraudibus expoſitus eſt, qui aliunde quàm ab vno Deo pendet, ergo miſerrimus eſt, qui in religionis controuerſijs, ad Eccleſiam, vel ad Paſtores eiuſdē & Rectores ſe recipit. At verò, iſtam conſequentiam nos negamus. Ad Eccleſiam enim confugere, ſiue ad legitimos Præpoſitos & Paſtores illius, non eſt à Deo recedere, ſed planè illi fideliter adhærere. Deus enim non eſt extra Eccleſiam, vel contra Eccleſiam ſuam, nec Eccleſia extra Deum, vel ſine Deo, aut contra Deum. non magis quàm maritus non deſerit vxorem ſuam, nec vxor maritum. qua de re in veteri Teſtamento ſic Iſaias: Hoc fœdus meum cum ijs dicit Dominus: Spiritus meus qui eſt in te, & veritas mea quæ poſita eſt in ore tuo, non recedet de ore tuo, vel de ore ſeminis tui, vel de ore ſeminis ſeminis tui: dicit Dominus, à modò & vſque in ſempiternum. Quod ijſdem pænè verbis Chriſtus in nouo Teſtamento repetens, ad conſolationem ſolidam
Ioan. 14. & ſempiternam in ſe credentium; Ego, inquit, rogabo Patrem, & alium Paracletum da-
Matth. 28 bit vobis, ſpiritum veritatis, vt maneat vobiſcum in æternum. Et alio loco: Ego vobiſcum ſum, omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi. Quæ cùm ita ſint, qui Eccleſiam audit, eiuſque doctrinam ſequitur, Deum audit & verbum illius. Sicut etiam
Luc. 10. dilucidè ſcriptum ijſdem verbis eſt: Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.

QVI ADHAERET ECCLESIAE, NON RECEDIT A DEO. *Cap. 59.*

II. Atqui, ait Caluinus, qui ab hominum ſenſu pendet, in tam lubrico & præcipiti loco conſtituitur, vt vix ad momentum poſſit conſiſtere; ſi quando vel minimùm impellatur. Sic habet ſecunda eius propoſitio. Atqui, nos contrà negamus, eum qui Eccleſiæ Catholicæ doctrinam ſequitur, ab humano ſenſu pendere. Iam enim oſtendimus, Eccleſiæ Paſtorumque & Rectorum illius ſenſum, Dei ſenſum & voluntatem eſſe. Qui vos audit (inquit de legitimis Eccleſiæ Paſtoribus) me audit. Et Paulus: [a]Qui hæc ſpernit (de rebus agens multo leuioribus) non hominem ſpernit, ſed Deum. Quare, nequaquam in lubrico vel præcipiti collocatur, qui fundatur in ſenſu & conſenſu Eccleſiæ; ſed in fundamento omnium firmiſſimo ac certiſſimo. Eſt enim Eccleſia [b]domus Dei non in arena fundata, ſed ſuper Petram firmiſſimam: & eſt columna veritatis, [c]aduerſus quam ne portæ quidem inferni præualebunt.

QVI ECCLESIAE ADHAERET, NON EST IN LVBRICO POSITVS, SED IN SOLIDISSIMO FVNDAMENTO.

[a] *1. Theſſ. 4.* [b] *1. Tim. 3.* [c] *Mat. 16.*

III. At Paulus docet (inquit tertia propoſitio) militi Chriſtiano haud alijs armis pugnandum, quàm verbo Dei. Sic loquitur haud dubiè Apoſtolus ille ad Epheſios ſexto: Gladium, inquit, ſpiritus accipite, quod eſt verbum Dei. Sed quomodo: num vult Apoſtolus vnicuique Fidelium notos eſſe debere locos omnes ſacrarum Scripturarum veteris & noui Teſtamenti, vt contra omnes inimici tentationes aut inſultus, qui ſunt innumeri, propriá ſemper Scripturá afferre queat: ſicut faciebat Saluator, cum tentatore dimicans in deſerto? At, hoc vix eruditiſſimi & perfectiſſimi quique in Eccleſia præſtare queunt. Senſus igitur Apoſtoli eſt, vnumquemque Fidelium ſuo modo, & ſecundùm menſuram & captum ſuum, vti debere contra hoſtis infernalis inſidias gladio verbi Dei. Dum rudis quiſpiam & idiota ab hoſte huiuſmodi, aut ab aſſeclis eius hæreticis, in negotio fidei impugnatur; ſi alium gladium ex verbo Dei ad manum non habet, ſumet illum qui omnibus eſt paratus & expeditus, dicetque tentatoribus: Non poſſum (equidem fateor) cunctis rationibus & argumentis veſtris reſpondere; nec hoc didici, nec eſt vocatio mea; ſed ego filius ſum Eccleſiæ Catholicæ, in ea & ab ea baptizatus, & enutritus: credo quod illa credit & credendum præcipit; in eoque benè ſecurus requieſco. Scriptum eſt; Obedite Præpoſitis veſtris. &, Qui vos audit, me audit. &, Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Quare fruſtrà mihi ſuadetis & proponitis quod eſt contra Eccleſiam.

QVOMODO FIDELES PRAESERTIM IDIOTAE ARMATI ESSE DEBENT VERBO DEI, CONTRA TENTATIONES IN FIDE.

Quæſo

Quæſo, qui ſic reſpondet, an cuiquam videri poteſt non benè, aut non ſatis armatus eſſe gladio verbi Dei? Ergo, verum eſt quidem, quod in tertia propoſitione Caluinus dicit, inermem Diabolo ad necem obijci animam, quæ verbo Dei ſpolietur: ſed qui in controuerſijs fidei ad Eccleſiam confugit, eiuſque ſententiæ acquieſcit, nequaquam deſtituitur verbo Dei: ſed hæretici illo ſeipſos ſpoliant, vel ſpoliantur volentes, operâ Satanæ. Quamuis enim ſæpè in ore habeant verbum Dei, & Scripturas proferant magno numero; tamen, dum vtuntur contra ſenſum & conſenſum Eccleſiæ, non habent verbum Dei, ſed merum verumque verbum Diaboli, vt antè oſtendimus.

Nunc pergamus ad propoſitiones ſequentes. In quarta propoſitione dicit, Satanam IV.
ex more habere, illam miſeris hominibus dubitationem primùm inijcere; num verbum
Dei ſit cui innituntur, an verbum hominis. Et in quinta propoſitione, Quid miſer, ait, V.
hîc faciet? Circumſpiciet vbinam ſint viri docti, in quos reclinatus quietem capiat? At, ne reſpirare quidem in hoc ſubterfugio ſinet. nam, ſi ſemel eò impulerit, vt in homines incumbat, vrgebit ac percellet magis magiſque, donec præcipitem dederit.

Hîc reſpondemus, perfacile quidem inimico eſſe, præcipitem dare, atque in æternam damnationem pertrahere, quem eò ſemel impulerit, vt in homines incumbat. Sed nos iam planum fecimus, in homines minimè recumbere, qui recumbit ſecurus in fidem Eccleſiæ, eiuſque doctrinæ ac decretis inhæret. hoc enim eſt in Deum ipſum & in verbum eius recumbere, qui Eccleſiam audiri vocemque illius ſequi toties, & tam diſertis verbis, mandauit: Eccleſiamque ſuam ſuper montem petroſum tam benè fundauit, vt nulla tempeſtatum, ventorum, pluuiarum, procellarum vi diſijci, euerti, concuti valeat. Simili firmitate pollet, quiſquis Eccleſiæ fide atque auctoritate nititur.

QVI IN FIDE ECCLESIAE ACQVIESCIT, NON RECVMBIT IN HOMINES.

Quod verò ad primam partem quartæ propoſitionis attinet, non negamus quin illa arte ac fraude libenter vtatur Satan, vt perſuadeat hominibus non eſſe verbũ Dei, quod pro tali in ore habent, & quo ſe tutos exiſtimant. Sed ſimul etiam dicimus, apud nullos Diabolum hac arte plùs proficere, quàm apud Caluini & ſimilium ſeductorum diſcipulos; qui ab Eccleſia receſſerunt, in qua ſola eſt verum & purum verbum Dei: & qui vt plurimùm neſciunt, quid pro verbo Dei habendum ſit; vtpote nullam hac in re certam regulam ſequentes, ſed opiniones dumtaxat magiſtrorum ſuorum. quos inter, quod hic pro verbo Dei colit, ille reijcit. Caluinus, exempli cauſa, hiſtoriam adulteræ, initio octaui capitis apud Ioannẽ, pro verbo Dei agnoſcit, ſentiens ea in re cum Eccleſia. Satis conſtat (inquit in Commentarijs ſuis) hiſtoriã hanc olim Græcis fuiſſe ignotam: itaque nonnulli conijciunt aliunde aſſumptam eſſe. Sed, quia ſemper à Latinis Eccleſijs recepta fuit, & in plurimis vetuſtis Græcorũ codicibus reperitur, & nihil Apoſtolico ſpiritu indignum continet, non eſt cur eam in vſum noſtrum accommodare recuſemus. Sic ille. Quid Beza, diſcipulus eius primarius, & in ſede Geneuenſi ſucceſſor? Ad me, inquit, quod attinet; non diſſimulo, mihi meritò ſuſpectum eſſe, quod veteres Græci vel reiecerunt vel ignorarunt. Deinde quod narrat, Ieſum ſolum relictum fuiſſe cum muliere in templo; neſcio quàm ſit probabile. Hæc ille audacter. Qui eamdẽ ob rationem, & maiorem etiam, ſuſpectum habere potuit totum illud prolixum ac memorabile colloquium Ieſu cum muliere ſola Samaritana ad puteum Iacob, Ioannis quarto. Addit tamen alteram etiam rationem, eiuſdem ponderis. Et quod ſcribit, inquit, Ieſum digito ſcripſiſſe in terra; nouum mihi & inſolens videtur: nec poſſum conijcere, quomodo poſſit commodè explicari. Et tamen præceptor eius Caluinus, (quem aliàs in explicandis ſacris Scripturis tantum non Deum facit) locum hunc non incommodè explicauit, vt alias omnes veterum iuxtà ac recentiorum interpretationes omittam. Sed iſtis hominibus cõtingit planè, quod ille ait; Quod volumus, ſanctum eſt. Ex aduerſo, Apocalypſim Ioannis Caluinus reijcit, vt antè audiuimus, alia occaſione; Beza recipit, ac defendit contra quorumuis cauillationes.

CATHOLICI NON DVBITANT QVID SIT VERBVM DEI, NIMIRVM QVOD HABET ECCLESIA. SED APVD HAERETICOS HABET MAXIME LOCVM HAEC DVBITATIO. IMO, CERTO SCITVR, NON ESSE APVD EOS VERBVM DEI.

Nec minor differentia eſt, in ſenſu atque interpretatione Scripturarum, inter Nouatores, pugnantes ea in re non ſolùm nobiſcum, ſed vehementiſſimè etiam inter ſeipſos. Quomodo igitur apud iſtos aliquid certi & explorati eſſe poterit, ad conſcientiæ conſolationem & ſecuritatem, de verbo Dei, inimici præſertim infernalis inſidioſis tentationibus, ac violentis impulſibus accedentibus?

Verùm, vt hæreticus non ſit, quem tentat Satan in cauſa verbi Dei, num reuerà ſit verbum Dei cui miſer homo innititur, an non; vel, num is ſenſus ſit verbi illius aut Scripturæ quem eſſe putat; quid hîc faciet etiam Catholicus quiſpiam à Diabolo oppugnatus,

gnatus, & in Eccleſiam non recumbens; ſed vel ſuo ipſius ingenio nitens ac fidens, vel diuina etiam aliqua reuelatione fortaſſis, qua ſe tactum arbitrabitur? Notum eſt, propriam perſuaſionem ſenſus noſtri ſæpiſſimè fallere; & frequenter eſſe illuſionem Satanicam, quam cæleſtem illuſtrationem & diuinam reuelationem eſſe putamus. Quid ergo? Num iubemus hîc circumſpectare circumſtantes, vel recumbere in abſentes aliquos doctos, in quos velut in homines noſtri ſimiles incumbamus? vel vt humanis quibuſuis præſidijs fidat, qui tentatur? Nequaquam. Scimus enim hæc omnia infirma eſſe & fallacia. ſed, docemus, vt in auctoritatem incumbat, (vti ſæpè iam diximus) Eccleſiæ Dei. Quæ fiducia, cum vera præſertim Dei charitate coniuncta, numquam fallet.

Eſt quidem in Eccleſia Catholica ſecretiſſima illa & ſumma ſapientia, qua myſteria Fidei noſtræ & ſacrarum Litterarum intelliguntur vt oportet, & ad aliorum etiam inſtructionem explicantur: ſed, ad huius ſapientiæ agnitionem illi tantùm perueniunt, qui ab Apoſtolo ſpirituales & perfecti appellantur: nec ij etiam omnes, ſed pauci ex ijs tantummodò; vt rectè Auguſtinus annotauit. Nam ex parte ſolùm cognoſcimus, in hac vita, vt Apoſtolus ait, ac velut in ſpeculo ſolùm, etiam qui ſpirituales & perfecti vocamur. ceteram verò turbam, quæ eſt in infinita multitudine, non intelligendi viuacitas (vt idem Doctor ait) ſed credendi ſimplicitas, tutiſſimam facit. Qui & alibi veriſſime ſapientiſſimeque ſcripſit: Si propter eos ſolos Chriſtus mortuus eſt, qui certa intelligentia poſſunt quæ ad fidem pertinent diſcernere; pæne fruſtrà in Eccleſia laboramus. Sic ille, & optimè.

Contra Epiſtolam fundam.
1. Cor. 13.
Epiſtola ad Euodium.

VI. Quod in ſexta Caluini propoſitione dicitur, facilè à Satana ſeductum atque oppreſſum iri, qui relictis hominibus non rectà in Deum reſpiciat; non inuiti admittimus, modò hoc nobis viciſſim largiatur, non rectà aſpici vel cognoſci Deum, niſi in Eccleſia, vel per Eccleſiam: extra vero Eccleſiam nullam eſſe cognitionem Dei ſaluificam vtilemque ad vitam æternam. Quicumque ſeſe ab Eccleſia ſepararunt, velamen habent ſuper faciem & ſuper cor ſuum, vt ad veram & ſalutarem Dei cognitionẽ peruenire non poſſint.

2. Cor. 3.

VII. & VIII. In ſeptima ſimiliter & octaua propoſitionibus, nihil ſimiliter difficultatis facimus, præterquam cùm in vltima octauæ propoſitionis clauſula dicitur, Deum certa veritatis teſtificatione confirmare conſcientias noſtras; niſi hoc de illa ac tali certitudine intelligatur, qualem docet fides Catholica: nimirum, de bona certitudine ſpei, vt ſuprà latiùs explicauimus. Nam, ſi hîc Caluinus fidem ſuam ſpecialem (quæ vocatur) nobis vellet commendare, qua & ipſe & alij Nouatores docent, vnumquemque Fidelium certum eſſe debere in conſcientia ſua, de remiſſione peccatorum ſuorum, de veritate gratiæ Dei in ſe, & quòd demum pro certo adepturus ſit vitam æternam; talem veritatis teſtificationem Eccleſia non agnoſcit, vt antè latiùs declarauimus.

IX. In nona propoſitione, confitemur etiam cum Caluino, vtcumque tumultuetur mundus, aut opinionum varietate perſtrepat, numquam tamen ſic deſtitui animam fidelem gratia Dei, quin rectum ad ſalutem curſum teneat: ſed videlicet, ſi ſe anima in Eccleſiæ gremio contineat, illaque huiuſmodi ſalutis conſilia ſequatur, illa media amplectatur, quæ præſcribit Eccleſia.

X. Similis eſt decima propoſitio; quantiſper Dei verbo inſiſtit, numquam ita deprehenſam teneri, vt in exitium abducatur: hoc verum eſt ſanè; ſed intereſt magnopere quomodo inſiſtas verbo Dei, ad ſempiternum exitium deuitandum.

CAPVT CXIII.

Nullus rectus vſus verbi Dei, nec vlla contra inimici tentationes victoria per verbum Dei, extra Eccleſiam.

NAM, ſe confirmare velle verbo Dei contra inſidias omnes & tentationes inimici extra Eccleſiam, nihil hoc modo agitur: vt in ſuperiorum propoſitionum confutatione iam ſatis oſtendimus. Nemo enim tam doctus, tam ſapiens, tam diſertus eſt (vt nihil de rudibus & ſimplicioribus dicam) qui ſe tueri poſſit, quamlibet magna armorum multitudine ex Scripturis deſumta, aduerſus impugnationes Satanicas, niſi in medio militet Eccleſiæ Catholicæ, & ab illa accipiat arma omnia, iuxtaque illius præſcriptum vtatur.

Quod

Quod vt cunctis perſpicuum fiat, notum eſt, ſectas ab Eccleſia diuiſas, eſſe propè innumerabili multitudine. Dicet igitur Caluini diſcipulus quiſpiam, ſe armis verbi Dei confidere circa doctrinã Cœnæ Domini, contra omnes dæmonũ inſultus, quæ Caluinus ipſi ſuppeditauit, ijſque ſe probè tutum fore, nec poſſe in exitium propelli, qui inſiſtit verbo Dei firmiter. At idem dicet etiam Lutheranus quilibet, ſuis armis pugnans, quæ ſunt armis Caluini planè contraria. Idem denique alius quiſpiam, qui alijs armis rurſus vtetur. Et erunt ſtatim viginti facilè & amplius inter ſe contrarij, & quorum vnuſquiſque damnabit alterum, qui ſibi omnes ſuis armis verbi Dei, ſuaque animi certa perſuaſione victoriam pollicebuntur contra hoſtem infernalem dimicantes. Et tamen fieri non poteſt, vt tali mentis & conſcientiæ ſecuritate omnes vincant & triumphent: cùm ſint ſibi inuicem omnes tam contrarij. Cur autem magis ſecurus erit per ſuum verbum Dei cui incumbit Caluiniſta, quàm Martiniſta per ſuum, vel Anabaptiſta per ſuum quoque?

Lutherus frequenter dicebat de ſua doctrina, ſe certum eſſe, quòd de cælo eam habe- *Cochl.*
ret. Anathema dicebat omnibus, qui dogmata ſua impeterent: hominibus & Angelis *1523. &*
maledicebat, & omnibus generaliter, qui doctrinæ ſuæ contradicerent. *1524.*
Caluinus non minùs affirmabat, ſe certum eſſe de veritate & puritate doctrinæ ſuæ, vt pòſt videbimus. Notum eſt autem, Lutheri doctrinam & Caluini, inter ſe in maximis rebus pugnare. Quomodo poteſt igitur vterque de veritate doctrinæ ſuæ verum habere cæleſtemque certitudinem?

Iam verò, ſicut Lutherus & Caluinus aſſerunt, ſe certò ſcire, doctrinam ſuam à Deo profectam, ſic multo etiam certiùs clamant de doctrina ſua Anabaptiſtæ idem; quæ tamen à Luthero iuxtà & Caluino maximæ impietatis & falſitatis damnatur. Audiamus tamen, quid de doctrina ſua ſcribat Menno Friſius, Anabaptiſtarum doctiſſimus: Certè, inquit, non poſſum hac in re decipi, Pater cæleſtis: verbo tuo credidi, illudque accepi per Spiritum ſanctum, vt certum veritatis verbum. & paulò pòſt: Ego ſcio certò & firmiter, quòd meâ doctrinâ, quæ eſt verbum Dei, in die iudicij non ſolùm dominos & principes, non ſolùm mundum, ſed ipſos etiam Angelos iudicabo. Sic ille non minùs audacter & confidenter, quàm vel Caluinus vel Lutherus de ſua quiſque doctrina, tamquam de puro putoque Dei verbo, magnificè iactat.

Diuus Hieronymus ad Damaſum ſcribens, de tribus Epiſcopis, parum Catholicis; Meletius, inquit, Vitalis, atque Paulinus, tibi hærere ſe dicunt: poſſem credere, ſi hoc vnus diceret; nunc autem duo mentiuntur, aut omnes. Acumen verè Hieronymo dignum. Idem nos hîc dicere poſſumus, de tam multis, qui dogmata ſua, quamlibet inter ſe pugnantia, ſe dicunt ac iurant de cælo recepiſſe. Vel vnum hoc argumentum ſatis declarat, nequaquam ſatis eſſe, de nudo verbo Dei gloriari, ad ſalutem; ſed illud præterea requiri firmum & ſolidum, quod idoneum faciat ad victoriam & ſalutem. Quod profectò non eſt alibi, vbicumque vel quomodocumque quæras, quàm in Eccleſia Dei: cui vni Deus credidit verbum ſuum, pro armis optimis ac certiſſimis, ad conſeruationem, defenſionem, & ſalutem æternam filiorum ipſius, contra hoſtes eorum omnis generis.

Verbum Dei eſt inſtar bonæ medicinæ, quę virtutem quidem habet in ſanandis multis morbis, ſed benè applicata per illum, qui artis illius peritus eſt, vel medicinã facit: alioquin, malè applicata, vel non ſuo tempore data, obeſt plurimùm: ſic verbum Dei & ſancta Scriptura, etſi per ſe virtutis ſit, præſtantis atque vtilitatis incomparabilis; tamen non niſi in Eccleſia & ab Eccleſia ad vſum accommodetur, non modò nihil prodeſt, ſed obeſt etiam plurimùm vtentibus pro arbitrio ſuo.

CAPVT CXIIII.

Quomodo Profeſſor quidam Theologiæ in morbo de fide tentatus, ſe non aliter extricare potuerit, quàm credendi ſimplicitate carbonarij.

REFERVNT Scriptores quidam, ad hoc propoſitum, hiſtoriam memorabilem, nec *Libello de*
vtilem minus quàm lepidam & facetam. Narrat eam ſuccinctè Eraſmus Rotero- *præpar. ad*
damus; ſed magis nobis arridet, ſicut à Pighio ſcripta in hierarchia Eccleſiaſtica. Eximius, *mortem.*

ait, quidam Sacrarum litterarum Profeſſor, cùm in ſimpliciſſimum quemdam (vt ſibi videbatur) incidiſſet hominem carbonarium; animi cauſa, & curioſitate quadam tentandi ſimplicitatem hominis, percontabatur eum de ſua fide, quid crederet. Qui præter generales illos articulos fidei de Deo, quos frequenter in Eccleſia audiendo didicerat, ac memoriæ mandauerat, ad cetera interrogata omnia, nihil reſpondit aliud, quàm ſe credere, quod Eccleſia crederet. De Eccleſiæ tamen fide nihil habens definiri ac explorari, interrogantem de hac multa, vno velut circulo quodam eludebat. nam de ſingulis vlträ interrogatis, hoc ſe tantùm ſcire ac reſpondere poſſe dicebat; ſe credere quod Eccleſia crederet; & Eccleſiam credere, quod ipſe: nec plus ab eo aut amplius potuit extorqueri. Accidit poſteà, vt idem Theologus ex grauiſſimo morbo decumbens, & in vitæ periculum incidens, aſtu Satanæ grauiter de fide tentaretur: vnde ſeſe aliter explicare non potuit, quàm recordatione, ſimplicis quidem, ſed tutiſſimæ fidei illius carbonarij: ad quam, in æſtu illo tentationis vehementer conquaſſatus & diſtractus, velut ad ſecuriſſimum portũ refugere coactus fuit: ita vt ſubinde alta voce exclamaret; Vt carbonarius, vt carbonarius. Mirabantur aſſidentes; & ex vi morbi delirare hominem, ac aliena loqui, credebant. Ille verò ſanitati reſtitutus, vniuerſam illis rem explicat ordine; & quòd in illa agonia ſua ad fidem carbonarij, id eſt, Eccleſiæ Catholicæ, tamquam ad aſylum tutiſſimum, confugiſſet: in qua plus inueniſſet præſidij, in illo neceſſitatis articulo, quàm in omni exercitatione Scripturarum, in qua tota vita ſua verſatus fuerat. Cuius carbonarij niſi exemplum ipſi opportunè ſuccurriſſet, magnum ſe ſalutis periculum ſubiturum fuiſſe. Sic Pighius.

Capvt cxv.

Quomodo quidam iuuenis, concionator hæreticus, in nulla ſecta, ſed in ſola fide Catholica quietem inuenit.

Aliam hiſtoriam non valdè abſimilem ex Staphylo refert Surius, quam non pigebit etiam ad pleniorem Lectoris inſtructionem aſcribere: quando res iſthæc tanti eſt momenti.

Anno 1564. Iuuenis quidam erat, inquit, hæreſi infectus, concionator Miſnenſis (quæ pars eſt Saxoniæ) cui animus aliquando erat mutandi locum, & ſe conferendi in maiorem Saxoniam; ſpe obtinendi loco aliquo celebriori miniſterium aliquod Euangelicum, vt appellabát. Erat autẽ ipſe religione Adiaphoriſta, vt illi tunc vocabantur, qui Melanchthonis doctriná profitebantur. Ea porrò prouincia Saxonię, quò ſe contulerat, Superintendẽtem habuit Illyricanũ quemdá, vnum è diſcipulis Matthię Flacci Illyrici, qui quidẽ diſcipulus fuerat olim quoq; Melanchthonis, attamen non paucis in rebus à præceptoris ſui doctrina deſciuerat, & nouum de ſuo nomine cœtũ inſtituerat: ſicuti Melanchthon etiá multis in rebus doctriná magiſtri ſui Lutheri mutauerat & correxerat. Interrogatus ergo iuuenis iſte à Superintendente Illyricano, quam doctriná profiteretur; reſpódit ſe diſcipulum eſſe Philippi Melanchthonis & Georgij Maioris. Quo audito, Superintendens, Igitur, inquit, Mamalucha es tu? (fuit hoc olim genus quoddã Saracenorum in Ægypto, qui deleti ſunt à Turcis) & apoſtata hæreticus: tantum iam tum intererat inter doctrinã Lutheri atque Melanchthonis. Sciſcitante autem Superintendente, crederétne, bona opera ſaluti æternæ pernitioſa; iuuene verò reſpondente, id ſe non credere, ſed prodeſſe potiùs ad ſalutem; ſtatim velut hæreticus manifeſtus iuſſus eſt exulare: adeò iam citò Illyricani, ex Melanchthone poſt Lutherum exorti, Melanchthonis diſcipulũ oderant. Coactus igitur iuuenis inde ſolum vertere, ex Saxonia venit in Pruſſiam, vberem admodum atque opulentam prouinciam, in qua tunc temporis regnabat Euangelium Oſiandrinum, ex Andrea Oſiandro natum. Ibi admitti poſtulauit ad miniſterium aliquod Eccleſiaſticum. Rogarunt igitur illum qui ibi docebant, num crederet, hominem iuſtificari eſſentiali Dei iuſtitia; &, an eos qui diuerſum ſentirent, non alio quàm hæreticorum loco haberet. Qui reſpondens, aliter docere tum Melanchthonem tum etiam Illyricum, eorumq; doctriná ſe magis probare; ſine pluribus verbis, tota mox ditione Pruſſenici Principis eiectus fuit. Inde igitur venit in vicinam Poloniam, vbi tunc regnantes reperit magna ex parte Caluiniſtas ſeu Zvvinglianos. Quibus auditis, cùm in illorum gratiam deficere

cere

cere nollet à placitis Lutheri, ex quo tamen & Zvvinglius anteà & Caluinus prodierant, ab illis quoque repulſus ac abiectus fuit. Proinde poſt tot repulſas, viſum illi fuit, conferre ſe ad Picardos, quæ reliquiæ erant fæcis Adamitatum in Bohemia. Sed cùm ne illis quidem etiam cum eo conueniret, perrexit in vicinam Sileſiam, quę tunc ferè occupabatur à Zvvenfeldianis. ibi in virum quemdã prouinciæ illius nobilẽ incidens, Zvvenfeldij diſcipulum, & de doctrina Euangelica mentione facta, mox ab eo rogatur, crederétne, externum omne prædicationis & doctrinæ miniſterium eſſe ſuperuacaneum, & omnia eſſe poſita in interna inſpiratione Dei & Spiritus ſancti. Ad quod cùm reſponderet, doctrinam illã, velut impiam & blaſphemam, multis libris à Melanchthone, Illyrico, Caluino, & alijs magnis magiſtris confutatam, reſponſum iſthuc moleſtè ferens nobilis ille, hominem conteſtim à ſe repulit, nec tutam illi habitationem fore in Sileſia declarauit. Quocirca, viſum illi concedere in proximam Morauiam, vbi magnum eſſe numerum Anabaptiſtarum acceperat: non quidem vt illis adhęreret, quos iam diu cognouerat eſſe in odio omnium, ſed vt myſteria eorum penitiùs aliquanto cognoſceret. Verùm ab alijs præuentus, fidem exponere ſuam iuſſus eſt: quæ cùm minime illis arrideret, tamquam hæreticum à ſe ilicò eiecerunt. Et tamen vnaquæque ſectarum iſtarum ſibi vni vendicat Euangelium, purumque & expreſſum verbum Dei, ceteriſque detrahit omnibus. Quænam ergo hîc eſſe poteſt certitudo ſalutis, quæ ſecuritas conſcientiæ, dum ad aliud nihil reſpicitur? — *Æneas Silvius Hiſt. Bohe. c.41.*

Hoc tandem ſecum reputare incipiens ſeriò prædictus iuuenis, pertæſus errorum ſuorum, & peregrinationis moleſtiſſimæ, contulit ſe Viennam Auſtriæ, ciuitatem Catholicam, ibique cuidam Catholico ac erudito æſtus animi aperuit ſui, paratus conſilium illius amplecti, vt veram aliquando conſcientiæ tranquillitatem, certumque portum ſalutis conſequeretur. Qui ſtatim ei declarauit, nuſquam eſſe veram ſalutem, nuſquam ſecuritatem conſcientiæ, nuſquam portum quietis, niſi in Eccleſia Catholica, illumque eſſe vnum verum Scripturarum ſenſum, qui ſemper, vbique, & ab omnibus, pro tali habitus fuit. Quicumque extra Eccleſiam hanc ſunt, extra viam ſalutis eſſe, in magniſque ac grauibus erroribus verſari; & proinde non mirum eſſe, ſi non minùs inter ſe pugnent, quàm veræ Eccleſiæ aduerſantur. cùm enim illi omnes haud ſint in corpore illo, quod viuit de ſpiritu Chriſti, eiuſque ductu & moderamine perpetuò gubernatur, non aliud ſunt, quàm aridi palmites à vite præciſi. Proinde ſpiritu erroris, mendacij ac vertiginis, huc illuc ſine intermiſſione agitantur, errantes, & in errorem mittentes, vt Apoſtolus ait, ſuaque ſomnia & commenta pro Dei verbo miſeris mortalibus obtrudentes. Hæc doctrina iuueni, diuina gratia adiuuante, mentemque eius illuſtrante, errandi & vagandi finem, cordis tranquillitatem certamque ſalutem attulit.

Docent igitur iſtæ hiſtoriæ, hominem neque in vita ſua, neque in morte, vſquam doctrinæ veritatem ac fidei certitudinem, vnicam certamque viam ad æternam ſalutem & ad veram conſcientiæ ſecuritatem, inuenire, quidquid agat aut laboret, quocumque ſe vertat, præterquam in vna, ſancta, Catholica Eccleſia. Quam diſputationem concludere lubet paucis verbis ac memorabilibus vetuſtiſſimi & ſanctiſſimi Irenæi: Tantæ, inquit, oſtenſiones cùm ſint, non oportet adhuc apud illos quærere veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere; cùm Apoſtoli, quaſi in diues depoſitorium, pleniſſimè in eam contulerunt omnia quæ ſunt veritatis. vt omnis, quicumque velit, ſumat ex ea potum vitæ: hæc eſt enim vitæ introitus; omnes autem reliqui fures ſunt & latrones. Propter quod oportet deuitare quidem illos: quæ autem ſunt Eccleſiæ, cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem. Quid enim? & ſi de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, nónne oporteret ad antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli conuerſati ſunt, & ab ijs de præſenti quæſtione ſumere quod certum & liquidum eſt? Quid autem ſi neque Apoſtoli ipſi Scripturas reliquiſſent nobis, nónne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus committebant Eccleſias? Cui traditioni aſſentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Chriſtum credunt, ſine charactere vel atramento ſcriptam habentes per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem traditionem diligenter cuſtodientes. Sic ille. — *Lib.3.c.4.*

CAPVT CXVI.

Quænam ſit illa, vna & vera Eccleſia, in qua ſola ſpes eſt certa ſalutis.

OSTENDIMVS nunc, opinor, ſatis ſuperque, cùm Fidelis quiſpiam à Satana in fide tentatur, optimum & tutiſſimum refugium eſſe ad Eccleſiam, in eiuſque ſenſu & doctrina conquieſcere.

Sed, quid ſi idem hoſtis qui nihil non tentat, nullum non mouet lapidem ad ſeducendas & perdendas animas; quid ſi, inquam, ille quæſtionem etiam iniiciat de Eccleſia? quænam videlicet illa ſit vna & vera Eccleſia, quæ ſola poſſidet docetque veritatem? cùm præſertim conſtet, hunc etiam articulum vel maximè nunc eſſe in controuerſia poſitum; & vnamquamque ſectam ſibi vni veræ & ſanctæ Eccleſiæ nomen laudemque tribuere, ceteris omnibus abrogare. Ad hoc ſic reſpondemus: In primis, vix quiſquam eſt tam rudis & indoctus inter Fideles, tam tenuiter inſtitutus in fide & religione Chriſtiana, quin ſciat, Eccleſiam Chriſti verã non heri aut nudiuſtertius natã, non ab hinc annis 50. vel 60. certo loco primum cœpiſſe: ſed ſemper fuiſſe ac duraſſe, ab initio fidei Chriſtianæ; &, ex quo ſemel à Chriſto & ab Apoſtolis eius fundata eſt, numquam eſſe deſiiſſe. Hoc Scripturæ etiam illæ omnes ſatis euincunt, quas in primæ confutatione propoſitionis attulimus. Non quidé quod ſemper Eccleſia iiſdem locis manſerit, quæ primùm occupauit & poſſedit: ſed, ſi propter hominum ingratitudiné, propter neglectum veræ pietatis, & contemtum gratiæ Dei, vrbes vel prouincias quaſdã aliquando deſerit; quòd migret aliò, ad alia loca tranſeat; atque ita ſemper alicubi, imò in multis regnis & prouincijs nota ſit & conſpicua. Et hæc eſt Eccleſia, quæ propterea communiter Catholica ſiue Vniuerſalis vocatur: quia nimitum & tempora omnia, ſine vlla interruptione, complectitur, & loca aliquando cuncta peruadit. quo præcipuè nomine diſcernitur ab omnibus hæreticorum conuenticulis. Vnde Auguſtinus cõtra Epiſtolam fundamenti: [a] Non ſine cauſa, inquit, inter tam multas hæreſes, ſic ſola Eccleſia Catholica obtinuit, vt cùm hæreſes omnes ſe Catholicas dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel baſilicam vel domum ſuam audeat oſtendere. Vt etiam de vera religione; [b] Chriſtiana religio, Catholica nominatur non ſolum à ſuis, verùm etiam ab omnibus inimicis. velint enim, nolintve, ipſi quoque hæretici & ſchiſmatum alumni, quandu non cum ſuis, ſed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant. non enim poſſunt intelligere, niſi hoc eam nomine diſcernant quo ab vniuerſo orbe nuncupatur. Hæc ibi.

CATHOLICA ECCLESIA, HOC IPSO NOMINE AB OMNIBVS HAERETICORVM CONVENTICVLIS DISCERNITVR.

[a] Cap. 4.

[b] Cap. 7.

Sic & apud Ambroſium, cœtus ille qui illi adhærebat, vulgò apud omnes Catholicorum nomine vocabatur. Dicebant enim milites Imperatori, ſe præſtò futuros, ſi viderent eum cum Catholicis conuenire; alioqui, ſe ad eum cœtum, quem Ambroſius cogebat, tranſituros.

Epiſt. 33.

Et rectè, quemadmodum Fideles, ipſis quoque Apoſtolorum temporibus, vt à Iudæis & Paganis diſcernerentur, Chriſtiani appellati ſunt; ſic vt diſtinguerentur ab hæreticis, Catholicorum nomen inuentum eſt. Vnde Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus, vir pius & doctus ad Sympronianum Nouatianum; Cùm poſt Apoſtolos, inquit, hæreſes extitiſſent, diuerſiſque nominibus columbam Dei atque reginam lacerare, & per partes ſcindere niterentur, cognomen ſuum plebs Apoſtolica poſtulabat, quo incorrupti populi diſtingueret vnitatem. Et paulò pòſt: Ne æſtues frater, Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus verò cognomen. illud me nuncupat, iſtud oſtendit; hoc probor, inde ſignificor.

Epiſt. 1.

CAPVT CXVII.

Quibus ſignis rudiores quiq; Fideles Eccleſiam queant cognoſcere.

HIs poſitis, facilè reſponderi poterit Satanæ, de Eccleſia dubium inferenti ac tentanti, etiam ab indoctis quibuſdam Chriſtianis: Ego illam Eccleſiam habeo pro vera

Eccleſia, quæ Catholica dicitur, quæque ſemper ab initio fuit Eccleſia Chriſti, nec vnquam periit vel deſijt, ex quo ſemel fundata eſt. Illam, inquam, Eccleſiam agnoſco pro vera Chriſti Eccleſia, quæ primum huc aliunde venit per eos qui prouinciam iſtam primum ad fidem Chriſti & Dei veri notitiam conuerterunt, quæque deinde hîc ſemper agnita & culta fuit ab omnibus pro Eccleſia Chriſti, donec ſuperioribus annis Lutherani primum, deinde Anabaptiſtæ, poſtmodum Caluiniſtæ huc prædicatum venerunt & turbatum omnia. Quin etiam, ſatis notum vnde venerint, quando, quo loco primùm inceperint: nempe Caluinus Geneuæ in Sabaudia ſub annum Domini 1535. Et Lutherus paucis annis ante in Saxonia. ante quem nulla erat vſpiam mentio vel notitia, quàm late patebat in mundo nomen Chriſtianum, alterius Eccleſiæ vel fidei quàm Catholicæ. Quam verò qualemque fidem aut religionem tenuerit & coluerit Eccleſia, quæ primùm huc abhinc annos octingentos aut nongentos & mille quoque plantata fuit, quādo prouinciæ iſtę, relicta atque exploſa idololatria, ad cultum Dei veri & Chriſti eius perductæ & conuerſæ fuere; planum eſt ex templis ſiue eccleſijs, quæ Deo ſtatim vbique locorum in honorem ipſius & Sanctorum eius memoriam extructæ ſunt, ex altaribus in ijſdem templis: erectis ſcitur enim in quem vſum illa erecta fuerint, quibus ritibus & cærimonijs conſecrata, ac Deo dicata: ex monaſterijs mox ſubſecutis atque ædificatis, vtriuſque ſexus omniſque ordinis ac religionis monaſticæ, atque ex vitæ genere in ijſdem monaſterijs ab initio obſeruatæ: & ex alijs multis. Quin imò, vel ex ſolis eccleſiarum & monaſteriorum feneſtris vitreis & ſarcophagis ſatis liquet, vt non extarent alia certiora teſtimonia, quænam hîc vbique à primo exordio deinceps religio in vſu fuerit. In illius igitur ac talis Eccleſię, quę ſemper hîc agnita & pro Chriſti vnica ſponſa honorata fuit, cœtu & communione permaneo: illius fidem ac religionem retinere conſtanter cupio: denique in illa Eccleſia viuere, quamdiu placet Altiſſimo; & quando eidem videbitur, mori cupio. Alias autem Eccleſias omnes huic vni contrarias, quocumque nomine cenſeantur, abominor, execror, ac deteſtor, velut non Dei aut Chriſti Eccleſias, ſed impuras & ſacrilegas Antichriſti ſynagogas. Cur profers, inquit Hieronymus, in medium quod Petrus & Paulus edere noluerunt, & quod totus mundus hactenus ignorauit, & vſque in hunc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit. Illam ſenex tenebo fidem, in qua puer natus ſum. *Epiſtola ad Pammachium.*

Et hæc quidem ad captum & inſtructionem eorum qui ſunt inter Fideles Catholicos ſimpliciores ac rudiores. nam doctiores & perfectiores alias habent notas veræ Eccleſiæ in ſacris Litteris, & veterum monumentis, de quibus non pigebit nos hîc etiam nonnihil adijcere, in re tanti momenti, in qua cardo omnis verſatur ſalutis noſtræ. Numquam deſtituit diuina prouidentia populum ſuum adiumentis neceſſarijs ſalutis ſempiternæ, contra inſidias, technas, & fraudes omnes inimici humanæ ſalutis, contraque malorum & peruerſorum hominum (quos nullo non tempore excitat Satan) varias & periculoſiſſimas impuſturas. NOTAE ECCLESIAE PRO DOCTIORIBVS.

CAPVT CXVIII.

Quibus ſignis Fideles veteris Teſtamenti, rectam ſalutem noſſe & quærere debebant.

QVo tempore vigebat lex Moyſi, quia non ignorabat optimus & clementiſſimus Deus, multos & omnibus ſæculis pſeudoprophetas ſurrecturos, qui Fideles à cultu veri Dei, legiſque traditæ obſeruatione rectaque intelligentia, abducere niterentur: prouiderat populo ſuo contra omnes huiuſmodi exitiales fallacias remedium quodammodò ſenſibile atque palpabile; præcipiens, vt in omnibus de lege vel cultu ſuo ambiguis quæſtionibus ſacerdotes adirentur tribus Leuiticæ, eorumque ſtaretur ſententiâ & iudicio. Hinc illa Deuteronomij conſtitutio memorabilis: Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variare; ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis: qui indicabunt tibi iudicij veritatem; & facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & do- *Cap. 17.*

cuerint

cuerint te iuxta legem eius, ſequetiſque ſententiam eorum: nec declinabis ad dexteram neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël: cunctuſque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Et infra: Poſtquam ſederit Rex in ſede regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, vel habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ; vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & cærimonias eius, quæ in lege præcepta ſunt; ne eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dextram vel ſiniſtram, vt longo tempore regnet ipſe & filij eius ſuper Iſrael. Quam doctrinam, ceu apprimè neceſſariam, poſtea etiam repetere & inculcare voluit Deus magis ſemper magiſque per Prophetas ſuos. Malachias, vltimus prophetarum, Pactum meum, inquit, fuit cum Leui, vitæ & mortis: & dedi ei timorem, & timuit me, & à facie mea pauebat: lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labijs eius: in pace & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. Labia enim ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt. Hinc etiam Ieremias Propheta, quo tempore populus Dei in Chaldæa captiuus tenebatur, & iam religio penitus interitura videretur, magna voce, verbiſque admodùm ſerijs & grauibus loquitur, dicens; Hæc dicit Dominus: Non interibit de Dauid vir qui ſedeat ſuper thronum domus Iſraël. Et de Sacerdotibus & Leuitis non interibit vir à facie mea qui offerat holocauſta, & incendat ſacrificia, & cędat victimas omnibus diebus. Hęc dicit Dominus: Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non ſit dies & nox in tempore ſuo; & pactum meum irritum fieri poterit cum Dauid ſeruo meo, vt non ſit ex eo filius qui regnet in throno eius: & Leuitæ & Sacerdotes miniſtri mei. Sicut enumerari non poſſunt ſtellæ cæli, & metiri arena maris, ſic multiplicabo ſemen Dauid ſerui mei, & Leuitas miniſtros meos.

Cap. 2.

Cùm ergo tam ſollicitus fuerit Deus in conſeruanda Eccleſia ac religione ſincera tempore veteris Teſtamenti; ſemperq́, tamquã vexillum clariſſimum alte extulerit, ad quod Fideles in omni temporum varietate reſpicerent, ad cognoſcendam & obſeruandam religionis ac fidei veritatem, doctrinam ſcilicet ac ſententiam ſacerdotum ex tribu Leuitica: an minùs proſpexiſſe putamus populo Chriſtiano, quem non per ſanguinem agni ex ſeruitute Ægypti ac tyrannide Pharaonis, ſed per ſanguinem Vnigeniti ſui ex captiuitate Satanæ liberauit, vt ad vitam & ſalutem perduceret in regno cæleſti ſempiternam? Si talem geſſit curam ſeruorum, populique duræ ceruicis, & cordis indomabilis, vt Scripturæ loquuntur; num oblitum prorſus putabimus amantiſſimorum filiorum ſuorum?

CAPVT CXIX.

In nouo Teſtamento Deus Pater, eiúſque Filius Chriſtus, fœdus ſuum æternum, certámque ſalutis & veritatis doctrinam in Eccleſia Romana conſtituit.

QVIN potiùs voluit huius rei apud Euangeliſtas omnes clariſſimas notas ac teſtimonia extare longe certiſſima: Eccleſiam ſuam nouam & ſanctiſſimam (quam numquam eſſet deſerturus, inſtar veteris ac Iudaicæ) perpetuã, vt omnibus nota eſſet ac conſpicua, ædificauit ſuper Petrum Apoſtolum ſuum: cui & peculiariter idcircò dedit claues regni cælorum. Et ſic ædificauit cum tali ſtabilitatis ac perpetuitatis promiſſione, vt portę inferi nullo vmquam tempore aduerſus eam prçualere poſſent, eamque deuincere.

Quemadmodum autem veritas fœderis Dei cum Sacerdotibus Aaronicę ſtirpis ſeu Leuitici generis, longè magis in poſteris Aaronis, quàm in ipſo Aarone conſpicua fuit; ſic in Petri Apoſtoli ſucceſſoribus, Romanis Pontificibus, multò magis & manifeſtiùs apparuit veritas promiſſionis Chriſti Petro facta, quàm in ipſomet Petro.

In cathedra igitur Petri Romæ quærenda eſt Eccleſia Chriſti, ſi quis ea de re dubitet. inde omnibus petenda doctrina ſalutis, notitia veritatis. ibi quærenda vera Eccleſia, columna & firmamentum veritatis, vt Paulus ait, vbi Chriſtus oratione ſua fidem à Patre inde-

indefectibilem impetrauit: in Petro videlicet ac ſucceſſoribus eius; à quo & fratres eius, Fideles ſcilicet & Chriſtianos omnes, in fide confirmari voluit. Ibi & apud illum quærenda Eccleſia Chriſti, cui omnes oues ſuas paſcendas commiſit: quod fit pabulo ſanæ doctrinæ & veritatis. Apud illum quærenda Eccleſia, ſponſa Chriſti, quem ianitorem præfecit domui ſuæ, cuique ſingulariter, vt ſuper omnes vigilaret, præcepit.

APVD QVOS QVAERENDA CHRISTI ECCLESIA.

Et hactenus de vera Chriſti Eccleſia breuiter ex Scripturis. Quòd ſi his & alia quædam ex monumentis Eccleſiaſticis adijcere lubet, ibi meritò atque apud illos quærenda Eccleſia Chriſti, à quibus nomen & gloria Chriſti ſæculis omnibus diffuſa eſt paulatim toto orbe terrarum. ſine quorum opera & vigilantia, nec Chriſtus, nec regnum eius, nec verbum, nec Euangelia, nec Sacramenta iamdiu cuiquam nota eſſent. Illa ſola cenſenda Dei & Chriſti Eccleſia, ad quam numquã acceſſum habuiſſe perfidiam ſcribit [a] Cyprianus: in qua ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguiſſe principatum [b] Auguſtinus teſtatur: in qua Patrum auctoritatem inconcuſſam ſeruatam narrat [c] Hieronymus: nec dubitat [d] Romanam fidem Catholicam appellare: ſicut & Ambroſius [e] Epiſcopos Catholicos nuncupat Romanam Eccleſiam. Inſuper, illa iure meritoque dicenda eſt Eccleſia Chriſti, quæ, ex quo primùm per Chriſtum eiuſque vicarium Petrum Apoſtolum in vrbe Roma erecta & plantata eſt, ibidem aduerſus vim omnem & potentiam tot Regum, Imperatorum, Principũ, Magiſtratuum infidelium, tot machinationes fraudulentas hęreticorum omnis generis, tot perſecutiones omnium gentium, in tanta ſæpe varietate rerum & temporum, per tot aduerſa & pericula fluctuans, numquam tamen mergi aut opprimi potuit; ſed vſque in hodiernum diem nuſquam etiam interrupta Pontificum ſucceſſione integra & ſalua perſtitit: nec vmquam interim à recta fide deflexit: illa, inquam, fide, quam primus eius Paſtor Ieroſolymis in die Pentecoſtes à Spiritu ſancto cum ceteris Apoſtolis, collegis ſuis, accepit: quam & priùs à Chriſto magiſtro ſuo viua voce didicerat.

[a] Lib. 1. Epiſt. 3.
[b] Epiſt 142.
[c] Epiſt. 1. ad Damaſum.
[d] Lib. contra Ruff.
[e] Oratione de obitu fratris.

Denique, illa eſt haud dubiè vera Chriſti Eccleſia, per quam fractæ oppreſſæque ſunt hæreſes omnes, ſuis quæque ſæculis: per quam omnia contra eaſdẽ diuerſis locis ac temporibus generalia Concilia celebrata. Cum hac Eccleſia, Romana inquam, quæcumque eccleſiæ vel perſonæ in fidei & Sacramentorum communione conueniunt; Fideles orthodoxos veraſque Chriſti Eccleſias eſſe, dubitari nullo modo poteſt. quæcumque verò eccleſiæ, quicumque mortales ab illius ſe fide, doctrina, ſocietate præſciderunt; ad Chriſtum eiuſque populum benedictum minimè pertinere, æque certo conſequitur.

Sic D. Hieronymus Epiſtola ad Damaſum clariſſimis verbis: Cum ſucceſſore Paſtoris & diſcipulo Crucis loquor. Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra domum hanc agnum comederit, profanus. Si quis in arca Noë non fuerit; peribit regnante diluuio. Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Sic ille. Sed hæc res mox paulò clarior euadet, ex ijs quæ poſteà ſuo loco diſſeremus, de ſuprema poteſtate Romani Pontificis, ſuper totam Chriſti Eccleſiam: quę eſt res alterius conſiderationis & argumenti.

D. Auguſtinum in Romanæ Eccleſiæ communione & ſumma veneratione retinebat (vt audiuimus) iam inde à ſancto Petro ad ſua vſque tempora ſucceſſio continua Pontificum Romanorum. Erat autem totum illud tempus annorum plus minùs quadringentorum. Quid dixiſſet Auguſtinus, quomodo in eadem fide & communione confirmatus fuiſſet, ſi noſtro vixiſſet tempore, quo eadem Pontificum Romanorum ſucceſſio durauit totis pęnè annis mille ſexcentis? Euanuere & ſuccubuere omnes, qui contra illam Sedem, & fidem ac doctrinam illius, ſurrexerunt. ipſa autẽ ſemper inuicta perſtitit. Quis non videat oculis? quis non velut manibus tangat, & ſentiat non eſſe humanę prudentiæ vel potentiæ, ſed artem eſſe ac fortitudinem manus Domini & dexteræ Excelſi; qui memor eſt ſemper diſpoſitionis & promiſſionis ſuæ?

Deſcendit hinc Caluinus in diſputationem de moribus & diſciplina viuendi miniſtrorum Eccleſiæ, comparatione facta inter ſe ſuoſq; ſymmyſtas, ac inter Prælatos Paſtoreſque Eccleſiæ Catholicæ. Dicere non veretur, hoſce Eccleſiaſtica munera inuadere: in nos videlicet aſtutè atq; iniuſtiſſimè retorquendo, quod in ipſum, & qui eius ſunt generis, verè ac propriè quadrat; multas interim admiſcens vbique ſuo more atroces contumelias ac mendacia impudentiſſima. Sed quia de hoc argumento ſuprà egimus, nihil

hîc

hîc repetendum putamus. cùm præſertim pleraque omnia quæ effutit, tam inepta & falſa ſint, vt refutationem non mereantur.

CAPVT CXX.

Rationis fidei redditio, hæretici & Catholici coram tribunali Chriſti.

MAGIS operæpretium erit videre quid reſpondeat ad actionem & ſermonem duorum quos introducit Sadoletus coram diuino tribunali, ſuę quemque religionis & fidei rationem reddentes: Catholicum ſcilicet atque hæreticum. Hac enim actione Caluinus probe oduratus fuit, ſe cauſamque ſuam vehementer premi. Conatur igitur ipſe quoque, velut ex aduerſo, coram iuſto Dei tribunali comparẽs, doctrinam ſuam defendere, cauſasque in medium adferre & rationes, quamobrem compulſus fuerit, à fide & communione Eccleſiæ Catholicę ac Romanæ ſe diuellere, & ſic credere, ſentire, docere, quemadmodum ſcripſit ac docuit.

QVOMODO CALVINVS AD IMITATIONEM ALTERIVS, CAVSAM SVAM AGAT CORAM CHRISTO IVDICE.

Hanc cauſam quemadmodum agat, quibuſque argumentorum ſeu rationum coloribus ornet, non minùs vtile quàm iucundum erit cognoſcere. Nemo enim poteſt ambigere, quin omnes ingenij ſui neruos, omnes doctrinæ & facundiæ ſuæ vires intenderit (ſi qua doctrina & eloquentia operiſam impio & flagitioſo tribuenda) vt cauſam iſtã quàm optimè ageret. Quid igitur hîc in medium adfert? quomodo actionem ſuam in diuino iudicio & ſermonem ordirur? Ego quidem, inquit, expertus ſum Domine, quàm difficile ſit ac graue, ſuſtinere apud homines, eius qua in terris premebar accuſationis inuidiam. Sed, qua fiducia ſemper ad tuum tribunal prouocaui, eadem nunc coram te appareo: quando in iudicio eam ſcio regnare veritatem, cuius ego fiducia ſubnixus primò aggredi auſus ſum; cuius præſidio inſtructus perficere potui quidquid à me in tua Eccleſia geſtum eſt.

Hæc eſt præfatio totius actionis. In qua, ſicuti ingens ſtatim refulget mendacium, quòd nimirum fiducia ac præſidio veritatis inſtructus inceperit & perfecerit quidquid geſſit; ita nihil aliud ab illo in tota cauſæ huius actione expectandum, quàm multa impudentia putidaque mendacia. Sic igitur tandem ad rem venit: Duobu maxime criminibus reum me fecerunt, hæreſis & ſchiſmatis. Atq; hæreſis illis fuit, quòd receptis inter eos dogmatibus auſus ſum reclamare. Quid verò, inquit, feciſſem? Audiebam ex ore tuo, non aliam eſſe veritatis lucem, ad animas noſtras in viam vitæ dirigendas, quàm quæ à verbo tuo accenderetur. audiebam, eſſe vanitatem quiquid de maieſtate tua, cultu nominis tui, de religionis tuæ myſterijs concipiunt à ſeipſis humanæ mentes. audiebam, ſacrilegam eſſe temeritatem, ſi natæ in hominum cerebris doctrinæ pro verbo tuo Eccleſiæ ingerantur. Sic ille.

CAPVT CXXI.

Quid ad primum articulum Iudex Chriſtus Caluino reſpondeat.

ET hæc quidem omnia adhuc tectè ſic ſatis. Attamen, ſubſiſtamus hîc paululùm: & quid ſibi hæc velint, quidve ex ijs poſſimus diſcere, aut vtilitatis capere, videamus. Quid hîc illi ſtatim reſponſurum putamus cæleſtem Iudicem? Nimirum, quod ſcriptum eſt: Ex ore tuo te iudico, ſerue nequam. Si audiſti & ſciuiſti, ſacrilegam eſſe temeritatem, in hominum cerebris natam doctrinam pro verbo Dei & Eccleſiæ meæ ingerere; quomodo veritus non fuiſti, Eccleſiam meam noua doctrina, ante Lutherum præceptorem tuum inaudita, turbare & corrumpere? Cur vos ſolos auſi fuiſtis opponere toti Eccleſiæ Chriſtianæ, non illius tantùm æui vbique locorum, ſed ſuperiorum etiam temporum & ſæculorum? Cur ſomnia veſtra, & commenta vaniſſimi cerebri veſtri, pro verbo meo paſſim cunctis obtruſiſtis? Nam à vobis profectam, in cerebro natam, totiuſque Eccleſiæ præſentis ac præteritæ ſenſui & conſenſui repugnantem negare non poteſtis doctrinam

nam veſtram, dum ex animo loqui argumentis certiſſimis compellimini: ſicut & libri etiam veſtri teſtantur. Et, nónne ſciuiſtis ſcriptum eſſe (quando tantopere iactatis ſcriptum verbum) Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus? Si *Matth. 18.* vel hoc vnum verbum meum reueriti fuiſſetis, vt par etat; atque ex metu & reuerentia illius in Eccleſia manſiſſetis, quæ vna & concors erat toto orbe terrarum, cùm vos illam oppugnare cœpiſtis; ſi, quam illa fidem ac religionem conſtanter colebat & docebat, eam vos quoque colere & prædicare in animum induxiſſetis; vt maximè Eccleſia tota (velut affirmatis) errаſſet; vos certè in hoc tribunali meo poſſetis iuſtam excuſationem prætendere, ac dicere mihi: Nos, ô iuſte Iudex, Eccleſiam illam ſecuti ſemper ſumus, cuius vocem audiri ab omnibus, cui in omnibus obtemperare grauiſſimis verbis, terribili etiam addita comminatione, iuſſiſti: niſi videlicet pro ethnicis & publicanis haberi vellemus. Si igitur illam audiendo & ſequendo errauimus, tu nobis erroris auctor fuiſti: quando non aliud hîc quàm clariſſimum verbum tuum prę oculis habuimus; non aliud fecimus quàm præcepiſti.

Quid obſecro ad hæc Caluinus, vel ſimilis quiſpiam, in extremo Iudicio poterit reſpondere?

Sed pergit ille tamen: Cùm oculos, inquit, ad homines conuerterem, illic omnia longè diuerſa apparebant. Qui fidei antiſtites habebantur, verbum tuum neque intelligebant, neque magnopere curabant: peregrinis tantum dogmatibus circumagebant miſeram plebem. Sic, pro ſolita ſua procacitate, ſemper inuehitur in Præpoſitos Eccleſiæ Chriſti, & vnctos Domini, ex quorumdam vitijs omnes æſtimans: cùm nemo ſit omnium, qui, ſi cum ipſius criminibus conferatur, & nominatim cum contemtu verbi Dei, non videri queat innocens. *CALVINVS CAVSAM SVAM MALE COSPTAM PROSEQVITVR.*

Quid autem habet, quòd queratur de æqualibus ſuis, Staniſlao Hoſio Epiſcopo VVarmienſi; & de Ioanne Fiſchero Roffenſi Epiſcopo? quid præterea de Iacobo Sadoleto Cardinali, Epiſcopo vicino ſuo? Audebitne dicere, illos verbum Dei non intellexiſſe, vel non magnopere curaſſe, vel meris ineptijs (vt alibi hic dicit) deluſiſſe plebem? Aliud teſtificantur libri & monumenta ab ijs edita ad memoriam illorum & laudem immortalem. Vt nihil hîc dicam de alijs innumeris eiuſdem æui, quorum vltra ducentos, ex omni orbis Chriſtiani natione, anno 1562. conuenerunt in generali Synodo Tridentina, viuente adhuc & vidente Caluino. agebatur enim res quodammodò præ foribus eius.

CAPVT CXXII.

Scriptura ſacra peſſimè à Nouatoribus plebi indifferenter propoſita, & in vulgares linguas conuerſa.

SED quid ait præterea? In plebe, inquit, ſumma verbi Dei veneratio erat; rem inacceſſam procul reuereri; interim ab omni eius inquiſitione abſtinere. Sic ille. Ipſi ſcilicet egregiè plebi aperuerunt ſecreta verbi Dei; Caluinus inquam & ſimiles, cùm populo ſacram Scripturam vtriuſque Teſtamenti legendam tribuerunt, in linguas vulgares conuerſam pro arbitrio ſuo: id eſt, infinitis locis corruptam, ac velut obtorto collo traductam ad confirmationem peſtiferarum opinionum ſuarum, vt antè oſtendimus. Vnde & mox vulgus indoctum noua atque inaudita arrogantia, manibuſque pedibuſque illotis, impudentiſſimè ipſis actoribus irruit in Sacras litteras. Stultæ & procaces mulierculæ audacter ſibi arrogarũt, vt reiectis Eccleſiæ Doctoribus, & Rectoribus vniuerſis contemtis, ac irriſis Paſtoribus & Præpoſitis ſuis, ſenſum ſuum illorum iudicio & conſenſui in Scripturarum interpretatione haud ſint veritæ anteponere. Nimirum ſic viſum fuit Luthero, Caluino, & ceteris hæreſum Patriarchis noſtri ſæculi. Sic illi non verentur ſanctum dare canibus, ac margaritas pretioſiſſimas ſpargere ante porcos.

At longè aliter magnus ille Theologus Gregorius Nazianzenus: Non eſt omnium, *Lib. De Theolog.* inquit, de rebus diuinis diſſerere: ſed nec quouis tempore, nec apud omnes, nec de omnibus, diſputare. ſed eſt, quando, & apud quos, & quo fine, fieri conueniat. Quod ille pluribus verbis perſequitur. quemadmodum & inter Latinos D. Hieronymus ad Paulinum: Quod medicorum eſt, inquit, promittunt medici: tractant fabrilia fabri. Sola

Scripturarum ars eſt, quã ſibi omnes paſſim vendicant. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta indoctus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant. Hæc ille. Nihil eſt quidem Scripturarum lectione melius, nihil vtilius: ſed arbor eſſe quædam fertur, Rhododaphne, Latinè, Roſa-laurea; cuius folia quadrupedibus venena ſunt, hominibus præſidia aduerſus ſerpentes. Eadem eſt Scripturæ ſacræ ratio: ſobrijs & prudentibus ſalutarem præbet alimoniam; ſtultis & impijs maioris impietatis occaſionem miniſtrat. An verò quadrupedes iſtos, quibus ſanctum dare prohibet Chriſtus, à lectione Sacrarum litterarum arcere non præſtaret, quàm permittere vt aranearum in morem nihil ex ijs præter exitiale venenum ſugerent? Feminæ autem, quanto rectiùs facerent, ſi colo & fuſo ſuo vterentur ad vtilitatem familiæ ſuæ, vel ad vitandum otium, quo tempore diſputant de expreſſo verbo Dei? Numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Paſtores vel Doctores?

Plinius lib. 24. cap. 11.

Noluit Chriſtus vt totum corpus ſuum vnum membrum eſſet, ſed vt eſſent in eo membra multa & varia: & vt alij quidem eſſent oculi, alij aures, alij manus, alij pedes. Iſti contrà, volunt vt omnes ſint vnum membrum: quaſi vnius farinæ maſſa, nulla varietate diſtincta; vel inutilis quædam ac deformis congeries, & confuſum chaos, omni ordine ſublato.

Capvt CXXIII.

Scriptura ſacra num intellectu ſit facilis; num verò contrà, difficilis.

Atqvi Scriptura omnis, aiunt, eſt clara & facilis intellectu: vnde & lux vitæ noſtræ dicitur & actionum. Hinc & ſcriptum eſt; Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Cur non igitur omnibus indifferenter ad inſtructionem proponatur? Caluinus ſuper prædictum Pſalmi verſiculum: Si ea, inquit, eſſet verbi Dei obſcuritas, de qua blaterant Papiſtæ; falſo & mentito elogio ornatum eſſet à Propheta. Sciamus ergo, inquit, certam lucem illic nobis monſtrari, modò aperiamus oculos. Eamdem ſententiam clariùs expreſſit Petrus, Fideles omnes vt attendant ſermoni prophetico, tamquam lucernæ in loco caliginoſo ardenti. Sic ille. Atqui, ſi tam clara ad intelligendum eſt omnis Scriptura, quî fit igitur, vt Petrus eo ipſo loco quem hic citat Caluinus, de Epiſtolis Paulinis nominatim affirmet, quòd multa in ijs ſint difficilia intellectu; quę indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & ceteras Scripturas, ad ſuã ipſorum perditionem? Id quod ab Auguſtino etiam annotatum, De fide & operibus cap. 14. Certè, vel vnus hic locus ſatis euincit, non paſſim omnibus & quibuſuis proponendas Sacras litteras, vt legant & interpretentur pro arbitrio: hac vna fiducia ſcilicet, vt aperiant oculos ſuos, & ſeſe à Deo doceri permittant.

Pſal. 118.

Quid autem dicemus de ſcriptis Prophetarum? Si nihil nõ ibi clarum, facile, expeditum, obuium omnibus; quî factũ igitur, vt Eunuchus ille (in Actis Apoſtolicis) fateretur, ſe Iſaiam quem legebat nõ intelligere per ſeipſum, ſed opus habuiſſe interprete & doctore? Nec verò exiſtimandum, planè rudem fuiſſe in cognitione Dei: qui & adoratum venerat in Ieruſalem, & Scripturarum lectionem videtur ſibi iamdudum familiarem feciſſe. Et quidem in Iſaia Propheta, veluti & in alijs quibuſdam, multa eſſe fatemur, quæ longa & operoſa expoſitione non indigent: vtpote vbi de bonitate & potentia Dei concionatur, vbi ad fidem vel ad vitæ ſanctitatem hortatur, vbi tradit doctrinam de pœnitentia, vbi tractat hiſtorias, &c. & tamen rectè etiã Caluinus ait, locum illum Iſaiæ, in Actis Apoſtolorũ, exponens, multos vix decimum quemque verſum in ceteris Iſaię Scripturis ſolidè intellecturos. Quid faciet igitur, vbi in difficiliora & obſcuriora incidet loca?

Politia omnis, quæ in libris Moyſi deſcribitur, totuſque ille apparatus Aaronis ſacerdotis, filiorumque eius, ac tabernaculi, quid aliud eſt quàm figura quædam & ſacerdotij Chriſti, luciſque & gratiæ omnis futuræ illius Eccleſiæ? Si ergo nihil aliud ex ijs legendo haurias, quàm quod ad externam ſpectat litteram, nónne facilè continget, quod Apoſtolus ait, Littera occidit?

CAPVT CXXIIII.

Scriptura ſine magiſtro lecta, ſolet hæreticos facere.

QVID autem aliud Anabaptiſtas miſeros ac deploratos in opiniones multas abſurdiſſimas & fœdiſſimas traxit, quàm Scriptura ſine magiſtro lecta, & peſſime intellecta? Legebant externam felicitatē regni Dauidis, multitudinem vxorum illius, & ſimilia: inde ſtatim ſomniabant, licere vnicuique tot vxores ducere in regno Chriſti, quod penes ſe ſolos eſſe rebantur, quot animo vniuſcuiuſque adlubebat. Legebant, quid Lot Patriarchæ contigerat: hinc ſtatuebant, inceſtum non eſſe peccatum. Quid autem Anabaptiſtas commemoro, homines ſine litteris & doctrina vlla; cùm Lutheranos & Confeſſioniſtas referre liceat, qui nō minùs turpiter Scripturæ lectione, dum claram ſibi eam & expeditam putabant, decepti fuere? Ex his enim Oſiander ſcribit, viginti diuerſas ſententias fuiſſe apud eos de vno iuſtificationis dogmate; ac Philippi Melanchthonis, & diſcipulorum eius, quatuordecim opiniones enumerat. Nam ſimul, inquit, vt locum aliquem in Scripturis viderunt, in quo iuſtitiæ mentio fieret, ſtatim ex eo iuſtificationis modum fabricati ſunt. Legit aliquis apud Moyſen; [a] Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. iam ex vno hoc loco colligit duo iuſtificationum genera: vnum ex verbo, Credidit; alterum ex verbo, Reputatum eſt: vt affirmet, Deum nobis ſuā iuſtitiam imputare, ſeu nos gratuitò pro iuſtis habere, tametſi non ſimus; & hanc eſſe noſtram iuſtitiam. Legit alius; [b] Iuſtificati ſumus per ſanguinem eius. mox ex eo colligit, quòd pretioſus Chriſti ſanguis ſit noſtra iuſtitia. Alius legit; [c] Per vnius obedientiam iuſti conſtituentur multi. Infert igitur inde, Chriſti obedientiam eſſe noſtram iuſtitiam. Alius legit; [d] Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Eſt igitur, inquit, reſurrectio Chriſti noſtra iuſtitia. Legit alius; [e] Spiritus ſanctus arguet mundum de iuſtitia, quia vado ad Patrem. hinc colligit, quòd aſcenſio Chriſti in cælum ſit noſtra iuſtitia. Legit alius; quòd [f] iuſtificamur ex gratia & miſericordia Dei, ſine meritis. nihil ergo dubitat affirmare, quin gratia & miſericordia Dei ſit omnis noſtra iuſtitia. Legit alius; [g] Ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum. docuit ſtatim, iuſtitiam noſtram, eſſe remiſſionem peccatorum noſtrorum. Alius legit; Liuore eius ſanati ſumus. *Iſa. 53.* docet igitur, vulnera Chriſti noſtram eſſe iuſtitiam. Dicit ergo Oſiander, ſe nouem iuſtitiæ genera in Lutheranis inueniſſe, & probaſſe ex Scripturis collecta: neque tamen ſe omnia adhuc recenſuiſſe.

QVATVORDECIM MELANCHTHONIS OPINIONES DE IVSTIFICATIONE EX VARIIS SCRIPTVRIS MALE COLLECTAE.

[a] *Rom. 4.* [b] *Rom. 5.* [c] *Rom. 5.* [d] *Rom. 4.* [e] *Ioan. 16.* [f] *Rom. 3.* [g] *Rom. 3.*

Quòd ſi ita manifeſte errant, Scripturas legendo, qui ſcribunt inter Lutheranos de iuſtitia & de alijs dogmatibus fidei Chriſtianæ; quid cenſendū putabimus de rudibus idiotis, dum Scripturarum lectionem atque interpretationem ex Nouatorum iſtorum doctrina ſibi promittunt? Et vbi eſt igitur tanta illa Scripturarum claritas, & facilitas omnibus obuia, qui modò oculos aperire volunt?

CAPVT CXXV.

Lex lux, & Verbum Dei lucerna; vnde tamen in illis obſcuritas & difficultas?

ADMITTIMVS nos quidem, quod productum eſt à Pſalmiſta: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. *Pſal. 118.* cum quo benè haud dubiè conuenit Petrus Apoſtolus loco ſupradicto. Sed ſimul dicimus, lucem hanc Scripturarum ſe ijs tantùm monſtrare, qui diuinitus ad hanc vocati ſunt functionem, vt tractent & exponant alijs verbum Dei: & qui magno longoque ſtudio, adhibitis veterum Doctorum monumentis, ſeſe ad intelligendas Sacras litteras compararunt. Nec interim tamen etiam imus inficias, verbum Dei communi etiam plebi, rudibuſque & indoctis lucernam eſſe pedibus eorum, vitæque & actionum ducem: quando illis accenditur à Paſtoribus illorum & Doctoribus, qui diuinitus eis dati ſunt, vt Dei verbum illis exponant, eiuſque lucem, vtilitatem, & fructum multiplicem demonſtrent.

Quid autem mirum, quòd lucē & claritatem verbi Dei non omnibus doceamus eſſe

 perſpi-

perſpicuam? Faciles ſunt artes multæ mechanicæ: non videtur admodum difficile eſſe, agrum arare, ſtiuam tenere, ſerere, metere, ſodere: ſed quid tamen ex his omnibus tam facile, quin priùs diſcere ſit neceſſe; nec facere poſſit vt oportet, qui non didicerit? Et omnium igitur erit ac quorumuis, ſacram Scripturam intelligere, etſi numquam rem tantam, vbi & quemadmodum oportet, didicerunt?

Dicimus prætereà, obſcuritatem ac difficultatem, quæ eſt in Scripturis ſacris, non ex ipſo Dei verbo, vel ex natura Scripturarum proficiſci: (quæ non ineptè dici poſſunt per ſe claræ eſſe & faciles intellectu, cùm ex luce deſcendant clariſſima diuinæ mentis, inſtar facis ab alia face accenſæ) ſed obſcuritas omnis eſt ex hebetudine ſenſus & intellectus noſtri, qui vehementer læſus, obtenebratus eſt, propter peccatum. Quæ hebetudo vt acuatur ac tollatur, eiuſque obſcuritas ſanetur ac repurgetur, magno opus eſt ſtudio, vigilijs, laboribus, lectione, ſcriptione; tum etiam oratione ac deprecatione. Vnde extant il- Pſal. 118. la: Reuela oculos meos; & conſiderabo mirabilia de lege tua. item; Deus meus, illumina tenebras meas. Verbum Dei per ſe lucidum & clarum eſt, inſtar Solis; non ſolùm lampadis alicuius inſtar aut lucernæ. Sed quid prodeſt aut efficit claritas omnis Solis refulgentis, apud ægros oculos vel planè cæcos? Hinc de S. Thoma Aquinate legitur, viro tanti ingenij, & tam nobiliter illuſtrato in myſterijs diuinæ cæleſtiſque ſapientiæ; quòd numquam ſe lectioni vel ſcriptioni dedit, niſi poſt orationem. in difficultatibus au- Epiſt. 148. tem ſacræ Scripturæ, ad orationem, ieiunium quoque adhibebat. Sic & Auguſtinus, in perſcrutandis Scripturis, hæc duo coniungit, ſtudere & orare. At Sectarij iſti, qui tumido corde, pleno fiducia ſui, odijque & maleuolentiæ in Eccleſiam Catholicam, ad lectionem & interpretationem accedunt diuinarum Litterarum; non modò nihil in eis vident, ſed excæcantur etiam magis magiſque, illorum inſtar, qui læſis aut infirmis oculis Solis lampada intuentur.

His nunc vnum dumtaxat verbum adijcimus: quod iactant hæretici noſtri, Scripturas ſacras, omnemque illorum ſenſum cunctis eſſe perſpicuum, nec quidquam in ijs dubij aut obſcuri eſſe; idem olim apud Iudæos aſſeruiſſe Saducæos, apud Chriſtianos verò Arrianos, vt Baſilius ſcribit; & Apoſtolicos hæreticos ac Dimeritas, vt Epiphanius. At longè aliter ſancti Patres: Auguſtinus, tum locis hîc ſuprà citatis, tum libro De doctrina Chriſtiana, c. 6. Epiſt. 119. Baſilius in Procemio ſuper Iſaiam: Gregorius in Procemio ſuper libros Regum.

CAPVT CXXVI.

Pergit Caluinus in ſuo coram Deo Iudice proceſſu calumniari.

SED nunc ad Caluinum ante Dei tribunal poſitum, hæreſeſque ſuas & ſchiſma audentem defendere, reuertamur. Hęc, inquit, tum ſupina Paſtorum ſocordia, tum populi ſtupiditas fecerat, vt omnia pernicioſis erroribus, mendacijs, ſuperſtitionibus referta eſſent. Hoc ille ita audacter aſſerit pro more ſuo: ſed nos verum fuiſſe negamus. Videamus tamen, quemadmodum probare conetur. Vnum quidem, inquit, te Deum nominabant: ſed quam maieſtati tuæ gloriam vendicaſti, aliò transferentes, tot ſibi figurabant atque habebant deos, quot pro Sanctis colere volebant. Sic ille ſtigmaticus. Quàm verò hoc ſit ingens mendacium, luculenter antè oſtendimus, vbi de inuocatione Sanctorum egimus: vt nulla hîc opus ſit repetitione.

Pergit deinde: Chriſtus tuus, inquit, adorabatur quidem pro Deo, & Seruatoris nomen retinebat: ſed, qua parte honorari debuerat, propè iacebat inglorius. Sua enim virtute ſpoliatus, velut vnus aliquis è vulgo, in turba Sanctorum deliteſcebat. Quàm mera etiam hæc ſit putidaque calumnia, abundè ſuprà oſtendimus, ac probauimus varijs locis. Illud hîc dumtaxat breuiter addimus, poſſe Caluinum hîc magni mendacij conuinci, vel ex ſolis Eccleſiæ ſolemnibus precibus, quæ vulgò Litaniæ vocantur. Ibi videre eſt, manifeſtum latumque diſcrimen, quod agnoſcit Eccleſia, inter Chriſtum Deum, mundi Redemtorem, & inter Sanctos cælites. Chriſtus enim ſtatim in exordio pro Deo, & cum Deo Patre, & Spiritu ſancto, tamquā vnius cum ipſis naturæ & potentiæ, ſalutatur & inuocatur; cùm dicitur; Kyrie eleïſon, Chriſte eleïſon, Kyrie eleïſon. ac mox; Pater de

cælis

cælis Deus, miſerere nobis: Fili redemtor mundi Deus, miſerere nobis: Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis. Et à Chriſto quidem, quemadmodum & à Patre & Spiritu ſancto, petitur expreſſis verbis miſericordia: tamquam ab eo videlicet, qui, vnà cum Patre & Spiritu ſancto, auctor & fons eſt omnis gratię & miſericordiæ, cunctorumque bonorum. cùm ſanctis dumtaxat Angelis & hominibus dicatur: Ora pro nobis. Quamuis enim hoc ipſum etiam rectè à Chriſto poſtulari queat: vtpote qui ſecundùm humanam naturam ſuam ſine intermiſſione orat pro nobis: tamen vt clariùs conſtet diſcrimen, inter Chriſtum & Sanctos, qui puræ ſunt creaturæ; mauult eum Eccleſia deſignare & inuocare per hoc quod in eo dignius & excellentius eſt, quàm per id quod commune habet cum Sanctis.

Sed minimè noua eſt hæc Caluini calumnia in Catholicos, quòd diuinos Sanctis honores aſſcribant, aut pro dijs inuocent, vel Chriſto Dei Filio eos honore exæquent. Idem multò antè pijs Chriſtianis obiecerunt increduli, infideles, ethnici, & perfidi hæretici; vt ex Euſebio * liquet, Hieronymo, Auguſtino, Cyrillo. *Euſeb. lib. 4. cap. 15. Hier. contra Vigilantium. Auguſt. lib. 2. contra Fauſtũ cap 21. Cyrill. lib. 6. & 10. contra Iulianum.

CAPVT CXXVII.

In Eccleſia Catholica plurimis modis celebratur memoria paßionis & mortis Domini.

PERGIT Caluinus Deo mendacia execranda obtrudere: Nemo, inquit, erat, qui vnicum illud, quod tibi in cruce obtulit, & quo nos tibi reconciliauit, ſacrificium verè reputaret; nemo qui de æterno eius Sacerdotio, & quę inde pendet interceſſione, vel per ſomnium cogitaret. Quid ait ſceleſtiſſimus? an in Eccleſia Catholica nulla eſt digna memoria, nulla iuſta veneratio, vel non fuit ſemper cunctiſque ſæculis, ſacrificij crucis & mortis Chriſti, & beneficiorum quæ per illud accepimus? Et quid ergo ſibi volunt, in primis annuæ illæ omnes celeberrimæ cærimoniæ feriæ ſextæ in ſancta hebdomada, toto orbe terrarum tam ſolemniter obſeruatæ? Quid cantus de cruce multus ex ſacris Scripturis, adorationes crucis ſeu Chriſti crucifixi potiùs, genuflexiones, concio ſolemnis qua populo Chriſtiano tota Chriſti paſſio explicatur? vt nihil dicam, in honorem crucis, de ſtricto diei illius ieiunio, & de alijs multis in honorem mortis Chriſti: quæ à Caluiniſtis & ſimilibus, non ſolùm non obſeruantur, ſed ridentur etiam. CRVCIS CHRISTI MEMORIA MVLTIPLEX IN ECCLESIA.

Huc etiam ſpectat, quòd ſingulis hebdomadis, eadem feria, vbique locorum ſolemnis habetur memoria, in Eccleſia & in officio Eccleſiaſtico, crucis Chriſti, Miſſa etiam peculiari ad hoc inſtituta. quæ memoria pleriſque etiam omnibus Chriſti fidelibus ſatis nota eſt. Quemadmodum & qui arctiore pietatis profeſſione Deo aſtricti ſunt, eodem die ſingulis hebdomadis ieiuniũ colunt: quo nimirum ex vera animi gratitudine ſeſe Chriſto mortuo & crucifixo nonnihil conformant, voluntaria huiuſmodi aſſumta pœnitentia.

Bis in anno diem feſtum celebrat Eccleſia crucis Chriſti, Inuentionis ſcilicet atque Exaltationis illius. nam vbicumque occaſionẽ reperit honorandi crucem Domini; libenter illam, in laudem ac memoriam crucifixi Redemtoris, amplectitur atque veneratur.

Huc ſpectat etiam, quòd in cunctis Supplicationibus publicis, crux Chriſti præfertur. Quo profitemur, nos libenter ſignum ſeu vexillum ſequi Ducis ac Regis noſtri; crucis eius ſeruos eſſe; nulla in re gloriari, prætetquam in cruce Domini noſtri; in illa nos ſpem omnem & fiduciam collocare; per illam vnam expectare victoriam de cunctis hoſtibus noſtris, & in quauis afflictione auxilium. Quod ita etiam factum fuiſſe in Eccleſia Catholica ab initio, vel Venerabilis Bedæ teſtimonio ſatis conſtat. Lib. hiſtoria.

Nec verò pręferri tantùm cœtibus fidelium Chriſti iuſſit Eccleſia; ſed in medio etiam templi cuiuſque, loco eminentiore collocari, vt ſtatim cunctis ingredientibus in oculos incurrat, vt videatur, ſalutetur, honoretur, adoretur ab omnibus. illudque ſimul occurrat cuiuſque memoriæ; Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportuit Ioan. 3.
Filium hominis: vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Quin & templa Fidelium omnia in modum & figuram crucis extructa ſunt: vt nimirum chorus templi, qui vocatur, & locus eſt proprius Sacerdotum miniſtrorum Chriſti, ſit velut caput crucis: inde ſtructura vtrimque per latera expanditur æqualiter, quaſi in

duo brachia: poſtremò verò inferius longiore tractu ducitur verſus occidentem, vt fiat pars crucis infima, terræ infixa, in qua pedes Domini figebantur. Nec ſolùm in templis, ſed in publicis etiam vijs Eccleſia ſignum crucis Chriſti paſſim erigi voluit; vt ne itinerantes quidem, etiam aliud agentes, beneficium crucis Chriſti obliuioni traderet. Et ſicut olim ethnici, Mercurij ſtatuam in vijs & compitis erigebant, quòd hunc deum itineribus præeſſe crederent, ſic nunc Chriſtiani, deiectis Mercurij ſtatuis quæ viarum indices erant, in earum locum erexerunt ſigna Chriſti crucifixi, quibus & viæ quodammodò ſanctificarentur, & iter facientes admonerentur gratitudinis ſuæ, erga crucem Chriſti, propter beneficia incomparabilia per eam accepta.

Ad hæc verò, Sacramenta omnia nec perficiuntur, nec conſecrantur, nec adminiſtrantur, ſine adiunctione crucis Chriſti. Sed præ omnibus, in tota actione & celebratione ſacrificij noui Teſtamenti, (quod Miſſę nomine rectè & communiter dicitur) quidquid eſt in Sacris litteris, de myſterio crucis & mortis Chriſti, quod ſcire omnino intereſt; non verbis ſolùm, ſed geſtibus quoque, habitu, ſignis, & cæremonijs, adumbratur & proponitur oculis, auribus, & ſenſibus omnibus populi Chriſtiani.

Ac veluti ingredientes in mundum Fideles in ſacro Baptiſmo frequenter ſignantur ac muniuntur ſigno crucis Chriſti; ſic ex hoc mundo egredientibus & morituris imago proponitur crucis Chriſti; quando in extremo illo conflictu maximè omnium opus habent conſolatione, inſtructione, confirmatione, armiſque ſpiritualibus; vt ſpem ſalutis firmam concipiant in Chriſtum pro ipſis mortuum & crucifixum: vt pretium agnoſcant redemtionis ſuæ, tantoque æquiore animo corpus mortale & quidquid hic charum habuerunt relinquant, atque ad Patrem cæleſtem & patriam pergant; hoc ſibi firmiter perſuaſum habentes, crucem Chriſti eſſe meritum noſtrum, refugium, & ſpem vnicam, pretium, redemtionem, ſalutem noſtram, vitam & reſurrectionem noſtram.

MOS CHRISTIANORVM SIGNANDI SE CRVCE, ETC.

Denique huc etiam pertinet mos ille in Eccleſia Catholica, quo ſe Chriſtiani ad omnem occaſionem cruce ſignant, quem morem ab Apoſtolis ipſis fluxiſſe dubium eſſe non poteſt: cùm Tertullianus,* ſæculo Apoſtolorum vicinus, ſcribat ea de re in hunc modum: Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lauacrum, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quæcumque nos conuerſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus. Quoties terror aliquis aut periculum imminet, toties hoc ſigno vtimur: neque nobis aliò confugiendum eſſe putamus, quàm ad crucem Chriſti. per quam ille cùm deuicerit huius mundi principem, in ea certiſſimum nobis præſidium conſtitutum credimus. Ipſa eſt enim, vt Chryſoſtomus ait, Diaboli plaga, dæmonũ frænum, lupatum virtutum contrariarum. Fugiunt hoc ſignum dæmones, velut baculum quo percuſſi, proſtrati, victi fuerunt. Quod in ſuo quoque periculo, ſuoque magno bono didicit aliquando Iulianus Imperator, licet iam tunc à Chriſtiana religione deſeciſſet.

** Lib. De corona militis.*

Lib. quòd Chriſtus ſit Deus, & Hom 55. in Matth.

Nazian. Oratione 1. in Iulianũ.

CAPVT CXXVIII.

Quàm probè agnitum & honoratum in Eccleſia Catholica fuerit ſacerdotium Chriſti.

SED hæc ſatis ſunt, ad detegendum & reuincendum Caluini impudentiſſimum mendacium, quo affirmare non veretur, nullum eſſe in Eccleſia Catholica qui ſacrificium Chriſti in cruce pro nobis oblatum reputet vt oportet. Ipſimet potiùs ſunt, impijſſimi Caluiniſtæ, qui beneficium crucis Chriſti vbique locorum ex animis hominum extirpare nituntur. cùm nuſquam, neque in moribus & vita ipſorum, in templis & conuenticulis, ritibus & Sacramentis, ſeu potiùs ſacrilegis ſuperſtitionibus, vllum crucis Chriſti indicium appareat: niſi quòd crucem & mortem Chriſti ſemper in ore habeant; & ſancta Crucis ſigna vbique vt inimici crucis Chriſti demoliantur.

Simile eſt, quod ait de Chriſti ſacerdotio; neminem fuiſſe in Eccleſia Catholica, qui de æterno Chriſti ſacerdotio, & quæ inde pendet interceſſione, vel per ſomnium cogitaret. Videte hominem fanaticum, abſurdiſſima etiam effutientem. Quis enim ignoret, multo meliùs agnitum, honoratum, & cultum fuiſſe omnibus ſæculis ſacerdotium Chriſti æternum inter Catholicos, quàm apud Caluiniſtas, aut quoſlibet alios Nouatores?

Agnouit ſemper Eccleſia Chriſti, duplex ſacrificium Chriſti: vnum cruentum, alterum incruentum. Prioris oblationem fecit in ara crucis, vbi ſeipſum totum Deo Patri obtulit vltrò ad mortem acerbiſſimam, totumq́ue effudit pretioſiſſimum ſanguinem ſuum in remiſſionem peccatorum noſtrorum: figuras adimplens ſacrificiorum omnium cruentorum, quæ per Aaronem & filios eius, eorumq́ue ſucceſſores ſacerdotes Leuiticos, Deo offerebantur, ex ouibus, bobus, hircis, & alijs pecoribus, iuxta legem Moyſi. Quo vno Chriſti ſacrificio confitetur Eccleſia, totum genus humanum redemptum, Deoq́ue reconciliatum fuiſſe: nec vllam vmquam peccatorum remiſſionem fieri ab initio mundi vſque in finem, niſi per virtutem & meritum vnius illius hoſtiæ; vt ſuprà alia occaſione oſtendimus. Impleuit nihilominùs etiam figuram ſacerdotij Aaronici, dum merito ſanguinis ſui in cruce effuſi, in cælum aſcendit, per tabernaculum non manufactum (ſicut Hebr. 9. ait Paulus) vt appareat nunc vultui Dei pro nobis, oretq́ue ſine intermiſſione pro populo ſuo: vt Paulus & Ioannes conteſtantur. Cuius rei typum & figuram geſſit Aaron, cum 1. Ioan. 2. ſanguine hirci intrans in Sancta ſanctorum, deprecaturus diuinam maieſtatem pro toto cœtu Filiorum Iſraël; vt ſcribit Moyſes Leuit. 16. Paulus verò de figuræ illius per Chriſtum impletione, Hebræorum 9.

Hac autem interceſſione Chriſti ſacerdotis, Patrem ſuum cæleſtem aſſiduè orantis, nituntur preces omnes & interceſſiones Sanctorum, tam defunctorum in cælis quàm viuentium adhuc in terris. idq́ue ſeu pro ſeipſis ſeu pro alijs viuentes deprecentur: vt ſuprà etiam dictum atque oſtenſum eſt.

CAPVT CXXIX.

Chriſti ſacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech.

VERVM eſt & aliud Chriſti ſacerdotium, iuxta doctrinam Eccleſiæ Catholicæ perpetuam & veriſſimam; non ſecundùm ritum Aaronicum, ſed ſecundùm ordinem & modum Sacerdotis Melchiſedech. Quod Chriſti ſacerdotium Caluinus cum ſuis non agnoſcit: ſed agnoſcit Pſalmiſta, cùm dicit de Chriſto, Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.

Quale autem fuerit ſacerdotium Melchiſedech, vel cuiuſmodi ſacrificium Deo obtulerit, docet Moyſes Geneſis 14. At Melchiſedech, ait, protulit panē & vinum: erat enim Sacerdos Dei altiſſimi. Ergo non oues aut boues Deo offerebat Melchiſedech, inſtar ſacerdotum Leuiticorum: ſed panem & vinum. Iam ſi Chriſtus eſt Sacerdos iuxta ordinem Melchiſedech; quæritur, quando, vel vbinam illo ſacerdotio functus fuerit, Deo Patri ſuo ſacrificium in pane & vino iuxta ritum Melchiſedech offerendo. Nuſquā profectò hoc feciſſe reperitur, præterquam in vltima cœna, quādo corpus & ſanguinem ſuum ex pane & vino conſecrata, ſub iiſdē panis & vini ſpeciebus, Deo Patri obtulit, priuſquam diſcipulis edenda ac bibenda diſtribuit. Quamuis enim oblationis huiuſce nulla fiat expreſſa mentio ab Euangeliſtis, in deſcriptione cœnæ Dominicæ; tamen, ſi Scripturæ interpretandæ iuxta intellectum & traditionem veterum Eccleſiæ Patrum & Paſtorum, plerique omnes Eccleſiæ veteris Patres, tam Græci quàm Latini, conſtanter tradunt, Chriſtum in cœna vltima ſeipſum Deo Patri ſub ſpeciebus panis & vini tamquam Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech obtuliſſe. Oſtendimus hoc antè alia occaſione, ex Cypriano, Hieronymo, Auguſtino, Chryſoſtomo, & alijs. nunc hîc duos adhuc dumtaxat addemus, maioris lucis gratia, vnum ex Latinis, ex Græcis alterum, Ambroſium videlicet, & Euſebium Cæſarienſem.

Ambroſius in Pſalmum 38. ita habet ad verſiculum illum; Verumtamen in imagine pertranſit homo: Vidimus, inquit, principem Sacerdotum ad nos venientem: vidimus & audiuimus offerentem pro nobis ſanguinem ſuum. Sequamur vt poſſumus Sacerdotes, vt offeramus pro populo ſacrificium, etſi infirmi merito, tamen honorabiles ſacrificio. Quia etſi nunc Chriſtus non videatur offerre, tamen ipſe offertur in terris, quoniam Chriſti corpus offertur. imò ipſe offerre manifeſtatur in nobis, cuius ſermo ſanctificat ſacrificium quod offerimus. Sic ille; docens Chriſtum obtuliſſe corpus & ſanguinem, in quo ſacrificio eum noui Teſtamenti Sacerdotes imitantur. Clarior etiam eſt Euſebius. qui tametſi in dogmatibus religionis Chriſtianæ nō admodum magni eſt momenti, quia fide ac religione Arrianus fuit; tamen in ijs quæ pertinent ad hiſtoriæ veritatem & traditionis

tionis Eccleſiaſticæ, bonus auctor eſt. Sic igitur ille: Oraculi exitus admirabilis ei qui contempletur quemadmodum Saluator noſter Ieſus qui eſt Chriſtus Dei,ipſius Melchiſedech ritu, ea quæ ad ſacerdotium in hominibus gerendum ſpectant, per ſuos miniſtros perficiat. Nam,quemadmodum qui Sacerdos gentium erat,nuſquam videtur ſacrificijs corporalibus functus, ſed vino ſolo & pane, dum ipſi Abraham benedixit: ita ſanè primus ipſe Saluator Dominus noſter, deinde qui ab ipſo facti ſunt Sacerdotes, in omnibus gentibus ſpirituale ſecundùm Eccleſiaſticas functiones ſacerdotij munus obeuntes, vino ac pane, corporis illius & ſalutaris ſanguinis myſteria, repræſentant. Quæ ſanè myſteria Melchiſedech tanto antè ſpiritu diuino cognouerat, & rerum futurarum imaginibus vſus fuerat; ſicut Moyſi Scriptura teſtatur.

Hic videmus, Euſebium ſenſum referre clariſſimum Eccleſiæ Chriſtianæ ſui temporis & ſuperioris, quomodo Chriſtus ſit Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech. Primùm videlicet, quia hoc ipſum obtulit, puta ſecundùm externam ſpeciem, quod obtulerat Melchiſedech, panem & vinum; hoc quod ad ordinem & ritum ſacerdotij Melchiſedech attinet. In æternum verò talis Sacerdos eſt, quia quod primus ipſe ſacrificium obtulit, hoc deinceps in Eccleſia ſemper eſt proſecutus per Sacerdotes alios, vicarios ſuos in omnibus gentibus in æternum. Quem etiam ſenſum profectò ſubindicat Auguſtinus tum lib. 17. de Ciuitate Dei cap. 17. tum contra aduerſarios Legis
Lib.1.c.18. & Prophetarum, tum in Pſalmum illum 109. Nec poteſt obijci contra hunc ſenſum
Scripturæ, eodem modo Aaronem ſacerdotium perpetuum habuiſſe: quia quod primus
ipſe incepit, iuſſu & mandato Dei, id filios eius ac nepotes poſtmodum ſequentibus ſæ-
culis perfeciſſe. Quamuis enim hoc ita multis fuerit ſæculis obſeruatum, tamen ſuo tem-
pore omnis ille ritus ſacrificandi mutatus & abolitus fuit per aduentum Chriſti; qui no-
uum tunc pro nouo populo inſtituit ſacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech,
duraturum in æternum: quia nouo huic ſacerdotio ac ſacrificio nullum aliud ſuccedet
Malach.1. vſque in finem mundi. Et hoc eſt quod alius Propheta ſubindicare videtur, dicens: Non
eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non accipiam de ma-
nu veſtra. Ab ortu enim ſolis, vſque ad occaſum, magnum nomen meum in gentibus;
& in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. De qua Scriptura
Lib.1.c.20. videre licet Auguſtinum, contra aduerſarios legis: Chryſoſtomum in Pſalmum 95.
& De ciuit. & alios.
lib.19.cap.
23.

Quibus ex omnibus iam ſatis patet, in Eccleſia Catholica multò & meliùs cognoſci
& ſanctiùs coli ſacerdotium Chriſti, &c, quæ inde pendet, interceſſionem eius pro nobis,
quàm in conuenticulis Caluiniſtarum aut aliorum Nouatorum. Certè, cùm nullum
omnes illi agnoſcant in Eccleſia externum ſacerdotium vel ſacrificium, dicantque, om-
1.Pet.2. nes in vniuerſum Fideles eſſe ſacerdotes, iuxta illud quod antè audiuimus, Gens ſancta,
Apoc.1. regale ſacerdotium: item, Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes: Chriſtum Sacer-
dotem maxima ex parte ſpoliant ſacerdotio ſuo ſempiterno, ſecundùm ordinem Mel-
chiſedech. quamuis enim ipſe eo genere ſacerdotij ſemel dumtaxat functus fuerit, ta-
men per Sacerdotes noui Teſtamenti, vicarios ſuos, vbique locorum illo fungitur ſacer-
dotio in æternum.

CAPVT CXXX.

Quòd fiduciam & ſpem ponere liceat in bonis operibus: quódque ijs Dei gratiam, iuſtitiam, & remiſsionem peccatorum meremur.

SED audiamus, quomodo, & quibus in rebus prætereà nos accuſet Caluinus coram Deo: Nemo, inquit, erat, qui in vna eius iuſtitia acquieſceret, &c. Hic rurſus penè omnia, vel ſimpliciter omnia, ſunt mēdaciis plena. Neminem fuiſſe inter Catholicos, qui in vna Chriſti iuſtitia acquieſceret, falſum eſt. Confitemur enim, Chriſtū nobis factū à Deo iuſtitiam, redemtionem, ſanctificationem, & omnia: eiuſque vnius iuſtitia ſaluos fieri. Sed non ita, quin ſimul etiam omnes, qui per illum ſalutem conſequuntur, iuſti & ſancti efficiantur; ſuaq; illa iuſtitia, ab eo accepta, ſalutem & vitam æternam mereantur. Denique,

nique, non ſic in vna Chriſti iuſtitia acquieſcimus, quaſi opera omnia iuſtorum, ex ſpi-
ritu & gratia Dei perfecta, nihil facerent ad veram iuſtitiam. Hæc enim omnia, quem-
admodum intelligenda ſint ſecundùm Scripturas, ſuprà latè oſtendimus.

Similiter negamus, ſalutis fiduciam, quæ verbo Dei præcipitur & fundatur, pænè eua-
nuiſſe apud Catholicos. Mirum autem, cur nó ſimpliciter dicat, Euanuiſſe, abſque Pænè.
non enim eum pudere ſolet aliàs talis audaciæ. Sed nos, nec vel prorſus, nec pænè, nec vlla
ex parte euanuiſſe confitemur. Niſi fortè per ſalutis fiduciam intelligat, vt profectò vide-
tur, ſtultam illam, inanem ac temerariam ſalutis fiduciam; qua Caluiniſtæ & ceteri om-
nes Sectarij noſtri per ſolam fidem in Chriſtum, nullo habito reſpectu ad quæcumque
bona opera, ſe ſaluos fore certò ſtatuunt: quam communiter nunc omnes, diſtinctionis
gratia, in ſcholis appellant fidem ſpecialem. nec fides eſt vera, ſed ſtulta arrogantia, &
ſuperba præſumtio, cunctis noui & veteris Teſtamenti ſcripturis contraria: vt ſatis anteà
diuerſis locis oſtendimus.

Pergit Caluinus. Erant, inquit, profanæ opiniones non paucæ, quæ prima eius doctri-
næ quam nobis verbo tuo tradidiſti placita, à radice ſubuerterent. Grauis profectò ac-
cuſatio, ſi perinde vera eſſet: ſed, quã nos prorſus negamus. Quia verò à tam multis (quas
dicit) profanis opinionibus ne vnam quidem nominatim recenſet, nos quoque iis reſu-
tandis, aut inquirendis, non pluribus immorabimur.

Pergamus igitur illum audire velut ſuem in volutabro luti grunnientem: Sana quoque,
ait, Baptiſmi Cœnæq; intelligentia, pluribus mendaciis corrupta erat. Ad hoc nos ex
aduerſo breuiter reſpondemus, nõ aliud id etiam eſſe, quàm merum magnumq; menda-
cium. Doctrina de duobus his Sacramentis apud nos, quemadmodũ & de aliis vſq; ad ſe-
ptẽ numero, integra & incorrupta retinetur ac traditur. Quàm multis verò, & quàm im-
piis ac pernicioſis opinionibus, ipſi doctrinam Sacramentorum iſtorum corruperint; nos
hîc ſuo loco tam clarum fecimus, vt cæci etiam videre queant.

Quid præterea? Iam, inquit, omnes, non ſine graui tuæ miſericordiæ contumelia, fi-
duciam in bonis operibus ponebant, &c. Hoc tantùm hîc reſpondemus: Si tam grauis
eſt contumelia miſericordiæ Dei, fiduciam aliquam ponere in bonis operibus; quomo-
do non fuit veritus contumeliam illam Ezechias Rex, dicens Deo tam confidenter: Me- *4. Reg. 20.*
mento Domine, quoniam ambulauerim coram te, in corde perfecto; & quod bonum
eſt in oculis tuis fecerim? quomodo non item poſt eum Nehemias; qui quoties ali-
quid fecerat ad reſtitutionem vel promotionem pietatis, vel cultus Dei, mox ad Deum *Nehemia*
conuerſus, Memento mei, inquit, Domine, propter hoc? poſtremò, quomodo non eam- *5. & 13.*
dem blaſphemiam in Dei miſericordiam timuit Paulus Apoſtolus, vt non plura hîc me-
moremus, dicens ſcribenſque, Bonum certamen certaui, curſum cõſummaui, fidem ſer- *2. Tim. 4.*
uaui. de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ: quam reddet mihi Dominus in illa
die, iuſtus iudex? An non iſti omnes fiduciam ponebant, non aliquam dumtaxat, ſed
magnam in bonis operibus ſuis? nec tamen Dei miſericordiæ aliquam faciebant iniu-
riam, ſed eam potiùs laudabant & celebrabant. quia quidquid habebant bonorũ ope-
rum, non aliunde quàm à Dei miſericordia ſciebant ſe recepiſſe.

Quòd verò bonis operibus mereamur gratiam Dei, ſi non ſatis id probant iam dictæ
Scripturæ, ſunt & aliæ multæ, quæ hoc manifeſtè teſtantur. Quia feciſti hanc rem (dice-
bat Deus Abrahæ) & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicens benedi- *Geneſ. 22.*
cam tibi, &c. Quid Chananæa illa apud Matthæum & Marcum? nónne propter hu- *Matth. 15.*
militatem ſuam, propter fidem ingentem, ac in oratione perſeuerantiam, gratiam Salua-
toris promeruit? Propter hunc ſermonem (aiebat illi Dominus) vade: exijt dæmonium *Marc. 7.*
à filia tua. Idem liceret dicere de Centurione, deq; fide & humilitate ipſius; qua dicebat,
Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. quibus verbis gratiam Chriſti
quamprimùm promeruit. Sed quid opus eſt multitudine exemplorum vel Scripturarum
in re tam perſpicua?

Et quod ad iuſtitiam per bona opera comparandam attinet, quid dicit Iacobus Apo-
ſtolus? Abraham, inquit, pater noſter, nónne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac *Iacob. 2.*
filium ſuum ſuper altare? Similiter & Rahab meretrix, nónne ex operibus iuſtificata eſt,
ſuſcipiens nuntios, & alia via eijciens? Et addit generalem ſententiam: Videtis, quomo-
do ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm? Cui hic tam clarus locus, vel
vnus, haud ſatisfacit; indignus eſt, qui plures aut alios audiat.

Eadem eſt ratio remiſſionis peccatorum per bona opera: ſcriptum eſt enim; Remit- *Luc. 7.*
tuntur

tuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. &, Peccata tua eleemoſynis redime. Dan. 4. &, Charitas operit multitudinem peccatorum. 1. Pet. 4. item: Ignem ardentem extinguit aqua; & eleemoſyna reſiſtit peccatis. Eccle. 3.

Quæ etiam Scripturæ, & aliæ ſexcentæ, quas in eumdem ſenſum afferre liceret, docent, Deo eiuſque iuſtitiæ per bona opera ſatisfieri; quod hic vltimo loco tantopere Caluinus exagitat, & per quod dicit, ſicut & per præcedentia omnia, virtutem crucis Chriſti exinaniri ac oblitterari. cùm ex aduerſo virtus crucis Chriſti per hæc omnia potius mirificè commendetur ac illuſtretur: vti priùs alijs locis ad plenum declarauimus.

Quòd verò ait, nos neſciſſe, quęnam ſint bona opera, quibus tantam laudem atque efficaciam tribuamus; videtur hoc apertius verbis conſequentibus explicare, ne mentem eius ignoremus: ſed delirio ſimile eſt, vt omnia. Perinde enim, inquit, ac ſi minime ad iuſtitiam in lege tua inſtituti forent, multas ſibi fabricati ſunt inutiles nugas, quibus fauorem ſibi tuum conciliarent: in quibus ita ſibi blandiebantur, vt præ illis pęnè contemnerent, quam in lege tua commendaſti, veræ iuſtitiæ regulam. adeò humana decreta, occupato ſemel regno, tuis ipſius præceptis, ſi non fidem, certe auctoritatem derogauerant. Sic Caluinus. Mirabile, quàm deſipiant, ſibi plus æquo ſapientes:

Quidnam autem hîc ſibi velit Caluinus, vel qualnam inutiles nugas putet, quas pro bonis operibus habeamus, cùm non ſint; quibuſque Dei gratiam & fauorem impetrare conemur; & quas pluris faciamus, quam veræ iuſtitiæ regulam, Dei lege præſcriptam; ipſe Caluinus non explanat, niſi quòd mentionem facit decretorum humanorum. Quo ſubindicare videtur, ſe loqui de conſtitutionibus Eccleſiaſticis, quæ totidem verbis non extant in Sacris litteris. Sed, illas non eſſe pro nugis habendas, quin potius tantum fidei atque auctoritatis eis deberi, quantum præceptionibus expreſſis Sacrarum litterarum, nos prius non ſemel ſuis locis planum fecimus.

Capvt CXXXI.

Caluini fallacia, omnis erroris ſui culpam in Chriſtum reijcientis: qui ipſi ſic omnia inſpirarit.

ETiam omnia recenſuit Caluinus, longo catalogo, quæ illi diſplicent in doctrina Eccleſiæ Catholicæ, quæque Deo ſummopere ingrata eſſe exiſtimat, & ipſe propterea nullo pacto probare poteſt.

Sed operæpretium erit audire, quibus magiſtris hæc omnia auſus fuerit luxare, improbare, conuellere. Quoſnam hic duces vel doctores ſecutus eſt? quinam ante eum ita ſenſerunt, ita interpretati ſunt verbum Dei, tales ex eo ſenſus doctrinaſque traxerunt? Audite quaſi crapula obrutum, ſecum ſermocinantem: Hæc Domine, inquit, vt animaduerterem, tu mihi ſpiritus claritate affulſiſti; vt deprehenderem, quàm impia noxiaque eſſent, tu mihi facem verbo tuo prætuliſti, &c. Sic ille, Lucifero iactantia non inferior. Atque hic planè explicat mentem ſuam; ac caute aſtuteque occurrit obiectionibus optimis ac iuſtiſſimis, quibus ſtatim vehementer premi & grauari poterat: quòd nimirum in his omnibus aduerſaretur palàm toti Eccleſiæ, eiuſque Patribus, Rectoribus, & Doctoribus vniuerſis. Hanc obiectionem cùm videret ſe benè & ex ratione ſoluere ac remouere non poſſe, quid reſpondit? quid inuenit? Dicit, ſe recepiſſe doctrinam ſuam ex ore Dei: ſpiritus eius claritate illuſtratum, vt Eccleſiæ errores animaduerteret; vt quàm impij & noxij eſſent errores illi, Deum ſibi lucem verbo ſuo & facem prætuliſſe: denique, vt abominaretur, prout digni eſſent; Deum ipſius animam pupugiſſe. Quis iam hominem iſtum arguere aut reprehendere poterit, qui totam doctrinam ſuam accepit ex inſtinctu & ſuggeſtione ſingulari Spiritus ſancti?

Capvt CXXXII.

Quid Caluino ad hanc blaſphemiam reſpondendum.

SEd, ô merum impoſtorem! ô verè falſum prophetam! ô manifeſtum populi ſeductorem! ô ſomniatorem vaniſſimum! quales olim Moyſi & Prophetis tam multum

negotij

negotij faceſſebant. Væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident! Quis fidem illi adhibere tenetur, dicenti ſe tales à Deo reuelationes accepiſſe, contra ſenſum & conſenſum totius Eccleſiæ? Quaſi verò non illæ eſſent veteres artes & fraudes hæreticorum omnium & impoſtorum poſt aduentum Chriſti, & falſorum prophetarum ante eumdem. Et nónne, quod tu Caluine hic dicis contra totam Eccleſiam, à qua receſſiſti; nónne, inquam, idem tibi obijcere poſſunt, adeoque reipſa etiam obijciunt Anabaptiſtæ omnes, quando abs re Scripturis & rationibus conuincuntur? nónne idem & Lutherani, & Oſiandrini, & Zvvencfeldiani, & Serueriani, quorum tu magiſtrum & coryphæum Geneuæ publicè flammis tradidiſti, & alij innumeri, quibuſcum non multò meliùs tibi conuenit quàm nobiſcum, de ſua quique peſtifera doctrina palàm affirmant & prædicant? Cur nos magis aſtringimur tibi credere, dicenti, doctrinam te tuam ex ore Dei habere, ex illuſtratione Spiritus ſancti, quàm alijs quibuſuis hæreticis manifeſtis, etiam tuo iudicio; id eſt, planè grauiſſimis verbis de impia ſua ac nefaria doctrina confirmantibus? quænam tu affers maiora vel certiora ſigna vel indicia collocutionis tuæ cum Deo, vel Spiritu ſancto, contra Eccleſiam; quàm illi ſuę, quam dicunt diuinæ reuelationis, contra eamdem Eccleſiam, iuxta & contra te? Deut. 13. Ierem. 29. Ezech. 13.

Sed notum eſt eruditis, quomodo impoſtores & ſeductores omnes, vaniſſimis huiuſmodi ſecretis reuelationibus, vel ſomnijs potiùs, impoſturas ſuas, fraudes, & mendacia ſacrilega, tegere ſoleant, ad fallendam & ſeducendam plebem.

Et hîc videmus, quàm rectè ac meritò paulò antè à nobis introductus fuerit Chriſtus Iudex, Caluinum ex proprio ipſius ore iudicans & condemnans, quando idem Caluinus confitebatur, ſacrilegam eſſe temeritatem, natas in hominum cerebris doctrinas obtrudere Eccleſiæ pro verbo Dei. Hîc etenim ſatis apertè teſtatur ſe doctrinam ſuam, non ab vllis Eccleſiæ Patribus aut Paſtoribus recepiſſe, nec vllum hîc Eccleſiæ ſenſum vel conſenſum ſecutum, ſed omnia didiciſſe ex ore Dei, atque ex illuſtratione Spiritus ſancti. Nimirum vt à nullo Eccleſiaſtico iudice hîc damnari vel conuinci poſſit: dum velut alius Apoſtolus aut Propheta cum nouis mandatis à Deo mittitur. Verùm, quando hoc dicit atque affirmat tantummodò, nullis autem ſignis legitimis probat, quibus Apoſtoli & Prophetæ instructi ac muniti veniebant; more ſeductorum ac impoſtorum omnium, manifeſtæ falſitatis & mendacij execrabilis, nullo negotio accuſatur & conuincitur.

Quàm friuolum autem, immò impium ac nefarium nugamentum ſit, quòd nefas eſſe putauerit, eas res in obſcuro iacere, quibus cogitandis eſſemus nati, & in quibus hominum ſalus reſideret: cùm fallere non poſſit oraculum illud; Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum: nihil eſt opus velle multis verbis aut argumentis docere, cùm res ipſa ſatis ſuperque ſeipſam confutet. Totis ſcilicet non dicam octingentis aut nongentis, quibus nos ferè hîc Flandri fidem Chriſti recepimus; ſed pluſquam mille quingentis annis, ante Caluini tempora, neminem fuiſſe in Eccleſia, in orbe Chriſtiano, qui Deum nouiſſet, aut filium Dominum Ieſum Chriſtum: nullum qui Scripturas ſacras intelligeret, qui verbum Dei haberet vel doceret, vt oportet: tanto tempore fidem veram, purum Ieſu Chriſti Euangelium in angulum detruſum, vel ſub ſcamno iacuiſſe, vt initio Lutherus dicebat; vel ſepultum in puteo obliuionis latuiſſe; donec Caluinus vel præceptor eius Lutherus illud proderet. Hi ſunt nimirum, quos Deus & Spiritus ſanctus, poſt tot ſæcula, mundi totius in tenebris ignorantiæ & ſuperſtitionis iacentis miſertus, miſit reformandæ Eccleſiæ, illuminandis oculis miſerorum mortalium. Ioan. 17.

CAPVT CXXXIII.

Iuſta querela, & merita indignatio, contra ſuperbas Sectariorum nouitates, omnem antiquitatem atque vniuerſitatem contemnentium.

HI, inquam, ſunt qui nobis dicunt: Quidquid à Patribus traditum, quidquid Conciliorum quorumuis auctoritate ſancitum, quidquid Eccleſiæ totius quamuis diuturna ac perpetua conſuetudine receptum eſt & approbatum, contemnite, reijcite,

reijcite,pro nihilo ducite: immò pro meris ſuperſtitionibus & figmentis habete. Neque vel tantillum moueat quemquã multitudo, magnitudo, latitudo, profunditas, ſanctitas Eccleſiæ totius, doctrina, ſapientia, miracula Sanctorum omnium. Sed, quod per nos proponi, tradi, doceri videtis, hoc ſenſiſſe & voluiſſe Spiritum ſanctum ne dubitate. Quod autem Orthodoxi (qui dicuntur) docuerunt, quod auctoritas Eccleſiæ tradidit, quod populus omnis Chriſtianus iam tot ſæculis, vbique locorum ac gentium, ſecutus eſt & amplexus, quod ſcholæ omnes Theologicæ & academiæ docuerunt, nihil quàm exitiale Satanæ venenum putate. Sic illi excerebrati bufones. Quis eſt autem hic animi tumor? quæ pluſquam Satanica mentis inflatio? ita ſibi ſolis tribuere verbum Dei, Deumque ipſum & Spiritum ſanctum; vt ceteris omnibus detrahas, quamlibet doctis, pijs, ſanctis, ſapientibus, toto orbe Chriſtiano? Qui ſunt, inquam, iſti, niſi degeneres Eccleſiæ filij, deſertores, vt paſſim vocantur in Scripturis, ſemen mulieris adulteræ, qui ſanctis Patribus ac maioribus ſuis extremæ ac non ferendæ ignominiæ notam non verentur inurere, quaſi nullus fuerit in eis timor Dei, nullus amor verbi illius ſalutiferi, imò nulla Dei vel Chriſti, mundi Redemtoris, vera notitia. A quibus tamen & rectè viuendi normam acceperunt, pietatis doctrinam, Euangelij notitiam, & Chriſtianæ religionis exordium. quam doctrinam & religionem multi quoque illorum non ſolum miraculis confirmarunt, ſed proprio etiam ſanguine conſecrarunt. Quorum operâ ac labore factum, vt Dei & Ieſu Chriſti filij eius nomen hic primùm audiremus, ac è denſiſſimis infidelitatis atque idololatriæ tenebris eruti, luce gratiæ & veritatis illius donaremur.

Has querelas & inuectiuas iuſtiſſima indignatio nobis extorſit aduerſus tam ingratos & impios: quorum primarius velut ſignifer Caluinus hic dicere & iactare non veretur, vt audiuimus; quòd per ipſum eiuſq; ſimiles factum ſit, vt res illæ non ampliùs in obſcuro iacerent, quibus cogitandis nati ſumus, in quibuſque reſidet hominum ſalus. Sed, nunc pergamus.

Capvt cxxxiiii.

Quomodo Caluinus ſe coram Dei tribunali de ſchiſmate facto excuſare conetur.

Avdivimvs quemadmodum ſe Caluinus coram Deo ab hæreſi purgare conatus ſit; id eſt, purgare ſtudendo, magis multò ſe reum fecerit. nam hoc faciunt omnes, qui excuſationes quærunt, ſicut ſcriptum eſt, in peccatis. Audiamus quid adferat in depulſionem ſchiſmatis, quo nihilo certe minus grauatur ac damnatur ab Eccleſia: vt ſunt aliàs etiam hæc duo pænè ſemper coniuncta, hæreſis nimirum & ſchiſma. Quod autem mihi, inquit, de diſceſſione ab Eccleſia obijcere ſoliti ſunt; neque in eo male mihi conſcius ſum: niſi fortè pro deſertore habendus eſt, qui, vbi milites fuſos ac palatos videt procul ordines reliquiſſe, ſigno ducis ſublato, eos in ſtationes ſuas reuocat. Sic ille. Sed hic in primis ſemper queritur, cuius iuſſu vel auctoritate hoc aggreſſus ſit. Quis illum miſit ad hoc officij, vt milites Chriſti diſperſos, vt ait, & fugientes ad ſtationes ſuas reuocaret? Vltrò venit: ſeipſum ingeſſit: in alienam meſſem miſit falcẽ ſuam. nec aliud habet quod hic dicat, quàm quòd extraordinaria vocatione à Deo miſſus ſit, (vt audiuimus) & pòſt etiam audiemus. Verbum ſcilicet impoſtorum omniũ & ſeductorum, in primis autem hæreticorum & ſchiſmaticorum: vt omnis hiſtoria docet. nec tamen confitemur, de deſertis à nobis ordinibus, vel ſigno ducis noſtri; id eſt, de Chriſti Saluatoris Euangelio aut verbo abiecto, vel de Apoſtolicæ ſinceræque doctrinæ veritate relicta. In ipſummet hoc quadrat veriſſimè, vt ſuprà crebrò oſtendimus, non in nos.

Pergit tamen probare, quod dixit. Sic, inquit, diſperſi erant tui omnes, vt non modò imperia exaudire non poſſent; ſed etiam obliti propemodum eſſent & ducis, & militiæ, & ſacramenti militaris. Mendacium eſt magnum & impudens: quodque ipſi & ſceleratis eius conuenticulis proprium eſt, hoc torquet ore impudenti in germanos Eccleſiæ filios.

Nec pergere tamen veretur, mendacia ſemper mendacijs cumulando. Ego, ait, vt eos ab errore colligerem, non alienum ſignum ſuſtuli; ſed inſigne illud tuum, quod nobis ſequi neceſſe eſt, ſi volumus in populo tuo cenſeri. O mendacem, & falſarium longè maximum

ximum ac deterrimum! Nemo vmquam Chriſti vexillum turpiùs deſeruit, nec plures ab eo diſtraxit, nec maiore damno affecit vel ignominia; nemo vmquam magis alienum in Eccleſia ſignum ſuſtulit, nemo eos, qui priùs in fidei vnitate & charitatis communione coniuncti erant longiùs exitialiuſque diſperſit, quàm tu Caluine; &, quem primum patrem ac infelicem habes præceptorem, Lutherus. Nemo vmquam hæreticorum magis corrupit verbum Dei; nemo ſanctam Scripturam malitioſiùs explicauit; nemo vmquam magis in hypocriſi mendacia euomuit (vt Apoſtolus ait,) nemo magis iniuriùs in Sanctos omnes; nemo in Deum & Chriſtum eius Filium magis blaſphemus. Si quis hîc mihi fortè non credat tam grauiter accuſanti Caluinum, legat auctores huius temporis eruditos & fide dignos, qui de his rebus ex profeſſo ſcripſerunt. Quos inter Claudius de Sanctis, librum edidit beue magnum de atheiſmis Caluini; & Franciſcus Feuardentius maiorem etiam, de ducentis eiuſdem blaſphemijs. vt nihil commemorem Guilelmum Roſſeum in opere inſigni de iuſta Reipublicæ Chriſtianæ in Reges hæreticos auctoritate, & alios multos.

Sed audiamus nugamenta Caluini ſequentia: Ego, inquit, ſemper & verbis & factis teſtatus ſum, quanto vnitatis ſtudio tenerer. verùm illa mihi erat Eccleſiæ vnitas, quæ abs te inciperet & in te deſineret. O nequam! Contrà illi dicendum erat, vt verum diceret, ſe ſemper & verbis & factis teſtatum fuiſſe, quanto diuiſionis execrabilis & diſcordię nefariæ ſtudio teneretur: nec vllam amaret vnitatem quæ à Chriſto inciperet, & in illum deſineret. Hoc nos paulò pòſt, hîc etiam, aliquanto manifeſtius faciemus.

Quoties, inquit, nobis pacem & cóſenſionem commendaſti, ſimul oſtendiſti, te vnum eſſe illius vinculum. Hoc verum eſt. quid inde? Me, inquit, ſi pacem habere vellem, cum ijs qui ſe iactabant Eccleſiæ Præſules & fidei columnas, eam redimere oportebat, veritatis tuæ abnegatione, &c. Attendite impoſtorem. Hic ſuo more vera falſis permiſcet, & ex generalibus Scripturæ ſententijs, quas omnes agnoſcunt & recipiunt, concluſiones infert falſitatis pleniſſimas: ſemperque ad eumdem offendens lapidem, numquam non peccat vitioſa illa argumentatione, quam Dialectici in ſcholis appellant Petitionem principij. Nemo negat, Chriſtum eſſe vinculum vnicum pacis omnis bonæ & ſalutaris conſeruandæ. In confeſſo eſt etiam, quiduis potiùs ſubeundum, quàm vt pacem aliquam faciamus cum abnegatione veritatis Dei. Nec illud obſcurum eſt, etſi cælum terræ permiſceatur, totuſque corruat mundus, oportere tamen verbum Dei ſaluum manere. Sed quæritur, ab vtrius parte ſtet veritas & verbum Dei. Caluinus ait à ſua: nos dicimus ex aduerſo, quòd à noſtra. Ac puto nos hîc iam ſatis ſuperque æquo ſanoq; Lectori probaſſe mentem & ſententiam noſtram, vt nihil ſit opus pluribus verbis. Pergit ipſe tamen, eamdemque ſemper crambem mouens; Neque, inquit, diſſidere me ab Eccleſia tua putabam, quia mihi cum primoribus illis bellum erat. nam & per Filium tuum, & per Apoſtolos præmonueras, ad eum locú emerſuros, quibus conſentiendum minimè eſſet. Non de extraneis hominibus, ſed ijs qui ſe pro paſtoribus venditarent, prædixeras, fore lupos rapaces & pſeudoprophetas; ſimulque mandaueras, vt cauerem. vbi cauere iubebas, an ego manum præbuiſſem? nec magis peſtilentes Eccleſiæ tuæ hoſtes fore denuntiabant Apoſtoli, quàm inteſtinos; qui ſub paſtorum titulo delitéſcerent. Quos pronuntiabant eſſe habendos pro hoſtibus, ab ijs cur dubitaſſem me ſeiungere. Ecce vt ſe in varios gyros & ſpiras torquet verſipellis.

Sed nos hîc paululùm ſubſiſtemus, relictis omiſſiſque multis, quę ſequuntur, eiuſdem ſenſus & argumenti. Quidquid hîc adfert ex Scripturis, fatemur eſſe veriſſimum. Sed inde ſequi, primam verborum iſtorum clauſulam; quòd nimirùm non diſſideret ab Eccleſia Dei, quia bellum illi erat cum primoribus & paſtoribus, hoc pernegamus.

Capvt cxxxv.

Ab Eccleſia diſsidet, quiſquis ab eius Præpoſitis diſsidet; ſic & qui ab illis recedit.

Dicimvs autem, illum ab Eccleſia diſſidere, quiſquis Præpoſitis illius ac Rectoribus non obtemperat. Nam, de quibus, obſecro, loquitur Chriſtus, cùm pręcipit, fratrem ad priuatas admonitiones incorrigibilem, Eccleſię denuntiandum? Si te, inquit, teſteſque *Matth.18.*

 præ-

præſentes non audierit; dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Quidnam hic, inquam, appellat Eccleſiam? num totum Fidelium cœtum? At vbi ille habebitur, quoties accidit vt frater contumax ſit ad Eccleſiam deferendus? quod ſcimus omnes, quàm ſæpè contingat. Et vt colligi poſſit tota Eccleſia, quoties iſta vel ſimilis poſtulat; quid iuuaret? quid mechanici homines, quid mulierculæ facient peccatori, correptione opus habenti? Illos igitur Chriſtus intelligit Eccleſiæ nomine, de quibus continenter ſubijcit; Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis. Quæ poteſtas, notum eſt, quibuſnam in Eccleſia data ſit. Legant hoc loco veritatis ſtudioſi Chryſoſtomum.

Matth. 18.

Atqui (Caluini iudicio) Præpoſiti & Paſtores Eccleſiæ, qui dicebantur, quo tempore ipſe viuebat, non erant Paſtores, ſed lupi rapaces & pſeudoprophetæ, quibus nullo pacto conſentiendum erat, ſed declinandum ab ijs, iuxta Chriſti & Apoſtolorum doctrinã. Sic iſte ait: ſed hęc rurſus (vt ſtatim dixi) petitio principij, collectio ineptiſſima eſt, & riſu digniſſima. Sumit pro confeſſo, quod poſitum eſt in controuerſia; & in quo totius cauſę inter nos & ipſum ſtatus verſatur: vtra videlicet pars, ſit Chriſti vera Eccleſia; & vbinam ſint veri Paſtores & Rectores ouium Chriſti. Seſe eſſe aſſerunt ipſi; ſed verbis tantùm. nos contrà affirmamus nos eſſe, ſeu Præpoſitos noſtros: ipſos verò lupos eſſe illos ipſiſſimos, & pſeudoprophetas, quos Chriſtus & Apoſtoli in Eccleſiam venturos, id eſt vltrò irrupturos eſſe, dixerunt; à quibus omni cura & ſtudio cauendum ſit.

CAPVT CXXXVI.

Non nos à Caluiniſtis, vlliſve alijs Sectarijs, ſed illi à nobis receſſerunt: ſignum eſt igitur, ſecundum Scripturas, illos eſſe hæreticos & Antichriſtos.

QVOD vt fiat etiam manifeſtius, idque per ea ipſa quæ hic Caluinus diſputat, amplectimur quod dicit, Chriſtum de lupis rapacibus agentem, non loqui de extraneis, ſed de ijs qui ſe pro Paſtoribus inter Fideles venditarent: id quod Paulus etiam in Actis Apoſtolicis docet, idem argumentum tractans, multò etiam luculentiùs. Cùm dixiſſet ſe ſcire, quòd poſt obitum ſuum ingreſſuri ad eos eſſent lupi rapaces, non parcentes gregi Chriſti: adiecit protinus; Et ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe. Qua eadem nota & Ioãnes Apoſtolus, ſui temporis hæreticos & Antichriſtos inſignit, dicens: Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Caluinus igitur eodem ipſo ſigno, quo nos deſignat, notatur ipſe cum ſuis pro hæretico & Antichriſto, ſeu Antichriſti præcurſore; quòd nimirum ex media Eccleſia prodierit, ad turbandam & perdendam Eccleſiam. Vnde, quod Cyprianus olim de ſui temporis hęreticis Nouatianis dixit; Non nos ab illis, ſed illi à nobis receſſerunt: id nos ijſdem verbis, Caluinianis noſtris & ceteris omnibus eiuſdem generis peſtibus, dicimus; Non nos à vobis, ſed vos à nobis receſſiſtis. Id quod certè, velitis nolitis, debetis hæretici omnes confiteri. Et aduertite quæſo, à quibus receſſeritis, dum à nobis receſſiſtis. Receſſiſtis à Patribus non ita pridem noſtris, iuxtà & veſtris. Vix iam anni ſunt ſexaginta cum eoſdem vtrique Patres agnoſcebamus: à quibus vos, (vos inquam, ô filij deſertores!) vltrò receſſiſtis. ab illis autem recedentes, receſſiſtis à tot millibus Martyrum, Confeſſorum, Epiſcoporum, Sacerdotum, qui quod nobis tradiderunt Euangelium Chriſti, id nos conſtanter adhuc retinemus: omnia priùs & facere parati & perpeti, quàm vt ab eo nos in aliud Euangelium transferri patiamur.

Act. 20.

De ſimplic. Prælatorũ.

CAPVT CXXXVII.

Quàm luctuoſa bella in Galliæ regno, Caluini conſilijs, excitata.

SED iam nonnihil etiam excutiendum, quod fatetur Caluinus, bellum ſibi fuiſſe cum Eccleſiæ primoribus, quos & agnoſcit Paſtorum in Eccleſia locum tunc tenuiſſe: at, quia oppugnatores erant, vt ait, veritatis & verbi Dei, pacem cum eis colere non potuiſſe.

fuiſſe. Fatetur etiam, certamen hoc exarſiſſe vſque ad manifeſtum diſſidium: ſed addit, hoc non factum ſua culpa. Hic primùm quæro, fueritne illi certamen cum ſolis Eccleſiæ primoribus. quæro deinde, num totius tanti diſſidij cauſa illi fuerit, propugnatio veritatis Dei. Si dicit fuiſſe (vt hic etiam vbique ſatis ſubindicat) quorſum igitur pertinuerit in Galliæ regno Chriſtianiſſimo, & multis ſæculis florentiſſimo, conſilium illud nefandum Geneuæ, vbi Caluinus reſidebat & docebat, anno 1560. de Rege Franciſco, Regina vxore, Regina matre, fratribus Regis, proceribus, boniſque magiſtratibus ad certum diem per inſidias trucidandis, Beza principe, Caluino auctore, Otthomanno ſubſignatore, Spifanio ſuaſore, omnibus penè prædonibus Galliæ Caluiniſtis conſcijs. Quæ tam fœda coniuratio litteris mandata eſt, non ſolùm à multis externis Eccleſiaſtici ordinis, ſed ab homine etiam Gallo ac militiæ duce Monlucio, in hiſtoria etiam vitæ & geſtorum ſuorum. Surius, & Genebrardus in Hiſtorijs ſuis.

Quæro inſuper, quid ſibi voluerunt bella illa ciuilia & furores inteſtini tota penè Gallia excitata, totieſque repetita; quibus longe plus Chriſtiani ſanguinis fuſum fuit paucis annis, quàm ſæculis omnibus præcedentibus, quibus Gallia Deum verum eiuſq; Filium Ieſum Chriſtum agnouit & coluit. Quibus monaſteria vtriuſque ſexus ad duo millia, templa Deo dicata ad viginti millia, caſtra Regum, Principum, nobilium virorum infinita exuſta, vrbeſque complures redactæ in ſolitudinem, & flagitia edita omnis generis, ſine modo & numero tota Gallia ad id vſque temporis inaudita. Quæ dum agerentur, Caluinus Geneuæ e ſuo tripode edebat oracula, quibus Bezam & alios tantorum principes facinorum ac duces, quid agendum, quid metuendum, quibus rebus quomodo occurrendũ eſſet, in horas monebat, inſtruebat, milites & exercitus animabat, vt fortes eſſent in edendis & perficiendis huiuſmodi facinoribus. Et ſic duo iſti inter ſeſe officiorum præclariſſimorũ partes diſtribuebant, vt Caluinus ſenior ac morbis etiam impeditus conſilia domi adminiſtraret, Beza verò iunior, robuſtior, & in ludo gladiatorio iamdudum probe exercitatus, claſſicum totis caneret, primoſque velut ordines atque aciem duceret. Monlucius Epiſcopus Prennenſis in Epiſtola ad Polonos pro defenſione Regis.

Quæro poſtremò, an hæc atque huiuſmodi deſignare, ſit Eccleſiæ vnitatem & pacem quærere, quæ à Chriſto incipiat & in illum deſinat: hoccine ſit charitatem & concordiam agere, & ſtudere ne Dei veritas periclitetur aut abnegetur. Non eſt hic opus pluribus verbis apud eos qui ſanæ ſunt mentis. quis enim non videt inſaniam? Pergamus igitur. Quod multis verbis continenter adijcit, ſe in oppugnanda Eccleſia Catholica, Prophetarum veterum exempla ad collapſam religionẽ reſtaurandam, ſecutum fuiſſe; quàm ſit nugatorium omnique reſponſione indignum, ſatis à nobis antè non ſemel demonſtratum fuit. Nam ſi miſſus eſt à Deo, inſtar veterum Prophetarum, miſſione extraordinaria, debebat huiuſmodi tam nouæ miſſionis ſuæ extraordinariæ etiam, vt Prophetæ faciebant, ſigna monſtrare: quod fecit numquam. Quemadmodum æquè ineptum eſt, quod ſtatim ſubijcit, fuiſſe ſibi optimè conſcium, quanto vniendæ Eccleſiæ ſtudio flagraret, modò concordiæ illius vinculum eſſet Dei veritas. Hoc enim vſque adeò pugnat cum tota vita & doctrina, cum ſtudijs & conſilijs eius omnibus, veluti nunc oſtendimus, vt nihil poſſit magis. Neque verò quidquam refert, quòd ſe tuetur iudicio ac teſtimonio conſcientiæ ſuæ. nam & hoc moris eſt hæreticis, factioſis, ac impoſtoribus omnibus, quum ratione ſe tueri non poſſunt: & vt maximè tale teſtimonium in ſe ipſis ſentire ſibi viderentur, conſcientiam habent inuidia, odio, & id genus peſſimis affectibus adeò excæcatam, vt nihil rectè cernere vel iudicare valeant. Ponunt enim tenebras lucem, & lucem tenebras, vt Propheta ait. Iſa. 5.

CAPVT CXXXVIII.

Controuerſiæ fidei nequeunt ſolo Dei verbo ſcripto terminari, ſed veterum Patrum ſcriptis & traditionibus Eccleſiæ adhibitis.

SED iam ſequitur verbum vnum, quod longiorem aliquanto reſponſionem poſtulat; tametſi per illa, quæ diximus, & ſæpe repetiuimus anteà, ſatis etiam refutatum ſit: tamen, quia hæretici omnes ac Nouatores noſtri hoc ſemper in ore habent, ac impe-

ritis colorem veritatis nonnullum habere videtur, non grauabimur iterùm nonnihil attingere, ac videre quid valeat. Scis Domine, inquit, vt nihil quæſiērim, quàm verbo tuo controuerſias omnes dirimi, quò coniunctis animis vtraque pars, ad ſtabiliendum tuum regnum, conſpiraret. Sed, quid hîc noui tantíque adeò momenti Caluinus Deum obteſtatur? Hoc nimirum nunc eſt fuitque ſemper, refugium ac velut conſilium vltimum hæreticorum & ſeductorum omnium, cùm ſeſe Eccleſiæ auctoritate premi ſentiunt, ad ſolum Dei verbum ſcriptum prouocare, illóque vno terminare velle omnes controuerſias: deinde verò, illius verbi Dei interpretationem ſibi ſolis tribuere, alijs vniuerſis abrogare: ita enim vident ſe numquam conuinci poſſe; numquam aſtutiam ſuam & nequitiam deprehendi. Quibus hac in re maiores noſtri Eccleſiæ Paſtores & Rectores numquam non conſtantiſſime reſtiterunt: qui Scripturas ſacras ſemper quidem, velut à Spiritu ſancto dictatas, ſumma veneratione receperunt ac habuerunt; at vbi de ſenſu illarum quæſtio mouebatur, ad Patrum ſuperiorum interpretationem recurrebant, quorum ſemper in Eccleſia ſumma auctoritas fuerat: quam illis conciliarat, tum excellens doctrina & ſapientia, tum inſignis & conſpicua omnibus vitæ ſanctimonia. Nam ſic in illis cum rara eruditione certabat morum integritas, vt non facile eſſet dicere, vtrùm alteri cedere deberet. Hanc inueſtigandæ veritatis rationem Eccleſiæ Præpoſiti ſemper ſecuti ſunt: cum aliuquin ſolius mutæ Scripturæ iudicio atque intellectui inſiſtendo, numquam finis ſit altercandi; omnibus illius ſenſum ad ſe trahentibus, & alijs detrahentibus. Sed vbi in Scripturarum interpretatione Patres conueniunt & Paſtores Eccleſiæ, qui diuerſis locis, varijs temporibus, virtutis omnis & ſapientiæ laude floruerunt, ibi veritatis lucem apparere facile poteſt intelligi.

Ita Sanctus Auguſtinus contra Iulianum hæreticum, cùm multos ſuperiorum temporum Doctores & magiſtros Eccleſiæ pro ſua & Catholica ſententia retuliſſet; Tales, inquit, iudices in Eccleſia Dei, non potuit eruditor veſter Pelâgius inuenire. Nec eos, ait, qui numquam fuerunt aut non ſunt, aut quorum ſententiæ de hoc quod inter nos diſputatur, incertæ ſunt, inani cogitatione confinxi; ſed ſanctos & in ſancta Eccleſia illuſtres Antiſtites Dei, omnes Sacris litteris eruditos, nominatim expreſſi, eorumque ſententias ſine vlla editas ambiguitate digeſſi: vt in ijs timeas, non ipſos, ſed illum qui ſibi eos vtilia vaſa formauit, & ſancta templa conſtruxit. Qui tunc de iſta cauſa iudicarunt, quando eos nemo poteſt dicere perperam cuiquá vel aduerſari vel fauere potuiſſe. Nullas nobiſcum vel vobiſcum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt: neque vobis neque nobis irati ſunt: neque nos neque vos miſerati ſunt: quod in Eccleſia inuenerunt, tenuerunt: quod didicerunt, tenuerunt: quod a Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt. Nondum vobiſcum apud iſtos iudices aliquid agebamus, & apud eos acta eſt cauſa noſtra. nec vos nec nos eis noti eramus, & eorum pro nobis latas contra vos ſententias recitamus, & ijs pronuntiantibus vincimus. Hactenus Auguſtinus.

Lib. 2. c. 10.

De eadem re, optimè Vincentius Lirinenſis, Auguſtino penè æqualis, toto libro illo aureo, aduerſus profanas hæreticorum nouitates: ex quo hic vnum dumtaxat atque alterum verbum deſcribemus. Hic forſitan, inquit, requirat aliquis: Cùm ſit perfectus Scripturarum canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiens; quid opus eſt, vt ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ iungatur auctoritas? Reſpondet; Quia videlicet, Scripturam ſacram, pro ipſa ſua altitudine, non vno eodemque ſenſu vniuerſi accipiunt, ſed eiuſdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur: vt pæne quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter namque illam Nouatiani, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus explicat, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priſcillianus, aliter Iouinianus, Pelagius, Cæleſtius, aliter poſtremò Neſtorius. Atque idcircò multum neceſſe eſt, propter tantos tam varij erroris anfractus, vt Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur. In ipſa enim Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, vt id teneatur, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc eſt enim verè propriéque Catholicum, quod ipſa vis nominis ratióque declarat, quæ omnia verè vniuerſaliter comprehendit. Hæc paucis ex Lirinenſi: nec minùs ſunt memorabilia omnia, quæ apud eum ſequuntur: ſed nos hîc breuitati ſtudemus.

Vincent. Lirin. ſub exordium libri.

CAPVT

Caput CXXXIX.

Exemplum luculentiſſimum, quomodo controuerſa fidei non ſolo verbo Dei ſed Patrum ſcriptis ſoluantur.

LVBET autem hoc argumentum exemplo quodam concludere, ex hiſtoria Eccleſiaſtica; vt ſimul intelligat Lector, nullo prope ſæculo defuiſſe hæreſes & certamina de fide, qualia nunc repugnare ac tot annis graſſata eſſe in Eccleſia omnes nouimus ac deflemus. Quo tempore Arianorum hæreſis adhuc turbabat Eccleſiam, Theodoſius, religioſus & Catholicus Imperator, toto animo in eam curam incumbebat, vt motus cauſa Religionis in Eccleſia excitatus componi, totumq́; opinionum ac animorum diſſidium tolli, ac optata pax & tranquillitas reſtitui poſſet. Quamobrem coacta Synodo, Nectarium Epiſcopum accerſit, conſiliumq́ue ſibi dari poſtulat, qua maximè ratione fieri poſſet, vt ſedatis procellis & tempeſtatibus, quibus Eccleſiæ nauis iactabatur, ad portum ſecuræ quietis peruenire aliquando poſſet. ſibi quidem videri non alia via commodiùs id fieri poſſe, quàm ſi quæſtiones & controuerſiæ, quæ motibus his cauſam dediſſent, diligentiùs excuſſæ forent. Hoc audiens Nectarius mox Aggellium, tunc Nouatianorum Epiſcopum, tamquam in fide conſortem euocauit, eiq́ue votum Imperatoris indicauit. At ille, cùm eſſet rebus alijs venerandus, de dogmate non valebat reddere rationem: ſed Lectorem ſuum, Siſinium nomine, ſtatuit, qui pro ipſo proferret ſermonē; vtpote virum eloquentem, rebuſq́ue agendis expertum, optimeq́ue ſcientem Sacrarum profunda litterarum, necnon Philoſophica dogmata. Is ſtatim protulit ſententiam ſuam, dicens, quòd diſputatio ſchiſmata non vinceret, ſed contentiones potiùs maiores excitaret. Vnde Nectario dedit tale conſilium. Probè nouerat, quòd veteres Patres principium ſubſtantię Filio Dei dare vitabant, quoniam dicerent Patri eſſe coæternum. conſuluit igitur, vt omnem diſputationem fugeret, & teſtimonia ex traditione veterum adhiberet: vtq́ue ante omnia, hæreticorum Arianorum præſides Imperator interrogaret, an ſermonem vellent facere de antiquis Eccleſiæ Doctoribus, qui ante diuiſionem floruiſſent: num illos agnoſcerent ac reciperēt; an verò, tamquam alienos à fide vera & Chriſtianiſmo, reſpuerent: &, ſi quidem eos abnegarent, obijceret eis; Ergo eos anathematizare præſumite. quod ſi facere auderent, à populo ſtatim profligarentur. quo facto, apertam fore victoriam veritatis. Si verò, inquit, priſcos Eccleſiæ Patres ſe non reijcere, ſed venerari dixerint; noſtrum tunc erit, teſtimonia veterum libroſq́ue proferre, per quos dogma noſtrum probetur. Hæc cùm Nectarius Siſinium dicentem liberter audiſſet; feſtinus ad palatium properans, indicauit Imperatori datum conſilium: quod libenter etiam Princeps amplexus, vocatis Arianorum magiſtris, quærit, an aliquam illorum Eccleſiæ Patrum & Doctorum rationem habeant, qui ætatem illorum præceſſerant, num probandos vel reijciendos exiſtiment? Illi cùm neſcirent quorſum iret, vel quid ſibi tali quæſtione vellet Imperator; quod fauorabilius erat, reſponderunt ſe non alio loco eos habere, quàm Patrum & Præceptorum. Quo audito, percontatur iterùm, num eos igitur tamquam fide dignos Eccleſiaſticorum dogmatum iudices ſint parati agnoſcere. Ibi primùm olfacere cœperunt, quónam tenderet Imperator: cumq́ue ſtatim, alij aliter atq; aliter de veterum libris ſentirent, ortum eſt inter eos diſſidium, alijs recipiendos dicentibus, alijs minimè. Atque ita, quorum hactenus vna tantùm diœceſis fuerat, hi iam non magis à Catholicis (à quorum ſe communione iamdudum præciderant) quàm à ſeipſis diſſentire cœperunt: ſic eorum concorsante improbitas & malitia (inquit Socrates hiſtoricus) non aliter quàm veterum illorum gigantum linguæ diſperſæ fuerunt, & turris nequitiæ eorum ſubuerſa.

Hiſtor. tripart. lib. 9. cap. 19.

Vel ex vna igitur hac hiſtoria ſatis videre eſt, minimè nouum eſſe, hæreticos diiudicandis fidei dogmatibus nullos alios iudices agnoſcere velle, quàm ſacras Scripturas; vt nimirum eas interpretentur ad ſenſum ſuum; ab omnibus autem veterum Patrum teſtimonijs ac ſententijs appellare. Qua tamen in re noſtræ tempeſtatis hæretici aliquid habent admiratione dignum: cùm nimirum adeò à doctrina veterum ad Scripturas appellent; tamen quoties aliquid reperiunt apud veteres, quod erroribus ſuis aliquo pacto faueat, lubenter ibi illorum auctoritate vtantur: parùm videlicet memores ſententiæ il-

3. Reg. 18. lius Eliæ Prophetæ: Vſquequò claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini illum: ſi verò Baal eſt Deus, ſequimini illum.

Nunc pergamus. Non detrectaui, inquit, vel capitis mei diſpendio, pacem Eccleſiæ reſtituere, ſi fruſtrà tumultuari deprehenſus forem, &c. Sic blaterat Caluinus; ſed quàm verum ſit quod dicit, ſequenti capite oſtendetur.

CAPVT CXL.

Caluinus, quoties quótque teſtimonijs conuictus fuerit; Eccleſiam tamen audire noluit.

QVID nos hîc dicemus? Quod ait in primis, ſe vel capitis diſpendio paratum fuiſſe, pacẽ Eccleſiæ dare, ſi fruſtra tumultuari deprehenſus fuiſſet: deprehenſus profectò fuit, non ſolùm fruſtrà tumultuari, ſed contra omne ius & fas tales tantóſque tumultus excitaſſe; & clariſſimis teſtimonijs conuictus perfidiæ, ſeditionis, & rebellionis ſacrilegæ: idque à multis & varijs iudicibus cauſæ iſtius legitimis: tot nimirum Romanis Pontificibus, tot Epiſcopis, vndique aduerſus eum aut ceteros cum eo ſentientes ſcribentibus: denique à tribus Concilijs generalibus, maximis & celeberrimis (vt nihil hic dicam de minoribus multis & prouincialibus Synodis) Florentino ſcilicet, Cõſtantienſi, ac Tridentino. Ab ijs omnibus doctrina eius tota damnata fuit; & clariſſimis teſtimonijs, etiam ex verbo Dei expreſſo deſumtis, confutata. Et impudens adhuc dicere audet, ſi inuentus fuiſſet fruſtrà tumultuari, & cedere cum ſuis non detrectare, ſi victi rationibus fuerint. Atqui illos omnes prædictos iudices non habent pro legitimis: quin potiùs reputant pro ſummis hoſtibus & aduerſarijs ſuis. Credo ſane. Sed quoſnam igitur vel quales iudices tandẽ requirunt? qui pronuntient, fruſtrà iſti tumultuentur, nec ne? Non alios vtique agnoſcent, quàm qui eiuſdem cum ijs partis ſint & ſententiæ: atqui tales non recipiet Eccleſia Catholica. Nec vmquam aliquid ſimile factum fuit in Concilijs vllis, iam inde ex quo Concilia celebrari cœperunt: vt nimitum tamquam iudices controuerſiarum ſederent illi, aut ex illis, aduerſus quos coacta erant Concilia. nec ita etiam vllo pacto fieri conuenit. Illi ſunt ſumendi in iudices, qui legitima poteſtate funguntur in Eccleſia: qui vocati à Deo ad huiuſmodi functionem tamquam Aaron: qui origines Eccleſiarum ſuarum oſtendere poſſunt; & docere, ſeſe in miniſterio ſuo ab Apoſtolis aut Apoſtolicis viris deſcendiſſe: vt ſuprà non ſemel dictum fuit. Hi ſunt, qui ius & poteſtatem

Luc. 10. habent, ſemperque habuerunt, iudicandi; de quibus & ſcriptum eſt: Qui vos audit, me

Matth. 18. audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit. item: Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.

Sed nihil eſt noui, Caluiniſtas nunc & ceteros Nouatores decretis Concilij Tridentini, vel Conciliorum aliorum etiam generalium, nolle acquieſcere. Fecerunt idem etiam

Socrat. lib. 2. cap. 20. Sozomen. lib. 4. c. 17. olim Ariani. At quid narrat de illis Eccleſiaſtica hiſtoria? Cùm ijs de rebus nouã diſputationem poſtulaſſent, de quibus Niceni Concilij decretum interceſſerat: decretum eſt à pijs, debere Concilij Niceni decreta ſufficere, nec in ijs quidquam eſſe deinceps curioſè examinandum. Sic Magnus ille Athanaſius: Quæ nunc, inquit, à tot & talibus Epiſco-

In Apologetico. pis probata ſunt & decreta, clareque conſtituta; ſuperuacaneum eſſe, denuò reuocare in iudicium, nemo non confitebitur. Ne, ſi nunc turſus examinentur, & denuò iudicentur, & rurſus atque iterùm examinentur, in infinitum exeat iſta curioſitas.

CAPVT CXLI.

In hæreticos rectè gladio animaduerti ſolere.

QVOD autem ait Caluinus, nos, cùm ipſe aut ſui ſimiles parati eſſent doctrinæ ſuæ rationem reddere, ad ignes protinus, ad cruces & gladios recurriſſe: mendacium eſt ſplendidiſſimum, multorum aliorum ſimile, quæ effutit. Si loquitur de vſitata executione iuſtitiæ, qua per Principes & Magiſtratus Catholicos proceſſum fuit aduerſus hæreticos & obſtinatos; ea in re nihil niſi iure & ſecundùm leges actum fuit, à Chriſtianis Principibus olim latas & conſtitutas hac in cauſa, ante mille annos aut ampliùs. Qua in

re adeò

re adeò nihil eſt reprehenſione dignum, vt magnam etiam laudem huiuſmodi iuſtitia mereatur. Et palam eſt, hac in parte, multò plùs peccatum fuiſſe à Catholicis Magiſtrabus & Principibus nimia lenitate, indulgentia, tolerantia; quàm nimia iuſtitiæ ſeueritate. Vnde & veriſſimè dictum à quodam noſtri temporis, non tamen Catholico (nam & plerumque in huiuſmodi aliquid adhuc ineſt luminis) ſummæ quidem eſſe crudelitatis innocentem & iuſtum interficere; ſed eiuſdem ac maioris etiam eſſe crudelitatis hæreticum obſtinatum non interficere. Videtur is grauitatem criminis hæreſeos non malè animo comprehendiſſe. quod tale eſt crimen, vt alia omnia crimina in vnum cumulum congeſta, quamlibet ſint atrocia, tamen cum hoc vno collata, feſtuca ſint eum trabe comparata. Vnde etiam nullum excogitari poteſt tam durum aut ſæuum ſupplicium, quin tanti criminis atrocitas maius etiam & grauius mereatur. *Auguſt. lib. 4. De Bapt. cōtra Donatiſtas cap. 10.*

A qua etiam ſententia Caluinus minimè abhorruiſſe videtur, vtpote qui Geneuę, quo tempore ibi rerum potiebatur, Michaëlem Seruetum, hominem gente Hiſpanum, quòd impias & blaſphemas de ſancta Trinitate opiniones ſuſtineret, publicè exuri iuſſit. Quod ſi Catholicus quiſpiá feciſſet, legitima poteſtate prædirus, factum modis omnibus laudaremus. Nam ſcindendum eſt enſe immedicabile vulnus, ne pars ſincera trahatur. Sæuit in bonos, qui parcit malis. Deniq; melius multò, vt pereat vnus nocens, quàm vnitas. Sed quod factum Geneuæ eſt ab hæretico, non probamus: cùm hæreticus in hæreticum animaduertendi ius non habeat.

Quòd ſi Caluinus in verbis prædictis loquitur de bellis publicis, occaſione diſſidiorum huiuſmodi excitatis; mille teſtimonijs probari poſſet, Catholicos Reges & Principes ſemper in Germania, Gallia, Scotia, & alibi, arma duntaxat defenſiua (vt vulgò loquuntur) induiſſe contra hæreticos, vbi viderent omnia in terris & vrbibus ſuis, rapinis & cædibus, flammaque & ferro repleri ab ijſdem, omniaq; ad extremam ruinam & deſolationem ſpectare. ipſos verò hæreticos, luporum inſtar, ſanguinis Catholici auidos, ad arma primos ſemper aduerſus Principes ſuos & Magiſtratus legitimos procurriſſe.

CAPVT CXLII.

Caluinum, cum ſuis, ſemper bona pacis conſilia reſpuiſſe.

AC proinde, valdè eſt ridiculum, & ſalſitatem habet pænè palpabilem, quòd nos dicit omnes ſemper rationes pacificationis reſpuiſſe. Ex aduerſo, quoties diuerſis in locis Principes Catholici, in ſuis quiſque ditionibus, pacem illis obtulerunt honeſtiſſimis conditionibus; quam vel nunquam recipere voluerunt, neſcio quid ſemper, contra propriam etiam ſæpè conſcientiam, prætexentes, vel receptam illicò nulla de cauſa violantes. Quòd ſi de pacificatione loquitur cum Prælatis Eccleſiæ, à quibus ſcelerate receſſerunt, quæ pax eſt conſcientiæ; numquam illi iuſtis legibus cum ijs pacem inire, eoſque in gratiam & communionem Eccleſiæ tamquam matris gremium recipere, detrectarunt. imò omnia ab ijs tentata ſemper fuere, id vt fieret.

Sed quam cum hiſce hominibus, vel qualem pacem facias? ipſi de nulla ſuſtinent pace audire, niſi per quam manentes in hæreſibus ſuis Eccleſiæ dominari poſſint; illamque erroris atque impietatis arguere. Talem verò pacem, quæ cum vel minimo religionis aut veritatis detrimento coniuncta ſit, Eccleſia dare non poteſt vel admittere: imò, ne verbo quidem vno aut ſyllaba cum aliqua fidei iniuria hæreticis cedere: vt anteà palàm fecimus. Pacem à Catholicis poſtularunt Caluiniſtæ; ſed qualem Alexander olim Macedoniæ Rex Athenienſibus offerebat: vt nimirum ad octo ſibi traderent libertatis populi primarios defenſores, quorum vnus erat nobilis ille Orator Demoſthenes. Qui re intellecta, ad populos verba faciens, retulit fabellam: Cùm longo tempore bellum fuiſſet graue inter lupos & oues; lupos longi & duri belli moleſtia pertæſos & fatigatos, vt videbatur, pacem ouibus obtuliſſe, ea tantùm conditione, vt canes ſibi & paſtores traderentur: ad conſimilem modum Regem nũc cum Athenienſibus agere. pacem videri velle; ſed eiuſmodi pacẽ, vt multo plus damni ex illa ad populum, quàm ex omni bello præterito expectandum eſſet: amotis ſcilicet & ſublatis illis, qui populi ſolerent curam & patrocinium gerere. Quo audito, populus omnem pacis ineundæ tractationem reiecit. FABVLA, DE LVPO CVM OVIBVS PACISCENTE.

CAPVT CXLIII.

Caluinus ſuos diſcipulos coram Dei tribunali introducit, ſuæ fidei rationem reddentes.

QVAM BONIS, FIRMIS, AC PERSPICVIS ARGVMENTIS CONFVTENTVR.

PERGAMVS nunc, & quid prætereà Caluinus in medium proſerat, audiamus. Poſtquam poſitus ad tribunal Dei, ſuam & ſymmyſtarum ſuorum, id eſt noui Euangelij doctorum & magiſtrorum, cauſam ſatis ſibi egiſſe viſus fuit; iam dicere incipit pro diſcipulis ſuis: illoſque ſimiliter pro ſe loquentes, & quamobrem à conſuetis Paſtoribus ac toto Eccleſiæ Catholicæ cœtu digreſſi ad nouos ſe doctores conuerterunt, eorumque placita ſequuti ſunt, rationem reddentes introducit. Quo in argumento iam nobis non erit anxiè laborandum, cùm nihil hìc afferatur, quod à Caluino in priore actione, quam nunc audiuimus & refutauimus, in medium diligenter productum non ſit. Dicit hoc loco in primis Caluiniſta, ſe, cùm ab initio Catholicá religionem, in qua natus & educatus fuerat, coluiſſet, obſeruaſſe demum verbum Dei, quod inſtar lampadis vniuerſo populo prælucere debuerat, ademtum vel certè ſuppreſſum fuiſſe. Hoc nimirum eſt primum mendacium, ſatis à nobis anteà varijs locis atque occaſionibus refutatum: ſed dicemus tamen hac de re paulò pòſt vnum prætereà atque alterum verbum.

Iam pergit: Ne quis, inquit, maiorem lucem deſideraret, inſideret omnium animis iſta perſuaſio, cæleſtis illius arcanæque Philoſophiæ inquiſitionem paucis meliùs delegari, à quibus oracula peterentur: plebeiis ingenijs non altiorem intelligentiam conuenire, quàm vt ſe ad Eccleſiæ obedientiam ſubigerent. Sic ille. Hæc doctrina, quæ ſanè ad eum ferè modum in Eccleſia Catholica tradebatur, quàm non ſit aliena à ratione, & quàm nihil obſit ſaluti plebis, ſed eam multis modis promoueat potiùs, abundè ſuprà oſtendimus.

CAPVT CXLIIII.

Agitatur quæſtio; Quare Caluiniſta illis non ſit vſus magiſtris ad perfectiora, qui illum fecerant Chriſtianum.

RVDIMENTA, ait, quibus fueram initiatus, eiuſmodi erant, vt nec me ad legitimum numinis tui cultum ſatis inſtruerent, neque mihi ad certam ſalutis ſpem viam expedirent, neque me benè ad officia formarent Chriſtianæ vitæ. Hæc generalis eſt Eccleſiæ accuſatio, iniuſta & falſa modis omnibus. Videbimus quemadmodum eam probet. Te quidem vnum, inquit, pro Deo meo colere didiceram; ſed cùm me penitus fugeret vera colendi ratio, in primo ſtatim progreſſu excidebam. At, ſi te, ô Caluiniſta, fugiebat ratio colendi Deum, quem didiceras; cur non ab ijs petebas, qui magiſtri tibi ſanæ & Chriſtianæ doctrinæ veræque & ſempiternæ ſalutis dati fuerant? Nam, dic mihi parumper, quis te docuerat colere atque inuocare vnum Deum? vbi & à quibus hoc didiciſti? Nónne hoc te docuerunt Paſtores & Sacerdotes Catholici, miniſtri Eccleſiæ illius, in qua es natus, baptizatus, & educatus? Si ritè ab illis edoctus es credere & adorare vnum Deum; nónne par erat vt ab ijſdem diſceres, qua ratione Deus ille vnus & verus colendus eſſet? Ratio eſt euidentiſſima. Cur igitur non æquè in vno illis credidiſtiſque in altero? vel quam habes cauſam exiſtimandi nouos illos magiſtros meliùs te doctutos, quomodo Deus colendus & inuocandus ſit, quàm illos à quibus veri Dei notitiam primò accepiſti? Sic dicis conſequenter: Credebam Filij tui morte me redemtum ab obligatione mortis æternæ; ſed eam imaginabar redemtionem, cuius virtus nequaquam ad me pertineret. item, expectabam futurum reſurrectionis diem; ſed cuius memoriam, vt rei infauſtiſſimę, abominarer: atque hic ſenſus, inquis, nō mihi priuatim domi natus erat, ſed ex ea doctrina, quæ tum à populi Chriſtiani doctoribus & magiſtris paſſim tradebatur, conceptus.

Quid ita, Caluiniſta hæretice? qui te principio Chriſtum mundi Redemtorem docuerunt, eiuſque morte omnes ab æterna morte redemtos; nónne ijdem illi idonei erant,

vt ab ijs diſceres, quonam modo redemtio Chriſti ad te priuatim pertineat; vel qua ratione redemtionis illius particeps eſſe queas? quid noui iſti doctores habuerunt præ veteribus illis & primis, vt ab illis ad nouos defeceris? Quod ais, eos tibi lucem & veritatem attuliſſe verbi Dei; quomodo hoc eſt credibile, cùm in negotio religionis & cultus Dei, nouitas omnis ſemper ſuſpecta ſit? Et, nónne audiſti ex clariſſimo & expreſſo verbo Dei, ſi qua in te fortè dubitabas conſulendã eſſe Eccleſiam? & ſi quis Eccleſiam non audierit, habendum eſſe pro ethnico & publicano? Quænam autem eſſe poteſt Eccleſia illa, ad quam mitteris in rebus omnibus ad ſalutem pertinentibus, pro inſtructione neceſſaria, niſi illa in qua es natus, baptizatus, educatus, inſtructus, vt confiteris, in fide & cognitione vnius Dei & Filij eius mundi Redemtoris? Quæ te hæc religionis prima & primaria capita ſincerè & fideliter docuit, nónne ab eadem petenda fuerant, quæ inde dependent? cùm præcipuè ſcires, illius doctrinam conuenire per omnia, doctrinæ quam alij Chriſtiani omnes toto orbe terrarum, & quam maiores tui iuxtà ac noſtri ſecuti fuerunt cunctis ſæculis præcedentibus, ex quo primùm hîc prædicata fuit ac recepta religio Chriſtiana? Qui primùm hîc fidem Chriſtianam plantarunt, populumque hunc ex alta ignorantia ac turpi idololatria conuerterunt ad lucẽ cognitionis Dei veri, & Euangelij Chriſti; quam illi fidem, quam formam aut rationem colendi Deum, tradiderunt. Illámne, quam noui iſti concionatores attulerunt? an potiùs quam didiciſti ab initio, à primis doctoribus tuis, Paſtoribus ſcilicet & concionatoribus Catholicis, miniſtris Eccleſiæ illius in qua natus es & baptizatus, catechizatus inſtructuſque in cognitione Dei & Filij eius Domini noſtri Ieſu Chriſti? Deinde, quis tribuit hîc vobis dona multa & admirãda Spiritus ſui, & operatus eſt virtutes in vobis, multis ſæpè magniſq; miraculis editis; fecitne hoc ex virtute doctrinæ huius nouæ, quam demum ſecutus es; an potiùs ad ſtabiliendam veritatem doctrinæ illius, quam ſemper hîc ab initio Chriſtiani obſeruarunt; ab ijs velut per manus acceptã, qui primi hîc eam Dei gratia & Spiritu pleni plantarunt? Hîc nullus eſt relictus ambigendi locus: cùm ipſam loquantur (præter alia multa de quibus anteà) Annales etiam vrbium & prouinciarum antiqua monumenta, tabulæ ac regiſtra Eccleſiarum, omniſque priſcorum annorum memoria, litteris ac teſtimonijs doctorum omnium conſignata.

QVI CHRISTIANISMO'NITIA RANT, POTERANT AD PERFECTIORA CHARISMATA PROMOVERE.

MIRACVLA AD FIDEM PARENTVM VETEREMQVE CONFIRMANDAM, NON AVTEM AD NOVITIAM APPROBANDAM, FACTA SVNT.

Quæ cùm ita ſint; quid eſt, quòd auſus fuiſti, Caluini progenies, relictis prioribus magiſtris tuis, legitimiſque Paſtoribus & Præfectis, totaque ſpreta Eccleſia Dei, nouis doctoribus, ſeipſos vobis obtrudentibus, nec miſſis, nec ordinatis, nec conſecratis ab Eccleſia, melioris doctrinæ ſpe adhærere? Num plura vel maiora fecere miracula, quàm illi qui primùm tot curis ac laboribus veterem colendi Dei rationem, abs re deſertam, hîc inſtituerunt; fidemque Chriſtianam hîc primùm plantarunt? Quod etſi feciſſent, vel facere potiùs viſi fuiſſent: omnia tamen meritò ſuſpecta habere debuiſſes, & ſcriptum eſſe meminiſſe; Surgent pſeudochriſti, & pſeudoprophetę, & dabũt ſigna magna & prodigia: ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi: ecce prædixi vobis. Quid autem? an non meminiſti & alterius Scripturæ, quando videris tantopere amare & quærere verbum Dei: Etiamſi Angelus de cælo euangelizauerit vobis, præterquam quod accepiſtis, anathema ſit? Si ne Angelis quidem cæleſtibus credendum contra fidem priùs traditam, tot ſignis & miraculis obſignatam, tanta temporum & ſæculorum longitudine, tanta Fidelium omnium vbique locorum degentium conſenſione firmatam; quanto minùs aliquot nouis, turbulentis & ſeditioſis hominibus?

Marc. 13.

Gal. 1.

NVLLA SVPPETIT CAVSA DESERENDI FIDEM CATHOLICAM SEMEL RECEPTAM.

Sed fortaſſis te mouerunt corrupti & vitioſi mores, vitaque Paſtorum & Præpoſitorum Eccleſiæ parùm honeſta, quam ob rem illorum ſocietatem & communionem reliqueris. Atqui, non ſuccurrit tibi hîc denuò verbum Dei? * Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & Phariſæi. Omnia quæ dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundùm autẽ opera illorum nolite facere. dicunt enim, & non faciunt. Et, dic obſecro, num vita & mores nouorum magiſtrorum tuorum multò meliores & probatiores fuere, quàm veterum Paſtorum tuorum? an non potiùs, ſi benè rem perpendere voluiſti, longè fœdiores, magiſque toto terrarum orbe abominandi? Quid ad hæc in diuino iudicio reſpondebunt, qui ſe à ſceleratis hiſce, magiſtris errorum ac hæreſum decipi & ſeduci patiuntur?

* *Mat. 23.*

Quòd autẽ ſequentibus verbis Caluiniſta, apologiam ſuã proſequens, cauſatur & conqueritur, nos fiduciam ponere in iuſtitia vel in dignitate bonorum operum, crambe bis recocta. quòd item affert, de ſatisfactione, de confeſſione peccatorum coram ſacerdote, de inuocatione Sanctorum, & ſimilibus quibuſdam, hîc ibi admixtis mendacijs: quænam

nam illis de rebus mens ſit Eccleſiæ, & quomodo pertineant illa omnia ad cultum Dei, vel ad promotionem ſalutis noſtræ, veræque pietatis; viſum à nobis & explicatum plùs ſatis, non vno loco, vt non ſit neceſſe hîc quidquam fruſtrà & cum nauſea Lectori repetere. Hoc tantùm operæpretium eſt annotare, quod ait; excitatam demum longe diuerſam doctrinæ formam, ab ea quæ priùs audita & tradita fuerat. Miræ ſapientiæ fucus. Hæc nimirum eſt Caluini & aliorum Nouatorum dicendi forma. quæ quàm egregiè ſcilicet e Chriſtiana doctrina (vt hîc dicitur) fontem reducat, ex omnibus quæ diximus, ſatis ſuperque conſtare arbitror.

CAPVT CXLV.

Caluiniſtis quoque ſuſpectam primùm fuiſſe nouam dicendi Nouatorum formam.

QVOD verò Caluiniſta iſte fatetur, ſe ab hac noua dicendi forma non parùm initio deterritum fuiſſe; partim rei nouitate, partim Eccleſiæ veteris reuerentia: ſunt profecto hæ duæ cauſæ minimè leues, ad illam doctrinam ſuſpectam habendam. Nec ratiqnes hic in diuerſam partem adductæ, (vt timor ille ſuperuacuus aut inanis eſſe credatur) vllum habent momentum, apud eum qui vere ſtudioſus eſt veritatis & ſalutis ſuæ. Nam quod dicit, nouos hoſce magiſtros non ſeceſſionem voluiſſe facere ab Eccleſia, ſed vitia tantùm Eccleſiæ tollere; vaniſſimum eſt. Aut enim loquitur de vitijs Eccleſiæ in doctrina, quæ nulla vmquam fuerunt, vti ex hoc toto liquet ſcripto noſtro: aut agit de vitijs morum in Eccleſia, propter quæ non eſt Eccleſiæ communio, nec quæ Præpoſitis Eccleſiæ debetur obedientia, relinquenda, vt ſatis etiam à nobis oſtenſum eſt. Bene autem dicit, Nouatores iſtos ſummum vnitatis colendæ ſtudium præ ſe tuliſſe. Hoc enim initio ſummopere verbis iactabant, & aliquamdiu operibus etiam ſimulabant, ſe videlicet pacem & vnitatem quærere, diſſidia ac tumultus odiſſe. Sed, quomodo mox omnibus ſtudijs & conatibus in diuerſum laborauerunt, nec deſtiterunt ab incepto, donec bellis eſſent omnia & ſeditionibus plena; res ipſa edocuit, quocumque ingreſſi ſunt, & pedem figere permiſſi.

Nihil hîc etiam ad rem facit, quod affert, Antichriſtum nonnumquam in Eccleſia pro veris Paſtoribus reſidere. Hoc in Nouatores ipſos propriè quadrat, non in Paſtores Eccleſiæ noſtræ, vt ante audiuimus. & æquè eſt falſum ac nugatorium, quod addit, ipſos parem habere cauſam in diſcindenda Eccleſiæ vnitate, cum multis qui apud nos coluntur pro Sanctis. ad Apoſtolos videlicet reſpicere videtur & Prophetas, vt diſertis verbis paulo antè dicentem audiuimus. Sed res indignior eſt, quàm vt reſponſionem hic longiorem mereatur.

CAPVT CXLVI.

Romanum Pontificem, dici totius Eccleſiæ principem, Petri ſucceſſorem, Chriſti vicarium, non ſunt inanes tituli, ſed vera iuſti debitique honoris encomia.

SEQVITVR autem nunc quiddam in Caluino, diſcipulos & ſectatores ſuos coram Dei tribunali excuſante ac defendente, quod non eſt perfunctoriè tranſeundum: qualis nimirum obſeruantia Romano Pontifici debeatur. Hîc neruos ſuos omnes exerit Caluinus, vt Pontifici huic omnem auctoritatem detrahat: quia minimè ignorauit, quantum ſemper damni hæreſes omnes à poteſtate & vigilantia Romani Pontificis acceperint; quodque eius præcipuè opera & ſollicitudine tandem profligatæ omnes fuerunt & extinctæ. Quid ergo hîc contra ſedem Romanam in medium profert?

Quod autem, ait, nouæ religionis magiſtri liberiùs ferrentur in Romanum Pontificem, qui & pro Chriſti vicario, & Petri ſucceſſore, & Eccleſiæ principe colebatur, ſic excuſabant: eiuſmodi titulos inania eſſe terriculamenta, quibus adeò perſtringi Fidelium oculos

oculos non oporteret, vt rem intueri ac excutere non auderent. Sic ille blatero præfractus. Quæ deinde ſequuntur, mox videbimus.

Nam, quòd primùm nos reprehendit, quia Romanum Pontificem, vicarium Chriſti, ſucceſſorem Petri, Eccleſiæ principem, nuncupamus; dicens hos eſſe non veros qui illi debeantur titulos dignitatis, ſed inania ſolùm terriculamenta: quid primùm hîc dicet de Bernardo, quem paulò antè pro ſe citauit, in Eugenium Pontificem, vt iactabat, fulminantem? Quamuis enim ſancto Bernardo magnum affingat mendacium; quia numquam ille in Eugenium (vt anteà quoque oſtendimus) fulminauit; tamen, ſi auctorem agnoſcit idoneum vt Eugenij vitia reprehenderet, non debet eumdem reſpuere Eugenij auctoritatem dignitatemque prædicantem & extollentem.

Caput CXLVII.

Quàm honorificè de ſummo Pontifice ſenſerit ſcripſeritq́; S. Bernardus.

Audiat igitur, quid hîc de Eugenio ſcribat Bernardus, & quoſnam illi honoris & dignitatis titulos tribuat. Age, inquit, indagemus adhuc diligentiùs, qui ſis; quam geras perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, ſummus Pontifex; tu princeps Epiſcoporum, coheres Apoſtolorum; tu principatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus; tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem & alij cæli ianitores, & gregum Paſtores; ſed tu, tanto glorioſius, quanto differentius vtrumque præ ceteris nomen hereditaſti: habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos; tibi vniuerſi crediti, vni omnes. Nec modò ouium, ſed etiam Paſtorum tu vnus omnium Paſtor. Sed, vnde id probem quæris? Cui enim non modò Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolutè & indiſcretè totæ commiſſæ oues: Si me amas Petre, paſce oues meas. Quas? illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues meas, inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Hæc ibi Bernardus. Similiter ad Papam Innocentium: Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala emergentia in regno Dei; ea præcipuè, quæ de fide contingunt. Dignum quippe arbitror ibi præcipuè reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe eius prærogatiua Sedis. Cui enim alteri aliquãdo dictum eſt: Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo, quod ſequitur, à Petri ſucceſſore exigitur: Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Id quidem modò neceſſarium. Tempus eſt, vti veſtrum agnoſcatis, Pater beatiſſime, principatum; probetis zelum; miniſterium honoretis. In eo Petri impletis vicem, cuius tenetis & ſedem, ſi veſtra admonitione corda in fide fluctuantia confirmetis; ſi veſtra auctoritate conteratis fidei corruptelas. Hæc ibi; ſed, ô quàm clarè, quàm neruosè, quàm diuinè! Ad Conrardum autem Imperatorem ſcribens: Qui poteſtati, inquit, reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Quam ſententiam cupio vos, & omnimodis moneo, cuſtodire; in exhibenda reuerentia ſummæ & Apoſtolicæ ſedi, & beati Petri vicario, ſicut ipſam vobis vultis ab vniuerſo ſeruari imperio. Hæc omnia Bernardus, de poteſtate & dignitate Romani Pontificis. Verùm Caluinus hæc Bernardi & ſimilium eiuſdem ſæculi vicinorumque ſæculorum teſtimonia, de Pontifice Romano, eiuſque ſumma poteſtate, eludere videtur, & parui facere: quia ſæcula illa (vt ait) in magna & morum corruptione & religionis ignorantia verſabantur. Atqui, ſi ita vult excipere contra Bernardi ſententiam, non debuit igitur illius auctoritatem tantopere vrgere, in taxandis Romanorum (vt fingit) Pontificum, & ceterorum tunc Eccleſiæ Prælatorum, vitijs. nam qui aurem præbet Bernardo reprehendenti, debet eumdem etiam docentem & rectæ fidei doctrinam tradentem audire.

Bern. ad Papam Innocentium.

Bern. ad Conrardum Imp. Epiſt. 183.

Sed reuerà, Bernardus nec ſolus, nec primus eſt, qui Romano Pontifici tales dignitatis titulos talemque poteſtatis prærogatiuam defert. Omnes Eccleſiæ Patres, quorumuis temporum & locorum, in eo mirè conſentiunt, vt mox audiemus: ſi priùs quædam non ferenda Caluini mendacia retulerimus. Illum inquit (Romanum puta Pontificem) cùm mundus ignorantia & hebetudine velut alto ſopore oppreſſus eſſet, in tantum faſtigium emer-

emerſiſſe, &c. Sic ille, quaſi cui totus orbis inclinatus recumbat.
Quod autem ad primam verborum iſtorum ſententiam attinet; qua dicit, Romanum
Pontificem ad tantum dignitatis faſtigium emerſiſſe, quo tempore mundus ignorantia
& hebetudine velut alto ſopore demerſus fuit; incertum eſt, quodnam vel quale tempus
deſignare voluerit huiuſmodi hebetudinis & ignorantiæ mundi; vt ipſe potiùs ſomnians
loqui videatur. Eſt enim inter Sectarios noſtros lis magna & controuerſia; quo ſęculo talis
ignorantia in Eccleſia regnare, menteſque omnium, vt ſomniant, occupare incepetit: vt
ſuprà alio loco declarauimus.

CAPVT CXLVIII.

Quàm magnificè ſenſerit de Romani Pontificis poteſtate, Eccleſia etiam illa, quam Caluinus ipſe florentem teſtatus eſt.

SED Caluinus in hac ipſa Epiſtola, vt ſuprà etiam vidimus, tempus quoddam notat,
in quo Eccleſiam in ſana doctrina & morum puritate floruiſſe confitetur. Quo tem-
pote nimirum viuebant apud Græcos Baſilius & Chryſoſtomus; apud Latinos autem
Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus. Iam ergo nobis videndum, quid illis temporibus de
Romani poteſtate Pontificis mundus ſenſerit, cum Eccleſia, ipſomet teſte, floruit. Et no-
minatim quid illi Eccleſiæ Patres & Magiſtri, qui à Caluino proprijs nominibus recen-
ſentur: quando ſequentia ferè ſæcula omnia profundæ in cultu Dei ignorantiæ, & craſſæ
hebetudinis, Ariſtarchus noſter, homo perfrictiſſimæ frontis & proiectæ impudentiæ,
damnare non dubitat.

CONCILIVM NICÆNVM I.
Illo igitur florentiſſimo Eccleſiæ ſæculo (id quod nos etiam confitemur) celebratum
fuit primum Concilium generale Nicęnum, trecentorum decem & octo Patrum. In hoc
Concilio mentio fit expreſſa eminentiæ ſingularis, ſummæq́. auctoritatis Romani Pon-
tificis, ſupra alios omnes Epiſcopos: teſte etiam Rufino lib. 1. c. 6. nec negant Centu-
Cent. 4. cap. 7.
riatores Magdeburgenſes. Quamuis apud Rufinum error etiam eſſe videtur in canone
Concilij Nicæni ſexto, qui prærogatiuæ Romani Pontificis meminit: vt rectè animad-
Baronius anno Silueſtri 12.
uerſum à Baronio: ad quem Lectorem prolixitatis vitandæ cauſa remittimus. Ex quo et-
iam diſcet Lector, Synodum Nicænam Romano Pontifici hac ex parte nihil dediſſe: ſed
quod priùs Romanus Pontifex diuino iure poſſidebat, à Cócilio illo agnitum, toti mun-
HIERONYMVS.
do promulgatum fuiſſe. Paulò poſt Concilium illud vixit ſanctus Hieronymus; & qui-
dem ipſe ſenex, cùm ſanctus Auguſtinus iuuenis eſſet. Quid autem hic de Romani Pon-
tificis auctoritate ſcribat, paulo antè memorauimus.

Sed veniamus ad eos quos Caluinus nominat inter Paſtores & Doctores puræ & incō-
CYPRIANVS.
taminatæ Eccleſię. Horū primus eſt Cyprianus: hic quamuis in quęſtione adhuc obſcura,
à Romani Pontificis ſententia diſſideret, nempe de rebaptizādis qui ab hęreticis baptiza-
ti, ad Eccleſiā Catholicā reuertebātur; audiamus tamen, quale ſit eius de Petro Apoſtolo,
eiuſq́; ſucceſſoribus Romanis Pōtificibus, teſtimoniū: Non aliunde, inquit, hæreſes obor-
Lib. 1. Epiſt. 3 & lib. 4. Ep. 9.
tæ, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus
in Eccleſia ad tēpus ſacerdos & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundùm
magiſteria diuina obtēperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſus Sacerdotū collegium
quidquam moueret: nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coëpi-
ſcóporum cònſenſum, iudicem ſe non iam Epiſcopi ſed Dei faceret: nemo diſſidio vni-
tatis Eccleſiam Dei ſcinderet; nemo ſibi placens ac tumens, ſeorſim foris nouam hære-
ſim conderet. Sic ille. Et, vt non neſciamus, de quo Sacerdote loquatur, cui vult fraterni-
tatem vniuerſam obedire; ſubijcit ſtatim: Nauigare audent (hæretici) ad Petri Eccleſiam
principalem, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt; à ſchiſmaticis & profanis litteras ferre:
nec cogitant, eos eſſe Romanos, quorum fides Apoſtolo prædicante laudata eſt, ad quos
perfidia habere non poſſit acceſſum. Sic ibi. Et alibi rurſus, de cauſis hæreſum & ſchi-
De ſimplic. Prælatorū.
ſmatum diſſerens, & quare diabolus de Eccleſia homines rapiat; Hoc eò fit, inquit, dum
ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec Magiſtri cæleſtis doctrina ſer-
uatur. Quæ ſi quis conſideret & examinet, tractatu longo atque argumentis opus non
eſt. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, quia tu es Petrus; & ſuper hanc petram
ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. & tibi dabo
claues

claues regni cælorum. Super vnum ædificat Eccleſiam,& illi paſcendas oues mandat. Et quamuis Apoſtolis omnibus, poſt reſurrectionem ſuam, parem tribuat poteſtatem, & dicat; Sicut miſit me Pater,& ego mitto vos: tamen, vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis ipſius originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique Apoſtoli ceteri, quod erat Petrus, pari cōſortio præditi honoris & poteſtatis; ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia Chriſti vna eſſe monſtretur.

Hæc omnia Cyprianus de prærogatiua Romani Pontificis. Nec obſcurior hac in re eſt ſanctus Ambroſius multis locis: Chriſtus, inquit, eleuandus in cęlum, Petrum amoris ſui nobis velut vicarium ſuum reliquit [a] Et alibi idem: Aduocauit Satyrus ad ſe Epiſcopum, nec vllam veram putauit niſi veræ fidei gratiam: percunctatuſque ex eo eſt, vtrumnam cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt, cum Romana Eccleſia conuenirent. Libro autem De vocatione Gentium; (etſi liber ille Proſpero potiùs quàm Ambroſio ab eruditis aſcribatur) Gratia Chriſtiana, inquit, contenta non eſt eoſdem limites habere quos Romana, multoſque populorum iam ſceptro crucis Chriſti illa ſubdidit, quos armis iſta non domuit. Quæ tamē per Apoſtolici ſacerdotij principatum amplior facta eſt arce religionis, quàm ſolio poteſtatis. Sic ille. Id quod ijſdem pænè verbis dicit Leo Pontifex, Proſpero æqualis, id eſt, ad purum illud etiam & incorruptum (quod dicunt) Eccleſiæ tempus pertinens: Per ſacram, ait, Petri ſedem, caput orbis effecta (Romam vrbem alloquitur) latiùs præſides religione diuina, quàm dnminatione terrena.

S. AMBROSIVS. In cap. Luca 24.
[a] De obitu fratris.

Quod autem ad D. Auguſtinum attinet; audiuimus antè, eum Romanam Eccleſiam vel ob id ſolùm pro vera Chriſti Eccleſia habuiſſe, quòd Romani Pontifices iam inde à Petro Apoſtolo ſibi mutuò illic ad ſua vſque tempora abſque vlla interruptione alius poſt alium ſucceſſiſſent. Ex qua ſucceſſione, quàm longè aliud ac certius argumentum nunc ducere pro Romanæ Sedis ſuprema poteſtate ac dignitate poſſimus, oſtendimus in ſententiæ Auguſtinianæ tractatione. qui & alibi contra Donatiſtas hæreticos; Numerate, ait, Sacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede, & in ea quis cui ſucceſſit, videte. Ipſa eſt petra quam non vincunt inferorum portæ.

AVGVSTINVS. Serm. 1. de Petro & Paulo.

Et hactenus de Latinis ſcriptoribus, Paſtoribuſque Eccleſiæ, aureo illo & florentiſſimo ſæculo. Et conſequenter nunc ad Græcos eiuſdem æui orationem flectamus: & quidem ad illos ipſos qui nominantur à Caluino, nempe Baſilium & Chryſoſtomum. Horum duorum, ille ad Athanaſium ſcribens; Viſum eſt, inquit, mihi cōſentaneum, vt ſcribatur Epiſcopo Romæ, vt quæ hîc geruntur conſideret, detque conſilium. Et quoniam difficile eſt, vt communi & ſynodico decreto aliqui illinc mittantur; ipſe ſua auctoritate in hac cauſa vſus, viros eligat ad ferendas quidem itineris moleſtias idoneos, verùm iuxtà ad hoc quoque accōmodatos, vt manſuetudine ac facultate ingenij aptè ac diſpenſatoriè ſermonē attemperantes, omniaq; ſecum habentes quæ pertinent ad neceſſariam relationem geſtorum quæ in Arimino facta ſunt Hęc ille; ſatis ſuperq; ſignificans, hęreticos, qui Arimini contra veram & Catholicam fidem conuenerant, auctoritate potiſſimùm conuincendos atque damnandos Romani Pontificis. Chryſoſtomus verò in Matthæum: Animaduertis, ait, quo pacto ipſe etiam ad altiorem de ſe opinionem Petrum adducit, & ſeipſum duabus hiſce pollicitationibus Filium Dei eſſe oſtendit. Nam, quę Deus concedere ſolus poteſt, peccatorum ſcilicet remiſſionem, & vt Eccleſia, tot tantiſque fluctibus impetu irrumpentibus, immobilis maneat, cuius paſtor & caput piſcator homo atque ignobilis, terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate ſuperet. Hæc, inquam, omnia, quæ ſolius Dei ſunt, ſe pollicetur daturum. Ita & Dominus ad Ieremiam dicebat; Sicut columnam ferream & ſicut murum æreum poſui te. Sed ipſum quidem genti vni Pater, hunc autem vniuerſo terrarum orbi Chriſtus propoſuit.

BASILIVS. Epiſt. 52.
CHRYSOSTOMVS. Hom. 55.

Quid clariùs dici poſſet, & pro ſumma in totam Eccleſiam poteſtate diui Petri, & ſucceſſorum illius? Quin & idem Chryſoſtomus [a] multorum in Græcia Epiſcoporum fraudibus & violentia circumuentus, ab omnibus illorum machinationibus, ad Innocentium appellauit Rom. Pontificem, per illum reſcindi poſtulans quidquid contra ſe actum fuerat. Quemadmodum in ſimili cauſa Athanaſius ab hæreticis Euſebianis grauatus appellauit ad Romanum Pontificem Iulium, Theodoreto teſte. [b]

[a] Epiſt. ad Innoc. quā habet Niceph. lib. 13. cap. 19. 31. & 32.
[b] Theod. lib. 2. cap. 4. Tripart. lib. 4. cap. 6. 12. 16. 29.

Quid autem ſecunda Synodus [c] generalis Epheſina, in qua Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus præſedit, vice ac nomine Romani Pontificis Cæleſtini, de poteſtate ſenſerit Romani Epiſcopi, ex Actis liquet. [d] Neceſſitate ſumus compulſi (aiunt ibi Patres) ab ipſis canonibus, & ab ipſa ſanctiſſimi patris noſtri & comminiſtri Cæleſtini Epiſcopi Romanę

[c] CONCIL. EPHES. II.
[d] Epiſtola Concilij ad Cæleſtinū in operibus Cyrilli. Act. 2. & 3. Euagrius Scholaſt. li. 1. cap. 2.

Eccleſiæ lacrymantes ad triſtem hanc proceſſimus ſententiam.

CONCIL. CHALCED. TERTIVM GENERALE.

Nec ſecùs tertia Synodus generalis, Chalcedonenſis videlicet. Quoniam, inquit, ſecundis exceſſibus Dioſcorus priorem iniquitatem valdè tranſcendit (præſumſit enim & excommunicationem dictare aduerſus ſanctiſſimum & beatiſſimum Archiepiſcopum Romæ Leonem: inſuper & multi libelli multis eius pleni iniquitatibus contra eum in ſancto & magno Concilio oblati ſunt, & ſemel & ſecundò & tertiò per Deo amantiſſimos Epiſcopos regulariter vocatus, minimè voluit obedire; propria vtique conſcientia ſtimulatus: & hos, qui à diuerſis Concilijs regulariter damnati ſunt, contra diuinas leges ſuſcepit) ideò ipſe contra ſe elicuit ſententiam, ſæpiùs Eccleſiaſticos conculcans canones. Vnde beatiſſimus & ſanctiſſimus Archiepiſcopus, magnę & ſenioris Romæ Leo, per nos & per præſentem ſanctam Synodum vnà cum ter beatiſſimo & omni laude digno Petro Apoſtolo, qui eſt petra & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & ille qui eſt rectæ fidei fundamentum, nudauit eum tam Epiſcopatus dignitate, quàm etiam ab omni ſacerdotali alienauit miniſterio. Sic ibi ſancta illa Synodus de poteſtate Romani Pontificis. Et alibi rurſus: Et poſt hæc omnia etiam contra ipſum, cui vineæ cuſtodia à Saluatore commiſſa eſt, extendit inſaniam: contra tuam quoque Apoſtolicam ſanctitatem; & excommunicationem meditatus eſt contra te, qui corpus Eccleſiæ vnire feſtinas.

EPIPHANIVS.

Iam vnus accedat ad Græcorum teſtimonia Epiphanius: Dominus, inquit, conſtituit Petrum primum, Apoſtolicam petram firmam, ſuper quam Eccleſia ædificata eſt, & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. portæ autem inferorum ſunt hæreſes vel hæreſiarchæ. Iuxta omnem verò modum in ipſo firmata eſt fides, qui accepit clauem cælorum, & ſoluit in terra, & ligat in cælo. In hoc enim omnes quæſtiones & ſubtilitates fidei inueniuntur. Et infrà: Hic eſt qui audiuit ab ipſo; Petre, paſce oues meas: cui concreditum eſt ouile: qui benè deduxit per virtutem Domini ſui: qui confitetur de carne: qui verè quæ Patris ſunt denuntiat in Filio, qui Spiritum iudicat, & dignitatem ipſius in Diuinitate: qui dextram porrexit Paulo & Barnabę ſocietatis cum Iacobo & Ioanne, vt per tres teſtes ſtet omne verbum. Sic ille.

Ioan. 21.

Etiam abundè oſtenſum putamus, quàm ſit prorſus alienum à veritate, quod Caluinus hîc dicit, Pontificem Romanum ad tantum dignitatis faſtigium emerſiſſe, quo tempore mundus ingenti ignorantia atque hebetudine laborabat, cùm nunc palàm fecerimus, quàm ſublimiter ſentiant ſcribantque de Romano Pontifice, & de ſuprema eius in totam Eccleſiam poteſtate, Patres illi omnes & Præpoſiti Eccleſiarum, tam Græcarum quàm Latinarum, qui illo floruerunt tempore, quo Caluinus etiam fatetur Eccleſiam Dei ab omni labe puram & immaculatam fuiſſe & floruiſſe.

CAPVT CXLIX.

Quantum honoris externi Romano Pontifici Reges & Imperatores detulerint.

IAM verò, quod ad externum honoris & dignitatis faſtigium attinet, docere etiam poſſemus, nec obſcuris nec leuibus teſtimonijs, Romanis Pontificibus longè plus externi honoris delatum à Regibus & Principibus maximis, primis trecentis & quadringentis annis, ex quo fidem Chriſtianam palàm mundus ſuſcepit, quādo Eccleſia in cultu Dei Chriſtianæq; religionis maximè floruit; quàm ſequentibus ſæculis aduſque ætatem noſtram. Et, quò Reges quique fuerunt præſtantiores magiſque ſtudioſi veræ pietatis & cultus Dei, eò ſemper vnà ſtudioſiſſimi fuere honoris & dignitatis Romani Pontificis, Eccleſiæque Romanæ.

CONSTANTINVS MAGNVS.

Quod ad Conſtantinum Magnum attinet, primum Imperatorem Chriſtianum, quàm detulerit ille honores eximios Romano Pontifici, Græci etiam teſtantur, tametſi Romanorum Pontificum hoſtes infeſtiſſimi. Silueſtro Papa ad Lateranenſem Eccleſiam equitante, Conſtantinus pedes eum deducens equum eius tenuit, ſtratoris officio functus, ob reuerentiam Chriſti & ſancti Petri. Eſt autem ſtrator (vt ſcitur) qui dominum in equum attollit, equumque deducit. Teſtis Photius in nouo canone. & citat Theodorus Balſamon, vt ſuum doceat Conſtantinopolitanum Patriarcham multa habere ex priui-

ptiuilegio, quæ ex iure Pontifex Romanus: & propterea Conſtantini donationem diligenter in archiuis Conſtantinopolitanis ſeruari.

Sigonius de Regibus Italia. IVSTINVS SENIOR.

Ioanne Pontifice Romano Conſtantinopolim veniente, Iuſtinus Senior, cum tota vrbe obuiàm illi proceſſit, & ad pedes eius honoris cauſa procumbens, ad templum deduxit: ibiq; ad lęuá, toto populo ſpectante, aſſidens, inſignia Auguſtalia ſibi detraxit: iterumque ſuppliciter in terram corá Ponrifice procidens, vt ijs ſe otnare dignaretur, poſtulauit.

IVSTINIANVS PRIMVS.

Iuſtinianus Primus & ipſe Magnus, Romanum Pontificem Agapetum adorauit, ſub annum Domini 535. Nauclero auctore. Ar Iuſtinianus Iunior, Conſtantinum Papam non ſolùm venerabundus amplexus fuit, ſed humilitet etiam eius pedes exoſculatus: auctoribus Blondo & Platina. Annus Domini erat 711. cùm ſe prædictus Ponrifex Nicęam Bithyniæ contulit. Imperator autem Iuſtinianus eamdem vrbem ingreſſus, ad Pontificem ex compoſito expectanrem venir, & coronatus ad pedes eius de morc procubuit, eiſque oſculum dedit. Cuſpinianus hæteticus huic cærimoniæ totique adeò religioni Catholicæ Romanæque aduerſarius, non meminit quidem expreſſis verbis oſculationis pedum: attamen eamdem rem explicans, Imperatorem dicit venerabundum ad pedes Pontificis ſeſe demiſiſſe.

PIPINVS FRANCORVM REX.

Pipinus Francorum Rex, Stephano II. Pontifici Romano obuiàm factus, primùm pedibus eius oſcula impreſſit, deinde fræno equi Pontificis arrepto, eum in palatium duxit. quod ſcribit etiam Anſelmus lib. 1. Collect. res autem ita accidit. Anno 754. Stephano Papa in Fráciam properante, Pipinus Rex, venienti Pontifici Carolum filium, qui poſteà etiam Magni cognomentum adeptus eſt, cum ſplendido optimatum comitatu, ad centum miliaria obuiàm miſit. Ipſe verò cum vxore ad tertium lapidem occurrit: atque ad eius conſpectum de equo deſiliens, ad terramque vſque inclinans, vnà cum coniuge & filijs, & optimatibus, eum qua maxima potuit reuerentia excepit: ac nonnullo ſpatio ſtratoris officio functus, cuncto populo cum laudibus & hymnis occurrenre, in Regiam Pontigonis deduxit. Sic Platina. Carolus verò Magnus poſtmodum, priuſquam ſe Adriano 1. Papæ amplectendum præberet, pedes illius oſculo tetigit. Quod idem deinde & alijs fecit Pontificibus, Leoni Tertio & Stephano Quarto; ſed præſtat rem geſtam breuirer narrare.

CAROLVS MAGNVS.

Anno 774. Carolus Rex (Magnus nimirum) dum primùm Romam veniret, Pontifex Adrianus eum cum Clero in templi Vaticani gradibus expectabat. Carolus verò vbi cruces eſt conſpicatus, illicò ſe ex equo deiecit, cum comitatu ſuo; & poſtquam ad gradus peruenit, ſingulis oſculum dedit. ad ſummum verò Pontificem accedens, tetineti non potuit, ait Platina, quò minùs pedes eius de more oſcularetur.

Ad quem etiam modum, filius eius Ludouicus Pius Rex & Imperator anno 844. Romam veniens, Sergio Secundo eum cum Clero in gradibus expectante, vt primum ſacratas cruces conſpexit, ex equo deſiliens pedeſtris acceſſit; & Pontifici proximus factus, oſculum ſacro pedi impreſſit.

LVDOVICVS.

Idem Ludouicus anno 858. Nicolao Pōtifici ad ſe venienti obuiàm aliquanto vię ſpatio proceſſit, tandemq; pedeſtris factus, frænum equi Pontificij arripiens per ſagittæ ſpatium Pontificem deduxit, oſculo prius ſancto pedi infixo. Quæ omnia etiam obſeruauit Pontifice abeunte.

Non referam hic, quòd Romani multi Imperatores eumdem honorem diuerſis Pontificibus Romanis detulerint: quorum vnus cùm magis pro more, & pro officio, quàm ex animo pedes Papæ oſcularetur, dicebat, Non tibi, ſed Petro. Sed vnam tamen adhuc atque alteram hiſtoriam prætetire non poſſum.

ANGLIAE REGIS.

Angliæ Reges, cùm ſcirent Alexandrum Tertium Pontificem ad ſe venire, obuiàm ei progreſſi, ſtratorum officio ambo functi ſunt, dextra læuaque equi frænum tenentes, ad hoſpitium vſque Pontifici paratum deducentes.

FREDERICVS IMPERATOR.

At Fredericus Primus Imperator, eumdem Pontificem Venetijs ad fores primariæ Eccleſiæ ſanctę Marię expectans, accedenrem amplexus, vel, (vt alij probabiliùs ſcribunt) ad Pontificem qui illic Imperatorem expectabat accedens, palàm & coram omnibus, chlamyde poſita ſe proſternens, oſculum ſanctis pedibus dedit.

SIGISMVNDVS IMPERATOR.

Quàm ingentibus honoribus in Concilio Conſtanrienſi Martinum Quintum affecerit Sigiſmundus Imperatot; & in Concilio Florentino, Albertus Romanorum, & Ioannes Palæologus Græcorum, Imperatores, Eugenium; ex ſcriptorum monumentis & ex actis Conciliorum ſatis conſtat.

Quæ cùm ita ſe habent, non erit iam nobis magnopere laborandum, in refutanda ingenti Caluini blaſphemia, quę proximè ſequitur, Pontificē Romanū non verbo Dei conſtitutum, non legitima Eccleſiæ vocatione ordinatum Eccleſiæ principem, ſed voluntarium & à ſeipſo lectum. Nam & tot Concilia generalia, & tam multi non eruditione magis eximia & ſapientia quàm vitæ ſanctimonia præſtantes Eccleſiæ Patres, quos produximus in contrarium, nequaquam Dei verbum ignorarunt: & niſi illi omnes etiam tantæ dignitatis & poteſtatis Reges & Imperatores agnouiſſent Romanum Pontificem diuinitus in tanta auctoritate ſuper omnes homines atque Eccleſias conſtitutum fuiſſe, neutiquam illi honores tam præclaros atque eximios vltrò detuliſſent. vt is quoque inter alios probè intelligebat, non magnus alioqui amicus Pontificis, qui dicebat; Non tibi, ſed Petro.

CAPVT CL.

Romani Pontificis poteſtas ſi Scripturis ſtabilita.

ET profectò, nec obſcurum eſt ius diuinum, nec paucæ nec ambiguæ Scripturæ ſacrę; quibus Romanis Pontificibus Petri Apoſtoli ſucceſſoribus tam ſublimis & planè cæ-
Matth.16. leſtis in omnes Fideles poteſtas tribuitur. Apud Matthæum in primis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebant aduer-
Luc.22. ſus eam. Apud Lucam: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Apud Ioannem, idemque ſemel ac iterùm repetitum &
Ioan.21. renouatum: Simon Ioannis amas me? Paſce oues meas. In quibus etiam Scripturis Patres omnes ampliſſimam illam poteſtatem fundauerunt, quam in Romano Pontifice ſuper totam Chriſti Eccleſiam (vt audiuimus) agnouerunt.

Quod autem Caluinus ait, nullo modo ferendam fuiſſe tyrannidem, qua in Dei populum graſſatus ſit ſummus Pontifex; contumelia prorſus hęc in Romanum Pontificem non ferenda eſt, ſed digna eſt tamen quæ ex ore Caluini impuro ac maledico profluat. Quales etiam ſunt quæ ſequuntur; verum Eccleſiæ ordinem tunc interijſſe; claues quibus Eccleſiæ diſciplina continetur, fuiſſe peſſimè adulteratas; collapſam Chriſtianam libertatem; proſtitutum denique Chriſti regnum, cùm erectus fuit hic principatus. Hæc omnia à nobis ante varijs locis refutata ſunt clariſſimis argumentis & firmiſſimis rationibus.

Sequitur nunc deinde admonitio, qua vniuſcuiuſque conſcientia ſtringitur, ne in eis quæ ad Dei & religionis ſincerum cultum ſpectant, quaſi nihil ad ſe pertinerent, ſecurus conniueat. multùm enim abeſſe, quin ſit aliquod errori voluntario apud Deum patrocinium; cùm ne is quidem impune erret, qui mera ignoratione à via ſeducitur: iuxta id quod Chriſtus ait; Si cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt. Hæc nos omnia confitemur eſſe veriſſima. Certè enim vnicuique Fidelium prouidendū ſollicitè, necubi erret in cultu Dei, in doctrina fidei aut religionis Chriſtianæ, ex qua vera ſalus & vita æterna dependet. Neque hîc ſolùm damnabilis eſt, reuerà craſſa (vt loquimur) & voluntaria ignorantia; ſed negligentia etiam quæuis atque incuria. quod docet non modò Scriptura illa de cæco cæcum ducente, ſed illæ etiam Apoſtolicæ: Si quis ignorat, ignorabitur. &, Nolite ſeduci: ignorantiam enim Dei quidam habent. Et hoc eſt etiam quod initio diſputationis huius, vt ſuprà audiuimus, tam ſeriò & grauiter Sadoletus admonuit.

Verùm ne per huiuſmodi ignorantiam quidquam peccemus, aut obſimus nobiſmetipſis in re tanti momenti, optimum conſilium & præſentiſſimum eſt remedium, quo vtuntur Catholici; vt nimirum in omnibus controuerſijs huiuſmodi ſequamur ſenſum & conſenſum Eccleſiæ, præſertimque legitimorum Præpoſitorum & Paſtorum noſtro-
Ephes.4. rum. qui ad hoc nobis dati ſunt diuinitus (vt Paulus docet) ne circumferamur omni vento doctrinæ, in aſtutia hominum, ad circumuentionem erroris. Illos audiendo & ſequendo, ſi quis falleretur; non immeritò errorem ſuum poſſet in Deum ipſum reijcere: vtpote cuius conſilium & præceptum ſeruando falſi & decepti fuiſſent. Caluiniſtæ verò, ac ceteri eorum ſimiles, in ſectas delapſi, qui vel ſuo ipſorum ingenio fidunt, vel nouorum Doctorculorum inuenta ſequuntur, nullam habent excuſationem erroris ſui.

Nam, quod hîc dicit Caluini diſcipulus, ſe, audito Caluino vel ſimilibus, tamquam noua mox illata animo ſuo luce animaduertiſſe, in quo anteà errorum ſterquilinio iacuiſſet,

cuiſſet, & quot inde ſordibus ac maculis fœdatus fuiſſet: ac proinde, mox agnita miſeria ſua, metu mortis æternæ, cum gemitu & lacrymis ſe in rectam viam recepiſſe; diuinam maieſtatem rogando, ne ſuperioris vitæ errata ſibi imputaret. Ad hæc & ſimilia, cæleſtis Iudex ſtatim reſpondebit, vt ſuprà oſtendimus; quibus indicijs ſcire potuerit, plus lucis & veritatis fuiſſe in nouis hiſce magiſtellis, vltrò ſe offerentibus ac obrudentibus populo, quàm in veris ac legitimis Paſtoribus & Doctoribus ſuis, qui cum doctrina ſentiebant parentum & maiorum ſuorum, quorumuis temporum & locorum. cùm præcipuè fides Chriſtiana vna ſit tantummodò, ſecundùm Scripturas; quæ nullam, per temporum aut locorum diuerſitatem, mutationem admittit: nec noui etiam Doctores iſti, multò ſanctioris vitæ ſint, quàm qui primam fidem docuiſſent; nec vlla in confirmationem vel teſtimonium nouæ doctrinæ ſuæ miracula ediderint.

CAPVT CLI.

Catholicorum contra Nouatores ab antiquitate defenſio, ei ſimilis non eſt, qua ſe Turcæ, Saraceni, vel perfidi Iudæi in ſua ſuperſtitione defenderent.

SED nunc ſequitur in Caluino, contra hanc doctrinam obiectio quædam, quæ nonnullam conſiderationem meretur: quia imperitis colorem videtur aliquem veritatis habere. Defenſio, inquit, omnis Catholicorum coram Deo, extremoque eius tribunali, in hoc cardine vertitur, quòd quæ ſibi à proauis & maioribus tradita ſit religio, eam conſtanter retinuerint. ergo, inquit, Iudæi, & Turcæ, & Saraceni, hac ratione elabentur. O iunceam haſtam ac ſagittam paruulorum! Sed tamen, quid ad hoc argumentum dicemus? In promtu eſt reſponſio ac ſolutio. Nam, quod ad Iudæos attinet quos adnitebantur Chriſtus & Apoſtoli à veteribus Legis obſeruationibus transferre ad nouam Euangelij gratiam, nequaquam elabi poterant antiquitatem allegando cærimoniarum ſuarum, quas à patribus & maioribus receperant, vt illarum prætextu Chriſtum & Euangelium eius reijcerent: cùm eſſent omnes illæ veteres cærimoniæ ad hoc inſtitutę propriè, vt eos ad Chriſtum Regem, Sacerdotem & Redemtorem, adducerent; eoque præſente finem acciperent. Erat enim Chriſtus (vt Apoſtolus ait) finis legis, in quem cunctæ illius cærimoniæ à longè reſpiciebant: vt per illum vnum completæ, poſteà euaneſcerent; figuræ inſtar, veritate adueniente. proinde legem veterem velle retinere, erat manifeſtè legi eiuſque naturæ repugnare. Quod autem pertinet ad Turcas & Saracenos; quemadmodum illorum, non religio ſed vaniſſima atque impijſſima ſuperſtitio, à primo exordio mala fuit, execrabilis & damnabilis, totique Euangelio ac verbo Dei contraria, ſic nulla poteſt annorum vel ſæculorum diuturnitate defendi: ſed potiùs, quò diutiùs retinetur, eò maiorem vituperationem meretur. At ſuam legem & doctrinam Chriſtus duraturam docuit vſque ad finem noui atque æterni Teſtamenti: & Apoſtolos ſuos de mundi nouiſſimis temporibus inſtruens, Prędicabitur, inquit, Euangelium hoc in vniuerſo mundo; & tunc veniet conſummatio. Quare, cùm lex Turcarum & Saracenorum planè alia ſit à lege Chriſti, illique pænè omnibus in rebus directè contraria; perſpicuè conſtat, inuentam eſſe à Satana, in odium Chriſti, nec poſſe niſi cum certa animarum pernicie retineri. Quin & hinc æquè certò conſequitur, quam noui doctores iſti fidem ac religionem populo attulerunt & prædicarunt, non fidem aut religionem eſſe Chriſti, ſed doctrinam merè Satanicam: vtpote quæ doctrinæ Chriſti modis etiam omnibus aduerſetur: ſicuti in cunctis ſuperioribus diſputationibus ſatis oſtendimus. ſimul & quantus ſit conſenſus doctrinæ noſtræ, cum doctrina priorum omnium ſæculorum, inde ab Eccleſia primitiua & ab ipſis Apoſtolorum temporibus.

Rom. 10.

Matth. 24.

Iam, quod admonet Caluinus, poſt multas iterùm & iniquiſſimas criminationes, Prępoſitos Eccleſiæ noſtræ, vt aliquando ad ſe redeant, & ſecum reputent quàm fideliter paſcant populum Chriſtianum; cui non alius poteſt eſſe panis, quàm Dei ſui verbum: &, ne ſibi nimiùm blandiantur, quòd nunc magno applauſu & ſecundis magna ex parte admonitionibus fabulam ſuam agant; cogitent ſe nondum ad cataſtrophen perueniſſe, in qua certè non habebunt theatrum, in quo ſuos fumos impunè vendant, vbi credulas

mentes impoſturis illaqueent, ſed vnius Dei arbitrio ſtabunt vel cadent: cuius iudicium non ab aura populari, ſed à ſua ipſius inflexibili æquitate pendebit: qui non modò de cuiuſque factis inquiret, ſed & de recondita cordis ſinceritate, vel nequitia, quæſtionem exercebit. Quoad hâc, inquam, Caluini admonitionem; hęc omnia nos haud inuiti Caluino concedimus: ſed iiſdem planè verbis in ipſum, & in alios Nouatores, retorquemus; in quos multò rectiùs iuſtiuſque omnia, quàm in noſtros Prælatos, competere, nemo eſt ſinceri iudicij & ſanæ mentis, qui non videat & affirmet.

CAPVT CLII.

Diluuntur aliquot adhuc Caluini calumniæ.

REDIT poſt hæc omnia Caluinus, ad amoliendam à ſe & ab alijs miniſtris ſuis, in toto negotio miniſterij, quod magna fiducia ſibi arrogauerant in Eccleſia, notam ambitionis & auaritiæ. Sed quia nihil adfert ad depulſionem illius infamiæ, quod & ab illo productum, & à nobis refutatum non eſt, ſub initium totius diſſertionis iſtius; non eſt animus hîc tum actum agere, tum Lectori anſam miniſtrare bonas horas eadem ſæpè lectitando perdendi. Si Caluinus cum ſuis illam in ſe infamiam non recipiat; ab omnibus tamen ſanis, qui aliquam habent notitiam vitæ & actionum ipſius, communi conſenſu vnoque ore illi tribuitur: quemadmodum & ſemper ferè hæreticis cuiuſuis generis vel temporis, propria fuere cupiditatis, auaritiæ, ſuperbiæ atque ambitionis intolerabilis vitia. Nec effugere etiam poterit vllo pacto, quin conuincatur, Eccleſiam Chriſti ſponſam neſariè diſcerpſiſſe, quidquid adferat magnis conatibus in contrarium. Vnde & longè veriſſimum eſt ac certiſſimum, quod hinc ſequi facilè perſpicit, haberi illum ab vniuerſo mundo pro deplorato ac perdito. Nam quòd ait nõ aliud feciſſe, quàm Chriſti ſponſam, à prauis lenonibus corruptam, ad fidem coniugalem reuocaſſe, & contra adulteros omnes, qui eius pudicitiæ inſidiari deprehendebantur, contentionem ſuſcepiſſe: ſi tunc vſqueadeò corrupta erat Eccleſia, ſponſa Chriſti, fermento prauæ doctrinæ, cùm Caluinus poſt Lutherum & ſimilis farinæ quoſdam exurgeret; neceſſe eſt violatam & contaminatam fuiſſe cunctis retrò ſæculis: illis etiam quæ Caluinus ipſe fatetur fuiſſe puriſſima, & ab omni doctrinæ corruptione aliena. Nam cum illorum ſæculorum doctrina noſtram nunc quoque vt ſemper antè per omnia conuenire, certiſſimis ſuprà argumentis probauimus.

CALVINI CALVMNIAE IN ECCLESIAM. Quare & illa iam omnia reſponſione indigna ſunt, quę deinde blaſphemo ore blaterat euomitque in nos, in totam Eccleſiam Catholicam, in ſanctam omnem & venerabilem antiquitatem; eadem ſemper ad nauſeam vſque mouendo, quæ toties anteà rationibus ſolidiſſimis refutauimus: nempe, de innumeris ſuperſtitionibus inter nos regnantibus; & de fœdiſſimo adulterij genere; de ſimulacrorum cultu; de Chriſto, Eccleſiæ ſponſo, iuſtitiæ, ſanctitatis, ſapientiæ ſuæ gloria ſpoliato: hæc enim omnia procul ſunt, ſemperque fuerunt à mente Eccleſiæ, Spiritu Dei nullo non tempore illuſtratæ & gubernatæ; ſed iuſtiſſimis ac veriſſimis titulis in Caluinum & ſuos quadrant omnia. Pergamus igitur. Nam & aliud quiddam poſtremò reſtat, quod malè habet Caluinum à nobis illi ceteriſque eius factionis obijci. Dicimus namque illos, cùm Eccleſia vbique locorum alta pace frueretur, cumque tranquilla omnia, vt illius vtar verbis, optimeque pacata eſſent, orbem terrarum tumultibus ac diſſenſionibus exitialibus impleuiſſe. Hanc obiectionem quia facilè videt aſtutus homo non carere maximis indicijs veritatis, & quàm turpis nota ſit, diſſenſionis in Eccleſia ſemina ſpargere, quæ regnum & pacis & vnitatis; varijs modis à ſe ſuiſque depellere nititur, vertitque ſe in omnem partem, ne diſſidiorum vel tumultuum magiſter fuiſſe videatur.

CAPVT CLIII.

In ſcholis Theologis ſumma ſemper in quæſtionibus fidem concernentibus pax & concordia; ceterùm de neutralibus aliquando diſputatio.

PRIMVM negat, altam & quietam pacem inter nos fuiſſe cùm ipſi docere inciperent. Fatetur quidé, in communi plebe ac inter Paſtores nullas tunc fuiſſe in religione controuerſias, quia omnia illic eſſent ignauia & ſtupore plena: at in ſcholis ſtrenuè rixatum fuiſſe inter Doctores, quos ei lubuit ſophiſtas nominare. Qua in re Caluinus imitari videtur proſtitutæ pudicitiæ mulieres: quarum vnam quampiam ſi honeſta matrona aliqua vero nomine meretricem appellet; illa ſtatim regerendo, Et tu quoque, ait, es meretrix: cùm enim ſcortum ſe eſſe negare non poſſit, eiuſdem criminis maculam inurere conatur etiam aduerſariæ; vt paritas turpitudinis culpam ipſius excuſare aut lenire aliquantulum videatur. Sic planè, haud Caluinus hîc negat inter ſuæ factionis homines, certè id perſpicuè diſſimulat, lites pugnaſque magnas & odioſas in negotio religionis regnare: ſed ait, eodem malo nos quoque laborare.

At nos hîc in primis reſpondemus, ſi in ſcholis & Academijs noſtris (has enim ſcholarum nomine appellare videtur) in dogmatibus fidei aut religionis rixæ aut controuerſiæ extitiſſent, fieri non potuiſſe, quin ſtatim manaſſent eædem lites ad Paſtores Eccleſiarum, & ab his ad plebem: cùm moris ſemper fuerit in Eccleſia Catholica, ex Academijs innumeros quotannis Paſtores & Rectores Eccleſiarum deſumere. Et tamen in plebe noſtra, & Paſtoribus, omnia quoad fidei quæſtiones quieta & pacata fuiſſe, Caluinus (vt audiuimus) confitetur.

Quid ergo eſt? Diſputatum fuit in ſcholis Theologicis in vtramque partem, ingenij exercendi & veritatis inquirendæ cauſa, de rebus varijs ad ſubſtantiam fidei Chriſtianæ minimè pertinentibus. De quibus rebus oriri & formari poſſunt innumeræ quæſtiones; de quibus, ſalua veritate atque integritate fidei, aliter atq; aliter ſentire licet. At, in ijs quę fidem Catholicam ac religionis Chriſtianæ veritatem concernunt, vtpote quæ vel claris verbis expreſſa ſunt in Sacris litteris, vel ab Eccleſia definita, & credenda mandata; nullæ ſunt vel fuerunt in ſcholis quæſtiones vel diſputationes, niſi ad illa aduerſus hæreticorum obiectiones & cauillationes defendenda & ſtabilienda: nec fas in ſcholis quidquam horum vllo pacto in dubium reuocare.

Quid habet hîc Caluinus, quod reprehendat, quaſi multū diſſenſionis fuerit in ſcholis noſtris, in cauſa fidei Chriſtianæ? Non omnes humani corporis partes eiuſdem ſunt dignitatis, nec æqualiter aut ſimiliter ad corporis integritatem ſpectant. Atque eapropter, ſi quis grauiter lædat cor, pulmonem, iecur, aut cerebrum; quia hæc primaria & nobiliſſima ſunt, ex huiuſmodi læſione mors ſequatur neceſſe eſt. Quòd ſi manum hominis vel pedem læſeris vel amputaueris, ſi oculum erueris, non inde fortaſſis homo vel pecus morietur, ſed mancum tamen vel mutilatum erit, nec ad officia conſueta peragenda idoneum. At pergamus in ſimilitudine. Si verò vel cutem modò ſuperiorem læſeris, aut vnguem incideris, vel barbam detraxeris; nonnihil quidem ademſeris corpori, attamen de integritate illius nihil diminueris. Sic, non omnia, de quibus Theologia cognoſcit vel diſputat, pari dignitatis aut integritatis gradu ad Chriſtianam religioné pertinent. Sciunt Doctores Theologi, norunt Prælati & Paſtores Eccleſiæ, quomodo & quouſque de re quauis diſputare, quid in quæſtionem vel dubium vocare, quid non, liceat.

Ad hæc, fieri poteſt, vt de aliquo etiam fidei articulo inter Doctores diſputetur, alijs aliter ſentientibus, quando res adhuc non eſt per Eccleſiam definita. Rectè quidem. Sic tamen, ne quis tuendæ opinionis ſuæ cauſa ab aliorum communione diſcedat, aut vinculum Chriſtianæ charitatis dirumpat. Quemadmodum olim Cyprianus exiſtimabat, eos qui ab hæreticis ritè ſemel baptizati erant, iterùm eſſe baptizandos, ſi ad Eccleſiam reuerterentur, multoſque multis diuerſarum rationum coloribus ſuam in ſententiam traxerat; alijs tamen conſtanter aliud ſentientibus. Quos Cyprianus tamen propterea à ſua communione non reijciebat; quia rem ſciebat nondum ab Eccleſia definitam. At, quando poſtmodum Eccleſiæ Chriſtianæ caput Romanus Pontifex, cum Concilio, re

diligenter excuſſa contra Cyprianum pronuntiauit,& quid ab omnibus tenendum ea in re & credendum eſſet,edixit; acquieuit illius ſententiæ ac iudicio Cyprianus, vt Eccleſiæ Catholicæ filium decuit. Qui verò ſententiæ illi ac definitioni acquieſcere noluerunt, Donatiſtæ videlicet, eam ob cauſam pro hæreticis habiti & damnati ſunt. Talia ex hiſtorijs Eccleſiaſticis multa liceret exempla referre,ſi opus eſſet.

At verò,de arduis rebus ad fidem Catholicam pertinentibus, vel de ijs, de quibus extabat aliqua in Sacris litteris vel in Eccleſiaſticis Concilijs definitio, adeò nulla fuit vnquam inter Præpoſitos & Rectores Eccleſiæ diſceptatio,vel controuerſia; vt cùm ijſdem temporibus viuerent,& maximis locorum interuallis à ſe mutuò diſiuncti eſſent, non aliter tamen ſententiam ſuam ſcriptam ijs de rebus ad poſteros tranſmiſerint, quàm ſi vno in loco ſententijs collatis, vnum idemque ſenſiſſe & ſimul quaſi conſpiraſſe viderentur.

CAPVT CLIIII.

Inter Sectarios nihil propemodum conuenit omnium quæ ad fidei capita pertinent.

CONFERAT nunc Lector ſani iudicij quæſtiones & diſputationes Theologicas, quæ ſunt in ſcholis noſtris, vel quæ olim fuerunt, inter Doctores Eccleſiæ Catholicæ, cum altercationibus & diſſidijs,quæ adhuc ſunt & ab initio fuerunt in materia religionis ac fidei Chriſtianæ inter Nouatores iſtos: videatque & iudicet, vtræ ſint naturæ & conſuetudini omni verorum hæreticorum propiores;noſtræ, inquam, an illorum. Nullus eſt propè articulus in fide tanti momenti, de quo inter hoſce ad plenum conueniat: imò de quo non moueantur certamina grauiſſima, lites irreconciliabiles, iurgia atque odia immortalia.

Audiatur hac de re qui lõga inter eos habitatione,& cum pleriſq; etiã amicitia,mores, ingenia,ſcripta,& ſenſus eorum optime nouerat, Eraſmus videlicet Roterodamus: Oecolampadius,inquit,edidit libellum, in quo dicit non eſſe periculum ſi quis Miſſam appellet ſacrificium. Id ſic execratur Lutherus, vt malit decies mori,quàm hoc ſemel confiteri. Quo tumultu Zvvinglius exegit è templis Diuorum imagines? aduerſus hunc libellum ſatis acrem ſcripſit Lutherus. Iam item per quinquennium pugnatum eſt inter Lutheranos & Sacramentarios,de Euchariſtiæ negotio. Adde, quòd quæ Lutherus de diſcrimine Legis & Euangelij ſcribit, neque Bucero neque Oecolampadio probantur. Quę Bucerus de Baptiſmo docet,impugnat Melanchthon. Melanchthon item Zvvinglium de errore peccati originalis accuſat: ſed hunc excuſat Bucerus. Porrò in hoc vno omnes conſentiunt, quòd Eccleſiam perſequuntur. Sic ille. Lutherani Sacramentarios oderunt doctrinæ cauſa: & adeò quidem oderunt,vt nec pro fratribus eos agnoſcere,nec Aue dicere ſuſtinuerint,palamque aqua & igne interdixerint: viciſſim autem Sacramentarij Lutheranos.

Nec hoc tantùm; ſed etiam qui eiuſdem ſectæ ſunt, in ſe mutuo ſcribunt acerbiſſimè. Hinc ſtatim ortum diſcrimen ac diſſidium, inter molles Lutheranos, quorum caput erat Melanchthon; & inter rigidos ſeu Stoicos, quorum agmen ducebat cum multis Flaccus Illyricus.

Stapleton. lib. 1 controuerſ. doctrin c. 13.

A quatuordecim Lutheranis petiuerat Dux Pruſſiæ iudicium de Oſiandri doctrina, in cauſa iuſtificationis. Singulæ Eccleſiæ ſcripſerunt initio priuatim, poſteà publicè editis libris. ſed ita ſcripſerunt,vt plus ipſis inter ſe eſſet mutuę diſſenſionis, quàm cũ Oſiandro. Anno 1559. Comites Mansfeldenſes & Saxoniæ Principes, publico edito ſcripto vndecim Lutheranorum ſectas à ſe inuicem diſſidentes notauerunt, omneſque tamquam hæreticos execrabiles damnarunt ac abegerunt.

Staphylus.

Nec mitior eſt concordia inter Sacramentarios. Senatus Bernenſis,cum miniſtris ſuis Zvvinglianis, damnat publicis litteris tredecim graues errores ex varijs libris Caluini Papæ tunc Geneuenſis.

Claud. de Sainct. in reſp. cõtra Bezam.

Nec ſic modò implacabiliter diſſentiunt omnes à ſe mutuo, ſed ijdem etiam crebrò à ſeipſis. Qua de re exemplum antè retulimus memorabile, vnius ex præcipuis Nouatorum iſtorum coryphæis, Philippi Melanchthonis, qui quaterdecies in ſolo iuſtificationis

nis negotio ſententiam mutauit. quem & opinio eſt ex Lutherano tandem effectum
Sacramentarium. Caluinus ſanè hoc pro certo habet, & de ea re magnificè gloriatur.

Sed de hoc argumento iam fortè nimis multa. Finiemus igitur, & concludemus ver- TESTIMO-
bis quibuſdam primi omnium Nouatorum iſtorum omnium infelicis magiſtri, Luthe- NIVM
ri: vt etiam inimici noſtri hîc ſint iudices, & pro nobis aduerſus ſeipſos pronuncient. HAERETI-
*Nulli, inquit, vmquam hæretici victi ſunt vi aut aſtu, ſed mutua diſſenſione: ſicut inter CI, DE
Sichimitas, Iudicum 9. inter Babylonicæ turris operarios, Geneſeos 11. & in nouo Teſta- HAERETI-
mento, inter Arianos, Donatiſtas, Pelagianos. Ita vt Hilarius ſanctus vir glorietur, in CORVM
libro 6. de Trinitate, bellum hæreticorum, pacem eſſe Eccleſiæ. Hæc ille. Qui & in Epi- DISSIDIO,
ſtola ad Argentinenſes, Bucerum & alios Sacramentarios inconſtantiæ notans; Ab his, QVO SOLO
inquit, ſpiritibus credat doceri veritatem, ſi quem perire delectet. Optimè. Sed heus tu, FERE VIN-
Luthere, mutato nomine de te fabula narratur. Quanta enim fuerit incóſtantia in doctri- CVNTVR.
na huius etiam hominis, nempe vt veri etiam magnique hæretici; vel ex vno Cochlæo, *In Pſal. 5.
in vita ac geſtis ipſius, ſatis liquet, anno 1532. vt ex Surio quoque ad eumdem annum.

CAPVT CLV.

Caluinus, cùm negare non poſſet varias cum nouo ipſius Euangelio ſectas exortas; dicit ſibi hoc cum Chriſto & Apoſtolis fuiſſe commune.

IAM vnum adhuc dumtaxat examinandum reſtat in hac Caluini contra Sadoletum
Epiſtola. Dixerat Sadoletus, quòd Nouatoribus iſtis docendi & ſcribendi initium fa-
cientibus, multæ illicò ſimul ſectæ ſurrexerunt; neque eum ipſis congruentes auctoribus
nouitatum, & ipſæ inter ſe permultùm diſcordes, quæ Eccleſiam miſerè diſciderunt.
Hoc Caluinus, cum negare non poſſet; quod reliquum erat, dicit minimè ſibi ſuiſque
imputandum fuiſſe. Non magis, inquit, quàm Euangelio & Chriſtianæ religioni impu-
tari debuit, quòd illa exoriente, multa vbique in mundo diſſidia apparuere. Reſpicit,
opinor, Caluinus ad has & ſimiles Chriſti ſententias: Nolite putare, quoniam veni pa- Matth. 10.
cem mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium. veni enim ſeparare
hominem aduerſus patrem ſuum, &c. Item, Multi pſeudoprophetæ ſurgent & ſe- Matth. 14.
ducent multos.

Cùm ergo ad noui huius & quinti Euangelij promulgationem varij etiam pſeudopro-
phetæ & ſeductores, multæ pernicioſiſſimæ ſectæ, falſæ atque exitiales doctrinæ, magni-
que Eccleſiarum & populorum tumultus vbique locorum excitarentur; vult Caluinus,
hanc cauſam ſibi ſuiſque communem eſſe cum Chriſto & cum Apoſtolis. Nam ſi nos,
ait, propterea odio digni; iuſto quoque olim odio apud impios laboraſſet Chriſti nomen.
Aut ergo deſine (Sadoletum alloquitur) hac parte nos infeſtare, aut palàm confitere,
Chriſtianam religionem tollendam ex hominum memoria, quæ tot mundo tumultus
pariat. Hoc ergo cauſæ noſtræ minimè obeſſe debet, quod modis omnibus conatus eſt
Satan Chriſti opus impedire. Sic ille verè Satanicus.

Sed tam illi conuenit cum Chriſto & cum Apoſtolis eius, cauſæque illius cum cauſa
illorum, quàm conuenit mendacio cum veritate, luci cum tenebris, Chriſto cum Belial.
Chriſtus ad Iudæos miſſus fuit à Deo, ſicut ipſe teſtatur; Ego veni in nomine Patris mei. Ioan. 5.
Apoſtoli autem ad Gentes venerunt, & ex parte etiam ad Iudæos, nomine Chriſti. Chri-
ſtus & Apoſtoli non aliam attulerunt doctrinam Iudæis vel Gentibus, quàm qualem Pro-
phetæ ante vaticinati fuerant, noui Teſtamenti tempore prædicandam. Nam & Legis
Moſaicæ cærimonias omnes prædixerant ceſſaturas, per aduentum Chriſti apud Iudæos;
in earumque locum ſucceſſuram gratiam Chriſti Redemtoris: & apud Gentes toto or-
be terrarum idola deſtruenda, totamque terram repletum iri ſcientia & cultu vnius veri
æternique Dei. Et hanc doctrinam ſuam Chriſtus & Apoſtoli, tametſi à Prophetis didi-
cerant & à Deo receperant, tamen quia noua & inaudita erat pleriſque omnibus, tot
tamque ingentibus ſignis & miraculis confirmabant, vt planè conſtaret videre volenti-
bus, à Deo miſſos eſſe. De quibus etiam ſignis Chriſtus dicebat: Opera quæ ego facio, Ioan. 25.
illa teſtimonium perhibent de me. item, Si mihi non vultis credere, operibus credite.

Quæ

Quæ ijſdem planè verbis dici poterant de miraculis Apoſtolorum, ſiue cùm Iudæis ſiue cùm Gentibus prędicarent.

Interim tamen fieri vix potuit, quin prædicatio illa Chriſti & Apoſtolorum tumultus nouos excitaret apud incredulos. Quia enim Satan, qui dominatur in reprobis, ad nomen & gloriam Dei & Chriſti eius, atque ad veritatis mentionem, qua ſe vinci ſentit, inſanit, ſimul atque veritatis doctrina profertur; improborum impietas & malitia, quæ priùs ſopita iacebat, opera ac ſtudio Satanæ excitatur ad vindicandam iniuriam, quam ſe putant accipere. Hinc & pſeudoprophetæ illi omnes, qui mox ab Euangelij prædicatione exorti ſunt; & tyrannorum perſecutiones ad Euangelium opprimendum.

At Caluinus, & alij eiuſdem factionis, quæ proferunt indicia vel argumenta, quòd aut veritatem mundo afferant, aut à Deo miſſi ſint? Quænam, vt perſuadeant, ſigna edunt, miracula faciunt?

CAPVT CLVI.

Ex hæreticorum doctrina, non ſolùm ſectæ variæ, ſed etiam ſeditiones & bella atrociſsima ſunt orta.

DENIQVE vbi Apoſtoli aut Prophetę futurum prædixerunt, vt poſt mille & quingentos annos ab aduentu Chriſti, & ab Eccleſia regno eius in terra fundata, nouum Euangelium orbi terrarum adferretur, cunctis hactenus inauditum, quo totus Eccleſiæ ordo omnis Dei cultus, omnis ſtatus religionis & pietatis penitus inuerteretur? idque per homines turbulentos & factioſos, qui omnem vtriuſq; ordinis poteſtatem audacter contemnerent, mille iniurijs, contumelijs, conuitijs palàm afficerent, nec quemquam prorſus reſpicerent aut vererentur?

Quid autem mirum, ſi ad huiuſmodi Euangelij prædicationem ſeditiones, tumultus, conſequantur? cùm præcipuè vnus ex primis & primarijs Euangelij huius Doctoribus ZVVINGLIVS. palàm etiam dicere & prædicare ſolitus fuerit, Euangelium ſitire ſanguinem. Neque dictis magis quàm factis, quod ipſe Euangelium promulgabat, ſanguinem ſitire demonſtrauit. Mox enim vt ſeipſum Tigurinorum in Heluetia nouum Pontificem fecit, cœpit

Aere ciere viros Martémque accendere cantu.

illoque ductore & incentore complerunt campos acies. Cumque futurum prædixiſſet, vt nouus etiam Propheta, videlicet, vt bombardæ omnium qui ex aduerſo ſtabant, lanceæ item, gladij & arma bellica in propria ipſorum viſcera verterentur, virtute nimirum noui Euangelij quod prædicabat; euenit illud, quod eſt apud magnum Poëtam,

——— primusq́; cadit Tolumnius augur.

& cuius Euangelium ſanguinem ſitiebat alienum, ſuum ipſe ſanguinem in acie prior vnà cum vita profudit, cæſis ſimul ex eius exercitu millibus: iuſto & bono Deo bonam iuſtamque cauſam adiuuante, tametſi Catholici numero & viribus multò eſſent inferiores hoſtibus.

Quid verò alius quidam ex eiuſdem Euangelij miniſtris, proximus Caluini ſucceſſor, in cathedra peſtilentiæ Geneuenſi? Hunc in Colloquio Poſſiaceno (cuius antè meminimus) Catholici Doctores inter diſputandum interrogabant, quam vel qualem in Eccleſia vocationem ſequeretur, qui tantum ſibi in Eccleſiæ reſtitutione tribueret Cùm enim duplicis tantùm generis vocatio hactenus agnita fuiſſet, ordinaria ſcilicet, quæ poſita ſit in ſucceſſione legitima & continua ab Apoſtolis aut Apoſtolicis viris; & extraordinaria, quam Deus ſanciret ac approbaret per noua ſigna & miracula, qualis erat Apoſtolorum & Prophetarum; redderet rationem, vtram ex his duabus ſuam eſſe vocationem ſuſtineret. Hîc cùm arctatus & conſtrictus teneretur, nec ſe poſſet vllis rationibus explicare: tandem ira correptus, reſpondit, ſe ſuo tempore & loco, vocationis ſuæ ac miniſterij illuſtria ſigna palàm monſtraturum. Quod dictum quid ſibi vellet, nemo tunc intellexit: nec quiſquam in animum inducere potuit, hominem tam Euangelicum, vt verbis præ ſe ferebat, tantum ſcelus mente concipere potuiſſe. & numquam tamen aliquid verius ore protulit. Proximo namque anno, Beza auctore (hic enim ille erat de quo loquimur) totum Galliæ regnum ferro & flamma vaſtatum fuit, miſerandum in modum; concurſum à Gallis in mutua viſcera, maximis exercitibus; templa Dei & monaſteria direpta

à Bezanis

à Bezanis copijs & ſatellitibus, & poſt ditepriionem flammis conſumta ſine numero;cædeque factæ Catholicorum omnis generis, ordinis,& ſexus,infinitæ. Vt nimirum ita reipſa oſtenderet Doctor ille Euangelicus', iuxta priorem promiſſionem ſuam, vnde eſſet ipſius & ſodalium eius miniſterium,quale Euangelium prædicaret; ſanguinarium videlicet,vt Zvvinglius antè dixerat; & quales denique ipſi miniſtri eſſent: meri ſcilicet fures, homicidæ, latrones: de quibus Chriſtus; Fur non venit niſi vt furetur & mactet & perdat. Taliſque fuit ſemper hæreticorum natura, vt primùm vires & potentiam aliquam nacti ſunt; omnes ſcilicet quocumque modo ſibi aduerſarios inuadere atque opprimere; ſurſum deorſum vniuerſa miſcere, cædibus, rapinis, flamma & ferro cuncta implere.

Arriani initio, cùm ſe Catholicis inferiores viderent, ſimulabant ſe paratos meliorem inſtructionem recipere (quemadmodum ſuprà etiam Caluinum garrientem audiuimus) ſicubi errarent: petebát audiri,in communicarioné ac diſputationem venire cum Catholicis, rationem reddere doctrinæ ſuæ, & multa ſimilia: taliq́ue ſimulatione ac prætextu multos bonos & ſimpliciores ex Principibus ſibi conciliabant, quaſi non aliud quærerent, quàm pacem & veritatem. Nec vllus erat aſtus aut fraudis aut inſidiarum ſpecies, quam interim conatibus omnibus non tentabant, ad fallendum & opprimendum Catholicos, atque vt ipſis ſolis Eccleſia tota regenda committeretur; quò de rebus omnibus ſtatuere poſſent pro arbitrio, omnibus ſecluſis Epiſcopis Præpoſitiſq́ue Catholicis. Quod vbi manifeſtis indicijs innotuit omnibus, ipſiq́ue adeò iure ac meritò cum ignominia repulſi fuerunt, ab ijs quæ poſtulauerant; videntes detecta eſſe fraudulenta ſua conſilia, nullamq́ue iam viam ſupereſſe, quàm audaciæ manifeſtæ ac violentiæ, auxilio & fauore Principum quos ſibi addictos retinebant, gregem Chriſti iam non verbis & argumentis,ſed armis inuadebant, oppugnabant, ſpoliabant, diſpergebant, iugulabant totis viribus. Eadem nos vidimus omnia noſtro hoc miſero ac infelici ſæculo.

CAPVT CLVII.

Quinam tot monſtrorum, opinionum, & diſsidiorum cauſa; Catholicíne, an verò hæretici?

SEd iam ab hoc tumultuum ac ſeditionum genere ad alias diſſenſionum ſpecies deſcendamus, quæ ſitæ ſunt in diuerſitate opinionum & doctrinarum, quibus non minùs infeſtatur Eccleſia Dei, quàm ijs de quibus nunc diximus.

Nemo negat, quin magna inter Chriſtianos regnare cœperit opinionum in religione ac fide diuerſitas, ex quo nouum hoc Euangelium proferri ac doceri cœpit. Res enim eſt nimis omnibus perſpicua & manifeſta. quemadmodum & illud, ex huiuſmodi in fide diſcordia naſci ingens damnum Eccleſiæ Dei. Sed quæritur, quinam tantarum in religione diſſenſionum cauſam dederint, quibuſq́ue tantum malum debeat imputari. Nos hîc culpamus & accuſamus Sectarios iſtos;ipſi verò nos: quòd videlicet erroribus his omnibus expurgandis non incubuimus, ſed otioſi ac velut ſomno oppreſſi iacuerimus,vt hîc Caluinus ait.

At, quàm falſum hoc ſit, quis non videt? Vt enim hîc omittam viros doctos innumerabiles, qui emergentibus tot errorum ac hæreſum monſtris, confeſtim eadem ſcriptis ſuis eruditiſſimis confutarunt: alijs aduerſus Lutheranos, alijs contra Sacramentarios, alijs contra Anabaptiſtas,alijs ſcribentibus in alias ſectas: quonam pertinuerunt tot legationes miſſæ à ſummis Pontificibus ad Imperatoré & ad alios Germaniæ Principes, viciniſq́ue Reges? tot conuentus & colloquia,in eadem potiſſimùm Germania, à Romano Pontifice & ab Imperatore, ab initio ferè naſcentium hæreſum, inſtituta? quò tandem Synodus vniuerſalis Tridentina, tot ſumtibus, tot curis, laboribus, moleſtijs conuocatorum celebrata, abſoluta: niſi, vt ſchiſmata ex Eccleſia tollerentur, vt errores omnes in religione exitiales è medio auferrentur? An hoc fuit otioſos eſſe Eccleſiæ Catholicæ Præſules, ac velut ſomno deditos ſtertere?

CAPVT

Caput CLVIII.

A Luthero cœpit omnis innouationis exordium; quoad ſectas & diſsidia: & quidem à paruis initijs.

SED mittamus iſta, & videamus parumper & inquiramus, vnde tot tamque diſſectæ ſectæ manauerint, & quinam huius rei cauſam dederint.

Antequam Lutherus ſub annum 1517. aliquid in religione mutare aut innouare aggrederetur; vno cunctorum mortaliū animo, vno ſenſu & conſenſu, vna religionis forma colebatur vnus Deus, vnuſque Chriſtus eius, toto orbe Chriſtiano. vereque tunc locum
Geneſ. 11. habebat in Eccleſia illud Geneſis: Erat terra labij vnius & ſermonum eorumdem. & quod ſcriptum eſt in eumdem ſenſum in Actis Apoſtolicis, de ijs qui primis annis poſt
Act. 4. Apoſtolorum prædicationem in Chriſtum crediderant: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Sicuti vnus Deus ab omnibus colebatur, ſic fides vna retinebatur ab omnibus: vna eademque vbique locorum ratio adminiſtrandorum Sacramentorum: vnus propè ritus cærimoniarum in cultu Dei. Idipſum dicebant, idipſum ſentiebant, idipſum ſapiebant, idem prædicabant & docebant omnes. vt facilè ciuitatem
Pſal. 121. illam vel rectè illius typum & figuram agnoſceres, cuius participatio in idipſum. Non vocabantur alij Apoſtolici, alij Euangelici, alij Puritani, alij Lutherani, alij Zvvingliani, alij Sacramentarij, alij Proteſtantes, non alijs quibuſuis nominibus diuiſionem ſapientibus cenſebantur. ſed à Chriſto Redemtore, quem vnanimiter omnes profitebantur, in quo etiam ſolo ſibi gloriandum nouerant, communi nomine omnes vocabantur Chriſtiani: quo etiam nomine nullum ſibi dari poſſe nomen glorioſius exiſtimabant. At ſimul ac Lutherus ſurrexit, & propter quamdam ſibi atque Ordini ſuo factam (vt putabat) iniuriam, quæſtuſque nonnullius occaſionem præreptam, ira ac indignatione commotus, aliter quædam prædicare cœpit publicè, quàm vel ipſe erat ſolitus, vel alij ſui temporis, & ante illum; tanta illicò cœpit oriri hîc ibi opinionum diuerſitas, vt penè quot homines reperirentur, tot eſſent ſententiæ. adeò vt in vna eademque domo vix duos frequenter inuenire liceret, qui per omnia ſibi in ijs quæ ad fidem & religionem Chriſtianam ſalutiſque æternæ doctrinam ſpectarent, conſentirent. Et quod maiore etiam admiratione dignum eſt, vnos atque eoſdem aliud heri, aliud hodie, in rebus tanti momenti, ſentiſſe. Vnde illud præclarè dictum à pio & Catholico Principe Georgio Saxoniæ Duce celebratur, quo ſcire ſe quidem affirmabat, quid hoc anno vicini ſui VVitembergenſes crederent; quid verò proximo anno credituri eſſent, neſcire.

Et Lutherus quidem initio aliter prædicare cœpit de Indulgentijs quàm conſuetum fuerat: non tam magni ſcilicet faciendas quàm multi credebant: quia fundatæ non eſſent (vt mentiebatur) in Sacris litteris; ſed in ſola Extrauagante Clementis Sexti, & in opinionibus Thomæ ac ſimilium. Hoc exordium ſeu primam velitationem videns Lutherus Satana promouente, Deoque propter peccata hominum permittente, non infeliciter cedere, multoſque ſibi breui temporis ſpatio diſcipulos acceſſiſſe; elatus hoc rerum felici ſucceſſu, paulatim ad alia religionis dogmata conuellenda progreſſus eſt. Reprehendit purgatorium, inuocationem Sanctorum, peregrinationes ad loca ſancta, communionem Euchariſtiæ ſub altera tantùm ſpecie, cærimonias quaſdam in cultu Dei, & ſimilia quædam. Quæ poſtquam omnia oppugnaſſet, & quantum in ipſo erat euertiſſet; non hîc pedem ſiſtere potuit, ſed longè etiam vlteriùs progreſſus fuit. cœpit imminuere numerum Sacramentorum, & è medio tollere ſacrificium Miſſæ, totumque noui Teſtamenti ſacerdotium. quod eſt profectò admodum procul ire, ingentemque in doctrina Chriſtiana ſciſſuram facere: ſed vltrà progredi tunc non potuit, vel non auſus fuit. Ni-
Geneſ. 3. mirum optimè ac veriſſimè ſcripſit Moyſes, ſerpentem callidiorem fuiſſe cunctis animantibus terræ. Nil æquè cupiebat, nec aliò magis collimabat ſerpens infernalis, à primo exordio turbatæ ac oppugnatæ Eccleſiæ per Lutherum, quàm ſumma omnia & præcipua religionis capita e medio tollere. Et tamen nihil initio minus præ ſe tulit: ſenſim potiùs eò veniendum putauit: cùm fore proſpiceret (quæ illius erat aſtutia & calliditas) ſi cuncta ſimul aggredi voluiſſet, vnoque tempore totum ſubuertere, vt priùs ipſe opprimeretur, quàm aliquod operæ pretium faceret. Quare, haud ignarus illius quod ſcri-

ptum

ptum eſt; Qui ſpernit modica, paulatim decidet: ab eis quæ parua videri poterant, exorcium fecit; vt paulatim deinde ad alia ac maiora deſcenderet. *Eccli. 19.*

Quid erat, à quo piorum omnium aures initio magis abhorrerent, quàm cùm in Miſſam & Eccleſiæ Sacramenta tam ingenti petulantia debaccharetur Lutherus? Sed hę tandem ad hæc omnia, & ad alia etiam grauiora, facilè occalluerunt. Exortus eſt poſteà Carolſtaldius cum ſuis diſcipulis, Zvvinglio, Oecolampadio, Caluino, Sacramentarijs. Tum verò ſacrilegum hunc errorem, non eſſe Chriſti corpus præſens in Euchariſtia, non Chriſtiani tantùm & Catholici, verùm ipſi quoque Lutherani, ſic execrabantur; vt haud aliter Sacramentarios omnes, quàm viperas & baſiliſcos fugerent. Sed huic tamē blaſphemiæ etiam poſteà multorum aures aſſueuere. Immò eſt hæreſis iſthæc tam longè lateque labentibus annis propagata; vt Lutherana extincta eſſe per illam propemodum videatur.

CAPVT CLIX.

Hæretici ſemper ſuis magiſtris doctiores facti; nouas ſectas adinueniunt.

LVTHERVS igitur in Eccleſia ſubuertenda, velut in tecto domus primùm demoliendo, totam pænè laborum ſuorum partem conſumſit. vt faciunt qui domum aliquam diruendam ſumunt: ne à fundamentis incipiendo ſeipſos ruinâ domus opprimant.

Surrexerunt poſteà (quos ſtatim diximus) Sacramentarij nuncupati: qui vlteriùs progreſſi, docuerunt quod numquam Lutherus docere auſus fuerat; in Sacramento altaris, nihil aliud eſſe, quàm nudam figuram corporis Chriſti. Hi velut parietes & muros domus Eccleſiæ (membra fundamento vicina) diiecerunt. Ipſa verò fundamenta, quæ poſita ſunt in confeſſione ſanctæ Trinitatis vnius Dei, in fide Chriſti Redemtoris mundi Filij Dei, & in fide ac reuerentia quæ debetur ſacræ Scripturæ, tamquam verbo Dei, è quibus hæc omnia diſcimus, nondum fuerunt auſi abnegare.

Hoc poſtmodum Anabaptiſtæ partim fecerunt, negantes Chriſtum Dei Filium ex Maria Virgine carnem humanam aſſumſiſſe; neganteſque animam humanam eſſe immortalem; iuxta illud Sapientis: Vnus interitus hominum, ac iumentorum; nec quidquam habet homo iumento amplius. partim qui in Polonia & alibi latè regnarunt Trinitarij, Patrē & Filium & Spiritum ſanctum negantes eſſe vnius naturæ; & vix vllum relinquentes veſtigium doctrinæ veteris & Catholicæ de ſancta Trinitate: quam nondum etiam vulgo notam iam inde ſtatim ab orbe condito ſancti Patriarchæ & Prophetæ coluerunt; & nobis tot millibus annorum obſcuriùs initio, deinde patefacta luce Euangelij manifeſtiùs colendam & adorandam quaſi per manus tradiderunt. Partim denique idem fecere, primaque doctrinæ Eccleſiaſticæ fundamenta ſuſtulêre Svvencfeldiani, à quodam orti Svvencfeldio, quem Melanchthon per contumeliam haud immeritò vocare ſolebat Stincfeldium. Qui cùm videret & Lutheranos, & Zvvinglianos, & Anabaptiſtas, & omnes, non modo huius temporis, ſed priſcorum etiam ſæculorum hæreticos, è Scripturis errores ſuos ſugere vel confirmare: quod vſque adeò verum eſt, vt Martinus quoque Lutherus id negare non potuerit, & dixerit, Scripturam canonicam proptereà à multis appellari librum hæreticorum, eò quòd ex eo ducāt originem omnes hęreſes, omneſque hæretici Scripturæ ſacræ præſidijs nitantur.

Hoc, inquam, cùm animaduertiſſet, & fortè etiam in ſcriptis Lutheri legiſſet Svvencfeldius; excogitauit & ipſe nouam hæreſim, ſacræque Scripturæ auctoritatem omnem penitus abrogauit, ita ſuos alloquendo: Non oportet Legis aut Scripturę eſſe peritum, ſed à Deo doctum. Etiamſi millies percurreris Bibliorum lectionem; tamen non niſi Scripturæ peritus euades, & non à Deo doctus. Vanus eſt labor, qui Scripturæ impenditur; Scriptura enim muta eſt creatura. Non conuenit Chriſtiano, nimium creaturę addictum eſſe. Deum audire oportet; huius voces de cælo expectandæ ſunt, vt erudiant nos. Beatus homo, inquit Dauid, quem tu erudieris Domine. Viſionibus & ſomnijs attendendum; illis enim loquitur nobis Deus. Vox Dei rectè docet: Scriptura non eſt verbum Dei, ſed mortua tantùm littera, & inter alias creaturas reputanda; ne putes te ex Scripturis fore doctum. Ex cælis illud expectandum, non è libris. Spiritus ſanctus è ſupernis delabitur ci-

tra omne medium, non per externam aut vocalem prædicationem,ſeu Scripturarum lectionem. Ita Svvencfeldius. Quem eumdem errorem Melanchthon etiam tribuit Thomæ Munzero: qui ex Lutheri diſcipulis omnium primus ab eo deſciuit, & cum ſeditioſis ruſticis,quorum ſe ducem fecerat, malè perijt, vt antè meminimus. Et nunc quidem audiuimus primum exordium, progreſſum, & conſummationem vltimam doctrinę huius Satanicæ per Nouatores iſtos in mundum allatæ. Ex quibus Lutherus fons impurus, auctorque totius mali huius, damnauit & oppugnauit tota vita ſua Sacramentarios: Sacramentarij Trinitarios: Trinitarij Anabaptiſtas: Anabaptiſtæ Svvencfeldianos, vt nunc oſtendimus. At quam ob rem Sacramentarij, vt hinc incipiamus,tantopere damnarunt & execrati ſunt Trinitarios, Anabaptiſtas, Svvencfeldianos? Quia nimis longè progreſſi ſunt in doctrinæ innouatione: hoc profectò eſt longe veriſſimum.

Sed vt hic omittam Caluinum noſtrum (vnum ex Sacramentariorum primarijs ducibus & magiſtris) diſertis verbis docuiſſe & ſcripſiſſe; hanc precandi formulam, qua tot ſæculis vſa eſt Eccleſia, Sancta Trinitas vnus Deus miſerere nobis, ſibi non arridere, ac neſcio quam barbariem ſapere: rurſus, in his verbis, Chriſti ſummam æternamque diuinitatem exprimentibus in Symbolo fidei, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; battologiam eſſe minimè conuenientem (qua ex doctrina Caluini, Trinitarij ſuam hæreſim ſumere vel tueri ac ſtabilire potuerunt:) nónne & Caluinus ipſe & Sacramentarij omnes, multò etiam longius progreſſi ſunt quàm Lutherus, & qui in prima eius ſemper doctrina manſerunt; & interim tamen viam haud dubiè aperuerunt ad longiùs etiam progrediendum, & ad alia & maiora, ſeu potiùs peiora, tentanda? Quem progreſſum alicubi laudans & defendens Caluinus, eum eſſe præpoſtero quodam ingenio ſcribit, qui rectam ingreſſus viam, ſimul ac demonſtrator iter ſuum reflectit, ac progredi recuſat, in eodem luto obſtinatè pedem figens vltrà progredi renuit. Si ita res habet, quid eſt igitur quòd Sacramẽtarij Trinitarios & Anabaptiſtas tantopere reprehendunt, ſiquod illi primùm fecerant, Luthero iter demonſtrante (vt Caluinus ait) idem fecerunt iſti quoque facti politores & inſtructores, cùm eſſet via illis longior etiam eorum exemplo demonſtrata? Secuti ſunt Caluini conſilium: noluerunt cum eo pedem eodem in luto obſtinatè figere; vlteriùs progreſſi ſunt. Quod ergo Sacramentarij priores fecerunt, laudique ſibi & gloriæ ducunt; cur idem in alijs tamquam crimen capitale damnarunt? Quod igitur Luthero primùm à tota Eccleſia Catholica diſcedenti accidit, Sacramentarijs ab eo recedentibus multoque longiùs progredientibus; id poſteà etiam contigit Sacramentarijs, cùm plurimi ab his quoque poſteà multis in rebus diſſentirent. Nimirum, Qua menſura menſi fueritis, ait Chriſtus, remetietur vobis. Et Propheta: Væ qui ſpernis; nónne & ipſe ſpernêris? Væ qui prędaris: quia & ipſe prędaberis. Sic olim Tertullianus de hæreticis ſui temporis, Mentior, inquit, ſi non à regulis ſuis variant inter ſe; dum vnuſquiſque perinde ſuo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de arbitrio ea compoſuit ille qui tradidit. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio ſuo fidem innouare. Denique penitùs inſpectæ omnes hæreſes, in multis cum auctoribus ſuis diſſentientes, deprehenduntur.

Epiſtola ad Polonos. — *Luc. 6.* — *Iſa. 33.* — *Tertul. De præſcript. hæret.*

Iam ergo magnam & perſpicuam audiuimus cauſam tantarum diſſenſionum in doctrina fidei, tot hæreſum ac errorum, quæ graſſari longè lateque cœperunt, mundumque vniuerſum turbare, ex quo Lutherus nouam in orbem terrarum doctrinam introduxit, & qui eum deinde in illo negotio promouendo ſecuti ſunt. Quia nimirum nemo hìc alteri cedere voluit, non filius patri, non diſcipulus præceptori: ſed vnuſquiſque aliquo pollens ingenio vel eruditione, nouam doctrinam confingere, & doctor eſſe potiùs ac magiſter aliorum, quàm priorum quorumuis diſcipulus manere elegit.

Capvt clx.

Alia cauſa adinueniendi nouas ſemper ſectas ex ſectis, dum aſſerunt nihil recipiendum niſi quod ſcriptum eſt.

Est & alia cauſa eiuſdem mali. Primarium fundamentum doctrinæ non modò Lutheri primùm, ſed Caluini etiam, & quotquot Lutheri nouitates amplexi ſunt, eſt; nihil recipiendum in doctrina fidei præter Scripturas canonicas, quas illi ſolas appellant verbum

verbum Dei. Quod quamobrem ſic doceant, ſuprà eſt explicatum. Hoc etiam axioma à Sacramentarijs didicerunt etiam Trinitarij & Anabaptiſtæ. Nam de his fatetur etiam Lutherus ipſe (non aduertens quòd ipſemet ijs illius doctrinæ anſam præbuerat) quod & non male refutat: *Quòd dicunt, inquit, Anabaptiſtæ, nuſquam in Scripturis haberi; quòd aut habeant fidem, aut baptizari debeant infantes; fatemur nos, id nulla Scriptura probari poſſe, quæ clarè & manifeſtè illis aut ſimilibus verbis dicat, Debetis pueros baptizare: nam & ipſi credunt. Siquis nos vrgeat ad demonſtrandam huiuſmodi litteram, huic nos tamquam victori cedamus oportet. nuſquam enim ſcriptum inuenimus. boni autem & ratione prædiri Chriſtiani, tale nihil à nobis exigunt. faciunt id contentioſi tantùm & præfracti homines, vt eſſe prudentes videantur. Contrà verò, nullam ipſi Scripturam proferunt quæ dicat, Debetis adultos baptizare, non autem pueros. Sic ille. Mox autem ex Apoſtolorum traditione ſemper in Eccleſia Dei obſeruata, docet, paruulos eſſe baptizandos: etiamſi nulla Scriptura id faciendum præcipiat. Rectè id quidem: ſed illam tamen vel ſimilem maiorum traditionem iam inde ab Apoſtolis receptam ſemperque in Eccleſia obſeruatam, opponi ſibi non vult; quoties ipſe contra ſua dogmata, quacumque tandem de re, (quamuis diuturna multorum ſæculorum conſuetudine recepta in Eccleſia) Scripturam à nobis expreſſam exigit.

LVTHERVS TAMEN CONTRA ANABAPTISTAS SCRIBENS, DICIT, FALSVM ESSE QVÒD NIHIL SIT CREDENDVM, QVAM QVOD SCRIPTVM EST.

* Lib. ad duos Pleb.

Quod autem nunc diximus & palàm fecimus de Anabaptiſtis, eadem eſt & Trinitariorum ſententia. Nam & ipſi quoque hæreſes illas de Trinitate blaſphemas ac teterrimas ſuſtinent, quia nihil putant contrà afferri poſſe ex Scripturis. totius autem Eccleſiæ auctoritatem quæ ijs obijciatur, nihil morantur: intrepidè & execrandè blaſphemant, non eſſe Deum trinum & vnum credendum; non eſſe magni faciendum, vel recipiendum nomen Trinitatis, eſſentiæ, perſonæ: quia nihil tale reperitur vſpiam in Sacris litteris. O ſcelus! A quibus verò hoc dogma receperunt vel didicerunt, de ſola audienda Scriptura, in negotio fidei Chriſtianæ; niſi à Sacramentarijs ſimul & Lutheranis? Cùm igitur iſti hoc nixi fundamento omnem priùs Eccleſiæ Catholicæ doctrinam audacter reiecerunt; quid mirantur, ſi diſcipuli eorum, ſuper eodem ædificantes fundamento, vlteriùs progrediantur, aliaque etiam errorum monſtra quàm quæ ab ipſis didicerunt, doctrinæ ſuæ adijciant; nec finis ſit vmquam errandi & in errorem mittendi, vt Apoſtolus ait?

CAPVT CLXI.

Vnicus omnium errorum fons, ab Eccleſiæ doctrina recedere.

CONSTAT igitur, errorum omnium & ſectarum fontem eſſe vnicum, ab Eccleſiæ Catholicæ fide ac doctrina recedere. Quod etſi primum factum ſit à Nouatoribus iſtis, in rebus Chriſtianæ religionis, quæ non admodum magnæ eſſe videbantur: tamen vbi à recta via ſemel deflexum fuit, fieri non potuit, quin magis ſemper & grauiùs erraretur. Et accidit, quod vulgò dicitur: Paruus error in principio, maximus eſt in fine. item; Vno inconuenienti dato, ſequuntur multa. Qui ſenſus etiam eſt illius Scripturæ: Qui ſpernit modica, paulatim decidit.

Rectè eruditi quidam, fraudes haſce, quæ per Satanam Eccleſiæ veræque pietati ſtruuntur, cuneo ſimiles faciunt, qui prima parte pertenuis eſt, nec videtur in lignum impactus magnam diruptionem facturus: verùm quamlibet ſit tenuis illius acies, aditum tamen viamque facit ſequenti craſſitiei; vt cùm prima illa tenuis pars recepta fuerit, neceſſariò ictibus malleorum recipiantur & ſequentia, donec lignum penitus diffindatur. Ita, cùm vel in parua quapiam re, à fide Eccleſiæ communi, ac veteri traditione, factum fuerit diſceſſionis initium; difficilius multò eſt finem errandi, quàm primùm fuerat initium inuenire. Vt hac etiam in re videre ſit, non ſine cauſa olim in prouerbium exijſſe; Principium plus eſſe, quàm dimidium totius.

Quòd ſi quis alijs ſimilitudinibus in re tam ſcitu neceſſaria delectetur; nihil aliud facit vel dicit Satan, cùm perſuadere alicui nititur, vt quacumque in re diſcedatur vltrò à recepta cōſuetudine vel conſtitutione Eccleſiæ, quàm quod Chriſto dixit aliquando Redemtori noſtro: Mitte te deorſum. Hoc eſt, Eccleſiæ traditionem relinque, veterem & communem Scripturæ interpretationem reijce, Conciliorum & Præpoſitorum Eccleſiæ auctori- *Lirinenſis.*

auctoritatem contemne. At metuit quidem vt plurimùm vnuſquiſque initio, mittere ſe deorſum; & quoniam facile perſpicit id non carere periculo, diu ſecum multumque nonnumquam cogitat ac deliberat, vtrùm ſibi ſit faciendum. At, poſtquã ſemel exitiali tentatoris conſilio aurem præbuit, ſeque deorſum mittere cœpit; iam non eſt in eius poteſtate, vt cùm velit ſe ruentem ſuſtineat, quo minus ad imum vſque præceps ruat.

Pſalm. 23. 103. Diuus Auguſtinus terriam habet ſimilitudinem, tractans illud: Qui fundauit terram ſuper aquas. Terram interpretatur Eccleſiam, propter firmitatem: aquam vero decurrentem quæ ad nihil deueniet, in alio Pſalmo ſignificare vult hæreſes. Quo minus aquæ decurrere poſſint ad Eccleſiam, id eſt, quo minus eam ſubmergere atque obruere queant hæreſes, impediunt appoſiti aggeres: quos rectè Conciliorum & Prælatorum ſanctiones intellexens. Ceterùm, quamuis aggeres validi fuerint; ſi tamen vel paruum in iis foramen aperueris, ſtatim eò tota moles aquarum incumbit; ac perruptis aggeribus, longè lateque campos, ſegetes, pagoſque ſubmergit; nihil vt ſit, quod aquarum impetum remorari vel ſiſtere queat. Hoc igitur foramen tunc aperitur, quando contra veterem fidem, vel conſuetam religionis formam, aliquid innouatur, quando contra Eccleſiæ præceptum vel conſuetudinem aliquid vſurpatur. Quis enim impedire queat, quo minùs per hoc foramen, quamuis exiguum, (niſi quàm primùm obſtruatur) perruptis aggeribus; hoc eſt, Eccleſiæ, Conciliorum, Pontificum, Prælatorum, & Paſtorum auctoritate contemta; omne genus errorum ac hæreſium in Eccleſiam vndique impreſſionem faciat.

Et iam quidem ex his omnibus ſatis patet, quibus imputandum ſit, quòd vnà cum origine & prouulgatione doctrinæ Lutheri, Zvvinglij, Caluini, & aliorum Nouatorum, tot ſectæ vbique locorum, & tam varij generis hæreſes ebullierint. Nempe, ex quo ſemel in fide Catholica aliquid cœptum eſt innouari, atque à ritibus atque dogmatibus perpetuo Eccleſiæ conſenſu receptis & probatis, recedi; (quod eſt vtique opus iſtorum Nouatorum) via eſt facta apertaque ad omnem impietatem, graduſque poſitus vltrà ſemper egrediendi ad omnem effrænatam licentiam.

EX NATURA SCHISMATIS QUOQUE CONSTAT UNICUM ESSE ERRORUM FONTEM AB ECCLESIAE DOCTRINA RECEDERE.

Idem oſtendi & doceri poteſt, & alio quodam modo ex natura videlicet ſchiſmatis; quamuis ratio hæc ferè coincidat priori: ſicut parum etiam diſcriminis nunc eſt, inter ſchiſma & hæreſim.

Lutherus primùm totis pænè triginta annis ſummo ſtudio laborauit, ad eleuandam, ac ſi fieri potuiſſet diſijciendam penitus, atque è medio auferendam, auctoritatem omnem Romani Pontificis. Adeò vt non puduerit eum, etiam paulò ante mortem ſuam, dicere;

Peſtis eram viuens, moriens ero mors tua, Papa.

Quemadmodum Beza de Caluino ſuo iam extincto non veritus fuit dicere, in eius Epitaphio:

Romanæ gentis terror ille maximus:
Quem mortuum lugent boni, horreſcunt mali, &c.

Sed ea in re tempus & experientia docuit, falſos eſſe prophetas. Iam enim tot annis mortui ſunt Lutherus & Caluinus, ac demerſi in infernum; nec adhuc tamen corruit Roma, & viuit adhuc Papa, vigetque apud Catholicos omnes veteque Chriſtianos poteſtas eius, in totam Chriſti Eccleſiam, viuetque & vigebit in poſterum quoque in æternum: inuitis & frendentibus Luthero, Caluino, ceteriſque hoc genus peſtibus, & cunctis inferorum portis.

CAPUT CLXII.

Lutherus primùm quantum potuit, ſeipſum fecit Papam; & ſic poſt illum alij multi pro vno, & vnico intolerabiliores.

SED fecit tamen Lutherus (vt de eo priùs ſeorſum loquamur) ad labefactandam Romanæ Pontificis ſupremam poteſtatem, quod potuit. Plenis contumeliarum & conuiciorum velis in hunc inuectus, nomen eius cunctis mortalibus exoſum reddere conatus fuit totis viribus, eumque in ordinem cogere: nimirum vt gubernatore ſublato, ſicut antè ex Cypriano audiuimus, atrociùs ac violentiùs circa Eccleſiæ naufragia diabolus graſſaretur.

ſaretur. Contemto Romano Pontifice, ſe ipſum illius loco Papam fecit Lutherus. At qualem Papam? quantæ nimirum modeſtiæ ac manſuetudinis, cùm de Romani Pontificis tyrannide tantopere queretetur? An de eo diſcipuli eius Bucerus, Zvvinglius, Caluinus, Ioannes à Laſco, & alij, non queruntur palàm, quòd non ſuſtulerit, ſed potiùs ad ſe pertraxerit Papæ tyrannidem? quodq́ue pro ligneo Papæ Romani iugo collo excuſſo, ferreum ſit ab illo impoſitum?

Non multis admodum annis Lutherum ſecutus eſt Zvvinglius, qui Lutheri magiſtri ſui faſtum calcauit quidem, ſed (vt Plato olim dicebat de Diogene) alio maiore faſtu. Hic ſe Papam fecit Heluetiorum, Præfectumq́ue Tigurinorum. Ita papatus Saxonicus, qui in æternum duraturus putabatur, maxima ſtatim ex parte corruit: mirum in modum creſcentibus deinde à Lutheri obitu in maximum numerum Zvvinglianis, cunctiſq́ue Sacramentarijs, qui planè Luthero aduerſabantur. Quin & liber nunc in lucem emiſſus, cui titulus erat; Victoria veritatis, & ruina papatus Saxonici. Solitus erat Lutherus iactare, penes ſe ſolum eſſe veritatem. & ecce citò illi veritas omnis palàm detrahitur, deque illius erroribus triumphus inducitur. Noluit ſibi à vero Papa deſcribi, quouſque progrediendum eſſet in dogmatibus fidei. Zvvinglius cum ſuis nec à vero etiam Papa nec à Saxonico ſibi voluit legem ſtatui. Auſuſq́ue fuit Zvvinglij diſcipulus Martinus Bucerus de Papa illo Saxonico adhuc viuente & regnante dicere: Si exigit, ne quis vlla in te diſſentiat; probet ſe eſſe Deum. Qualis autem Papa futurus fuiſſet Zvvinglius, ſi ei vita longior ſuppetiſſet; non eſt difficile coniecturam facere: vtpote cuius regni exordia tam violenta & cruenta fuêre, vt ſuprà vidimus.

Nunc ad tertium Papam veniamus, Caluinum inquam; quicum nimirũ hactenus hîc dimicamus; vt ceteros ante & poſt eum nouos Papas prætereamus, breuitatis cauſa. Hic eſt ille, qui ſeipſum pro Papa geſſit apud Allobroges, annis fere vigintiquinque; & ab alijs ſuæ factionis, Papæ nomine interdum vocari ſolet. Qui etiam in hac ad Sadoletum Epiſtola, quam refutamus, Geneuenſes ſua prædicatione edoctos, à Romani Pontificis tyrannide (vt loquitur) vindicaſſe, eiuſque iugum excuſſiſſe gloriatur. Quàm autem fuerit ille ceteris (quos audiuimus) æquior & tolerabilior, vel inde ſatis conſtat, quòd propter arrogantiam illius, faſtum non ferendum, inſolentiam, ab ijs etiam notatus palamq́ue damnatus fuerit, qui illi fuerunt intimi ac iuratiſſimi. Nam vt illa hîc taceam, quæ initio ferè ſcripti huius de illo alia occaſione diximus; quidnam adegit Bernardinum Ochinum ex ſancto Capucinorum inſtituto apoſtatam factum, vt tam seriò admoneret Principes & Magiſtratus, ne nouum apud ſe Papatum ſurgere paterentur: vtq́ue dialogum ederet quemdam contra ſectam terrenorum deorum ſeu paparum; qui ſuum verbum, tamquam Dei verbum, adorari volebant: quos futuros multò ſceleratiores & crudeliores aſſerebat, quàm vmquam fuerant Papæ Romani: quid, inquam, Ochinum adegit ad iſta ſcribendum, niſi quòd intolerabilem plane eſſe Geneuenſem Papatum viderat, atque expertus fuerat? Iam, quid hic referam quæ Philippus Melanchthon de Matthia Flacco Illyrico, Nicolao Gallo, ſcribit, hominibus Lutheranis? Cum iſto, inquit, mirabilium hominum genere agi nihil poteſt, qui ſuo arbitratu damnant quidlibet, neque perſonis auditis, neque rebus iudicatis. Cogunt Concilia quando ipſis placet: & vendicant maiorem magiſq́ue intolerabilem ac minùs excuſabilem auctoritatem, quàm Papa Romanus vmquam. Quæ quorſum tandem euaſura videantur, cogitetur. Sic ille: cogente diuina veritate contra ſe teſtari mendaces. In præfatione autẽ, quæ hanc admonitionem præceſſit, in anarchiam quamdam euaſiſſe dicit huiuſmodi hominum poteſtatem. Sed de his Philippi verbis mox latiùs. *In Præfat. corporis doctrinæ ſuæ.*

Nunc interim paululùm videamus, quid Centuriatores Magdeburgici de nouis hiſce Papis ſentiant: & quomodo non ſolùm Doctores & miniſtri Euangelici (vt vocantur) ſed Principes etiam & Magiſtratus ſæculares Papalem auctoritatem ſibi arrogarũt, poſtquam à vero ac legitimo Papa ſemel diſceſſum eſt. Cùm docuiſſent nequaquam licitum eſſe, aulas cum ſuis quibuſdam veteratoribus & ventriſeruis formas religionum cõflare, eaſq; Eccleſijs citra omnem reluctationem obtrudere; nec ſinceros Doctores verbi Dei, huiuſmodi formulis religionis aut edictis parêre, ſed voce potiùs & ſtylo debere contradicere, cùm diſtincta ſint officia poteſtatis Politicæ & Eccleſiaſticæ, & aliud ſit ſceptrum, aliud plectrum; tandem in hæc verba prorumpunt: Antequam lux diuini verbi illuceſceret in Germania, regnantibus tenebris Pontificijs ac monaſticis, vnicus ille Romanus Præſul poteſtatem ſibi ſumebat leges etiam politicas non modò reformandi, ſed etiam *CENTVRIATORVM MAGDEBVRGENSIVM DE NOVATORVM NOVIS PAPIS TESTIMONIVM.*

 delendi,

delendi,ſubſtitutis ſuis Decretalibus & Decretis. Pergunt verò ijdem: Quid verò nunc fit? Pro vno Pontifice,innumeri ex politicis eminentia locorum atque munerum ſuffulti atq; elati exiliunt; qui vicē alternantes nunc à Forenſibus rebus ad Eccleſiaſticas tráſcendunt: & non contenti ſuis metis,religionum formas Eccleſijs cum ſceptro,gladio,& fulmine Iouis exhibent. & ni applaudant ſine contradictione, ſe ſuo ſceptro illos expulſuros aut punituros. id quod etiam factitant abſque omni miſericordia. Ita Centuriatores illi. Quibus tanto maior fides adhibenda eſt,quia experti loquuntur, ſuamque ipſorum infelicitatem deplorant. Cùm eos non vno ex loco Magiſtratus auctoritate pulſos conſtet: Roſtochio nimirum,Heydelberga,Iena,Magdenburgo. Vnde alij curru carbonario,alij honoris cauſa tecto carpento noctu deportati fuēre exulatum quò vellēt,multis armatis circumſepti. Sic videlicet excipiunt ſuos papas Euangelicos, pontifices illi politici,vt eos Centuriatores appellant. Videmus igitur, poſt excuſſum Romani Pontificis *Philip. 2.* iugum, eò rem perductam, vt, dum quod à Paulo ſcriptum eſt negligitur, In humilitate ſuperiores inuicem arbitrantes; nec ſibi quiſquam alterum præferri patitur; non aliud *Geneſ. 11.* quàm pro Eccleſia Babylonem extruxerunt, in qua omnis regnet confuſio: cùm vnuſquiſque ſe pro Papa ſummæ & primæ auctoritatis vendicat. Et dum cæleſtis illius Hierarchiæ, in qua caput vnum præſidet omnibus,exemplar in terris habere noluerunt; nūc illius apud eos imaginem cernere liceat, quæ eſt in inferno eccleſiæ malignantium, vbi *Iob 10.* nullus ordo,ſed ſempiternus horror inhabitet.

Melanchthon mirabile genus hominum appellat (vt audiuimus) qui ſuo arbitrio damnant quidlibet,neque perſonis auditis,neque rebus dijudicatis. Veriſſimè dicit. Atqui de hoc mirabilium hominum genere fuit præceptor eius Lutherus: de hoc eodem genere ipſemet quoque Melanchthon, Zvvinglius, Oecolampadius, Bucerus, Caluinus,& quotquot alij cuiuſuis tandem ſectæ, doctrinam in Papatu (vt loquuntur) corruptam eſſe dixere. Damnarunt enim iſti omnes,nec perſonis auditis,vt Philippus ait, nec rebus dijudicatis. Sed magis etiam conſideratione digna ſunt, quæ ſequuntur apud Philippum: Vendicant,inquit,ſibi maiorem,magiſque intolerabilem, minuſque excuſabilem auctoritatem,quàm Papa Romanus vmquam.

VIS VERITATIS PER GVTTVRA QVOQVE SVORVM HOSTIVM ERVMPENTIS. Quanta eſt veritatis vis, vt etiam per hoſtium veritatis guttura (velint, nolint) nonnumquá erumpat! Etiamſi aliquod Papæ alicuius Romani peccatum fuit; videtur id tamen Philippus tolerabile & excuſabile facere, quia à legitima ſit poteſtate (qualem etiam hîc in Romano Pontifice agnoſcere videtur) profectum; etſi modum fortè poteſtas illa prætergreſſa fuerit: multò verò durius fuiſſe iugum iſtorum, qui ſe tunc pro Papis gerebant, quàm fuerit vllius vmquam Romani Pontificis; qui numquam quemquam damnauit inauditum. hoc autem iſtis iam vſitatum erat & familiare; qui poſt excuſſum legitimi Papæ Romani iugum,maiorem quàm ille auctoritatem ſibi vendicabant.

Fuit à Chriſto Papatus vnus inſtitutus, per quem vnitas in Eccleſia retineretur, vt Cyprianus & alij docent. Ad quem euertendum, cùm Lutherus & quotquot eum ſecuti ſunt,communibus ſtudijs conſpiraſſent; videmus,quorſum tandem res illa euaſerit. Nimirum, ſimul vt Chriſtum, per legitimum Papam (cui peculiariter oues ſuas paſcendas commiſit) loquentem & præcipientem audire noluerunt; & ſuaue Chriſti iugum, per eum Eccleſiam ſuam gubernantis,excuſſerunt; papas repentè innumeros, eoſque minùs multò,quàm Papa Romanus,tolerabiles, vbique proſilijſſe.

Hoc Centuriatoribus graue admodum viſum eſt (vt audiuimus) nec iniuria. Sed quibus hoc debent acceptum ferre,quòd in huiuſmodi ſtatum res perducta ſit? Nónne ijs, qui veri ac legitimi Papæ iugum à ceruicibus ſuis antè depulerunt? nónne eapropter illud rectè Comici contra eos vſurpare poſſumus?

Tute hoc intriuiſti; tibi exedendum eſt.

vt & illud quoque prouerbium, lippis & tonſoribus notum?

Compedes, quas ipſe fecit, ipſus vt geſtet faber.

CON-

CONCLVSIO TOTIVS APOLOGIÆ.

HISCE omnibus, amice Lector, benè conſideratis, tria potiſſimùm notatu digniſſima, ex toto controuerſorum decurſu, videntur poſſe obſeruari. Primum, antequam quis hæreticus fiat, (ago quidem nominatim de hæreſiarchis, & formatis famoſiſque hæreticis) aliquid ſemper ſubeſſe, quod illi quoddam odium & auerſioné Eccleſię, ac ſpeciatim Pręfectorum eius, ingeneret, dum adhuc Catholicorum cœtui aggregatus cenſetur. Vt fuit in Luthero inuidia, æmulatio, impatientia, carnalitas, & id genus alia; quæ illum impotentiùs inſoleſcere, audere & attentare inaudita fecerunt: quemadmodum ipſemet hiſce verbis de ſe teſtatur; Suſpenſis animis expectabant omnes euentum tantæ rei, quam nullus ante me auſus eſſet attingere Fouebat autem me vtcumque aura iſta popularis. Agit de mali pulli, hæreſios inquam, malo ouo, foueri & excludi cœpto. At qua occaſione in hanc inſaniam deuenit? audite reſtantem, quod ſuprà cœpi dicere: Vnus eram, inquit, per imprudentiam, in iſtam cauſam lapſus, cùm non liceret pedem referre. Nimirum cum occaſione promulgandarum Indulgentiarum ſtimulatus inuidia, feruentiùs cœpit & in Indulgentias & in Pontificem debacchari. Ita in Caluino, labes incontinentiæ immanis nota, Eccleſiaſticæ iuſtitiæ rigore vindicanda In alijs, ambitio, auaritia; atque demum in omnibus quotquot ſunt, teſte D. Auguſtino, vna mater ſuperbia.

In priore præfatione operum VVittenbergæ excuſorum anno 1558. & in altera præfatione eorundem.

Adeò, vt primùm quaſi caſu quodam in id labantur, vt in Eccleſiæ iura impingant, eique propterea aduerſentur. Et quando recalcitrant, diſciplinam Eccleſiæ non admittentes; proximum eſt, vt malum ſuum, quod humilitate duce non agnoſcunt, inſtigante ſuperbia tueantur. Quemadmodum in quibuſdam noſtro tempore clariſſimè conſtitit; quorum nomini, quia conuerti poſſunt, parco, ſatis interim perſpectorum.

Alterum eſt, vt lapſu illo cauſante, ad ſacram Scripturam confugiant, & quidquid illic inueniunt, quod vel in ſpeciem ipſorum nequitiæ patrocinetur, eliciant, accommodent, & antiquorum hæreticorum more, pro ſuo arbitrio interpretentur, deprauent, violenterque detorqueant. Quæque anteà, adhuc Catholici, ſanè iuxtaque Eccleſiæ ſenſum intelligebant & explicabant; illa iam ad deprauatam propriæ mentis, voluntatis, ac vitij prædominantis amuſſim, inflectunt.

Vnde tertius tum gradus gliſcentis mali aſſurgit; vt non ſolùm, quaſi in tuta quadam arce Scripturæ collocati, ſe in abſurdiſſimis quoque maximeq́; pugnantibus opinionibus, cum inani quadam iactantiæ gloria muniant & conſeruent; verum etiam alios quoſque noua ſemper arte & molitione alliciant, quos in ſuum ſecū errorem adeoq́; in certam perniciem abducant. iuxta illud Pſalmiſtę, Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper.

Adeò, vt neque rationem vllam habeant, qua hæretici fiant; multoque minus fundamenti, vt in hæreſi permaneant; ac poſtremò, nullum omnino, vel in ſpeciem iuſtum prætextum, alios in idem exitium abducendi, in quod ipſi primùm tam inopinato nequitiæ caſu ſunt prolapſi.

EPISTOLA IACOBI SADOLETI S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI CARPENTORACTENSIS,

Ad Senatum populúmque Geneuenſem,

Ne ſe diutiùs exitialibus hæreticorum doctrinis corrumpi ac ſeduci paterentur:

Scripta anno Domini M. D. XXXIX.

C HARISSIMI in Chriſto fratres, pax vobis, & nobiſcum; hoc eſt, cum Catholica Eccleſia, matre omnium noſtrûm atque veſtrûm; amor atque concordia, à Deo Patre omnipotente, & vnico eius Filio, D. N. Ieſu Chriſto, ſanctóque ſimul Spiritu; quæ eſt vnitas in tribus perfecta: cui laus eſt, & imperium, in omne ſæculorum æuum; Amen.

Arbitror, fratres chariſſimi, aliquibus veſtrûm eſſe notum, me nunc degere Carpentoracti: quò veni ab Nicæa, ſummum illuc Pontificem, ad pacificandos Reges ex vrbe Roma proficiſcentem, priùs proſecutus. Amo enim Eccleſiam & ciuitatem hanc, quam mihi ſpiritualem & ſponſam & patriam Deus eſſe voluit; populoſque hoſce meos vere paterna charitate complector, diſiungique me ab illis valde ægre fero. Quòd ſi honos iſte Cardinalatus, qui mihi inopinanti & inſcio delatus eſt, Romam me coëgerit redire (vt certe coget) quò in ea vocatione, in qua ſum vocatus, ibidem Deo ſeruiam; non is tamen meum animum atque amorem ab his populis auocabit, quos habiturus ſum in medijs cordis mei penetralibus ſemper infixos. Igitur Carpentoracti cùm eſſem, audiremque mulra quotidie de vobis, quæ partim quidem mihi dolorem, partim etiam ſpem nonnullam excitarent, vt non diffiderem, nos & vos, qui fuimus quondam in recta erga Deum religione vnanimes, eodem Deo benigniùs nos reſpiciente, ad eumdem conſenſum cordium eſſe redituros: viſum eſt Spiritui ſancto & mihi, (ſic enim Scriptura loquitur) & certè quæcumque integro & pio erga Deum geruntur animo, ex Spiritu ſancto omnia ſunt; viſum eſt mihi, inquam, ſcribere aliquid ad vos, & eam animi curam ac ſolicitudinem, quam pro vobis capio, litteris vobis declarare. Non enim, chariſſimi, noua eſt hæc mea erga vos ſuſcepta & beneuolentia & voluntas: ſed, cùm ab eo tempore, quo ego Dei voluntate Epiſcopus Carpentoractentium factus ſum, annis abhinc tribus fere & viginti, propter commercium, quod vobiscum meis his populis frequens eſt, multa de vobis abſens & de moribus veſtris cognouiſſem, amare iam tum cœpi nobilitatem vrbis veſtræ, ordinem foròiamque Reipublicæ, dignitatem ciuium, & illam in primis veſtram laudatam ac probatam apud omnes, erga externos homines & aduenas, humanitatem. Et, quoniam vicinitas quoque non exiguam ſæpè partem ad diligendum adfert; ſicut in vrbe propinquæ domus, ſic in orbe finitimæ prouinciæ, amoris inter vicinos conciliatrices ſunt. Non contigit ante hoc tempus ſcilicet, vt vos huius mei erga vos animi aut fructum perciperetis, aut aliquod ſignum indiciumque habereris; non enim opera vſpiam eguiſtis mea, quæ vobis profectò paratiſſima fuiſſet: verum nulla ſeſe adhuc nobis obtulit occaſio. At nunc quidem certè non contingit ſolùm mihi, verumetiam neceſſe eſt, vt quo in vos animo ſim affectus,

vobis

vobis demonſtrare adnitar, ſi fidem meam erga ſummum Deum, & Chriſtianam illam in proximum charitatem retinere mihi cupio.

Etenim, poſtquam fuit ad aures meas delatum, homines quoſdam aſtutos, inimicos Chriſtianæ vnitatis & pacis, id quod in alijs anteà nonnullis fortiſſimæ gentis Heluetiorum oppidis & pagis iam feciſſent, item in vobis & ciuitate veſtra malę diſcordię ſemina ieciſſe, Chriſtique fidelem populum à via Patrum maiorumque ſuorum, & à perpetua Catholicæ Eccleſiæ auertiſſe ſententia, omniaque diſſidijs & ſeditionibus impleſſe: (qui tamen mos proprius eorum ſemper eſt, qui auctoritate Eccleſiæ oppugnanda, nouas ſibi potentias & nouos honores quærunt) teſtor Deum omnipotentem, eum ipſum, qui nunc intimis meis cogitationibus præſens adeſt, me & indoluiſſe grauiter, & duplici quadam miſericordia affectum fuiſſe: cùm ex vna parte viderer mihi audire gemitum plorantis matris noſtræ Eccleſiæ & lamentantis, quæ tot & tam dilectis filijs vno tempore eſſet orbata; ex altera, veſtris, ô chariſſimi, incommodis & periculis commouerer. Sciebam enim ego, tales viros, nouatores veterum & benè conſtitutarum rerum, tales turbas, talia diſſidia, non ſolum animabus hominum peſtifera, (quod tamen malum omnium maximum malorum eſt) ſed rebus etiam & priuatis & publicis pernicioſa exiſtere. id quod vos quoque ipſo euentu rerum edocti, cognoſcere potuiſtis. Quid ergo eſt cùm meus erga vos amor & mea in Deum pietas me cogat, vt tamquam frater fratribus, & amicus amicis, intimum omnem animi mei ſenſum vobis liberè exponam; vos plurimùm rogatos volo, vt bonitatem illam veſtram, qua ſemper vti conſueuiſtis, mihi quoque in præſentia, meis non ingratè accipiendis & legendis litteris, præbeatis: ſpero enim, ſi æquis modo mentibus hæc quæ ſcribo attendere volueritis, vos, ſi non conſilium meum, at animum certè rectum & ſimplicem, & veſtræ in primis ſalutis cupientem, non minimum probaturos; neque me, quæ mea ſunt, ſed quæ veſtra commoda atque bona, quærere, intellecturos. Neque ego tamen ſpinoſas & ſubtiles ordiar diſputationes, quam Philoſophiā beatus Paulus vocat, & Fideles Chriſti ſemper monet, ne ſe per eam patiantur decipi, per quam iſti quidem vos circumduxerunt; cum inter imperitos, obſcuram quamdam iactarent Scripturæ interpretationem; fraudemque & malitiam, præclaro illo quidem, ſed falſo atque alieno doctrinæ & ſapientiæ nomine honeſtarent. Ego ea proponam, quæ clara ſint atque illuſtria; quæ nullam in ſe erroris latebram, nullum fraudis & fallaciæ habeant diuerticulum: cuiuſmodi ſemper eſt veritas. Ea enim & in tenebris lucet, & nemini non perſpicua eſt; & à doctis iuxtà atque indoctis facillimè percipitur: præcipuéque in Chriſtiano genere doctrinæ; non ſyllogiſmis nec verborum captionibus, ſed humilitate, ſed religione, ſed erga Deum obedientia eſt ſubnixa. Viuidus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni acuto vtrimque gladio; penetratque ad iuncturas ſpiritus atque animæ, & ad intima compaginum ac medullarum: neque animos illaqueat impeditis argumentationibus; ſed cæleſti quodam interueniente cordis affectu, planum ſeſe & patentem mentibus noſtris offert; vt non tam humana intus ad intelligendum ratio, quam ipſe, ad ſe qui nos vocat, operetur in nobis Deus. Quem ego Deum patrem omnis rectè intelligentiæ ſupplex precor, vt & mihi ad dicendum, & vobis ad percipiendum, ea adiumenta ſuæ benignitatis præbeat, per quæ poſſimus iterum in vno corde erga ipſum & in vna mente conſentire.

Atque, vt inde initium capiamus, vnde maximè opportunum eſſe ducimus: Ego, fratres chariſſimi, ſic exiſtimo, me & vos, & reliquos prætereà omnes, qui in Chriſto ſpem & fidem ſuam poſuerunt, id ea vna de cauſa ita facere & feciſſe, quò ſalutem ſibi atque animabus ſuis, non hanc mortalem & citò interituram, ſed illam ſempiternam & immortalem quærerent, quæ in cælo ſolum verè obtineri, in terris autem nullo modo poteſt. Eſt quidem ita diſpertitum hoc officium noſtrum, vt iacto primùm fidei fundamento, hîc deinde laboremus, quò illic quieſcamus: in terra ſemen iaciamus, quod in cælo poſteà poſſimus demetere: & quibus hîc in operibus, quibúſve in ſtudijs noſmetipſos exercuerimus, ſimiles deinde atque dignos operum & laborum noſtrorum fructus in altera vita adipiſcamur. Cumque via Chriſti ardua, & ratio degendæ nobis ſecundùm eius leges & præcepta vitæ, perdifficilis ſit; proptereà quòd animos noſtros ab omni terrenarum iucunditatum contagione auocare, & in eo ipſo vno figere, deſpicere præſentia bona quę in manibus habemus, & futura quæ non cernimus, appetere iubemur: tanti eſt tamen vnicuique noſtrùm ſua & ſuæ animæ ſalus, vt nihil recuſare aſperum, nihil laborioſum non pati, animum inducamus; quò tandem aliquando, vna nobis ſpe ſalutis noſtræ propoſita,

poſita, per ærumnas multas, & per ſollicitudines, præeunte ſemper actionibus noſtris Dei clementia & miſericordia, ſtabilem ſalutem illam & perpetuam conſequamur. Hac ſpe, Chriſtus annuntiator veri boni, quondam ab orbe terrarum, tanto conſenſu & ſtudio omnium acceptus fuit; hac ratione à nobis adoratur & colitur, vereque agnoſcitur Deus eſſe, & Dei veri Filius; quòd vnus ipſe ab initio omnium ſeculorum animos hominum Deo omnipotenti, in quo ſolo vita eſt, mortuos, ac huius quidem mundi fallacibus & caducis blanditijs paulum temporis viuentes, mox prorſus & ex omni ſui parte ad interitum condemnatos, à mortuis, hoc eſt, ab hoc maxime pernicioſo mortis genere excitauit: primuſque ipſe ſemet, ſalutem, & liberationem, & doctrinam noſtram eſſe volens, morte carnis accepta, & paulo pòſt vita non iam ampliùs mortali recuperatà, ſuo exemplo nos inſtruxit & docuit, vt contraria longè ac prius conſueueramus via, mundo huic & carni, hoc eſt, peccato mortui, Deo deinde viuerenius, ſpeſque in eo noſtras benè ac beatè perpetuò viuendi poneremus; quæ eſt propria, & vere digna Dei omnipotentis gloria & maieſtate, noſtrorum omnium à mortuis ſuſcitatio: qua non vnus aut alter homo, ſed cunctum hominum genus, à tetra & funeſta animæ morte, ad veram & cæleſtem eiuſdem animæ vitam reuocatum eſt. Hanc huiuſmodi à mortuis ſuſcitationem ſibi proponens Paulus, maximumque in ea intuens diuinitatis Chriſti argumentum atque indicium; Separatus ego in Euangelium Dei, inquit, quod promiſerat per Prophetas in Scripturis ſanctis de Filio ſuo, genito quidem ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, determinato autem & declarato Filio Dei in potentia per Spiritum ſanctitatis: hoc eſt, in potentia ſpirituali, quæ propria Dei potentia eſt, quod non corpore Deus ſed Spiritu mirabilia ſua agit: imperare enim ventis, & cæcis verbo lumen reddere, & mortuus excitare; non corporea, ſed ſpirituali, quæ eadem & diuina eſt, fiebat poteſtate. Declarabatur igitur Chriſtus Dei Filius, ex hac ſpirituali potentia, quæ ſola diuina eſt. &, quod ſubiungit Paulus, ex ſuſcitatione à mortuis, non tam ea quidem qua corpus Lazari, aut filium viduæ, aut Principis Synagogæ filiam (quamquam iſta quoque opera Dei erant) verùm ea etiam ſuſcitatione magis, qua Mariam Magdalenam a dæmonijs ſeptem, Matthæum à telonio, multos à terrena & moribunda vita, omne denique genus humanum à peccato & peccati morte, & à poteſtate huius mundi tenebrarum, ad cæleſtē appetendam atq; ſperandam & cognationem & lucem excitauit; demerſoſque in luto terræ hominum animos erexit ad cælum atque extulit: atque hoc maximū Ieſu Chriſti erga nos beneficium, præcipuumque in eo ipſo diuinitatis argumentum. idcircò & inſtitutum à Deo in miſſione Filij ſui, & ab ipſo Filio ſuſceptum, & ſuo nobis tēpore per eum datū tributumque eſt; vt omnibus & diuinis & humanis in vno Chriſto conſiliis, auxiliis virtutibuſque adiuti, nos animas Deo noſtras ſaluas ſiſtere poſſemus. Tanta eſt nobilitas, tam inſigne pretium, tam grandis æſtimatio huiuſce rei, quæ anima hominis eſt: vt, quò ne ea perderetur, ſed & Deo ipſi & nobis lucrifieret; conturbatis penitus totius naturæ legibus, atque ordine rerum permutato, & Deus deſcenderet in terras, vt fieret homo, & homo erigeretur in cælum, vt eſſet Deus. Credimus ergo in Chriſtum (vt dicebam) omnes, quò ſalutem animabus noſtris, id eſt, nobiſmetipſis vitam inueniamus: quo nullum optatum vehementius, nullum bonum interius, nec magis cōiunctum ac familiare adeſſe nobis poteſt. quantum enim ſeſe diligit vnuſquiſque, tantum ipſi ſalus chara eſt ſua: quæ ſi negligatur & abijciatur; quod tandem erit præmium, quod poſſit par acquiri? Quam enim dignam accipiet homo compenſationem pro anima ſua, inquit Dominus: aut, quid proderit homini, vel ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ autem ſuæ iacturam patiatur? Hæc igitur tam ampla, tam chara, tam pretioſa poſſeſſio, quæ noſtræ animæ ſalus vnicuique noſtrûm eſt, omni vi & conatu nobis retinenda eſt. Siquidem cetera bona omnia, quæ appetimus, externa atque aliena nobis ſunt. hoc vnum bonum conſeruatæ animæ noſtræ, non ſolùm noſtrum, ſed verè noſmetipſi iſtud ipſum bonum ſumus: quod qui neglexerit atque amiſerit, is ne bonum quidem aliud habere vllum poterit quo fruatur; quippe, cùm ipſe ille, qui debuiſſet frui, iam ſe primùm perdiderit. Aſſequimur porrò bonum hoc noſtræ perpetuæ vniuerſæque ſaluris, fide in Deum ſola, & in Ieſum Chriſtum. Cùm dico, fide ſola; non ita intelligo, quemadmodum iſti nouarum rerum repertores intelligunt; vt ſecluſa charitate, & ceteris Chriſtianæ mentis officijs, ſolam in Deo credulitatem & fiduciam illam, qua perſuaſus ſum, in Chriſti cruce & ſanguine mea mihi delicta omnia eſſe ignota. Eſt hoc quidem etiam nobis neceſſarium, primuſq; hic nobis patet ad Deum introitus: ſed is tamen non eſt ſatis: mentem enim præterea adferamus

mus

mus oportet, pietatis plenam erga ſummum Deum, cupidamq́ue efficiendi quæcumque illi grata ſint; in quo præcipuè Spiritus ſancti vis ineſt. Quæ mens, etiam ſi interdum ad exteriora opera non progreditur; ipſa tamen ex ſeſe ad benè operandum iam intus parata eſt; promtumq́ue gerit ſtudium, vt Deo in cunctis rebus obſequatur; qui verus diuinę iuſtitiæ in nobis eſt habitus. Etenim, quid aliud ſignificat, aut quam aliam nobis offert intelligentiam & notionem, nomen hoc ipſum iuſtitiæ; ſi non reſpectus in eo ad bona opera habeatur? Dicit enim Scriptura, quòd miſit Deus Filium ſuum, vt faceret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum: ad Titum cap. 2. Et alio loco; Vt ædificemur, inquit, in Chriſto, ad bona opera. Si ergo miſſus eſt Chriſtus, vt benè operantes, per eum accepti Deo ſimus; atque vt in eo ædificemur ad bona opera; certè, fides quæ in Deum noſtrũ per Ieſum Chriſtum eſt, non ſolùm vt confidamus in Chriſto, ſed benè in illo operantes, operatiue inſtituentes, vt confidamus, imperat nobis ac præſcribit. Eſt enim amplum & plenum vocabulum, Fides: nec ſolùm in ſe credulitatem & fiduciam continet, ſed ſpem etiá & ſtudium obediendi Deo; & illam quæ in Chriſto maximè perſpicua nobis facta eſt, principem & dominam Chriſtianarum omnium virtutum, charitatem: qua in charitate propriè & peculiariter Spiritus ſanctus ineſt, vel potiùs, ipſe eſt charitas: ſiquidem Deus charitas eſt. Quamobrem, ſicut ſine Spiritu ſancto nihil noſtrum, neque gratum, neque acceptum Deo eſt; ita neque eſſe ſine charitate poteſt. Cum ergo dicimus, fide ſola in Deum & Ieſum Chriſtum, ſaluos nos eſſe poſſe; in hac ipſa fide charitatem vel in primis comprehendendam eſſe ducimus, quæ princeps & potiſſima noſtræ ſalutis eſt cauſa.

Sed vt abeamus a diſputatione, & reuertamur eò vnde ſumus digreſſi; oſtendimus vobis, fratres chariſſimi, vel oſtendere potiùs conati ſumus, (non enim æquat magnitudinem rei oratio noſtra) quanti momenti ſit, quantopere ad nos pertineat, noſtræ nobis animæ eiuſq́ue ſalutis procuratio: qua noſtra in anima noſmetipſi toti ſumus; bonumq́ue hoc propriè & vnicum noſtrum eſt: cetera bona, aliena nobis omnia atque diſiuncta; quibus ne ipſi quidem frui vllis poſſumus, ſi ex hoc principe & verè noſtro excidamus: pro quo ſibi tuendo & conſeruando animæ bonu, tot quondam Chriſti glorioſiſſimi Martyres mortalem hanc vitam promto animo poſuerunt; tot ſanctiſſimi Doctores nocturnis diurniſq́ue ſudoribus ac vigilijs, quò nos in viam rectam inducerent & conſtituerent, ſibi elaborandum eſſe ſtatuerunt: tota olim tam multas & tam graues ab impijs tyrannis & præſidibus gentium iniurias & calamitates pertulit Eccleſia. Quæ ideò omnia & à præpotente Deo permiſſa, & à fortibus illis viris, Chriſti verè cultoribus, ſuſcepta, tolerata, decertataq́ue ſunt; vt per omne experimentorum & probationum genus, pluribus veluti malleis excuſa, multo igni purgata, tantis Sanctorum ærumnis atque laboribus conflata, conſolidata, expreſſa, & maximam apud Deum gratiam fidelitatis ſuæ Eccleſia obtineret, & ſummam apud homines auctoritatem. Hęc nos Deo Eccleſia in Chriſto regenerauit; hæc nos aluit, confirmauit, inſtruxit; quid nos ſentire, quid credere, in quo ſpem ponere, qua via in cælum tendere nos oporteat, ipſa eadem edocuit. Nos in hac communi Eccleſiæ fide incedimus; nos illius leges & præcepta retinemus; & ſi quando fragilitate & incontinentia victi, ad peccandum prolabimur (quod vtinam ſaltem rarò, ac non nimiùm ſæpè in nobis accideret) in eadem tamen fide Eccleſiæ exſurgimus; quibuſq́ue illa expiationibus, & pœnitentijs, & ſatisfactionibus, peccatũ noſtrum ablui, & ad integritatem priſtinam, clemente erga nos ſemper & miſericorde Deo, nos reſtitui docet; eas expiandi & ſatisfaciendi rationes ſuſcipimus & adhibemus. Idq́ue ita cùm facimus, confidimus nos veniæ & miſericordiæ locum apud Deum inuenire. Non enim præter ſententiam & auctoritatem Eccleſiæ arrogamus nobis quidquam; non plùs nos ſapere, quàm oporteat ſapere, nobiſipſis perſuademus; non ſuperbiam adferimus ad contemnendum Eccleſiæ decreta; non animi elationem, neque ingenium inter populos noſtrum, aut nouam quamdam ſapientiam oſtentamus; ſed (de probis & rectis Chriſtianis loquor) in humilitate ingredimur atque in obedientia: & ea quæ per maiorum noſtrorum ſanctiſſimorum hominum ſapientiſſimorumq́ue auctoritates tradita nobis & conſtituta ſunt, tamquam per Spiritum verè ſanctum dictata atque præcepta, omni cum fide ſuſcipimus. Etenim nouimus & ſcimus, quantum habeat virium, quanti ſit momenti, quanti ponderis, apud Deum, humilitas; quæ vna virtus in primis Chriſtiana eſt, eamq́ue ſemper maximè Chriſtus Dominus noſter, & monitis, & præceptis, & factis atque operibus ſuis præ ſe tulit; paruuliſq́ue ſolis, id eſt, humilibus, propoſitum eſſe dixit re-

gnum

gnum cælorum. Non enim refert, corpore ne parui an magni ſimus; ſed illud plurimùm refert, vtrùm animo ſimus humili, an ne ſuperbo. Superbia, quæ Angelos deiecit de cælo, hominibus eadem iter in cælum impedit. Vnde cæleſte animal, Angelus, propter ſuperbiam expulſum eſt; eò terrenum animal, homo, propter humilitatem extollitur: vt appareat planè, conſtitutum eſſe nobis in humilitate potiſſimum, & adiumentum perpetuæ ſalutis noſtræ, & huius beatæ ac iucundæ ſpei, qua ad cælum tendimus, firmamentum. Quæ cùm ita ſint, chariſſimi fratres, cùm noſtra ſalus nobis, cùm vera vita, cùm æterna felicitas, cùm noſmetipſi denique nobis ipſis in primis & maximè ceterarum rerum omnium chari eſſe debeamus; cùm ſi noſmetipſos perdiderimus, nihil vſpiam noſtrum, id eſt, quod iuuet, aut quod pertineat ad nos, ſimus ampliùs reperturi; cùm nullum grauius damnum, nullum exitioſius malum, nulla acerbior calamitas, amiſſione & iactura animarum noſtrarum, accidere nobis poſſit: quanto, obſecro, ſtudio, qua animi cura & ſollicitudine prouidere debemus, ne in hoc tantum periculum ſalus & vita noſtra conijciatur? Dabitis vos profectò mihi, & concedetis; nihil pernicioſius neque funeſtum magis euenire nobis poſſe, quàm amiſſionem animæ vnicuique ſuæ. Dabitis ergo etiam illud, opinor; nihil eſſe à nobis maiore diligentia & ſtudio, quàm ne id accidat, præcauendum: cuius enim mali ſors, ſi ea in nos incidat, omnium malorum eſt deterrima; eiuſdem mali periculum maximè omnium nobis eſſe formidoloſum debet. Etenim quanta eſt in malo moles, tantus in periculo mali neceſſe eſt vt ſit timor. Atque vt qui horrent & metuunt in pelagus præcipitari, hi ne ad præruptam quidem & imminentem pelago rupem audent accedere; ſic qui terribile illud Dei & damnatorum iudicium perhorreſcunt, ab eo fugiunt in primis periculo, quod ſempiternæ illi miſeriæ maximè finitimum proximéque adiunctum eſt. Neque ego hoc, in hoc dico nunc loco, non omnes peccare homines; non omnes nos, quoad hanc viuimus vitam, in periculo ſemper eſſe; (ſumus enim planè, & aberramus, & offendimus, & labimur interdum omnes, ſæpiùs, rariùs, prout cuique ſua & ex Deo inſita ad ſe cohibendum virtus ineſt) verumtamen peccata cetera, præſertim quæ nõ iudicio ſtabili, ſed per fragilitatem admiſſa patrataq; ſunt, ad ſummi Dei miſericordiam, facilẽ reditum habent. Illud autem peccatum horribile & pertimeſcendum, quo prauè colitur Deus, qui rectiſſimè debet coli, & quo falſa de illo ſentiuntur, qui eſt ſumma ſolus veritas: illud, illud, inquam, eſt peccatum, quod non ſolùm in proximo periculo æterni mali nos conſtituit, ſed ſpem propè etiam & conatum declinandi & fugiendi eiuſmodi pèriculi nobis aufert. Nam reliquis noſtris in peccatis, tamquam in vitæ fluctibus, illa tamen anchora noſtræ nauis ſalua eſt, quæ nos prohibet à ſcopulo & naufragio; quòd cogitationes interdum noſtras in Deum conijcientes, & ſtimulis dolorum propter peccata compuncti, tacitis ſuſpirijs & confeſſione iniquitatis noſtræ illius miſericordiam imploramus: atque ipſe, vt bonitatis & clementiæ plenus eſt, flectitur ſtatim ad ignoſcendum; moréque pij patris, filiorum ſuorum preces placatus admittit. At in hoc truci horribilique peccato præpoſteræ falſæque religionis, nec Deum nobis, nec anchoram amplius relinquimus. Quapropter hoc præcipuè periculum, fratres chariſſimi, ſi ſalui eſſe volumus, accuratiſſimè & ſtudioſiſſimè vitandum nobis eſt. Poteſt hìc dici, cùm vel corruptæ vel integræ religionis varia ſint iudicia, & diuerſæ hominum, in hoc præſertim tempore, ſententiæ; aliuſque hoc modo, illo alius interpretetur; ſans videri debere, ſi vnuſquiſque ad id quod primùm occurrerit credendum, ſincero animo accedat, ſuumque iudicium ſubmittat hominum ſe doctiorum & peritiorum iudicijs. Fateor, fratres chariſſimi, has eſſe voces hominum ſimpliciorum, & quorum ingenia natura hebetiora ſunt; quos qui detorquent & abſtrahunt a via recta, maius illi multo in ſe peccatum habent: nam peritis quidem & callidis oratio iſta non conuenit. Sed vt nunc temporis cauſa confitear, omnibus iſta & doctis & indoctis incerta eſſe: quod tamen eſt ſecùs, habet enim Catholica Eccleſia certam regulam, qua à veris falſa diſcernat; verum eſto, concedamus dubia eſſe: nónne, quoniam de periculo noſtræ ſalutis agitur, quoniam animas noſtras, hoc eſt, noſmetipſos, plurimi facimus; nec nunc in diſcrimen aut fortunarum, aut valetudinis, aut etiam corporis, & mortalis huius vitæ, venimus; quorum omnium iacturam viri fortes pro Chriſto & pro ſua anima conſtanter ſæpè pertulerunt; ſed de nobis id decernitur, vtrùm ſempiternè miſerrimi, an beatiſſimi ſimus victuri; circumſpicere, conſiderare, perpendere diligenter nos oportet, vt eo nos conſtituamus in loco (de re loquor veluti dubia, quæ tamen non eſt) vt ibi, inquam, conſiſtamus, vbi minus multò nobis timoris atque periculi, longéque plus ſpei &

alacri-

alacritatis oſtenditur? Nemo hoc, credo, negaturus mihi eſt, quin in re ancipiti & dubia (in qua præſertim ſumma agitur vitæ & ſalutis noſtræ) id potiùs capere & ſequi conſilij debeamus quod ratio nobis ſuaſerit, quàm quod fortuita obtulerit temeritas.

Videamus igitur, vtra in parte, & in vtra religione maius ſit, à Deo longiùs nos remouendi & ad perpetuum exitium propiùs nos admouendi periculum. Quam rem ita agam & proponam, quaſi habeam vos adhuc deliberantes, necdum animi certos, quorum potiùs aut voluntatibus obſequi, aut conſilijs credere debeatis. Diſceptatio eſt, vtrùm veſtræ ſaluti magis expediat, gratiuſque Deo vos facturos exiſtimetis, ſi ea credideritis, eritiſque ſecuti, quæ Eccleſia Catholica, cunctum per orbem terrarum, annos iam mille quingentos & ampliùs, magno conſenſu cóprobat; an hæc, quæ vaſri homines, atque, vt ſibi ipſi videntur, acuti, aduerſus tot ſæculorum vſum, & contra perpetuam Eccleſiæ auctoritatem, his annis quinque & viginti innouarunt: qui certè ipſi Catholica non ſunt Eccleſia. Eſt enim Catholica Eccleſia (vt breuiter definiamus) quæ in omni anteacto & hodierno tempore, omni in regione terrarum, in Chriſto vna & conſentiens, vno Chriſti ſpiritu, vbique & ſemper, directa eſt; in qua nullum poteſt diſſidium exiſtere: omnis enim ea inter ſe connexa & conſpirans eſt. Quòd ſi quid accidat diſſenſionis & diſſidij; magnum quidem corpus Eccleſiæ idem permanet, fit autem apoſtema, quo corrupta aliqua caro, ab animante corpus cunctum ſpiritu diuulſa ſecernitur, nec de ſubſtantia vlteriùs corporis Eccleſiaſtici eſt. Non ego hîc deueniam ad ſingulas rerum diſputationes; neque aures veſtras copia verborum atque argumentorum onerabo. Tacebitur à me nunc de Euchariſtia, in qua nos veriſſimum Chriſti corpus adoramus. Iſti ſanè parum gnari quemadmodum in vnoquoque genere doctrinæ adhibere argumenta & rationes oporteat; ex alienis & longe diuerſis dialecticæ inaniſque philoſophiæ rationibus, Dominum ipſum vniuerſi, & diuinam in eo ſpiritualemque potentiam, quæ prorſus libera & infinita eſt, in angulos corporeæ naturæ, quæ ſuis cancellis circumſcripta eſt, conantur includere. Non loquar de Confeſſione peccatorum ad Sacerdotem; in qua, quod maximum eſt noſtræ ſalutis fundamentum, vera Chriſtiana humilitas, & à Scriptura demonſtrata, & ab Eccleſia præcepta ac conſtituta eſt; quam iſti humilitatem, & per calumnias eludere, & per arrogantiá abijcere ſtuduerunt. Silebo de precibus, aut Sanctorũ pro nobis apud Deum, aut noſtris pro mortuis; quas ijdem iſti cùm aſpernantur & irrident, eaſque nullius penitus eſſe momenti dicunt, quid tandem ſibi volunt? num hominum animas arbitrantur vnà cum corporibus ſuis interire? & nimirum id videntur innuere: quod agunt etiam manifeſtiùs, cùm libertatem ſibi vitæ, ab omnibus Eccleſiaſticis ſolutam legibus, & licentiam cupiditatum comparare adnituntur. Si enim mortalis anima ſit; edamus & bibamus, inquit Apoſtolus, paulò pòſt enim moriemur. Sin autem ſit immortalis, (vt certè eſt) vnde quæſo tantum & tam repentè factum eſt corporis morte diſſidium? vt & viuentium & mortuorum animæ inter ſe nihil congruant, nihil communicent, omnis ſint cognationis nobiſcum, & communis humanæ ſocietatis oblitæ: cùm præſertim charitas, quæ præcipuum Spiritus ſancti in Chriſtiano genere eſt donum; quæ numquam non benigna, numquam non fructuoſa eſt; & in eo in quo ineſt, numquam inutiliter conſiſtit, ſalua ſemper & efficax in vtraque vita permaneat.

Sed, vt relinquam controuerſias, eaſque ad ſua tempora reſeruem, excutiamus id quod priùs eſt propoſitum; vt videatur, & quæratur, quid nobis magis conducat, factuque rectius ſit, quid ad gratiam ſummi Dei obtinendam magis ſit accommodatum: ſentire ne cum vniuerſa Eccleſia, eiuſque decretis, & legibus, & Sacramentis cum fide obtemperare; an aſſentiri hominibus, diſſidia & res nouas quærentibus.

Hic locus eſt, chariſſimi fratres, hoc illud eſt biuiũ, quod diuerſa duo in itinera ſcinditur: quorum iter alterum ad vitam, alterum ad perpetuam mortem nos deducat. In hoc diſcrimine & delectu agitur ſalus animæ cuique ſuæ; aguntur pignora futuræ vitæ: vtrùm videlicet nos æternæ felicitatis, an miſeriæ infinitæ ſimus futuri compotes. Quid ergo dicemus? Fingamus hîc duos qui ex vtroque genere, hoc eſt, vtroque ex itinere, ante illud terribile ſummi Iudicis tribunal ſint conſtituti; quorum cauſa cognoſcatur & expendatur: quò vel damnatoria in eos ſententia, vel ſalutaris, iure ferri poſſit. Interrogabuntur, fuerintne Chriſtiani: fuiſſe ſe ambo dicent. Recténe crediderint in Chriſtum: vtrique pariter reſpondebunt; Næ. Quid autem crediderint, aut quomodo crediderint, cùm explorabuntur; (nam hæc de fide recta cognitio, illam, quæ eſt de vita & moribus, antecedit) cùm igitur ab eis exigetur rectæ fidei confeſſio; dicet ille quidem, qui in Catholicæ

Eccleſiæ gremio & diſciplina fuerit educatus: Ego cùm inſtitutus eſſem à parẽtibus meis, qui & ipſi à patribus ſuis & auis acceperant, vt cunctis in rebus Catholicæ Eccleſiæ eſſem obſequens, eiuſque leges, & monita, & decreta, tamquam à te ipſo, Domine Deus, lata, obſeruarem & colerem; cumque eos ferè omnes, qui Chriſtiano nomine cenſerẽtur, quique & nobiſcum, & ante nos, longe & latè per orbem terrarum tua ſigna eſſent ſecuti, in eadem ſententia eſſe & fuiſſe animaduerterem, vt cuncti matrem fidei ſuæ hanc ipſam Eccleſiam agnoſcerent & venerarentur, & ab eius præceptis conſtitutiſque diſcedere ſacrilegij inſtar putarent; in hac eadem fide, quam Catholica ſeruat docetque Eccleſia, probare tibi me ſtudui. Et quamquam venerant homines noui, Scripturas multùm in ore & manibus habentes; qui noua quædam commouere, vetera labefactare, Eccleſiam redarguere, obedientiam (quam illi nos omnes præbebamus) eripere nobis & extorquere conarentur; in eo tamen conſtanter manere volui, quod à patribus meis, & à communi ſanctiſſimorum doctiſſimorumque Patrum conſenſu iam inde antiquitus in Eccleſia fuiſſet & obſeruatum & traditum: etſi multorum quidem Præſidum hominumque Eccleſiaſticorum, præſentes mores eſſent ij, qui mihi ſtomachum mouere poſſent; quibus tamen non ſum à ſententia deductus. Ita enim conſtitui, eorum præceptis, quæ certe ſancta erant, obtemperare me debere (ſicut tu, Deus, in tuo Euangelio præceperas) vitæ autem & geſtorum te vnum iudicem eſſe oportere. Præſertim cum ego quoque, his tot peccatis, quæ in hac mea fronte en tibi manifeſta ſunt, commaculatus atque infectus, aliorũ dignus iudex eſſe nõ poſſem; pro quibus nunc adſto ante tribunal tuum, nõ ſeueritatem tuam, clementiſſime Deus, ſed miſericordiam potius & placabilitatem implorans. Dixerit hoc modo iſte cauſam. Citabitur alter: comparebit. Imperabitur illi, vt dicat: hunc habebit exorſum orationis ſuæ. Fingatur enim de illis vnus eſſe, qui ſunt aut fuerunt diſſenſionum auctores: meliùs enim, credo, tutabitur iſte cauſam ſuã, qui ſe doctorem ceteris, ad deficiẽdum ab Eccleſia, fuerit profeſſus. Mihi, inquiet, ô ſumme Deus, intuenti mores hominũ Eccleſiaſticorũ vbiq; ferè corruptos, & Sacerdotes nihilominùs religionis gratia in honore omnibus eſſe cernenti, opeſque illorum iniquo animo ferenti, iuſta (vt puto) iracundia animum inflammauit, vt me illis aduerſarium conſtituerem: cumque reſpicerem meipſum, qui tot annos operam litteris & Theologiæ dediſſem, non tamen habere eum in Eccleſia locum, quem labores mei meriti eſſent; multos autem indignos ad honores & ſacerdotia extolli perſpicerẽ: ad eos (fateor) inſectandos, me cõtuli; quos tibi quoque ipſi minimè placere & ſatisfacere ſum ratus. Et quoniam eorum potentiam reuellere non poteram, niſi obtererem priùs leges ab Eccleſia latas; populi magnam partem induxi, vt ea Eccleſiæ iura contemneret, quæ diu antè rata inuiolataq́. fuiſſent. Quæ ſi in Concilijs vniuerſalibus fuiſſent decreta; Conciliorũ auctoritati non concedendum eſſe dixi: ſi inſtituta à priſcis Patribus & Doctoribus; veteres Patres, vt imperitos, & bonæ expertes intelligentiæ, ſum criminatus: ſi per Romanos Pontifices; eos ſibi adſtruxiſſe tyrannidem, & falſo nomine vicarios ſe Chriſti dicere, affirmaui. Omnibus denique modis contendi, vt hoc tyrannicum Eccleſiæ iugum, quę cibos interdum prohibet, quæ dies ſeruat, quæ confiteri nos vult peccata noſtra Sacerdotibus, quæ vota impleri iubet, quæ homines in te, Chriſte, liberos tot ſeruitutis vinculis alligat, à nobis cuncti qui te colimus excuteremus; ſolamque fidem in te, non etiam bona opera, quæ maximè extolluntur & prædicantur in Eccleſia, iuſtitiam nobis & ſalutem parere confideremus; cùm tu præſertim pœnam pro nobis pependiſſes, tuoque ſancto ſanguine cunctorum delicta & ſcelera deleuiſſes: vt nos hac vna fide in te freti, liberiùs deinde agere, quæcumq; nobis libuiſſet, poſſemus. Scripturas etiam ingenioſiùs ſum perſcrutatus quàm veteres illi; ac tum quidem maximè, cùm aliquid quærebam in eis, quod contra iſtos detorquere poſſem: qua etiam doctrinæ & ingenij opinione, apud populos famã & exiſtimationem nactus, totam quidem Eccleſiæ auctoritatem euertere non potui; magnarum tamen ſeditionum in ea & ſciſſionum fui auctor. Hæc vbi iſte dixerit, & verè dixerit; neque enim mentiendi apud illum cęleſtem Iudicem eſt locus; tametſi multa idem de ambitione ſua, de auaritia, de ſtudio popularis gloriæ, de fraudibus & malitijs inteſtinis, quæ intus ipſe agnoſcat, in ſeſe reticuerit; quæ tamen illi, prima ipſa in fronte apparebũt inſcripta: quod tandem (ô Gebennenſes, fratres mei! quos ego in Chriſto, & in Chriſti Eccleſia, vnanimes mecum habere opto) non ſolùm de his, ſed comitibus aſſectatoribuſque eorum, iudicium fore exiſtimatis? Nónne hic certè, qui Catholicam Eccleſiam fuerit ſecutus, nullum ſuum erratum in hac re afferet? Primùm, quia non errat, neque adeò errare poteſt

Eccle-

Eccleſia; cuius illa publica & vniuerſalia decreta atque conſilia Spiritus ſanctus aſſiduè gubernat. Deinde, etiamſi erraſſet ea, aut erraret (quod tamen crediru & memoratu eſt nefas) nullus huic quidem ſuus exprobraretur error, qui ſincero animo, & propter Deum humili, maiorum fidem ſuorum & auctoritatem eſſet proſecutus. At iſte alter, ſuo innitens capite, neminem habens veterum ſanctorum Patrum, ac ne generalium quidem ex omnibus Epiſcopis conuentuum, quē honore dignum putet, cui inducat animum cedere & obtemperare, omnia ſibi arrogans, ad obtrectandum magis quàm ad diſcendum docendúmve paratus, cùm à communi Eccleſia deſciſcit, quem reſpicit portum fortunarum ſuarum? quo propugnaculo confidit? quibus apud Deum aduocatis fretus eſt? vt non grauiter debeat metuere, eiectum ſe iri in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium; hoc eſt, vbi miſerias ſuas perpetuò defleturus, & contra ſemetipſum dentibus increpiturus ſit; quòd cùm poſſet, ſi id ſtuduiſſet, illam acerbiſſimam vitare calamitatem, id facere neglexerit.

Quàm porrò infauſti & incommodi comites traducendæ vitæ ſint mœror & furor, vnus per ſeſe quiſque ſatis poteſt intelligere: præſertim cùm illiuſmodi mali atque damni nullus futurus vmquam finis ſit, nulla determinatio; numquam ibi plorare, numquam deſinatur iraſci. Atqui, ſi reliqua iſtorum omnia aliquo tamen pacto perferri & tolerari poſſent. hoc quemadmodum ferretur (in quo mihi videtur ne ad ignoſcendum quidem illis, locum vllum veniæ & miſericordiæ apud Deum dari poſſe) quòd ſponſam Chriſti vnicam diſcerpere ſunt conati; quòd tunicam illam Domini, quam profani milites diuidere noluerunt, iſti auſi ſunt nō diuidere ſolùm ſed lacerare. Quot enim iam, iſtis initium facientibus, ſectæ Eccleſiam diſciderunt, neque cum iſtis congruentes, & ipſæ inter ſe diſcordes? quod manifeſtum eſſe falſitatis indicium, omnis doctrina confirmat. Veritas enim vnica ſemper eſt, varia autem & multiformis eſt falſitas: & ſimplex quod rectum eſt, multifidum quod obliquum. Sed huiuſmodi ſciſſionem, huiuſmodi ſanctæ Eccleſiæ dilaniationem, poteſtne quiſquam Chriſtum agnoſcens & confitens, & cuius aliquando menti atque cordi Spiritus ſanctus illuxerit, non intelligere, Satanæ & non Dei propriam operationem eſſe? Quid imperat nobis Deus, quid præcipit Chriſtus? Nempe vt vnum omnes in ipſo ſimus. Quò datum eſt nobis è cælo atque Deo illud ſingulare & præcellens charitatis donum, quod Chriſtiano dumtaxat generi, non ceteris gentibus, diuinitus infuſum eſt? Nónne vt omnes vno corde & ore Dominum confiteamur? An arbitrantur iſti, Chriſtianam religionem aliud omnino eſſe, quàm pacem cum Deo, & cum proximo concordiam? Videamus, quid ipſemet loquatur in Ioanne Dominus, Patrem ſuum pro diſcipulis deprecans: Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi; vt ſint vnum, ſicut & nos. Non pro his autem rogo ſolùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum ſint; ſicut tu, Pater, in me, & ego in te: vt & ipſi in nobis vnum ſint; vt credat mundus, quòd tu me miſiſti: & ego gloriam, quam dediſti mihi, dedi eis; vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus; ego in eis, & tu in me, vt ſint perfecti in vnum.

Videtis, fratres chariſſimi & in clara Euangelij luce diſcernitis, quid ſit, verè eſſe Chriſtianum; cùm fides in Deum noſtra, cùm Dei omnis gloria, quæ & ipſius apud nos, & noſtra apud eum eſſe poſſit, in hac ſola inter nos vnitate conſiſtat; cùm hoc vnum requirat & poſtulat à Patre de nobis Chriſtus: iſq. ſuos in hoc labores, ſuas ærumnas, ſuam ſuſceptam pro nobis humani corporis fragilitatem, ſuam crucem, ſuam mortem, ſic fructum allaturam ſibi putet; & ad gloriam Patris, quam maximè expetebat, & ad ſalutem noſtram, pro qua erat moriturus; ſi nos inter nos & in ipſo fuerimus vnum. Atqui hoc ſemper laborat, hoc adnititur Eccleſia Catholica, vt ſit conſenſio nobis, & in eodem Spiritu vnitas: quoſque homines aut ſpatia diſiungunt terrarum, aut interualla temporum, quòd coire in vnum corpus omnes non poſſunt; eos vnus tamen Spiritus, qui vbique idem ſemper eſt, & foueat & regat. Cui quidem Eccleſiæ Catholicę, & Spiritui ſancto, hi ſe aduerſarios è regione profitentur; qui vnitatem frangere, qui varios ſpiritus emittere, qui conſenſionem ſoluere, qui tollere concordiam de Chriſtiana religione conantur, tanta cupiditate, tanto ſtudio, tot machinationibus & artibus, vt eorum ſollicitudinem & anxietatem nulla ſatis dignè exprimere oratio poſſit. In quos ego quidem id non imprecabor, vt diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam: neque item, vt addat iniquitatem ſuper eorum iniquitatem; ſed vt conuertat eos, & ad ſpiritum bonum deducat, Dominum Deum meum ſupplex rogabo, ſicuti rogo.

Voſque & oro & hortor, fratres mei Gebennenſes, vt diſcuſſis aliquando ab oculis mentis veſtræ, erroris nebulis, & patefacta luce, ad cælum illud oculos attollentes, quod perpetuam patriam veſtram, ſi in vnitate Eccleſiæ manſeritis, propoſuit vobis Deus, redire in concordiam nobiſcum, & fidele obſequium præſtare matri noſtræ Eccleſiæ, coletéque Deum in vno nobiſcum Spiritu iam velitis: nec,ſi mores noſtri vobis fortaſſe diſplicent, ſi quorumdam culpa ſplendor ille Eccleſiæ (qui perpetuus & incontaminatus eſſe debuit) aliquando ſit obtuſior, veſtros id animos moueat, aut in diuerſam & contrariam trahat partem. Odiſſe forſitan perſonas noſtras poteſtis (ſi id ab Euangelio conceditur) doctrinam certè & fidem habere odio non debetis. Scriptum eſt enim: Quæ dicunt, facite. Neque verò nos aliud dicimus, quàm quòd noſtram veſtræ ſalutis cupiditatem vobis indicamus. Quæ ſi à vobis, Gebennenſes chariſſimi, in bonam partem fuerit accepta; ſi me amantiſſimum veſtri gratis animis audieritis; non pœnitebit vos profectò, & apud Deum recuperatæ priſtinæ gratiæ veſtræ, & apud homines laudis.

Ego, quæ meæ partes ſunt, & quod beneuolentia erga vos mea mihi præſcribit, aſſiduus ero ad Deum pro vobis deprecator; meo quidem ipſe indignus vitio, ſed forſitan charitas efficiet me dignum. Tum autem, quidquid valeo poſſumque, etſi id quoque paruum admodum eſt; ſed ſi quid eſt in me ingenij, conſilij, auctoritatis, diligentiæ, id ita vobis totum & veſtris opportunitatibus defero, vt pro magno meo commodo habiturus ſim, ſi vos aliquod ex me commodum fructumque meæ operæ & laboris, & in diuinis rebus, & in humanis percipere potueritis. Extremum eſt, vt vos orem, vt eum nuntium, quem ad vos cum his litteris miſi, ea comitate ac benignitate accipiatis, quam & humanitas veſtra, & ius gentium, & in primis Chriſtiana manſuetudo poſtulat & requirit; quod vobis honeſtum, mihi autem vehementer futurum eſt gratum. Deus vos dirigat, & propitius tueatur, fratres chariſſimi.

Carpentoracti xv. Kalend. Aprilis M. D. XXXIX.

PETRI SIMONIS TILETANI
EPISCOPI YPRENSIS
DE EPIPHANIA DOMINI
Tractatus:

In quo, Euangelium huius Feſti, & multæ circa illud incidentes quæſtiones, explicantur.

Capvt primvm.
Aliarum apparitionum cum iſta collatio.

Qvod hodie Feſtum celebramus, Græcè Ἐπιφάνεια, Latinè vèrò Apparitio ſeu manifeſtatio dicitur, eaque potiſſimùm illuſtris & præclara. Ob id nimirum, quòd non multis diebus natus Chriſtus, hoc die, memorabili admodum ac celebri modo, hominibus apparuit atque innotuit: imò verò non vno, ſed multis modis, ijſque omnibus valdè illuſtribus, mundo fit declaratus. Quamuis enim ipſa Natiuitatis ſuę nocte paſtoribus aliquot, Angelico nuntio inſtructis, viſus agnituſque fuerit; fuit tamen apparitio illa priuata ac perpaucis facta. Huc accedit, quòd paſtores illi non videntur puerum illum, quem viderunt, pro vero Deo habuiſſe, mundi ac rerum omnium conditore. Vnde, non leguntur eum adorauiſſe: ſed videntur eum habuiſſe tamquam excellentiſſimum aliquem inter homines, Prophetam aliquem inſignẽ, aut Saluatorẽ, ſicut Angelus eis dicebat; quales Dauid, Salomon, Samſon fuerũt, aut alij quondam Iudices, quos Scriptura quoque Saluatores appellat. Et, licet eum forſitan cognouerunt Chriſtum illum ſeu Meſſiam eſſe, quẽ Lex omnis & Prophetæ loquuntur; non ſciuerunt tamen, Meſſiam illũ, futurum ſimul & Deum verum & hominem: id quod multi etiam Scribę & Phari[illegible]gnorauerũt, nõ diligenter euoluentes Scripturas Legis & Prophetarũ.

At Magi h[illegible] cognouerunt, eum eſſe verum Deum, idque palàm omnibus declararunt; dicentes ſe veniſſe, vt eum adorarent. Et quòd tamquam Deum adorarint, non ſicut homines ſubinde in Scripturis adorari dicuntur, ex muneribus quæ ipſi obtulerunt, perſpicuè conſtat: vt pòſt magis euadet manifeſtum. Quæ autem quadrageſimo à natiuitate ipſius die contigit apparitio, cùm in templo tamquam primogenitus Domino offerretur, etſi hac prima clarior & celebrior fuerit; attamen non tam præclara atq; illuſtris fuit, quàm iſta, quam hoc die recolimus. Ibi enim Chriſtus iuſtis tantummodò ſanctiſque hominibus manifeſtatus fuit, primùm quidem Simeoni & Annæ, deinde per illos omnibus qui expectabant redemtionem Iſraël. Illis certè ac talibus apparitio iſta multùm profuit; facilè apud eos fidem promeruit, atque incredibili eos gaudio & conſolatione perfudit: ſed non ſuffecit illa ad permouendos animos Scribarum & Phariſæorum, Herodis, & Principum Iudæorum: quibus etiam oportebat aduentum natiuitatemque

Chriſti non leui teſtimonio innoteſcere, non vanis ſignis atque argumentis teſtatam fieri. Dixiſſent illi, quæ in Purificatione fiebant, deliri ſeniſeſſe figmenta, ac vetularum fabulas; nihilque minus, quàm iſtarum ſermonibus ac teſtimonio credidiſſent.

Ob hanc rem, Chriſtus eximia ac planè illuſtria aduentus & præſentiæ ſuæ hodie argumenta exhibuit, dum cæleſti ſigno viros ſapientia multa, ac nobilitate, famaque conſpicuos, magno cum comitatu, ad ſe ex Oriente vocauit, ſeque ab ijs cum præclaris muneribus ac honorarijs adorari debere oſtendit. Iſti demum ac tales Herodem regem turbarunt; iſti, principes Sacerdotum & ſcribas in vnum coëgere concilium: iſti denique totam Ieroſolymæ ciuitatem commouerunt, omneſque in noui Regis ortum ac præſentiam intentos fecerunt. Hæc eſt Epiphania ſeu manifeſtatio illa omnium celeberrima, quam iſta potiſſimùm feſtiuitate recolimus.

Gregorius Nazianz. Serm. de Epiphan. & Leo Epiſtola 62. ad Epiſcopos Sicilia.

Simul autem cum iſta apparitione, alias etiam aliquot inſignes hodie Eccleſia celebrat. Quòd videlicet Chriſtus, cùm iam triginta ferme in diſpenſatione carnis annos egiſſet, inter populares turbas abſconditus, in Iordanem ad Ioannem baptizandus aduenit. Vbi, videntibus cunctis, aperti ſunt ei cæli, & in ſpecie columbæ ſuper eum Spiritus ſanctus deſcendit, facta quoque de eo Dei Patris voce; Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Illuſtris ſane admodum apparitio, qua iam certiſſimè innotuit omnibus, Chriſtum, qui ad illud vſque tempus nihil præ alijs noui aut ſingulariter admirandi præterquam in pietate vitæ & morum probitate præſtiterat, reuerà magnum eſſe, omnique admiratione ac honore digniſſimum: atque adeò verum & naturalem Filium Dei, in quo Deus Pater vſqueadeò ſibi complacuit, vt perditum iam olim genus humanum, per illum ſibi modò reconciliare voluerit.

Ac tunc etiam Ioannes Baptiſta palàm apud populum teſtificatus eſt de Chriſto; quòd nimirum ipſe eſſet, qui tollit peccata mundi: de quo tanta in Lege & Prophetis eſt mentio. Hic eſt, inquit, de quo dixi; Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat. & ego neſciebam illum (id eſt, non vobis illum antehac, quiſnam eſſet, oſtendi) ſed vt manifeſtaretur in Iſraël, propterea veni ego in aqua baptizans. Qui enim miſit me baptizare, ille mihi dixit; Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto: & ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei. Hoc Ioannis teſtimonium maximæ & irrefragabilis auctoritatis fuit apud Iudæos. omnes enim eum in ſumma æſtimatione & honore habebant; vſqueadeò vt eum etiam Chriſtum ipſum in Lege promiſſum eſſe arbitrarentur, teſte Luca. Vnde & Paulus, Actuum 13. & alij Apoſtoli, cum de Chriſto apud populum agerent, ſemper ſe ad Ioannem, tamquam primum ſuum præcipuumque Doctorem & Magiſtrum, retulerunt.

Deinde verò cùm non poſſit Eccleſia diuerſis feſtiuitatibus ſingula Chriſti miracula, ad diuinitatis ſuæ oſtenſionem facta, recolere; hoc die primum celebrat, ſub quo omnia alia comprehendit. Agit enim Eccleſia vno hoc eodemque Feſto memoriam illius, quòd Chriſtus in Cana Galilææ aquam in nuptijs in vinum conuertit: quo inſigni miraculo præclarum diuinitatis ſuæ teſtimonium dedit. Vnde Euangeliſta, poſt miraculi deſcriptionem, inquit; Et manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.

CAPVT II.

Quomodo feſtū in Epiphaniæ tribus ornatum miraculis cenſeatur.

Iſidorus lib. 1. de Offic. Eccleſiaſticis cap. 26.

In fragmētis Caroli Magni.

Breviter ergo, vt, quæ dicta ſunt hactenus, tribus verbis repetamus: Recolitur hodie in Eccleſia, illius memoria, quo Chriſtus oſtenſus fuit eſſe Deus: quod primùm per Magos factum eſt: ſecundò per Deum Patrem, & per Spiritum ſanctum, atque per Ioannem Baptiſtam, in Chriſti baptiſmo: tertiò, quando ipſemet hoc de ſe ipſo per miracula conteſtatum fecit. Opera enim, inquit alicubi, quæ ego facio, illa teſtimonium perhibent de me. Scriptores quidam exiſtimant, Chriſtum eodem hoc die etiam quinque hominum millia ſatiaſſe ex quinque panibus & duobus piſcibus. Quod eo ſenſu accipiendum eſt, quem modò inſinuauimus: nimirum, quia recolit hodie Eccleſia omnium Chriſti ſignorum & miraculorum memoriam, pro omnibus Deo gratias agens. Quo ſenſu

ſenſu quoque dici poſſet, eum hodie & Lazarum reſuſcitaſſe, & cæcum illuminaſſe, &c. non autem quòd hiſtoria ipſa à Chriſto hoc die geſta ſit.

Æquiſſima ergo ratione hoc feſtum EPIPHANIA ſeu manifeſtatio dicitur, quoniam tot tamque eximias Domini noſtri manifeſtationes in eo Eccleſia celebrat. Et hoc eſt, quod ſibi vult Antiphona illa, quam hodie decantat Eccleſia: *Tribus miraculis ornatum diem ſanctum colimus. Hodie ſtella Magos duxit ad præſepium: hodie vinum factum eſt ad nuptias: hodie Chriſtus à Ioanne in Iordane baptizari voluit vt ſaluaret nos.* Quod ipſum etiam in Hymno eiuſdem hodiernæ feſtiuitatis inſinuare videtur: *Hoſtis Herodes impie*, &c. *Ibant Magi*, &c. *Lauacra puri gurgitis*, &c. *Nouum genus potentiæ, Aquæ rubeſcunt hydriæ*, &c. Non quòd omnia iſta tria vel quatuor, eodem hoc die, etſi diuerſis atque interpoſitis annis, contigerint; vt iam dictum eſt. Hoc enim (vt iam oſtendemus) facillimum eſt ex Euangelio refutare. Nam, vt illud demus, Magos hoc die puerum IESVM cum muneribus adoraſſe; de quo paulò pòſt latiùs: vt illud inſuper diſſimulemus IESVM eodem hoc die, poſt triginta euolutos annos, à Ioanne baptizatum fuiſſe, id quod Epiphanio non placet, vt mox audiemus: qui fieri potuit, vt eodem hoc die in nuptijs aquam in vinum mutauerit? Statim enim poſtquam erat baptizatus, antequam vel prædicare cœpit, vel aliquod diuinitatis ſuæ ſignum vel miraculum edere, in deſertum conceſſit; ibique, ſine cibo & potu, per quadraginta dies, diuerſis vicibus, diaboli tentationes ſuſtinuit. Expletis autē diebus illis quadraginta, exinde cœpit IESVS prædicare, inquit Matthæus, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. An verò toto illo anno prędicationis ſuæ, nullum omnino miraculum fecit, nec doctrinam ſuam ſignis aliquibus confirmauit. Incredibile eſt iſtud, & Euangelicæ hiſtoriæ nimis contrarium, vt vel tenuiter in ea verſatus ſatis intelligit. Neque me mouent, quæ Melchior Canus in contrariam ſententiam adducit: neque inuenire etiamnum in Maximo potui, quem ille citat, vbi miraculum nuptiarum in die anniuerſaria Epiphaniæ fuiſſe editum ſcribat. An toto illo anno primo nihil de doctrina Chriſti ſcripſiſſent Euangeliſtæ? Et, ſi docuit aliquid, vt iam ex Matthæo oſtenſum eſt; an miraculum toto illo anno omnino nullum fecit? Nam, quòd miraculum illud in nuptijs, de aqua in vinum mutata, primum omnium fuerit quæ Chriſtus fecit, diſerte teſtatur Ioannes, miraculum ipſum deſcribens. Niſi quis dicat, ſignum hoc non ſimpliciter omnium primum, ſed primum tantùm eorum quæ Chriſtus in Cana Galilææ fecit: quòd habeat Euangeliſta; Hoc fecit initium ſignorum IESVS in Cana Galilææ. Sed illa inuentio iam olim eſt à Chryſoſtomo eiuſque ſequacibus refutata. *Lib. 11. De locis Theologicis.*

Quod verò ad diem baptiſmi Chriſti attinet; Epiphanius aſſerit, Chriſtum non hodie, nempe decimotertio die à natiuitate eius baptizatum à Ioanne fuiſſe, ſed in Nouembri, ſeptimo videlicet Idus Nouembris: quæ erat, inquit, ſexageſimā dies ante ipſius natiuitatem: ita vt fuerit Chriſtus, cum ad baptiſmum venit, vigintinouem annorum & decem menſium: triginta quidem annorum, ſed non plenè. Vnde Lucas ait: Et ipſe erat incipiens quaſi triginta, ſiue vt Epiphanius legit, fermè triginta annorum. Diem autem illum, quo in Cana Galilææ ex aqua vinum fecit, vult Epiphanius complementum eſſe annorum triginta. Ita vt primum ſignum aquæ in vinum mutatæ, ipſo anniuerſario natiuitatis ſuæ die fecerit: quem diem ponit ipſe ante octauum Iduum Ianuarij, hoc eſt, quintum diem ipſius Ianuarij. Et huius rei certum argumentum eſſe dicit, quòd in teſtimonium incredulis vſque in hunc diem in multis locis miraculoſe hoc fiat, quod tunc factum eſt à Chriſto diuinum ſignum. nimirum fontes multi & fluuij in vinum conuerſi, vt Cybires vrbis Cariæ fons, qua hora hauſerunt miniſtri, & Chriſtus dixit, Date architriclino, in vinum mutatur: de quo fonte ipſe ſe bibiſſe teſtatur: fratres verò alios ſui conſortij, de fonte in Geraſa Arabiæ, in templo Martyrum. Sic dicit Ægyptios omnes vndecima Tybi, quæ nobis eſt quinta Ianuarij, ex Nilo aquas haurire & reponere, vt in vina vertantur, nec ſua eos expectatione fruſtrari. Plura ibi habet, non indigna lectu: ſed quæ ipſa etiam fortaſſe non perinde certa ſunt, nec magnopere ad rem illam pertinent, de qua hic agitur. In fragmentis Caroli Magni dicitur, quòd ieiunium Chriſti completum ſit & ſolutum decimoquinto Kalendas Martias: quod addo, ſi fortè prædictis lumen aliquod adſerat. *In hæreſi Ebionitarum quæ eſt 51.*

Nos verò quæſtionem iſtam egregia D. Maximi Epiſcopi ſententia concludemus. Ferunt, inquit, hodie Chriſtum Dominum noſtrum vel ſtella duce à gentibus adoratum, vel inuitatum ad nuptias aquam in vina vertiſſe, vel, ſuſcepto à Ioanne baptiſmate, con- *Hom. 1. de Epiphania.*

 ſecraſſe

ſecraſſe fluenta Iordanis, ſuumque ſimul purificaſſe Baptiſtam. Sed, quid potiſſimùm præſenti hoc factum ſit die, nouerit ipſe qui fecit. nos tamen credere nec dubitare debemus, quidquid illud eſt, factum eſſe pro nobis.

CAPVT III.

Quinam & quales fuerint Magi, quotq; numero.

NVNC alia, quæ ad apparitionem Saluatoris noſtri Magis exhibitam pertinent, explicemus: quoniam hoc potiſſimùm Eccleſia Chriſtianis hodie cunctis proponit. Primùm autem videndum, quinam & quales fuerint iſti Magi; & cur hoc nomine in Sacris litteris appellentur. Notum eſt, magum apud Latinos idem ſonare quod præſtigiator vel maleficus: & magiam artem eſſe illam diuinatoriam, dæmonum impoſturis auxilijſque ſubnixam; quam meritò, quotquot Chriſtiani nominis ſunt, deteſtantur & execrantur.

Verumtamen, inſignes hos viros, quos Magos Euangeliſta appellat, non maleficos aut incantatores fuiſſe arbitrandum eſt, quamquam hoc nonnulli veterum dicere videantur. Vt Tertullianus libro de Idololatria, & lib. contra Iudæos, inſuper Dialogo cum Tryphone; Origenes ſuper ſecundum caput Matthæi; Hilarius libro 1. de Trinitate, & quarto; Baſilius Homilia de Chriſti Natiuitate; Hieronymus in caput 19. & 24. Iſaiæ; Auguſtinus Quæſtione 65. in nouum Teſtamentum. Videre licet loca ipſa, & Patrum rationes. Nos tamen, neque magos eiuſmodi, nec vulgares etiam aut de plebe hominum; ſed viros nobiles, præſtantes, ſapientes, atque Philoſophos, ſiderum inſpectionibus ac Mathematicæ deditos fuiſſe exiſtimamus: qui ex Aſtrologica arte (ſi tamē ars illa dicenda eſt) vim diſcurſumque nouerant Planetarum: qui ex elementorum natura rationem temporum metientes, aſtrorum miniſteria, certis experimētis, proprijs didicerant effectibus aſſignata. Ad huius ſcientiæ artiſque notitiam adipiſcendam, etiam Reges & Principes Chaldæorum omnem mentis conatum, teſte Hieronymo, adhibebant: adeò ſtudium illud in illa regione vigebat, adeò omnibus erat cordi.

In ſecūdum caput Danielis.

Hoc igitur apud illos, Chaldæos dico, Aſſyrios, Perſas, ſignificabat nomen illud magus, quod apud Latinos ſapiens, propheta, vel ſacerdos: fuitque apud Ægyptios, propheta, vel ſacerdos. fuitque magiæ vocabulum, vero & priſco vſu, doctis & ſapientibus proprium. Sed vſqueadeò poſtmodùm temporis progreſſu aucta eſt magorum iſtorum & aſtrologorum vanitas, vt non ſolùm obſeruatione ſiderum futura prædicere, ſed artibus quibuſdam diabolicis & maleficijs, & ſcire ſe omnia, & facere poſſe, profiterentur. Ita vt hæc res, finibus ſuis, hoc eſt, ingenij & doctrinæ atque humanarum virium & facultatis naturalis conceſſis adminiculis, non contenta, ſed ſupra captum humanum ſeſe efferre geſtiens, in elatione & curioſitate animi, cum diuina virtute deſtitueretur, auxilium aſſumeret atque vſurparet hoſtis Dei & naturæ diaboli: facta eſt magia non aliud, quàm vana & curioſa dæmonum impoſtura; atque ita corrupta re, cœpit progreſſu temporis honeſtiſſimæ artis nomen infame eſſe, & malè audire; vt non aliud magus, quàm præſtigiator, impoſtor, maleficus, dictus fuerit. Quæ Philoſophiæ Ægyptiacæ & Chaldaicæ deprauatio, non priſcos illos tantùm afflixit, vel perdidit potius; ſed longo etiam tempore & ſæculis pòſt, eos qui ſapientiam horum ſcrutarentur, eiuſque ſtudioſi eſſent, quaſi veneno ſuo infecit. In qua cùm & vera cum falſis, & humana cum diuinis, commixta eſſent, difficile fieret incontaminati aliquid & puri haurire. Hoc de nomine.

Præfat. lib. Syneſij de Promd. & Nicol. Perottus in Cornucop.

Quantum autem ad perſonam & originem Magorum noſtrorum attinet, video hîc pleroſque Doctores in illa eſſe opinione, vt exiſtiment Magos iſtos genus duxiſſe ex peſſimo illo & ſacrilego Balaam propheta, de quo multa in* Numeris; eoſque ex libris & prophetia ipſius, apparituræ huius ſtellæ notitiam accepiſſe, cùm 24. Numerorum ſcriptum ſit: Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſraël, & dominabitur omnium gentium. hoc vaticinium eos diu multumque ſemel complendum expectaſſe, & ſedulò futuram hanc ſtellam inueſtigaſſe & obſeruaſſe; ac tandem reperiſſe & agnouiſſe, Regemque mox, quem natum ſignificabat, adoraturos veniſſe. Sed, quoniam Patres ferè ex neſcio quibus traditionibus ſe hæc accepiſſe reſtantur, non perinde certum eſt, vera ne credituque digna ſint, nec ne: mihi certè res meram quamdam fabulam ſapere videtur. Si quis tamen hæc videre cupiat fuſiùs explicata, conſulat Bedam ſuper Euangelium huius Feſti.

Hieronym. in 2. cap. Matthæi. Baſil. in Serm. de humana Chriſti generatione. Amb. lib. 3 in Lucam.

*Num. 22

feſti. Qui ſua hic, vt & alibi ſæpiùs, ad verbum deſumpſit ex imperfecto opere in Matthæum, quod eſt inter opera Diui Chryſoſtomi.

Propius vero eſſe videtur, Magos hos nullam ipſius Balaam veram prophetiam nouiſſe, nec ſtellam aliquã eiuſmodi, quę noui & magni admodum Regis natiuitatem oſtenderet, ſtudio obſeruaſſe: ſed, nato Chriſto confeſtim eos à Spiritu ſancto efficaciter intus fuiſſe commonitos, addito etiam indicio ſtellæ, peculiari præ ceteris luce fulgentis, vt natum iam recèns Iudaicæ gentis Regem, Gentium quoque Saluatorem, atque adeò ſuum ipſorum omniumque hominum ac rerum conditorem & moderatorem, inuiſerent; citoque ad eum in Iudæa cum dignis muneribus adorandum & ſalutandum properarent, cùm priùs nihil tale vel expectauerint vmquam, vel cogitauerint. Eleganter id Diuus Auguſtinus oſtendit, Sermone 58. inter nouos illos ac recens editos. Non enim difficile eſt Deo, gentiles animos, magnoq; ſibi ſtudio repugnantes, præpotenti gratia ſua ſubitò in ſuum obſequium vertere, ac ab idolorum cultu ad ſuum transferre. cui rei Paulus Apoſtolus euidens perhibet teſtimonium.

CAPVT IIII.

An Magi, veri nominis Reges exſtiterint.

VTRVM autem Magi iſti veri nominis Reges fuerint, in controuerſia eſt poſitum, neque illud ad fidem ſeu veritatem hiſtoriæ Euangelicæ pertinet. Nempe hæc res eius eſt generis, quam nemo hiſtoricorum ſeſe affirmet aut vidiſſe, aut ex viris fide dignis qui viderint audiuiſſe. Sed multi tamen, Reges eos fuiſſe arbitrati ſunt; non quidem hiſtoriæ alicuius auctoritate nitentes, quam nullam probatam habuêre, ſed probabilibus coniecturis, quas nonnullas habuerunt. Vt, quòd apud Perſas nemo Rex eſſe poterat, qui non ante magorum diſciplinam ſcientiamque didiciſſet: quemadmodum libro De diuinatione refert Cicero. &, quod Tertullianus in libro contra Iudæos ſcribit, Magos Reges fere habuit Oriens. Accedit, quòd in Reges illud maximè quadrat, Apertis theſauris ſuis. Huc forte Auguſtinus reſpexit, Sermone ſeptimo de Natali Domini, dicens, Chaldæos puerum Ieſum regijs muneribus honoraſſe. Certè, iam inde à multis annorum centurijs cõſuetudo Fidelium habuit, vt Epiphaniæ hanc ſolemnitatem feſtum trium Regum appellent: id quod etiam vetuſtiſſimus ille Athanaſius memoriæ prodidit, Quæſtione ſecunda ad regem Antiochum: Quem diem, inquit, (Epiphanię mentionem faciens) appellamus trium Regum. Niſi fortè illud Interpretis eſt, non Athanaſij.

Venerabilis Beda, in Homilia huius diei, diſertè Reges eos appellat: quem Gloſſa ordinaria ſequitur. Plures multò qui ſunt huius ſententię, tã veteres quàm recentiores, enumerat Melchior Canus, libro 11. De locis Theologicis, in quarto argumento. Impius ac ſuperbiſſimus Caluinus vehementer ridet opinionem hanc Catholicorum multorum, quòd Magi iſti Reges fuerint: dicitque argumentum eſſe maximæ cæcitatis in religione inter Papiſtas, vt nos appellat. Ipſe autem contrà docet, Magos hos tam pauperes fuiſſe, vt pedites hoc totum ſuum iter perficere cogerentur. Quod ipſum egregiè demum pugnat cum tota hac hiſtoria Euangelica: ita cæcutiunt in ipſa quoque meridie, qui ſibi ſapientes videntur.

Iſidorus, libro de Natiuitate Domini, capite decimoquarto, accommodans huic hiſtoriæ, quemadmodum & Eccleſia in officio hodierno facit, illud Pſalmi 71. Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent; ſubdit: Nam & Magos Reges habuit Oriens. Quamquam Dauid in Pſalmo illo, & Iſaias capite ſexageſimo, non de iſta Magorum hiſtoria aut feſto loquuntur propriè; ſed de eo quod poſt aliquot annorum centenarios in Eccleſia poſteà contigit, quando Reges & Principes gentium, poſteaquam fidem Chriſtianam ſatis flamma & ferro perſecuti erant, ipſimet tandem colla & ſceptra ſua fidei ſubiecerunt, membraq; Eccleſiæ Chriſti facti ſunt. Sed, quia hoc ita aliquando futurum eſſe, Magi iſti hodie quodammodò præſignarunt; hinc non ineptè illa ex Pſalmis & Iſaia hoc feſto decantantur. Vt enim Hilarius ait, primo Canone in Matthæum; Stellæ ortus primùm à Magis intellectus, indicat mox Gentes in Chriſtum crediruras. id quod Leo quoque proſequitur, Sermone quinto de hac ſolemnitate, vt pòſt ſuo loco fuſius explicabitur.

Iuuencus in carmine ſuo dicit, Magos hos fuiſſe gentis ſuæ primores. Fortaſſis tales
Tob. 2. fuerunt, quales tres illi amici Iob, quos liber Tobiæ & Ambroſius Reges vocant. Certe,
Ambroſ. lib. 1. Offic. & lib. 3. de Interpellat. cap. 1. ex theſauris ipſorum, vt diximus, magnaque illa commotione, quam in aula Herodis, atque adeò in tota Ieruſalem, aduentu ſuo excitabant, ſatis colligere eſt, eos valde nobiles magnoſque fuiſſe, & magno cum comitatu ſtrepituque veniſſe.

Sed, quot numero fuerunt, inquies, iſti Magi? Ignoro profectò. Leo Pontifex, Sermone primo, tertio, quinto, & octauo, de Epiphania, & Epiſtola quarta ad Epiſcopos Siciliæ; Maximus Homilia tertia de Epiphania; Bernardus Sermone ſexto in vigilia Natiuitatis Domini; Haymo libro primo De Chriſtianarum rerum memoria, capite quarto; tres numero fuiſſe Magos affirmant. Quibus conſonat tum communis Chriſtianorum opinio, tum quòd Coloniæ totidem corpora eſſe dicuntur, eò ex Mediolano tranſlata; vti teſtatur etiam Petrus Comeſtor in hiſtoria Scholaſtica, & Raphael Volaterranus ſcribit libro 17. Anthropologiæ: Magi, inquit, tres ex Oriente fuêre, Gaſpar, Melchior, & Balthazar, quorum corpora in ciuitate Colonienſi. At non inde efficaciter Gloſſa non plures quàm tres fuiſſe Magos probat, quòd tria vel triplicia munera obtuliſſe dicuntur. Auctor Operis imperfecti in Matthæum apud Chryſoſtomum, ex quorumdam opinione ac traditione, refert Magos hos numero fuiſſe duodecim.

CAPVT V.

Quo tempore Magi ad Chriſtum venerint.

IAM verò, quonam tempore Magi ad Chriſtum cum muneribus venerint, Doctores inter ſe certant, & adhuc ſub iudice lis eſt. Non iudicauit Matthæus Euangeliſta hoc nobis cognitu neceſſarium. Attamen, quia pulchrum eſt, Euangelicæ hiſtoriæ veritatem, qua fieri poteſt conuenientiſſima ratione cognoſcere, conati ſunt nonnulli diligentia ſua hoc vtcumque inueſtigare. Et quidem Epiphanius in hæreſi quinquageſima-
prima oſtendere nititur, Chriſtum iam benè duos plus minùs annos natum fuiſſe, quum
à Magis cum muneribus adoratus fuit. Cuius opinionis tres ferè aſſignantur rationes in
I. ſpeciem veriſimiles. Vna, quòd in die Purificationis, non agnum, ſed turturem, aut duos
pullos columbarum obtulit Chriſti mater. Non ergo potuit inuenire manus eius pre-
II. tium agni: atque ideò ne theſaurum quidem tunc à Magis acceperat. Altera, quòd ob-
ſcurum non ſit, Ieroſolymam longiſſimo terrarum interuallo ab Oriente diſtare; vt prorſus ab humanæ iudicio rationis abhorrere videatur, intra tam paucos dies & ſtellam vi-
diſſe Magos, & cõſilium de profectione communicaſſe, & iter tandem ab Orientis parti-
III. bus adornaſſe, perque tot regiones & populos ad Palæſtinam acceſſiſſe. Tertia ratio
eſt, quòd Herodes, cùm deluſum ſe à Magis eſſe cognoſceret, occidit omnes pueros, à bimatu & infra, ſecundùm tempus quod exquiſierat a Magis. Non eſt autem probabile, Herodem bimos pueros interfecturum fuiſſe iuxta tempus ſtellæ, cuius apparitionem diligenter à Magis exquiſierat, ſi ab ortu ſtellæ ad Magorum aduentum non niſi tredecim dies interfluxiſſent.

Sed his rationibus alij moueri non poſſunt, vt deſcendant in ſententiam Epiphanij. Et ſanè, quod ad eius vim auctoritatem in hac ſententia attinet, notum eſt, illum in rerum geſtarum temporumque ratione nullos graues auctores ſequi ſolere. Atque adeò, dum priuatum animi ſenſum contra communem aliorum opinionem nõ rarò explicare contendit; in eiuſmodi rerum memoria atque hiſtoriç commemoratione interdum fallitur. Euthymius itaque tractans illud Matthæi; A bimatu & infra. ab Epiphanio vehementer diſſentiens, incertum eſſe dicit, priúſne Chriſtum Magi adorauerint, an paſtores & vtrumuis abſque errore poſſe defendi. Sed hoc mihi æquè à veritate alienum eſſe videtur, atque id quod Epiphanius aſſerit. Ex Lucæ enim Euangelio ſatis conſtat paſtores ipſa Natiuitatis Chriſti nocte eum adoraſſe: at Magos ipſos tam citò ad Chriſtum veniſſe, non eſt vlla ratione conſentaneum veritati. Non enim nocte ipſa Natiuitatis Domini Ieroſolymam veniebant, cùm interrogarent: Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum. Et tamen cùm Ieroſolymis eſſent, & natum iam eſſe profiterentur quem quærebant, eundum eis tunc adhuc erat in Bethlehem.

Sed hoc ſatis ſimile vero mihi eſſe videtur, adoratum eum à Magis eſſe, priuſquam quadraginta ætatis dies impleuerat; hoc eſt, ante Purificationem Mariæ. Inuenerunt

enim

enim cum Magi in Bethlehem. Mittens, inquit Euãgeliſta, Herodes eos in Bethlehem, dixit; Ite, & interrogate diligenter de puero, &c. & ſubdit Matthæus: Qui cùm audiſſent Regem, abierunt, & ecce, ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſquedum veniens ſtaret ſuprà, vbi erat puer At verò, cùm Maria & Ioſeph in Bethlehem peregrini fuerint, non eſt veriſimile, eos, peractis omnibus quæ lex præcipiebat, diutiùs hæſiſſe in Bethlehem: ac proinde non potuiſſe Chriſtum poſt tẽpus Purificationis in Bethlehem inueniri. Certè Lucas, deſcriptis ijs quæ ad Purificationem attinebant, ſubdit; Vt perfecerunt omnia ſecundùm legem Domini, reuerſi ſunt in Galilæam, in ciuitatẽ ſuam Nazareth. Non ait in Bethlehem reuerſos, ſed in Nazareth. Quod tamen quonam modo ſit intelligendum, apud Ianſenium vide, in eius Concordia Euangelica. Cur autem Bethlehem reuerterentur, vbi adeò nihil habebant ſupellectilis, vt Virgini Matri, ad reclinandum infantem recèns in lucem editum, non alius locus quàm præſepe fuerit Nec Euangeliſta eos in Bethlehem veniſſe docet, vt morarentur, ſed vt profiterentur in ciuitate ſua Manſerunt itaque ibidem, quantum neceſſe fuit ad implendam legem, quæ iubet, vt poſt circumciſum infantulum maneat mater triginta tribus diebus in ſanguine purificationis ſuæ. Intra quos dies Bethlehem veniſſe Magos rectè credimus, & puerum indicio ſtellæ inuentum adoraſſe.

Ad hæc, ſi, quando Magi venerunt, Chriſtus anniculus bimulúſve fuiſſet; ſanè non dixiſſet Euangeliſta: Cùm natus eſſet, ecce Magi venerunt. quod non de re tam ſera, ſed de ſubita & improuiſa, vel certè proxima, & quaſi præſenti, dici ſolet. Recèns ergo natus erat infans, quando Magi venerunt: vti etiam ipſe Venerabilis Beda ex eo ipſo diligenter conſiderauit: Ecce, inquit, hoc eſt, confeſtim vt natus eſt. Et hoc certè inquiũnt ſatis ipſimet Magi, dum quærunt: Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? quaſi dicant hauddubiè; Qui breui iam ac recèns natus eſt.

Vnde liquet, non vanis rationibus niti, non ſolùm Hieronymum & Auguſtinum, verum etiam omnes propè auctores, & veteres, & recentiores (inter quos ille quoque eſt, qui inter fragmenta Caroli Magni librum conſcripſit, de ritibus & cærimonijs Eccleſiæ Romanæ) atque adeò vulgus omne Chriſtianorum, quod diebus à Chriſti Natiuitate tredecim, Magos exiſtimat ad eius cunabula in Bethlehem aduenisse. *Auguſt. lib. 2. De Conſen. Euangel. cap. 11.*

Capvt VI.

Argumenta in contrarium præcedenti capite prolata, diluuntur.

QVoad argumenta omnia in diuerſam ſententiam producta vel producenda; perfacilis eſt & expedita illorum ſolutio. Primùm enim, in ea ratione quæ primo loco I.
opponitur, quidam liberalitatem ac beneficentiam Virginis animaduertunt, quæ breui aurum omne à Magis acceptum in pauperes erogarit: alij prudentiam, quòd viaticum parauerit in Ægyptum. Siue enim Ioſeph ante Purificationem de fuga admonitus ab Angelo fuerit, iuxta illud: Qui cùm receſſiſſent (nempe Magi) ecce Angelus apparuit in ſomnis Ioſeph, &c. ſiue Magi ipſi oraculum de reditu per aliam viam, Virgini communicarint; credibile profectò eſt, prudentiſſimam Virginem, iam inde, quod ad fugam & profectionem opus erat, prouidiſſe. Sunt, qui modeſtiam Mariæ hîc aduertant; quibus ego vehementer accedo: non decebat enim, vt, quæ pauper erat, ea diuitum oblationem in purificatione ſubitò inferret. Ab omni faſtu & oſtentatione erat Virgo alieniſſima: nec mutare conditionem illi erat animus, etiam auri aliquantum nactæ, quam vnicè ſciebat Dei Filio placuiſſe. Quid, quòd aurum Deo Filio ſuo à Magis oblatum, in ſacros fortaſſis vſus cenſuit conſecrandum? Prima itaque ratio, ex Mariæ paupertate, pauperumque oblatione, contra noſtram & communem ſententiam allata, his omnino modis facile diluitur.

Ad ſecundum argumentum, à temporis breuitate locique diſtantia deſumtum, non II.
minùs facilis eſt ac prompta reſponſio. Non enim opus fuerit (quod Remigius facit) eam rem nati pueri facultati viribuſque tribuere, qui Magos ad ſe tam breui dierum ſpatio, ab extremis Orientis partibus ipſave interiori India aduocarit: (Leo namque ſemper ab extremis Orientis Magos veniſſe dicit) ſed Oriens in Sacris frequenter accipitur pro terris *Serm. 3. & 6. de Epiphania.*

ris illis, quæ Orientales ad illam ſint, in qua ſunt qui loquuntur. vt Geneſis 13. Elegit ſibi Lot regionem circa Iordanem, & receſſit ab Oriente. item Numerorum 23. De Aram adduxit me Balac Rex Moabitarum, de montibus Orientis. Siue ergo Magi poſteri fuerint Balaam, ac proinde ex Meſopotamia Syriæ venerint, vt Chryſoſtomo, Ambroſio, Hieronymo, alijſque permultis viſum eſt, vt ſuperius diximus; ſiue ex Arabia acceſſerint, quæ ſententia Iuſtini Martyris perpetua fuit; ſeu ſapientes alij, vel Perſæ, vel Chaldæi, quod Magorum nomen præ ſe fert: dubitari non poteſt, quin totum illud quidquid erat

Ex Melchiore Cano, de locis Theologicis.

itineris, decem diebus conficere potuerint. Diſtat ſiquidem Ieruſalem ab Aram centum ſeptuaginta duabus paraſangis Perſicis & Hiſpanis: ab Vr verò Chaldæorum, ducentis duodecim. Vnde, cùm Laban Iacob fugientem à Meſopotamia in Iudæam inſequeretur, ſeptimo die conſecutus eſt eum in monte Galaad, qui eſt principium Libani. Et ferebat tamen Iacob greges armentorum, vxores & paruulos. Laban autem non ante tertium diem fugam deprehenderat. Quid, quòd in regione illa abundant dromedarijs, quos vno die ſtadiorum mille iter conficere, ſcribit in vita Apollonij Philoſtratus? Ariſtoteles quoque libro nono, capite vltimo, hiſtoriæ Animalium, teſtatur, celeriùs eos currere quàm Niſæos equos. Nec illud quemquam perturbet, quod Hieronymus in 25. caput Ieremiæ, imò Ieremias ipſe, Chaldæam ait in Aquilonis parte iuxta ſitum Ieruſalem collocatam eſſe. Quia enim inter Aquilonem & Orientem ſita eſt, modò Aquilonaris, modò Orientalis nominatur. Sed de ſecundo quoque argumento iam ſatis.

III. Magis nos preſſiuſque vrgere videtur, quod tertio loco ex Scriptura obiectum eſt. Si enim diligenter Herodes à Magis tempus didicit, vt Matthæus eſt auctor; occidit autem omnes pueros à bimatu & infra, ſecundùm tempus quod exquiſierat à Magis; biennium ergo antè aduenerunt. non igitur mox à Chriſto nato aduenerunt. Nam ſtatim recedentibus Magis Herodes occidit pueros. illa enim particula (tunc) non minùs rem præſentem proximamque ſignificat, quàm vocula (ecce) cuius vim paulò antè expendebamus. ait verò Euangeliſta: Tunc Herodes, videns quoniam illuſus eſſet à Magis, mittens occidit omnes pueros, &c. Sed hunc nodum non ineptè diſſoluit Euthymius, dicens, orationem illam (ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis) non eſſe referendam ad illud (à bimatu) ſed tantùm ad illud (& infra) vel ſi ſic mauis, illud (& infra) non eſſe cum illo copulandum (à bimatu) ſed cum illo (ſecundùm tempus, &c.) ita vt continenter legendum ſit; Occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem à bimatu. Et ibi facta hypodiaſtole, ſeu ſubdiſtinctione, legendum eſt quod ſequitur, vno ſpiritu; Et infra, ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis. Ideò enim reſtrictio illa (ſecundùm tempus) adiecta eſt à Matthæo, vt inſinuaret, non omnes, qui infra ætatem duorum annorum erant, occiſos fuiſſe; ſed tantùm vſq; ad tempus illud deſcendendo, quo primùm Magis ſtella apparuit. Ita vt qui dudum poſt tempus apparitionis ſtellæ nati erant, nõnecarentur, vtpote qui dumtaxat vnius diei, hebdomadæ, vel mẽſis erant, aut circiter. Quia ſtella Magis apparens, indicabat Regem Iudæorum iam eſſe natum. Si enim ex tempore apparitionis ſtellæ intellexiſſet, Chriſtum eſſe iam duorum annorum, cur illos etiam qui infra bimatum erant pueros occidiſſet? Proinde non poteſt intelligi, quòd iuxta apparitionem ſtellæ bimos interfici iuſſerit, ſed alios tantùm minimos, quibus videlicet ſolis tempus ſtellæ accommodauit.

Si autem roges; Cur ergo bimos interfecit, ſi non ſecundùm tempus ſtellæ? Reſpondeo; Cur in omnibus finibus Bethlehem iuſſit occidi, ſi in ipſa Bethlehem, iuxta Prophetam, natus eſt Chriſtus? Quemadmodum ergo ex propria malitia ampliauit locum, ſic ampliauit & tempus. Ne videlicet, ſi Chriſtus fortaſſis vno vel medio anno ante ſtellæ apparitionem natus fuiſſet, vel Magi forſitan tempus ſtellæ, ſiue per obliuionem aliquam, ſiue alia ratione, non benè exponerent, vel certè Chriſtus, cui ſidera famulabantur, per miraculum maior eſſet, quàm ætas ferret (omnia enim doloſus ac impius metuebat) elabi vllo modo poſſet.

Vt verò hæc res magis fiat manifeſta, probabile omnino eſt, Herodem non mox à decimotertio aut decimoquarto die nati Chriſti (ſi tunc illum adorauerunt Magi, vt arbi-

Auguſt. 2 De Cõſenſ. Euangel. cap. 11.

tramur, iamque docuimus) pueros occidiſſe: ſed poſteaquam Magi ab Angelo moniti nihil Herodi renuntiauerunt, credidit illos fallaci ſtellæ viſione deceptos, vbi non inuenerunt quem natum putauerunt, erubuiſſe ad ſe redire. Itaque, timore depoſito, ab inquirendo & perſequendo puero quieuit. Cùm autem in Purificatione, illa in templo ab Anna & Simeone geſta eſſent, quæ Lucas commemorat, cœperuntque ab ijs qui audi-

uerant

uerant euulgari & prædicari;ad priſtinam intentionem regis animum reuocarunt. Tunc, per hæc cognouit, à Magis ſe fuiſſe antè deluſum. ac deinde ad Chriſti mortem cupiens peruenire, multos infantes, ſicut Matthæus narrat, occidit, vel certè firmiter apud ſe necare conſtituit. Nam refert hiſtoria Scholaſtica (ſi qua illi debetur fides) Herodem, cùm de nece puerorum diſponeret, ſubitò à Cæſare Romam per litteras euocatum fuiſſe, vt filiorum ſuorum accuſationibus reſponderet, qui regno eum deturbare nitebantur. vnde ſtragem illam puerorum animo conceptam edere diſtuliſſe, aliorum iam ex improuiſo magis appropinquantium periculorum terroribus agitatum; ab illaque perſequendorum infantium cura mentem abreptam, in alijs proximè cauendis potiùs occupaſſe. Romæ autem, cùm pater & filij inter ſe coram Cæſare diſceptarent; decretum eſt, vt filij patri ſuo in omnibus obedirent; & ipſe, cùm vltrò vellet, regnum dimitteret. Igitur, poſt annum circiter vnum Roma rediens, ex confirmatione ſua in regno factus audacior, propoſitum iamdudum ſcelus exequitur: & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu; & infra, ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis. *Ioſeph. lib. 16. Antiquit. cap. 7.*

Hæc ſi cui adhuc non ſatisfaciunt, & omnino neceſſe eſt biennium ad iter faciendum concedere (quod tamen abſurdum eſſe, vt opinor, ſatis oſtendimus) non protinus neceſſariò fit conſequens, vt Magi biennio poſt natum Chriſtum ad ipſum aduenerint. Multò enim facilius expeditiuſque dicetur, quod Auguſtino Chryſoſtomoque video placuiſſe, tanto ante Chriſti natiuitatem ſtellam Magis apparuiſſe, quantum fuit opus, vt, tot regionibus ac prouincijs peragratis, puerum haud multò antè natum adorarent. Sed hęc iam de Magis ſatis abundè dicta ſufficiant. Quæ ſi prolixitate ſua moleſta cuiquam exiſtant, oſtendendum erat, quàm temerè quidam à ſincera hiſtoriæ fide, & communi ſanctorum opinione, diſſenſerint. *Auguſt. Serm. 58. inter recens editos.*

CAPVT VII.

De ſtella quæ Magis apparuit, qualiſnam fuerit.

SVPEREST nunc de ſtella quam Magi viderunt, vt quibuſdam curioſioribus fiat ſatis, ſi tamen talibus vmquam ſatis fiat. De hac autem ſtella variæ ſunt multorum ſententiæ, vt videre licet in opere illo, De mirabilibus ſacræ Scripturæ, quod perperàm tribuitur Auguſtino. Chryſoſtomus, cum ſuis illis duobus Euthymio & Theophilacto, multis verbis contendit, non fuiſſe hanc ſtellam de illarum numero, quæ ſint in firmamento, aut aliquorum orbe Planetarum: imò omnino non fuiſſe ſtellam; ſed inuiſibilem quamdam virtutem in figura & ſpecie ſideris apparentem: virtutem, inquam, rationis plenam; hoc eſt, Angelum quempiam, ſpiritúmve cæleſtem. *Lib. 3. Cap. 4.*

D. Auguſtinus libro ſecundo contra Fauſtum, capite quinto; diſputans contra eos qui Natiuitatem Chriſti fato & conſtellationi cælorum attribuunt, vnumquemque ſuæ ſtellæ motu & naſci & viuere arbitrantes; dicit, probabiliter credi poſſe, quòd ſtella iſthæc noua fuerit creatura, alijs ſtellis ſimilis. Itaque, inquit, ſtella illa, quam viderunt Magi Chriſto ſecundùm carnem nato, non ad decretum dominabatur, ſed ad teſtimonium famulabatur; nec eum ſubijciebat imperio, ſed indicabat obſequio. Proinde non ex illis erat hęc ſtellis, quę ab initio creaturę itinerum ſuorum ordinem ſub Creatoris lege cuſtodiunt; ſed nouo Virginis partu nouum ſidus apparuit, quod miniſterium officij ſui etiam ipſis Magis quærentibus Chriſtum, cùm ante faciem præiret, exhibuit. Et idem Doctor paulò pòſt: Si ſtella illa, inquit, ex ijs erat, quæ in cælo peragunt ordines ſuos, quomodo potuit decernere, quod natus Chriſtus acturus erat, quæ nato Chriſto iuſſa eſt relinquere quod agebat? Si autem, vt probabilius creditur, ad demonſtrandum Chriſtum, quæ non erat, exorta eſt: non ideò Chriſtus natus, quia illa exſtitit; ſed ideò illa noua exorta eſt, quia Chriſtus natus eſt. Vnde, ſi dici oporteret, non ſtellam Chriſto, ſed Chriſtum ſtellæ fatum fuiſſe diceremus. ipſe quippe illi, non illa huic naſcendi attulit cauſam. *Gemma de diuinis naturæ characteriſmis lib. 2.*

Hæc latiùs quoque deducit Baſilius, in Homilia de humana Chriſti generatione, vbi ſic habet: Quando motibus cæleſtibus ſtudebant Magi, non fruſtrà inter cæleſtes obſeruationes prodigium ſunt contemplati: ſtellam videlicet nouam, ac minimè conſuetam, Dominico Natali effulgentem. Cuius ſanè ortum nemo in aſtrologiæ rationem computationemque trahat. Qui enim ex aſtris iam exiſtentibus geneſim conſpiciunt, aliquam

talem cæli figuram horoſcopantem, cauſam cuique euentuum eſſe affirmant. Hic verò nulla ſtella, ex his quæ iam ſunt, Dominicam natiuitatem ſignificauit. neque enim iſta ex aliarum numero fuit: nam, quæ ab initio orbis creatæ ſunt, omnino immobiles exiſtunt, aut certè continuè mouentur. quæ autem & ſtat, & mouetur, vtrumque habere videtur. In illis quæ ſunt, aliæ obfirmatæ numquam mouentur; aliæ verò errantes numquam conſiſtunt: hanc verò de qua loquimur, vtrumque habuiſſe palàm eſt; & motum & quietem. Ex quo ſatis oſtenditur, alicuius gratia hoc aſtrum eſſe factum, vt alicui ſeruiret famulareturque, & nullam cum ceteris habuiſſe rationem aut naturam. Hæc Baſilius.

Chryſoſtomus idem alia præterea ratione proſequitur, ab ipſo nimirum modo ſumta, quo Chriſtum monſtrabat. Non enim in excelſu, inquit, conſtituta cæli, eum qui inquirebatur à Magis oſtendit locum; neque enim ſic illi diſcere aliquando potuiſſent; ſed deſcendens, & inferiorem aëris partem tenens, iſtud effecit. Noſtis enim, quia tam exiguum & humilem locum, & breue tugurium, quod (vt ita dixerim) corpuſculum illud paruuli continebat, nequiuerit de cælo ſtella monſtrare: neque enim tantam illius breuitatem loci, tam inæſtimabilis altitudo deſignare potuiſſet. Quod certè perfacilè à lunari poteſt orbe cognoſci: luna enim, cùm tam multis ſublimius ſit clara ſideribus, in tam grandis latitudinem diffuſa terræ, cunctis mundi habitatoribus creditur eſſe vicina. Quemadmodum igitur ſtella tam exiguum locum, tugurij ſcilicet atque præſepis, oſtendit, niſi ſublime illud relinquens ad inferiora veniſſet, ſuperque ipſum ferè caput pueri conſtitiſſet? Quod certè Euangeliſta ſignificans, Ecce, inquit, ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer. Hucuſque Chryſoſtomus.

Putant aliqui, ſtellam hanc viſam fuiſſe non tantùm in Oriente ſeu Chaldæa, ſed in multis quoque alijs orbis terræ partibus. Plinius certè ſcribit, cùm intereſſet & præſideret Auguſtus ludis Veneris genitricis, viſum fuiſſe cometam (ſic enim appellabant omnes ſtellas nouas & extraordinarias) quam Pontifices declarabant, propter ſingularem eius figuram, lucem, pulchritudinem, non famem, peſtem, bella, aliorum cometarum more, ſignificare; ſed humani generis ſalutem proximam. Cui etiam ſtellæ, propter eius raritatem, poſita fuit ſtatua. ad quam alludit quoque Virgilius Ecloga nona:

Ecce, Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum.

Poëtæ enim ſtellam illam, per aſſentationem, Auguſto Cæſari tribuebant, vt Sibyllarum vaticinia. Scribit & Origenes contra Celſum, Cheremonem Philoſophum Stoicum indicaſſe, aſtrum fuiſſe ſalutare: & cùm deos ſuos videret deficere, parumque aut nihil poſtmodum vel diuinare vel facere, cum nonnullis Aſtrologis in Iudæam conceſſiſſe, vt de vero Deo inquireret. Chalcidius quoque Platonicus dicit expreſſè, Chaldæos obſeruaſſe, quòd ſanctum Dei aduentum in hæc inferiora nuntiaret. Vide multò plura hac de re apud Marſilium Ficinum, in tractatu De ſtella Magorum.

CAPVT VIII.

An ſtella Magis ab Oriente Ieroſolymam ducatum præſtiterit.

QVEMADMODVM præmiſſa breuiter ex auctoribus illis de natura & motione ſtellæ prolata ſufficiunt, ita nūc ſimili breuitate videamus, an iſtęc ſtella Magis ab Oriente venientibus ducatum ſemper præbuerit Ieroſolymam vſque; quemadmodum ciuitate eadem egreſſos præcedebat, vſque dum veniens ſtaret ſuprà vbi erat puer. An verò viſa illis dumtaxat in Oriente fuerit, deinde autem eis ſubtracta, donec poſt longam illam profectionem tandem Ieroſolymam perueniſſent, indeque ipſis eſſet eundum in Bethlehem.

Multis prior ſententia magis placet, atque in primis Chryſoſtomo, qui ſic ſcribit: Neque enim proprium quemdam illa tunc ſtella curſum tenebat, ſed cùm eos videret pergere, etiam ipſa pergebat: cùm verò eos ſtare conſpexerat, ſtabat: ad voluntatem prorſus *Leo. Serm. 4. De Epiphania.* viantium & vtilitatem cuncta diſpenſans. Nunc occultabatur omnino, nunc toto rurſus fulgore radiabat. Nam vſque ad Palæſtinam venientibus Magis, quaſi dux itineris, ſemper

perapparuit: cùm verò Ieroſolymam introiſſent,ſeſe rurſus abſcondit. Deinde,cùm Herodi cauſam itineris indicaſſent, eóque relicto ad puerum pergerent adorandum; iterùm ſe eis eadem ſtella monſtrauit. Sic ille Doctor egregius.

Sed D. Baſilius alteram manifeſtè ſententiam ſequitur,in hæc verba ſcribens: Hoc ſidus,vbi Magos ad inquirendam Domini geneſim permouit,rurſus diſparuit;donec ipſis dubitantibus ac ſuſpenſis,iterùm in Iudæa ſe manifeſtauit. Et hæc profectò ſententia Euangelico textui conformior eſſe videtur. Quod quia eleganter admodum Venerabilis oſtendit Beda, ipſius hîc potius quàm noſtra verba ſcribemus. De ſtella, inquit, quæ eis apparuit;quidam,minus diligenter Scripturam intuentes,eam ab Oriente vſque ad vicina Bethlehem ducẽ eis itineris exſtitiſſe dixerunt, viarumque præuiam: at vbi relicta via Bethlehemitica ad Ieroſolymam iter & oculos deflexerunt, diſparuiſſe ſtellam quæ eos ducebat; donec rurſus ab Ieroſolymis pedem referrẽt ad Bethlehem. Quod nequaquam ita eſſe factum,ipſa Euangelij veritas inquiſita demonſtrat: ſed potiùs in Oriente tantùm eos ſtellam vidiſſe, ſtatimque intellexiſſe, quia hæc ortum nati in Iudæa Regis ſignaret; de quo prædixerat Balaam. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael; & percutiet duces Moab. Et ipſi enim, cùm eſſent Aſtrologi, diligenter ea quæ de ſtella ſunt dicta, memoriæ commendauerant. ideoque ſtatim vt eam viderunt, venerunt in Iudæam, in qua natum Regem, & præcipuè ad regiam ciuitatem, vbi eius natiuitatem magis cognitam credebant, inuenirent. Cumque teſtimonijs Propheticis in Bethlehem eum natum cognouiſſent; mox illuc iter agentes,ſtellam quam in Oriente viderãt, ducem habere meruerunt. Sic enim habes in Euangelio; primò,dicentibus ipſis Magis: Vbi eſt,qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente. neque enim dicebant,Quia ab Oriente nos vſque ad hæc loca præuiando perduxit. deinde etiam Euangeliſta proteſtante de ipſis,in hæc verba: Qui cùm audiſſent Regem,abierunt. Et ecce, ſtella quam viderant in Oriente,antecedebat eos. Neque enim vel ipſe ſcripſit,quòd alibi ſtellam,quàm in Oriente tantùm,vidiſſent:donec,audito Rege,ad Bethlehem iter dirigerent. Hactenus clarè atque efficaciter Venerabilis ille Beda.

Homil. De humana Christi generatione.

Beda, in fine libri triginta quæstionum in lib. Regum.

Num. 24.

Capvt IX.

Cur Magi per ſtellam potiſsimùm ad Chriſti notitiam ſunt adducti.

Restat nunc,priuſquam ad altiora præſentis feſtiuitatis myſteria veniamus, vt paucis explicemus, quare Magi ad videndum Chriſtum,eiuſque notitiam, per ſtellam potiſſimùm ſint adducti. Nam alicui fortaſſe videri poterit, per homines & Prophetas id potius fieri conueniſſe: ſicut ad Niniuitas conuertendos Ionas Propheta mittebatur. Sed reſpondet Chryſoſtomus, nequaquam Magos Prophetis credituros fuiſſe. At,ſi voce aliqua Deus intonaſſet, inquit, nec hanc quidem tantopere curaſſent. Sed Angelum igitur miſiſſet: verum hunc quoque forſitan contemſiſſent. Propterea omnia huiuſmodi derelinquens, per ea illos vocat, quæ familiaria eis conſuetudo faciebat. Qui enim ſeruandis omnium venerat,vnamquamq; gentem captauit occaſione rerum, quibus delectabatur, quibuſque fidebat. Iudæos allexit miraculis: Græcis miſit Paulum, appoſitum ad congrediendum cum Philoſophis,& eloquentia pollentem, adeò vt quibuſdam Mercurius putaretur. Magos aſtrologiæ deditos attraxit indicio ſtellæ,peculiari præ ceteris luce fulgentis, multumque ab his quæ ſpectamus ſideribus diſcrepantis; vt eis & de magnitudine ſideris, necnon etiam de ipſa nouitate curſus, admirationem moueret; mira quadam diſpenſatione pietatis, ad hominum condeſcendens ſalutem. Ita & Petrum piſcatorem à multitudine piſcium ad ſe venatus eſt, & ſtupeſcere fecit. Vnuſquiſque enim conſuetudinis ſuæ amicitia ligatur. Vnde etiam Chriſtus, & miſſi ab ipſo ad totius orbis ſalutem magiſtri,de ipſo cuiuſque more gentis,materias ſibi aſſumunt dicendi. Quemodo Paulus apud ſapientes ſæculi Athenienſes,de inſpecta à ſe ara,ignoto deo conſecrata,diſſerebat,in medium proferens teſtimonia Poëtarum. Hęc vna,nec infima ratio eſt, cur Deus Magos per ſtellam vocauerit.

Theophylactus.

Act. 17.

Alia eſt præterea apud Leonem Pontificem & Prudentium: propterea videlicet Chriſtum Magis per ſtellam ſignificatum & nuntiatum fuiſſe; quia in vocatione Gentium

per Chriſtum, quam Magorum ad eum aduentus præfigurabat & quodammodò inchoabat, (erant enim primitiæ conuerſionis Gentium) impletur promiſſio Dei iam olim Abrahæ facta: Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli. Ad creandam ergo, inquit

Serm. 3. De Epiphania. Leo, promiſſam poſteritatem, heredes in ſideribus deſignati, ortu noui ſideris excitantur: vt in quo cæli adhibitum fuerat teſtimoniū, cæli famularetur obſequium. Commouet Magos remotioris Orientis habitatores ſtellis ceteris ſtella fulgentior, & de mirandi luminis claritate, viri ad hæc ſpectanda non inſcij, magnitudinē ſignificationis intelligunt: agente hoc ſine dubio in eorum cordibus inſpiratione diuina, vt eos tantæ viſionis myſterium non lateret; & quod oculis oſtendebatur inſolitum, animis non eſſet obſcurum. Sic enim Magi apud Prudentium:

Quis iſte tantus, inquiunt,
Regnator aſtris imperat?
Quem ſic tremunt cæleſtia,
Cui lux & æthra inſeruiunt?
Illuſtre quiddam cernimus,
Quod neſciat finem pati,
Sublime, celſum, interminum,
Antiquius cælo & chao.

Hic ille Rex eſt Gentium,
Populiq́ Rex Iudaici,
Promiſſus Abrahæ patri,
Eiusq́ in æuum ſemini.
Aequanda nam ſtellis ſua
Cognouit olim germina,
Primus ſator credentium,
Nati immolator vnici.

Tertiam rationem expreſſit Athanaſius, in Oratione de humanitate Verbi, eiusq́; corporali ad nos aduentu. Hic eſt, inquit, qui à ſtella voluit ſuam genituram indicari. Quippe conueniebat, Verbum cælitus delapſum in cælo quoque ſui indicia & notas habere. conueniebat, Regem naturæ in lucem prodeuntem, ab vniuerſo orbe clarum manifeſtumque reddi. Cui conſentiens Maximus, Taurinenſis Epiſcopus; Neceſſe erat, in-

Serm. 1. De Epiphania. quit, vt cælorum Dominum teſtimonium cæleſte præcederet; & auctorem lucis, ſignum luminis reuelaret.

CAPVT X.

Quonam pacto ex ſtella contemplatione Magi ad Chriſti agnitionem peruenerint.

IAM ſi quis fortaſſis rogauerit, quonam pacto contigerit, vt ex viſione & contemplatione ſtellæ, ad Chriſti agnitionem, vel cogitationem de nato nouo quodã ac admirando Iudæorū Rege, Magi peruenire potuerint, diximus ea de re ſuperiùs aliquid, vbi de genere ac origine Magorum diſſertū eſt: & nunc quoque paulo antè idē ex verbis D. Leonis colligere licuit, Sermone tertio de Epiphania. Quibus ſimilia vel clariora etiã in primo eiuſdē ſolemnitatis Sermone verba habet: Stella, inquit, iſthęc, illuſtrior ceteris pulchriorque ſideribus, facilè in ſe intuentium oculos animosque conuertit: vt ſtatim aduerteretur, non eſſe otioſum, quod tam inſolitum videbatur; & nequaquam ſibi crederent negligen-

Sermone 3. De Epiph. & Ambroſ. ſimiliter. dum, quod tãto nuntiabatur indicio. Quis enim dubitet, inquit Maximus, ipſam ſtellam lætiori luce & fulgentioribus radijs coruſcaſſe, quæ cæli terræque lumen humanis oculis ingerebat? Dedit ergo, inquit Leo, Dominus adſpicientibus intellectum, qui præſtitit ſignum: & quod fecit intelligi, fecit inquiri; & ſe inueniendum obtulit, requiſitus. Sic Antiphona habet, quam canit Eccleſia; Magi videntes ſtellam, dixerunt ad inuicem; Hoc ſignum magni Regis eſt: eamus, & inquiramus eum; & offeramus ei munera, aurum, thus, & myrrham. Tale aliquid habetur & in verbis Prudentij, quæ iam paulò ante citauimus.

Perpulchra autem ſunt, quæ D. Auguſtinus hac de re quodam loco ſcripta reliquit,

Serm. 38. inter vocitus editos. in hæc verba: Sicut, inquit, dies hodiernus anniuerſario reditu commonet nos, quod Dominum noſtrum Ieſum adorauerunt Magi, tamquam primitiæ Gentium; ita huic ſolemnitati de iſto tanto myſterio noſter etiam ſermo debetur. Vnde veſtram commoneo charitatem, recentem diem priſtinum recolite, quo Dominus natus eſt; & huic hodiernum adiungite, quo à Magis adoratus eſt. Nec eis ſtella loqui potuit cuius eſſet, vel cuius excellentiam præſignaret. nouum tamen & ſingulare ſidus effulſit; atque illos etiam, qui ſolent ſidera diligenter intueri, nouo miraculo exterruit. Numquam enim tali ſtella quiſquam eſt ſignificatus, quia numquam talis eſt natus. Verumtamen quis eſſet, vbi eſſet, quorum Rex eſſet, ſidus illud etſi tacebat, lucebat. Sed quærentia Deus & palpitantia corda non

da non

da non fraudans, alio modo, ſine dubio, petentibus reuelauit, quod ſtella indicare non potuit. Quem modum quidem Scriptura non dicit, ſed intelligendum prudentibus dereliquit: atque in ipſa narratione, vnde hoc intelligere poſſimus, oſtendit. Cùm enim Bethlehem ciuitas ſecundùm Scripturas à Iudæis commemorata eſſet, vbi Chriſtum naſci oporteret: quia domus latebat, vbi Dei Verbum infans iacebat; eadem ſtella Magos perduxit ad domum, ſub cuius tecto erat qui fecerat mundum. Sed, vt illi ad Herodem regem ne reuerterentur, qui ſe velle dixerat adorare, quem cupiebat occidere, per ſomnium dicuntur admoniti: ita, quod eloqui ſtella non potuit, alia Deus reuelatione monſtrauit. Sic intelligendum eſt, non per ſolam ſtellam, quamuis oculis ſuis inſolita & inexperta luce fulgentē, Magos in Oriente potuiſſe cognoſcere, quiſnam eſſet ſignificatione tanti ſideris dignus, cuius teſtis ille fulgor exiſteret; quem clarum tanta claritas nuntiaret; vbi quæreretur, quò eundum eſſet, vt inuentus adoraretur: ſed alia nimirum reuelatione indicatum eſt diuinitus, quod luce ſideris tacitè ſignabatur: & cum magna admiratione quærentibus quid ſibi vellet, & quò pertineret, quod nouum apparebat in cælo; non vtique loquente ipſo ſidere, ſed alter intimatum eſt, quis deſcendiſſet de cælo; & diuinitate præſidens cælo, iaceret in carne ſub cælo.

Verùm iam ſatis ſuperque de quæſtionibus & varijs hiſtoriæ Magorum & profectionis difficultatibus actum eſt: tempus eſt, vt myſteria præſentis feſtiuitatis aperire, & cuius rei conſideratione Fideles hodie occupari oporteat, incipiamus oſtendere.

CAPVT XI.

In Magis vocationem Gentium fuiſſe præſignatam; adeoq́; ipſos earum exſtitiſſe primitias.

QVAMVIS itaque Chriſtus, ſalutis noſtræ Dominus, omnipotentis Patris Filius coæternus, velamine carnis adopertus & humilis dignatus ſit viſitare mortales; dedit tamen multa & maxima ſuæ maieſtatis indicia, quibus mens humana ſentiret & nouum quemdā hominē & omnino Deum ipſum aduentaſſe de cælo. Nam cùm ipſe Dominus noſter lege natiuitatis humanæ paruulus & infans apud Iudæos vagiret in cunis, lateret in pannis; magnificentiam tamen eius vniuerſo orbi mirabilis ab alto ſtella prodebat: vt infantia eius vniuerſo declararetur mundo, cùm adhuc exiguo detineretur oppidulo. Quamuis enim Iſraeliticam gentem, & ipſius gentis vnam familiam delegiſſet, de qua naturam vniuerſæ humanitatis aſſumeret; noluit tamen intra maternæ habitationis anguſtias, ortus ſui latēre primordia: ſed mox ab omnibus voluit agnoſci, qui dignatus eſt omnibus naſci. Quàm profundæ cogitationes Domini, & inueſtigabiles viæ eius! qui, ne perfidia hominum partum Virginis impugnaret, dedit ab excelſo clariſſimum ſignum, quod nec gentilitas refutare poſſet, nec Iudæa celare. Quinimmò ſidus iſtud mira gratiæ ſuæ luce ita Orientalium corda populorum penetrauit oculoſque perſtrinxit, vt ad quærendum eum quem deſignabat, & magnis cum muneribus adorandum, tam longinquam ſubitò peregrinationem ſuſcipere dedignati non fuerint. Quo eodem ſuo facto teſtati ſunt, miſericordiam Dei per Chriſti natiuitatem ſic exuberaſſe, vt in omne genus humanum ſe notitia veritatis extenderit, omnibuſque æqualiter benignitas Dei & gratia Saluatoris illuxerit. Nimirum idcircò Chriſtus Magis primùm palàm apparuit, ne quiſquā diffideret poſſe ſibi ſalutē credenti donari, cùm iam conſpiceret, Magis, à cognitione & cultu Dei alieniſſimis, eſſe donatam: populuſque gentilis, à Deo hactenus ſemper abiectus, & canum more contemptus, non dubitaret iam ſe ad veram religionem & ſalutem eſſe venturum; cùm eos, qui maximè in gentibus peccatores erant, vtpote ſuperſtitioſiſſimis aſtrorum inſpectionibus dediti, Chriſtū Regem & Saluatorem adoraſſe, veramque fidem ſuſcepiſſe cognoſceret: ſperaret igitur, Saluatorem hunc, non tantùm vt gloriam plebis ſuæ Iſrael, verùm etiam vt lumen & reuelationem Gentium aduenisse.

Maximus Homil. 3. De Epiph.

Leo Serm. 1. De Epiph.

Maximus vbi ſupra.

Atque hoc illud eſt, quod D. Auguſtinus ſæpiſſimè alijque Doctores aiunt, Magos illos fuiſſe primitias Gentium: & quod ſuperiùs ex Hilario allegauimus, ſtellæ ortus primùm à Magis intellectus, indicat mox Gentes in Chriſtum credituras; & homines profeſſionis longè à ſcientia diuinæ viſionis auerſæ, lumen quod ſtatim in ortu eius exiſtitit cogniturros. Vnde & quæcumque hodierno die in officio Eccleſiaſtico ab Eccleſia decan-

tantur, ſi quis obſeruet, ad Gentium vocationem atque illuminationem pertinet. Gratias quippe Deo agit Eccleſia Gentium, quòd Filium ſuum, inexplicabili ſua bonitate, Gentibus etiam, quibus nulla vnquam de Meſſia vel Saluatore promiſſio data fuit, illuceſcere, atque ad æternam per eum ſalutem & fidem vocare dignatus ſit. Iure itaque optimo feſtum iſtud præ ceteris magna à Chriſtianis vbique terrarum lætitia celebratur.

Et quantum quidem mihi videtur, non aliam ob cauſam nunc iamdudum recepta conſuetudine in vnaquaque familia rex eligitur; quàm ad ſignificandum grataque memoria recolendum, quòd Rex ille regum & Dominus dominantium Chriſtus, nos gentiles hodie ad regnum ſuum vocauerit, atque adeò reges effecerit, ſecundùm Scriptu-
Apoc. 1. ram; Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotium. Iam nunc impleri cœpit illa Spiri-
Ioan. 11. tus ſancti, etſi ab impio prolata, prophetia; moriendum eſſe Chriſto, non ſolum pro gente Iſraelitica ſeu Iudaica, ſed etiam vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum. hoc eſt, vt Gentium populum, varijs erroribus, varijs falſorum deorum cultibus deditum, in vnitatem fidei & Sacramentorum cogeret. Qui filij Dei erant, non ſecundum præſentem ſtatum, ſed in æterna Dei prædeſtinatione. Iam cœptum eſt fieri, quod Sal-
Ioan. 10. uator in Euangelio ſe facturum promiſit; Habeo, inquit, alias oues, quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus paſtor.

CAPVT XII.

Admiranda bonitatis diuinæ ac miſericordiæ in genus humanum diſpenſatio, D. Proſperi potiſſimùm verbis expoſita.

QVIA verò non poteſt nobis ſatis conſtare, quantum & quàm magnum nobis hodie Deus beneficium præſtitit, niſi priùs nobis exploratum ſit, in quantis omnes malis miſerijſque fuerimus, priuſquam ſe nobis Chriſtus manifeſtum feciſſet: profuerit non parùm, de vita moribuſque gentilium, è quibus nos oriundi ſumus, priuſquam ad Chriſtum conuerſi eſſent, diſſerere.

Principio itaque, poſteaquam parens noſter primus Adam, diuinum præceptum, quod tam leui negotio obſeruare potuiſſet, ſuperba & contumaci voluntate contemſerat ac violauerat, ad tuit è veſtigio, priùs illi comminata vindicta, quę ipſum omnibus exutum bonis atque virtutibus, omni priori dignitate & honore priuatum, in inexplicabilem mi-
Proſper lib. 1. De vocat. gentium cap. 3. ſeriarum, criminum ac malorum omnis generis abyſſum, præcipitauit. Sic ille infelix, dum ſuis incóſultius vtitur bonis, in præuaricationis profunda demerſus, fide perdita, ſpe relicta, intelligentia obcæcata, voluntate captiua, nec ipſo ſaltem Dei timore ſibi reli-
Ad illud Lucæ. Perierat & inuentus eſt quo, omni ſe reſurgendi facultate deſtituit.

Sed, quid tum poſtea, inquies? quid illud ad nos, quod Adæ vſuuenit? Fuit, inquit Ambroſius, Adam; in illo fuimus omnes: perijt Adam; in illo omnes perierunt. *Om-
**Proſper, vbi ſup.* nes homines in primo homine ſine vitio conditi ſumus; & omnes naturæ noſtræ incolumitatem, eiuſdem hominis præuaricatione perdidimus. Sicut enim Adam, ſi in iuſtitia & rectitudine perſtitiſſet, ſibi ſimiles filios procreaſſet (neque enim originalem illam iuſtitiam, omnemque naturæ ſuæ dignitatem, ſibi ſoli acceperat, ſed pro tota ſua poſteritate, vt illam ſimul cum natura transferret in filios) ita nunc, non ſoli Adæ nocuit eius tranſgreſſio; ſed & toti eius progeniei, quam totam in ſe, tamquam in radice, vitiauit: ita, vt quiſquis ex eo per vtrumque ſexum naſcitur, cum radice erroris amoriſque peruerſi naſcatur, contrahens originale peccatú: vnde, veluti agmine facto, in vnumquemque noſtrùm innumera mala irruunt; multiplex ſcilicet corporis animique corruptio, grandis ignorantia, ardua difficultas, curæ inutiles, illicitæ cupiditates, ſacrilegi errores, timor vanus, amor noxius, iniuſta gaudia, pœnitenda conſilia, & non minor miſeriarum multitudo quàm criminum. Quibus trahitur infelix homo hic ad corporis mortem, & tandem (quod omnium maxime deplorandum) ad illud extremum, cum deſertoribus angelis, ſine fine ſupplicium. Sic per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerút. Mundum quippe appellauit eo loco Apoſtolus vniuerſum genus humanum.

Ita ergo res ſe habebat. Iacebat in malis vel etiam voluebatur, & de malis in mala præci-

præcipitabatur totius humani generis maſſa damnata; & adiuncta parti eorum qui peccauerant angelorum, luebat impiæ deſertionis digniſſimas pœnas. Ad iram quippe Dei pertinet iuſtam, quidquid cæca & indomita concupiſcentia faciunt libenter mali; & quidquid manifeſtis apertiſque pœnis patiuntur inuiti. At bonus Deus, qui non continet in ira miſericordias ſuas, nō eſt paſſus, vniuerſum genus humanum ira ire perditum: ſed ex tota illa corrupta & damnata humani generis maſſa, vnam ſibi nationem elegit, nempe Iſraëliticam, quam ſpecialibus iam inde ab initio inſtitutis ad pietatem direxit. Sicut ipſemet illi conteſtatus eſt, dicens: Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparaui vos a ceteris populis, vt eſſetis mei. Reliquum autem vniuerſum orbis totius populum, permiſit (vt inquit Paulus) ingredi vias ſuas: hoc eſt, ſecundùm propriam permiſit viuere voluntatem.

Verumtamen, etſi ad eum modum æterna creatoris bonitas ſe ab illis auerteret, vt eos *Proſper* ad cognoſcendum ſe atque metuendum nullis ſignificationibus admoneret: nulli tamen *lib. 2. De* nationi hominum bonitatis ſuæ Deus omnino dona ſubtraxit; vt Propheticas voces & *vocat. gentium cap. 1* præcepta legalia conuincerentur in elementorum obſequijs ac teſtimonijs accepiſſe. Vn- *Lib. 2. cap. 2.* de Paulus Apoſtolus, cùm retuliſſet, Deum dimiſiſſe cunctas gentes ingredi vias ſuas; ſubiecit: Non tamen ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit; nimirum dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda eorum. Cælum quippe, ac terra, & *Proſper* mare, omniſque creatura, quæ videri atque intelligi poteſt, ad hanc præcipue diſpoſita eſt *lib. 2. De* humani generis vtilitatem; vt natura rationalis de contemplatione tot ſpecierum, de ex- *vocat. gentium cap. 2.* perimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem ſui imbueretur auctoris; implente omnia Spiritu Dei, in quo viuimus, mouemur, & ſumus. Quoniam, etſi longè eſt a peccatoribus ſalus, præſentia tamen ſalutis ipſius ac virtute nihil vacuum eſt. Igitur (ſicut dicit Propheta) miſericordia Domini plena eſt terra: quæ nullis vmquam ſæculis, nullis generationibus defuit: eamque prouidentiam, qua vniuerſitatem rerum adminiſtrat & continet, regendis alendiſque naturis ſemper impendit: diſpoſitum habens, ex incommutabilis æternitate conſilij, quibus quidque temporibus diſtribueret, & multiformis gratiæ ſuæ inueſtigabiles inſcrutabileſque menſuras, per quæ dona ac Sacramenta variaret. Sicut enim iſta gratiæ largitas, quæ in omnes gentes nouiſſimè effluxit (qua de re nunc potiſſimum memoriam celebramus, diemque feſtum agimus) non euacuauit eam quę ſuper vnum Iſraël ſub Lege irrorauit; nec præſentes diuitiæ fidem præteritæ abrogant paucitati: ita nec de illa cura Dei, quæ Patriarcharum filijs proprie præſidebat, conijciendum eſt, gubernacula diuinæ miſericordiæ ceteris hominibus fuiſſe ſubtracta. Qui quidem in comparatione electorum videntur abiecti, ſed numquam tamen ſunt manifeſtis pariter occultiſque beneficijs abdicati. Numquam eis defuit teſtimonium, quod ſemper Domino deſeruiuit; & numquam de eius bonitate ac poteſtate conticuit: ipſa videlicet totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius diues & copioſa largitio; per quę humanis cordibus quędam æternæ legis tabulæ præbebantur, vt in paginis elementorum, ac voluminibus temporum, communis & publica diuinæ inſtitutionis doctrina legeretur. Cælum ergo, cunctaque cæleſtia, mare & terra, omniaque quæ in eis ſunt, conſono ſpeciei ſuæ ordinationiſque concentu proteſtabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua maieſtatem ſui loquebantur auctoris. Et tamen maximus numerus hominum, qui vias voluntatis ſuæ ambulare permiſſus eſt, non intellexit nec ſecutus hanc legem eſt: ita vt cælum & terra, velu- *Auguſt.* ti ſurdis laudes Dei loquerentur; immò potiùs de induſtria aures ſuas aggrauantibus & *c. 6. lib. 10. Confeſſ. &* obturantibus, ne clariſſimam creaturarum omnium prædicationem audirent. Vnde fa- *lib. 11. c. 4.* ctum eſt, vt odor vitæ, qui ſpirabat ad vitam, factus fuerit illis odor mortis ad mortem: *Theodoretus, initio* & qui muneribus illis, quæ maxima conſecuti erant, quaſi ducibus quibuſdam ſuis, ad *libri, De affectionibus* Dei contemplationem vti debebant, rerumque illarum auctorem laudando efferre; ip- *Græcanicis.* ſum quidem inhonoratum illaudatumque reliquerint, coluerint autem naturam, ſeruientes creaturæ potiùs quàm creatori: munerumque illorum tum magnitudo tum pulchritudo, occaſionem illis ad ingrati animi vitium præbuit. Datorem namque illorum munerum ignorarunt; ipſis autem muneribus honores Deo debitos perſoluerunt.

CAPVT XIII.

Gentilitiæ nationis erga Dei benignitatem ingratitudo.

ET ita quidem cum multò maxima hominum parte agebatur. Fuerunt tamen nonnulli feliciori præ ceteris ingenio, alijſque naturæ præclarioribus facultatibus præditi, qui ex rerum conditarum aptiſſima diſpoſitione, ordine, ſpecie, pulchritudine, in vnius veri Dei cognitionem deuenerunt. Non quidem naturali mentis ſuæ lumine, ſolâve ingenij vel naturæ perſpicacitate, (cùm tam acerbo natura humana vulnere ſauciata ſit, vt ad cognitionem Dei neminem contemplatio ſpontanea plenè valeat erudire, niſi obumbrationem cordis lux vera diſcuſſerit) ſed ſingulari Dei munere, qui ſeipſum illis per creaturas ſuas tamquam per inſtrumentum peculiariter manifeſtauit; non minùs quàm illis qui prædicantibus Apoſtolis crediderunt.

Proſper lib. 1 De voc. gent. cap. 6.

De hiſce diſputat Apoſtolus, ad Romanos capite primo: Quod notum eſt Dei, inquit, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim eius, à creatura mundi, per ea quę facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur; ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Sed, quid accidit: Cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, nec gratias egerunt; confitentes videlicet, ipſum eſſe ſibi huius cognitionis auctorem; ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim, ſe eſſe ſapientes, (hoc eſt, non in Deo, ſed in ſeipſis gloriantes, quaſi ad veritatis inſpectionem ſuis ſtudijs atque rationibus propinquaſſent) ſtulti facti ſunt: & quod illuminante Dei gratia inuenerant, obcæcante ſuperbia perdiderunt: relapſi à ſuperna luce ad tenebras ſuas; hoc eſt, ab incommutabili atque æterno bono, ad mutabilem corruptibilemque naturam.

Proſper lib. 1. De voc. gent. cap. 3. Auguſt. 5 lib. Confeſſ. cap 33. & De ſpiritu & littera cap. 12.

Subdit Apoſtolus: Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Propter quod (addit) tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Cùm enim homines in amorem ſui recidunt, & ita ſibimet placent, vt totum quod in ſe laudabile iudicant, non ad dona Dei referant, ſed ſibi vendicent & ſtudio propriæ voluntatis adſcribant; incipiunt in ſemetipſis etiam illa temporalia Dei dona corrumpere, & à bono eorum vſu in conſuetudinem innumerabilium tranſire vitiorum. Vnde ampliùs ſubiungit Apoſtolus; Propterea tradidit eos Deus in paſſiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutauerunt naturalem vſum, in eum vſum qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi, relicto naturali vſu feminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis in inuicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes. Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt; repletos omni iniquitate, malitia, ſornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia. Hactenus Paulus, de peſſimorum vitiorum farragine parentum noſtrorum Gentilium.

Proſper vbi ſupra.

Et hęc quidem erat vita, hi mores eorum qui inter Gentiles optimi ac laudatiſſimi habebantur, magnorum inquam illorum Philoſophorum & ſapientum, quibus nihil præclarius, nihil magis admirandum vmquam gentilitas habuit. Hos ipſos, non modò Paulus hoc loco libidinibus fœdiſſimis ceteriſque vitijs contaminatiſſimos fuiſſe pronuntiat; verùm etiam pulchrè idipſum declarat Theodoretus, libro nono & duodecimo De Græcanicis affectionibus: addens quoque, illos leges condidiſſe, flagitiorum libidinumque magiſtras.

Conijcite nunc ex iſtis, de moribus aliorum; nempe vulgi promiſcui inter Gentiles; atque ex præceptoribus de diſcipulorum virtutibus iudicare. Non enim eſt diſcipulus ſuper magiſtrum: perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius. Certè omnibus omnino Gentibus commune erat, quod Apoſtolus ait in Epiſtola ad Epheſios; Et vos, cùm eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundùm ſæculum mundi huius, ſecundùm principem poteſtatis aëris huius, ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ: in quibus & nos omnes aliquando conuerſati ſumus, in deſiderijs

Epheſ. 2.

carnis

carnis noſtrę, facientes voluntatem carnis & cogitationum. Poſteà verò, Hoc autem dico, inquit, & teſtificor in Domino, vt iam non ambuletis ſicut & Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ eſt in eis, propter cæcitatem cordis ipſorum. Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditię omnis, in auaritiam. hoc eſt, in ritum irrationabilium beſtiarum cœno ſe voraginique mergentes, tradiderunt impudicitiæ atque luxuriæ, operantes quidquid corpus voluit, mens deſiderauit, libido ſuggeſſit. & cum nihil omnino prætermiſerunt quod immundum ſit; hoc totum ſecere in auaritia, dum numquam luxuriando ſatiantur, nec eorum terminum habet voluptas. Hieron. in eum locum.

Horret Apoſtolus manifeſte quæ perpetrabant exprimere; ſed obiter ſolummodò illa ſubindicans, ait: Quę in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere. O ſi poſſis, inquit Cyprianus, in illa ſublimi ſpecula conſtitutus, oculos tuos inſerere ſecretis, recludere cubiculorum obductas fores, & ad conſcientiam luminum penetralia occulta reſerare! adſpicias ab impudicis geri, quod nec poſſit adſpicere frons pudica: videas, quod crimen ſit & videre: videas, quod vitiorum furore dementes geſſiſſe ſe negant, & gerere feſtinant. Libidinibus inſanis in viros viri proruunt. Fiunt, quæ nec ipſis poſſunt qui faciunt. Refert monſtroſæ cuiuſdam libidinis Gentium memorabile exemplum D. Hieronymus, libro primo aduerſus Iouinianum: Triginta, inquit, Athenienſium tyranni, cùm Phidonem in conuiuio necaſſent, filias eius virgines ad ſe venire fecerunt, & ſcortorum more nudari, ac ſuper pauimenta patris ſanguine cruentata, impudicis geſtibus ludere. Quæ, paulisper diſſimulato doloris habitu, cùm temulentos conuiuas cernerent; quaſi ad requiſita naturæ egredientes, inuicem ſe complexæ præcipitauerunt in puteum, vt virginitatem morte ſeruarent. Epheſ. 5. Epiſt. 2. lib. 2. ad Donatum.

Eiuſmodi autem immunditias atque flagitia, non domi tantùm interque priuatos parietes perpetrabant Gentiles; ſed palàm quoque in publicis theatris, cuiuſuis ſexus ætatiſque hominibus ſpectantibus, tota præſente populi multitudine. Huius tanti flagitij teſtes, D. Auguſtinus de Ciuitate Dei lib. 1. capite 31. & 32. lib. 2. capite 8. & ſequentibus, item cap. 25. & ſequentibus: Cyprianus libro ſecundo, Epiſtola 2. Lactantius libro 1. cap. vigeſimo, circa principium. Adeò omnem pudorem, honeſtatem omnem, omnem denique humanitatem exuerant. Quin etiam credebant (id quod res quoque erat) deos ſuos id genus turpitudinibus & delectari propitios, & placari offenſos: atque, vt primitias quaſdam dijs debitas, nefanda huiuſmodi ſcelera in templis offerebant, ait Euſebius, lib. 4. De præparat. Euangel. cap. 8. Et ſanè dij ipſi, nimirum impuriſſimi nequiſſimique dæmones, iſta ſuis honoribus exhibenda flagitauerunt, atrociter imperauerunt, cladem (ni fieret) prænuntiauerunt; quia neglectum eſt aliquid, ſeueriſſimè vindicauerunt: denique, quia id quod neglectum erat factum poſteà eſt, placatos ſe eſſe monſtrauerunt. Cuius rei memorabile exemplum refert Auguſtinus libro quarto de Ciuitate Dei capite 26. de Tito Latino ruſtico Romano: Huic, inquit, patriſamilias dictum eſt in ſomnis, in Senatum nuntiaret, vt ludi Romani inſtaurarentur; quòd primo eorum die, in quodam ſcelerato qui populo ſpectante ad ſupplicium duci iuſſus eſt, numinibus videlicet ex ludis hilaritatem quærentibus triſte diſplicuiſſet imperium. Cùm ergo ille, qui ſomnio commonitus erat, poſtera die iuſſa facere non auſus eſſet; ſecunda nocte hoc idem rurſus ſeueriùs imperatum eſt. amiſit filium, quia non fecit. Tertia nocte dictum eſt homini, quòd maior ei pœna, ſi non faceret, imminerer: cùm etiam ſic non auderet, in morbum incidit acrem & horribilem. Tum verò, ex amicorum ſententia, ad Magiſtratus rem detulit; atque in lectica allatus eſt in Senatum: expoſitoque ſomnio, recepta continuò valetudine, pedibus ſuis ſanus abſceſſit. Tanto ſtupefactus miraculo Senatus, quadruplicata pecunia, ludos cenſuit inſtaurari. Quis non videat, qui ſanum ſapit, ſubditos homines malignis dæmonibus (à quorum dominatione non liberat niſi gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum) vi compulſos eſſe, exhibere talibus dijs quæ recto conſilio poterant turpia iudicari? In illis ludis corruptorem pudicitiæ Iouem turpiſſimi hiſtriones cantabant, agebant, placabant. Hactenus Auguſtinus. Sic itaque captiui Gentiles tenebantur ad dæmonum voluntatem, & ſequebantur quocumque peſſimorum hoſtium tyrannis ac libido rapiebat. Atque id meritò ſanè. quippe, à quo quis ſuperatus eſt, huic & ſeruus addictus eſt, vt illi in omnibus quæ imperat obſequatur.

CAPVT XIIII.

De alijs prætereà flagitijs Gentium antiquarum.

SEo iam de alio præter audita infando Gentium flagirio pauca dicamus, vt ex duobus vel tribus cetera colligantur: tantoque manifeſtius conſtet, quam magna [illegible] nobis ſit gratia, quam miſericors Deus humano generi, ac ſpeciatim no[illegible]s, in [illegible]um vocatione præſtiterit. Tanta olim crudelitas, tamque inaudita inhumanitas Gentium olim animos poſſidebat; vt quaſi dæmoniaci, & à peruerſis profectò ſpiritibus ag[illegible], liberorum ſuorum cruore ſceleſtas placarent virtutes: ita vnicum pater filium, d[illegible]ectam mater filiam dæmonibus velut ouem iugularent. Id quod a Gentibus quoque didicerunt ac imitati ſunt, ſemper ad deteriora procliues, Iudæi. Et commixti ſunt, inquit P[illegible]almiſta, inter Gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierũt ſculptilibus eorum; & fa[illegible]um eſt illis in ſcandalum. Et immolauerunt filios ſuos & filias dæmonijs; & effuderunt ſanguinem innocentem; ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan. Et infecta eſt terra in operibus eorum.

Pſal. 105.

Vbique terrarum, tam apud Romanos & Græcos, qui pręceteris honeſti magis & culti eſſe videbantur, quàm apud alias barbaras nationes, ibi Ioui, hic Saturno, alibi Dianæ, Marti, Mercurio, Veneri, & neſcio quibus alijs deorum monſtris, nunc innumque portentis, humanæ quotidie hoſtiæ mactabantur. Et nunc quidem vnus, nunc duo, nunc tres ſimul, aut plures, prout conſuetudo habebat, & placandum erat numen offenſum: aliquando ducenti, trecenti, vel ſexcenti etiam, ijque totius patriæ nobil[illegible]mi & p[illegible]æſtantiſſimi (proh facinus!) vno ſacrificio necabantur. Aliàs, innocentes atque imbelles infantulos, quæ maxime eſt ętas parentibus dulcior, ſine vllo reſpectu pietatis, non dubitabant extinguere, dijſque ſuis immolare; immanitatem omnium beſtiarum, quæ fœtus ſuos tuentur, feritate ſuperantes. Videre eſt de ſimilibus apud Euſebium, libro quarto De pręparatione Euangel. cap. ſeptimo & octauo: apud Theodoretum, De affectionibus Græcanicis libro ſeptimo: & apud Lactantium, libro primo Diuinarum inſtitution[illegible], capite vigeſimoprimo.

Homines duos cuſtodia publica aſſeruatos, præclareque enutritos, quotannis Athenienſium ciuitas (vbi tamen vigere maxime ſapientia videbatur) expiandorum [illegible]ſtiadotumque ciuium gratia, iugulabat, vnum dumtaxat pro maribus, pro feminis alterum: quos pharmacos appellabant: quia illorum morte ſalutaris vrbi medela repr[illegible] exiſtimabatur. Sic Nicolaus Leonicus, De varia hiſtoria libro tertio, ca[illegible]o-tertio.

Aliàs, filios ſuos (vt ſuprà meminimus) alioſque homines ignibus in [illegible] concremabant. Vnde Iudæis præcipitur, ne, iuxta abominationes Gentium, inueniatur [illegible]s, qui luſtret filium ſuum aut filiam, ducens per ignem. Et tamen pręceptu[illegible] hoc negligentes (vt erant ſemper ad omnem impietatem procliues) inueniuntur & ip[illegible] nato[illegible] ſuos idolis per ignem conſecraſſe. De Achaz enim Rege Iuda, clariſſimè ſcribitur, quòd [illegible] per omnia quæ fecit mala, etiam filium ſuum conſecrauit, transferen[illegible] per [illegible], ſecundum idola Gentium. Sic de Manaſſe conteſtatur Scriptura, quòd filium ſuum per ignem traduxerit.

Deut. 18. 4. Reg. 17. 4. Reg. 16. & 21.

Si quis autem noſſe cupiat rationem & modum, quo ſacrificium iſtud [illegible]ad[illegible]ndi immolandique per ignem filios peragebatur, explicabo perpaucis: quo[illegible] iam iſtud quoque ad impietatis & crudelitatis Gentium magnitudinẽ pertinet. Erat apud eos ænea Sat[illegible]ni ſtatua (in Scriptura [illegible]a Moloch vocat[illegible]r) magnitudine mirabilis, [illegible] habe[illegible] Inanem & concauum; in qua cõcauitate ignis ſtruebatur, done[illegible] penitus [illegible]um eſſet, & candens: tum in manibus idoli adoleſcens illi cõ[illegible]ecratus ponebatur. Vbi po[illegible], in med[illegible] ignis voraginem in idoli vtero incidebat: moxq[illegible]e ſacerdotes [illegible] ter ferientes tantum e[illegible]citabant hor[illegible]orem & ſonum, vt interim morient[illegible] miſere pueri vox & clamores audiri non poſſint: ne videlicet parentes eiulatu aut vociſeratione pue[illegible] commouerent[illegible], ſed crederent potiùs, eum ſine vllo dolore ad ſumm[illegible]m à Deo f[illegible]tem exceptum fuiſſe. Vide Euſebium, libro quarto De pręparatione Euangelica, capite ſeptimo: & Lyranum in decimumoctauum caput ſecundi Leuitici, & in caput decimumſextum quarti Regum.

Apud

Apud multos autem populos antiquiſſimi moris fuit, cùm ciuitas aliqua fame, aut peſtilentia, aut aliqua enormi calamitate laboraret, diſquirere hominem in ea turpiſſimum: eumque ad locum ſacrificio illi conſtitutum deducebát, manu tenentem caſeum cum placenta, & ſiccas ficus. quem poſtmodum ſepties caprifico alijſque virgulis ſilueſtribus partes verendas verberatum, ſcrobe eo loco facta, lignis ſilueſtribus comburebát, confectumque cinerem pro vrbis illius expurgatione & piaculo in mare proijciebant. *Leonicus lib. 3. cap. vlt.*

O dementiam inſanabilem. Quid illis enim iſti dij ampliùs facere poſſent, ſi eſſent iratiſſimi, quàm faciunt propitij; cum ſuos cultores parricidijs inquinant, orbitatibus mactant, humanis ſenſibus ſpoliant: Quid poteſt eſſe his hominibus ſancti? aut quid in profanis locis faciant, qui inter aras deorum ſumma ſcelera committunt?

Ab iſto autem genere ſacrorum non minoris inſaniæ iudicanda ſunt publica illa ſacra; quorum alia ſunt Matris deorum, in quibus homines ipſi ſuis virilibus litant: amputato enim ſexu, nec viros ſe nec feminas faciunt. alia Virtutis, quam Bellonam eamdem vocant, in quibus ipſi ſacerdotes, non alieno, ſed ſuo cruore ſacrificant: ſectis namque humeris, & vtraque manu diſtrictos gladios exerentes, currunt, efferuntur, inſaniunt. Quod genus ſacrificij, in noſtra etiam hiſtoria Sacra expreſſum eſt. Cùm enim de vero Deo certamen eſſet inter prophetas ſeu ſacerdotes Baal & Eliam; & vtrique pro victoria ſuo Deo ſacrificium immolarent; *3. Reg. 18.* de illis dicit Scriptura, quòd clamabát voce magna de mane vſq; ad meridiem; Baal, exaudi nos: & incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine. De ſimilibus ſanguinarijs ritibus, Auguſtinus libro ſeptimo de Ciuitate Dei, capite vigeſimoſexto. Hieronymus, in illud Oſeæ quarto: Ideò fornicabuntur filiæ. & Prudentius in fine paſſionis ſancti Romani Martyris.

Nónne ſatius foret, pecudum more viuere, quàm deos tam impios, tam profanos, tam ſanguinarios colere? Certe, ſi dij ſunt iſti, qui ſic coluntur; vel propter hoc ſolum colendi non ſunt, quòd ſic coli volunt. *Lactant. lib. 5. c. 21.* Digni ſcilicet deteſtatione hominum, quibus, cum lacrymis, cum gemitu, cum ſanguine de membris omnibus fluente, libatur. Saturnus in Latio cultus eſt, non quidem vt homo ad aram immolaretur, ſed vt in Tiberim fluuium de ponte Miluio mitteretur. Apud Lindum, quod eſt oppidum Rhodi, Herculis ſacra fuerunt, quæ maledictis & execrationibus celebrabantur: eaque pro violatis habebant, ſiquando inter ſolemnes ritus vel imprudenti alicui excidiſſet bonum verbum. Quæ profectò iam non ſacra ſunt, ſed ſacrilegia; in quibus id ſanctum dicitur, quod in alijs, ſi fiat, etiam ſeueriſſimè vindicatur.

CAPVT XV.

De cruentis Gentilium ludis olim & ſpectaculis.

SED hæc de ſacrificijs Gentium breuiter annotaſſe ſuffecerit. De ludis verò illorum inſenſatorum cruentis atque ſpectaculis, quid dicam? Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum ſanguis oblectet. *Cyprian. lib. 2. Ep. 2.* Impletur in ſuccum cibis fortioribus corpus, & aruinæ toris membrorum moles robuſta pingueſcit, vt ſaginatus in pœnam carius pereat. *Prudent. lib. 1. contra Symmach. de ſpectac.* Homo occiditur in hominis voluptatem: & vt quis poſſit occidere peritia eſt, vſus eſt, ars eſt. Scelus non tantùm geritur, ſed docetur. Quid poteſt inhumanius, quid acerbius dici? Diſciplina eſt, vt perimere quis poſſit; & gloria eſt, quòd peremit. Quid illud, oro te, quale eſt vbi ſe feris obijciunt, quos nemo damnauit ad beſtias? Ætate integra, honeſta ſatis forma, veſte pretioſa, viuentes iuuenes in vltroneum funus ornantur. Malis ſuis miſeri etiã gloriantur. Pugnant ad beſtias, non crimine ſed furore. Spectant filios ſuos patres: frater in cauea, & ſoror præſtò eſt. Et ſpectaculi licet pretium largior muneris apparatus amplificet, vt mœroribus ſuis mater interſit; hoc, prô dolor, mater redimit: & in tã impijs ſpectaculis, tamq; diris & funeſtis, eſſe ſe non putant oculis parricidas.

CAPVT XVI.

Alia adhuc dementiæ Gentium argumenta.

Lib. 1. contra Iouinianũ circa finem. *Lib. 2. Eadem habet Theodoretus lib. 1. De Græcarum affectiou.*

HÆc de ſpectaculis inhumanis Gentilium. Si quis alia præterea cæcitatis ac dementiæ Gentium argumenta deſideret: Indi, inquit D. Hieronymus, vt omnes ferè barbari, vxores plurimas habent. Apud eos lex eſt, vt vxor cariſſima cum defuncto marito cremetur. *Maſſagetæ & Derbices, miſerrimos putant, qui ægrotatione moriantur: & parentes, cognatos, propinquos, cùm ad ſenectutem venerint, iugulatos deuorant; rectius eſſe ducentes, vt à ſe potiùs quàm à vermibus comedantur. Tytareni, quos dilexerunt, ſenes ſuſpendunt in paribulis: Hyrcani volucribus & canibus ſemiuiuos proijciunt: Caſpij iiſdẽ beſtijs mortuos: Scythæ eos qui à defunctis amati ſunt, viuos infodiunt cum oſſibus mortuorum: Bactri canibus ad hoc ipſum nutritis proijciunt ſenes. Quod cùm Alexandri præfectus Nicanor emendare voluiſſet, pænè amiſit prouinciam. Tanta eſt humani generis à Deo deſerti inhumanitas.

Sed quid ego diutiùs iſtis inhæreo, & errores flagitiaque Gentium enumerate laboro? Nulla in quoquam virtus fuit, vitijs vbique prædominantibus: nulla fides, omnia pro ſe vnoquoque rapiente: nulla pietas, nec conſanguineis nec parentibus parcente auaritia, & cupiditate in venenum & ferrum tuente: nulla pax, nulla concordia, publicè bellis ſæuientibus, priuatim verò inimicitijs vſque ad ſanguinem ſurentibus: nulla pudicitia, libidinibus effrænatis omnem ſexum & omnem corporis partem contaminantibus.

CAPVT XVII.

Exitioſa falſorum deorum congeries.

Idem lib. 5. cap. 10.

NEc eſt difficile dicere, cur deorum cultores boni & iuſti eſſe non poſſint. Quomodo enim ſanguine abſtinebunt, qui colunt cruentos deos, Martem atq; Bellonam? Quomodo autem parentibus parcent, qui expulſorem patris ſui Iouem, aut natis ex ſe infantibus, qui colunt Saturnum? Quomodo pudicitiam tuebuntur, qui colunt deam nudam & adulteram, & quaſi apud deos proſtitutam? Quomodo ſe à rapinis & fraudibus abſtinebunt, qui Mercurij furta nouerunt, docentis, non fraudis eſſe decipere, ſed aſtutiæ? Quomodo libidines coërcebunt, qui Iouem, Herculem, Liberum, Apollinem, ceteroſque venerantur, quorum adulteria & ſtupra in mares & feminas, non tantùm doctis nota ſunt, ſed exprimuntur etiam in theatris, atque cantantur, vt [illegible] no-riora? Poſſúntne inter hæc iuſti eſſe homines, qui etiam ſi natura ſint boni, ab ipſis tamen dijs erudiantur ad iniuſtitiam? Ad placandum enim Deum quem colas, ijs rebus opus eſt, quibus eum gaudere ac delectari ſcias. Sic fit, vt vitam colent[illegible] De[illegible] pro qualitate nominis ſui formet; quoniam religioſiſſimus eſt cultus, imitari eum quem colas.

Euſeb. ſeu potiùs Ruffinus lib 11. hiſt. Eccl. cap. 26.

Omnis itaque impietas, omnis barbaries, omnia vitia Gentium, haud aliunde atque ex ſummi boni, ex vnius veri Dei ignoratione manarunt: dum videlicet vnuſqu[illegible]ue quod volebat, pro Deo colebat; aut immundiſſimos nequiſſimoſq; dæmones, aut homines mortuos, ſummis quoque dum viuerent flagitijs inquinatos, aut muta etiã elementa, aquam videlicet & ignem, quibus quotidie vtimur; aut ſtellas, aut humana induſtri[illegible]ctas ſtatuas, quæ diuina ſcilicet ſua potentia ab ærugine & tinea minimè ſe defendunt. Quin potius, oculi eorum pleni ſunt puluere, à pedibus introeuntium: & facies e[illegible] nigræ ſunt, a fumo qui in domo fit. Si ceciderint in terram, a ſemetipſis non con[illegible] neque, ſi quis eos ſtatuerit rectos, per ſemetipſos ſtabunt: ſed ſicut mortuis humeri cotum illis apponentur. Hoſtias eo[illegible] vend[illegible]t, & veſtimenta illorum auferunt [illegible] dotes ipſorum, & veſtiunt vxores ſuas & filios ſuos. Neque, ſi quid mali patiuntur ab al[illegible]uo, neque ſi quid boni, poterunt retribuere. & cetera, quæ fuſè & eleganter explicat Ie[illegible]emias Propheta, in Epiſtola q[illegible]am miſit ad Iudæos, qui captiui abducti erant [illegible] B[illegible]nem; quæ Baruch Prophetæ caput ſextum inſcribitur. vt & Iſaias cap. 44. & 46. Præter hæc [illegible]mnia, miſerrima quoque animalia, turpiſſima, odioſiſſima, viliſſimaque pro numinibus col[illegible]bant; mures, feles, ranas, dracones, ſerpentes, c[illegible]ocodilos, accipitr[illegible], noctuas, & ſimilia; quæ ipſa etiam auditione horrenda ſunt. Omnia hæc, magna & m[illegible]errima

rima humani generis calamitate, in deorum numerum atque exiſtimationem venêre. Nec eatenus quidem ratione vſi ſunt, vt pulcherrima & humani generis vſibus apta deligerent, cum ex animalibus ſibi deos facere vellent; ſed maximè hominibus infeſta, & quæ Dei laudem & benedictionem quodammodò effugerunt: hoc eſt, in quibus gratia & laus diuini artificij minùs apparet. Quid, quòd etiam Rubiginem, & Morbos, pro dijs coluerint, Febri ſcilicet, Pauori, & Pallori fana conſtituentes, ijque etiam ipſi Romani? Digni profectò, qui ſemper deos ſuos (ſicut optari ſolet) præſentes habeant. Vide Epiphanium in fine Ancoratus; Auguſtinum libro 1. De conſenſu Euangeliſtarum, capite decimooctauo, & libro ſecundo De Ciuitate Dei, capite decimoquarto, item libro quarto, capite vigeſimotertio; Hieronymum in tertium caput Ioëlis Prophetæ; Lactantium libro primo diuinarum Inſtitutionum, capite ſecundo.

Verùm, quid diutius fruſtrà deorum Gentilium portentis recenſendis inhæreo; cùm non vanus certè auctor Euſebius, triginta deorum millia olim in terra fuiſſe, memoriæ prodat? Ita in dies augendis huiuſmodi inſanijs deorum ac religionum, magnum denſumque ſibi homo murum circumdabat, ne ad verum veri Dei cultum perueniret, & ad viam ſuæ beatitudinis. Eos verò, quos vel bonitate aliqua ingeniorum, vel diſciplina atque informatione humanitatis, videbat dæmon ad ſaniorem mentem poſſe peruenire; magnis occupationibus propoſitis, ab ea cogitatione & cura auertebat. Græcis ac Romanis ingenijs dedit poëſim, hiſtoriam, ſtudium dicendi benè, cognitionem naturæ, mathematicas, exercitamenta corporis, bellica negotia, nobilitatem, rem publicam, rem priuatam, opulentiam, decus, dignitates, ambitionem, famam, gloriam. Inter hæc autem tam multa & varia, quibus quaſi catenati diſtinebantur, ecquæ tandem eſſe poterat religionis cogitatio & cura ſeria bonæ fidei? Aſſentiebantur modò receptis iam olim opinionibus de dijs & eorum cultu; reliquaſque omnes cogitationes ijs occupationibus impendebant, quæ ſatis eſſent quibuſcumque ingenijs diſtringendis & obruendis. Huc namque & illud ſpectat, quod Marcus Varro, magno ſtudio de deorum multitudine & poteſtate inquiſiuit, ſed imperfecto opere deſtitit, quòd ſupra triginta millia ſe inueniſſe memoraret. Baxilis verò quidam Philoſophus (cuius Cicero in Natura deorum métionem facit, quique multis annis magno in pretio Romæ habitus fuit) moriens, Romanis ducenta octoginta deorum millia dicitur colenda tradidiſſe; atque ita viſus fuiſſe benè Vrbi proſpexiſſe, quod tantam deorum tutelarium multitudinem illi reliquerit.

Lib. 5. De prepar. Euangelic. cap. 15.

CAPVT XVIII.

Quàm gratos nos eſſe Deo oporteat, pro eiuſmodi Gentium vocatione.

IAM igitur non difficile eſt, conſiderare, quantæ nobis, ex hiſce Gentibus oriundis, Diuinæ bonitati agendæ ſint gratiæ, quòd de tantis tenebris, atque adeò de ipſa vmbra mortis vocauit in admirabile lumen ſuum: quòd dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine: quòd eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemtionem & remiſſionem peccatorum. quantæ nunquam, nobis illi agendæ ſint gratiæ, qui ſalutem nobis præſtitit ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos, peſſimorum ſcilicet dæmonum: vt iam ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi, in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus vitæ noſtræ.

1. Pet. 2. Coloſſ. 1. Luc. 1.

Certè Paulus Apoſtolus Gentium, in omnibus Epiſtolis ſuis, vt par eſt, diligentiſſimè iſtud inculcat, ſemperque vnicuique noſtrûm ante oculos conſtituendum admonet. Et vos, inquit Coloſſenſibus, cum eſſetis aliquando alienati & inimici ſenſu, in operibus malis, nunc reconciliauit in corpore carnis ſuę per mortem; vt exhiberetis vos ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo. Et iterùm, ad eoſdem ſcribens: Et vos, cùm mortui eſſetis in delictis & prępurtio carnis veſtrę, (id eſt, peccato originali) conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, &c. Ad Corinthios autem: Neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt. Et hæc quidem fuiſtis, inquit; ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati

Coloſſ. 1. Cap. 2. 1 Cor. 6.

eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Spiritu Dei noſtri. Ad Ephesios au[illegible]
Ephes. 2. Memores eſtote, inquit, quod aliquando eratis Gentes in carne, qui dicebami[illegible] præpu-
tium, ab ea, quæ dicitur circumciſio in carne manifeſta: quod er[illegible] te[illegible]pore ſine
Chriſtu, alienati a conuerſatione Iſrael, hoſpites teſtamentorum pro[illegible]is ſpem non
habentes, & ſine Deo in hoc mundo. Nunc autē in Chriſto Ieſu, vos qu[illegible] ali[illegible]ando era[illegible]
longe, facti eſtis prope, in ſanguine Chriſti: qui veniens euangeliza[illegible]t pace vob[illegible] [illegible]n-
gè fuiſtis, & pacem ijs qui prope. Per ipſum habemus acceſſum ambo in vno [illegible]piritu ad
Patrem. Ergo iam non eſtis hoſpites & aduenæ [illegible] agnoſcite dignitatem & excellentiam
veſtram Ch[illegible]iſtiani) ſed eſtis ciues Sanctorum & domeſtici Dei, ſuperædifica[illegible] per
fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ip[illegible]o [illegible]um[illegible]o angulari la[illegible]ide Chri[illegible]
ſu; in quo omnis ædificatio creſcit in templum ſanctum in Domino [illegible] in quo & vos coæ-
dificamini in habitaculum Dei, in Spiritu ſancto.

Coloſſ. 1 Hoc eſt illud myſterium, quod abſconditum fuit a ſeculis & genet[illegible] quod [illegible]
Ephes. 3. bi alijſque Apoſtolis & Prophetis reuelatum tantummodò, Paulus [illegible]lo[illegible]atur; quibu[illegible]
luit Deus ſingulari dignatione notas facere diuitias gloriæ ſiue [illegible]tatiæ ſuæ, ſacramen[illegible]
ius in Gentibus, quod eſt Chriſtus in nobis. Hoc eſt, inquam, [illegible] illud, Ge[illegible]
Rom. 9. eſſe coheredes & concorporales & comparticipes promiſſionis eius i[illegible] Chri[illegible]o Ieſu: [illegible]d
nimirum, qui non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iu[illegible]itiam; iuſtitiam autem [illegible]æ
ex fide eſt: Iſrael verò ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non pe[illegible]enit [illegible] q[illegible]
in loco, vbi dictum eſt eis; Non plebs mea vos; ibi vocat[illegible] ſunt filij [illegible]ei viui. qu[illegible]ique vo-
cauit Deus non plebem ſuam, plebem ſuam; & non dilectam, dilectam, & non miſerico[illegible]-
diam conſecutam, miſericordiam conſecutam.

CAPVT XIX,

Vocatio Gentium ex mera Dei miſericordia promanau[illegible]t, ab[illegible]que prauijs vllis meritis.

IAM illud nobis ad memoriam reuocandum eſt, quod Iudæis olim dixit Moyſes: Ne
Deut. 7. dicas (ô Chriſtiane) in corde tuo; Propter iuſtitiam meam vocauit me Deus ad ve-
ram fidem. Neque enim propter iuſtitiam tuam, & æquitatem cordis tui, ad g[illegible]m
ſuam Dominus te vocauit, cùm inquinatiſſimæ & impijſſimæ olim [illegible] vt iam ante oſten-
dimus) vitæ fueris: ſed, quia dilexit te Deus, ideo tanta tibi beneficia contulit. Non qu[illegible]ſi
1. Ioan. 4. nos, inquit Ioannes, dilexerimus Deum [illegible] ſed quia ipſe prior dilexit nos, & miſi[illegible] F[illegible]
Ierem. 31. ſuum, propitiationem pro peccatis noſtris. Et, quid ipſe Dominus: In c[illegible] in[illegible]t,
perpetua dilexi te; ideò attraxi te, miſerans. Gratias agimus tibi Domine Ieſu Chri[illegible]te,
quòd noſtri dignatus es miſereri.

Act. 11. Certè, non immeritò olim, concionante Petro, ſumma admiratione Deum quidā glo-
Act. 10. rificantes dixerunt: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. [illegible]ante Ob-
ſtupuerunt ex circumciſione fideles, quia & in nationes gratia Dei effuſa eſt. Conſidera-
bant enim vitam moreſque Gentium peſſimos & flagitioſiſſimos: neque vnqua[illegible]
veri Dei cultu vel agnitione fuiſſe præditos. inſuper nulli vnqu[illegible]m Ge[illegible]um prom[illegible]
nem ſalutis per Chriſtum factam eſſe, ſed hoſpites illos eſſe (vt Paulus ait) teſtame[illegible]
rum promiſſionis de venturo Saluatore mundi: hoc eſt, extraneos omnino & alie[illegible]
pactis illis & promiſſionibu[illegible] Dei. Quamquam eni[illegible] in Scripturis prędicta quoq[illegible] f[illegible]
vocatio Gentium; & propheticarū veritas, quæ de ea re prædicantatæ fuerunt, expoſceret [illegible]
in Chriſti familiam reciperentur: tamen quia illis ipſis peculiariter nulla eſt facta [illegible]
miſſio, ſed tamquā inſi[illegible]ijs tamis beneficium ol[illegible]uæ co[illegible]catum; ea car[illegible]a[illegible]t v[illegible]
tate iuſtitiæ, quæ in Iudæis erat: qui & prom[illegible]onem ve[illegible] Saluatoris ipſi acceper[illegible]nt,
& illius promiſſionis implendæ certiſſimam diuinam Scripturam, variaſque exter[illegible]
cærimonias, veluti quædam pignora, habuerunt; vt illis Deus quodammodò op[illegible]
tu[illegible] & obligatus fuerit. Nam etſi nulli c[illegible]turæ ipſe [illegible]priè obligetur, tamen no[illegible]
modo concipiendi, illi fit obligatus, cui aliquid promittit: per Prophetiam verò & [illegible]u-
dam prædictionem (quæ etiam reſpectu Gentium facta eſt) nulli obligatur ext[illegible] [illegible]c
Rom. 15. Paulus Apoſtolus [illegible]ico, inqu[illegible]t, Chriſt[illegible] Ieſum mi[illegible]m fuiſſe circumc[illegible]ſioni[illegible]
confirmandas promiſſiones patrum; Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deu[illegible]

Ad

Ad hæc multi ſancti & Deo grati Iudæorum patres hoc apud Deum impetrauerant
& meruerant, vt redemtionis Chriſti gratia Iudaico populo præſtaretur, & promiſſio-
nem venturi Meſſiæ in ipſorum Deus poſteritate compleret. Sicut Abrahæ, propter
inſignem eius obedientiam Deus promiſit, dicens; Per memetipſum iuraui; quia feciſti *Geneſ. 22.*
hanc rem, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me, benedicam tibi, & multipli-
cabo ſemen tuum, &c. Sic & Dauidi, propter maximam eius deuotionem in cultu Dei,
& pietatem, promiſſum eſt, quòd ex ipſo eiuſque poſteritate Chriſtus naſceretur; vt pa-
tet ſecundo libro Regum, capite ſeptimo, & Pſalmo centeſimo trigeſimo primo Fuerunt
& alij multi Patriarchæ, Prophetæ, & ſancti Reges; propter quorum frequentes orationes
ac merita, ſuam Deus promiſſionem in Iudęis impleuit. Et quia patrum ac maiorum Iu-
dæorum merita, ipſorum quoque Iudæorum quodammodò reputabantur; ſicut nobis
plerumque adſcribimus, quod maiores noſtri geſſerunt; ideò dici poteſt Chriſtus ad Iu-
dæos propter merita eorum veniſſe, ſano nimirum intelligendi interpretandique modo.

At verò in Gentibus nulla vnquam merita præceſſerunt, propter quæ illis Chriſtus
gratiam ſuam communicaret. Sed cum diabolo, Dei atque humani generis infeſtiſſimo
hoſti, tota voluntate ſeruirent, & flagitia ſemper flagitijs cumulantes, Deum aſſiduè ad
iracundiam ac vltionem prouocarent, & quaſi cum Deo & ſalute ſua ſtudio decertarent;
ipſe benigniſſimus, omnis eorum iniquitatis immemor, varijs vltrò gratiarum donis eos
ſibi deuinxit, & tamquam intimos amicos ſuos per proprium eos Filium benigniſſimè
viſitauit. vt merito per Iſaiam de Gentibus dicat; Inuentus ſum à non quęrentibus me: *Iſai. 65.*
palàm apparui ijs qui me non interrogabant.

TRACTATVS HVIVS CONCLVSIO.

HOc eſt potiſſimùm (vt præſentem Tractatum cóncludamus) in iſta Epipha-
niæ ſolemnitate recolendum: hanc demum meram eſſe Dei erga nos gra-
tiam & miſericordiam; has eſſe inueſtigabiles diuitias Chriſti, quas toties
iactat & commendat Apoſtolus; Gentium nimirum admirabilem in hac
apparitione prælibatam vocationem, & illuminationem: pro qua, ſi dignè
& cum fructu vnquam hoc feſtum celebramus, quantas poſſumus Deo gratias nobis
agendas certò perſuaſum habeamus. Laudate ergo Dominum omnes Gentes; laudate *Pſal. 116.*
eum omnes populi. Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius; & veritas Do-
mini manet in æternum. Lætamini Gentes cum plebe eius: eratis enim ſicut oues erran- *Rom. 15.*
tes; ſed conuerſi eſtis nunc ad Paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum. *1. Pet. 2.*

Quòd ſi, cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mor- *Rom. 5.*
tuus eſt; multò magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum. Si
enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius; multò magis
reconciliati, ſalui erimus in vita ipſius. Quod vt præſtet nobis, ſæpiùs & deuotè hac vel
ſimili precatione rogandus eſt, quæ Eccleſiæ vſu recepta eſt:

ORATIO.

DEvs, *qui Vnigenitum tuum Gentibus ſtella duce reuelaſti: concede propitius; vt, qui
iam te ex fide cognouimus, vſque ad contemplandam ſpeciem tuæ celſitudinis perduca-
mur. Per eumdem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum,* &c.

Nam certo certius eſt, nihil nobis profuturum eſſe, quòd ſimus per Chriſtum ad fi-
dem ſuique agnitionem vocati, ſed contrà magis obfuturum, niſi per bona opera certam *1. Pet. 1.*
noſtram electionem & vocationem faciamus. iuxta illud; Non auditores legis iuſti ſunt *Rom. 2.*
apud Deum, ſed factores. Et, Si hæc ſcitis; beati eritis, ſi feceritis ea. Et, Scienti bonum, *Ioan. 13.*
& non operanti, peccatum eſt illi. Denique; Melius eis erat non cognouiſſe viam iuſti- *2. Pet. 2.*
tiæ, quam poſt agnitionem retrorſum conuerti.

PETRI SIMONIS TILETANI

EPISCOPI YPRENSIS

DE PVERO IESV CVM DOCTORIBVS IN TEMPLO DISPVTANTE

Diſſertatio.

QVIS finis & ſcopus fuerit huius rei ac velut primi omnium miraculi IESV Chriſti; ſeu, quamobrem puer IESVS, in puerili ſua, tenera, infirma ætate, ſemperque in primis ignorantiæ plena, in templo inueniri, interque Doctores Iudæorum præcipuos ſedere, cum ijs diu multumque quaſi diſputare; nempe vt Euangelium noſtrum habet, interrogare illos, viciſſimque illorum interrogatis & quæſtionibus reſpondere; ac breuiter ſcientiæ ſuæ, doctrinæ ac ſapientiæ admirabilis, prorſuſque diuinæ ſpecimen tale omnibus publicè præbere voluerit; in ipſo Tractatus huius exordio paucis explanandum putauimus. Nimirum voluit hoc modo oſtendere, non tantùm parentibus & amicis, ſed etiam inimicis ſuis; nec bonis tantùm & pijs, ſed malis quoque & impijs; ſe verum eſſe Meſſiam & Saluatorem populi in lege Moyſis & Prophetis promiſſum: ne quis in re tanti momenti, quantum quidem in ipſo fuit, falleretur. Et hoc ſignificant apertè verba illa Euangelij
Luc. 2. huius, quæ dixit parentibus ſuis; Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe? Hoc eſt; An non occurrit vobis, quiſnam ſim? Neceſſe habui inchoare ad hunc modum officium Meſſiæ, quod dedit mihi Pater; & palàm oſtendere quamobrem à Patre meo cæleſti miſſus fuerim in hunc mundum. Sed quia hanc rem alias latiùs explicauimus, nihil iam de ea dicemus ampliùs, ne actum agere videamur. Illud tantummodò nunc adijciemus, puerum IESVM hoc admirabili opere docuiſſe, ſi quis aduertere atque intelligere voluiſſet, non modo ſe verum Meſſiam eſſe, ſed etiam qualiſnam Meſſias venturus erat, ſeu quid facturus, quomodo victurus, quale regnum habiturus, quodnam deniq; vel quale eſſet præcipuum eius officium. Qua maxime in re omnes magnopere fallebantur, Magiſtri pariter & populus, docti & indocti, Sacerdotes & ſæculares, boni & mali. Quamquam tamen ſimplex populus à Paſtoribus ſuis & Doctoribus, hoc eſt, à Sacerdotibus & legiſperitis, à ſcribis & Phariſæis, hunc cum alijs multis errorem acceperat ac didicerat; miſereque multis in rebus ad ſalutem ſuam pertinentibus, à cæcis huiuſmodi ducibus (vt rectè in Euangelio nominantur) ſeductus fuerat: omnes nihilominus magno deſiderio, magnaque verborum iactantia Meſſiam expectabant; ſed imaginabantur ſibi omnes & fingebant Meſſiam longe alium quàm futurus erat. Credebant futurum magnum Regem, cum ingenti pompa externæ maieſtatis venturum, cum magna vi auri & argenti, cum equis & curribus, cum ingenti exercitu ad debellandos Romanos, cæteroſque hoſtes Iudæorum. At nihil minùs futurus erat Meſſias, quàm huiuſmodi princeps. Alij ab eo honores & præfecturas expectabant, alij opes ac diuitias, alij

vindictam de inimicis ſuis, omnes magnam externam ac temporalem felicitatem. Atqui nihil tale allaturus vel daturus erat.

Hanc ergo communem omnium de Meſsia peſſimam & pernicioſam opinionem ex animis hominum tollere voluit IESVS; & qualis futurus eſſet Meſſias, quem Deus promiſerat, quidve præcipuè acturus erat aut allaturus populo ſuo, docere omnes palam, adhuc in prima ſua pueritia: vt maturè hanc rem examinare inciperent & intelligere.

Videamus igitur, quid hic agat puer IESVS, vt Meſſiam ſeu Chriſtum ex operibus eius, velut arborem ex fructibus, & leonem ex vnguibus, diſcamus cognoſcere. Videamus, inquam, quemadmodum verus Meſſias verum & proprium Meſſiæ officium præſtare inceperit, vt mundo oſtenderet quiſnam vel qualis eſſet. Inuenitur hîc à parentibus ſuis in templo, inuenitur ſedens in medio Doctorum, quaſi diſputans cum illis, audienſque illos pariter & interrogans. Quid hoc ſibi vult? An hoc primum opus eſt Meſſiæ noſtri? nos Meſſiam noſtrum, quum veniret, ſeſſurum ſtatim putabamus in throno regio, deaurato, multis fulgente pretioſiſſimis gemmis & margaritis; palamque omnibus oſtenſurum potentiam & gloriam ſuam. Hoc Prophetæ omnes prædixiſſe videntur. Ipſe ſedebit in throno Dauid patris ſui, inquit Iſaias, & imperabit. & ecce, quum IESVS Chriſtus id quod de Chriſto prædictum erat publicè in oculis omnium incipere & præſtare aggreditur, ſpecimenque aliquod regni ſiue adminiſtrationis ſuæ edere; inuenitur in ſchola litteraria, in ſella doctoris ſeu magiſtri. Quid cathedræ Doctorum cum throno regio? quid magno Regi & Saluatori populi cum libris & papyro? Si oſtendere voluit ſe Meſſiam eſſe, cur non magnam copiam equitum & peditum, omnis generis ſeruorum ac miniſtrorum, ſecum habuit, magnificis veſtibus indutorum? cur non ſedit in throno aliquo regio cum aureo ſceptro in manu ſua, mandans omnibus cum auctoritate quod voluerit? vel cur non in pulcherrimo equo phalerato & ſtrato aureis veſtibus obequitat, magno cum ſeruorum & procerū comitatu, per plateas plenis manibus aurum & argentum in populum ſpargens? Talem ſanè Chriſtum expectabant Iudæi, talemque etiam magnopere deſideraret corrupta caro ac natura noſtra. At verus Meſſias non talis ac tam mundanus rex eſſe cupit. Proinde quum vellet Rex iſte maximus veruſque Meſſias regni exordium patefacere, ſuique regij officij veluti primitias edere, non inuenitur in campo inter milites, ſed in templo Dei inter Doctores: non inter gladios & arma, ſed inter libros: non in throno aureo, qualis olim erat Salomonis & aliorum regum huius mundi, ſed in cathedra magiſtrali: non in regali palatio, ſed in ſchola litteraria. Ita omnes docere voluit ab initio, regnum Meſſiæ, quem Deus promiſerat ad ſalutem Iſraël & totius mundi, non in externa pompa nec in maieſtate conſiſtere, iuxta ſenſum ac deſiderium carnis; ſed in doctrina & cognitione veritatis, ſapientiæque cæleſtis: nec ad corporis commoditatem pertinere, ſed ad ornatum & ſalutem animæ: nec ad felicitatem huius vitæ breuiſſimæ, ſed futuræ & ſempiternæ: nec tam oculis vel auribus vel ceteris externis ſenſibus percipi, quàm fide oculiſque & auribus cordis. Nouum prorſus ac mirabile regnum. Ita eſt: ſed idem etiam, ſi natura & virtus eius probè cognoſcitur, regnorum omnium multis modis maximum, pulcherrimum, vtiliſſimum, feliciſſimum.

Ceterùm videte nunc pauliſper, quàm pulchrè exordium hoc regni Meſſiæ, factumque pueri IESV, in Euangelio hodierno cum illis verbis congruat, quibus Chriſtus ipſe poſteà in fine vitæ ſuæ naturam & conditionem regni ſui clariſſime explicauit. Quum Pilatus ab eo quæreret num Rex eſſet Iudæorum; non negauit ſe eſſe (quomodo enim negaret quod reuerà erat?) ſed qualis Rex eſſet, qualeque regnum haberet, edocuit.

Primùm dixit regnum ſuum non eſſe de hoc mundo; id eſt, nihil commune vel ſimile habere cum regnis huius mundi: proinde, nihil ſibi ab illo metuere debere vel Cæſarem Romanorum, vel Herodem, vel quoſcumque reges ſimiles. Deinde qua in re ſitum eſſet regnum ſuum perſpicuè declarauit, nempe in doctrina & cognitione veritatis. Ego, inquit, ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati; omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam: hoc eſt, quicumque ſtudioſi ſunt veritatis, qui amant ſincerè coluntque veritatem, illi ſunt ſubditi regni mei, in ijs & ſuper ijs ego regno. Et ſi quidem Pilatus, in quæſtione illa quam mouebat, Quid eſt veritas? paululùm perſtitiſſet, eaque de re voluiſſet audire ſententiam Domini, qui nulli vmquam piè interroganti reſponſum negauit; non occultaſſet illi vtique veritatem. Dixiſſet, veritatem in primis eſſe, Deum verum & viuum ritè cognoſcere, eumque amare, colere, adorare vt oportet. Item, ſcire à quo, quando, quamobrem factus ſit mundus iſte, &

quæ in eo ſunt omnia: in primis autem homo creatura totius mundi nobiliſſima. Item, quodnam hominis proprium ſit officium, quis finis, quod ſummum bonum, quæ æterna eius & vera felicitas. Denique qua via ac ratione ad ſummum bonum, ad veram & ſempiternam beatitudinem queat pertingere. Hæc eſt veritas illa, de qua olim dixerat Ioannis 8. Si manſeritis in ſermone meo, cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Hæc, inquam, & ſimilia Pilato procul dubio reſpondiſſet, ſi curæ illi fuiſſet quæſtio quam de veritate proponebat. Nihil ſane maius vel vtilius interrogare poterat, quàm quid eſſet veritas: nec quiſquam mortalium meliùs illi quæſtionem illam ſoluere poterat, quàm is, quem interrogabat; ſi cognoſcere eum & audire voluiſſet. Sed non erat ex veritate. non erat ex illis de quibus illi dicebat Chriſtus: Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam. Idcircò optimam de natura veritatis quæſtionem mox deſeruit & abrupit.

Intelligitis ergo, regnum Chriſti (vt cœpimus dicere) regnũ eſſe veritatis. Num quiſquam putet hoc regnum parui momenti eſſe? Quid pulchrius, quid nobilius, quid fortius vel potentius, quid durabilius veritate? An non meminiſtis pulcherrimæ illius diſputationis Eſdræ 4. cap. qua diſputatur coram Rege, quænam ſit res in toto mundo fortiſſima: tandemq; inuenitur & concluditur, nihil eſſe fortius ac potentius veritate? Finis totius illius diſputationis ſunt verba iſthæc: Benedictus Deus veritatis. Is eſt iſte puer, nominatus & deſcriptus in Euangelio hodierno, Rex regum, Meſſias Iudęis promiſſus, Dominus noſter Iesvs Chriſtus, qui eſt benedictus in ſæcula. Proinde in ſignum, quòd Rex ſit veritatis, quodque præcipuum eius ſeu Meſſiæ officium ſit veritatem docere, conſeruare, defendere, & quidquid veritati contrarium eſt, expugnare; ideò primum actum regni ſui, ſiue officij quod ad Meſſiam Regem ſpectat, exercet in templo, qui locus eſt proprius docendæ diſcendæque veritatis. idque inter Doctores & Sacerdotes, quorum proprium officium erat veritatem docere. Denique omnis diſputatio quam cum illis habebat, erat de veritate, de veritate ſcilicet promiſſionum atque operum Dei ad ſalutem hominum, de veritate religionis & cultus eius, & quæ eò pertinent; vt nihil eſt dubitandum.

Sed quærat forte aliquis veſtrum: Quando nunc audiuimus Chriſtum Regem eſſe veritatis, & cum Doctoribus in templo de veritate diſputaſſe; annon liceret ſcire quidnam inter ſe propriè diſputauerint? quid illos interrogauerit puer Iesvs, & ad quaſnam vel quales illorum quæſtiones reſponderit? Dicit enim Euangelium noſtrum; quòd audiebat Doctores viciſſim & interrogabat; quodque illi admirabantur & ſtupebant ſuper prudentia & reſponſis eius.

Quænam erant igitur quæſtiones quas illis puer Iesvs propoſuit; & quas ſibi ab illis, ad quas reſponderet, proponi volebat? Certum eſt enim diuinum puerum ſic totam illam diſputationem nutu ſuo direxiſſe ac temperaſſe, vt nihil ab eo quiſquam quæreret, niſi quod quæri volebat: nec tamen aliquam intellectui eorum vim fecit, vt aliter loquerentur, interrogarent, aut reſponderent, quàm ſentiebant: quin potiùs eos in tota diſputatione libere loqui voluit, vt credebant: quò nimirum & cõſtaret omnibus audientibus, quid ſentirent, & quomodo affecti eſſent; & ipſe Iesvs occaſionem haberet eorum de religione ac veritate erroneas opiniones confutandi. Deinde hoc etiam certum eſt, nec ipſum ab Doctoribus aliquid quæſiuiſſe, nec permiſiſſe vt ipſi hac vice quidquam interrogarent, niſi quod magnopere pertinebat tum ad gloriam Dei Patris ſui (quam ſemper & in primis habebat præ oculis) tum ad promotionem ſalutis humanæ, ad quam procurandam & perficiendam miſſus erat. Non hîc diſputabatur aut quærebatur de naturis herbarum vel animalium; de curſu, materia, operatione cælorum; de generatione cometarum in aëre, vel de ſimilibus rebus. Quemadmodum poſteà, quum docere publicè & prædicare inciperet, nec iam diſcipulum amplius agere, vt hoc loco fecit, ſed magiſtrum ſupremum & Doctorem, omnis eius ſermo, doctrina, prædicatio erat de regno Dei, vt ſacræ Scripturæ teſtantur: ſic nunc omnis diſputatio, quam habuit cum Doctoribus iſtis, erat de ſtatu & natura, de conditionibus & legibus regni Dei, quomodo in eo vnuſquiſque ſe gerere, quid credere & facere debeat, vt ſaluus ſit, & Deo placeat, atque ad regnum eius tandem ſempiternum in cælo perueniat. Non quòd de his omnibus puer Iesvs vno tempore cum Doctoribus diſputauerit: ſed non dubium eſt, quin aliquid horum tractauerint: & hoc propriè eſt de veritate diſputare. Præcipuum enim fundamentum regni Dei & ſalutis æternæ, eſt cognitio veritatis: à cognitione veritatis, quam fides docet, incipit regnum Dei. per veritatis cognitionem creſcit ac proficit, atque ad cognitionem perfectam ſummæ æternæque veritatis tendit, in eaque ceu præcipuo bo-

no ſuo totum quieſcit. Ita vt veriſſimè dixerit Chriſtus, Regnum ſuum regnum eſſe veritans, omneſque & ſolos veritatis auctores & cultores ad id pertinere.

Ceterùm videamus parumper, vtrùm inuenire vel diuinare, Deo iuuante, non poſſimus, quidnam potiſſimùm de veritate vel de regno Dei puer IESVS cum Doctoribus diſputauerit. Pro certo hac de re dicere vel affirmare quidquam non poſſumus, quum nihil penitus de eo habeat hiſtoria Euangelica vel Scriptura ſacra: attamen non videtur eſſe dubitandum, quin diſputatio omnis fuerit de Meſſia venturo; quando res illa tanti momenti erat, vtpote à qua ſalus vera æternaque omnium dependebat. Eratque tunc illa de re ſermo ac diſputatio in ore omnium: quòd ſcirent omnes, ex oraculis Prophetarum, Meſſiam vel iam veniſſe, vel breui admodum affuturum.

Quidam putant, puerum IESVM diſputaſſe cum Doctoribus de hebdomadis Danielis, in quibus Propheta ille de certo tempore aduentus Meſſiæ loquitur. Quomodo nimirum ſupputandæ eſſent hebdomadæ illæ, quando inceperint, & quando impletæ ac finitæ, vel certe finiendæ eſſe viderentur. Eſt enim hæc Prophetia vna ex illis in quibus multum ineſt obſcuritatis ac difficultatis. Atqui nõ videtur mihi puer IESVS tam ſubtilem diſputationem inſtituere voluiſſe: nec eſt etiam diſputatio illa ſummæ vtilitatis, etſi non eſt exiguæ: & prætereà ſatis omnibus notum erat, vt nunc ſubindicauimus, hebdomadas illas Danielis, ſiue annos aduentus Chriſti, vel iam finitos eſſe, vel breui admodum complendos. Putarem longè eſſe probabilius, ac pænè certum; diſputationem omnem de perſona Meſſiæ venturi, deque toto ſtatu vitæ & regni eius fuiſſe. Quomodo nimirum quibuſque ſignis & notis cognoſci poſſet Meſſias quum venerit; quæ dona ſecum afferet; quod vel quale regnum inſtituet; quomodo conuerſabitur cum populo ſuo; quibus in rebus ſita erit præcipua eius dignitas, gloria, maieſtas, & ſimilia. Hæc enim ſunt præcipua capita quæ de Meſſia tradunt Scripturæ omnes Prophetarum: & in horum cognitione potiſſimùm ſita eſt ſalus omnium hominum. Et tamen (quod diligenter etiam notandum eſt) in his præcipuis fundamentis veritatis & ſalutis, Iudæi pęnè omnes, parui & magni, vt ante diximus, turpiſſimè fallebantur. Quare non eſt dubium, quin de his rebus puer IESVS cum Doctoribus ad inſtructionem & ſalutem illorum, adeoque etiam totius populi quem regebant ac docebant, atque ad præcipuæ veritatis patefactionem, diſputare voluerit.

Videamus igitur, & examinemus paululùm, quemadmodum imaginari & intelligere poſſimus rem ſe habuiſſe. Satis conſtat ex hiſtoria Euangelica, Iudæos tunc temporis in nullo Prophetarum diligentiùs ſtuduiſſe, nullumque magis in manibus habuiſſe ac legiſſe quàm Iſaiam Prophetam. Et meritò quidem. Nullus enim omnium Prophetarum clariùs & copioſiùs ſcribit de Chriſto venturo, de perſona, de officio, de regno eius quàm Iſaias. ita vt Apoſtoli & Euangeliſtæ in Scripturis ac libris ſuis multò plura ex vno Iſaia Propheta citent, ad confirmationem fidei Chriſtianæ, doctrinæque Euangelicæ, quàm ex omnibus alijs ſimul Prophetis. Proinde etiam rectè D. Hieronymus illum non tam Prophetam quàm Euangeliſtam nominat: ita perſpicuè & latè proſequitur ac deſcribit omnia quæ ad Chriſtum eiuſque regnum atque officium pertinent. Hinc valdè eſt probabile, puerum IESVM ex hoc etiam Propheta diſputationem ſuam præcipuè inſtituere voluiſſe. Tametſi interdum etiam aliunde (prout ferebat ipſius propoſitum ratioque diſputationis) potuerit argumenta ac teſtimonia pętere.

Sumamus igitur pro exordio & fundamento deductionis ſeu tractationis noſtræ, puerum IESVM, quum aliquanto tempore vnà cum alijs multis adſtantibus Doctores inter ſe & cum alijs etiam forſitan de Scripturis ſacris diſputantes audiuiſſet, poſtquã nonnulli alij ex adſtantibus ſuas dubitationes propoſuiſſent & reſpõſum accepiſſent, veniam poſtulaſſe aliquid etiã interrogandi. Nam ſi nemo alius anteà ex adſtantibus quidquam Doctores interrogaſſet; non videtur IESVS (quum præcipuè tam paruus adhuc puer eſſet) auſurus fuiſſe aliquid percontari. Nec decens aut ciuile fuiſſet, omnibus alijs tacentibus, puerum vnum auſum fuiſſe Doctores alloqui, & audientiam, vt loquimur, poſtulare. Sed in huiuſmodi magnis & celebribus ſcholis moris ferè eſt, vt proponat & quærat vnuſquiſq; aſtantium quod voluerit. Ita ergo puer IESVS quoque, quum tempus loquendi opportunum videret, facta Doctoribus reuerentia, quæſiuit modeſtè, num illis placeret, vt ipſe quoque proponeret & quæreret aliquid. Quod quum diceret ac peteret cum ſingulari quadam bona gratia, quæ placebat omnibus, facilè admiſſus fuit ad dicendum & quærendum quod vellet, factaque ei loquendi copia. Sic puer, accepto libro in manus,

qui inter alios ibi pro Doctoribus iacebat in pulpitis, iterùm facta reuerentia dicere potuit: Inuenio hîc, ante me, venerabiles Domini ac Magiſtri Iſraelis, librum Iſaiæ Prophetæ: ſi placet vobis, legam ex eo aliquid, ad communem inſtructionem. Placet, aiebant, lege. Dum puer aperto libro legebat omnibus audientibus ex nono cap. Iſaiæ Prophetæ, Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe; ſicut exultant victores capta præda. Iugum enim oneris eius,& virgam humeri eius,& ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian. Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius: & vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Quum huc uſque legiſſet puer Iesvs, clauſit librum, ſed retinuit adhuc tamen in manibus. Deinde Doctores denuò reuerenter ac placidè allocutus, Licet ne puero, inquit, ex hac Scriptura, de hoc admirabili puero, puerilem quæſtionem proponere? Licet, aiebant. Obſecro ergo vos, Domini mei, inquit, de quo puero Propheta hoc loco tam admiranda commemorat, tot laudibus eum extollens? Num agit de aliquo filiorum ſuorum? aut fortaſſe de filio aliquo regis Iuda tunc recens nato, vel pòſt breui naſcituro? puta de Ezechia rege filio Achas, qui natus eſt tempore Iſaiæ Prophetæ;& rex fuit valde pius & inclytus, multaque præclara & admiranda geſſit ad gloriam Dei, atque ad vtilitatem & ſalutem populi Iſrael? Quo dicto tacuit puer Iesvs, & reſponſum expectauit. Quum autem ſic interrogaſſet ac locutus fuiſſet. Doctores omnes, confeſtim ſe mutuò reſpicientes magna admiratione capti fuerunt, quòd puer tam paruæ ætatis, pauper & ſimplex admodum iuxta externam ſpeciem,& vt ſatis ex loquela eius conſtabat, alicubi vel natus vel educatus in ignobili Galilæa, tanta cum gratia legeret; & poſt lectionem, tam egregijs geſtibus, tanta oris facundia atque gratia loqueretur, tamque nobilem quæſtionem tam aptè proponeret. Non enim dubium eſt, quin Iesvs aliquam ibi diuinitatis ſuæ ſcintillam oſtenderet, vt omnes attentos redderet ad ſe audiendum, meliuſque dicere poſſet & proponere quæ volebat. Alioqui numquam illi magni & ſuperbi Doctores (vt omnis illos Scriptura deſcribit) tantum tribuiſſent puero huiuſmodi, vt apparebat, ignobili; vt non modò illum patienter loquentem audirent quamdiu audiri cuperet, & interrogantem quæcumque vellet, ſed apud ſe quoque & in medio omnium ſeſſum admitterent: vt Euangelium noſtrum teſtatur factum eſſe. Sed quum, vt dixi, puerum intuerentur, videbant ſingularem quamdam & ineffabilem gratiam in vultu eius, in ore, in oculis, in manibus, in toto corpore, in omnibus eius geſtibus. Simul autem tantam in eo dicendi peritiam conſpiciebant, tam claram & ſuauem vocem, tam apertam pronuntiationem; videbant illum tam nobilem Prophetiam legendam ſumpſiſſe, tam doctam & ſublimem quæſtionem mouere, tamque decenter, modeſtè, grauiter & ſapienter proponere, & componere verba ſua; vt, quacumque illum aſpicerent vel conſiderarent, Angelum potiùs quemdam cæleſtem in forma pueri quàm hominem aſpicere viderentur.

Ita factum, vt ſimul atque propoſuiſſet quæſtionem ſuam, ex media omnium aſtantium multitudine ad ſeſe illum vocarent, dicentes; Aſcende huc chariſſime, & ſede hîc nobiſcum in ſubſellijs iſtis vt meliùs te audiamus, & reſpondebimus libenter ad quæſtionẽ tuá: eſt enim egregia quęſtio, quæ meretur, ſi quæ alia, benè examinari atque intelligi: valdeque opportuno tempore nunc abs te proponitur. Quod enim ad puerum illum attinet de quo Propheta loquitur, non fuit is filius eius, nec alius quiſpiam regis filius illo tempore: immò ne Ezechias quidem ipſe; tametſi vere ille, vt rectè dixiſti, rex magnus & nobilis, Deoq; propter ſuam pietatẽ valdè charus extitit. Quin non ſatis ſcimus an puer ille iam natus ſit, etſi probabilius putemus nondum natum eſſe. Sed tamen, dum Scripturas omnes euoluimus, videmus non eſſe dubium quin mox naſciturus ſit. Eſt enim ille (quem tantopere omnes iuxta Dei promiſſa expectamus) Meſſias noſter, Rex & Saluator Iſrael. qui longè maior & potentior erit, quàm quiſquam regum noſtrorum ſuperiori tempore. Dilatabit famam nominis & gloriæ ſuæ, ac populi Iſrael, per totũ mundum: ipſumque timebunt, venerabuntur, & adorabunt, omnes reges terræ. O quàm beata & glorioſa erit Ieruſalem! quàm felix omnis populus Iſrael vbi ille venerit! Is libertatem omnibus, gloriam & felicitatem afferet, maiorem quam explicare poſſimus. Intelligiſne fili? Et numquámne audiſti de illo mentionem fieri? Etiam, reſpondit puer Iesvs; & valdè me delectat hæc interpretatio. Sed dicite mihi, rogo (aiebat) quum Meſſias ille veniet, & ſe oſtendet populo ſuo; an omnes illum ſtatim agnoſcent, & recipient? Eſtne enim valde dolendum, ſi talis tantuſque Dominus, tot tantaque bona om-

nibus

nibus afferens, à quoquam forte non agnoſceretur? Et gaudium illud magnum, quod Propheta futurum dicit Meſſiæ tempore nempe; Lætabuntur coram illo, ſicut qui lætantur in meſſe; ſicut exultant victores capta prȩda quando diuidunt ſpolia; eritne hoc omnibus in vniuerſum [illegible] cum eo viuent, illum videntes & audientes? Maximè, aiebant Doctores. Nec eſt metuendum, addebant, ne quis illum, cùm venerit & ſe monſtrare cœperit, non agnoſcat: veniet enim cum tanta gloria, cum tali virorum nobilium comitatu & potentia, vt omnes ſit in ſui admirationem rapturus. Quod vt intelligas, perge legere, ô puer, aiebant, in prophetia illa hic, quod ſtatim ſequitur. Libenter, aiebat puer Iesvs. Sic habet Propheta. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super ſolium Dauid & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet & corroboret illud, in iudicio & iuſtitia, amodò & vſque in ſempiternum. Tum illi, Vide'ne, aiebant, fili, quàm magnus Rex futurus ſit Meſſias noſter nempe qualis olim Dauid rex fuit, cuius regnum habebit, [illegible] eiuſque throno ſedebit, vt Propheta inquit. Conſtat autem, Dauidem regem noſtrum regnum ampliſſimum & florentiſſimum habuiſſe, omneſque reges ac nationes finitimas Iſraeli ſubieciſſe.

Hæc vera [illegible] omnia, inquit puer Iesvs; ſed num neceſſe eſt intelligere Meſſiam noſtrum talē Regem futurū qualis Dauid fuit, aut filius eius Salomon? An ab illis tantummodo ac talibus hoſtibus liberabit Iſraëlem, à quibus liberauit Dauid? nempe, a vicinis gentibus & regibus huius mundi, hoſtibus nominis & religionis Iſraël? An illa eſſet res tam magna & admiranda, pro Meſſia noſtro, de quo omnes Prophetæ tam magnifica ſcripſerunt Et quid eſt, inquit, illud, in verbis Prophetæ quȩ iam legi: Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti? Loquitur enim ibi Propheta, vt videtur, de vno quopiam hoſte maximo & primario Iſraëlis, & Dei illius viui & veri, quem colit Iſraël: videturque ſubindicare, quòd vno illo hoſte per Meſſiam deuicto, omnis parta erit victoria, omnis ſalus perfecta. Quis eſt igitur ille hoſtis tam malus & crudelis, vt tantopere oderit nomen Iſraël & populi Dei? Quis eſt, inquam, tam magnus, & potens, & formidabilis, vt contra illum Meſſias omnes vires ſuas ſit exerturus? & quo deuicto nihil me[illegible]dum erit ab alijs omnibus?

Tum magni illi Doctores, non ſatis ſcientes, quidnam aptè ad ſublimē huiuſmodi & grauem quæſtionē reſponderent, nec tamen ignorantiā ſuam confiteri volentes, in puerum ipſum quæſtionē vertebant, dicentes; Quid tibi ea de re videtur, clariſſime? Libenter enim audiemus ſententiam tuam. De quo hoſte loquitur ibi Propheta per Meſſiam vincēdo? Ad hęc puer Iesvs: Nónne maximus hoſtis Dei noſtri ſummi ęterniq́ue, & populi eius, ſemper fuit, princeps tenebrarū, diabolus? Quis enim in primìs omnes Gentes toto orbe terrarum ſeduxit, atq; a Deo per idololatriā ſeparauit: quis patres noſtros toties ad idololatriā pertraxit, & ad cetera peccata quibus in iram Dei & in grauia ſupplicia inciderunt? Nónne ſerpens ille antiquus, qui in paradiſo ſeduxit primos omnium parentes noſtros, peccatumq́, ita in mundum introduxit nónne adhuc ille regnat in mundo? & quidē longè magis quàm vmquam antea? Per quid autem regnat tantopere, omneſque detinet ſub iugo captiuitatis ſuæ? Nónne per peccatum? Nónne de hoc duro iugo loqui hic videtur Propheta, quum dicit: Iugū oneris eius ſuperaſti? & quod addit de virga humeri eius, & de ſceptro exactoris, nónne eundē planè ſenſum habere videtur? ita vt multis verbis vnā eamdemq́ue rem, ceu valde cognitu neceſſariam, deſcribere & ſignificare voluiſſe videatur? nimirum poteſtatē diaboli ſuper genus humanum per peccatum, ad quod miſeros homines pertraxit ab initio, & pertrahit ſemper? Ideò & exactor vocatur: quòd peccata à miſeris hominibus in quibus regnat, tamquam ſuo iure, velutq́ue tributum ſuum, exigat; & ad alia ſemper ac maiora peccata captiuos pertrahat. non aliter quàm Reges à ſubditis ſuis tributum exigunt, dominiq́ue à ſeruis debitum miniſterium. Videre autem, obſecro, nónne hunc inimicum à Meſſia noſtro, tempore noui Teſtamenti, vincendum clariſſimè depingere, quaſiq́ue digito nobis demonſtrare videtur hic ipſe Propheta noſter Iſaias 27. cap. In illa, inquit, die, viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grādi, & forti, ſuper Leuiathan ſerpentem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum; & occidet cetum qui in mari eſt. Quis eſt iſte Leuiathan, cetus, ſeu draco marinus, ingens, ſerpens tortuoſus, niſi diabolus? & quando, vel quomodo vincitur ille, niſi quando retrahuntur homines à peccato? vnde & ſtatim ſequitur apud Prophetam: Idcircò ſuper hoc dimittetur iniquitas domus Iacob: & iſte omnis fructus, vt auferatur peccatum eius. Et nónne idem clariſſimè habet magnus Propheta Daniel, vbi de Chriſti aduentu vaticinatur?

tur? Noſtis, haud dubito, nobilem illam prophetiam eius de ſtato & deſignato temporis ad-
Dan. 9. uentus Chriſti, & quidnam ueniens allaturus ac daturus ſit populo ſuo: Septuaginta hebdomadæ abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum; & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia, & vngatur Sanctus ſanctorũ. Et ſane, quid prodeſſet nobis, quòd Meſſias nos liberaret ab externo iugo, ſiue imperio hominũ, vel tyrannorum quorumcumque; ſi maneremus ſub iugo ac poteſtate diaboli per peccatum? nónne quamdiu peccatum in nobis dominatur, hoſtes ſumus Dei, in eiuſque ira conſtituti. Quòd ſi manemus in ira eius; nónne, ſi ab his aut illis hoſtibus quocumque modo liberemur, incidemus in alios grauiores, iuxta comminationes eius in Lege noſtra, & Scripturis Propheticis omnibus? Et quid neceſſe fuit, Deum nobis ab initio mundi Meſſiam & nouum quemdam ac mirabilem Saluatorem promittere, niſi vt ab illis nos hoſtibus liberaret, à quibus nullus vmquam Regum noſtrorum quamlibet potens, nullus Prophetarum quantumuis ſanctus ac iuſtus, Iſraëlem liberare potuit, à diabolo ſcilicet & peccato? Nam externos hoſtes noſtros, mundanos ſcilicet Reges, vincere potuit, non tantum Dauid Rex, ſed & Ioſue, & Iudas Machabæus, & fratres eius; & multi alij duces fortiſſimi, quos habuerunt Patres noſtri. Proinde, illam ob cauſam nihil videtur neceſſum fuiſſe Meſſiam venire.

Atqui, hic aiebant Doctores, ſolius eſt diuinæ potentiæ, diabolum & peccatum vincere. Fateor, inquit IESVS: ſed, quid tum poſteà? vel quid hoc pugnat cum eo, quod iam dixi? An ergo nõ putatis, Meſſiam fore Deum? Nequaquam, inquiebãt: quomodo enim homo eſſet Deus? vel quorſum hoc pertineret? Atqui, nónne hoc aperte tamen, inquit IESVS, habetur in hac prophetia noſtra? inter nomina enim, quæ puero huic admirabili, Meſſiæ noſtro, à Propheta tribuuntur, nónne habetur etiam expreſſè nomen Dei? Et capite 35. vbi manifeſtè de Meſſiæ aduentu agitur, nónne dicitur expreſſis verbis; Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos?

Sed legamus aliquid hac de re, ſi placet ex cap. 7. ſic ibi dicit ſanctus Propheta: Audite domus Dauid, numquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo: Propter hoc, Dominus ipſe dabit vobis ſignum: Ecce, Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomẽ eius Emmanuel. Eſtne hoc dictum à Propheta de Meſſia noſtro? quòd nimirum propter ſummam ſuam ac diuinam dignitatem, concipietur & naſcetur, non communi more, atque vt ceteri omnes, ſed de puriſſima Virgine? De hac prophetia, fili, aiebant Doctores, non eſt vna ſententia omnium. Sunt qui de Meſſia intelligenda putent, vt tibi videtur, ſunt qui de alio quopiam. Et vides, aiebant, chariſſime, hic non haberi vocabulum Bethula, quod proprie virginem denotat; ſed Aalma quod ſimpliciter puellam ſignificat. Non eſt animus ea de re, inquit IESVS, magnopere diſputare: tametſi memini me audiuiſſe ab eruditis Doctoribus in ſermonibus ac diſputationibus Synagogicis, vocabulum Aalma ſignificare puellam virginem abſconditam, ac ſedula parentum cura ſeruatam; nec vſpiam in Sacris litteris noſtris inueniri vſurpatum pro muliere viro nupta vel corrupta. Sed nunc ideò, inquit, hanc Scripturam adduxi tantummodò, vt intelligamus, Meſſiam noſtrũ fore Deum: ſicuti hic clariſſimè Emmanuel nominatur. Satis enim conſtare videtur ex omnibus huius prophetiæ circumſtantijs, ſummum hunc Prophetam Iſaiam de alio nullo quàm de Meſſia loqui. Offert Dominus Deus ſignum Regi Achaz, ſiue in profundum inferni, ſiue in excelſum ſurſum: quumque Rex ille impius ſignum huiuſmodi omne contemneret, quia nimirum oderat gloriam Dei; conuocat Propheta alta voce, non vnum aut alium quempiam, ſed totam domum Dauid, eoſque ad audiendum & intelligendum hortatur: & quando Rex ſignum quoduis diuinitus ſibi oblatum reiecerat; affirmat, Deum ipſum vltrò daturum ſignum populo ſuo. Oportet ergo ſignum hoc valdè nouum & admirabile eſſe quod Deus ſpontè eſt exhibiturus ſuo tempore. Et reuerà ita eſt: nimirum, quòd virgo concipiet & pariet filium. hoc tam nouum & admirabile eſt, vt numquam ſimile quidpiam contigerit ab initio mundi vſque in præſentem diem. Et, vt oſtendat Propheta, qualis & quantus futurus ſit, qui tam nouo & ſingulari modo concipietur atq; naſcetur, adhuc ſtatim. Et vocabitur nomen eius Emmanuel, vt videlicet minus miremur, tantæ dignitatis
Baruch 3. hominẽ tam ſublimi & ſancta natiuitate in mundum venire. Nimirum hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. Hic adinuenit viam omnem diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo. Poſt hæc, in terris viſus eſt, & cum

humi-

[illegible] tu eſt. Hæc [illegible] ſunt verba alterius ex Prophetis noſtris, vt vos fa-[illegible] ſcio. Et dicite mihi, o [illegible] inquit Iesvs, quid vobis videtur? cuius [illegible] ex qua [illegible] qua progenie vel ſtirpe naſcetur? Erit, aie-[illegible], filius Dauid. [illegible] Scripturæ omnes [illegible] teſtantur. Tum Iesvs: Quo-[illegible] Dauid, inquit, in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Do- *Pſal. 109.* mino meo, Sede [illegible] ponam inimicos tuos [illegible] ſcabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius eſt?

Quum [illegible] ſe reſpicientes tacerent, nec haberent quod reſponderet [illegible] ſermon[illegible], dicens: Quum filius, naturæ iure, minor ſit patre, maiorque [illegible] auctorita[illegible] quàm nepotum; quî conuenit, vt Dominum appel[illegible], quem [illegible] filium? nonne videtur ſanctus rex in Meſſia nondum nato vidiſſe aliquid per Spiritum [illegible] maius, quum ipſe nihil aliud eſſet quam homo? [illegible] propterea [illegible] aſſe Dominum ſuum? Nec conſueuerant ſanè Prophetæ alium appellare Dominum ſuum, quàm illum qui tamquam verus Deus, Dominus eſt [illegible] rerum omnium [illegible] mundi.

At, [illegible] replicabant Doctores [illegible] Deum naſci ab homine impoſſibile eſt, illaſque infirmo[illegible] muniter homines patiu[illegible]r. [illegible] ſcriptum eſt in Lege noſtra: Non videbit me homo, & viuet. At [illegible], reſpondit Iesvs, [illegible] Propheta no- *Exod. 33.* ſter di[illegible] contrà [illegible] capite: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & ele- *Iſaie 6.* uatum, [illegible] terra maieſtate eius. [illegible] Deus nullo modo videri poteſt, quomodo [illegible] vera Pro[illegible] vera eſſe? Sed videlicet [illegible] Propheta Deum in figura [illegible] & [illegible]dine, [illegible] placuit Deo diuinam ſuam maieſtatem aliquo modo repræſ[illegible] Danielem quoque Prophetam vidiſſe Deum ſedentem in *Dan. 7.* throno ſuo [illegible] quâ dierum. Et Iacob Patriarcha noſter nonne Deum vidiſſe legitur [illegible],& cum eo etiam pugnaſſe? Vidi, inquit, Deum facie ad faciem, & *Geneſ. 32.* [illegible] eſt anima mea. At verò in propria ſpecie & natura ſua videri non poteſt Deus a[illegible] homine mortali: hoc libenter confiteor. & hoc eſſe videtur, quod dicit ipſe apud Moyſen [illegible] noſtrum, Non videbit me homo, & viuet. Et nónne eodem protſus modo [illegible] poteſt alterum argumentum quod obieciſtis: Deum [illegible] naſci non poteſt ab homine, non [illegible] & ſitire, frigere & calere. Credo, in natura ſua diuina. Sed [illegible] placeat illi a[illegible] humanam naturam, & ſic naſci de virgine, vt nunc audi[illegible] ex Propheta noſtro; nonne hæc omnia in eo locum habere poſſunt, ſine iniuria vlla vel d[illegible] o [illegible] ſuæ?

Sed hac de re [illegible] diſputatum videtur. Redeamus iam, ſi placet, ad propoſitum noſtrum. Si hoc ita eſt [illegible], ſi Meſſias liberabit populum ſuum a Diabolo & peccato, ſequitúrne inde quod reuerà ſummam felicitatem, bonaque ſimul adducet omnia? Quid enim boni, quid felicitatis ibi non eſt, vbi peccatum non eſt? Deinde ſi Meſſias liberabit & [illegible] populum ſuum a peccatis: nónne etiam liberabit à morte? Vnde enim eſt [illegible] ex peccato? & vbi [illegible], niſi vbi regnat peccatum? Quòd ſi à morte [illegible] conſequens eſt quòd vitam æternam largietur? Hæc demum [illegible] beneficia digna eſſe videntur quæ a Meſſia expectetur. Et qu[illegible]tem [illegible] diuinitatis, quæ [illegible] Prophe[illegible]uit, appellatur, vt le[illegible] Pater futuri ſæculi. Nonne qu[illegible] bona futuri ſæculi ab eo præcipuè expectanda ſunt? & quomodocumque ſe habeat populus eius in hac vita mortali, quid efficiet ne pe[illegible] in vita futura ac perpetua? Quod cui [illegible] contigit, illi profectò ſalua ſunt omnia.

Poſtrem[illegible], nonne omnes Prophetæ teſtantur, Meſſiá populo ſuo pacē al[illegible] in hac ipſa prophetia Iſaię Prophetę quam præ [illegible] habemus, ſcriptū eſt, vt audiuimus, Et pacis non erit finis. Rogo, domini mei, de qua pace loquitur? Reſponderunt Doctores, [illegible] Iſaias & ceteri Prophetæ, de pace huius vitæ [illegible], ſu[illegible], diuturna, firma [illegible] quam Meſſias allaturus eſt ſubditis ſuis, poſtquam multis præliis & bellis hoſtes ſu[illegible] ice[illegible]t atq; ſubegerit: ita vt Iſrael habitaturus & victurus tunc ſit abſque vllo timore vel [illegible]pectu hoſtium, vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua; quemadmodum 3. Reg. 4. cap. ſcriptum eſt de tempore Salomonis. Sed nónne multo melior, felicior & præſtantior, inquit Iesv[illegible], omni huiuſmodi pace externa, pax animæ & ſecuritas conſcientiæ, quę poſita eſt in re[illegible] peccatorum? item, pax cum Deo, quæ ex eodē fonte profluit? Nónne autē in omnibus rebus optima & præſtantiſſima quæque expectanda ſunt à

Meſſia

Meſſia noſtro? Eſt quidem res bona & magnopere optanda pax ex[illegible], & ceſſ[illegible] bellis omnibus: ſed nonne tamen ex hiſtorijs omnibus & reru[illegible] ex[illegible] a con[illegible] pacem huiuſmodi frequenter parum vtilem eſſe ad veram æternamque [illegible]tem, pro [illegible]nitate & corruptione humanæ naturæ? Pax enim huiuſmodi parit [illegible] omni[illegible] bonorum copiam, diuitias magnas, pecuniæ abunda[illegible]tiam, & ſim[illegible]ia. Hæc v[illegible] [illegible]unt luxum, ſuperbiam, arrogantiam, tandem etiam obliuionem & cont[illegible]ptum [illegible] ex quo deinde peccata ſequuntur omnia: hinc naſcitur neceſſariò ira Dei & vindicta, & mare malorum ac ſuppliciorum omnium. At pax conſcientiæ inter[illegible], [illegible] o[illegible]tur (vt dixi) ex remiſſione peccatorum & gratia Dei, non modò nullius [illegible] & peccati occaſio eſt, ſed mater etiam & cauſa omnis boni: hinc enim coniunctio animor[illegible] & verus amor cum proximis, quòd alij alios amant, conſolantur, & iu[illegible] in o[illegible] quod vbi eſt, ibi Deus eſt, omniſque gratia eius & benedictio. Den[illegible]que, Iſ[illegible] [illegible] & ceteri omnes, pacem quam Meſſias noſter afferet, dicunt fore ſempiternam, vt mox audiuimus in verbis quæ tractamus. Atqui, nulla pax externa huius vitæ non [illegible] eſt perpetua, ſed ne diuturna quidem; vt nouimus, ac nec[illegible]riò et ain ſequi[illegible] c[illegible] [illegible]æ iam diximus. At verò pax interna, quæ eſt vera tranquillitas & ſecuritas mentis, & coniunctio cum Deo per ſanctum & fidelẽ amorem, illa demum æterna pax eſt, quæ [illegible]ctis huius mundi aduerſitatibus, omnibuſque in[illegible]rijs & perſecuti[illegible] [illegible]om[illegible]num, non modò non extinguitur aut minuitur; ſed creſcit etiam magis ac [illegible]oboratur, nec ſolùm durat toto tempore huius vitæ, ſed permanet etiam poſt mortem in vita [illegible]tura ac perpetua. Sic dicit ſacra Scriptura noſtra, vt nouiſtis, de animabus iuſtorum defunctorum;

Sap. 3. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum m[illegible]: viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace. Quid ſi igitur de huiuſmodi [illegible]e loquantur Prophetæ, quum dicunt Meſſiam tam egregiam pacem mundo eſſe [illegible]rum? Ex his autem quæ iam propoſui, videtur facile etiam intelligi poſſe [illegible]omodo & quibus armis pugnaturus ſit Meſſias noſter contra hoſtes ſuos. Dicite enim [illegible] obſecro, domini ac magiſtri mei, eritne Meſſias noſter magnus bellator quum venerit? [illegible]a[illegible]ximus, aiebant: ſic enim de illo ſcriptum eſt, in Pſalmo illo nobil[illegible] 109. Dom[illegible]us a dextris tuis, confregit in die iræ ſuæ reges. Iudicabit in nationibus, implebit [illegible]inas, [illegible]quaſſabit capita in terra multorum. De torrente in via bibet, ſanguinem ſcilicet [illegible]corum ſuorum: hoc eſt plurimum effundet inimicorum ſuorum ſangu[illegible], ita [illegible]rentis inſtar, per viam decurrat: & bibet ita, hoc eſt ſatiabit ſe abundanter ſanguine[illegible]tione, ac morte hoſtium ſuorum; ac ſic caput ſuum deinde mirifice exaltabit, p[illegible] omnibus hoſtibus ſuis.

Recte, inquit puer IESVS, memini me hæc quoque audiſſe ita nonnumquam à Doctoribus noſtris in Synagogis. ſed quonam modo, quibuſque ar[illegible] ſic p[illegible]it, taleſque victorias perficiet Meſſias noſter? E[illegible]get ſibi, reſpondebãt, milites fo[illegible] ex omni tribu & ciuitate Iſraël, quemadmodum olim Dauid fecit, & co[illegible] exercitum maximum, non peditum modo ſed equitum quoque, qui omnes hoſtes contra ſe vel populum Iſraël exurgentes deuincet, educetque illum de ciuitate in c[illegible] in medio inimicorum ſuorum, per circuitum terræ Iſraël; de regno in regnum nulluſque illi Regum aut Principum exterorum præualere poterit; ſed ipſe potiùs omnes ſibi ſ[illegible]iugabit, ſibique & populo ſuo ſeruos ac tributarios faciet. Itane? aieb[illegible] IESVS, & qu[illegible]d eſt ergo, quod de tempore Meſſiæ dicitur ob hoc eodem Propheta cap. 2. Et iudicabit Gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces, nec exercebuntur vltrà ad prœlium? item cap. 11. & 65. Non oc[illegible]dent, & non nocebunt in vniuerſo monte ſancto meo. Et, num militia iſta ſeu modus ille bellandi, quem dixiſtis, conuenit Meſſiæ noſtro ac Filio Dei? iam enim audiuimus e Prophetis, Meſſiam vere Deum fore. An decet igitur Deum in equo bel[illegible]oſo [illegible], inter improbos milites agere, per campos vol[illegible]e, prædari, conc[illegible]re, occidere homines, humano ſe ſanguine mac[illegible]lare, noxios & innoxios ſimul perdere, & mul[illegible]a hu[illegible]modi. Neque enim vnquam tam iuſtum bellum tam bene geritur, quin vna c[illegible] multi ſimul boni, & cum nocentibus multi pariter innocentes pereant. Anno[illegible] Deo conuenit, creaturas ſuas, quas præcipue ad imaginem ſuam tam nobiliter condi[illegible], ſeru[illegible] ac defendere ab iniuria? Deinde, an hoc optimum eſt vincendi genus, bel[illegible]ſtes a[illegible] & occidere? & [illegible]ne longè aliud eſt inimicum tuum occidere, aliud [illegible]re E[illegible] quoddam genus inter Cain & Abel fratres. alter odio inuidiaque certabat,

bat, alter verò fraterna charitate; alter iracundia, alter manſuetudine; alter ſumma in-
iuſtitia, alter maxima ratione & æquitate: denique alter alterum magno mentis furore
occidit, alter mortem patientiſſimè tolerauit. Vter illorum verè alterum vicit? Tu qui- *2. Mach. 7.*
dem (aiebant ſancti illi Martyres Machabæi) in præſenti nos perdis, ſed Rex mundi nos
defunctos pro ſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit: tu verò non effugies
iudicium Dei. At non ita aget Meſſias (fortaſſe dicetis) non aſſumet nec geret niſi iuſtum
bellum, neque occidet niſi impios. Atqui iam audiuimus fieri non poſſe, vt in magno
bello non niſi noxij occidantur. Et, vt non niſi malos occidat, quæro, an non ſit alius me-
lior ac verè nobilior modus vincendi malos, quàm occidendo & perdendo. Quòd ſi eſt,
vt nunc oſtendimus, nimirum vincendo illos per manſuetudinem, charitatem, patien-
tiam, iuxta vulgarem quoque ſententiam, QVI PATITVR VINCIT: cur non illum po-
tiùs bellandi & vincendi modum Meſſiæ noſtro tribuimus, qui omnibus in rebus haud
dubiè optima quæque eliget facietque? Præterea, nónne anteà diſputauimus, præcipuè
Meſſiæ noſtri hoſtem fore diabolum? aduerſus illum autem quid opus eſt exercitu,
equis, haſtis, & gladijs? nec peccatum quidem, quo cum etiam in primis certabit, talibus
armis vincitur, ſed planè contrarijs: nimirum ſuperbia humilitate, iracundia manſuetu-
dine, crudelitas patientia, & ſic de ceteris. Verùm iá hac de re Scripturas, ſi placet, exami-
nemus. & primùm legamus paululum Iſaię cap. 42. Ecce puer meus, ſuſcipiam eum; ele-
ctus meus, complacuit tibi in illo anima mea, dedi Spiritum meum ſuper illum. De quo
loquitur ibi Propheta? nónne de Meſſia noſtro? Maximè, inquiebant Doctores.

Audiamus iá cetera, inquit IESVS. Non clamabit nec accipiet perſonam, nec audietur *Iſa. 42.*
vox eius foris. Calamú quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. Non
erit triſtis neque turbulentus. Quid hæc ſibi volunt? nónne declarant, quonam modo &
quibus armis Meſſias ſit pugnaturus? Sequitur enim ſtatim quòd hac bellādi ratione vi-
ctoriam conſequetur. Donec, inquit, educat iudicium ad victoriam. Videte ergo quem-
admodum pugnet Chriſtus ſecundùm Prophetam: nimirum non replendo omnia tu-
multibus & clamoribus, vt fit in bello, ſed manſuetudine & patientia potiùs: non om-
nes hoſtes ſuos ſtatim occidendo & perdendo, ſed patienter eos ferendo. Quid enim eſt
calamum quaſſatum non confringere, & linum fumigans non extinguere, niſi malos per
nimiam charitatem ad pœnitentiam parcendo expectare? Et nónne memini me legiſ-
ſe hac de re locum clariſſimum in Pſalmo 44. de quonam ibi dicitur illud: Speciosus
forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis; proptereà benedixit te Deus in
æternum? Reſponderunt Doctores; Prophetia eſt ſine dubio de Meſſia.

Tum puer IESVS; Iam ſequitur, inquit, de eodem: Accingere gladio tuo ſuper femur
tuum potentiſſime. item, Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corda inimicorum
Regis. Quis eſt gladius iſte Meſſiæ, Regis noſtri, quē ſtringet aduerſus hoſtes ſuos? Quæ
ſagittæ acutæ, quas eiaculabitur in corda inimicorum ſuorum? Nimirum, ſpecie tua &
pulchritudine tua, intende, proſperè procede, & regna. Propter veritatem & manſuetu-
dinem & iuſtitiam, deducet te mirabiliter dextera tua. Sed redeamus ad Iſaiam Prophe-
tam, & quidem ad locum illum quem propoſui ab initio; & videamus, quid ibi de bellis
& victoriâ Meſſiæ habeatur. Dicit, victoriam Chriſti, quam referet de hoſte ſuo, ad quem
ſuperandum venit, ſimilem fore victoriæ Gedeonis, quam de Madianitis olim reporta- *Iudic. 6.*
uit, quæ deſcribitur, vt ſcitis, in libro Iudicum noſtrorum. Quomodo autem parta fuit illa
victoria? nullis ſanè humanis medijs, ſed ſola Dei virtute. Primùm enim pauciſſimi,
nempe trecenti dumtaxat profecti ſunt in bellum, aduerſus innumera hoſtium millia.
deinde trecenti etiá viri illi nihil pugnarunt. numquá extractus fuit gladius, nullus ictus
datus: tantùm tubis perſonuerunt ad caſtra hoſtium, lagenaſque fictiles mutua colliſione
fregerunt. Quo facto auditoque, hoſtes ſe mutuò perterriti occiderunt: qui autem cædi
illi ſuperfuere, fugerunt. Iſte erat valdè nouus & humano iudicio ſtultus pugnandi vin-
cendíque modus. At alia ſunt iudicia, aliæ viæ Dei, aliæ hominum; vt omnes nouimus.
Quid ſi ergo ſimili aliquo modo Meſſias noſter pugnet aduerſus hoſtes ſuos, eoſque
deuincat? nimirum, non equitum peditúmve exercitu, non gladijs lanceiſque, non vllis
huiuſmodi externis armis aut viribus; ſed ſpiritualibus, quæ ſunt beneficentia, charitas,
manſuetudo, patientia, & ſimilia? Quæ ſpiritalia arma agnouit probè & magnopere
commendat Rex noſter ſapientiſſimus Salomon, dum ait in Prouerbijs ſuis: Si eſurierit *Prou. 25.*
inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitierit, da illi potum: prunas enim congeres ſuper caput eius,
& Dominus reddet tibi; hoc eſt, ſic vinces inimicum tuum. Scio quidem, hanc pugnandi

 rationem

rationem mundo ſtultam admodum & alienam iudicari. Sed iam diximus, longè alia ſemper eſſe iudicia mundi, alia Dei. Et nónne, inquam, Iſaias Propheta manifeſtè aliquid tale ſubindicare videtur, vbi de ratione bellandi Meſſiæ noſtri & victorijs eius loquitur; quum dicit, Meſſiam victoriam habiturum, ſicut in die Madian.

Hæc vbi dixiſſet puer IESVS, viſum fuit Doctoribus contra replicare, dicendo: Hæc quidem omnia, chariſſime, valde abs te ſanè probabiliter dicta eſſe videntur. Sed quid dicis ad prophetiam illam Pſalm. 109. quam antè produximus; in qua manifeſtè habetur, Meſſiam noſtrum bellando copioſiſſime ſanguinem effuſurum, omniaque ruinis ſeu ſtrage & cadaueribus impleturum.

Ad hæc puer IESVS; Scitis, inquit, non dubito, venerandi patres, Prophetas ſanctos libenter ac ſæpe locutionibus vti figuratis ac parabolicis: nec illud velle, quod ad litteram verba quibus vtuntur ſignificare videntur; ſed quiddam aliud, quo cum id quod dicunt quamdam habet ſimilitudinem. Sumamus huius rei exempla aliquot, ſi placet, ex Prophetis. Magnus Propheta Iſaias, cuius nunc præcipue verba tractamus, ſic ſcribit de tempore Meſſiæ noſtri, cap. 11. Legam vobis (ſi non diſplicet) locum, quando in manibus habeo. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis; & replebit eum ſpiritus timoris Domini: non ſecundùm viſionem oculorum iudicabit, nec ſecundùm auditum aurium arguet; ſed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in ęquitate pro manſuetis terræ: & percutiet terram virga oris eius, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Nónne hæc omnia dicuntur ad litteram, inquit IESVS, de Meſſia? Non eſt dubium, reſpondebant. Audire nunc, aiebat puer, quæ ſtatim ſequuntur; Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit. Vitulus, & leo, & ouis, ſimul morabuntur: & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrſus paſcentur, ſimul requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas: Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis: & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, mittet manum ſuam. Rogo vos, aiebat IESVS, an eſt quiſquam qui putet hæc ita vmquam implenda? Quid ni? reſpondebant: ſic ſonant verba Prophetæ. Atqui, dicebat IESVS, quid hoc ad rem faceret? vel quęnam illa eſſet tam magna laus, ſi Meſſias noſter naturas ferarũ beſtiarum mutaret? quidve vtilitatis inde ſequeretur humano generi? Non veniet, opinor, Meſſias ſaluatũ feras beſtias, quæ nec capaces ſunt ſalutis, nec illa indigent etiam; vtpote quæ nec peccauerunt quidquam, nec mutarunt nec corruperunt naturam ſuam, quam à Deo acceperunt ab initio: venturus eſt dumtaxat Saluator hominum, & præcipuè populi Iſrael. Nónne ergo potiùs credendum eſt, Prophetam illo modo loquendi parabolico ſignificare voluiſſe, tempore Meſſiæ magnam futuram mutationem in hominibus? Quòd nimirum duri & feri homines eius gratia operaq. manſueſcent; alios mores, aliam vitã induent? Qui priùs crudeles, iracundi, ſuperbi erant inſtar luporũ aut leonum, mites futuros & humiles? Qui anteà pauperum, ſimpliciũ & humilium cõuerſationem prę ſuperbia reſpuebant, iam mutato animo illorũ ſocietatem & amicitiam quæſituros? Nónne hoc eſt reuerà non ſolùm ouem & lupum, leonem & vitulũ ſimul habitare, vt Propheta dicit; ſed etiam ex lupo ouem, ex leone vitulum fieri, vt cõmuniter etiam loquimur? Hoc ſignificat etiam quod dicit Propheta, infantulos abſque vllo nocumento luſuros eſſe cum ſerpentibus, eoſque manibus contrectaturos: non quidem quòd veri nominis angues veneno carebunt, vel quòd venenum huiuſmodi infantibus nocere non poterit; ſed quòd malitioſi & fraudulenti homines, ſerpentibus ſimiles, venenatam linguam & prauos mores ſuos exuent, iamque non ampliùs nocere cuiquam ſtudebunt, ſed prodeſſe potiùs; & pro verſutia ſimplicitatem, pro malitia puerilem innocentiam amplectentur.

Sic alio loco, apud eumdem hunc Prophetam, dicitur de Meſſiæ tempore: Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur; & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. Quid hæc ſibi volunt? nulli igitur ampliùs montes aut colles, nullæ erunt valles Meſſiæ tempore? Quid eſt igitur illud Iſaiæ 2. Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent; Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, &c. Quum ergo alibi dicit montes humiliandos per Meſſiam, parabolicè denotat, ſuperbos homines animo immutandos, humileſque & manſuetos euaſuros: contrà autem, valles exaltandas, hoc eſt humiles & abiectos homi-

nes

nes non quidem ſuperbiam induturos, ſed magnanimos forteſque euaſuros ad omnia huius vitæ aduerſa ac pericula contemnenda, magnaque & excelſa ſpe præditos fore conſequendi bona cæleſtia & æterna. Non dubito, quin frequenter audiueritis vulgarem loquendi formam ac velut prouerbialem ſententiam in lingua noſtra: Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. Hoc illud eſſe videtur ſanè quod Iſaias dicit, montes humiliandos & valles implendas. Itemque 35. cap. Sciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine; & quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami & iunci; & quæ ſequuntur. Similem ferè prophetiam memini me audiuiſſe interdum ex Ioële Propheta; quòd videlicet Meſſiæ tempore ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac & mel. Quis eſt tam puer aut parui ſenſus, vt putet hoc ſic futurum eſſe? ſed locutio, ne illa figurata ac parabolica ſignificare voluit Propheta, Meſſiæ tempore futuram ſummam felicitatem & copiam bonorum omnium? Atque nam vel qualia bona putet, hoc videtur etiam atque etiam inquirendum eſſe, ne quis fallatur. Reuerà enim videntur Prophetæ plerumque per corporalia, terrena, temporalia, deſcribere nobis velle bona ſpiritualia, cæleſtia, ſempiterna.

Ad eumdem modum igitur, quod ſcriptum eſt in Pſalmo prædicto, Meſſiam ruinas facturum, Reges proſtraturum, ſanguinem hoſtium ſuorum copioſiſſimè effuſurum, nihil fortè aliud ſignificat, more loquendi Prophetarum, quàm hoſtes multos victurum, magnaſque victorias habiturum. Sed quomodo victurus ſit, quibúſve armis pugnaturus, hoc ex illa Prophetia non poteſt intelligi. vtrùm verò hoc ex alijs non ſatis antè probauerim; vobis, honorandi patres, iudicandum relinquo. Vnum tantùm adhuc verbum addam (ſi moleſtum non eſt) ad hoc propoſitum; nempe fieri poſſe, vt Meſſias noſter non ſemper ſit clementia, manſuetudine, patientia certaturus cum hoſtibus ſuis: ſed quodam etiam tempore, ijs qui nulla manſuetudine vel clementia vinci aut corrigi potuerunt, oſtenſurum ſeueritatem ſuam & potentiam, vereque eos tunc occiſurum & perditurum vt merentur. Quando etiam illud fortaſſis implebitur, quod ſtatim legi ex Iſaiæ 11. cap. Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. At quando, vel quomodo hoc futurum ſit, eſt etiam diligenter ac ſollicitè examinandum.

Nunc ſatis eſſe videtur, de militia Meſſiæ, & de modo bellandi, quo vſurus eſt, diſputatum. Pergamus ergo, ſi placet, ad alia quædam pro elucidatione veritatis, atque vt Meſſiam noſtrum tantæ dignitatis Principem, nobíſque omnibus tam vtilem ac neceſſarium, cognoſcere poſſimus, quum venerit, vt oportet, bonorumque & felicitatis quam afferet eſſe participes. Quid vobis videtur? eritne Meſſias noſter diues & potens admodum? Reſponderunt Doctores; Diues & potens erit ſupra modum, longè ditior & potentior quàm vnquam fuit Rex noſter Salomon: cuius tempore argentum & aurum in Iſraël nullius pretij erat præ copia & multitudine. Ita quoque optima eſt media habiturus, nos omnes quoque diuites & potentes efficiendi. Audi, fili, quid hac de re habeat Pſalmus 71. Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent; Reges Tharſis & inſulæ munera offerent; Reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes Reges terræ, & omnes Gentes ſeruient ei. Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper, tota die benedicent ei.

Sed quid eſt igitur, inquit puer IESVS, quod omnes Scripturæ dicunt, Meſſiam noſtrum maximam familiaritatem & conuerſationem habiturum cum pauperibus? Audiuimus enim ſtatim ex Iſaiæ 11. cap. Iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Item 29. Pauperes homines in ſancto Iſraël exultabunt. & cap. 49. Pauperum ſuorum miſerebitur. denique 61. Euangelizare pauperibus miſit me. Et in Pſalmo illo, quem iam modò citaſtis, nónne ſcriptum eſt: Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum? Ac mox: Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum ſaluas faciet. Si ergo Meſſias, vt videtur, ſe totum impendet ad ſubleuandos & conſolandos pauperes; qui conuenit, illum futurum tam diuitem & potentem? Qualis enim amicitia aut conuerſatio eſſe poteſt inter potentes & ſimplices humileſque, inter Reges & miſeros ruſticos? neque enim tam magni Reges quærunt pauperes, ſed ſui ſimiles: & pauperes atque abiecti homines nec audent ad Reges accedere, nec poſſunt etiam: quippe cùm Reges tot famulos ac miniſtros omnis generis, tot ſatellites ac milites, cuſtodes corporis ſui, tot aulicos, tot nobiles, tot principes ſemper circum ſe habeant vbicumque ſunt, vt ægrè ad

eos

eos acceſſus pateat, etiam diuitibus multis, ac potentibus huius mundi. Similes ſemper quærunt ſui ſimiles, eorumq́ue & non aliorum ſocietate gaudent. Quòd ſi igitur Meſſias noſter præcipuè curam geret pauperum & ſimplicium hominum, vt prędictæ omnes Scripturæ loquuntur; nónne ipſe quoque videtur pauper futurus?

Atqui paupertas, aiebant Doctores, omnibus odioſa eſt & inuiſa, omnibus riſui & contemtui. non decet ergo illa Meſſiam noſtrum, quē omnes amare, omnes honorare, uereri debent ac ſuſpicere, vnde etiam ille ſapiens Rex Salomon paupertatem meritò
Prou. 30. deprecatur. Sed idem ſapiens Rex, inquit IESVS, deprecatur etiam amplas diuitias. Et profectò, ſi paupertas nonnumquam eſt cauſa nonnullorum peccatorum, nónne multò plurium ac maiorum cauſæ ſunt diuitiæ? Ex neceſſitate paupertatis, affirmat Rex ille, naſci interdum occaſiunem furandi: quod ſanè peccatum eſt quidem; ſed, vt idem Rex ſa-
Prou. 6. piens inquit alibi, non valdè magnum peccatum, furari; ſcilicet, vt eſurientem repleas ventrem. At enim ex diuitiarum abundantia quid naſci teſtatur? obliuionem & contemtum Dei. Ne fortè, inquit, ſatiatus alliciar ad negandum; & dicam: Quis eſt Deus? Quare, ſi paupertas non videtur conuenire Meſſiæ noſtro; multo minùs illum decere videntur magnæ diuitiæ. Et nónne ſatis notum eſt, longaq́. experientia comprobatum, virtuti & pietati ſemper ferè bellum eſſe cum diuitijs? paupertatem autem virtuti amicam eſſe? Nónne hoc etiam conſtat, quotquot vmquam ex animo & ſeriò virtutem & iuſtitiam colere voluerunt, diuitias abieciſſe & contemſiſſe; paupertatem autem amaſſe? Quid ita? niſi, quia diuitiæ reuerà ſunt irritamenta malorum, ac tamquam ſpinæ quædam quæ ſuffocant ſementem verbi Dei, ſtudiumq́ue veræ pietatis in cordibus noſtris? Proinde, quod dictum fuit, paupertatem omnibus odioſam inuiſamq́ue eſſe; non videtur id ſane ſimpliciter verum eſſe. Superbis ac malitioſis hominibus multiſq́ue malis cupiditatibus præditis inuiſa eſt paupertas: at bonis, integris, rectoq́ue iudicio præditis, nequaquam. Deinde, ſi paupertas in aliquo ſola ſit, nullaque habeat animi ornamenta coniuncta; huiuſmodi quidem paupertas non valde ſane vtilis eſt ac laudabilis: at ſi ſit copulata cum ſtudio virtutis & pietatis; facile efficit, non modò vt non rideatur & contemnatur ab hominibus, ſed vt magni etiam æſtimetur. Num Prophetæ noſtri pænè omnes, ſuperioribus ſæculis, Elias, Elizęus, Amos, & ſimiles (quos conſtat in magna paupertate ſemper vixiſſe, illamq́ue vnicè amaſſe & coluiſſe) fuêre contemtibiles? Annon Regibus etiam ipſis vel chari fuerunt admodum, ſi boni erant Reges; vel formidabiles, ſi mali & improbi? Si ergo ad ſimilem aliquem modum pauper fortè futurus eſt Meſſias noſter; nónne facilè efficere poterit ne contemnatur? Et quid vobis videtur de Pſalmo 68. nónne totus loquitur de Meſſia? nónne per illum eiuſq́ue tempore implebitur quod ibi ſcriptum eſt: Deus ſaluam faciet Sion, & ædificabuntur ciuitates Iudæ; & inhabitabunt ibi & hereditate acquirent eam: & ſemen ſeruorum eius poſſidebit eam, & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea? Qui autem ſunt præcipue qui ſic gaudebunt cum Meſſia, & fruentur felicitate quam adducet? Videant, inquit regius ille Propheta, pauperes, & lætentur: quærite Deum, & viuet anima veſtra. Quoniam exaudiuit pauperes Dominus, & vinctos ſuos nō deſpexit. Et Meſſias ipſe, quid ibi dicit de ſeipſo? quonam modo ſeipſum deſcribit? Ego, inquit, ſum pauper & dolens; ſalus tua, Deus, ſuſcepit me. Nónne autem id ipſum clariſſimè docet Propheta Zacharias cap. 9. Exulta, inquit, ſatis filia Sion. Iubila filia Ieruſalem: ecce, Rex tuus veniet tibi, iuſtus & Saluator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinum, & ſuper pullum filium aſinæ.

Dicit ecce Propheta, Regem & Saluatorem noſtrum (qui cauſa erit Iſraëli & Ieruſalem tantæ lætitiæ) futurum tam pauperem, vt ſeſſurus ſit ſuper aſinum, dum equitare voluerit. Quis vmquam de Rege pauperiore audiuit? Nónne ergo vobis videtur, omnem illam externam pompam & maieſtatem, qualem habent Reges huius mundi, diuitias, aurum, argentum, pretioſas veſtes, equos, milites, famulorum & aulicorum multitudinem, & ſimilia, non eſſe certum ſignum quo dignuſci poterit Meſſias Rex noſter cùm venerit; ſed per alia potiùs ſigna cognoſcendum fore? Et certè, quid magnæ rei vel ſingularis daturus eſt Deus Meſſię noſtro, ſi dabit illi copiā auri & argenti, multitudinē ſeruorum & miniſtrorum, variamq́ue huiuſmodi externam gloriam & potentiam? Nónne hæc largitur pro ſua bonitate communiter omnibus, iuſtis & iniuſtis, bonis & malis, amicis ſuis & inimicis? Quinetiam videmus huiuſmodi opibus malos & impios homines ferè hic abundare; bonos autem, pios, & vere Deo gratos deſtitui? Fuerunt quidem Reges & patres noſtri, Abraham, Dauid, Salomon, Ioſaphat, Ezechias, & quidam alij, diuites:

ſed

ſed non propterea Deo placuerunt. Multoque illis omnibus ditiores & potentiores fuerunt multi impij Reges Gentium, Ægyptiorum, Aſſyriorum, Perſarum,& ſimiles; qui magni potius latrones fuerunt quàm veri Reges. An volumus igitur Meſſiam noſtrum talem Regem facere? tyrannis tantummodò huiuſmodi in potentia & opulentia ſimilem? nónne potius credendum eſt,illum cum huiuſmodi ſignis ac donis venturum, quæ nullus vnquam ante eum Rex habuit huius mundi? & per huiuſmodi ſigna ab omnibus facilè cognoſcendum?

Hic Doctores reſponderunt,dicentes: Quid igitur tu,fili,ſentis de hoc negotio? quonam modo,quibúſve ſignis Meſſias ſe cognoſci faciet,& manifeſtabit omnibus? vel putas fortaſſe eum ſic venturum eſſe,vt manere velit ignotus ac incognitus? Nequaquam, inquit Iesvs. Quæ enim eſſet vtilitas aduentus eius, ſi ſemper ignorus maneret? ſed quid ſi agnoſci velit atque æſtimari ab omnibus, longè alijs adeoque prorſus contrarijs medijs & ſignis,quàm putemus? vtpurà, non diuitias multas,honores, aut gloriam huius mundi poſſidendo,ſed illa omnia relinquendo & contemnendo? Conſtet omnibus,poſſe habere opes multas,abundare auro & argento,ad magnos huius vitæ honores peruenire;& tamen nolle; malle in humilitate vitæ & paupertate manere, vt nimirum omnibus vana huiuſmodi bona, & quæ magna ſunt (vt audiuimus) multorum peccatorum irritamenta,cõtemnendi exemplum præbeat: nónne à cunctis,qui bono & recto ſunt iudicio, vir magnus & excelſus prorſúſque regio animo æſtimabitur?

Accedat ad hæc totius vitæ eius ſimilis conuerſatio: magna videlicet probitas, integritas,innocentia,puritas,modeſtia,pietas,iuſtitia, ſanctimonia, temperantia, charitas & miſericordia erga omnes: & in his omnibus nihil fictum aut ſimulatum, ſed vera, ingenua, & certa omnia, cunctis nota & perſpecta: nónne erit vir iſte magnopere admirabilis,cunctis ſuſpiciendus,amabilis,venerabilis? Quid enim magis homines, bono iudicio præditos,ad ſe ſuique amorem & ſeruitium trahit,quàm virtus,probitas,innocentia, miſericordia, bonitas?

Et quid ſi vnà cum his omnibus virtutibus, præditus ſit ſumma quadã & admirabili ſapientia,ad dandum omnibus recta conſilia,ad interpretandum ſapientiſſimè Legem & voluntatem Dei, ad reſpondendum ex tempore difficultatibus & quæſtionibus omnibus? Nónne hac ratione magis etiam omnibus erit admirabilis? nónne etiam veritas & ſapientia res eſt quoque omnium potentiſſima, quæque maximè delectat & mouet animos hominum? Et nónne reuerà ſic Meſſiam deſcribere videntur Scripturæ, quas antea recitauimus Iſaiæ 42. Ecce puer meus,ſuſcipiam eum; electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea: dedi Spiritum meum ſuper eum. Quis eſt Spiritus Dei, niſi Spiritus humilitatis,manſuetudinis,ſanctimoniæ,veritatis,caſtitatis,puritatis,& ſimilium rerum? Explicatur id clarius, vt audiuimus Iſaiæ 11. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini; Spiritus ſapientiæ & intellectus,Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & veritatis; & replebit eum Spiritus timoris Domini.

Iam dicite mihi, obſecro, Meſſias noſter eritne concionator & doctor populi? Non credimus,reſpondebant; ſed Rex erit magnus,vt omnes Scripturæ teſtantur: non eſt autem regum officium, concionari, ſuggeſtum conſcendere, vel prædicare; nec decet hoc reges. Quid ergo eſt, aiebat Iesvs, quod in Pſalmo 2. de Meſſia dicitur; Ego conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montẽ ſanctum eius,prædicans præceptum eius? Sed præſtat in Iſaia manere, ex quo diſputationem hanc primùm inſtituimus, cœpimuſque. Repetam ergo verba illa, & legam aliquanto longiùs quæ paulò antè citaui ex cap. 61. Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit me, euangelizarẽ pauperibus miſit me: vt mederer contritis corde, vt prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem; vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro; vt conſolarer omnes lugentes.

Ecce, venerandi Patres, dicit Meſſias, ſe vnctum eſſe à Spiritu ſancto, non ad bellandum inſtar regum huius mundi; ſed ad prædicandum. Et quid, quibúſve prædicandum? nempe omnibus pauperibus, abiectis, triſtibus, miſeriſque hominibus. Ad annuntiandum illis gratiam Dei paratam omnibus, ſincèro eam corde petentibus: hoc eſt enim verè mederi contritis corde, lugenteſque conſolari: hoc eſt prædicare captiuis indulgentiã & clauſis apertionem. Neque enim loquitur de captiuis vel clauſis in carceribus corporalibus: de talibus captiuis loquitur, de qualibus contritis & vulneratis. loquitur autem

tem apertè, de contritis corde, vt verba ſonant: de cuiuſmodi etiam loquitur Pſalm. 50. dicens; Cor contritum & humiliatum, Deus, non deſpicies. Sicut ergo eſt contritio quædam ſeu læſio & vulneratio ſpiritalis; ſic ſunt & ſpiritualia vincula carceresq́ue ſpiritales. vincula nimirum peccatorum, carcer malæ conſuetudinis, mortis, & inferni. Ab his vinculis & carceribus liberatum venturus eſt (vt ſanè videtur) Meſſias noſter. Non dicit ſe venire, vt armata ac violenta manu carceres corporales aperiat; quod faciunt quum volunt reges huius mundi; ſed vt apertionem ſpiritualis carceris & captiuitatis prædicet: ſatis profectò euidenter ſignificans, regnum ſuum in miniſterio prædicationis conſiſtere; longeq́ue aliud regnum eſſe ab regnis omnibus huius mundi. Quod vt magis etiam clariusq́ue exponat, addit; Vt prędicarem annum placabilem Domino. Quid enim hoc aliud eſt, quàm annuntiare & proponere omnibus tempus clementiæ & miſericordiæ Dei; quo paratus ſit graui ac triſti onere peccatorum grauatos, ſeq́ue per Meſſiam inuocantes & veniam humiliter poſtulantes, in gratiam recipere?

Egregia verò ſane, aurea, dulcis, & veræ conſolationis plena prædicatio, omnibus qui guſtum aliquem ac deſiderium habent æternæ ſalutis: nempe iam placatam eſſe iram Dei ſuper humano genere, omnes diuitiarum & gratiæ eius theſauros apertos, diabolum humani generis hoſtem deuictum, mortem expulſam è regno ſuo & ab electis Dei, infernum confractum, cælum apertum. Talem prædicationem nec Iſaias Propheta, nec Ieremias, nec Samuel, nec Moyſes ipſe, nec quiſquam aliorum afferre potuit. Eſtne autem hæc & talis gratia per Meſſiam afferenda, longè anteponenda etiam cunctis donis regum quorumuis & principum huius mundi?

Quòd ſi Meſſias prædicando hunc in modum verbum Dei, habiturus eſt in prædicatione ſua gratiam ſingularem, dicendiq́ue ac docendi artem & facundiam admirabilem, ſupra omnes Doctores populi & Prophetas, quos ante habuimus, vt minime eſt dubitandum; nónne efficiet facilè, vt cum ingenti gaudio ac deſiderio omnes ad eum boni & ſalutis ſuę ſtudioſi confluant, omnes ament ac recipiant? Et nónne hæc quoque admirabilis gratia prędicationis eius, qua omnium animos commouebit, omnesq́ue ad ſe trahet, prædicta eſt à Dauide Propheta, in Pſalmo illo 44. cuius ante meminimus? Speciosus, inquit, forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. Quaſi diceret; O quam felices & beati erunt, qui te videbunt, qui audient conciones tuas, oriſq́ue tui admirabilem ſapientiam, gratiam & facundiam! Nónne igitur hoc iam aliud eſt bonum, clarum & certiſſimum ſignum, quo Meſſias, quum venerit, facile ab omnibus cognoſci poterit?

Quòd ſi ad omnia quæ iam diximus, & præcipuè ad ſingularem illam gratiam prædicandi verbum Dei, qua vſurus eſt, habeat etiam poteſtatem, ad gloriam Dei, & ad confirmationem doctrinæ ſuæ, omnis generis miracula faciendi; ſi morbos omnes incurabiles vno verbo ſanare queat, ſi mortuos ſuſcitare, cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, mutis loquendi facultatem donare; ſi dæmones imperio ſuo eijcere & fugare, ſi ventis, & mari, & ceteris omnibus creaturis pro voluntate imperare poterit; quid eſt quod quis amplius in eo requirat. aut quæ alia, plura, meliora, manifeſtiora ſigna, ad eum cognoſcendum?

Legamus igitur ea de re (ſi placet) Iſaiam Prophetam noſtrum cap. 35. Lætabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium; germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans. Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron: ipſi videbunt gloriam Domini & decorem Dei noſtri. Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate. Dicite puſillanimis; Confortamini, & nolite timere: ecce, Deus veſter vltionem adducet retributionis: Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos.

De quonam hæc dicuntur omnia? nónne de Meſſia noſtro; qui omnia renouabit, omnia implebit gaudio & lætitia? Ita ſanè videtur, aiebant. Tum IESVS; Audite igitur, inquit, quid ſtatim ſequatur: Tunc aperientur oculi cęcorum, & aures ſurdorũ patebunt. Tunc ſaliet ſicut ceruus, claudus; & aperta erit lingua mutorum. Nónne hæc verba perſpicuè ſignificant, tempore Meſſiæ talia paſſim futura miracula? Quis autem illa faciet, niſi Meſſias ipſe, & quibus fortaſſe eamdem daturus eſt poteſtatem? Hæc profectò ac talis potentia, ſicut eſt longe maior & ſublimior omni potentia regum huius mundi; ſic multo etiam eſt vtilior meliorq́ue. Regum potentiæ, quam præcipuè declarant magnis quæ gerunt bellis, permultum mali ac damni ſemper coniunctum eſt. At verò diuinam huiuſmodi potentiam, quæ poſita eſt in miraculis faciendis, nemo ſuo malo experietur,

omnes

omnes ſibi vtilem ac ſalutarem ſentient. Nónne igitur hæc taliſque potentia longè magis Meſſiæ noſtro conuenire videtur? Qui vt potentiſſimus erit, quod nemo negare poteſt; ſic erit quoque optimus & clementiſſimus; vt iam antè ex multis Prophetarum oraculis audiuimus, ſatiſque etiam omnes, opinor, confitentur.

Sed quid eſt igitur (replicabant Doctores) quod antè ex Pſalmis oſtendimus, Meſſiam noſtrum longè lateque dominaturum per totum orbem; habiturumque abundantiam auri, argenti, rerumque ſimilium; & hunc in modum oſtenſurum potentiam ſuam? ita nimirum vt omnes reges terræ eum venturi ſint adoraturi, ornaturumque muneribus? Annon hoc prædictum eſt de Meſſia noſtro? Eſt vtique, inquit IESVS: ſed nónne fieri poteſt, vt hæc omnia non ſtatim impleantur in initio aduentus ac regni eius? Obſecro, venerandi Doctores, ſinite me vnam adhuc quæſtionem proponere, ad harum rerum maiorem intelligentiam. Eſtne Meſſias noſter aliquando moriturus?

Quæſtio illa, fili chariſſime, (reſpondebant) eſt nonnihil difficilis & obſcura: nec ſatis ſciunt multi noſtrûm, quidnam ea de re ſentiendum ſit vel dicendum. Videntur enim Prophetæ variè, obſcure ac diuerſimodè loqui de hac materia. Nam quibuſdam in locis dici videtur, Meſſiam ſemper eſſe victurum: vtpote in Pſal. illo 71. quem antè citauimus; Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper. & paulò antè: Et permanebit cum Sole, & ante Lunam, in generationem & generationem. Attamen, quia non dubium eſt, quin verus homo futurus ſit, probabilius eſſe videtur, illum ſuo etiam tempore eſſe moriturum. Quemadmodum & Dauid tandem placida morte ex hac vita migrauit, cuius filius erit Meſſias, cuius regnum habebit. Hoc ſanè à vobis, inquit IESVS, rectè admodum dici videtur; Meſſiam noſtrum, ceu verum hominem, more hominum omnium moriturum eſſe. Et hoc ſatis apertè etiam dicere videtur multis locis inter alios Prophetas Iſaias noſter; in primis cap. illo 11. quod ſæpè iam produximus: In die illa, radix Ieſſe qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur; & erit ſepulchrum eius glorioſum. Eſt de eodem negotio locus etiam apertiſſimus, cap. 53. vbi dicere videtur idem hic magnus Propheta, non tantùm moriturum, ſed ab hoſtibus etiam ſuis crudeliter, poſt multas ignominias ac tormenta, occiſum iri. Locus eſt valdè notabilis, ac diligentiſſime conſiderandus. Sed, quia multa & prolixa ſunt verba, diuque iam diſputauimus, non benè auſim nunc omnia legere. Abſit fili, aiebant Doctores, Meſſiam noſtrum ſic ab inimicis ſuis tractari, ab ijſque vinci & occidi poſſe. Ipſe potiùs vincet & occidet omnes hoſtes ſuos, & populi ſui, vt omnes Prophetæ teſtantur. &, quamuis morietur, morte placidiſſima in lectulo ſuo ſenex, & plenus gloria, patris ſui Dauidis inſtar, ex hac vita diſcedet. Atqui aliud tamen, inquit IESVS, prophetia illa apertiſſimè indicare videtur: & nónne, inquit, idem expreſſis verbis habet Propheta Daniel, cap. 9. Poſt hebdomadas ſexaginta duas, occidetur Chriſtus; & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt: Quæ verba non modò ſignificare videntur, Chriſtum morte violenta moriturum eſſe & occidendum; ſed hoc etiam, & tãtam iniuriam paſſurum ab ipſomet populo ſuo: quodque populus eius illum palàm negabit, auerſabitur, contemnet, reijciet; & proptereà etiam, diuina vindicta, populus eius eſſe deſinet. Quid autem? inquit; annon idem ſubindicare videtur Pſalmus 117. numquámne legiſtis ſentẽtiam illam: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli: à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris? Nónne hæc ſubindicare videntur, Meſſiam malè tractatum iri à primoribus populi ſui? Sed pręſtabilius eſt, has prophetias nunc temporis (vt dixi) breuitatis cauſa relinquere, ac redire ad propoſitum noſtrum.

Fatemur omnes Meſſiam noſtrum eſſe moriturum: Prophetæ hoc omnes diſertè teſtificantur. At quónam iturus eſt poſt mortem; vel quid de eo futurum? Non enim, puto, eſt in morte manſurus. Nónne potiùs credendum, quòd ſtatim à morte in cęlum migrabit, ad Deum à quo miſſus fuerat, cuique hîc fideliter ſemper ſeruierat? Eſt hoc, aiebant, valdè probabile: & videtur id quoque minimè obſcurè ſubindicare Daniel Propheta, cap. 7. quoniam illius Prophetæ nunc mentionem feciſti. ibi enim ſic habetur; Et ecce, cum nubibus cæli Filius hominis veniebat; & vſque ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum, & dedit illi poteſtatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ illi ſeruient. Optimè, inquit IESVS: eſt illa ſanè pulcherrima prophetia, beneque ſeruiens propoſito noſtro.

Sed quid de regno Meſſiæ fiet poſt mortem eius, quod hîc inſtituerat? num hoc vnà cum illo interibit & collabetur? Nequaquam; reſpondebant. Audi quid de ea te ſequa-

tur ſtatim in eodem Propheta: Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod nõ corrumpetur. Quod ipſum idem Propheta clariùs etiã & latiùs antè deſcribit, cap. 2. In diebus, ait, regnorum illorum, ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur; & regnum eius alteri populo non tradetur. Comminuet autem & conſumet omnia regna, & ipſum ſtabit in æternum. Recte, inquit IESVS; hæc enim valdè conſentanea ſunt ijs, quæ multis locis habet Iſaias Propheta, ex quo hactenus præcipuè diſputauimus. Cap. enim 9. vnde hanc de Meſſia diſputationem incepimus, ſic habetur; Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iuſtitia; amodò, & vſque in ſempiternum. Verùm, quia de eo inter nos conuenit, reſque ipſa ſatis certa eſſe videtur; non eſt opus pluribus teſtimonijs: pergamus porrò aliquanto vlteriùs.

Meſſiæ regnum quod ipſe hîc incipiet erigetque, permanebit firmum poſt mortem illius; immò ſemper atque in æternum durabit. Quis ergo reget illud & adminiſtrabit à morte eius? Eſtne enim certum & manifeſtum, poſtquam ipſe mortuus erit atque in cælum receptus, Deoque proximus factus, habiturum hîc in terra vicarios, qui regnum eius adminiſtrabunt? ſic tamen vt ipſe de cælo inuiſibiliter præcipuam ſemper regni ſui curam gerat, adiuuando & confirmando vicarios ſuos, alioſque ſemper in defunctorum locum ſurrogando? Non eſt hoc quoque, aiebant, improbabile: quamquam de modo & ratione ſucceſſionis, quo ſibi mutuò ſuccedent, qui regnum eius adminiſtrabunt, & vtrùm vnum tantùm ſemper, an plures vicarios ſeu proreges ſit habiturus; an verò hoc filij eius potiùs facturi ſint eo mortuo, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis; vel quales tandem illi futuri ſint ſucceſſores eius; de his omnibus rebus nihil inuenimus in Sacris litteris aut Prophetis noſtris. Eſto, inquit IESVS, ſaltem hoc videtur extra omnem dubitationem eſſe, vnum vel plures fore, qui regnum eius poſt illum gubernabunt, cum nullum ſit regnum, vel ciuitas, vel ſocietas hominum, nec priuata quidem domus aut familia, quæ ſine capite vel rectore diu poſſit ſubſiſtere.

Et nónne hoc quoque, inquit, ſatis certum videbitur, vicarios eius, qualeſcumque futuri ſunt, ijſdem modis ſeruaturos regnum eius atque adminiſtraturos eſſe, quibus ipſemet primum conſtituerat & fundauerat? Sicut enim ipſe ad hoc vtetur procul dubio modis omnium optimis atque aptiſſimis; ſic non eſt veriſimile permiſſurum vt vicarij eius rem tantam, à ſe tam benè inceptam, alijs vijs aggredi velint ac perficere, quàm ipſe primùm fecerat: cùm præcipuè hoc conſuetudo omnis ac natura habeat, vt vnaquæque res eo modo optimè conſeruetur, quo eſſe primùm cœpit. Iam verò audiuimus antè ex Prophetis, Meſſiam non armis, non externa vlla vi aut potentia, ſtabiliturum regnum ſuum, hoſteſque deuicturum, ſed doctrina ſummæ ac cæleſtis ſapientiæ, prædicationeque veritatis: adhibita ad illius confirmationem diuina virtute nouorum ſignorum, & miraculorum quotumlibet. Quid ſi nunc fiat, vt hac eadem via, poſt mortem eius ingredientes, quos regni ſui vicarios atque adminiſtratores relinquet, ipſo ſemper de cælo cooperante, regnum illud cum tempore multo maius, amplius, illuſtrius, ac potentius reddant quàm vmquam Meſſias habuerat? Quid ſi paulatim regnum illud conſtituant ac ſtabiliant, non modò in populo Iſraël, ſed etiam in vicinioribus regionibus, nationibus, gentibus, omnes vbique ad profeſſionem veritatis, hoc eſt ad agnitionem veri Dei, ad cultumque & obedientiam Meſſiæ noſtri cum Deo regnantis perducendo? Quid ſi ita fortiter & feliciter pergant ſemper vlteriùs, tandemque totum terrarum orbem Meſſiæ ac veritati ſubijciant? vt omnes vbique, relictis idolis ac ſuperſtitionibus ſuis, ad Deum verum conuertantur, Meſſiamque noſtrum cum eo regnantem vt verum ſuum & ſupremum Regem venerentur; illamque religionem amplectantur, quam ipſe primò prædicauerat? Quid ſi tunc omnes mundi reges ac principes, cum omni gloria & potentia ſua, ſe ſponte Meſſiæ ſubijciant, omneſque diuitias & vires ſuas in eius honorem, regnique ac religionis ipſius conſeruationem, defenſionem, augmentationem, conuertant? ſeque magnopere felices reputent, quòd eius ſerui eſſe mereantur, totamque vitam ſuam, & omnia quæ habent ac poſſunt illius honori conſecrare? An vobis videtur, honorandi patres, quòd malè illo euentu ad illumque modum implerentur, illa quæ Prophetæ omnes de regni Meſſiæ noſtri amplitudine & gloria prædixerunt? Et nominatim illa quæ ante citaſtis ex Pſalm. 71. Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent; Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent,

& adora-

& adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei? Hoc nimirum eſt regnum, omnium quæ vnquam in mundo fuerunt, pulcherrimum ac nobiliſſimum: regnum videlicet iuſtitiæ, veritatis, innocentiæ, pietatis, virtutis omnis, pacis & ſecuritatis maximæ, pacis inquam & amicitiæ cum Deo viuo & vero, & ſecuritatis & tranquillitatis conſcientiæ, ex qua omnis vera lætitia & felicitas profluit: denique per quam tandem peruenitur ad ſalutem & vitam æternam, cum Deo & Meſſia, in regno cælorum.

Et quia in hanc materiam incidimus, videtur hic alia quæſtio ſeſe offerre minimè prætermittenda, cum de Meſſiæ dignitate atque officio diſputarut. Quid ſentitis, ô magiſtri in Iſraël, de ſtatu hominum gentis noſtræ decedentium ex hac vita? quò putatis migrare ſanctorum & iuſtorum omnium animas, dum per mortem à corpore ſeparantur? Eſtne res certa, cōdiros eſſe homines à Deo noſtro, vt poſt hanc vitam temporalem ad æternam perueniant? & poſt certi temporis habitationem in hoc mundo, ad ſupernam & cæleſtem patriam, in qua Deus ſanctis Angelis ſuis ſeipſum, velut eſt, & totam gloriam ſuam oſtendit? Eſt hoc, fili, reſpondebār Doctores, longè omnium veriſſimum & certiſſimum. Quando enim creatus eſt homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei; finis eius vltimus eſt, ad Dei ipſius conſpectum & fruitionem pertingere. Quod vbi cōtingit, tum demum homo dici poteſt ac debet beatus eſſe. In toto autem hoc viſibili mundo, nihil eſt quod appetitum eius implere vel ſatiare queat: quare expectanda eſt hæc beatitudo, poſt vitam hanc mortalem peractam. Nam & mundus iſte corruptioni totus obnoxius & tot mutationibus expoſitus, vitæ hominis beatæ non conuenit; & corpus præcipuè iſtud mortale, quod circumferimus, nulla ratione aptum eſt vt Dei potentiam ferat, & clariſſimo eius conſpectu fruatur.

Rectè admodum, ait Iesvs; & beatitudo iſthæc, qua Deus in cælo videtur ſicuti eſt, non contingit, opinor, poſt mortem omnibus in vniuerſum: loquendo etiam dumtaxat de hominibus nationis noſtræ, qui ſoli Deum verum nouerunt & colunt, iuxta legem eius. Nequaquam, aiebant Doctores: eſt enim hæc merces piorum & iuſtorum tantummodò; illorum qui in vera pietate & ſanctitate vitæ perſeuerauerunt vſque ad mortem. Ceteri omnes nullam in hac beatitudine partem habebunt, ſed erunt illi pro meritis ſuis procul à Deo & cælorum habitatione proiecti in ſupplicijs ſempiternis.

Sic decet profectò, inquit Iesvs. At ſancti & iuſti illi qui in fide, ſpe, atque amore Dei, pleni bonis operibus ex hac vita diſcedunt; num ſtatim à morte in cælum admittuntur ad conſpectum Dei? & quotquot tales defuncti ſunt ab initio mundi; an ſunt illi nunc omnes in cælo, cum ſanctis Angelis diuina viſione beati? Hic Doctores iterùm nonnihil hæſitare videbantur, nec ſatis in promtu habere quod aptè reſponderent: at, vnus illorum tamen, ne omnes victi eſſe aut muti facti viderentur, reſpondit breuiter in hæc verba; Hæc quæſtio, fili, nec ſatis claram habet reſponſionem inter Legis Doctores, nec magnopere etiam videtur ad rem pertinere, vel ad ſalutis æternæ neceſſitatem. Docent nos Scripturæ ſacræ, iuſtorum animas in manu Dei eſſe: hoc eſt, in cuſtodia & protectione eius: vbi verò, & quali in ſtatu vitæ ſint, non commemorant. Niſi quòd certum eſt, vbicumque ſunt, in dulci quiete & magna conſolatione verſari: hoc ſatis eſt de ſtatu mortuorum cognoſcere: an verò ad Dei conſpectum admittantur, & ad poſſeſſionem habitationis cæleſtis, non ſatis conſtat.

Tum puer Iesvs: An vobis, honorandi domini, moleſtum non erit audire ea de te ſententiam noſtram? Minimè verò, aiebant: dic liberè quod videtur. Equidem, inquit Iesvs, & à parentibus meis, & ab alijs Legis noſtræ Doctoribus audiui frequenter ac didici, tantam fuiſſe iram Dei in homines poſt peccatum in paradiſo admiſſum, vt ſtatim omnibus cælum clauſerit; nec quemquam, licet ſanctiſſimè viueret, atque in gratia ſua ex hac vita migraret, ad diuinæ faciei ſuæ voluerit contemplationem admittere; donec homo quiſpiam pro peccatis humani generis iram eius placaſſet, ſatiſque feciſſet ipſius iuſtitiæ: ideoque in locum quidem aliquem bonæ quietis magnæque conſolationis, poſt mortem recipi omnes iuſtos, vt rectè dixiſtis; at verò, ad cæleſtis palatij habitaculum (quę vera & propria domus Dei & Beatorum eſt) non admitti. Cuius rei figura quædam extare videtur in exordio Legis noſtræ, vbi primorùm parentum peccatum eiuſque vindicta deſcribitur. Quòd nimirum eiecti ſunt ſtatim, Angeli miniſterio, è paradiſo, atque in lati huius mundi habitationem expulſi. Nam quemadmodum terreſtris ille paradiſus figuram habuiſſe videtur paradiſi cæleſtis, loci pleni delicijs ac voluptatibus ineffabilibus, ad quem homo ſi non peccaſſet, ſuo tempore tranſlatus fuiſſet; ſic expulſionem illam

lam è terreſtri paradiſo, typum geſſiſſe haud obſcurum; toti humano genere cælum clauſum fuiſſe, eiuſque omnes delicias peccati merito negatas hominibus. Quis autem Pſalm. 76. tandem vel quando nobis paradiſum aperiet? Numquid enim in æternum proijciet Deus, aut non apponet vt complacitior ſit adhuc? An ſemper homines à patria ſua, ad quam poſſidendam conditi ſunt, excludentur? Nónne æquiſſimum eſt, hoc futurum credere & ſperare, temporibus Chriſti? Illius, inquam, benedicti hominis, de quo in eodem loco ſacræ Scripturæ dicitur, quòd conteret caput antiqui ſerpentis: hoc eſt, regnum eius euertet, omnemque in fideles & electos Dei poteſtatem deſtruet, vt antè diſſeruimus? Et videntur profectò huius rei teſtimonia exſtare in Scripturis Propheticis, ſi animum aduertere volumus, ſatis clara.

Attulimus ante Scripturam ex nono cap. Zachariæ Prophetæ, de Chriſti paupertate diſputantis. in qua Scriptura adduntur multa, ad Chriſti potentiam regnique eius firmitatem & magnitudinem pertinentia: Diſperdam, ait, quadrigam ex Ephraim, & equum de Ieruſalem, & diſſipabitur arcus belli, & loquetur pacem Gentibus, & poteſtas eius à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad fines terræ. Audite nunc, quid ſequatur: Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. Quæ verba tametſi obſcura eſſe videntur, ſic tamen frequenter audiui explicari à multis Doctoribus in ſynagoga noſtra Nazarena, & alibi: vt ſignificent, Chriſtum (vbi venerit) hoc ingentis beneficij inter alia allaturum iuſtis omnibus defunctis à mundi exordio, vt educturus eos ſit e loco & parte quadam lacus inferni, in quo vincti quodammodò & concluſi detineantur, vt in cælum aſcendere, domumque Patris ſui cæleſtis intrare, & faciem eius videre nequeant. Qui lacus etſi plenam animi quietem & ſecuritatem, variamque diuinam conſolationem habeat; tamen aqua illa caret gratiæ Dei ſingularis, & conſolationis excellentiſſimæ, quæ beatis datur in regno cælorum.

Quò pertinere etiam videtur Scriptura illa de Chriſto Micheæ 2. cap. Aſcendet, pandens iter ante eos. Quónam aſcendet? & quibus, quodnam iter aperiet? Examinemus, ſi placet, Prophetiam de Chriſto ſimilem, Pſalm. 67. Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus. Nimirum in cælum aſcẽdet Meſſias, vbi mortuus fuerit, vt paulò antè oſtendimus Eò ſecum adducet, in regnum cæleſte, iuſtos omnes ab initio mundi, tamdiu velut captiuos detentos in lacu illo inferni (de quo Zacharias Propheta) Chriſtum liberatorem incredibili deſiderio expectantes. Hæc tamquam prima victoriæ ſuę ſpolia inferno detracta, principique infernali erepta, ſupernæ curiæ inferet; cęlique portas illis cunctiſque iuſtis in poſtetum ſecuturis, tanto tempore humano generi clauſas, aperiet: vt ibi tum ſecũ & cum Deo omnipotẽte viuant & regnent in perpetuum.

Oſea 13. Atque ita implebitur etiam illud Oſeæ Prophetæ; De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors: morſus tuus ero, inferne. Hæc demum ſunt opera Meſſia noſtro digna. Nõ eſt res magna, homines in bello ſpoliare, hoſtes manu capere, vrbes munitas machinis bellicis aperire militibus ſuis: hoc latrones etiam maximi & ſceleſtiſſimi poſſunt, & fecerunt frequenter. At ſpoliare infernum, & quos velis inde abducere, cælumque ſupernum aperire amicis ſuis; hoc magnum, admirabile, pręclarum, pulcherrimum, omnique laude & gloria dignum. Sic ergo Meſſias ſibi credentes & obtemperantes, regni ſui cęleſtis atque æterni participes faciet. Hocque & tale eſſe videtur profectò regnum eius, de quo tanta olim Prophetæ. quòd videlicet hac in vita feliciter incipiat, in omnibus qui in vera fide, ſpe & charitate, hîc illi fideliter ſeruiunt, & poſt hanc vitam infallibiliter perſeueret in cælo, duretque in omni felicitate in æternum. Ibi tanta erit in regno illo externa gloria, quanta interna iuſtitia: tanta abundantia bonorum externorum omnium, quibus omnes ſenſus hominum oblectari queant, quanta in animo virtutum copia: tanta pax externa immunitaſque & ſecuritas ab hoſtibus omnibus, quanta intus tranquillitas conſcientiæ. Denique tanta omnis generis felicitas, honor, gaudium, dignitas, & maieſtas beatotum illius regni ciuium omnium; quantã requirit tum illotum erga Deum & Meſſiam regem ſumma obedientia, dilectio, obſeruantia, reuerentia, tum Dei & Meſſiæ erga illos viciſſim amor & gratia; quæ eſt ineffabilis atq; incõprehenſibilis.

Tunc verò demum implebitur illud Prophetæ noſtri Iſaiæ 35. de regni Meſſiæ gloria, deque felicitate ſubditorum eius; Redemti a Domino conuertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitia ſempiterna ſuper capita illotum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. item illud 25. Præcipitabit Dominus in monte hoc mortem in ſempiternum: & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie; & opprobrium

populi

populi ſui auferet de vniuerſa terra. Et hoc modo, facile videtur eſſe, intelligere quę Prophetæ omnes de regni Meſsiæ æternitate ſcripſerunt; quæ in nullum quorumuis regum huius mundi regnum poſſunt competere. Sed Meſsiæ ſolius regnum hîc incipiens progreditur ſemper vlterius in hoc mundo, donec totum penitus occupauerit: & poſt hanc vitam in vita futura ac perpetua. Quiſquis hîc eſt alicuius regni mundani ciuis; per mortem, ex regno illo, pariter & ex vita ac mundo egreditur, omniq́. regni illius iure ac fructu priuatur. At, quiſquis eius erit in regno Meſsiæ noſtri, illiq́; ad mortem vſque fideliter adhærebit; tantum aberit, vt per mortem omni iure ac fructu illius regni priuandus ſit; vt tum demum regni illius ſit veram atque ampliſsimam gloriam & felicitatem ſenſurus & adepturus. Nec hoc regnum interibit, etiam quum totus hic mundus peribit: ſed tunc demum omnem ſuam ſummamq́ue gloriam, dignitatem, & maieſtatem, conſequetur.

Hæc eſſe videtur pax æterna; ſalus perpetua, iuſtitia ſempiterna, vita iugis & felicitas, quam Prophetę omnes teſtantur Meſsiam ſuis daturum, inq́; regno ſuo perpetuò firmaturum. Ponam viſitationem tuam pacem; ait Propheta noſter, cap. 60. Non audietur vltrà iniquitas in terra tua, vaſtitas & contritio in terminis tuis: & occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio. Quòd enim hæc non dicantur de aliqua futura vel expectanda temporali renouatione aut felicitate ciuitatis huius Ieruſalem manu factæ; liquidò patet ex ſequentibus. Addit namque mox ibidem Propheta; Non erit tibi amplius ſol ad lucendum per diem: nec ſplendor lunæ illuminabit te. Quæ vtique intelligi non poſſunt euentura vnquam ciuitati alicui huius mundi. Sed nimirum loquitur Propheta de cæleſti atque æterna beatitudine, quam Chriſtus noſter ſuis donabit, dum eos tandem perducet ad conſpectum Dei ſicuti eſt. Et hoc eſt, quod in Propheta noſtro ſtatim ſequitur: Sed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. In qua etiam cęleſti Ieruſalem locum habebit, non in terrena vel mundana illa; quod ſequitur; Populus tuus, omnes iuſti. Illudq́ue item cap. 54. Ecce, ego fundabo te in ſapphiris, & ponam iaſpidem propugnacula tua, & portas tuas lapides ſculptos. Nam hæc intelligi profectò nequeunt niſi de lapidibus viuis, ex quibus Ieruſalem illa cæleſtis conſtabit.

Nec verò tunc regnabit Meſsias in tali gloria & maieſtate ſuper ciues tantùm beatiſsimos regni ſui, quos ineffabilis æternæque gloriæ ſuæ (vt nunc audiuimus) copioſiſsimè participes faciet; ſed etiam ſuper omnes hoſtes ſuos; hoc eſt, ſuper omnes qui Deo hîc rebelles fuerunt, ipſiusque Meſsiæ leges, doctrinam, aut religionem agnoſcere, aut recipere, vel obſeruare, vt oportet, atque ad finem vſque religioſe retinere, amare & colere, noluerunt. At quonam modo regnabit ſuper huiuſmodi? Nempe ſicut reges huius mundi (vt magnis parua, humana diuinis, terrena cæleſtibus comparemus) regnāt ſuper deuictos hoſtes ſuos. Conſtringunt eos vinculis, inijciunt in carcerem; demum extremo ſupplicio afficiunt, atque e medio auferunt. Sic Meſsias noſter aget cum impijs omnibus regibus huius mundi, & cum ſceleratis hominibus poſt mortē ipſorum, ac præcipuè poſt finem totius mundi huius. Qui hîc Meſsiam agnoſcere ac recipere, amare & colere, totaq́ue mentis reuerentia adorare noluerunt; tunc ſentient infelices maieſtatem & potentiam eius, in perniciem ſuam & condemnationem æternam: cùm repellentur in perpetuum à conſpectu eius, & proijcientur in mortem atque in ignem æternum. iuxta illud quod eſt in extremo fine Prophetæ noſtri in hæc verba: Tunc egredientur & videbunt cadauera virorum qui pręuaricati ſunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis illorum non extinguetur: & erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni. Et paulò ante in proxime pręcedenti cap. Pro eo quòd vocaui, & non reſpondiſtis; locutus ſum, & non audiſtis; & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegiſtis; propter hæc dicit Dominus Deus: Ecce, ſerui mei comedent, & vos eſurietis: ſerui mei bibent, & vos ſitietis: ecce, ſerui mei lętabuntur, & vos confundemini: ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis. Tunc demum implebitur perfectè illud Pſalm. 2. de Meſsia noſtro: Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos. itemq́ue illud Pſalm. 109. Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Denique, id quod paulò antè ex eodem Pſalmo citaſtis; Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ ſuæ reges. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

Quum hæc dixiſſet puer IESVS, ſurrexit de ſede ſua; & ſtans, factaque humiliter Doctoribus omnibus reuerentia, Iam, inquit, venerandi patres & præceptores, ſatis pro hac vice

vice inter nos diſputatum eſſe videtur. Gratias ago vobis maximas, quòd me puerum tamdiu patienter audire, mecumq́ue diſputare dignati fuiſtis. Quidquid dixi, veritatis tantummodò inquirendæ cauſa propoſui; nihil definire volui: vnde & quærendo & interrogando, potiùs quàm affirmando, propoſui omnia. Non enim eſt meum aut ætatis meæ de tantis rebus pro certo aliquid affirmare; hoc veſtræ prudentiæ, & illorum quos Deus Iſraëli Doctores & Præceptores dedit, relinquo: quem rogo, vt omnes in vera Prophetarum noſtrorum intelligentia, in myſterijs regni Meſſiæ noſtri, inq́ue agnitione omnis veritatis illuminet. Tempus nunc eſt, cum parentibus meis, quos illic ſtantes video, domum concedam. Dominus ſemper vobiſcum permaneat. Quo dicto, iterùm modeſtè reuerentia facta, cunctiſq́ue ſalutatis, abſceſſit. Non eſt autem dubium quin illi quoque abeunti benè viciſſim precati fuerint, & vehementer admirati, quiſnam vel qualis ille puer eſſet: multa inter ſe, quum diſceſſiſſet, cum ingenti animi ſtupore de illo quærentes & dicentes; & plura etiam apud ſe quiſque cogitantes. Tametſi cogitationem illam omnem & admirationem aliæ multæ vitioſæ affectiones (quibus imbuti ac toti infecti erant) ex animis illorum citò expulerunt, vt facilè pueri huius, totiuſq́ue ſapientiæ eius admirabilis, penitus obliti fuerint.

Sed nunc fortè quærat aliquis: An credibile eſt, IESVM puerum ad prædictum modum cum Doctoribus tam ſapienter & ſublimiter diſputaſſe; totq́ue Prophetarum omnium Scripturas citaſſe, tam inſigniter explicaſſe? Quid ni? Quum enim dicat ſanctus Euangeliſta, quotquot aderant Doctores non modò ſimpliciter admiratos fuiſſe, verùm etiam obſtupuiſſe, velutq́ue extra ſe raptos attonitoſq́ue fuiſſe, ſuper prudẽtia & reſponſis eius; quodq́ue & tam aptè proponeret quæſtiones maximas, & ad illas, quæ ipſi ab illis proponebantur, tam ſapienter reſponderet; ita ſcilicet, vt nihil haberent quod contradicerent: non dubium eſt, quin raram aliquam atque eximiam ſapientiam oſtenderit; non modò ſupra ætatem & captum talis pueri, ſed etiam ſupra menſuram vulgarem magnorum doctorumq́ue virorum: & hoc ita ſanè conueniebat. Voluit enim Chriſtus hoc modo ſpecimen & guſtum dare omnibus, non ſolùm humanæ, ſed diuinæ etiam ſapientiæ, qua plenus erat. Quemadmodum autem qui in ſocietatem artis vel officij alicuius cupit admitti, ad artem illam publicè exercendam; priùs ſpecimen aliquod edere debet artis ſuæ, atque præclaro aliquo opere declarare ſe artis illius peritum eſſe: ſic Chriſtus hoc loco oſtendere volens omnibus, ſe vnicum & verum Doctorem eſſe omnium, & ad officium docendi miſſum à Patre ſuo; quum artis illius ac muneris primum ſpecimen dare voluit, & quòd eſſet docendi peritus oſtendere; non dubium eſt, quin ſingulari atque eximio modo declarauerit ſapientiam ſuam. Idq́; eò magis, quòd ſubindicare etiam voluit omnibus, ſe eſſe illum magnum Prophetam & Doctorem, à Deo ad ſalutẽ Iſraëlis promiſſum; nec alium expectandum. Et propterea primũ hoc ſapientiæ ſuæ ſpecimen edere voluit Ieroſolymis, ciuitate nobiliſſima, ac omnium celeberrima: & quidem in feſtis Paſchalibus, quibus ex omnibus orbis partibus innumerabiles homines ad ciuitatem illam confluxerant: vt nimirum res omnibus eſſet manifeſta, eiuſq́ue fama longè lateq́ue ſpargeretur.

Verùm, quî fieri ergo potuit (dicat iterùm aliquis) vt quum tantam tamq́ue admirabilem & miraculoſam in puero IESV ſapientiam cernerent, tamq́ue ſingularem ſermonis morumq́ue gratiam; non cogitauerint omnes, ipſum fortè Meſſiam eſſe: quum pręſertim & tempus aduentus Meſſiæ iam adeſſe cognoſcerent; & viderent illum in omnibus quæ ad Meſſiæ officium pertinere videbantur, tam benè verſatum eſſe, tam ſapienter de omnibus diſſerere, tamq́ue probè omnia perſpecta habere? Ab hac ſeria cogitatione veriſſimaq́ue ſententia, auertebant eos multæ aliæ vitioſæ prauæq́ue affectiones, quibus toti infecti erant; multæq́ue ſiniſtræ & falſæ opiniones, quibus erant præoccupati. Videbant puerum IESVM pauperem eſſe admodum, pauperiſq́ue hominis filium; obſcuroq́ue loco ex Galilæa vſpiam natum; id quod vel ex loquela eius ſatis percipiebant. Tametſi non eſt dubitandum, quin rogauerint illum quoque, ante abitum eius, vbi habitaret, & quibus parentibus natus eſſet. Cùm ergo omnia in illo cernerent tam abiecta, humilia, & ſimplicia; ipſi autem omnes eſſent ſuperbi ac diuites, ambitione & glorię cupiditate pleni; ne cogitare ſemel quidẽ poterant aut volebant, talẽ eſſe Meſſiam ac Regem ſuum. Alioqui cur poſteà in illum non crediderunt, quum non modò audirent ſummam eius ac perpetuam ſapientiam in omni prædicatione eius, inq́ue reſponſione promtiſſima ac prudentiſſima ad quæſtiones omnes, quas illi proponebant, ſed tot inſuper inſignia & ſtu-

penda

penda miracula viderent, quæ faciebat in Dei nomine, ad cõfirmationem doctrinæ ſuæ? Ipſemet Chriſtus huius tantę cæcitatis illorum rationem reddit; illam nimirum ipſam, quam nunc diximus. Quomodo, inquit, vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis? Expectabant igitur omnes Meſſiam vitioſis ſuis affectibus ſimilem & fauentem; diuitem nimirum, nobilem, glorioſum, potentem iuxta mundum, qui eos omnes magis etiam diuites & potentes faceret. Quam opinionem fouebant etiam & confirmabant oraculis Prophetarum ſuorum, qui omnes valdè magnificè de Meſſia & regno eius ſcripſerant: nec ſibi perſuadere poterant, obſtantibus malis animi affectionibus, Prophetias illas aliter intelligẽdas eſſe, quàm quemadmodum iuxta litteram ſonare videntur; vt antè quoque in diſputatione oſtendimus. Deinde, quoniam duplex eſt aduentus Meſſiæ; prior humilis & occultus, alter ſublimis & manifeſtus; prior vt iudicetur ipſe & condemnetur ab hominibus, poſterior vt iudicet ipſe homines totumque mundum: quæcumque Prophetæ de poſteriori Meſſiæ aduentu in gloria & potentia prædixerunt, ſic accipiebant quaſi in primo eius aduentu implenda eſſent. Poſtremò, quæ Prophetæ futura prædixerunt in progreſſu regni Meſſiæ, quumque illud in hoc mundo ad ſummam tandem dignitatem & victoriam peruenturum erat, poſt multos labores, aduerſitates, preſſuras, afflictiones maximas, ac poſt multos annorum centenarios; ipſi omnia illa in primo aduentus Meſſiæ exordio implenda exiſtimabant. Quum ergo in puero Iesv nihil penitus mundanæ gloriæ vel potentiæ viderent, deque eius natiuitate aut origine nihil vmquam adhuc audiſſent; putabant eſſe incredibile ac penitus impoſſibile, quòd ipſe Meſſias eſſet.

Itaque admirabantur quidem vehementer ſapientiam eius in tantilla ætate, in puero paupere ac vulgari; nec ſatis comprehendere poterant, quomodo, vel vbi tam citò tantam ſapientiam didiciſſet: ſed aliquid tamen de eo ſupra hominem cogitare non poterant. Numquam quidẽ ſimilem puerum viderant; attamen fieri poſſe fortaſſe putabant, vt ſingulari naturæ dexteritate, Deo adiuuante, talis quiſpiam eſſe poſſet. Et cùm puer Iesvs iam ex oculis eorum abijſſet, nec quidquam de eo audirent ampliùs; facilè ac citò obliti fuerunt omnium, quæ in illo viderant & audiuerant. Et hoc eſt ingenium corruptæ naturæ noſtræ; mala ac noxia tenaciter inhærent memoriæ noſtræ, bona & ſalutaria citò ac facilè elabuntur. Id quod maximè tamen in ijs locum habet, qui naturam ſuam multis prauis & vitioſis affectionibus, auaritiæ, ambitionis, inuidiæ, hypocriſis, & ſimilibus, data opera magis magiſque inficiunt & corrumpunt. quales erant ferè omnes iſti boni magnique Doctores.

PETRI SIMONIS TILETANI EPISCOPI YPRENSIS

DE IESV CHRISTI IN MONTE THABOR CVM MOYSE ET ELIA COLLOQVIO

Tractatus.

INTER omnia quæ ſunt in hiſtoria Euangelica nihil ferè admirabilius, nihil vtilius, nihil dulcius aut lætius eſt, hiſtoria Tráſfigurationis Chriſti. Ibi habemus confirmationem certam ac multiplicem fidei noſtræ ac religionis Chriſtianæ; non ſolùm per præſentiam ac teſtimonia Moyſis & Eliæ, ſed etiam per expreſſum verbum ac teſtificationem Dei Patris. Vnde Petrus Apoſtolus in altera Epiſtola ſua, ad Chriſtianæ doctrinæ certitudinem declarandam, viſionem hanc vocemq́ue Dei Patris adducit, eamq́ue multis egregijs verbis amplificat. Hìc deinde habemus inſignem confirmationem ſpei noſtræ, ſpecimen nimirum pulcherrimum vitæ futuræ, regni cæleſtis, æternæq́ue beatitudinis: ac proinde etiam ingenté inflammationem charitatis noſtræ erga Deum, quę ex fide ſimul & ſpe oritur. quum omnes illum libenter amemus, quem & potentem & bonum credimus; & à quo nos multa eſſe accepturos ſperamus. Ergo hæc hiſtoria docet nos in primis, IESVM Chriſtum eſſe verum Meſſiam, in Lege ac Prophetis promiſſum, verum Dei Filium, verum mundi Redemtorem ac Saluatorem: vnicum & abſolutum ſummæ veritatis cæleſtiſq́ue ſapientiæ Doctorem & Magiſtrum; quem omnes audire debeant, qui ſalui eſſe deſiderant. Quod eò præcipuè tendebat, vt diſcipulos omneſq́ue credentes in fide ſuæ diuinitatis confirmaret: ne videlicet turbarentur vel ſcandalizarentur in futura ſua morte & paſſione: ſed quum paulò pòſt tanta & tam indigna pati viderent; ſcirent, omnia illa non de neceſſitate, ſed de mera ſua atque vltronea voluntate procedere: ideò gloriam ſuam ante mortem, potentiam ante paſſionem, honorem & maieſtatem ante ignominiam oſtendere voluit. Vnde Leo Pontifex eleganter: Aperit Dominus coram electis teſtibus gloriam ſuam, & communem illam cum ceteris corporis formam tanto ſplendore clarificat, vt & facies eius Solis fulgori ſimilis, & veſtitus cádori niuium eſſet æqualis. In qua transfiguratione illud principaliter agebatur, vt de cordibus diſcipulorum crucis ſcandalum tolleretur; nec conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas paſſionis, quibus reuelata eſſet abſconditæ excellentia dignitatis.

Secundò, hîc etiam docetur, qualis in futuro ſæculo parata ſit merces & gloria, non ſolùm ipſi Chriſto, ſed omnibus quoque in illum credentibus, eiuſq́; mandata atque exempla ſequentibus. Quum enim paulò antè dixiſſet; Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: quia hoc valdè durum eſſe videbatur,

tur, ſtatim addit inſignem conſolationem, propoſita mercede incomparabili, dicens; Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis: & tunc reddet vnicuique ſecundùm opera ſua. Et quia aliquis cogitare poterat hoc in longum differri, nempe vſque ad futurum ſæculum, nec quemquam vnquam vidiſſe quid ſit de mercede illa & gloria futuri ſæculi, addit: Amen dico vobis, ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem donec videant Filium hominis in regno ſuo: hoc eſt, donec videant ſpecimen aliquod regni mei poſt hanc vitam, & ſimul gloriæ æternæ omnium electorum. Itaque paucis pòſt diebus ſuam hanc promiſſionem implendo, tribus è diſcipulis hanc ſui transfigurationem, & quæ in illa contigerunt, oſtendit: quatenus quidem fas eſt homini mortali hæc videre & capere. Hinc idem ſanctus Leo: Sed non minori prouidentia ſpes Eccleſiæ ſanctæ fundabatur, vt totum Chriſti corpus agnoſceret, quali eſſet commutatione donandum: vt eius ſibi honoris conſortium membra promitterent, qui in capite præfulſiſſet. De quo idem Dominus dixerat, cùm de aduentus ſui maieſtate loqueretur; Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris ſui. proteſtante hoc ipſum beato Paulo Apoſtolo & dicente: Exiſtimo quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et iterum: Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: cùm autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria. Hæc autem omnia quàm pulchra & iucunda ſunt auditu! quàm neceſſaria cognitu! Quin etiam, ſi diligenter animum aduertimus, inueniemus hic declaratum & expreſſum, quando, quot, qui, quomodo, per quem, & vbi ad contemplationem immortalis ac diuinæ ſint gloriæ peruenturi. Sed non eſt animus in præſentia hæc attingere. Puto autem, nullum eſſe mortalium qui amplitudinem & maieſtatem huius hiſtoriæ dignè concipere queat, nedum lingua aut verbis exprimere. Nec nobis nunc decretum eſt, totá Transfigurationis hiſtoriam explicare, omneſque quæſtiones tractare quæ huc pertinent, quæ multæ ſunt & magnæ; ſed paucas tantùm quaſdam, quæ ſeruiunt intentioni noſtræ ac propoſito. Harum vna eſt hæc. Rom. 8.

Si teſtes habere voluit Dominus glorioſæ huius Transfigurationis ſuæ, non modò homines, adhuc in conſpectu præſentis æui degentes, quales erant Apoſtoli, qui illam viderunt, verùm etiam aliquos ex prædeceſſoribus; cur ex omnibus illis, præcipue Moyſem & Eliam elegiſſe credendus eſt? Quamquam de Moyſe ratio videtur eſſe minùs obſcura. Quòd nimirum ille inter Iudæos ſummæ ſemper auctoritatis ac nominis fuerit, tum propter alia multa, tum præcipuè propter legem quam à Deo acceperat, & populo promulgauerat. Hinc illa verba Iudæorum: Nos ſcimus, quia Moyſi locutus eſt Deus. item; Nos Moyſi diſcipuli ſumus. Quòd ſi Chriſtus teſtimoniũ habere voluit à Lege & Prophetis: cur ex tot Prophetis, qui cunctis retrò temporibus fuerant, vnus cum Moyſe Elias eligitur. cur non potiùs vel Samuel ille magnus Propheta, vel Iſaias, vel Ieremias, qui multa admodum viderunt & ſcripſerunt de futuris Chriſti geſtis & myſterijs? denique cur non præ omnibus Dauid rex, cui potiſſimùm conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob, egregius Pſaltes Iſrael; vt habetur 2. Regum 23?

Afferuntur huius rei à multis rationes multæ. Præterquam enim quòd Chriſtus hoc modo ſe Dominum oſtendere voluit Legis & Prophetarũ, & tam Legem Moyſis quàm Prophetas omnes de ſe teſtificari, voluit etiá monſtrare ſe Dominum eſſe viuorum omnium & mortuorum; itemque cæli & terræ. Ideò inter mortuos Moyſem elegit, inter viuentes autem Eliam, qui in paradiſo aut alio quopiam loco Deo noto adhuc viuit; vt Scriptura indicare videtur. Nam hinc viuens raptus à Deo & ſublatus fuit, & de morte eius poſteà nihil legitur. Ita quum Eliam è cælo aut loco ſublimiori quò raptus fuit; Moyſem autem e terra, in qua ſepultus eſt, ſibi adeſſe voluit; pulchrè ſe Dominum cæli & terræ eſſe declarauit.

Præterea Moyſes omnium mortalium mitiſſimus fuit; Elias autem perpetuam ferè contra peccatores ſeueritatem oſtendit. Voluit ergo Chriſtus oſtendere, vtrumque agendi modum bonum & laudabilem eſſe; & vtrumque etiam ſuo loco ac tempore in ſe competere: Moyſem præfiguraſſe miſericordiam & manſuetudinem ſuam in primo aduentu; Eliam verò futuram ſeueritatem erga impios peccatores in aduentu ſuo ſecundo. De ſimilitudine Moyſis & Eliæ cum Chriſto, in ieiunio quadraginta dierum, & in alijs quibuſdam geſtis, dicetur poſteà.

Omnes iſtæ rationes, quæ Moyſem & Eliam propriè concernunt, bonæ ſunt: ſed præter omnes iſtas bona eſt illa ratio; quòd Elias ſemper habitus fuit à Iudæis tamquã inter

 omnes

omnes Prophetas præcipuus: adeoq́ue in vitæ ſanctitate, gloria miraculorum, & ſpiritus magnitudine, Moyſi proximus: vt non immeritò hîc præ alijs Prophetis, ac veluti pro alijs omnibus adfuiſſe credendus ſit. Certè in libro Eccleſiaſtici, de nullo Prophetarum

Eccli. 48. talia ac tanta ſcribuntur laudum præconia, quanta de Elia. Et ſurrexit Elias Propheta, inquit ſacer Auctor ille, quaſi ignis: & verbum illius quaſi facula ardebat. Qui induxit in illos famem, & irritantes illum inuidia ſua, pauci facti ſunt. non enim poterant ſuſtinere præcepta Domini. verbo Domini continuit cælum, & deiecit à ſe ignem terræ. Sic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis. Et quis poterit ſimiliter ſic gloriari tibi: Qui ſuſtuliſti mortuum ab inferis de ſorte mortis in verbo Domini Dei. Qui deieciſti Reges ad perniciem, & confregiſti facilè potentiam ipſorum, & glorioſos de lecto ſuo. Qui audis in Sina iudiciū, & in Horeb iudicium defenſionis. Qui vngis Reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis ſucceſſores poſt te. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Qui inſcriptus es in iudicijs temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob. Beati ſunt qui te viderūt, & in amicitia tua decorati ſunt. Nam nos vita viuimus tantùm, poſt mortem autem non erit tale nomen noſtrum. Hæc Eccleſiaſticus.

Verum quidem eſt, nihil Elias de Chriſto venturo vel de alijs rebus ad pietatem pertinentibus ſcripto reliquit: ſed illa in re ſimilis eſt non modò alijs multis maximis & ſapientiſſimis viris, verum etiam Domino noſtro IESV Chriſto, qui ipſe quoque nihil ſcripſit, nec tamen propterea minoris eſt æſtimandus. Qua de re pulchre atque eruditè diſputat ſanctus Auguſtinus, libro 1. De conſenſu Euangeliſtarum. Quamuis ergo nihil ſcripſit Elias; præcipue tamen poſt Moyſem excelluit inter Prophetas, in reſtituendo cultu Domini: immo incomparabilis fuit vindex Legis, & veræ pietatis tunc propè extinctæ. Sed hac de re latiùs etiam in ſequenti diſputatione. Non dubium eſt, quin Elias in omni doctrina & prædicatione multam ſemper mentionem fecerit de futuro Meſſia, populumq́ue multis verbis in illius expectationem, tamquam qui longè aliter & meliùs, quàm ipſe fecerat, gloriam Dei promoturus veramq́ue pietatem reſtituturus eſſet, erexerit. quum præcipue & Petrus Apoſtolus Actorum 3. & Stephanus Actorum 7. diſertis verbis teſtentur, Prophetas omnes à Samuel & deinceps, annuntiaſſe dies Chriſti.

Quòd ergo hi duo maximi viri Moyſes & Elias hîc cum Chriſto apparent, & cum eo colloquuntur, ſignum eſt conſenſus: vt omnes per hoc intelligerent, Chriſtum doctrinamq́ue & actiones eius omnes, non modò Legi aut Prophetis aduerſari; ſed etiam Legis & Prophetarum omnium non alium finem aut ſcopum eſſe, quàm hunc ipſum Dominum IESVM Chriſtum.

Quodnam autem vel quale fuerit illorum colloquium, ſolus Lucas in genere exprimit: Dicebant, inquit, exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem; hoc eſt, loquebantur de Chriſto, de morte eius, quam breui paſſurus erat Ieroſolymæ. Sæpe in Sacris litteris mors Chriſti vocatur exceſſus, ſiue exitus, ſeu egreſſus ex hoc mūdo. veluti Ioannis 13. Sciens quia venit hora eius vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem. & in veteri Teſtamento 2. Machab. 10. capite, Antiochi regis mors expreſſo verbo exceſſus nominatur. Etſi non deſint pij Doctores, qui præter hunc ſimplicem & litteralem ſenſum, intelligunt hîc & aliud quiddam in verbo exceſſus ſignificari, quo Latina noſtra vulgaris Euangelica tranſlatio vtitur: nempe nimiam futuræ Chriſti paſſionis atque ineffabilem magnitudinem. Et certè fuit in paſſione Domini, hoc modo de exceſſu loquendo, non ſolum afflictionis & tormentorum exceſſus admirabilis, ſed multarum quoque aliarum rerum. Nam præter dolorum exceſſum, qui reuerà omnem animi captum ſuperat; fuit in Chriſto non minor exceſſus amoris erga nos, ex quo omnis illa eius ſpontanea paſſio profluebat. Fuit itidem exceſſus incomparabilis atque immenſus, ingratitudinis, odij, malitiæ & crudelitatis, in Iudæis Chriſti hoſtibus. Denique fuit in eadem Chriſti paſſione non minor exceſſus pretij & valoris, ſuauitatis & dignitatis coram Deo, fructuſque & vtilitatis, pro Fidelibus & electis, qui illa gratia vtuntur vt decet in ſalutem ſuam.

Colloquebantur ergo inter ſeſe de admirabili illo ac ſtupendo myſterio mortis Chriſti, quam breui vltrò ſubiturus erat pro ſalute humani generis. non quidem quòd omnis ſermo illorū propriè eſſet de morte Chriſti; ſed quòd hoc eſſet ſermonis præcipuum argumentum, ad quod cetera omnia referebantur; & ad quod explicandum, propriè inſtitutum erat illud colloquium & conuentus. Ita quum dicit Euangeliſta, collocutos fuiſſe inter ſe de morte Chriſti, non vult negare, eos aliquid etiam de eius reſurrectione dixiſſe.

xiſſe. Nam, quemadmodum Chriſtus ipſe, quoties de morte ſua loquitur, ſimul etiam ferè mentionem adijcit reſurrectionis ſuæ; ſic non eſt dubium, quin Moyſes & Elias, quum multa hîc de morte Chriſti dixiſſent, aliquid ad ſpem & conſolationem, atque ad plenam fidei doctrinam, de ſecutura eius reſurrectione addiderint. Sed præcipua illorum (vt diximus) diſputatio, in morte Chriſti benè explicanda (quæ videbatur eſſe incredibilis) verſabatur. Ideò illius tantummodò meminit Lucas.

Benè autem & propriè ac planè in loco vtitur ſanctus Euangeliſta verbo complendi, dicens eos fuiſſe collocutos de exceſſu quem completurus erat in Ieruſalem: reſpicit enim ad veritatem Dei & Prophetias, quę ex Dei verbo ac reuelatione de morte Meſſię loquebantur: quas omnes dicere vult in morte Iesv Chriſti completas fuiſſe. Quò pertinet etiam illud Chriſti iam morientis, Conſummatum eſt. Quamquam etiam rectè & propriè dicitur exitus noſter ex hoc mundo impleri per mortem. Nam etſi frequẽter ante mortem noſtram animo ac deſiderio ex hoc mundo egrediamur; tamen huiuſmodi exitus non eſt completus & abſolutus, niſi dum emorimur. Vbi verò per mortem è mundo eximus; nihil tunc ampliùs in mundo habemus, nec mundus in nobis.

Sed nunc quærat aliquis: Licétne ſcire quidnam Moyſes & Elias in particulari dixerint, cum Chriſto hîc colloquentes? vel quomodo mortẽ eius ex Lege & Prophetis probauerint? Non licet ſanè: quod enim ſacra Scriptura non expreſſit, id humana induſtria non poteſt pro certo cognoſcere. Attamen licet hac de re ex ſacris Scripturis nõ improbabiliter diuinare. Et, quia hoc non parùm facit, tum ad gloriam Chriſti, tum ad Scripturarum intelligẽtiam, tum ad confirmationem fidei noſtræ; viſum nobis fuit, in hanc rem operam nonnullam impendere; & quodnam vel quale hoc ſanctum colloquium fuerit, ſaluo aliorum iudicio, inueſtigare.

Sumamus ergo pro diſquiſitionis ſeu diſputationis huius exordio ac fundamento, quod ſanctus Euangeliſta Lucas habet in deſcriptione huius hiſtoriæ; Chriſtum nimirum ſic transfiguratum eſſe, inter orandum. Factum eſt, inquit, poſt dies octo: aſſumſit Petrum & Iacobum & Ioannem, & aſcendit in montem, vt oraret. Et facta eſt, dum oraret, ſpecies vultus eius altera, & veſtitus eius albus & refulgens. Et ecce duo viri loquebantur cum illo.

Non eſt dubium, quin Chriſtus hîc inter cetera orauerit Patrem ſuum (quoniam ſe & doctrinam ſuam à tam paucis recipi videbat, quin & ab omnibus doctis in Lege & primatibus paſſim dici, totam eius prædicationem eſſe Legi contrariam; præcipue autem, quia ſciebat, omnes ſimul bonos & malos grauiter ſcandalizatum iri in morte ſua & paſſione, & vel ob eam ſolam cauſam pro certo habituros, Meſſiam non eſſe) orauerit, inquam, Patrem ſuum, vt placeret illi, non modò extraordinariam ſibi aliquam & viſibilem gloriam dare in corpore ſuo, in ſignum eminentiſſimæ ſuæ excellentiæ ac dignitatis; ſed mittere etiam duos Prophetas iſtos maximi præ ceteris nominis inter Iudæos; vt palàm teſtarentur, Apoſtolis ſuis audientibus, quis qualiſve eſſet, & qualem opinionem de morte ipſius & paſſione inſtante habere oporteret.

Sic ergo orantem audijt Deus omnipotens, & quidem primùm aliam illi exteriùs formam corporis dedit, lucis immenſæ gloriæ & pulchritudinis plenam; deinde hos duos viros illi ſtatim adeſſe iuſſit, ſimili etiam corporis gloria ac maieſtate præditos, pro captu & menſura illorum. Quos vt primùm ſibi Christvs aſtare vidit, facilè credi poteſt, orationem ſuam ſeu precationem concludendo, his vel ſimilibus verbis Patrem allocutus fuiſſe:

Gratias tibi ago Pater, quòd, vt in omnibus alijs hactenus, ita etiam hac in re tam benignè & promtè me exaudiſti; hos duos mihi viros mittendo, in perſonæ meæ & functionis futurum ac perpetuum teſtimonium. Scis enim, Pater, quid hîc quæram, & quorſum ſpectem: omnia nimirum conuertere, vt decet, in honorem ſancti & glorioſi nominis tui. Quibus dictis ad aſtantes conuerſus; Quoniam, inquit, hactenus, ô Moyſes & Elia, tanto tempore laboraui & docui in populo iſto, nec tamen verbis vllis aut operibus perſuadere illis potui, quiſnam ſim, vel quamobrem venerim: volui vos duos nunc mihi teſtes adeſſe illorum quę geſſi hactenus & adhuc geſturus ſum; vt per vos intelligant omnes, qualia ſint, quorſumque pertineant.

Moyses. Gratias tibi agimus Domine Iesv Chriſte, quòd tanto nos honore dignaris. Vnde enim hoc nobis præ ceteris omnibus fidelibus Dei ſeruis, ab initio mundi, vt veniat ad nos Filius Dei, noſque appareamus ad hunc modum in conſpectu eius?

Elias. Gratias agimus tibi ô Emmanuel, quòd nos huius ſublimis ac iucundiſſimi ſpectaculi conſortes eſſe voluiſti. Magna fuit dignatio & gratia tua ſingularis erga nos, quòd aliquid de myſterijs tuis admirandis cognoſcere nobis donaſti, quum verſaremur olim in vita mortali: nullaque ex re vnquam maiorem conſolationem accepimus, quàm quòd videre nonnihil in Spiritu de hoc tempore, deque futuris geſtis tuis, Dei dono aliquid potuimus intelligere. Sed quòd nunc te præſentem cernere, tecumque poſſumus colloqui, & non exiguam partem videre gloriæ & maieſtatis tuæ, illiuſque adeò participes eſſe, id gratiam omnem ac dignationem ſuperat.

Moyses. Salue deſiderium omnium Patriarcharum iuſtorumque cunctorum ab exordio mundi. Elias. Salue ſpes certa & fiducia omnium Prophetarum. Moyses. Salue magne Mediator Dei & hominum, Rex & Legiſer noſter, cuius ego obſcuram tantùm quamdam figuram geſſi. Elias. Salue, ô Dux & Paſtor domus Iſraël, ſalue Domine Iuſte, ſeu Iuſtitia noſtra. Expectaſti diu, ſed veniſti tandem, neque nos ſpes noſtra fefellit. Vicit iter durum pietas: liberaſti fidem omnium qui de te teſtificati ſunt ab initio.

Moyses. Tu olim mundum hunc mirabili bonitate, potentia, ſapientiaque condidiſti; nunc eumdem maiori multò bonitate, potentia & ſapientia reſtauratum veniſti. Auctor es ab initio & Conditor vnicus humani generis; nunc eiuſdem veniſti, quum peccato corruptum & perditum eſſet, Redemtor & Saluator. Nemo ſcilicet opus tuum, præter te, reficere potuit. Sed ô quàm longe aliud eſt opus hoc reparationis ac redemtionis humani generis, atque olim fuit creationis eiuſdem! Creaſti hominem mundumque hunc vniuerſum, & quidquid in eo eſt, ſine labore vllo vel moleſtia: at non ita nunc hominem redimes & ſaluabis. Magno labore & ſudore, magno mentis & corporis dolore tibi conſtitit hactenus hæc redemtio: ſed nihil eſt hoc totum, illius reſpectu, quod adhuc reſtat. Verùm, quæ te charitas coëgit, omnia agere & pati hactenus amore noſtri; eadem non te deſeret, donec felici fine cœptam redemtionem perficias & concludas.

Elias. Multiſariàm multiſque modis locutus es olim Patribus noſtris in Prophetis: nunc ipſe loqui & docere veniſti populum tuum ore proprio ſapientiam quam attuliſti è ſummis cælis, ex intimo ſinu Patris tui. Miſiſti olim paſtores populo tuo, paſtores vtriuſque ordinis varios: nunc illud implere veniſti quod Ezechiel Propheta prædixit; Ecce ego ipſe requiram oues meas & viſitabo illas: ego paſcam oues meas, ego accubare eas faciam, dicit Dominus Deus.

Moyses. O felices iterùm, iterumque, qui quotidie præſentia tua & colloquio perfruuntur: qui vident opera tua, qui ſermones, prædicationem & doctrinam tuam audiunt & cuſtodiunt, moreſque ad illam ſuos componunt!

Elias. O ter & ampliùs infelices, qui te vident & non agnoſcunt; qui in propria venientem non recipiunt, qui cæleſtem à te ſapientiam doctrinamque veritatis audiunt & non credunt! Quot Reges & Prophetę ſummis votis intueri & audire cupiuerunt, nec potuerunt; quæ iſti ad ſatietatem vident audiuntque quotidie, nec proficiunt quidquam.

Christvs. Vos ego præ alijs idcircò præcipuè teſtes elegi gloriæ meæ, excellentiæ, dignitatis, diuinæque adeò virtutis ac maieſtatis; quia veſtrum nomen increduli iſti ſemper in ore habent, veſtraque præſtantia mihi conantur inuidiam facere, quaſi nihil ego ſim præ vobis, nec ad veſtram gloriam vllo pacto pertingere valeam. Aliàs dicere etiam non verentur, me Legi per te traditæ, ô Moyſes, & Prophetis omnibus, eſſe in omni doctrina mea totaque vitæ conuerſatione contrarium. Qui verò optimè de me ac digniſſimè ſentiunt, Eliam me eſſe credunt, aut vnum aliquem ex Prophetis prioribus. Quæ omnia, ſcitis non in meam ſolius, ſed in veſtram etiam adeoque in Dei Patris mei manifeſtam iniuriam redundare, vehementer officere ſaluti ac redemtioni, quam mundo affero perdito.

Elias. Non es ſanè Elias, Iesv Chriſte, ſed quem Elias olim venturum prædicauit, & commendauit omnibus; cuius virtute, in cuiuſque honorem & gloriam, fecit omnia, quę ſacræ Scripturæ commemorant. Non es, inquam, Elias, ſed cuius Elias multis in rebus typum geſſit, cuiuſque futura opera omni laude ac dignitate maiora ſuis geſtis pro paruo atque humano modulo ſuo præfigurare conatus fuit. Dum inter mortales ſum conuerſatus, inuectus ſum acriter pro officio meo in peccata populi; nec Regem quoque ipſum omneſque Principes eius reueritus, vt eos ab idololatria retraherem, ad verique Dei ſincerum cultum, quem tradidit nobis Moyſes, reducerem. Sed quanto melius & felicius maiori-

maiorique ſpiritu tum ipſe id hactenus præſtitiſti in perſona propria, tum in poſterum præſtabis per Apoſtolos tuos ac diſcipulos,illorumque ſucceſſores,vicarios in terris tuos; cùm non ſolùm Iſraëliticam plebem, ſed totum mundum omneſque Reges ad veri Dei purum ſanctumque cultum perduces!

Occidi ego,adiuuante me toto populo,Prophetas Baal quadringentos quinquaginta, Prophetaſque lucorum quadringentos. In quo imitatus ſum zelum Moyſis, qui, adiuuantibus illum contribulibus ſuis Leuitis,tria millia interfecit illorum qui primi poſt exitum ex Ægypto idololatriam commiſerant. Tu verò non veniſti nunc quidem,vt aliquem occidas hominem, nec vt iudices aut condemnes quempiam; ſed vt ipſe potiùs iudiceris & condemneris. At zelum tamen & fortitudinem tuam oſtendes contra hoſtes Dei longè magnificentiùs quàm nos potuimus: interficiendo nimirum,proſternendo,ac deuincendo fortem illum armatum hoſtemque Dei humanique generis terribilem ac perpetuum,qui & falſos omnes Prophetas excitauit,& idololatriam inuenit,& peccatorum omnium auctor eſt ab initio, totumque hactenus mundum à Deo abductum ſub ſua poteſtate continuit.

Quid, quòd abundè etiam oſtendiſti zelum tuum erga impios & corruptores cultus Dei, quum initio prædicationis tuæ tantum tamque ingentem numerum emtorum ac venditorum, omniſque generis profanorum omnium, confecto flagello,è templo Dei eieciſti, nullo tibi audente reſiſtere vel contradicere? Neque enim nos latent pleraque omnia quæ abs te geruntur, etſi in humanis communi illo modo non agamus. Cognoſcimus quotidie multa, tum ex illis qui ex hac vita diſcedunt, tum illa qua tibi placet reuelatione: hac nobis innoteſcunt via, magno cum animi noſtri gaudio, dicta & facta tua admiranda, pro gloria Dei. Illorum vnum eſt, omni humana virtute maius, ſi quis rectè expendat, quod iam commemoraui. Quòd ſi tamen hoc alicui paruum videtur, tempus erit quum ventilabrum tuũ habebis in manu tua,& permundabis aream tuam, & triticum quidem congregabis in horreum tuum, paleas autem combures igni inextinguibili.

Denique reſtitui ego meo tempore ſubuerſam penitus & exploſam è populo religionem Dei, effecique, Deo per me operante, vt populus omnis relicta idololatria ad veri Dei cultum rediret. Ac hoc totum obſcura tantùm figura quædam fuit, illorum quæ tu facies, & facere iamdiu incepiſti; immò nihil prorſus eſt, ſi cum tuis illuſtribus operibus conferatur.

Venit ſuperioribus diebus præcurſor tuus Ioannes Baptiſta, qui multis in rebus præclarè admodum repræſentauit perſonam meam,imitatuſque eſt inſigniter geſta mea. Sic olim etiam prędixerat Malachias Propheta,venturum ſcilicet ante Meſſiam & regnum eius Eliam Prophetam,qui conuertat corda hominum ad amorem & cultum Dei,ac reſtituat omnia ad exemplum meum. Fecit hoc Ioannes Baptiſta, vt prædictum erat: perfunctus fuit egregiè officio ſuo; reſtituit omnia. Sed nec agnitus fuit nec receptus vt debuit. Scientes & prudentes errauerunt in perſona eius: nolunt Scripturas ſacras ac vaticinia Prophetarum intelligere vt oportet: in alienum ſenſum, (qui videlicet moribus & ſtudijs illorum peruerſis conueniat) accipiunt ac detorquent omnia. Quam gratiam ab illis retulerit Ioannes ille pro omnibus ſanctis laboribus ſuis, euentus docuit: tractarunt illum vt Prophetas omnes priores. Sed cœperam dicere de reſtitutione per illum facta. Quomodo reſtituit omnia? Nempe vt ego meo tempore facere potui: magnis laboribus, multis exhortationibus, ardentibus concionibus, magno ac vehementi ſpiritu, exemplo vitæ ſanctiſſimæ ac penitus admirabilis, multos è populo reuocauit ad vitæ ſinceram pietatem, ad verum ac legitimum cultum Dei.

At nec ego nec ipſe plenam & perfectam reſtitutionem facere potuimus: laus illa tibi vni debetur. Fecit Ioannes primùm hoc tempore velut alter Elias nonnullum reſtitutionis initium: tu rem cœptam hactenus perfeciſti,& perficies etiam poſthac longè magis. Quamuis enim obſiſtente conatibus & ſtudijs tuis incredula ac dura iſthac natione, non magnus adhuc reſtitutionis effectus aut fructus percipiatur; tamen fructus omnis laborum tuorum proueniet ſuo tempore, longè ampliſſimus atque vberrimus. Tu reſtitues per te & per Apoſtolos tuos, non hunc Iſrael tantùm, & carnales poſteros Abrahę patris noſtri; ſed omnes etiam gentes & nationes totius orbis terrarum. Hoc nunc dictu mirabile videtur: ſed breui reipſa probabitur. Tu es enim ſemen illud ſanctũ & benedictum, ex Abraham natum,in quo,& per quod benedicentur omnes Gentes. Charum eſt Deo

 Patri

Patri tuo, vt ſis illi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael conuertendas. Dedit te in lucem Gentium; vt ſis ſalus eius vſque ad extremum terræ. In illa te demum plena erit & perfecta reſtitutio regni Iſrael: renouatio ſcilicet ac reſtauratio feliciſſima totius mundi. Falluntur homines iſti vehementer, quòd quidquid gratiæ Dei, benedictionis, felicitatis Iſraeli promiſſum eſt per Meſſiam in Lege & Prophetis, id omne ad ſolã iſtam nationem Iudaicam pertinere arbitrantur. Non enim omnes qui ex Iſrael, ij ſunt Iſraelitæ; neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij Abrahę: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen: id eſt, non qui filij carnis, hi ſunt filij Dei; ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine. Sed hæc diſputatio non eſt propriè huius loci. Breuiter nunc attigi tantùm, ne quis te Eliam eſſe putet, te've mecum, aut me tecum vllo pacto conferre audeat.

MOYSES. Æque indignum eſt, nec minùs me male habet, quòd me meaſque laudes altè extollunt frequenter, vt te Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum deprimant. Sed hoc fuit ſemper ingenium populi huius, quòd præteritos ſanctos laudibus in cælum efferunt, præſentes vituperant: mortuos Prophetas magni faciunt, viuentes contemnunt. Nimirum, quia mortui non mordent amplius: viuentium autem reprehenſiones, tametſi iuſtiſſimas, ferre non poſſunt. Nunc nomen meum ſemper in ore habent, & honorificè de me loquuntur: viuentem autem & carpentem vitia illorum, viamque veræ pietatis ac religionis docentem, ferre non poterant. Notæ ſunt voces eorum, quibus nunc clamabant; Quis te conſtituit Iudicem ſuper nos? nunc; Moyſi huic neſcimus quid acciderit. nunc; Omnis multitudo ſanctorum eſt; cur eleuaris ſuper populum Domini? & ſimiles. Quoties me lapidare, quoties alia ratione è medio tollere voluerunt? Pulchrè igitur iſti nunc quoque naturam ſequuntur maiorum, Ieſu Chriſte, erga te, implentque menſuram patrum ſuorum. Dedi eis legem iuſſu Dei, præſcripſique modum & rationem colendi Deum. in eo magnopere gloriantur. Sed quis eſt illorum qui ſeruet legem meam, quique ritè & pura mente Deum colat, iuxta præſcriptum Legis?

Quòd verò tantopere extollunt nomen & dignitatem meam, primùm quid vmquam habui laudis & nominis, Domine Ieſu, niſi abs te, à quo bona ſunt omnia? vel quid vmquam præſtiti laude dignum, niſi per te, tuaque gratia & auxilio? Qui vt vnigenitus es Dei Patris Filius, ſic vnam cum eo naturam, vnam habes potentiam, gloriam & maieſtatem; & quæcumque Pater facit aut fecit vmquam, hæc tu facis ſimiliter. Deinde, quæ eſt omnis laus vel dignitas mea, quod officium, quæ opera à me vmquam facta, ſi tecum & cum officio tuo atque operibus comparentur? Eduxi illos è dura ſeruitute Pharaonis Regis Ægypti: tu ad hoc venis, vt tibi obtemperantes eruas è poteſtate principis huius mundi, regis inferni ac tenebrarum. Ego illos inducere non potui in terram promiſſam, lacte & melle manantem, obſtante peccato meo, quo Deum offenderam: tu populum omnem tuum educes è deſertò mundi huius infelicis, in terram viuentium, in regnum cælorum, ſedem propriam ac regiam æterni Patris tui.

Per me data eſt lex: gratia & veritas per te facta eſt. Præcepta omnia legis meæ ſunt ferè duplicia. Alia enim ad benè viuendum ſpectant, & moralia vocantur: alia verò pertinent ad rectè colendum Deum, & cæremonialia nuncupantur. Neutra alicuius momenti aut virtutis ſunt, niſi abs te adiuuentur, per te perficiantur. Cærimonialia omnia præcepta figuram tantùm continent, cuius res & veritas omnis in te ſita & per te allata eſt. Vmbram enim tantùm habuit lex mea futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum, quæ in te vno quærenda eſt. Sed hac de re plura nobis frequenter pòſt dicenda erunt. Alia legis meæ pręcepta ſunt moralia, vt dixi quorum præcipua ac velut capitalia ſunt, decem illa omnibus nota. Sed vbi vel quomodo illa ſcripta tradidi? in tabulis lapideis, non in tabulis cordis carnalibus: quomodo tu legem tuam ſcribis per gratiam tuam in ijs qui tibi obſequuntur. Vnde & mea lex, quia malam voluntatem flectere ac mutare non potuit in obſequium, irritauit illam potiùs, magiſque peccare fecit, atque ita mortem quoque ipſam ac damnationem attulit, non ſuo quidem, ſed vitio hominum. Tua verò lex Euangelica, quia coniunctam habet gratiam, & ſimul cum præcepto, obediendi promptitudinem & voluntatem confert, lex vitæ eſt & ſalutis. Si verè loqui velimus, mea littera populo meo data, occidit: tuus ſpiritus populo tuo datus viuificat: tantum eſt diſcriminis inter me & te, quod ad legem attinet, quam tanti faciunt; quum nemo tamen ex ipſis faciat legem. Quòd ſi magnum eſt legis meæ beneficio inſtrui de diuina voluntate, terreri à malo, vocari & excitari ad bonum; quanto maius & melius eſt, non doceri ſolùm per litteram exteriùs, ſed intus etiam per Spiritum ſanctum? deinde, ædificari

ficari in fide & dilectione Dei? poſtremò, vbi peccaueris, remiſſionem peccatorum accipere? Quæ omnia fiunt per gratiam tuam, non per legem meam: quæ præcipit tantummodo, docet, terret, ac promittit; at præſtandi obedientiam & promiſſionis effectum dare non poteſt. Sic modis omnibus nihil ad perfectum adduxit lex mea: tu verò gratiæ omnis & veritatis perfectionem præſtas. Ita nuda lex per me; data eſt gratia autem per te & veritas facta eſt.

Poſtremò ego ſigna multa & miracula ingentia feci, virtute Dei, tam in Ægypto quàm in deſerto, annis totis quadraginta: tu ſimilia vel maiora etiam ac longè plura facis quotidie virtute propria. Imperas dæmonibus, eijcíſque & fugas, vno verbo ſuſcitas mortuos: vt nihil hîc dicam de ijs quæ adhuc ſecreta ſunt; quòd conceptus es de Spiritu ſancto, natus de matre virgine, & ſimilibus.

Et hæc de ijs quæ ad officium meum & miniſterium pertinent: quod verò ad perſonas attinet, ego quamlibet per Dei gratiam magnus fui, tamen peccator fui; nec tantùm conceptus & natus in peccatis, ſed nonnumquam etiam propria voluntate perpetrans peccatum: & ſic interceſſi apud Deum pro peccatis populi, vt ipſe quoque pro meis peccatis interceſſore opus haberem. Tu immunis ab omni peccato, totius mundi peccata expias & abſtergis. Hoc de te credere pertinaciter recuſat populus iſte, in primíſque primores eius: ſed tempus erit, quo Deus id aliquando palàm faciet omnibus. Sunt & aliæ multæ, immò pæne infinitæ differentiæ inter nos; ſed nihil eſt opus in re manifeſta rationibus ac teſtimonijs vti minime neceſſarijs. Sunt alia quædam priuilegia, mihi pariter & Eliæ ſingulari Dei dono communia, quæ non immeritò omnes admirantur: in quibus tamen tecum nullo pacto conferri poſſumus; adeò vnus omnes excellis in omnibus: ſed hæc aptius (vt videtur) ab Elia ipſo, tamquam tempore poſteriore, referantur.

ELIAS. Quæ ad totius cùm præſentis tum futuræ Eccleſiæ inſtructionem, ad Dei æternam gloriam, atque ad tantæ rei (de qua hic agitur) confirmationem pertinent, non ſunt vlla ratione ſilentio prætereunda: nec ferendum vllo pacto, vt ex immodica laude ſeruorum, Regis gloriæ dignitas obſcuretur.

Sunt ſane, vt Moyſes iam dixit, prærogatiuæ quædam eximiæ illi mihiq; communes: ſed quid tandem habemus laude vel admiratione dignum, in quo nos vel non æquat IESVS Chriſtus, vel multis præcellit partibus? Abſtinui à cibo omni & potu quadraginta totis diebus & noctibus: fecit idem & Moyſes ante me: nemo autem vmquam prętereà. Nónne tu quoque, Domine IESV Chriſte, idem feciſti in deſerto priuſquam officio Meſſiæ fungi inciperes? Secundò, poſtquàm ita (vt iam dictum eſt) ieiunaſſem eundo, & perueniſſem vſque ad montem Dei Horeb, vidi illic Dominum Deum, quatenus fas eſt mortali Deum videre. vidit ſimiliter Moyſes Deum in monte Sinai. Quid tu, Domine IESV Chriſte? non ſic tantummodò Deum vidiſti quemadmodum nos; ſed ex intimo eius ſinu in terram deſcendiſti. Vidiſti omnem gloriam Dei, eademque perfruitus fuiſti ab æterno, vtpote vnam atque eamdem cum illo eſſentiam & naturam habens. 3. Reg. 19. Exod. 24. &c.

Tum verò credimus, etiam te nunc quoque iuxta humanam naturam tuam, qua noſtri ſimilis es, Deum ita videre, vidiſſeque ab initio conceptionis tuæ, ſicut electi omnes aliquando illũ in cęlo videbunt, vbi eò tua opera ac merito perducti fuerint: ac veluti ſancti Angeli nunc eum cernunt facie ad faciẽ, videruntq; ab initio, ex quo primùm in Dei gratia atque amore confirmati fuerunt. Etſi miro quodam modo viſio hæc & contemplatio aſſidua diuinitatis in te nec dolores in corpore, nec triſtitiã in anima tua impediat; te videlicet ita volente ac temperante omnia mirabiliter, quemadmodum officio ac diſpenſationi tuæ generíſque humani redemtioni conuenire nouiſti.

Denique ego & Moyſes, ſenſimus radios quoſdam diuini ſplendoris lucíſque æternæ, etiam in corpore noſtro, atque in hac vita mortali: ego quidem quum me Deus igneo curru equíſque igneis tolleret ex hoc mundo: Moyſes autem, quum de monte deſcenderet, vbi dies quadraginta cum eo familiariter egerat, Legíſque diuinæ tabulas ab eo acceperat. Hæc magnopere mirabantur in me & in Moyſe qui videbant. Sed quid ſunt hęc, cum ijs collata, bone IESV, quæ hîc nunc in te videmus, vt cetera mittamus omnia? non eſt facies tua cornuta ſolummodò radijs nouæ lucis, vt erat olim magni Moyſis: nec videtur ignea tantùm eſſe, vt mea quondam erat, ſed lucet inſtar meridiani ſolis: totumque adeò ſanctiſſimum corpus tuum ſic eſt immutatum, tantaque luce & claritate perfuſum, vt appareat vis claritatis illius etiam in veſtibus tuis. Ecce enim veſtimenta quæ geris omnia,

omnia, & niuem albiſſimam & quidquid in mundo candidum eſt, candore & pulchritudine ſuperant.

Et hæc ſunt quidem magna profectò diſcrimina inter nos duos, & inter IESVM Chriſtum: ſed nihil ſunt demiranda, ſi rem ipſam & propriam perſonarum differentiam conſideremus. Moyſes enim & ego, quamlibet ſuo vterque modo per tuam gratiam magni fuerimus; omnis tamen magnitudo, præſtantia, dignitas & excellentia noſtra, ad huius teſtificandam & amplificandam dignitatem, excellentiam & maieſtatem, tantum pertinuit. Quemadmodum videmus Legatos atque officiarios Regum & Principum huius mundi ſe magnificè adornare, magnoq; veſtium, equorum, famulorum, & ſimilium rerum quas mundus admiratur ſplendore vti, vt Principum ſuorum magnitudinem & potentiam omnibus teſtatam faciant.

Nos teſtes, indices, & antecurſores fuimus venturi aliquando longè maximi Principis, ſummique Legati Dei: qui ſapientia ſua ſimul & potentia admirabili omnes inter Deum & humanum genus cauſas componeret, optimamque & perpetuam pacem firmaret. Hic eſt mundi ille Rex altiſſimus, & magni conſilij Angelus; nos famuli tantùm fuimus: hic noſter eſt omniumque ſummus Dominus; nos miniſtri fuimus ac diſpenſatores in domo aliena: hic filius eſt legitimus in domo propria; nobis datur, fidele quidem miniſterium, ſed miniſterium tamẽ dumtaxat in domo Dei: huic verò dominium, tamquam filio; ipſaque adeò ſtructura domus, tamquam Deo vero. Nos amici ſponſi, ac veluti paranymphi, ſponſæque adornatores tantum fuimus; hic verus eſt ſponſus, cui ſponſa viri debetur. Poſtremò nos homines tantùm fuimus; hic homo iuxtà ac verus Deus: nos creaturæ; hic creator omnium. Et hæc quum ita ſint, audet adhuc quiſquam, nos vel quemcumque hominem (quantauis vmquam ſanctitate vel iuſtitia polluerit) huic in gloria vel dignitate præferre; quum non ſimus digni vt ſoluamus corrigiam calceamentorum eius?

MOYSES. Quid eſt autem, quod dicunt, te, ô Dei Nate, Legi eſſe & Prophetis contrarium? ſiue enim vitam tuam ſeu doctrinam ſpectent; nónne cuncta cum Legis & Prophetarum præſcripto examuſſim conueniunt? nónne talis es per omnia, qualem Meſſiam ac mundi Redemtorem futurum Lex mea omneſque Prophetę prędixerunt? nónne omnia geris inſignia, per quæ Lex & Prophetæ Meſſiam cognitum iri teſtificantur? Non eſt animus omnia hîc ſigillatim commemorare; inquirant ipſi, qui Legem & Prophetas ſemper in ore habent; ſcrutentur Scripturas quas numquam non habent in manibus: examinent seriò, ſepoſitis prauis affectibus, qui iudicium omne peruertunt: videant & intelligant, quid omnes Scripturæ loquantur, de tempore aduentus Meſſiæ, de loco natiuitatis eius, de conceptione, de parentibus & cognatione eius; tum verò de tota vita & conuerſatione, de officio & geſtis eius: atque ſi non omnia exactè in te conueniunt; tum clament te Legi eſſe & Prophetis contrarium. Sed abſit, vt tale aliquid reperiant. Abſit vt contrarius ſit Legi, qui Legem tulit & præſcripſit. abſit, vt Prophetis aduerſetur, qui miſit Prophetas. abſit, vt Deus de ſe falſum perhibeat teſtimonium; vt veritas ſit ſibimetipſi contraria. Lex omnis mea non eſt niſi figura venturi Chriſti, nõ continet niſi typos & imagines geſtorum & actionum eius. Prophetæ non ſunt niſi teſtes & præcones eius: omnes Prophetæ annuntiauerunt dies iſtos: nihil aliud ſcripſerunt, nihil aliud docuerunt vel prædicauerunt, niſi de aduentu, de officio tuo, de rebus a te gerendis ac agendis; de donarijs & muneribus admirandis, quæ afferres tecum, de aureo ſæculo per te renouando, de felicitate illorum ingenti, qui te audient & videbunt. Quomodo igitur Lex & Prophetę omnes tecum, & tu, tuaq; omnia, cum illis non ad plenum & perfectiſſimè conuenires?

Calumniantur doctrinam tuam, quòd Legi & Prophetis aduerſetur. Quanam in re? nónne omnis doctrina tua eò tendit, vt ſeruentur mandata Dei? Ita ſanè: quemadmodum data ſunt à Deo & à me expoſita; non vt Scribæ nunc & Phariſæi interpretantur, contra omnem mentem Dei & meam, contraque verum ſenſum Legis & mandatorum. Nónne omnes conciones & exhortationes tuæ eò pertinent, vt Deus pura mente colatur & adoretur? nónne diuerſis percontantibus, quonam modo liceret peruenire ad vitam æternam, reſpondiſti; In lege quid ſcriptum eſt? Quomodo legis? Item; Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata? Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falſum teſtimonium dices, honora patrem tuum & matrem tuam; diliges proximum tuum, ſicut te ipſum? Nónne omnium Dei mandatorum ſummum & maximum

ximum eſſe declaraſti; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua? nónne hoc per omnia conſonat illis, quæ ſcripta reliqui Deut. 6. & multis alijs locis?

Allegant, ſcio, de Sabbato violato, quum illis diebus vel ſanas ægrotos, vel miſeros iuuas. Vtiuam ipſi non multis modis, centuplo grauiùs, peccarent in legem Sabbati! Numquam mens Dei fuit, vt qui verbo vno vel ſolo manus contactu proximum graui & miſera neceſſitate preſſum iuuet, Sabbatum violaret. Et quamuis aliquando fortè accideret, vt aliquid contra Sabbatum facere videaris; ſiue cùm iubes vt ægri abs te ſanati lectum ſuum domum portent; ſeu qua ſimili in re; nónne ex omnibus operibus & actionibus tuis intelligere deberent, te Sabbato maiorem eſſe, poſſeque in lege Sabbati diſpenſare? Quid enim habent quod dicant de miraculis & prodigijs tuis, quæ quotidie innumera facis? nónne hæc apertiſſimè teſtantur, omnes actiones tuas laude dignas Deoque probatas, omnem doctrinam tuam veram eſſe, legique Dei & Prophetis conſentaneam? Si aut vita tua non per omnia ſancta ac Deo grata eſſet, aut opera tua ficta, vel quouis modo vitioſa, aut doctrina erronea; an Deus hæc omnia, tot tantiſque miraculis, quæ facis in oculis omnium, tanto iam tempore confirmaret?

CHRISTVS. Hæc omnia à vobis, ô Moyſes & Elia, pulchre & verè dicuntur: ſed eſt aliud quiddam per quod ex me grauiter offenduntur. Diſplicet illis ſupra modum humilitas perſonæ, & ſumma paupertas vitæ meæ: dedignantur habere Meſſiam tam abiectum, tamque pauperem & humilem regem: dicunt hoc eſſe contra vaticinia omnium Prophetarum, deſcribi à Prophetis Meſſiam ſuum nobilem, potentem, magnificum, Regem inclytum & glorioſum, bellatorem magnum & fortiſſimum. Quale cùm nihil in me cernant, vt ipſis quidem videtur, iudicant non poſſe me illum eſſe, quem Prophetæ promiſerint.

ELIAS. Si Prophetas, vt Moyſes nunc admonuit, ſepoſitis omnibus ſiniſtris ac vitioſis affectibus, legerent, neque ipſos & vaticinia illorum ſuis prauis deſiderijs falſiſque opinionibus ſeruire vellent, ſed ſuum potiùs ſenſum ſtuderet ad Scripturas Prophetarum componere; facilè vtique viderent, Meſſiam à Prophetis longe aliter deſcriptum, quàm exiſtimant. Sed ſuperbia illorum, ambitio, auaritia, & ſimiles vitiorum peſtes, quibus toti infecti & excæcati ſunt, efficiunt, vt clariſſimam lucem videre ac veritatem in Prophetis inuenire non valeant. Vere enim Prophetæ omnes de Chriſto & regno eius magnificè admodum ſublimiterque loquuntur: at, non quemadmodum iſti volunt.

Quod ad nobilitatem Meſſiæ attinet; quid eſt, quod in illa re, in te deſiderare queant; ſi operam darent, vt tanti momenti negotium inueſtigarent & intelligerent? Annon liquidò conſtat, te non fabri filiũ eſſe, vt dicunt per opprobrium; ſed materno quidem ex genere natum eſſe ex nobiliſſima tribu Iuda, vt Moyſes Meſſiam oportere deſcribit; adeoque ex regia familia Dauid, vt ceteri Prophetæ teſtantur? ex paterno autem genere non agnoſcere originem aliquam in terris, ſed ſupernè ex opere & virtute Spiritus ſancti deſcendere; vt Iſaias etiam Propheta futurum prædixit? Taceo nobilitatem tuam ineffabilem, quam Deus de Deo traxiſti, vnà cum natura Diuina ab æterno: de qua idem Iſaias & alij Prophetæ frequenter loquuntur.

Atqui teſtantur Prophetæ Meſſiam futurum diuitem ac potentem, omneſque ſubditos ſuos diuites effecturum. Verum eſt: ſed de quibus diuitijs, de quáve agunt potentia? Non ſanè de mundanis hiſce fluxis fallacibuſque diuitijs, quæ auro, argento, & ſimilibus conſtant: ſed de veris, æterniſque diuitijs, quæ ſitæ ſunt in remiſſione peccatorum, in pace & ſecuritate conſcientiæ, in puritate & ſinceritate vitæ, in gratia, amicitia & perfectione Dei, & ſimilibus; quibus certò perueniturad cæleſtes perpetuaſque diuitias poſt hanc vitam. Ita Rex magnus & inclytus eſt Meſſias ſecundùm Prophetas, fateor; at non quales ſunt Reges huius mundi: ſed qui hîc quidem per fidem, ſpem, & charitatem in piorum animabus regnet; poſt hanc autem vitam in cæleſti gloria ac beatitudine in æternum.

Sic Meſſiam Prophetæ deſcribunt magnum bellatorem, & fortiſſimum Principem, qui omnes hoſtes ſuos & populi ſui frequenter ſubiugabit. non quidem quòd bellaturus ſit haſtis aut gladijs, equis aut curribus, contra reges aut alios homines mortales; ſed quòd ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum: quòd auctorem omnis peccati, principem huius mundi, regemque inferni Diabolum expugnabit, ne quid ampliùs poſſit aduerſus electos Dei, vt ſuprà etiam breuiter attigi: quòd vltimum omnium hoſtem,

ſtem,cui nullus vnquam reſiſtere,cuiuſque tyrannidem nemo euadere potuit,expellet è regno ſuo penituſque deuincet, Mortem videlicet. denique quòd omnes terræ nationes, omneſq; reges gentium cum omni gloria & potentia ſua adducet tandè in regnum ſuum,ad poſſeſſionemq; nominis ac religionis ſuæ: non quidem vlla externa vi aut machinis bellicis, ſed ſolo verbo ſuo ac prædicatione veritatis. An poteſt eſſe aliquis vincendi modus maior, potentior, nobilior, fructuoſior? Quid autem? num hæc omnia in te, pie Iesv, non optimè quadrant? Sed hæc omnia tamen multo etiam meliùs efficies poſt mortem tuam per diſcipulos,regniqúe tui hic incœpti adminiſtratores & vicarios.

Quòd verò tantopere illis diſplicet humilitas & paupertas perſonę totiuſque vitæ tuę, annon ipſi potiùs hac in re manifeſtè Prophetarum vaticinijs ſacriſque Scripturis contradicunt? Quomodo enim Zacharias Propheta Meſſiam deſcribit? nónne diſertis verbis docet eum Regem humilem & manſuetum paupereṁque futurum? & quidem tam pauperem vt non in equo nobili & phalerato, regum more huius mundi, ſed in aſino ad ciuitatem regni ſui primariam Ieruſalem equitatum veniat? Quid tali rege poreſt eſſe humilius vel pauperius? Illam Prophetiam ſi nondum impleſti,bone Iesv,quin ſuo tempore impleturus ſis, minime dubitamus. Quid Iſaias Propheta, quo nemo copioſiùs clariuſque ſcripſit de Meſſia, deque omnibus geſtis eius? nónne tam humilem & abiectum fore prædicit in oculis hominum, vt nemo eum ſit æſtimaturus vt oportet, nemo cognoturus? Sed de hoc Prophetæ huius vaticinio mox fortè latiùs. Cur autem pauperem humilemque Regem faſtidiunt, ſi alias omnes conditiones habeat Rege dignas, iuſtitiam, clementiam, ſapientiam, & hoc genus alias? niſi, quia homines ſuperbi & ambitioſi regem quærunt moribus ſuis ſimilem? Perge igitur, ô Rex Iſraël, quo tenore cœpiſti, in adminiſtratione officij ac regni tui, contemtis cæcis ac maleuolis iſtis,qui ſuapre culpa pereunt: qui data opera ad clariſſimam veritatem oculos claudunt, præſenſque æternæ ſalutis auxilium ſcientes prudenteſque repudiant.

Christvs. Equidem impleui hactenus, vt oportuit, voluntatem Patris mei;Meſſiæque officium in omnibus, iuxta Legis & Prophetarum præſcriptum, eodē adiuuante Patre meo, præſtiti fideliter ac libenter. Sed, reſtat vnus adhuc actus vitæ meæ, vt poſtremus, ſic profectò omnium difficillimus: quique, vt plurimum mihi doloris ac triſtitiæ afferet, ſic permultum ſcandali dabit, non inimicis tantùm,ſed etiā (quod valdè me malè habet) amicis meis, adeoque etiā dilectis diſcipulis iſtis hîc præſentibus. loquor autem de inſtante paſſione, & morte mea. Hac de re nihil dixi adhuc, vel primoribus legis noſtræ, vel turbæ promiſcuæ, nec multum etiam ijſdem dicam in poſterum: cùm id fieret, non modò ſine vllo fructu, ſed etiam cum maiori contemtu verbi Dei. Hi enim omnes, non modò non crederent, Meſſiam ipſorum talem vitæ finem habiturum, ſed huiuſmodi etiam concionem irriderent. Verùm, quòd nec diſcipulis meis hactenus id vllis verbis perſuadere potui, quos expedit illa de re ad ſuam ipſorum & aliorum ſalutem benè admonitos atque inſtructos eſſe; id verò dolenter admodum fero. Videtur illis ſomnium eſſe, quum de illa re verba facio: quumque ſatis credant, me Meſſiam eſſe, à Deo Iſraeli promiſſum, Propheti ſque omnibus decantatum; tamen nequaquam adduci poſſunt, vt credant me violenta morte moriturum, vel tale aliquid à Prophetis prædictum eſſe. Sed maximè & præ omnibus me contriſtat, quod futurum video, quàm turpiter in me ſcandalizabuntur omnes tempore mortis & paſſionis meæ; quamque grauiter offendent Deum, & lædent, imò protſus occident animam ſuam: arbitrantes iam actum fore penitus, non de ſeipſis tantùm, deque omni ſpe, quam ex me conceperunt, ſed de me etiam ipſo: quaſi videlicet non me poſſim defendere contra hoſtes meos, me've ex manibus illorum, ſi vellem, eripere;quaſi morti traditus in morte ſemper ſim (aliorum more) manſurus: poſtremò, quaſi nihil minùs Meſſiam promiſſum deceat, quàm ſic pati & mori. Et ſcitis tamen ambo, ô Moyſes & Elia, quid de hoc negotio veritas & diuinæ beneplacitum voluntatis habeat.

Moyses. Mirum eſt quidem profectò quod dicis, Domine Iesv Chriſte, & propemodum incredibile. Mirum eſt, inquam, illum, qui tantum vtilitatis & ſalutis allaturus eſt humano generi, talem vitæ exitum habiturum, talem tantorum beneficiorum gratiam reportaturum. Magis etiam mirum, hunc populum Iſrael, qui tantis votis, tanto tempore expectauit Meſſiam ſuum, tamq; honorificè & magnificè de eo loquitur ſemper, venientem ſic excipere, tamque indignis modis tractare. Sed omnem admirationem ſuperat, Deum Opt. Max. ab æterno tale ſaluandi humani generis conſilium concepiſſe,

vt non

vt non aliter quàm morte propria, illaque omnium indigniſſima, vitam perditis hominibus & ſalutem donare vellent. Quid enim priùs hîc magiſque mirabimur, iuſtitiamne eius, an miſericordiam? bonitatem, ſapientiam, an potentiam? Omnia hîc videntur mundo eſſe contraria: nihil ſtultius, nihil impotentius, nihil crudelius, nihil iniquius, quàm Deum mori pro hominibus. Sed aliter viſum eſt illi, cuius voluntas vt eſt ſemper iuſtiſſima, ſic numquã non eſt ſapientiſſima optimaque. Nec eſſet difficile, bonas etiam multas rationes reddere, quamobrem hic modus ſaluandi generis humani per mortem Filij Dei, ſit omnium optimus, iuſtitiæque pariter & miſericordiæ, ſapientiæ iuxtà potentiæque pleniſſimus: ſed hoc non eſt huius loci vel temporis. Docebis hoc mundum ſuo tempore per diſcipulos tuos, ceteroſque rectores ac vicarios regni tui. noſtrum eſt potiùs adorare pronis mentibus prouidentiam Dei, tantæ tamq; immenſæ erga nos charitatis plenam; pro illaque illi iuxtà ac tibi, Domine Iesv, toto corde gratias agere.

Quòd hæc certe conſentanea ſint penitus Legi meæ, ſeu Diuinæ potius, ac Prophetis; Meſſiam videlicet pro populo ſuo violenta morte moriturum, multa indigna paſſurum eſſe, talique modo liberaturum populum ſuum à morte ac damnatione æterna; facillimum eſt intelligere illis, qui oculos ſuos aperire, apertamque veritatem in Scripturis ſacris expreſſam videre volunt. Dicam primùm quid illa de re habeant libri Legis meæ: poterit Elias eadem ad pleniorem oſtenſionem confirmare (ſi videbitur) ex ſcriptis ac doctrina Prophetarum.

In primis, quorſum pertinere putamus omnia illa ſacrificia Legis, in morte & ſanguine beſtiarum? An credit quiſquam hæc Deo per ſe placere, vel delectari illum aſpectu huiuſmodi ſanguinis? Fundebatur ſanguis frequenter per totum altare, vel in quatuor cornibus eius; illoque facto promittebatur remiſſio peccatorum: adeò quidem, vt ſine ſanguinis effuſione nulla eſſet remiſſio. Non ſanè quòd pecorũ ſanguis vel Deum poterat iratum placare, vel peccata hominum expiare. quis tam ſimplex eſt, vt hoc ignoret? Sed omnia hæc erant figura aduẽtus tui, bone Iesv; quodque per mortem & effuſionem ſanguinis tui, peccatorum omnium eſſet remiſſio expectanda. Hunc ſanguinem tuum pretioſiſſimum effundes in ara Crucis, quæ quatuor velut cornibus conſtat, quibus reſpicit in omnes partes mundi; vt ſignificetur, totum mundum, ſuperoſque inferoſque, ſeruari & expiari Deoque reconciliari ſanguine tuo.

Sanguine vitulino aſpergebatur totum Tabernaculum, omniaque vaſa atque vtenſilia eius, liber Legis, totuſque populus. Omnia ad hunc modum ſanguine mundabantur: in typum videlicet quòd tota Eccleſia omniſque Fidelium populus aſpergendus ac mundandus eſſet ſanguine tuo. In ſanguine vitulorum dedicaui vetus Teſtamentum inter Deum & veterem populum: tu nouum Teſtamentum, quod cum nouo populo inibis, vt tibi in vera charitate ſeruiant, confirmabis tuo ſanguine, quem effundes in remiſſionem peccatorum. Teſtamentum vetus vitulino tantùm ſanguine dedicatum, ſæpè diruptum ac violatum fuit anteà; magiſque etiam violabitur, non longo pòſt tempore, quando penitus gens hæc ingratiſſima recedet à cultu Dei, ipſeque illam Deus viciſſim in totum abijciet: at quod tuo puriſſimo ſanguine Teſtamentum cõfirmabitur, firmum & ratum manebit in perpetuum. Quam tibi adiunges nouam Eccleſiam Gentium, in locum ſynagogæ Iudæorum, numquam abs te in æternum recedet; quamque illi nouam merito ſanguinis & mortis tuæ religionem trades, in locum illius quam ego inſtitui, rata & firma erit vſque ad mundi finem.

Denique ſummus Sacerdos ſemel quotannis ingrediebatur in ſancta Sanctorum, non ſine ſanguine, quem illic offerebat pro ignorantijs omnibus & peccatis populi: hoc totum valdè frigidum, ac nullius momenti eſt, ſi per ſe conſideretur, nec vlteriùs ad altiorem ſignificationem referatur: ſed figura eſt, te (qui verè ſummus Sacerdos es, corporiſque tui & ſanguinis ſacrificio humanum genus Deo reconciliabis; Sacerdos, inquam, non temporarius, ſed æternus; quique non temporalia bona confers populo per Sacerdotium tuum, ſed futura ac ſempiterna) ingreſſurum per meritum & virtutem ſanguinis tui in longè amplius, perfectius, & ſanctius Tabernaculum, id eſt, non manu factum, nec huius creationis, ſed in ipſum cælum, eoque tecum perducturum populum tuum, omneſque in te credentes.

Elias. His omnibus pulchrè conſonat ſententia Zachariæ Prophetæ: qui, quum regnum tuum, ô Chriſte, & poteſtatem ampliſſimam, deſcripſiſſet, & victoriam quam es habiturus de hoſtibus tuis, pacem per te dandam non ſolùm Iſraëli carnali, ſed cunctis

etiam Gentibus; vt nemo non intelligeret quonam modo quibúſve armis & viribus hęc Zach. 9. omnia ſis facturus; confeſtim adiecit: Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui, emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua. Vbi etiam explicat, quid nobis præcipuè, iuſtiſq́ue omnibus qui mortui ſunt à mundi exordio, abs te pie IESV ſit expectandum. Hactenus enim omnes illi in parte inferni, ſub terra tamquam in lacu fuerunt, te totius mundi Redemrorem expectantes ac præſtolantes: in lacu, inquam, in quo non eſt aqua, nec ſolida vlla conſolatio, nec plenitudo vel copia gratiæ diei. Etſi enim non ſint illi in ſupplicijs quæ damnati ſuſtinent, ſed requiem & conſolationem non pœnitendam habent; tamen omnis illa ferè conſolatio in ſpe conſiſtit. abiecti adhuc ſunt, propter peccata primorum parentum, & ſua ipſorum, à conſpectu Dei, in quo demum plena eſt conſolatio; excluſi à loco veræ æternæque felicitatis, paradiſo nimirum cæleſti. Benedictus ſis tu, ô magne mundi Redemtor, in æternum, qui veniſti impleturus longiſſimam ſpem omniom, ereptoſq́ue de lacu tecum breui perduces in cælum, vnde veniſti. Sed eheu, quàm magno tibi conſtabit hæc liberatio noſtra ſaluſq́ue ac redemtio totius mundi! Non perficies enim hoc, vt Propheta inquit, niſi effuſione copioſiſſima ſanguinis proprij; ſitq́ue laus tibi inde, honor, & gratiarum actio, in perpetuum.

MOYSES. Verè tu nobis factus es ſponſus ſanguinum, vt olim mihi dicebat vxor mea: quia preno ſanguinis tui emiſti ſponſam tuam; eodemq́ue eamdem ab omnibus peccatorum ſordibus & maculis abluiſti. Hoc ſignificat etiam vacca rufa, quam Deo immolare debent iuxta Legem filij Iſraël pro peccato, eiuſq́ue ſanguine aſpergere Tabernaculum; & ad extremum eius cineres portare extra caſtra, vt populo ſeruiant pro aqua expiationis. Tu videlicet, quum totus perfuſus eris roſeo ſanguine tuo, repræſentabis vaccam rufam. Tu te ſic totum Deo Patri tuo offeres in holocauſtum ſuauiſſimum pro peccatis populi. Tui ſanguinis merito aſpergetur Eccleſia tua, quæ verum Dei eſt Tabernaculum, ad ablutionem & remiſſionem ſordium ac peccatorum ſuorum. Tui corporis cineres, ſeu potiùs totũ corpus tuum offeretur extra caſtra, in quibus eſt Tabernaculum: hoc eſt, extra portas vrbis Ieruſalem, in qua eſt templum Dei: quia te morti adiudicatum extra ciuitatem educent, foriſq́ue in monte Caluariæ cruci affigent mortiq́ue tradent. Quod idem quoque ſignificabat alius ritus, quem deſcripſi in Leuitico; nempe vt quorum animalium ſanguis inferebatur in ſancta Sanctorum per Pontificem, illorum corpora cremarentur extra caſtra.

Sed nulla ferè clarior figura eſt in Lege mortis tuæ, IESV Chriſte, ſicuti nullum etiam in populo eſt ſanctius vel celebrius ſacrificium, agno Paſchali. Nihil mitius agno: ille igitur agnus in primis declarat manſuetudinem naturæ tuæ admirabilem ac perpetuam, omnibus notam & perſpectam. Quòd maſculus eſſe debet atque anniculus, ſimul demonſtrat, & teneritudinem ſummam, ac ſuauitatem naturæ tuæ; qua nihil humanarum affectionum à te alienum eſt: fles, doles; miſericordia, clementia, compaſſione moueris, tamquam puer tenerrimus: & nihilominùs plenus es omni ſapientia, prudentia, fortitudine, perfectioneq́ue virili.

Debet agnus Paſchalis eſſe immaculatus, hoc eſt, ab omni vitio, corruptione, morbo, deformitate immunis. Hoc nimirum ſignificat perfectiſſimam innocentiam tuam, qua purus & immunis es à prima conceptione tua, ab omni peccato. Quæ vni tibi propria eſt inter filios hominum: & per quam proinde ſolus inuentus es idoneus, qui ſatisfacias pro peccatis omnium aliorum. Agnus ille occiditur, Deoq́ue totus offertur: tu quoque breui ſane es occidẽdus, nullo merito tuo, magnoq́ue ſcelere atque inaudita impietate gentis huius. Sed offeres teipſum, morteinq́ue tuam innocentiſſimam, Deo Patri, in ſacrificium gratiſſimum & ſuauiſſimum pro reconciliatione totius mundi. Agni illius ſanguine poſtes & liminaria domorum Iſraëliticarum in Ægypto linebantur: cuius ſanguinis conſpectu parcebat Deus, ſiuę Angelus eius, Iſraëlitis ne occiderentur, quum interficeret omnia Ægyptiorum primogenita. Res illa ſanè per ſe erat frigida, abſurda, ac propemodum ridicula; ſi nihil aliud in illa conſiderandum inerat. Quid enim faciebat ſanguis brutæ ouis, poſtibus oſtiorum illitus, vel quam virtutem habebat, ſiue ad ſeruandos Iſraëlitas qui in illis erant ædibus à communi morte, ſiue ad terrendum Angelum percuſſorem, Diuinę iuſtitię miniſtrum, ne ibi auderet quemquã interficere? Sed te, te agnus ille hoc modo præfigurauit, agnum innocentiſſimum, IESV Chriſte; quòd tua morte ac ſanguine liberaturus eſſes populum tuum à morte æterna. Tuus ſanguis, quem effundes in remiſſionem peccatorum, cordibus in te credentium, & frontibus, tamquam poſtibus

corpo-

corporis, per fidem illitus, præſeruat à percuſſione omni & vindicta iræ Dei; in eiuſque gratiæ & protectionis ſecuritate conſtituit. In illius enim pretioſiſſimi ſanguinis vtilitatem ac dignitatem reſpiciens Deus, vbicumque illum fide apprehenſum videt, & cum tali fide voluntatem ad meliora conuerſam; mox placatur, vt nihil nocumenti inferat, tametſi plurima illic & maxima peccata præceſſerint. Eidem ſanguini agni Paſchalis adſcriptus fuit exitus populi huius ex Ægyptiaca ſeruitute & poteſtate Pharaonis, lætuſque tranſitus in Terram promiſſionis lacte ac melle manantem. Statim enim vt viderunt Ægyptij occiſos primogenitos ſuos, nec vllam vſpiam domum eſſe in qua non iaceret mortuus, filijs autem Iſraël nihil mali eueniſſe (quod totum acciderat, vt audiuimus, ex ſanguine agni poſtibus oſtiorum illito: nam vbicumque illum ianuis adſperſum cernebat Angelus Dei, ſine vllo nocumento tranſibat; vbi verò non videbat, omnia illic morte ac terrore complebat) non ſolùm iam illos abire ſinebant, quod antè ſemper negauerant, ſed rogabant etiam, & quodammodò cogebant exire velociter, clamantes; Omnes morimur. Sed hoc totum nihil aliud erat, quàm figura quædam illorum quæ futura erant aliquando per meritum & virtutem puriſſimi digniſſimique ſanguinis tui. quòd videlicet Fideles per illum eripiendi eſſent è poteſtate regis infernalis Diaboli, cui omnes à prima natiuitate miſerrimè ſeruiunt, ex omniq; afflictione & oppreſſione huius mundi & amatorum eius; ac demum ad felicitatem perducendi regni cæleſtis perpetui, quæ vere eſt Terra promiſſionis.

ELIAS. Si hæc Sacerdotes, Scribæ & Phariſæi, ex Legis ipſius Scripturis ac deductione non intelligunt, debuiſſent ſaltem ex teſtimonijs & ſermonibus Ioannis Baptiſtę pręcurſoris tui, quem ipſi quoque tanti facere videbantur, intelligere. Quæ enim fuit ſumma prædicationis, totiuſque officij eius? nónne populum ad te adducere, tamquam ad verum Dominum ac Regem ſuum; ad promiſſum Meſſiam ac Saluatorem ſuum? nónne te dicebat verum eſſe Eccleſiæ ſponſum, ſe autem amicum ſponſi dumtaxat? Et quod vel quale aſſeruit eſſe præcipuum officium tuum? Quo te nomine potiſſimùm appellauit, quum palàm oſtenderet omni populo? nónne frequenter dixit; Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi? Nos quidem præſentes non adfuimus quum hæc diceret, ſed partim narrâte ipſo, partim te reuelante cognouimus, quę vel ab ipſo vel abs te geſta fuerunt. Cur autem te vocauit agnum? niſi quòd vt agnus innocentiſſimus occidendus eſſes pro ſalute mundi: niſi quòd ille ipſe ſis quē agnus ille Paſchalis occiſus Deoque oblatus ſignificauit; quique tuo ſanguine populum tuum à morte æterna liberatum, in vitam ac libertatem ſempiternam reſtitues? vt Moyſes nunc optimè explicauit. Nec verò te ſimpliciter agnum vocauit, ſed agnum Dei, ſeu diuinum agnum: idque non ideò tantùm, quòd à Deo miſſus ſis, Deique opera opereris; ſed etiam quòd verè diuina ſis natura præditus. Id quod clariùs etiam docuit, quum aliàs diceret, quòd illo ſis prior, quodque ante illum factus; breuiter, quòd talis ac tantus ſis, vt ipſe tantæ vir dignitatis, non eſſet dignus corrigiam ſoluere calceamentorum tuorum. Expectant Regem ac Meſſiam qui liberaturus eos ſit de poteſtate Romanorum. Si Prophetas omnes priores, illa in re tàm male intelligunt; cur non ſaltem audiuerunt eumdem Ioannem Prophetam maximum, qui te dixit redemtionem adferre, non ab externa aliqua poteſtate aut ſeruitute, ſed à peccatis? nec ſolùm venire ceu verum Meſſiam in vtilitatem gentis Iudaicæ, vt ipſi credunt de Meſſia ſuo, ſed ad redemtionē & ſalutem totius mundi? Quòd nos etiam viuimus & Deo accepti ſumus, ſub eiuſque protectione & ſpe certa longe maiorum bonorum cuſtodimur; quòd vmquam aliquid rectè egimus; &, vt paucis dicam, quotquot vmquam remiſſionem peccatorum ſuorum à Deo conſecuti ſunt, iuſteque & ſanctè vixerunt, ab initio mundi, & quotquot tales erunt in poſterum vſque ad mundi finem; tua gratia eſt, IESV Chriſte, totumque merito ſanguinis tui adſcribendum. Laus tibi & gloria & gratiarum actio in æternum. Hoc eſt, quod ſibi voluit dicendo; Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi.

Quid autem? Annon idem clariſſimè reſtantur Prophetæ omnes? Iſaias in primis, ille magnus Propheta, nónne diſertis verbis dicit de Meſſia; Tamquam ouis ad occiſionem ducetur: & quaſi agnus coram tondente ſe, obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. nónne idem habet apertè Propheta Ieremias, de ſeipſo loquens in perſona Meſſiæ? Ego, ait, quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam; & non cognoui quia cogitauerunt ſuper me conſilia, dicentes: Venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur ampliùs. Quo loco ſanctus Propheta

 oſten-

oſtendit, non modò quòd occidendus es inſtar agni; ſed etiam quo te genere mortis afficient. Sed de hac re mox agemus.

Redeamus parumper ad Iſaiam, qui omnium clariſſimè & copioſiſſimè omnia Meſſiæ diſcripſit myſteria: & videamus quid is de morte omniq́ue futura paſſione tua commemoret loco iam citato. Quis credidit, inquit, auditui noſtro? Non eſt ſpecies illi neque decor; & vidimus illum, & non erat aſpectus: & deſiderauimus eum, deſpectum & nouiſſimum virorum: virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. Et quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus; vnde nec reputauimus illum. Item; Abſciſſus eſt de terra viuentium, propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Item; Dabit impios pro ſepultura, & diuitem pro morte ſua. Item; Dominus voluit conterere illum in infirmitate. Denique; Tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt. Sic etiam de morte tua perſpicuè diſertiſq́ue verbis vaticinatus eſt Daniel, dicens: Poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus qui illum negaturus eſt. Cur nõ ſupputant diligenter quando hebdomades illæ finientur? vt intelligant, nullum eſſe dubium, quin Prophetia implenda ſit in perſona tua?

Iſai. 53.

Quòd autem te capient ac vi redigent in poteſtatem ſuam ante mortem tuam, Ieremias Propheta prædixit, dicens; Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris: cui diximus; In vmbra tua viuemus in Gentibus. Quòd verò etiam per proditionem te comprehendent, expreſſit Pſalmus octogeſimus ſeptimus; Traditus ſum & non egrediebar, oculi mei languerunt præ inopia. Quòd traditor ille futurus eſt vnus ex diſcipulis tuis, homo omnium quos terra vmquam portauit ingratiſſimus & impiiſſimus; Pſalmus habet 49. Homo pacis meæ in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. Item Pſalm. 54. Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique; & ſi is qui oderat me, ſuper me magna loquutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu verò, homo vnanimis, dux meus & notus meus: qui ſimul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum conſenſu. Denique pretium ipſum proditionis prædictum eſt à Prophetis, quò magis agnoſcatur rerum iſtarum omnium certitudo. Zacharias Propheta illud deſcribit, dicens: Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos, decorum pretium quo appretiatus ſum ab eis.

Thren. 4.

Moyses. Concordat hoc penitus cum figuris Legis meæ, & cum hiſtoria Ioſeph Patriarchæ, qui ab initio vitæ ſuæ vſque ad finem, typus fuit clariſſimus futuri Chriſti: bonus ab initio, obediens patri in omnibus, meritoq́ue proinde ab eo præ omnibus fratribus adamatus: totus innocens, purus, mitis, decorus, amabilis; fratribus ſuis ſine cauſa inuiſus, ab iiſq́ue peſſimè habitus: denique poſt multas contumelias & afflictiones, venditus ab illis triginta argenteis. Et quiſnam ex fratribus eius illum vendidit propriè? Iudas nimirum. Viderint ergo qui illo vocantur nomine inter Apoſtolos tuos, ne quis illorum hoc immane crimen in te perpetret. Cetera quæ ad hiſtoriam & vitam Ioſeph pertinent, ad primam eius longiſſimam variamq́ue oppreſſionem & afflictionem, non ſolùm in paternis ędibus, ſed etiam in Ægypto, & ad extremam exaltationem & gloriam, mirificè quidem etiam in te quadrant. Sed hæc paulò pòſt fortè aptiùs referentur. Hoc tantùm hîc meritò adhuc notari debet ex hac hiſtoria; quòd venditus fuit à fratribus ſuis ac traditus Gentibus: Iſmaelitis nimirum, incircumciſis & alienis penitus à cognitione & cultu veri Dei. Hoc tibi continget ſimiliter: vbi te ceperint, ligauerint, afflixerint miris modis, tandem etiam morte damnauerint, tradent Præſidi ac militibus Romanorum, non modò vt ille te, ſecundùm ſupremam qua fungitur poteſtatem, morte afficiat, quod noſtræ gentis primores nunc non poſſunt; ſed ad maiorem etiam contumeliam. quamquam Deus hoc totum vertet ad ſuam tuamq́ue maiorem gloriam.

Elias. Vbi captus eris ab hoſtibus tuis, deſerent te omnes amici ac noti tui, diſcipuli etiam atque Apoſtoli, omneſq́ue aufugient, quaſi iam actum eſſet de te, nec ipſos nec te ipſum iuuare poſſes. Sic habet Pſalmus ille 68. Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. Item; Suſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; & qui conſolaretur, & non inueni. Pſalm. 87. Longè feciſti notos meos à me: poſuerunt me abominationem ſibi. Item; Elongaſti à me amicũ & proximum, & notos meos à miſeria. Pſalm. 141. Conſiderabam à dextris, & videbam; & non erat qui cognoſceret me. Periit fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam. Sic Iſaias; Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. Circumſpexi, & non erat auxiliator: quæſiui, & non fuit qui adiuuaret. Denique Zacharias Propheta; Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis.

Iſai. 63.

Zach. 13.

gregis. Iam, vbi te captiuum abduxerint, omni genere tormentorum atque opprobriorum afficient; verberantes, alapas impingentes, immò & conſpuentes. Apud Ieremiam in Threnis ſic dicitur: Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobrijs. Apud *Thren. 3.* Iſaiam verò; Corpus meum dedi percutientibus, genas meas vellentibus. Faciem meam *Iſaia 50.* non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me. Nec ſufficient iſta; nudabunt etiam toto corpore & indigniſſimè flagellabunt. Pſalm. 34. Aduerſum me lætati ſunt, & conuenerunt: congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui; cauſam videlicet. Item apud Iſaiam: Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.

At in his omnibus, quis explicet contumelias atque opprobria verborum, blaſphemiaſque horrendas, quibus te certatim omnes, parui & magni, Iudæi pariter & Gentiles, afficient? quibuſque longe grauiùs vulnerabitur & affligetur cor tuum quàm omnibus pœnis & tormentis corporis? Sic habet Pſalmus ille 68. Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. Item; Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta, & in me pſallebant qui bibebant vinum. Item Tu ſcis improperium meum, & confuſionē meam, & reuerentiā meam. Sic & Ieremias loquens in perſona tua, in Threnis ſuis; Vidiſti Domine iniquitatē illorum aduerſum me; iudica iudicium meum. Vidiſti omnem furorem, vniuerſas cogitationes illorum, aduerſum me. Audiſti opprobrium illorum, Domine; omnes cogitationes aduerſum me, tota die. Hoc eſt ſcilicet, quod paulo ante ex Iſaia retuli, de Meſſia: Saturabitur opprobrijs.

At quis tandem finis erit contumeliarum omnium ac tormentorum? Vbi ſatis tibi pro voluntate illuſerint, ſatis flagellauerint, & afflixerint, num abire patientur, aliqua ducti miſeratione erga innoxium, erga illum à quo tot beneficia receperunt, erga Regem & Meſſiā ſuum, quē tantopere expectarunt? Minime omnium. non deſinent, donec prorſus e medio tulerint & occiderint, vt iam antè oſtendimus ex Prophetis. Tanta erit tabies animorum, tanta vis odij atque inuidiæ; tanta ſitis innoxij ſanguinis. Sed ſaltem contenti erunt occidere leuique aliqua morte è medio tollere: aut fortaſſe lapidabunt vt blaſphemum in Deum ſuum, quæ acerba eſt mors ac dura admodum. Nihil tale. nequaquam hoc illis ſufficiet. Expreſſa eſt mens ac ſententia illorum, in libro Sapientiæ Salomonis: Contumelia & tormento interrogemus eum: morte turpiſſima condemnemus illum. Quæ eſt autem mors turpiſſima mixtà & acerbiſſima, niſi mors crucis? Iam nunc videre mihi videor, quemadmodum ſummis & communibus ſtudijs te ad mortem huiuſmodi poſtulent a Pilato, & audire clamantes inſanis ac pertinacibus vocibus; Tolle, tolle eum, crucifigatur, crucifigatur; nec vllam ſatisfactionem, vllam rationem, aut mitigationem admittere vel audire volentes.

Et nónne hoc quoque mortis genus prædictum eſt apertiſſimè à Prophetis: nónne paulò antè recitaui conſilium eorum nefandiſſimum, & clamorem aduerſus Ieremiam, immò potiùs contra te; cuius typum ille ſanctus Propheta gerebat? Venite, aiunt, mitta- *Ierem. 11.* mus lignum in panem eius; & eradamus illum de terra viuentium. Quid eſt, lignum in panem mittere; niſi ſancto corpori tuo (quod cibum & alimentum præbet vitæ æternæ) crucem adhibere? Hoc nimirum eſt illud quoque in Pſal. 21. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea. Sic enim tractantur, vt notum eſt, qui in crucem aguntur. Id quod vidit etiam & prædixit de Meſſia Zacharias Propheta, dicens; *Zach. 13.* Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet; His plagatus ſum in domo iſtorum qui diligebant me. Framea, ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi: dicit Dominus exercituum: Percute paſtorem & diſpergentur oues, & conuertam manum meam ad paruulos.

Moyses. Eſt ea de re figura quoque pulcherrima in Numeris, libro Legis meę. Quum *Num. 21.* enim populus iſte in deſerto contra me & contra Deum murmuraret, immiſit in illum Deus ſerpentes ignitos, qui plurimos ſtatim venenatis morſibus occiderunt; nec prius adiuti à Deo vel ſanati ſunt, quam eius iuſſu in medio caſtrorum ſerpentem æneum ex longa trabe ſuſpenderem: in illum quiſquis à ſerpentibus percuſſus aut vulneratus ſublatis oculis reſpiciebat, curabatur. Oſtendebat quidem Deus in eo admirandam potentiam ſuam, quòd per aſpectum ſerpentis ex ære conflati, in quo nec virtus vlla nec vita erat, ſerpentino veneno infectos mortique proximos repentè ſanabat; ſed longe aliud in illa ſanandi ratione latebat. Voluit Deus per illam hiſtoriam (tamquam per figuram quamdam) docere atque oſtendere omnibus, rem maximi momenti, ſcituque apprimè neceſſariam. Primum videlicet, quemadmodum omnes homines, totumque humanum ge-

nus peccato infectum ſit: ſecundum, quale ſit hoc peccatum, & quid efficiat: tertium, vnde ſit, & quonam modo in humanum genus irrepſerit: quartum, quomodo & per quem homines queant ab illo peccato, diuina ordinatione ſanari, vitamque & ſalutem perditam recuperare. Peccatum quo laborant omnes, ex prima etiam natiuitate, verum eſt venenum, ſtatim inficiens totam naturam & corrumpens, mortique ac damnationi æternæ obnoxiam faciens. Prouenit autem hoc tam noxium ac lethale venenum, ex morſu ſerpentis: hoc eſt, ex ſuggeſtione, opera, & conſilio ſerpentis illius antiqui, principis infernalis: is enim homines primùm fraudulentis ſermonibus ſuis pertraxit in peccatum; ac per conſequens etiam in mortem. Sic ſcriptum eſt quoque in libro Sapientiæ: Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum. At quid remedij contra tantum malum? nempe vt ſerpentis virtus ſerpentis morſus curaret; ſerpenſque ſerpentem vincat: ſed bonus ſerpens malum; innoxius venenatum; vitalis mortiferum. Serpens, inquam, ex alto ſtipite ſuſpenſus in aëre, vt meus erat æneus in deſerto.

Sap. 2.

Anguis ille ex ære à me in igne conflatus, non vere anguis erat, nec aliquid in ſe veneni habebat; ſed externam tantum venenati ſerpentis ſpeciem & figuram gerebat. Tu ſimiliter, peccatoris ſeu peccato infecti hominis externam ſimilitudinem geris, Iesv Chriſte: adeò vt quiſquis te videt, hac etiã in re ſimilem eſſe alijs omnibus putet, conceptũ ad minus natumque in peccato. Attamen, reuerà ab omni prorſus peccati veneno alienus es, ſemperque fuiſti ab initio: ideoque ſolus idoneus, vt alios omnes liberes a peccato. Sed quonam modo? Per hoc nimirum, quòd ligno Crucis affixus, in altum extolleris, vt ab omnibus videaris. Videaris, inquam, non modò oculis corporis, ſed longè magis oculis mentis. Is te videt verè, qui cognoſcit perſonam ac dignitatem tuam, qui in te credit: is te conſpicit ex alto Crucis ligno pendentem, qui te credit per Crucem & mortẽ tuam vitam mundo & ſalutem attuliſſe perpetuam. Quemadmodum ergo, qui æneum ſerpentem ex ſtipite in deſerto pendentem intuebantur, a venenatis morſibus curabantur, certamque mortem corporis euadebant; ita fiet, vt quiſquis in te crucifixum crediturus ſit, non pereat in peccatis ſuis, ſed habeat vitam æternam.

Geneſ. 22. Huic figuræ ſimilis eſt illa in ſacrificio Abrahæ patris noſtri, quum filium ſuum Iſaac diuino mandato immolare cogitabat. Quum enim Angelum ſe alloquentem audiſſet; vidit ſubitò arietem poſt ſe, cornibus hærentem inter vepres: quum ergo intelligeret, non eſſe voluntatis Dei, vt Iſaac interiret; arietem illum mox apprehendens, obtulit holocauſtum pro filio. Sed quis explicet myſteria, quæ in illo admirabili ſacrificio Abraham diuina reuelatione cognouit? Verè tunc vidit diem tuum, & gauiſus eſt. Gaudebat quidem ſaluum manere dilectum filium ſuum, gaudebat obedientiam ſuam Deo gratam eſſe: ſed quòd in ſacrificio ſuo adumbrata vidit futura myſteria Redemtoris mundi ſuo ex ſemine naſcituri; hoc præcipue animum eius gaudio impleuit ineffabili. Quid enim eſt, arietem cornibus hærere inter vepres; niſi te in multitudine circumſtantium peccatorum ad cornua Crucis clauis confixum pendere? Quanquam & aliter quoque deputaberis inter ſpinas: quando videlicet ſpineo ſerto, pro corona regali, coronaberis; atque ita auctor innocentiæ ac iuſtitiæ à ſceleratiſſimis hominibus illuderis.

Leuit. 16. Huc pertinet etiam figura illa hirci emiſſarij in libro Legis Leuitico. Quum videlicet ſummus Pontifex, vtraque manu ſua poſita ſuper caput hirci, confitetur omnes iniquitates filiorum Iſraël, & vniuerſa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti eius, emittit extra ciuitatem, fugatque in deſertum, inter ſpinas ac tribulos à feris beſtijs deuorandum. Hircus ille natura turpis ac fœtidus te ſignificat, Redemtor orbis, propter ſimilitudinem peccati carnis, quam aſſumſiſti: etſi naturaliter es ab omni delicti labe atque fœtore immunis. Quòd hirco illi omnia filiorum Iſraël peccata imponuntur; ſubindicat, tibi à Deo vniuerſi generis humani peccata eſſe impoſita, vt dignas pro illis inſtaſque pœnas luas, diuinæque iuſtitię ſatisfacias. Quòd hircus ille peccatis onuſtus emittitur in deſertum, à feris beſtijs deuorandus; ſignificat, te eiectum iri extra ciuitatem in montem Caluariæ, ad ſupplicium Crucis; vt penitus ibi inter ſpinas & tribulos deuoreris & extinguaris ab hoſtibus tuis, omnique vita, conſolatione, atque honore priueris.

Et hæc quidem ad declarationem & confirmationem futuræ mortis tuæ videntur abunde ſufficere. Sed occurrit tamen nonnihil adhuc ad genus mortis attinens, quod neutiquam iudico ſilentio prætereundum. Scriptum eſt diuina voluntate ac ſententia in

Deut. 27. Deuteronomio meo: Maledictus qui non permanet in ſermonibus Legis huius, nec eos

opere

opere perficit. Quis eſt autem vel fuit vnquam mortalium, qui omnia Legis mandata exactè ſeruauit? immò quis eſt qui non in multis offenderit, multaque Legis præcepta violauerit? Si ita res habet; igitur omnes rei ſunt coram Deo maledictionis æternę. Quid ergo conſilij? Quis nos à terribili hac Legis maledictione liberabit? Quis alius niſi tu, qui ſemen es illud Abrahæ patris noſtri benedictum, per quod benedictionem Dei conſequuntur, non ſolùm noſtræ nationis homines, ſed etiam omnes Gentes? At quonam modo omnes à maledictione liberabis? illam vtique in te transferendo. Non aliter quàm qui ſatisfacit, vt fideiuſſor; pœnam illius fert, pro quo ſpopondit: ita, ſicut morte tua noſtram mortem abolebis; ſic maledictionem noſtram ipſe à Deo maledictus extingues. Quomodo maledictus? In Crucis nimirum patibulo pro nobis pendendo. Sic enim tibi continget quod ſcriptum eſt in eodem libro Deuteronomij noſtri: Maledictus omnis *Deut. 21.* qui pendet in ligno. Sic tu pro nobis maledictus, nos à Legis maledicto liberos reddes, & ſempiternam Dei benedictionem impetrabis.

Nec hæc derogant dignitati tuæ vel maieſtati, quòd pendebis vt latro ac maleficus in patibulo, tamquam ferēs in te peccatorum noſtrorum maledictionem & execrationem, dum pro ijs ſatisfacis diuinæ iuſtitiæ: quin potius ob hoc ipſum te omnes tui magis amabunt, nomenq́; & honorē tuum maioribus in cælū laudibus efferent. Quò plura enim & indigniora pro nobis vltrò pateris; eò ardentiùs te diligere & magnificentiùs de te ſentire debemus. Hoc adeò omnem æſtimationem multis partibus ſuperat; quòd tantopere nos Deus dilexit, tantiq́ue fecit, vt Filium ſuum vnigenitum (qui caput & gloria eſt Angelorum; cui omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, quemq́ue omnes adorant creaturæ) tantopere deiecerit in abyſſum ipſam quodammodò opprobrij & contumeliæ, vt nos exaltaret; ipſumq́ue extremæ maledictioni ſubiecerit, nos vt maledictos ac damnatos abſolueret. Dum enim te videmus, Dominum ac Deum noſtrum, IESV Chriſte, ſic tui ipſius obliuiſci, amore noſtri; vt noſtram maledictionem, qua oppreſſi iacebamus ſub ira Dei, per mortem Crucis in te ſuſcipias: teq́ue ipſum prorſus exinanias atque in nihilum redigas; vt nos, qui pluſquam nihil eramus, magnos efficias: an poſſit eſſe cuiquam tam durum cor, vt præ amore erga te mutuo, non quaſi findatur & liquefiat? Nec metuendum etiā, ne interim non ſemper benedictus maneas quòd noſtram ita maledictionem in te ſuſcipis: numquam enim deſinis ille eſſe, etiam in ſummo Crucis opprobrio, qui deſcribitur in Pſalmo 117. Benedictus qui venit in nomine Domini. Benedictus es, & maledictus, & vtrumque coram Deo: ſed diuerſo reſpectu. Maledictus a Deo, quatenus onuſtus es ſarcina ac turpitudine peccatorum noſtrorum; quatenus peccata noſtra portas ac luis in corpore tuo ſuper lignum. At interim benedictus à Deo ſemper es tuapte innocētia, virtute, iuſtitia, obedientia, qua numquam ne latum quidem digitum receſſiſti a voluntate Patris tui. Maledictionem, ceu alienam, & aliorum nomine aſſumtam, non ſemper geres; ſed breui tempore, vnà ſcilicet cum morte & ſepultura, exues: benedictionem verò, tamquam propriam tibi & naturalem, ſeruabis in æternum; eiuſq́ue etiam omnes in te credentes participes facies.

Poſtremò, hoc genus mortis tuæ in ligno Crucis, maximè conuenit reparando damno, quod humano generi a primis parentibus illatum fuit in paradiſo. Quemadmodum enim illi per inobedientiam & ſuperbiam manus ſuas extenderunt ad arborem ſcientiæ boni & mali, fructus inde vetitos decerpentes ac comedentes; atque ita, cùm ſeipſos, tum totam ſuam poſteritatem perdiderunt: ſic tu per ſummam humilitatem & obedientiam manus tuas extendes ad arborem Crucis; & ſic voluntariam mortem obiens, omnibus tibi obtemperantibus cauſa eris ſalutis æternæ. Nimirum, hoc opus noſtræ ſalutis ordo depopoſcerat, multiformis proditoris ars vt artem falleret, & medelam ferret inde hoſtis vnde læſerat. O quàm verè tunc implebitur quodam ſenſu, illud eiuſdem libri Deuteronomij, de generatione hac peruerſa atque incredula: Et erit vita tua pendens ante te, & non credes vitæ tuæ. *Deut. 28.*

ELIAS. O quàm verè tunc implebitur illud Iſaiæ Prophetæ; Expandi manus meas to- *Iſai. 65.* ta die ad populum incredulum, qui graditur via non bona poſt cogitationes ſuas. Tunc audies irriſiones illas amariſſimas, impijſſimaſq́ue blaſphemias, quæ & ab Dauide Rege & pariter à Salomone prædictæ ſunt; nimirum ceu res incredibiles. Pſalmo 21. Omnes videntes me, deriſerunt me, locuti ſunt labijs & mouerunt caput. Sperauit in Domino, eripiat eum; ſaluum faciat eum, quoniam vult eum. Item: Præfert nouiſſima iuſtorum; *Sap. 2.* & gloriatur patrem ſe habere Deum. Videamus, ſi ſermones illius veri ſint; & tentemus

quæ ventura ſunt illi: & ſciemus, quæ erunt nouiſſima illius. Si enim verè eſt Filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum. Tunc illud quoque implebitur ex Pſal. 68. Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Denique illud in Pſal. 21. Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Et quis omnia Crucis tuæ opprobria ac tormenta enumeret: Tunc rectè & meritò dicere poteris, & clamare ad Patrem tuum, illud Pſalmi ſæpe iam non[illegible] 21. Deus, Deus, reſpice in me; quare me dereliquiſti? Longe à ſalute mea, verba delictorum meorum. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies; & nocte, & non ad inſipientiam mihi. Tu autem in ſancto habitas, laus Iſraël. In te ſperauerunt Patres noſtri, ſperauerunt & liberaſti eos. Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi. Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum & abiectio plebis.

O quæ te vicit clementia, Domine Iesv Chriſte, vt ferres noſtra crimina; crudelem mortem patiens, vt nos à morte tolleres. Nemo enim exiſtimet, quia hæc omnia & tam indigna paſſurus es, propterea aliquam in te culpam ineſſe. In te propriè quadrat, deque te ſolo dictum eſt illud Pſal. 68. Quæ non rapui, tunc exſoluebam. Pulcherrime Iſaias

Iſai. 53. Propheta, vbi tam late & clarè paſſionem tuam deſcribit, vt antè audiuimus: Verè, inquit, languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit: & poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrûm. In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruos meos multos; & iniquitates eorum ipſe portabit.

Sed quando, & vbinam, tibi hæc contingent omnia? Non ignoras hæc, ſcimus Domine I e s v Chriſte; longè melius nobis hæc noſti omnia: ſcis tempus & horam ad hæc conſtitutam à Patre tuo ab æterno: nec minùs locum noſti vbi omnia implebuntur: nec ad tuam hæc inſtructionem referimus; ſed ad illorum doctrinam, qui poſtmodum in te credent: in primis autem ad inſtitutionem hîc præſentium, & hæc omnia audientium diſcipulorum tuorum; vt nimirum, quum pòſt ſic omnia impleri conſpicient, reminiſcantur, à nobis cuncta hîc ordine prædicta fuiſſe, meliuſque ita tum ſeipſos tum alios in fide confirment. Verùm de tempore & loco mortis tuæ melius Moyſes ex Lege ſua diſputabit.

Moyses. Liquet vtrumque ſatis ex myſterio ſacrificij agni Paſchalis. Si enim (vt antè oſtendimus, & Elias pulchre etiam confirmauit) totum hoc ſacrificium in te reſpicit, tamquam vmbra in corpus ſuum, omniſque illius figuræ veritas in re quærenda eſt; ſatis apparet, tunc te moriturum, quum agnus ille immolabitur, nempe in feſto Paſchæ. vt nimirum tūc nouus & verus Agnus ad ſacrificium Deo gratiſſimum in Cruce immoletur, cæleſtique Sole hoc torreatur, quum veterem ac typicum agnum verubus domi ſuæ quiſque torrebunt. An verò id proximo die Paſchæ continget, equidem affirmare non auſim. Hoc tu Domine I e s v Chriſte meliùs noſti, qui tempora omnia & momenta in tua habes poteſtate, cunctaque noſti antequam fiant. Sed, cùm ad ſtatum rerum, vt nunc ſunt, diligentiùs te nobis reuelante attendimus; valdè mihi videtur probabile, hoc proximo die Paſchæ omnia adimplenda.

Christvs. Non falleris opinione tua, ô bone Moyſes. mihi certò conſtitutum eſt, proximo die feſto omnem Patris mei voluntatem implere; tamque diu promiſſam & expectatam humani generis redemtionem, mundique ſalutem, perficere. Nolo diutius tum veſtram ipſorum, tum iuſtorum omnium, iam inde à mundi exordio ardentiſſimam expectationem differre: nolo item diutiùs hoſtium meorum longum & vehementiſſimum deſiderium & conatum fruſtrari. Sum illis, ſcio, nimis diu ſuperſtes: iam dudum me conati ſunt varijs modis ex hac vita auferre, ſi potuiſſent: grauis ſum illis etiam ad

Sap. 2. videndum. Hinc voces illorum frequentes, quæ me minimè latent; Quando morietur & peribit nomen eius? Sed nequaquam ipſi tanta cupiditate capiuntur fundendi innoxium ſanguinem meum, atque extinguendi prorſus, vt putant, nomen meum; quanto ego deſiderio teneor moriendi pro humano genere, & pro illis quos dedit mihi Pater, illique obtemperandi vſque ad mortem Crucis, ſimulque bonis & pijs omnibus viam patefaciendi ad vitam æternam, obſtructamque hactenus ianuam paradiſi cæleſtis reſerandi. Ignem veni mittere in terram (vt ſcitis, viri optimi) & quid volo niſi vt accendatur? Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur? O quantopere deſidero proximum Paſcha manducare cum diſcipulis meis, vt illis tunc multis modis, & magis

multo

multò quàm vmquam anteà oſtendam, quāta illos charitate complector? Vbi illa aduenerit cœna, & finita fuerit; non panem cum illis ampliùs edam, nec vinum bibam, donec nouum eum eis cibum & potum accipiam in regno Dei. Eadem cœna erit & finis conuerſationis meæ cum hominibus, & principium paſſionis meæ omnis mortiſque de qua diſſeruiſtis. Illa erit hora inimicorum meorum, & poteſtas tenebrarum. illam horam vt anteuerterem nolui hactenus, quum me toties ad mortem quæſierunt; ſic non patiar etiam vel ad momentum differri. In me nulla erit mora: vltrò tunc vadam ad locum, in quo me ſunt quæſituri; vltrò ipſis obuiàm veniam. Non ipſi me vi vlla vel aſturia capient, vt putabunt: ego mea ſponte illis offeram tradamque me ipſum: idq́. vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem meum; & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.

Moyses. De loco futuræ mortis tuę, minor eſt occaſio dubitandi: debet enim agnus Paſchalis manducari, Deoque offerri, iuxta Legem, Ieroſolymæ: debet & hircus emiſſarius, peccatis onuſtus filiorum Iſraël (qui te quoque ſignificat, vt oſtendimus) à ſummo Pontifice è templo & Sanctuario foras emitti in deſertum, à feris beſtijs deuorandus. Notum eſt etiam, omnes ferè primarios & capitales hoſtes tuos Ieroſolymis habitare, Sacerdotes nimirum, Legiſperitos, Phariſæos, Principes & primores populi: qui quum maximis turpiſſimiſque vitijs præ ceteris infecti ſint, te ſinceræ pietatis ac veritatis aſſertorem ferre non poſſunt. Denique, non conuenit Prophetá perire extra Ieruſalē; illa enim iam olim ex quo reges ibi dominati fuerunt, tota rubēs & madida facta immerſaque fuit ſanguine Prophetarum ac iuſtorum, vſque ad os: fieri ergo non poteſt, vt alibi nunc pereat etiam iuſtorum omnium & Prophetarum Dominus. O Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, vt te colligant ſub tutelam & protectionem Dei tui, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas! quæ non ſatis habes, occidiſſe crudeliter ſuperiori tempore tot ſeruos Dei, miſſos ad te in ſalutem tuam; ſed nūc etiam totam te maculas atque inebrias ſanguine Filij Dei vnigeniti! quod tandem & quale tibi accerſis iudicium Dei? Ecce, relinquetur tibi domus tua deſerta, auferetur à te breui regnum Dei, & dabitur Gentibus facientibus fructus eius, Deique gratiam meliùs collocantibus. & continget tibi, quod olim prædixi: Ipſi erunt in caput, & tu eris in caudam.

Sed omnia hæc vehementer auditu iniucunda ſunt ac triſtia. Quid ergo? in tantis malis nullàne eſt conſolatio? Morieris morte violenta, acerbiſſimaque, iuxtà ac turpiſſima, vt nunc oſtendimus; totque afflictionibus & tormentis afficient te inimici tui. An ſemper in morte manſurus es? Sic ab illis vincêris, vt numquam ipſe vincas vel triumphes? Abſit. Vbi longo tempore à fratribus ſimul & ab alienis afflictus & oppreſſus fueris, inſtar Ioſeph Patriarchæ; tandem ad victoriam & regnum peruenies: maiorque tunc erit gloria tua, quàm vmquam antè ignominia vel triſtitia. Tunc verè appellaberis & habeberis ab omnibus Saluator mundi: *Geneſ. 41.* cuius pater noſter Ioſeph olim tantùm figuram geſſit. Tunc & fratres tuos pariter & extraneos, hoc eſt Iudæos atque Gentiles, ſaluos facies. Tunc poteſtatem accipies à Patre tuo cæleſti ampliſſimam & pleniſſimam, in cælo & in terra: vt abſque tuo imperio nemo vſpiam manum vel pedem moueat; nec quiſquam aliquid à Deo impetret vel accipiat, niſi per te. Tunc omnes creaturæ coram te genu flectent, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Tunc fratres tui qui te priùs perſequebantur, deprimebantque; demiſſo vultu, in terramque proſtrati, adorabunt; vitamque ſe tibi ſuam debere, omnemque ſalutem ſuam in te vno ſitam eſſe, fatebuntur. quando, videlicet, aliquanto tempore mortuus & ſepultus, tuapte virtute mox in anima & corpore ad vitam beatam & immortalem reſurges. Ac fortè etiam tunc primi nuntij teſteſque erunt reſurrectionis gloriæ ac regni tui, qui maximè regnum tuum, gloriam & reſurrectionem impedire nitebantur: vti in ſancti huius Patriarchæ hiſtoria præfiguratum fuit.

Hac de re extat & alia Prophetia in libro Geneſis. Quum enim ſanctus Patriarcha Iacob filijs ſuis moriens benediceret, & quid ſingulis illorum ac poſteris vniuſcuiuſque ſingulare euenturum eſſet, diuini Spiritus reuelatione prædiceret; ad Iudàm veniens, ſic locutus fuit: Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum: *Geneſ. 49.* adorabunt te filij patris tui: catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna; quis ſuſcitabit eum? Hæc, non eſt negandum, quin aliqua ex parte in Iudam Patriarcham & poſteros eius quadrent; ſed longè tamen veriùs omnia, clariùs & magnificentiùs, in te, Iesv Chriſte, Saluator mundi, ex tribu Iuda nate, conueniunt. quemadmodum proximis verbis de te apertè loquitur, dicens; Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius; donec veniat qui mittendus eſt,

& ipſe

& ipſe erit expectatio Gentium. Te laudarunt hactenus, & expectarunt in carnem & mundum venturum, omnes veri Iſraelitæ. Sed multo magis in poſterum laudaberis & adorabetis à Iudæis ac Gentibus in te credituris toto orbe terrarum. Tuę manus erunt in ceruicibus inimicorum tuorum, quando omnes toto mundo tibi reſiſtentes verbo Dei & miraculis coges in obſequium; incredulos autem & pertinaces, æterna meritò maledictione damnabis. In tali tamque nobili pugna & victoria, te vetè catulum leonis præſtabis, cui nemo poteſt audetve reſiſtere. Tu, vt primùm in hunc mundum veniſti, ad prædam aſcendiſti, ad detrahenda nimirum ſpolia principis tenebrarum, ad eruendum è poteſtate eius humanum genus; omnemq; eius poteſtatē, cui nemo hactenus reſiſtere potuit, retundendam. Hic vnicus finis & cauſa eſt aduentus tui. Tandem autem, requieſcens, inquit, accubuiſti. Hoc de morte tua, haud dubiè, & ſepultura intelligitur. Poſt multas enim & longas pugnas, contra Diabolum & mundum, ad extremum occumbes in prælio & requieſces in ſepulchro. Sed quomodo occumbes morti traditus? Vt leo, inquit, & quaſi leæna. Leonum genus dormit apertis oculis: nec vlla aliarum ferarum beſtiarum audet dormientem leonem vel leænam attingere, adeò omnes ex natura nouerunt potentiam & virtutem illorum. Sic tu in morte etiam tua vigilabis, apertis oculis: quia nec anima tua vnquam, nec corpus exanime, à Deitatis natura, ſemper viuente ac vigilante, omniaque moderante & continente, ſeparabitur. Sed, num ſemper occumbes in morte, ac dormies in ſepulchro? Nequaquam. Quis, inquit, ſuſcitabit eum? Significat, te mox ſuſcitandum à morte, ſed nouo planè mudo, virtuteque mirabili. Nempe à nullo mortalium ſuſcitaberis: ſed tu ſolus te ipſum propria diuina virtute ſuſcitabis ad vitam glorioſam & immortalem. Sic nimirum vincet leo de tribu Iuda, radix Dauid. *Apoc. 5.*

Elias. Benè ac meritò cœpit Moyſes reſurrectionem tuam, Domine Iesv Chriſte, ex Lege ſua declarare. illa enim non minurem vtilitatem & conſolationem nobis, quàm tibi, eſt allatura: nam ſicut ad redemtionem noſtram neceſſaria eſt mors tua; ita ſine reſurrectione tuâ perfici non poteſt ſalus noſtra. In morte tua perſolues pretium peccatorum noſtrorum: at in reſurrectione tua principium erit vitæ ac ſalutis noſtrę. Quid enim vel tibi vel nobis prodeſſet mors tua, ſi nulla ſequeretur reſurrectio? In morte non apparebit niſi magna infirmitas tua; at in reſurrectione oſtendes virtutem & potētiam tuam. idque non modò ad vitam & ſalutem tuam perpetuam, ſed etiam ad ſpem certam vitæ ac ſalutis æternæ omnium qui in te credēt. In morte pugna erit, in reſurrectione victoria. Hinc nemo fere Prophetarum de morte tua locutus eſt, quin ſimul etiā reſurrectionis ſecuturæ meminerit. In Iſaia Propheta, vbi tam multa referuntur de paſſione tua & morte (vt ſuprà oſtendimus) quod dicitur; Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur, ideò diſpertiam ei plurimos & fortium diuidet ſpolia; ad reſurrectionem tuam & regni gloriam pertinet. Sed clariora ſunt hac de te teſtimonia in Pſalmis Dauidicis. Multa ſunt de morte tua in Pſalmis, præcipuè 21. & 68. vt audiuimus: ſed non tacetur vtrobique etiam de reſurrectione tua. In priori quidem Pſalmo: Salua me ex ore leonis, & de cornibus vnicornium humilitatem meam. Narrabo nomen tuum fratribus meis; in medio Eccleſiæ laudabo te. Et anima mea illi viuet, & ſemen meum ſeruiet ei. In poſteriori verò: Ego ſum pauper & dolens, ſalus tua Deus ſuſcepit me. Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude. At multo etiam clariùs de eadem re loquitur Pſalmus 40. Aduerſum me loquebantur omnes inimici mei, aduerſum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me; ſed numquid qui dormit, non adijciet vt reſurgat? Etenim homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. Tu autem Domine miſerere mei, & reſuſcita me, & retribuam eis. *Iſai. 53.*

Deus bone, horret animus cogitare, quomodo huic peſſimæ nationi retribues (non longo tempore poſteaquam à morte reſurrexeris) crudelitatem illorum, qua te ignominioſæ ac duræ morti tradiderint. O Ieruſalem vrbium omnium ingratiſſimam, iuxtà ac impijſſimam! vtinam cognouiſſes & tu, quæ tibi ſunt euentura non poſt multos annos! Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & cingent te vndique, & coangustabunt te, & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt: & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ, qua Deus te nunc tam clementer viſitat, per proprium & vnigenitum Filium ſuum. Vtinam ſaltem meminiſſes, atque intelligere ſtuderes figuram illam ac myſticam hiſtoriam, ex quarto Regum libro: vbi dicitur, quum multitudo quędam malorum puerorum illuderet

ret Eliſæo Prophetæ ſucceſſori meo, clamando poſt illum; Aſcende calue, aſcende calue; quòd reſpiciens maledixit illos in nomine Domini: egreſſique ſtatim duo vrſi de ſaltu lacerauerũt ex eis quadraginta duos pueros. In illa enim hiſtoria, & numerus Principum Romanorum notatur, qui venturi ſunt cum exercitu contra te; & quoto anno venturi ſunt, poſt reſurrectionem Domini IESV huius Chriſti tui: denique quidnam tibi, & quamobrem, facturi ſunt. Nunc autem abſcondita ſunt hæc omnia ab oculis tuis.

Sed redeamus, ô Domine IESV, ad declarandam ex Prophetis reſurrectionem tuã. In Pſal. 117. quem ſatis cõſtat de Meſſia conſcriptum eſſe, multa ſunt quæ ſpectant ad paſſionem tuam: vt illa; Impulſus euerſus ſum vt caderem: & Dominus ſuſcepit me. Et ita in ſequentibus verſibus: Caſtigans caſtigauit me Dominus: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes: & alia quædam. Sed nõ pauciora dicuntur ibidẽ de reſurrectione tua: vtpote; Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me. Non moriar ſed viuam, & narrabo opera Domini. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabibile in oculis noſtris. Hæc dies quam fecit Dominus; exultemus & lætemur in ea. Sed omnium clariſſimũ reſurrectionis tuæ teſtimonium extat in Pſal. 15. Prouidebã Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. Propter hoc lætatũ eſt cor meum, & exultabit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo. De quo loquitur ibi Patriarcha ſanctus Dauid? num de ſeipſo? Atqui is iam diu vidit corruptionem: ſepulchrum enim illius & oſſa corporis eius apud nos ſunt, vſque in hodiernum diem; carne eius longo tempore corrupta, in terramque redacta. Sed quum eſſet Propheta, & ſciret, quia iureiurando iuraſſet illi Deus, de fructu lumbi eius ſedere ſuper ſedẽ eius; prouidens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quòd is nec derelinquendus eſſet in inferno ſecũdum animã, quò à morte deſcendet, neque caro eius in ſepulchro corruptionẽ videret. Quòd ſi non videbit corruptionem, ergo ſtatim à morte cum anima ad vitam beatam atque immortalẽ reſurget.

Sed fortè quis deſiderat exacte cognoſcere, quanto tempore in morte manſurus, quoto die mortis ad vitam ſis rediturus. Ne hoc quidem etiam tacuerunt Prophetæ, vt de tantę rei veritate ac certitudine locus nullus relinqueretur dubitandi. Oſeas Propheta ſic ha- In tribulatione ſua manè conſurgent ad me. Venite & reuertamur ad Dominum: quia bet; ipſe percutiet & ſanabit nos; viuificabit nos poſt duos dies; in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius. Quomodo viuificabit nos Deus poſt duos dies, dieq́; tertia ſuſcitabit? Nimirum, per reſurrectionem tuã, quæ futura eſt die tertia mortis ac ſepulturæ tuæ. quia reſurrectio tua cauſa erit reſuſcitationis omnium noſtrûm, victoria cauſa ſalutis noſtræ. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regenerauit nos in ſpem viuam, per reſurrectionem tuam, ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, ac immarceſſibilem.

Addam his, ad plenam inſtructionem, vnam adhuc tantùm probationẽ ex Scripturis Propheticis. Quòd Ionas Propheta in ventre ceti fuit tribus diebus & tribus noctibus; figura eſt clariſſima, te in corde terræ futurum poſt mortẽ tuam tribus diebus & totidem noctibus, ac deinde reſurrecturum ad vitã æternam. Sed præſtat illam hiſtoriam admirabilem repetere, & explicare paulo altiùs, vt omnia ſint clariora & certiora. Ionas, ad prædicandũ Niniuitis iræ cæleſtis offenſam, Domino iubente dirigitur: ſed pręſcius, triſtem Prophetiam populi conuerſione vacuandam; nauem profugus, quæ Tharſim petebat, ingreditur. Sed nautis exorta tẽpeſtate turbatis, ſorte fluctibus datur; & faucibus ceti piſcis exceptus: atque beluã illæſum eructante depoſitum, tertia die terris refunditur. Sic habet hiſtoria & figura. Nunc myſterium hiſtoriæ, figuræq́; rem & vtilitatem videamus. Ionas iram Dei prædicaturus ad magnam Niniuitarum deſtinatur vrbẽ; dicturus; Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. Sic tu, Chriſte, ad magnam mundi totius miſſus es ciuitatem, vt diem ſalutis & præfinitum iudicij tempus annunties. Ionas nauem expetit; Dominus noſter IESVS Chriſtus Eccleſiam. Ionas fluctibus agitatur; Chriſtus mundi turbinibus exercetur. Niſi Ionas peſſumdetur, naufragę nauis periculũ nõ ſedatur; ſic & non liberatur Eccleſia, niſi Chriſti morte ſaluetur. Nautę dimiſſuri Ionam, tamen verentur, & dicunt; Domine, ne des ſuper nos ſanguinem innocentem. Quid ſi talis futura ſit Præſidis populi huius confeſſio? nempe, vt te ad ſæuam & pertinacem Iudæorum poſtulationem morti tradat, & manus tamen ſuas lauet, dicendo; Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius? Hoc res ipſa ſuo tempore meliùs declarabit. Ionas in oratione ſua dicit; Tolle Domine animam meam, quia melior eſt mihi mors quàm vita. Verè hoc tu quoque

dicere

dicere potes, IESV Chriſte; Melior eſt mihi mors quàm vita. Quia nimirum viuens vnam gentem ſaluare non potuiſti; morieris, & vniuerſus mundus vna tua morte ſaluabitur. Ita, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolùm manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ionam cetus piſcis excepit immerſum, ſed non attigit deuoratum: & quem malitia hominum perdidit, beſtia eſuriens cuſtodiuit: plenis viſceribus famem patitur, & in prædam quam abſorbuit, nihil ſibi licere miratur. Quis eſt iſte, qui intra auidos rictus aſſumi poteſt, conſumi non poteſt? cibus eſt, corruptio non eſt? traditur perditionis profundo, & ſeruatur ipſius mortis obſequio? Quis eſt iſte, qui vaſtiſſimos ſinus periculorum ingreditur; & ſub altitudine immenſa atque mortifera concluſus, vitali aëre paſcitur? & demiſſus in alienam rerum naturam, in vitę exilio cum vita peregrinatur: & mortis ſuperſtes annuntiat venturam mundi ſalutem? Profectò non eſt alius, quâ hic Dominus noſter IESVS Chriſtus: quem ſæua mors, inexplebilis bellua, in eſcam ſuam rapiet; & prædam ſuam captiua pertimeſcet. nam, etſi nouerit crucifixum; tamen, quem non meminerit reum, non poterit tenere captiuum: quia culpam non facit pœna, ſed cauſa. Quaſi ſolitum cibum in mundi origine proditum, cum ceteris hominibus deuorabit: ſed magnam cibi illius & ſingularem dignitatem præſocata cognoſcet. Hinc diuinus ſermo commemorat; Præcepit Dominus piſci, & euomuit Ionam in aridam. Nimirum præcipiet Deus beſtiæ, præcipiet morti ſemper eſurienti, præcipiet abyſſis & inferno, vt mundo reſtituant Saluatorem. Euomuit autem dicit, quia ex imis mortis viſceribus victrix vita remeabit; eamque ex imis inferni præcordijs perditio exulcerata reſtituet.

Ion. 2.

Videmus ergo in Prophetæ geſtis apertiſſimè præfiguratam, & mortem pariter, & reſurrectionem tuam. Generatio hæc praua & adultera ſigna à te frequenter cæleſtia poſtulat, non quidem vt credat, ſed potiùs vt hoc pacto perfidiam ſuam & incredulitatem obtegat. Quare digna eſt, cui non aliud abs te ſignum detur, quando tam multis magnisque miraculis iam editis non mouetur, quàm ſignum Ionæ Prophetæ, & miraculum hoc inauditum ac longe maximum futuræ reſurrectionis tuæ, poſt tres dies mortis præcedentis. Quod ſignum ſi non recipiant, vt futurum eſt, diuinæ iræ vindicta merentur penitus abſorberi. Ionas, quum tres dies in morte, in ventre ceti, mariſq; profundo fuiſſet, diuina virtute, vitæ reſtitutus, miraculum hoc venit prædicatum Niniuitis, ſimulque admonitum, vt, niſi intra quadraginta dies reſipiſcerent, diuina omnes vltione perirent. Crediderunt illi, qui numquam aliquid de eo audiuerant, ſigno Prophetæ, omnique prædicationi eius; ideoque interminatum exitum euaſerunt. Sic tu, Domine, reſurrectionem tuam tertio die a morte factam prædicabis nationi huic, per Apoſtolos tuos, vt ſi tantopere ſigna quærunt, ſignum agnoſcant ac recipiant ſignorum omnium maximum: ſimulque illis quadraginta pœnitentiæ annos præfiges, vt ſi velint, ſaluentur; ſin minus, perdantur. Non ſunt credituri; ideoque deteriores præuaricatores infeliciores ſunt Niniuitis. crediderunt illi ſeruo Dei, quem numquam viderant anteà: iſti Filio Dei, omnium Domino, fidem nolunt adhibere. illi crediderunt ſtatim primo ad illos aduentu Prophetæ; nec dies quidem quadraginta illis præfixos ad pœnitentiam expectare voluerunt: iſti nec tribus hiſce vel quatuor annis, quibus hactenus in perſona propria, nec totis quadraginta annis quibus illis prædicabis per Apoſtolos tuos, reſipiſcere ac ſe ad Deum conuertere volent. Quid ſupereſt igitur, niſi vt annis illis à reſurrectione tua quadraginta euolutis, ſeueriſſima extremaque Dei vltione omnes tandem prorſus extermineniur?

CHRISTVS. Satis nunc, ô Moyſes & Elia, de morte mea & reſurrectione diſſertum eſt: ſatis de toto Meſſiæ officio ac regno, à Deo ac Patre noſtro mihi donato, ex Lege & Prophetis à vobis diſputatum. Nunc habeo, quod iamdudum petiui, vt veſtro teſtimonio (quod non immeritò omnes tanti faciunt) quæ ego hactenus feci ac docui, quæque in poſterum etiam facturus ſum, palàm probentur: vt ſciant omnes, me à Deo eſſe, illoque auctore facere ac dicere omnia. Quamquam enim, quod hîc à me factum, ac dictum à vobis eſt, nunc pauciſſimi viderint & audierint; & hi ipſi, qui viderunt & audierunt, tres nimirum ipſi diſcipuli mei, quid viderint & audiuerint non intelligant, nec adhuc cupio vt palàm fiat, ſuo tamen tempore (dum completa fuerint quæ de morte mea inſtante ac reſurrectione dixiſtis, quumque idoneus erit mundus per operationem Spiritus mei vt hæc audiat) magnum apud omnes momentum habebit teſtimonium veſtrum: cum meminiſſe faciam tres iſtos eodem Spiritu meo, quæcumque hîc viderunt & audierunt, ad confirmationem veritatis, atque ad inſtructionem & conſolationem totius Eccleſiæ

fidelium-

fideliumque & electorum omnium. Ego quidem, vt ſcitis, teſtimonium ab homine non accipio, nec aliquo humano teſtimonio opus habeo; cùm ſatis clarum de meipſo queam teſtimonium perhibere, verumque ſemper eſt teſtimonium meum; quia ſcio vnde veni, & quò vadam: inſuper autem de me teſtimonium perhibeat, qui miſit me, Pater; cùm ſignis multis & prodigijs quæ facio in nomine eius, tum etiam proprio ſermone oris ſui, vt auditum fuit palàm in Baptiſmo meo, & nunc etiam mox audietur, vobis abſentibus, antequam hinc egrediar. Sed ad homines benè informandos vtilia admodum erunt hæc veſtra teſtimonia: vt nimirum, qui per mentis infirmitatem vno aliquo (quamuis per ſe maximo) teſtimonio, vel nullo pacto, vel non ſatis mouentur; illi tanta variorum teſtimoniorum nube vincantur: & queis non proſunt ſingula, multa iuuent. Valete igitur nunc, viri optimi; atque in pace abite, vnde huc veniſtis.

MOYSES. Vale Doctor vnice, atque interpres Legis & voluntatis Dei; vale Magiſter vitæ; vale norma rectiſſima omnis iuſtitiæ.

ELIAS. Vale Princeps & columen omnium Prophetarum; vale auctor cæleſtis ſapientiæ, ſummæ æternæque veritatis; vale ſol iuſtitiæ, lux mundi; vale medice vnice animarum noſtrarum.

MOYSES. Vale gloria plebis Iſraël, benedictum ſemen Patrum noſtrorum, quod conteret caput antiqui ſerpentis; vale deſiderium collium æternorum; vale ſalus hominum & gaudium Angelorum.

ELIAS. Vale Rex Gentium, & deſideratus earum, qui ſtas in ſignum populorum, quem Gentes deprecabuntur; vale lapis angularis, qui facis vtraque vnum; vale flos campi & lilium conuallium, qui totum mundum odore ſuauiſſimo nominis tui gratiæque perfundes.

MOYSES. Vale Emmanuel; vale Chriſte Fili Dei viui; vale ſplendor Patris & figura ſubſtantiæ eius; vale brachium Domini, virtus Dei, per quam facta ſunt omnia; vale Rex regum, & Domine dominantium.

ELIAS. Vale Rex gloriæ, Domine virtutum, fortis in prælio; vale pax noſtra, pacificator omnium quæ in cælo ſunt & in terra; vale ſpecioſe forma, præ filijs hominum: diffuſa eſt grana in labijs tuis; proptereà benedixit te Deus in æternum.

MOYSES. Vale Alpha & Omega, principium & finis omnis creaturæ; vale ſpeculum ſine macula, candor lucis æternæ; vale via, veritas, & vita; vale admirabilis Conſiliarie, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.

ELIAS. Vale Sancte ſanctorum, vncte Dei præ participibus tuis; vale qui Spiritum accepiſti, non ad menſuram, de cuius plenitudine omnes accepimus; vale Rex potentiſſime, Pontifex maxime, Propheta ſanctiſſime: vale iterùm atque iterùm, ô Paſtor bone, qui animam pones pro ouibus tuis.

CHRISTVS. Valete & vos, ſerui Dei excelſi; valete fideles diſpenſatores verbi ac myſteriorum eius; valete grauiſſimi teſtes operum omnium geſtorumque meorum, totiuſque doctrinæ & functionis meæ: valete, donec vos ipſe breui, totumque cœtum iuſtorum viſitarum veniam, impleamque ſpem longam & expectationem omnium: idque longè alius, quàm hactenus fui vel nunc ſum etiam, etſi me nunc in magna maieſtate videtis: vt vos tunc quoque longè alios faciam quàm nunc eſtis; nempe gloriæ meæ, lucis immortalis ſummæque diuinitatis participes.

MOYSES ET ELIAS SIMVL.

Amen, Amen: Benedictus Dominus in æternum. Fiat, fiat.

PETRI SIMONIS TILETANI
EPISCOPI YPRENSIS
DE
HAERESIOS
HAERETICORVMQ.
NATVRA
Tractatus.

CAPVT PRIMVM.
De vtilitate ac neceſſitate præſentis Tractatus.

Super Epiſt. D. Ioannis Tract. 2.

OMNIA quæ leguntur in Scripturis ſanctis, inquit Auguſtinus, ad inſtructionem & ſalutem noſtram intentè oportet audire; maximè tamen memoriæ commendanda ſunt, quæ aduerſus hæreticos valent plurimùm, quorum inſidiæ infirmiores quoſque & negligentiores circumuenire non ceſſant. Si illud numquam non faciendum eſt; obſeruare videlicet, ac memoriæ commendare, quæ in Scripturis ſanctis aduerſus hæreticos valent plurimùm; noſtro ſanè hoc infeliciſſimo ac planè furioſo ſæculo quàm diligentiſſimè faciendum eſt. Quo nimirum vſqueadeò ab hæreticis vndique infeſtamur, vt nullam ferè prouinciam, nullam vrbem, pagum aut vicum inuenire liceat, vbi virus ſuum non diſſeminauerint, ac etiamnum ſeminent ſtrenuè multoſque inficiant. adeò iam dementatæ ſunt hominum eorumque Chriſtianorum mentes. Taceo loca, in quibus, etſi non cuncta adhuc pro ſua libidine adminiſtrent, ſed vtcumque per ſuperiorem poteſtatem comprimantur, tamen ita præualent, vt vix trigeſimum vel etiam decimum quemque reperias integræ & ſinceræ fidei. Taceo ciuitates & regna, quæ nemine obſiſtente ſecuri poſſident, atque ex animi illic ſententia dominantur. Hucuſque iam proceſſit hominum eiuſmodi reproborum temeritas ac ſuperbia; vt nihil eos pudeat (quod Antichriſtum ipſum fortaſſe non auſurum affirmat Ambroſius) in arcanas etiam Diuinaſque litteras impudenter irrumpere; his locis manifeſtam vim inferre, illos prorſus infringere, alios omnino negare, omnia propemodum adulterare nouis & hactenus inauditis interpretatiunculis. Tantum abeſt, vt vereantur ſanctiſſimorum Pontificum & ſpectatiſſimorum veteris Eccleſiæ Patrum dignitatem auctoritatemque contemnere, vniuerſalium Synodorum decreta reijcere, Eccleſiaſticas maiorum traditiones ridere; & paucis, nihil agnoſcere, niſi quod pernicioſiſſimis ipſorum erroribus patrocinetur. Quibus erroribus ſuis, quidquid ad vitæ Chriſtianæ pietatem, quidquid ad veram fidem, quidquid ad puram & ſinceram religionem pertinet, auferre nobis

In fine lib. 2. De fide.

conantur:

conantur: vt patet ex doctrina eorum, de iuſtificatione, de bonis operibus, de votis Monaſticis, de ieiunio, de virginitate, de Sacerdotum cœlibatu, de libero arbitrio, Chriſtianaque libertate, & alijs infinitis. Quinimmò, ipſa Eccleſię Sacramenta, quæ velut vnica ſalutis præſidia, & vaſcula diuinæ gratiæ, Spiritus ſanctus nobis donauit, ab hominibus iſtis non ſolùm indigniſſimè omnia contaminantur & profanantur, verùm etiam complura in vniuerſum tolluntur, ac penitus exterminantur. Vſqueadeò noſtra hæc tempora (ordinante haud dubiè propter peccata noſtra Deo, ſecundum Scripturam illam; Eò 2. Theſſ. 2. quòd charitatem veritatis non receperunt, ideò mittet eis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.) ad extremam impietatem atque inſaniam hoc in genere deueniſſe meritò videri poſſunt.

Ob has cauſas, non poſſe non eſſe vtile duxi, Tractatum hunc de hæreſis hæreticorumque natura inſtituere. Et primùm quidem, ne per ignora procedamus, videndum eſt, quidnam ipſa hæreſios vox ſignificet: deinde, quæ doctrina verè poſſit & debeat hæretica appellari; ſiue, quo modo definiatur hæreticus; & poſtremò quæ ſit huius peſtis natura.

Quod ad primum illud attinet, notum quidem eſt, hæreſim vocem eſſe Græcanicam, ſed Latinæ Eccleſiæ vſu celeberrimo iam factam familiarem, vt iam Latina eſſe videatur. Eſt autem hæreſis Græcè ex interpretatione electionis dicta, inquit Tertullianus, De Præſcript. hæretic. cap. 6. qua quis, ſiue ad inſtruendam, ſiue ad ſuſcipiendam eam, vtitur. Ideò, inquit, & ſibi damnatum hæreticum dixit Apoſtolus, quia, in quo damnatur, ſibi eligit. Sic D. Hieronymus in quintum caput ad Galatas, ait: Hæreſis Græcè ab electione dicitur; quòd ſcilicet eam ſibi vnuſquiſque eligat diſciplinam, quam putat eſſe meliorem. Idem habet in tertium caput ad Titum, ſuper illud Apoſtoli; Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita. Et verè ſic eſt: quia namque hæreticus id ſequi mauult, quod ipſe ſuo ſenſu eligit, quàm quod ab Eccleſia traditur ad credendum; idcircò & illi adhæret quod elegit, & ab Eccleſiæ doctrina recedit.

Notandum autem, quòd nomen hæreſis olim non probroſum aut infame fuerit, vti modò eſt apud Catholicos; ſed honeſtum, commune, & quod nemo deteſtabatur. Vnde & Hieronymus ait, Philoſophi quoque, Stoici, Academici, Peripatetici, Epicurei, illius vel illius hæreſeos & ſectæ vocabantur. At poſteaquam homines ſui ſenſus amantes, cœperunt etiam in fide & religione Chriſtiana opiniones ſuſcitare, contraque communem Apoſtolorum doctrinam, ac totius Eccleſiæ Catholicæ ſenſum & ſententiam, pertinaciter diſputare, alijſque peruerſas hæreſes ſuas, delectus, affectationes, aſſertiones, electiones ſuas perſuadere; cœpit nomen hæreſeos in Chriſtiana religione malè audire, ac planè infame, deteſtabile, ac turpe haberi. Nam, vt in profanis & ſæcularibus diſciplinis liceat cuiq; id ſibi deligere, quod ei melius videatur; cùm tamen de fide Chriſtiana, cùm de noſtræ ſaluationis doctrina agitur, nulli optio datur aut libertas credendi vel opinandi quidlibet: hîc ſectam ſibi nullus eligere poteſt. ſed, quod in Euangelio ſcriptum, quod à ſanctis maioribus noſtris traditum nobis eſt, hoc tantùm ſectandum, hoc religioſè ſuſcipiendum eſt; hæc ſola noſtra eſt fides. Si quid addas, aut minuas, vel etiam mutes, hæreſis eſt; turpis, execranda, fugienda opinio eſt. Vbi verò, & in qua ſignificatione, Scriptura ſacra vtatur nomine hæreſis, ſtudioſis excutiendum relinquimus: admonet enim nos argumenti ſuſcepti ratio, ad vtiliora procedere; &, quidnam in Chriſtiana religione ſit hæreſis, aut hæreticum, definire.

CAPVT. II.

Quidnam ſit hæreſis, quid-ve hæreticum dicendum.

DIVVS Auguſtinus in libro De vtilitate credendi, ita inquit: Hæreticus eſt, vt mea fert opinio, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatuſque ſui gratia, falſas ac nouas opiniones, vel gignit, vel ſequitur. hoc eſt, vel primùm adinuenit, vel aſſentitur inuentis. Alius quiſpiam ſic ait: Hæreſim appello, non quemuis errorem, ſed peruicacem malitiam, alicuius commodi gratia, peruerſis dogmatibus turbantem Eccleſiæ tranquillitatem. Verùm, hæ deſcriptiones ſunt potiùs, ſeu notiones quædam, quàm exactæ definitiones hæreſios vel hæretici. Neque enim, vt quis ſit hæreticus, requiritur, vt vel commodi alicuius gratia, vel gloriæ etiam aut principatus cupiditate, in

erroneam aliquam aut falſam opinionem labatur: quamquam hoc vt plurimùm ita fiat; maximè ſi de hæreſiarchis loquamur, ſeu prædicantibus aut magiſtris hæreſeôn. Deinde, non ſtatim hæreticus eſt, quiſquis falſas ac nouas opiniones vel gignit, vel ſequitur: ſed, vt benè habet poſterior definitio, peruicax demum ac pertinax malitia facit hæreſim. alioqui diuus Cyprianus fuiſſet inter hæreticos collocandus, ſi errorem tantùm illum temporaneum & quaſi caſualem conſideres. Quæramus ergo plenam atque exactam hęreſeos definitionem.

Oportet in primis hæreticum, non in quauis diſciplina, ſed in doctrina Chriſtianę fidei ac religionis, errare. In Philoſophia naturali, in Logica, Iuriſprudentia, Medicina, opinare & luxuriare vt voles, quaſlibet ibi ſententias tuere mordicus; ridiculus & perabſurdus eſſe poteris, & nonnumquam etiam non parum, ſic opinando errandoque, peccare; hæreticus autem eſſe numquam poteris. Noſtra ſola diſciplina, Theologiam dico, facit hæreticum; ſi nouas in illa erroneaſque ſententias, proprio ſtetus ingenio, aut hauſto aliunde veneno, pertinaciter & contumaciter amplectaris. Et hoc ipſum indicat D. Auguſtinus, Quæſtione vndecima in Matthæum: Si enim, inquit, falſa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinę, quæ ad fidei pertinet ædificationem, hæreticus eſt. Vide eumdem, vigeſimoprimo capite Enchiridij, & vndecimo De fide & ſymbolo: Hæretici, inquit, de Deo falſa ſentiendo, ipſam fidem violant.

Neque tamen quiuis error in fide Chriſtiana ſtatim facit hæreticum, ſed is demum, vt iam modò inſinuauimus, cui coniuncta eſt pertinacia: nam, ſi illam ſubtraxeris, non poteſt in Chriſtiana religione tam grauis ac deteſtabilis error oboriri, qui ſuum quęat nomen ac naturam hæreſeos. Vnde Auguſtinus errantes Donatiſtarum filios, veritatis tamen ſtudioſos, excuſat ab hæreſi, Epiſtola centeſima ſexageſima ſecunda; qui ſententiam ſuam, quamuis falſam atque peruerſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt: præſertim quam non audacia præſumptionis ſuæ pepererunt, ſed à ſeductis atque in errorem lapſis parentibus acceperunt: quærentes enim cauta ſollicitudine veritatem, corrigi parati cum inuenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi. Et ſtatim poſteà, hęreticum ipſum odioſa ſuperbia tumidum, & peruicacia malæ contentionis inſanum, vocat. Et libro decimooctauo De Ciuitate Dei, capite quinquageſimoprimo: Qui, inquit, in Eccleſia Chriſti, morbidum aliquid prauumque ſapiunt; ſi correpti vt ſanum rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare pergunt, hæretici ſunt. Et capite ſexto, De vera religione: Tam diu ſuſtinetur peccatum aut error cuiuſlibet, donec aut accuſationem inueniat, aut prauam opinionem pertinaci animoſitate defendat. Et initio libri tertij de Trinitate, duo eſſe dicit, quæ in errore hominum difficillimè tolerantur; præſumptionem priuſquam veritas pateat, & cùm iam patuerit, præſumptæ defenſionem falſitatis. Sic D. Cyprianum ab hęreſi excuſat, quòd in errore non fuerit malitioſe pertinax: libro tertio contra Donatiſtas, capite tertio; vt mox latiùs declarabimus.

Capvt III.

In quo conſiſtat hæc pertinacia, quæ hæreticum facit.

Verum in quo (dicat aliquis) poſita eſt hæc pertinacia, ſine qua quiſquam hæreticus dici non poteſt? In eo videlicet (vt paucis dicamus) quòd quis veritati Chriſtianæ ſufficienter manifeſtatæ reſiſtere eligat: vt idem Auguſtinus auctor eſt libro quarto contra Donatiſtas, capite decimoſexto. Duodecim ſigna pertinaciæ vide apud Gerſonem, tomo primo. Et hoc eſt, quod iam ex libro decimooctauo De Ciuitate Dei citauimus. Similiter & illi ſunt pertinaces; quibus etſi Catholica veritas demonſtrata non fuit, tali tamen ſunt animo, vt etiamſi veritas eis oſtenderetur, nihilominùs inconcuſſe tenerent contrarium; neque vllis doctrinis aut monitionibus auſcultarent: vt idem Auguſtinus teſtatur, Quæſtione vndecima in Matthæum; Si, inquit, falſa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinæ, quæ ad fidei pertinet ædificationem, ita vt non quærentis cunctatione tentatus ſit, ſed inconcuſſe credentis atque omnino ſcientis opinione atque errore diſcordans, hæreticus eſt.

In quo loco obſeruandum eſt, vt Auguſtinus emendatè ac rectè legatur. nam exemplaria, quæ ego quidem vidi omnia, habent; Nec omnino ſcientis opinione: cùm manifeſtè

feſtè legendum ſit; Et omnino ſcientis opinione. Eſt enim ſenſus: Qui ſic eſt affectus, vt dicat; Quidquid mihi dicant, quaſcumque Scripturas aut rationes adferant, numquam tamen me à ſententia mea dimouebunt: credo ſiquidem inconcuſſè contrarium, & certò ſcio ita eſſe credendum. qui, inquam, ita ſecum cogitat, & in peruerſa opinione ſic eſt obfirmatus, quemadmodum nos in fide Catholica eſſe debemus; pertinax eſt & obſtinatus hæreticus.

Aduertendum eſt, inquit Ioannes de Turrecremata, quòd pertinacia non eſt tantùm iudicanda ex actu exteriori; vtputa, quòd ſolus reputetur pertinax, qui verbis, aut ſcriptis, aut factis, contra Catholicã veritatem reſiſtit; verumetiam videtur contumax cõtra apertam & prædicatam Catholicam veritatem, qui in Eccleſia latenter in errore diu perſiſtit, vel vſque ad mortem. Talis enim, cùm nouerit talem errorem eſſe damnatum per Eccleſiam, excuſari non poteſt per ignorantiam, cùm magis per obſtinatam malitiam perſiſtere in errore videatur. *Libro 4 Summa de Eccl. parte 2. cap. 16.*

Scholæ ad hunc ferè modum ſolent pertinacem deſcribere: Pertinax eſt, quiſquis veritati, quam ſcit aut animaduertit pertinere ad fidem Catholicam, diſſentit, aut illius contrario aſſentit. vel, ſi hoc ignoret, dum ſufficienter edoctus eſt de veritate pertinente ad fidem ſuo errori contrariam, nihilominus in errore perſeuerat; aut certè non curat nec quærit à Doctoribus de veritate edoceri, vbi & quando deberet. *...tiardus cap. 4. De hæretic.*

Non eſt, inquit alius, hæc bona pertinaciæ definitio; vt omnis & ſolus ille ſit pertinax, qui credit vel dubitat de illo quod nouit fidei Catholicæ aduerſari. Quia Auguſtinus, Epiſtola centeſima ſexageſima ſecunda, & in libro De vtilitate credendi, ſimiliter & contra Donatiſtas, de ijs loquitur, qui errorem Donatiſtarum à parentibus accipientes, non tamquam certam habebant: nec illa, quæ Catholica Eccleſia docebat, pro certis habebant, & ita diſſentiebant Catholicæ Eccleſiæ, neſcientes quæ eſſet: & hinc inde vacillantes, veritatem quærebant. & hos tamen non vult Auguſtinus numerari inter hæreticos. Vnde nos Auguſtini (vt putamus) veſtigia ſequentes, dicimus, in hoc eſſe pertinaciam in hæretico requiſitam; ſi quis errorem ſuum inconcuſſè credat: ita videlicet, vt fideles articulos fidei tenent; reijcientes omnes aliorum inſtructiones, ſaltem animi propoſito, quæ adferri poſſent contra illud dogma quod tenent. Sicut fides requirit aſſenſum firmum & conſtantem; quæ conſtantia in eo eſt, quòd ſine formidine de oppoſito, fidei aſſentiris: ita pertinacia in eo eſt, quòd ſine formidine de oppoſito erres; vel, cùm debeas credere, renuas: aut, ſi quis de articulo fidei ita dubitet, vt quidem dicat paratum ſe inſtrui, ſed habita ſufficienti inſtructione nolit aſſentiri fidei; ſed dicat, ſe non eſſe ſufficienter inſtructum.

Probari poteſt, in hoc eſſe pertinaciam, quæ facit hæreticũ; primò à ſimili. Ille ethnicus, qui audita prædicatione Pauli, ſcrutatur miracula, vitam & doctrinam Chriſtianam (ſicut Theſſalonicenſes in Actis Apoſtolorum) dummodò nondum ſufficienter probatum ſit, veram eſſe Pauli doctrinam; non eſt putandus eſſe infidelis contrariè, licet ea ratione infidelis ſit, quòd non habeat fidem. Sed, ſi paganiſmum ſuum ita teneret, vt nihil contra hunc admittere vellet, aut ſufficienter inſtructus fidem reijceret; tunc demum infidelitatis peccato reus teneretur. Sic de Iudæo cogitare poſſemus; qui adhuc infirmus obligatum ſe putat obſeruationibus & cærimonijs Legis Moyſi, de quo Paulus ad Romanos decimoquarto; & illo, qui firma fide, ſeu veriùs pertinaci opinione tenet, Legem adhuc eſſe obſeruandam.

CAPVT IIII.

Quando cenſeri quis debeat ſufficienter inſtructus; vt, niſi aſſentiatur, iudicetur hæreticus, quia pertinax.

SED alia hîc iam, & ea quidem maxima, oboritur quæſtio, quando quis cenſeri debeat eſſe ſufficienter inſtructus; ſeu quando ſatis ſuperque monſtretur aliquod dogma ad fidem Catholicam pertinere, aut illi eſſe contrarium: vt meritò pertinax haberi debeat, qui demonſtrationi eiuſmodi non acquieſcit.

Breuiter, quando oſtenditur, illud dogma aut apertè contineri in Scripturis, aut ex ijs euidenter deduci, vel ſaltem eſſe ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia vbique loco-

rum traditum, vel à generali Concilio, aut à Romano Pontifice, tamquam dogma fidei definitum. Certum eſt enim in primis ac indubitatum, quòd quidquid pugnat cum Scriptura ſacra, illud ſit falſum; & proinde hæreticus ſit, qui pertinaci illi opinioni adhæret. talis enim apertè ſe opponit Spiritui ſancto, qui eſt auctor & dictator Scripturæ. Vnde nullus vnquam hæreticus, quòd ego quidem ſciam, confeſſus eſt, doctrinam ſuam eſſe contra ſacram Scripturam: ſed omnes ex illa erroris ſui teſtimonia & confirmationem haurire conati ſunt. Et potius negarunt multi, eſſe aliquid Scripturam canonicam, quàm fateri maluerint, doctrinam ſuam canonicæ Scripturæ aduerſari.

Sed paulò maiori probatione in eo opus eſt, quòd hæreticam pertinaciam in eo ponimus, quod concordi Eccleſiæ totius traditioni contradicit. De hoc igitur Auguſtinus in primis: Si quid, inquit, tota per orbem credit Eccleſia, hoc quin ita credendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. Et capite decimo, De vtilitate credendi: Hæc eſt, inquit, prouidentia veræ religionis, hoc iuſſum diuinitus, hoc à beatis maioribus traditũ, hoc ad nos vſque ſeruatum; hoc perturbare velle atque peruertere, nihil eſt aliud, quàm ad veram religionẽ, ſacrilegam viam quærere. Et capite decimoſeptimo: Dubitabimus, inquit, nos in eius Eccleſiæ condere gremio, quæ vſque ad confeſſionem generis humani ab Apoſtolica Sede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtrà hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ. Et verè, nimiæ eſt impudentiæ, quòd quis exiſtimet, ſe ſolum plus ſapere, quàm totam Eccleſiam.

Epiſt. 118. ca. 5

Sic dicit, vltimo capite, De vnitate Eccleſiæ: Poſteaquam Donatiſtę furioſa pertinacia, vſque ad diſſenſionem ſacrilegam, contra totum orbem Chriſtianum contentione obſtinatiſſima perdurarunt, atque innotuit bonis Fidelibus, quos à Cæciliano alienauerat falſa criminatio; viderunt, ſe, ſi in illa communione perſiſterent, non iam de quodam homine, vel de quibuſdã hominibus, ſed de Eccleſia toto terrarũ orbe diffuſa, prauum habere iudicium: & maluerunt Chriſti Euangelio, quàm collegarum conſilio, credere. Vide eumdem Auguſtinum, capite quarto & quinto, contra Epiſtolam Manichæi; quæ vocatur Fundamentum.

Longè verò elegantiſſimè hanc rem declarat perdoctus & vetuſtus ſcriptor, Vincentius Lirinenſis, in aureo illo ſuo libello, aduerſus profanas hæreſios nouitates: vbi inter cetera ſic ſcribit, in principio; In ipſa Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, vt id teneatur, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc eſt etenim verè proprieque Catholicum; quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quę omnia verè vniuerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequemur autem vniuerſitatem hoc modo, ſi hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia: antiquitatem verò ita, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos maiores & Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: conſenſionem verò, itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium vel certè pæne omnium Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectemur. Hæc ille: quę in ſequentibus mira eruditione mentiſque oblectatione proſequitur. Poſt multa autem, verè & germanè Catholicum ita deſcribit, ex quo facilè per contrarium nouiſſe datur, quis ſit hæreticus: Quæ cùm ita ſint, inquit, ille eſt verus & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Eccleſiam, qui Chriſti corpus diligit qui: diuinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit; non hominis cuiuſpiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, nõ philoſophiam: ſed hæc cuncta deſpiciens, & in fide fixus & ſtabilis permanens, quidquid vniuerſaliter antiquitus Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognouerit; id ſolùm ſibi tenendum credendumque decernit: quidquid verò ab aliquo deinceps vno, præter omnes vel contra omnes Sanctos, nouum & inauditum ſubinduci ſenſerit; id non ad religionem, ſed ad tentationem potiùs intelligat pertinere.

CAPVT

CAPVT V.

Pertinax atque hæreticus cenſendus, qui Concilijs generalibus ſe non ſubmittit.

ALTERVM autem, quòd videlicet pertinax cenſeri interq́ue hæreticos numerari debeat, qui non ſubijcit ſe Concilijs generalibus, non multa probatione indiget; hoc priori ſuppoſito, quod iam nunc probauimus. Siquidem cùm generale Concilium exprimat ac repræſentet Catholicam & vniuerſalem Eccleſiam; conſequitur, eam fidem atque aſſenſum præſtandum eſſe definitionibus Conciliorum generalium, quæ vniuerſali debetur Eccleſiæ. Vide Hoſium, capite vigeſimoquarto, Confeſſionis Polonicæ: & Ioannem de Turrecremata, libro tertio Summæ, capite quinquageſimooctauo, & ſequentibus. Duorum nihilominùs prætereà teſtimonio idem confirmabimus, vnius puta ſummi Pontificis, alterius ſummi Imperatoris.

Primùm igitur magnus ille Gregorius Pontifex, libro primo Epiſtolarum, Epiſtola vigeſimaquarta, ingenue fatetur, ſe generalia illa quatuor prima Concilia (& ſimile iudicium eſt de alijs omnibus, quę Gregorium ſubſecuta ſunt) ſicut ſancti Euangelij quatuor libros, ſuſcipere & venerari. Et addit: Cunctas verò, quas præfata veneranda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo; quas venerantur, amplector. Quid ita, Gregori? Quia, inquit, dum vniuerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe, & non illa deſtruit, quiſquis prę́ſumit aut ſoluere quos religant, aut ligare quos ſoluunt. Quiſquis ergo aliud ſapit, anathema ſit. Hæc ibi, idemq́ue repetit libro ſecundo Epiſtolarum, Epiſtola decima.

Accipe nunc ſententiam religioſiſſimi Imperatoris Martiani: Iniuriam facit iudicio religioſiſſimæ Synodi (loquitur de Chalcedonenſi) ſi quis ſemel iudicata, rectè diſpoſita, reuoluere & publicè diſputare contendit. Cùm ea, quæ nunc de Chriſtiana fide ſtatuta ſunt, iuxta Apoſtolicas expoſitiones, & inſtituta ſanctorum Patrum, definita eſſe noſcuntur: verè impius atque ſacrilegus eſt, qui poſt tot Sacerdotum ſententiam, opinioni ſuæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippe dementiæ eſt, in medio & perſpicuo die lumen quærere. Quiſquis enim poſt veritatem repertam aliquid vlteriùs diſcutit, mendacium quærit. Hæc ille pijſſimus Imperator.

CAPVT VI.

Pertinacem atque hæreticum cenſendum, qui Romani Pontificis definitiones non admittit.

IAM de poſtremo articulo, quòd ex eo nimirum ſit quiſpiam pertinax & hæreticus iudicandus, quòd definitiones Romani Pontificis non recipit; non erit difficile hoc intelligere, ſi conſideremus Chriſtum peregrè profectum, nimirum ad Patrem ſuum in cælis, vnum vicarium ſuum ſummumq́ue Paſtorem in Eccleſia reliquiſſe, præcipientem ei (vt Marcus Euangeliſta teſtatur) vigilare, & ſedulò ſuper oues ſuas omnes intendere, vtrùm officium ſuum quiſque perſolueret; dantemq́; illi etiam claues ſiue regimen regni ſui. Ipſe namque illi oues ſuas in moribus & doctrina paſcendas, fouendas ac regendas, ter diligentiſſimè commendauit: atque hoc ipſo quoque oues alias omnes ad illum Paſtorem audiendum, pabulumq́ue ab eo accipiendum, obſtrinxit. Ne autem vel ipſe Paſtor de tanto ſuſtinendo onere deſperaret, vel ſuo oues Paſtori diffiderent; inſignem ac memorabilem Paſtori huic promiſſionem fecit: nempe, quòd rupes eſſet futurus planè immobilis, ſuper quam tam firmiter conſtrueretur Eccleſia, vt portæ inferi, hoc eſt, tribunalia, iudicia, principatus, & machinationes diaboli, & omnium ſectatorum eius, ei præualere nequirent. Qua etiam de cauſa Paſtorem hunc appellauit Petrum; vt ipſo eius nomine hæc Chriſti promiſſio in omnium oculos aureſq́ue ſtatim incurreret.

Vide Ioannē de Turrecremata, lib. 2. cap. 109. & ſequent.

Quàm verax autem eſſet iſta promiſſio, ſtatim oſtendi cœpit, quando petente diabolo à Deo Patre, vt omnes Chriſti diſcipulos perpetuò agitare, vexare, & cõcutere poſſet,

ne in vera religione manerent ſtabiles, ſed moucrentur omni vento doctrinæ, in aſtutia hominum, ad circumuentionem erroris, quemadmodum farina in cribro agitata paulatim florem omnem pollinemque amittit, tantumque viles remanent furfures: quo videlicet ita nomen Chriſti, à quo ſibi diabolus metuebat, eradicaretur ac prorſus tolleretur è memoria hominum: cùm, inquam, hoc à Deo Patre petente diabolo, mox orauit Chriſtus, vt fides Petri Apoſtoli non deficeret; illa via omnibus Chriſti diſcipulis & fidelibus eſt pulchrè prouiſum; ipſo videlicet Petro, ſummo Paſtore, confirmaturo ex Chriſti conſtitutione fratres ſuos. Nam, quod ait illi Dominus: Confirma fratres tuos, non tam eſt imperantis aliquid, vnde vel obedientia laudaretur, vel inobedientia puniretur (incerto interim manente euentu obedientiæ vel inobedientiæ) quàm ordinantis & inſtituentis, vt ſuos Petrus fratres in fide confirmet.

Hæc autem non pro Eccleſia dumtaxat, & ouibus tempore Petri viuentibus, dicta ſunt; ſed pro tota Eccleſia Chriſti in finem vſque ſæculi duratura: atteſtante id Chriſto; Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. vnde etiam ad Petri ſucceſſores Romanos Pontifices tranſeunt; vt illud compleatur, quod Apoſtolis dictum eſt: Ego vobiſcum ſum, omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi. Non enim putandus eſt Chriſtus Eccleſiæ & Fidelium ſuo tantùm ac Petri tempore curam habuiſſe, & nó illis quoque proſpexiſſe, qui poſt ſancti Petri tempora erant futuri.

Quando ergo quæcumque inferni portæ, maximè hæreſum errorumque, exurgunt turbantque Fideles; recurrendum eſt confeſtim ad Sedem Petri, & videndum, quid in ea ſedentes de propoſita fidei quæſtione definiant. Quod ſi obſeruemus, nullum erit erroris periculum. Sic D. Hieronymus, cùm vetuſto Oriens inter ſe populorum furore colliſus, indiſſciſſam Domini tunicam & deſuper textam, minutatim per fruſta diſcerperet, (ipſius verba loquor) & Chriſti vineam exterminarent vulpes, vt inter lacus contritos qui aquam non habent, difficilè, vbi fons ſignatus & hortus ille concluſus eſſet, poſſet intelligi, Petri cathedram, in qua tum ſedebat Damaſus Papa, ſibi cenſuit conſulendam; identidem clamitans, quando in tres partes ſciſſa Eccleſia, vnaquæque ad ſe illum rapere feſtinaret: Si quis cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Et; Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri, communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio: quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt: ſi quis in arca Noë non fuerit, peribit, regnante diluuio. Non noui Vitalem, Miletium reſpuo, ignoro Paulinum: quicumque tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.

Epiſtola ad Damaſum: Quoniam vetuſto, &c. Importuna.

Ad eumdé modum Bernardus Innocentio ſcribens, Epiſtola centeſima nonageſima, ſic habet: Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quęq; & ſcandala emergentia in regno Dei, ea præſertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimùm reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt; Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo quod ſequitur, à Petri ſucceſſore exigitur: Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Sic ille mellifluus Doctor. Poſſem complurium præterea ſanctorum Doctorum Patrumque teſtimonia ad huius rei comprobationem adſerre; ſed cùm res certa ſatis ac manifeſta euaſerit, paucis expediam.

Lib. 2. Retract. cap. 33. & 50.

D. Auguſtinus, cùm Pelagiana hæreſis Eccleſiam perturbaret, ad Innocentium, Zozimum, Cæleſtinum, Petri ſucceſſores, cum Synodo Africana confugit, eorumque definitione oppreſſit hæreticos. Neque antè fuit auſus Pelagium & Cæleſtium pro hæreticis habere, ac publicè vt tales traducere, quàm à Sede eſſent Apoſtolica condemnati. cùm verò illa eis anathema dixit; tum Auguſtinus aduerſus eos, tamquam hæreticos, agere & ſcribere cœpit.

Irenæus ſimiliter, quando in primitiua Eccleſia ritus celebrandi Paſcharis non minimum Fidelibus turbationis adſerret; Victori adhæſit, Romano Pontifici, illius ſciens ſententiam falli non poſſe. Cyrillus cum Cæleſtino Papa Neſtorium, Flauianus cum Leone Pontifice Eutychem, deſtruxerunt. Atque ita ſemper diligentia, auxilio, atque auctoritate Romani Pontificis, in fide Catholica confirmati ſunt Chriſtiani, & in finem vſque ſæculi certo certiùs firmabuntur.

Accedat nunc his omnibus vnus & alter etiam Romanus Epiſcopus. Maiores, inquit Innocentius Tertius, Eccleſiæ cauſas, præſertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem

dem referendas intelligit, qui eum, quærenti Domino, quem diſcipuli dicerent ipſum eſſe, reſpondiſſe notabit, Tu es Chriſtus, Filius Dei viui. &c, pro eo Dominum exoraſſe, ne deficiat fides eius. Sic ille. Eademque habent & Primus Innocentius & Pelagius. Et Agatho Pontifex, Sic, inquit, omnes ſanctiones Apoſtolicæ Sedis accipiendæ ſunt, tam- *Diſt. 19.*
quam ipſius diuina voce Petri firmatæ. Verùm, non deerunt fortè, qui Pontificibus iſtis *Capit. Sic.*
obijciant, id quod Phariſæi Chriſto Domino obiecerunt: Tu de teipſo teſtimonium perhibes; teſtimonium tuum non eſt verum. Quibus calumniatoribus meritò Pontifex idem reſpondeat, quod Chriſtus Phariſæis reſpondit: Etſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum; quia ſolus non ſum. Siquidem in hac re, cum Romanis iſtis Pōtificibus, ſunt omnes illi Patres, quos iam antè citauimus, & multò plures. eſt Dominus ipſe Chriſtus, qui pro illis orauit, vt non deficiat fides ipſorum; & promiſſionem eis dedit, quòd portæ inferi numquam aduerſus Eccleſiam ſuper eos fundatam eſſent præualituræ. Eſt denique cum ipſis Spiritus ſanctus; qui, merito huius Chriſti orationis, inducit eos in omnem veritatem.

Clarum eſt ergo ex iſtis, optimo iure cenſendum eſſe pertinacem hæreticum, qui ſummo Pontifici erroneam aliquam ſententiam condemnanti non credit; æquè vt qui vniuerſalis Eccleſiæ, vel generalis Concilij definitionem contemnit. Quandoquidem Eccleſia tota, quòd errare in fide non poſſit; non aliunde quàm à capite ſuo, Romano Pontifice, accipit. ipſum enim concernunt propriè promiſſiones illæ, quæ ſunt in Scripturis.

Capvt VII.

Exempla aliquot vocum pertinacis alicuius hæretici.

Qvod ſi quis verè pertinacis hæretici vocem audire deſiderat, audiat Caluinum, in admonitione quam de Eucharistiæ Sacramento ad VVeſtphalum ſcripſit: Mihi vero, inquit, adeò moleſtum non eſt, in Concilio Romano, cui præfuit Nicolaus Secundus, & Vercellenſi, quod auſpicijs Gregorij Septimi coactum eſt, damnatam fuiſſe quam ſequor doctrinam; vt mihi eo nomine plurimùm gratuler, quòd manifeſtus Dei hoſtibus & Antichriſtis ſemper exoſam fuiſſe video. Certe, eorum approbatio ſuſpectam quodammodò ipſi mihi redderet. Agnoſcis, Lector, in his verbis hominem verè hæreticum, & in reprobum ſenſum datum. Quocirca nihil te moueant, quę in Romanos Pontifices, Chriſti vicarios, & cuſtodes fidei Chriſtianæ, iactat conuitia. Proprium eſt enim errantibus, vbi veritate ſuperare nequeunt, ad maledicta conuerti; & cùm ſolidis rationibus ſunt deſtituti, prorumpere in blaſphemias. Aduerte potiùs, te longo antè tempore à Chriſto de his eſſe præmonitum: Si, inquit, patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domeſticos eius?

Audite ſimiliter, quid Lutheri os impudens euomat in hanc ſententiam: Si quo caſu, *In lib. De*
inquit, Concilium ſtatueret; minime omnium nos vellemus vtraque ſpecie potiri: immò *formula*
cum primùm in deſpectum Concilij vellemus aut vna aut neutra & nequaquam vtraque *Miſſæ.*
potiri; & planè eos anathema habere, quicumque auctoritate talis Concilij potirentur vtraque. Sic ille. Quid ſcribi potuit impudentius aut arrogantius? Quorſum audaciæ & amentiæ non proruperunt eiuſmodi. Dat alibi Lutherus conſilium, in Papæ Conciliorumque deſpectum; vt homo Chriſtianus, tempore Quadrageſimæ, carnibus veſcatur, non confiteatur, non ieiunet, nec ad Sacramentum Euchariſtiæ accedat: & ita ſecum cogitet; Ecce, quandoquidem hoc præcepit homo, Papa ſcilicet, ob idipſum non faciam: &, ſi non præcepiſſet, vellem tum facere. Faciam autem alio tempore, quo non præcepit, quando & quomodo mea libera voluntas me tetigerit. Diſce ex vno omnes. Hæc recenſeo, vt clarè videat quiſque in horum verbis hæreticam pertinaciam, & quàm longè abſint hæretici ab obedientia & humilitate, quam ſuis vbique commendat Chriſtus, & ſuo ipſe exemplo docuit.

CAPVT VIII.

Diuum Cyprianum numquam fuiſſe pertinacem, proinde nec hæreticum.

CLARVM autem ex iſtis euaſit, glorioſum Eccleſiæ Doctorem & Martyrem Cyprianum, numquam fuiſſe in ſua ſententia, tametſi erronea, pertinacem, proinde nec hæreticum; quando de rebaptizandis ijs, quos hæretici baptizauerant, agebatur, & falſam erroneamque ſententiam defendebat. Neque enim couſtabat tunc adhuc, vniuerſam Eccleſiam tum docere vel olim docuiſſe contrarium, maximè, cùm valde obſcuram redderet quæſtionem conſuetudo, priùs ab Agrippino Carthaginenſi Epiſcopo introducta, *In principio, & fine Epiſt. ad Quirinum.* qua ſe quoque tuebatur Cyprianus, ita ſcribens ad Iubaianum: Apud nos non noua aut repentina res eſt, vt baptizandos cenſeamus eos, qui ab hæreticis ad Eccleſiam perueniunt; cùm multi iam anni ſint & longa ætas, ex quo ſub Agrippino, bonæ memoriæ viro, conuenientes in vnum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerint. Verùm, vt Auguſtinus ait, conſuetudo illa, quæ poſt magnos dubitationis fluctus ad plenarij Concilij confirmationem perducta eſt, veriùs creditur per Agrippinum corrumpi cœpiſſe, quàm corrigi: libro ſecundo contra Donatiſtas, capite ſeptimo; & libro tertio, capite ſecundo & duodecimo. Primus enim omnium mortalium, inquit Vincentius Lirinenſis, contra diuinum canonem, contra vniuerſalis Eccleſiæ regulam, cõtra ſenſum omnium ſacerdotum, contra morem & inſtituta maiorum, rebaptizandum eſſe cenſebat.

Huius ergo Agrippini factum & conſuetudo, tempore Cypriani obſcuram ac dubiam fecit hanc quæſtionem, quæ de anabaptiſmo ſiue rebaptizatione tunc verſabatur. Ideo- *Lib. 3. contra Donatiſt. cap. 3.* que Cyprianum Auguſtinus à pertinacia ac hæreſios nota excuſat; quòd res, quæ tempore eius grandem in Eccleſia cõtrouerſiam habebat, nondum eliquatiſſima perſpectione diſcuſſa erat. Nouerat enim Cyprianus, ait, quantam Sacramenti profunditatem tunc omnis Eccleſia varia diſputatione verſabat, liberumq; faciebat quærendi arbitrium, *Lib. 3. c. 7.* vt examinata veritas panderetur. Et alibi idem Doctor; Nondum enim erat, inquit, diligenter illa baptiſmi quæſtio pertractata. Et rurſum alibi dicit, Cyprianum in obſcuriſſi- *Lib. 4. c. 6.* ma quæſtione laboraſſe; quia tunc plenarium de hac re Concilium nondum habebat Ec- *Lib. 1. c. 18.* cleſia. Atque alio adhuc loco; Reſtat, inquit, vt hoc de baptiſmo piè credamus, quod vniuerſa Eccleſia à ſacrilegio ſchiſmatis remota cuſtodit: in qua tamẽ ſi aliud alij, & aliud alij adhuc de iſta quæſtione ſalua pace ſentirent, donec vniuerſali Concilio vnum aliquid eliquatum ſincerumque placuiſſet; humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas vnitatis, ſicut ſcriptum eſt, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Qua enim abſente cetera inaniter habentur, eadem præſente quædam venialiter non habentur. Extant, inquit, beati Martyris Cypriani in eius libris magna documenta, vt ad illum iam veniam, de cuius ſibi auctoritate iſti (Donatiſtas intelligit) carnaliter blandiuntur, cùm eius charitate ſpiritaliter perimantur. Nam iſtis temporibus, antequam plenarij Concilij ſententia, quid in hac re ſentiendum eſſet, totius Eccleſiæ conſenſio confirmaſſet; viſum eſt ei, cum ſuis fermè octoginta Epiſcopis Africanarum Eccleſiarum, omnem hominem qui extra Eccleſiæ Catholicæ communionem baptizatus fuiſſet, oportere ad Eccleſiam venientem denuò baptizari. Quod non rectè fieri, tanto viro nimirum propterea Dominus non aperuit, vt eius pia & humilitas & charitas in cuſtodienda ſalubriter Eccleſię pace pateſceret: & non ſolum illius temporis Chriſtianis, ſed etiam poſtęris, ad medicinalem (vt ita dicam) notitiam ſignaretur. Cùm enim tanti meriti, tantæ Eccleſiæ, tanti pectoris, tanti oris, tantæ virtutis Epiſcopus, aliud de baptiſmo arbitraretur, quàm erat inquiſita diligentiùs veritas firmatura; multique eius collegæ, quamuis liquidò nondum manifeſtatum, id tamen tenerent, quod & præterita Eccleſiæ conſuetudo, & poſteà totus Catholicus orbis amplexus eſt; non ſe ille tamen à ceteris diuerſa ſentientibus ſeparata communione diſiunxit: & hoc etiam ceteris perſuadere non deſtitit, vt ſufferrent inuicem in dilectione; ſtudentes ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Hactenus Auguſtinus.

Cyprianus, in principio Cōcilij. Certe, patet hoc euidẽter ex illo Carthaginenſi Cõcilio, cuius hic Auguſtinus mentionẽ facit, vbi Cyprianus ita ad congregatos ibi Africę Epiſcopos loquitur: Supereſt, inquit, vt de

vt de hac ipſa re, quid ſinguli ſentiamus, proferamus; neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, ſi diuerſum ſenſerit, amouentes. Neque enim quiſquã noſtrûm, Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit; aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adegit, quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tamquam iudicari ab illo non poſſit, cùm nec ipſe poſſit alterum iudicare. Et in fine Epiſtolæ ad Iubaianum, vbi ſententiam ſuam latiſſimè apertiſſimeq́ue expreſſit; Hæc tibi, inquit, pro noſtra mediocritate reſcripſimus, frater chariſſime: nemini præſcribentes aut præiudicantes, quo minùs vnuſquiſque Epiſcoporum quod putarit faciat, habens arbitrij ſui liberam facultatem. Nos, quantum in nobis eſt, propter hæreticos, cum collegis & Coëpiſcopis noſtris non contendimus: cum quibus diuinam & Dominicam pacem tenemus; maximè cùm & Apoſtolus dicat: Si quis autem putatur contentioſus, nos talem conſuetudinem non habemus. Seruatur à nobis patienter & firmiter charitas animi, collegij honor, dilectionis vinculum, concordia Sacerdotum. Ita Cyprianus.

Hæc verba in Cypriani defenſionem adducit quoque beatus Hieronymus, in fine libri contra Luciferianos; & priùs alia quædam ex alijs eiuſdem ſcriptis, ita inquiens: Verùm, ſi voluerint hi, qui ab Hilario inſtituti ſunt, & oues ſine paſtore eſſe cœperunt, de Scripturis ea proferre, quæ beatus Cyprianus ob hæreticos non baptizandos in Epiſtolis ſuis reliquit: ſciant, illum hæc non cum anathemate illorum, qui ſe ſequi noluerunt, edidiſſe; ſiquidẽ in communione illorum permanſit, qui ſententiæ ſuę contraibant; ſed hortatum potiùs fuiſſe, propter Nouatum, & alias tunc hæreſes multas enaſcentes, ne quiſquam ab eo ſine damnatione erroris ſui reciperetur. Sermonem denique ſuum, quem ſuper hac re ad Stephanum Pontificem habuit, tali fine compleuit: Hæc ad conſcientiam tuam, frater chariſſime, & pro honore communi, & pro ſimplici dilectione protulimus; credentes etiam, tibi pro religionis tuæ & fidei veritate placere, quæ & religioſa pariter & vera ſunt. Ceterùm, ſcimus quoſdam, quod ſemel imbiberunt, nolle deponere, nec propoſitum ſuum facilè mutare; ſed, ſaluo inter collegas pacis & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud ſe ſemel ſunt, retinere. Qua in re, non vim cuiquam facimus, aut legem damus, quin habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuę arbitrium liberum: vnuſquiſque ſit præpoſitus, rationem actus ſui Domino redditurus.

Hæc ex D. Hieronymo, quibus eodem modo ab hæreſi Cyprianum excuſat, vt Auguſtinus: nimirum, quia in errore ſuo non fuit pertinax; non ſe ſeparans ab ijs qui contrarium ſentiebant, nec ſibi contradicentes à communione ſuſpendens; ſed, ſaluo vniuſcuiuſque iudicio, cum omnibus ex animo pacem cuſtodiens. Deinde (quemadmodum D. Auguſtinus ait) quia quæſtio illa, in qua errabat, non erat adhuc tunc temporis liquidò manifeſtata; neque eliquatiſſima perſpectione diſcuſſa. vnde nec fuit de illa quæſtione ſufficienter inſtructus ab aliter ſentientibus, vt meritò pertinax dici potuiſſet, quòd eis non acquieuit. Nam (vt pulchrè Vincentius Lirinenſis inquit) tanta veriſimilitudo fuit in ſententia D. Cypriani, tantaq́; Diuinæ legis oracula, ſed planè nouo ac malo more intellecta; vt mihi omnis illa conſpiratio nullo modo deſtrui potuiſſe videatur, niſi ſolam tanti moliminis cauſam, ipſa illa ſuſcepta, ipſa defenſa, ipſa laudata nouitatis profeſſio deſtituiſſet. Profectò probabilibus admodum rationibus, & ſacræ Scripturæ apparentibus teſtimonijs, munitam fuiſſe oportet Cypriani ſententiam: vtpote de qua ipſe quoque Auguſtinus dicere non vereatur; Profectò iſſem in eamdem ſententiam, niſi me ad dili- *Lib. 3. De Baptiſmo contra Donatiſt. c. 4.* gentiorem conſiderationem reuocaret tanta auctoritas aliorum, quos vel pares gratia doctrinæ, vel etiam fortaſſe doctiores, per tot gentes, Latinas, Græcas, Barbaras, & ipſam Hebræam, Eccleſia toto orbe diffuſa parere potuit, quæ ipſum quoque pepererat: qui mihi quoque nullo modo videri potuerunt fruſtrà noluiſſe iſtam ſententiam. Non quia fieri non potuit, vt in obſcuriſſima quæſtione veriùs pluribus vnus paucíve ſentirent; ſed, quia non facilè pro vno vel pro paucis aduerſus innumerabiles eiuſdem religionis & vnitatis viros, & magno ingenio & vberi doctrina præditos, niſi pertractatis pro viribus atque perſpectis rebus, ferenda ſententia eſt.

Sic idem Doctor, libro ſecundo contra Donatiſtas, capite quarto: Sanctus, inquit, Cyprianus tantò excellentior quantò humilior, qui documentum Petri ſic amauit, documentum ſcilicet nobis concordiæ & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ à fratribus & collegis vtiliter & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſunt vera & legitima, ipſa potiùs noſtra ducamus. Satis oſtendit, facilè ſe correcturum fuiſſe ſententiam

ſuam,

ſuam, ſi quis ei demonſtraret, Baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab iis qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit cùm foras exirent. Nec nos ipſi tale quid auderemus aſſerere, niſi vniuerſæ Eccleſiæ concordiſſima auctoritate firmari. Cui & ipſe ſine dubio cederet, ſi iam illo tempore quæſtionis huius veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur. Si enim Petrum collaudat & prædicat ab vno poſteriore collega patienter concorditerque correctum; quanto citiùs ipſe cum concilio prouinciæ ſuæ, vniuerſi orbis auctoritate veritate pateſacta ceſſiſſet? Quia profectò & vni verum dicenti & demonſtranti poſſet facillimè conſentire tam ſancta anima, tam pacata. Et fortaſſe factum eſt, ſed neſcimus. Neque enim omnia, quæ in illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriæ litteriſque mandari potuerunt, aut omnia quæ mandata ſunt nouimus. Sic itaque D. Auguſtinus. Qui, quod factum eſſe de Cypriano neſcire ſe dicit, Hieronymus profectò de aliis Cypriani collegis ſcire ſe profitetur, ita ſcribens, in fine libri, contra Luciferianos: Conatus eſt B. Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena: & idcircò hæreticorum baptiſma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ vrbis Epiſcopum, qui à beato Petro vigeſimus ſeptimus fuit, ſuper hac re Africanam Synodum direxit: ſed conatus eius fruſtrà fuit. Deinde illi ipſi Epiſcopi qui rebaptizandos hæreticos cum eo ſtatuerant, ad antiquam conſuetudinem reuoluti, nouum emiſere decretum: nimirum poſteaquam Cyprianus migrauit ad Dominum. Nam ſi veritas ipſi tam benè, quàm eius Coëpiſcopis, qui priorem ſententiam reuocarunt, declarata fuiſſet; proculdubiò, vnà cum eis errore ſuo cognito & damnato, libentiſſime perſpicuæ veritati ceſſiſſet, vt iam antè Auguſtinus oſtendit.

CAPVT IX.

Obiectionis contra apologiam pro D. Cypriano ſuſceptam manifeſta veráque dilutio.

SED iam nos fortaſſe quiſpiam eiuſmodi argumento conueniat: Dixiſti ſuperiùs, meritò habendum eum pertinacem hæreticum, qui Romani Pontificis ſententiæ contradicit; idque multis cùm rationibus, tum ſanctorum Patrum teſtimoniis confirmaſti: inter quæ eſt & illud Hieronymi de Romano Pontifice: Quicumque tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Atqui Cyprianus ſententiæ Pontificis Stephani repugnauit, nolens recipere quę ille docebat de non rebaptizandis hæreticis; igitur verè pertinax in errore fuiſſe videtur, ac proinde hæreticus.

Reſpondeo breuiter, licitum eſſe citra hæreſim non conſentire ſententiæ Romani Pontificis, quando vt priuata perſona, vel vt particularis ſuæ diœceſis Epiſcopus agit. hoc eſt, quando Pontifex interrogatus de aliqua quæſtione, vel non interrogatus, motu proprio, ſuum de illa iudicium ſcribit; non quidem illud tradens vt dogma fidei, aut neceſſitatem cunctis imponens ſimiliter ſentiendi, ſed permittens aliis ſuum iudicium. Quod frequentiſſimè feciſſe Romanum Pontificē in Decretis legimus. Immò hoc modo Romanus etiam ipſe Epiſcopus errare, vt quiuis alius, & perperàm iudicare, atque adeò quoque quod hæreticum ſit, ſentire poteſt: quamquam nondum quis facile eius rei (quod equidem ſciam) exemplum inueniat.

Sed illud conſtat, quoſdam Pontifices ſcripſiſſe, verum eſſe matrimonium, quod quis cum alia contrahit & conſummat, viuente adhuc priore vxore, cum qua rem nō habuerat: vt teſtis eſt Alexander, titulo De ſponſa duorum, capite Licet. & Cæleſtinus docuit, Fidelium matrimonium per alterius hæreſim poſſe diſſolui: auctore Innocentio, titulo De diuortiis, capite Quanto. Verùm iſta, & ſi quæ ab aliis id generis definita, ſeu potiùs ſimpliciter dicta & ſcripta ſunt; non dixerunt hoc Pontifices illi propriè vt Petri ſucceſſores, ſed vt priuati homines, ſimiles nobis; æquè vt nos erroribus & tentationibus diaboli ad quæuis peccata ſubiecti, ſi priuatam illorum perſonam ſpectes, nullamque à Chriſto peculiarem promiſſionem habentes.

At quando fidei negotium agitur, & exigitur à Romano Pontifice, vt fratres ſuos in fide confirmet, illeque poſt multam & ſeriam diſcuſſionem cum Cardinalibus, Epiſcopis aliis, ac Doctoribus, aliquid tamquam dogma fidei credendum proponit, vel vt hæreticum dogma fugiendum denuntiat, ac toti Eccleſiæ ſententiam ſuam amplectēdam proponit

ponit ac pręcipit; tunc numquam errabit. vnde, qui tunc illi non credit, meritò pertinax & hæreticus iudicatur.

At non ita agebant Stephanus & Cornelius tempore Cypriani: neque enim præcipiebant Cypriano Apoſtolica auctoritate, vt crederet & doceret, non eſſe rebaptizandos qui erant ab hæreticis baptizati: non minabantur excommunicationem vel ſeparationem ab Eccleſia, ſi in ſua ipſe ſententia conſtans perſiſteret: ſed tantummodò ſuam illi ſententiam explicabant; non audentes adhuc contrariam Afrorum ſententiam tamquam hæreticam condemnare. Celebrauit quidem Cornelius Romæ Concilium, vbi ipſe & ceteri omnes per Italiam Sacerdotes, Cypriani & Africani illius Concilij ſententiam refutarunt: attamen, vt inquit Euſebius, manente ſacerdotali concordia; hoc eſt, non ſeparantes à communione ſua Cyprianum & ceteros Africanos Epiſcopos, qui diuerſum ſentiebant; ſed relinquentes eos pacificè in ſententia ſua, donec certum & manifeſtum aliquid inuentum ac definitum eſſet. Vide de his Euſebium, libro ſeptimo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, capite ſecundo.

Capvt x.

Vtrùm error ſaltem ille Cypriani, verè hæreſis fuerit.

Sed eſto, inquies; non fuerit hæreticus Cyprianus, vt verè non fuit: quæri poteſt tamen, an ſaltem defenderit hæreſim; hoc eſt, an error ille, quem pro ſua cum multis collegis ſententia tuebatur, verè hæreſis fuerit. Ad hoc dico, videri mihi (etſi non me lateat aliquos diuerſum ſentire) Cyprianum nec hæreticum vmquam fuiſſe, nec hæreſim defendiſſe: quemadmodum Iacob Liæ, non ſuæ vxori, coniunctus; nec adulter fuit, nec adulterium commiſit. Nam, quemadmodum vt actus aliquis ſit adulterium, requiritur vt ſit voluntarius; ita ad eſſentiam opinionis alicuius quæ ſit hæreſis, requiritur vt coniunctam habeat pertinaciam. Et apparet mihi, omnem illum hæreticum eſſe, qui hæreſim amplectitur; quemadmodum è contrario, nemo hæreticus eſt, niſi qui hæreſim aliquam amplectatur: ita, vt cognita definitione hæreſis, eo ipſo ſtatim ſciatur, quis ſit hæreticus; & contra. Vide Canum in libro duodecimo De locis Theologicis. Et benè hoc declarat Caietanus, in ſecundam ſecundæ D. Thomæ, qu. 11. articulo 2. licet aliud ſenſiſſe videatur, in primam partem ſcribens, qu. 32. articulo 4.

Sed obijci poſſet: Donatiſtæ poſteà nihil aliud ſenſerunt circa Baptiſmum, quàm quod antè ſenſerat Cyprianus; cumque error illorum verè fuit hæreſis, qua ratione adhuc B. Cyprianum excuſamus? Reſpondendum; eodem argumento ſimiliter probari poſſe, Cyprianum ipſum fuiſſe hæreticum: quandoquidem Donatiſtæ ab eodem illo errore ſunt dicti fueruntque verè hæretici, quem priùs Cyprianus tenuerat. Sed reſponderent hîc Philoſophi breuiter, eumdem errorem fuiſſe in ſancto Cypriano materialiter, ſed non formaliter. Nam eamdem quidem ſecundùm rem opinioné tenuerunt D. Cyprianus & Donatiſtæ; ſed alio modo hi opinionem illam tenuerunt, alio ille. Iſti ſiquidem contumaciter, & pertinaciſſima animoſitate, poſt apertam definitionem generalis Concilij adhæſerunt illi opinioni: ille verò non ſic. Nam ſi plenario aliquo Concilio, res, quæ Cypriani temporibus obſcuriſſima erat, determinata fuiſſet; libenter ille ſuæ opinioni ceſſiſſet: qui etiam cum ſibi contradicentibus Sacerdoribus, concordiam, vnitatem & pacem, ſtudioſiſſimè ſemper coluit. Donatiſtæ verò, vſqueadeò in errore ſuo pertinaces fuerunt, vt vniuerſalis Nicenæ Synodi reiecta ſententia, ſuperbiſſimè ſe ab illorum omnium, qui vbique terrarum generalis Concilij ſententiam ſequebantur, communione ſeparauerint; ſoli volentes nouam quamdam Eccleſiam conſtituere. vnde illorum error ſummo iure hæreſis fuit iudicatus & habitus. Cypriani verò error, licet in re idem fuerit; quia tamen coniunctam non habuit pertinaciam (quæ eſt veluti differentia conſtituta, vel ſaltem propria paſſio hæreſios) non fuit error hæreticus, neque hæreſis potuit appellari. O rerum, inquit Vincentius Lirinenſis, mira conuerſio! Auctores euſdem opinionis Catholici, conſectatores verò hæretici, iudicantur. Abſoluuntur magiſtri, cõdemnantur diſcipuli. Conſcriptores librorum, filij regni erunt; aſſertores verò gehenna ſuſcipiet. Nam, quis illud ſanctorum omnium & Epiſcoporum & Martyrum lumen, beatiſſimum Cyprianum, cum ceteris collegis ſuis, in æternum dubitet regnaturum eſſe cum Chriſto? Aut, quis contrà tam ſacrilegus, qui Donatiſtas & ceteras peſtes, qui illius

S ſ auctori-

auctoritate Concilij (Carthaginenſe putat, quod Cyprianus coëgerat) rebaptizare ſe iactitant, in ſempiternum neget arſuros eſſe cum diabolo? Sed pro ſanctiſſimi Martyris Cypriani purgatione, plus ſatis.

CAPVT XI.

Dilutio obiectiunculæ alterius, ex Innocentij verbis deſumtæ.

RESTAT nunc alia quædam obiectiuncula breuiter diluenda, quam verba Innocentij ſuppeditare videri poſſent. Innocētius Tertius, titulo De verborū ſignificatione, capite Super, declarans ex profeſſo, quinam dicendi ſint manifeſti hæretici, nullam facit pertinaciæ mentionem; non videtur ergo illa requiri ad hoc, vt aliquis verè dici poſſit hęreticus. Reſpondetur, quòd ab Innocentio non quærebatur, quiſnam verè & propriè eſſet hæreticus; ſed quęrebatur dumtaxat, de euidentia & manifeſtatione hæreſis: quiſnā videlicet pro manifeſto hęretico habēdus eſſet. Idcircò Innocentius de exacta hæretici definitione tacēs, (quia non pertinebat hoc ad eius inſtitutū) tantùm inſinuauit, quis dicendus eſſet apertus & manifeſtus hæreticus; in hæc verba: Tua deuotio poſtulauit à nobis, qui ſint dicendi hæretici manifeſti: ſuper quo tibi duximus reſpondendum, illos intelligendos eſſe manifeſtos hæreticos, qui contra fidem Catholicam publicè prædicant, aut profitentur, vel defendunt eorum errorem, vel qui coram Prælatis ſuis conuicti ſunt vel confeſſi, vel ab eis ſententialiter condemnati ſunt ſuper hæretica prauitate.

CAPVT XII.

Vtrùm ſit cenſendus hæreticus, qui Scripturæ ſacræ contradicit.

SI quis forſan adhuc ſcrupulum habeat, vtrùm hæreticus cenſendus ſit, quicūque contradicit ſacræ Scripturę, illive non per omnia aſſentitur: vt, exempli gratia, ſi quis negaret, Tobiæ canem fuiſſe caudatum; Dauid eſſe filiū Ieſſe ſiue Iſai; Eſau hiſpidum & piloſum fuiſſe; Chriſtum ſediſſe ſuper fontem Iacob; Andream fratrem fuiſſe Simonis Petri, &c. reſpondet, & nō malè, Ioānes de Turrecremata, quòd, licet omnes veritates contentę in ſacra Scriptura, tā illæ, quas omnes Fideles explicitè credere tenentur, quàm alię plurimæ, quas non omnes Fideles credere tenentur, ſint veritates Catholicæ; non tamen eſt notum omnibus, omnes illas eſſe veritates Catholicas: nec hoc ſcire tenentur, præter ea quæ ad articulos fidei pertinent; ſed tantum tūc, cùm oſtenditur eis, in ſacra Scriptura contineri. Dicendum igitur, omnes, qui pertinaciter aliquid tenent, quod eis conſtat contrarium eſſe dictis ſacrę Scripturę, quodcumque ſit illud, eſſe verè hęreticos. Secùs autem eſt, cùm quis ſine pertinacia tenet contrarium huius, quod in ſacra Scriptura continetur, de numero eorum quæ explicitè credere non tenetur; neſciēs quòd oppoſitum eius quod tenet, in ſacra Scriptura contineatur. Hactenus auctor ſuprà nominatus. qui ſua deſumſiſſe videtur ex D. Thoma, in quartum Sententiarum, diſtinct. 13. qu. 2. art. 1. ad 6. vbi ſic habet: In fide ſunt aliqua, ad quæ explicitè cognoſcenda omnis homo tenetur: vnde, ſi in his aliquis errat; infidelis reputatur & hæreticus, ſi pertinaciam adiungat. Si autem ſunt aliqua, ad quæ explicitè credenda homo non tenetur; non efficietur hæreticus in his errans: vt, ſi aliquis ſimplex credat, Iacob patrem fuiſſe Abrahæ; quod eſt contra veritatem Scripturæ, quam fides profitetur: quouſque hoc ſibi innoteſcat, quòd fides Eccleſiæ contrarium habet. Quia non diſcedit, per ſe loquendo, à fide Eccleſiæ, niſi ille qui ſcit, hoc, à quo recedit, de fide Eccleſiæ eſſe.

Lib. 4. Sūmæ cap. 15.

Ad eumdem modum ſcribit in 1. parte, quæſt 32. art. 4. Ad fidem, inquit, pertinet aliquid dupliciter: vno modo directè, ſicut ea quæ nobis ſunt principaliter diuinitus tradita, vt, Deum eſſe trinum & vnum: Filium Dei eſſe incarnatum, & huiuſmodi. Et circa hæc opinari falſum, hoc ipſo inducit hæreſim, maximè ſi pertinacia adiungatur. Indirectè verò ad fidem pertinent ea, ex quibus conſequitur aliquid contrarium fidei: ſicuti, ſi quis diceret, Samuelem non fuiſſe filium Helcanæ. Ex hoc enim ſequitur, Scripturam diuinam eſſe falſam. Circa huiuſmodi ergo, abſque periculo hæreſis, aliquis falſum poteſt opinari, antequam conſideretur vel determinatum ſit, quòd ex hoc ſequitur aliquid contrarium fidei: & maximè, ſi non pertinaciter adhæreat. Sed poſtquam manifeſtum eſt,

& præ-

& præcipuè ſi ſit per Eccleſiam determinatum, quod ex hoc ſequitur aliquid contrarium fidei; in hoc errare, non eſſet abſque hæreſi. Et propter hoc, multa nunc reputantur hæretica, quæ priùs non reputabantur, propter hoc quòd nunc eſt magis manifeſtum, quid ex eis ſequatur. Hactenus D. Thomas.

Et certe, hæc doctrina videtur eſſe ex D. Auguſtino deſumta, in hûc modum aduerſus Donatiſtas loquente, libro ſecundo De Baptiſmo, capite tertio: Quis neſciat, inquit, ſacram Scripturam canonicam, tam veteris quàm noui Teſtamenti, certis ſuis terminis contineri; eamque omnibus poſterioribus Epiſcoporum litteris ita præponi, vt de illa omnino dubitari & diſceptari non poſſit, vtrùm verum vel vtrùm rectum ſit, quidquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit? Cui ſimile eſt, quod alibi habet: Extat auctoritas diuinarum Scripturarum, vnde mens noſtra deuiare non debet, nec relicto ſolidamento diuini eloquij, per ſuſpicionum ſuarum abrupta præcipitari. *Lib. 3. De Trinit. cap. 11.*

Profectò Origenes idcircò iudicatus eſt hæreticus, inter cetera, quòd negaret, in paradiſo verè arbores fuiſſe, & flumina; ſed cuncta allegoricè ibi eſſe dicta contenderet; teſtibus Auguſtino & Epiphanio.

Iam ergo ex dictis certam & apertam colligamus definitionem hæretici, hoc pacto: Hæreticus eſt, qui circa doctrinam & fidem Chriſti ita pertinaciter errat, vt docentem aduerſus errorem ſuum audire nolit; vel, ſi ſe dicat paratum audire, ſatis tamen demonſtrata veritate, nihilominus in errore perſiſtit. Quòd ſi quis obijciat, D. Auguſtinum in Præfatione libri De hæreſibus ad Quoduultdeum, aſſerere, quid hæreticum faciat, aut omnino non poſſe, aut difficillimè poſſe, regulari quadam definitione comprehendi: reſpondeo breuiter, non ire inficias Auguſtinum, quin ex Eccleſiæ definitione, vel Scripturæ ſacræ euidentia, facilè ſcire poſſimus, aliquem ob certum articulum eſſe hæreticum; ſed quòd difficillimè diiudicari poſſit in multis articulis, quos Eccleſia clarè non definiuit, quis hæreticum faciat aliquem, quis non.

Diſtinguit præterea diligenter idem Eccleſiæ Doctor, credentes hæreticis, ab hæreticis ipſis. Nam, credentes hæreticis, ſecundùm ipſum, ſunt, qui ante plenam oſtenſionem veritatis, quadam pietatis & veritatis imaginatione decepti, credunt falſa de religione Chriſtiana; non inconcuſſè tamen & pertinaciter, ſed parati admittere inſtitutionem meliorem. Sic ille, initio libri De vtilitate credendi.

CAPVT XIII.

An is qui de fide Catholica ſolummodò dubitat, ſit inter hæreticos recenſendus.

PROXIMVM nunc eſt, vt oſtendamus, vtrùm is inter hæreticos ſit computandus, qui de fide Catholica tantummodò dubitat. Ad quam quæſtionem facilè reſpondeat is, qui diligenter expendit, qualem oporteat eſſe fidem, vt meritò fides dici poſſit. Nam vt aſſenſus aliquis fides appellari & eſſe poſſit, certitudinem & firmitatem habeat coniunctam oportet. Si enim quis non fide & certò aſſentiatur, non fidem ſed aſſenſionem habere dicendus eſt. Nam hac ſola ratione fides ab opinione ſeparatur, quòd pro certo habeat is, in quo eſt fides, id quod credit, nec aliqua ratione adduci poſſit, vt oppoſitæ parti aſſentiatur: qui verò aliquid opinatur, ita amplectitur ſententiam ſuam, vt aliquantulum hæſiter, nec plena voluntate aſſentiatur; vtpote aliquam habens formidinem, ne fortè oppoſita ſententia ſit vera.

Vnde Fulgentius in libro De fide ad Petrum, vbi tradit regulam fidei, ad ſingulos fidei articulos clamat: Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites. Et in penultimo libri eiuſdem capite: Hæc, inquit, quadraginta capitula (eadem autem eſt ratio de quibuſuis alijs articulis fidei) fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende. Et D. Athanaſius ita Symbolum fidei ſuæ & totius Eccleſiæ finit: Hæc eſt fides Catholica; quam niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit, ſaluus eſſe non poterit.

Ex quibus manifeſtè colligitur, eum, qui de aliquo articulo fidei dubitat, minimè habere fidem illius articuli. Cùm autem fides ſit virtus integra, vt loquuntur Theologi; conſequitur, eum, qui non amplectitur fide vnum articulum ad fidem pertinentem, ſimpliciter non habere fidem; & proinde infidelem & hæreticum eſſe. Quemadmodum non

eſt iuſtus, qui vni aut alteri reddit quod debet, ſi vel vni alicui iniuriam faciat, eiuſque bona retineat. Eſt autem ſatis clarum, quòd nolle captiuari vt credas in ijs in quibus intellectum captiuare oportet in obſequium fidei, apertè ſit pugnare aduerſus fidem: atqui, eum, qui aperto Marte repugnat fidei, oſtendimus ſuperius eſſe hæreticum: quare hæreticus ſit oportet, quiſquis pertinaciter de ijs dubitat, quæ ad fidem ſpectant.

Et certè, hoc expreſſè ſcriptum reliquit Stephanus Pontifex ſummus, & Martyr, hiſce verbis: Dubius in fide, eſt infidelis. Vide titulum De hæreticis, capite Dubius. Et obſerua, dubios in fide, in hoc loco, eodem modo puniri, quo falſi dogmatis aſſertores. Admonet autem eo loco Panormitanus, illud Stephani dictum, ad eum eſſe referendum, qui pertinaciter dubitat: nam ſi quis ex quadam infirmitate dubitet (vt contingit, ſicut appellant, in primis motibus) non erit is mox hæreticus aut infidelis. Fit enim interdum, vt de ſumma Trinitate, de reſurrectione carnis, de Euchariſtia, & ſimilibus articulis fidei, quidam alicui ſcrupuli ſuboriantur, vt miretur, & quodammodò fluctuante ac dubia mente recogitet, an reuera ita res vt credimus habeat: at mox, auctoritate Eccleſiæ, & Scripturæ ſacræ, omni depulſa caligine ac dubitatione, animum in fide confirmat. Quis talem audeat, propter iſtos motus & ſcrupulos, hæreſeos accuſare? immò, quis non potiùs eapropter eiuſmodi viri conſtantiam in fide commendet, quòd ita videlicet oppugnatus, non reliquerit fidem; quòd dubitationum concuſſus fluctibus, non opprimitur tamen: nam hoc modo fides noſtra acuitur magis, & inuictior redditur.

Sic, ſi quis ex ignorantia dubitet, quia nimirum neſcit, hoc pertinere ad fidem Catholicam, paratus firmiter illud credere, cùm à Paſtore ſuo aut alio erudito rectè inſtructus fuerit, & de Chriſtiana fide certior factus; non poterit idcircò inter hæreticos deputari. Verùm, ſi tam pertinaciter dubitet, vt ſufficienter edoctus, firmiter aſſentiri nolit, iam hæreticus eſt, duplici ratione: tum quia de his dubitat, quibus integram & firmam fidem præſtare tenebatur, non credens id quod credere debet; tum quia Eccleſiam non audit monentem. Ex hoc enim ſuſpicio oritur, eum de Eccleſia opinari, quòd poſſit in fide errare.

CAPVT XIV.

Præcedentis capitis argumentum latiùs explicatur.

SED materiam hanc, de dubitationis in fide natura ac diuerſitate, paulo latiùs & per exempla lucidiùs proſequamur. Dominus, poſt reſurrectionem, ſecunda vice congregatis in cubiculo clauſo Apoſtolis apparens, inquit Thomæ; Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Ecce, hîc Dominus Thomæ notam infidelitatis impingit, quòd de ſua reſurrectione dubitauerit. Nam, quòd dubitauerit Thomas, conſtans eſt Doctorum ſententia. Gregorius ſuper hoc Euangelium: Numquid, inquit, caſu geſtum creditis, vt electus ille diſcipulus tunc deeſſet, pòſt autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? Non hoc caſu, ſed diuina diſpenſatione geſtum eſt. Egit namque miro ordine ſuperna clementia, vt diſcipulus dubitans, dum in magiſtro ſuo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera ſanaret infidelitatis. Et Cyrillus in eumdem locum: Præ gaudio, inquit, magis quàm infirmitate mentis dubitaſſe Thomam diximus: quoniam & de alijs dixiſſe Lucam non ignoramus; Adhuc autem non credentibus, ſed admirantibus præ gaudio. Verùm, cùm viſus omnem dubitationis cauſam tollat, rectè Thomas ſtatim clamauit; Dominus meus, & Deus meus. Hæc Cyrillus. Videmus itaque, Thomam ob ſolam dubitationis cauſam, à Domino infidelem atque incredulum fuiſſe appellatum.

Cùm Petrus ex Chriſti præcepto ſuper aquas ad eum iret, cœpiſſetque ſubmergi; dictum eſt illi à Domino: Modicæ fidei, quare dubitaſti? Quod exponens Theophylactus, ait: Non omnino dubitabat Petrus, ſed ſecundùm quid; hoc eſt, ex parte. Nam, iuxta id quòd dubitauit, incredulus fuit: iuxta id autem, quòd clamauit; Domine, ſerua me; curauit incredulitatem: ideoque paruæ ſeu modicæ fidei dicitur, non autem incredulus. Et Paulus, Abrahæ fidem commendans, ad Romanos, ait: In promiſſione Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide. Quibus verbis manifeſtiſſimè oſtenditur, eum, qui hæſitat, minimè habere fidem.

Obijci

Obijci prædictis, præter iam dicta, ſolet ex D. Hieronymo, cuius ſolutio rem omnem magis declarabit: quòd nimirum ipſe locis ex ipſo ſuprà citatis, hæreticum illum appellat, qui aduerſus Eccleſiam, eam ſibi fidem & diſciplinam eligit & ſequitur, quam putat eſſe meliorem. Atqui dubitans de fide nihil eligit, ſed ambigit adhuc, quidnam potius ſit eligendum: non videtur ergo eiuſmodi dicendus hæreticus; maximè cum hæreſis (vt ſuprà monſtratum eſt) ab electione dicatur. Sed paucis reſpondetur, negandam eſſe minorem: eligit enim talis, de Eccleſiæ definitione eſſe dubitandum; & incertú eſſe, an ſequendum ſit, quod ſequi oportere tamquam dogma fidei, Eccleſia Spiritu ſancto acta determinat. hæc auté electio facit eum hæreticum. Contrà verò; qui paratus eſt aſſentiri veritati, cùm eam inuenerit, non eſt hæreticus, ait Auguſtinus, Epiſtola centeſima ſexageſima ſecunda: ſed tales ſunt omnes in fide dubitantes, vt dicunt; ergo non ſunt hæretici. Ad hoc ſimiliter dicendum, falſam eſſe propoſitionem minorem. Qui enim pertinaciter dubitat (vt ſuperiùs declaratum eſt) talis non eſt paratus aſſentiri veritati, cùm eá inuenerit. Dicunt quidem omnes dubitantes, immò & alij plerique omnes hæretici, ſe paratos eſſe mutare ſententiam, cùm meliùs eos aliquis docere poterit; ſed mentiuntur. ſatis enim eis ab Eccleſia veritas declaratur, & aperitur quid ſit credendum: ſed veritatem volunt à ſeipſis diſcere, non ab Eccleſia, vel Paſtoribus ſuis; quos tamen Spiritus ſanctus poſuit, ad conſummationem ſanctorum, in ædificationem corporis Chriſti, vſque in finem ſæculi: vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, dubij, & hæſitantes in fide; & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, ad circumuentionem erroris.

Ergo, vt dixi, fides ambiguum non habet; aut ſi habet, fides non eſt, ſed opinio. Sunt verba Diui Bernardi, libro quinto De Conſideratione ad Eugenium, in principio. Qui alibi quoque, contra Petrum quemdam Abailardum diſputans; qui fidem æſtimationem definiebat; Quaſi, inquit, cuique in ea ſentire & loqui, quæ libeat, liceat: aut pendeant ſub incerto, in vagis & varijs opinionibus, noſtræ fidei Sacramenta; & non magis certa veritate ſubſiſtant. Abſit, vt putemus in fide vel ſpe noſtra, aliquid dubia æſtimatione pendulum; & non magis totum quod in ea eſt, certa ac ſolida veritate ſubnixum. Tu mihi ambiguum garris, quo nihil eſt certius. Sed D. Auguſtinus aliter: Fides, ait, non coniectando vel opinando habetur in corde in quo eſt, ab eo cuius eſt; ſed certa ſcientia, acclamante conſcientia. Academicorum ſint iſtæ æſtimationes, quorum eſt dubitare de omnibus, ſcire nihil. ego verò ſecurus in Magiſtri gentium ſententiam pergo: & ſcio, quoniam non confundar. Placet mihi, fateor, illius de fide definitio: Fides, ait, ſubſtantia rerum ſperandarum, non inanium phantaſma coniecturarum. Audis ſubſtantiam? Non licet tibi in fide putare, vel diſputare, pro libitu; non hac illacq; vagari per inania opinionum, per deuia errorum. Subſtantiæ nomine aliquid tibi certum fixumq́ue præfigitur; certis clauderis finibus, certis limitibus coarctaris. Hæc D. Bernardus. *Epiſt. 190.*

Quòd ſi dicas, ex Bernardo haberi, quòd peccet quidem & malè faciat, qui de fide dubitat; verumtamen non quòd ſit hæreticus iudicandus: reſpondetur, eum dicere, fidem non habere ambiguum; & ſi ambiguum habet, eo ipſo iam non eſſe fidem. Et D. Auguſtinus dicit; Quòd ſi tollatur aſſenſio (quæ vtique in dubitatione tollitur, qua dicit quis non eſſe illi dogmati firmiter ac certò aſſentiendum, ſed de eius veritate dubitandum) fides tollitur: quia ſine aſſenſione nihil creditur. Si ergo dubitans de fide, fidem non habet, hæreticus ſit & infidelis oportet: eo tamen ſenſu, quem circa pertinacię coniunctam notam explicauimus.

CAPVT XV.

Quàm grande peccatum ſit hæreſis, quantúque eius peruerſitas.

QVIA malum, quod ignoratur, vitari non facilè poteſt; eapropter non inutile fore iudicaui, ſummá hæreſeos & hæreticorú nequitiam, impietaté ac malitiam ob oculos ponere. Neque enim, qui nouit quidnam aliquem hæreticum faciat, vel quomodo definiatur hæreticus, (id quod iam ex prædictis cognouimus) is quoque ſtatim intelligit omnem hęreticorum malitiam & impietatem, aut ſi quid aliud grauius dici poteſt. Hęreſios igitur ipſius peruerſitatem ac malitiam ex eo quiſque facilè intelligere poteſt, ſi quanta fidei ipſius virtus & præſtantia ſit, diligenter conſideret. Vt enim Ariſtoteles inquit:

Rectum eſt & ſui iudex & obliqui. Vide Stapletonum, in Oratione quæ annexa eſt libris eius De principijs doctrinalibus.

Fidei verò virtus atque vtilitas tanta eſt, vt ſine ipſa nihil Deo gratum eſſe poſſit, nec quippiam omnino à nobis laudabile & bonum effici. Quandoquidem illa eſt, quæ ceteris virtutibus viam parit, & ſcopum ad quem ſuos dirigant actus oſtendit. quæq. (vt Auguſtini verbis vtar, Epiſt. 105. & De prædeſt. Sanctorum cap. 7.) à Deo omnium prima datur, per quam cetera impetrentur. Sicut enim inter illas virtutes, quæ vſitato ac recepto nomine Cardinales dicuntur, prudentia eſt prima; quia reliquas dirigit; & viam, qua incedere debent, oſtendit: ita inter illas, quæ Theologicę appellantur, prima eſt fides; quę reliquas docet, quid agere debeant. Nemo ſine fide, quid ſperare, quid diligere debeat, nouit. Fide deſtitutus, Deum numquam quis vt decet amabit; quia numquam eum remuneratorem & vere bonum, immò nec Deum omnino eſſe intelliget: Credere ſiquidem oportet, ait Apoſtolus ad Hebræos vndecimo, accedentes ad Deum, quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit.

Fides eſt ergo, quæ nobis præmium noſtrorum laborum oſtendit, ac per hoc vires nobis animumq́ue ad laborandum addit, in ipſiſq́ue laboribus conſtantes reddit. Hæc eſt, quæ nos temporalia vniuerſa contemnere, & Deum pluſquam creata omnia docet amare. nam, qui veram de Deo fidem habet, non cupit in miſerijs huius ſæculi diues fieri; quoniam temporalia illi vileſcũt, dum æterna conſiderat. Atque ideò Paulus omnia huius mundi bona vt ſtercora arbitratus eſt, vt Chriſtum lucrifaceret: & Moyſes honores, gloriam, delicias, opes huius ſæculi, atque adeò regiam dignitatem contemſit; magis eligens affligi cum populo Dei, qui in luto & latere miſeram & duram ſeruitutem ſeruiebat, quàm temporalis peccati habere iucunditatem: negauit, grãdis factus, ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti: per fidem enim adſpiciebat in remuneratorem. Hæc eſt fides, quæ nos filios Dei efficit; ſicut ad Galatas oſtendit Apoſtolus: Omnes filij Dei eſtis per fidem. Hęc eſt fides, vita iuſtorum: quoniam, vt Habacuc Propheta teſtatur, iuſtus ex fide viuit.

Denique (vt paucis quæ ſunt iam dicta concludam) hæc eſt fides, iuſtitiæ fundamentum, quam nulla bona opera præcedunt, & ex quo omnia bona procedũt. Ipſa nos à peccatis omnibus purgat, mentes noſtras illuminat, Deo reconciliat, ſpem nobis futuræ remunerationis inſpirat, auget in nobis virtutes ſanctas, ac nos in earum poſſeſſione confirmat. Vide Proſperum hac de re citatum ab Haymone in libro De amore cæleſtis patriæ, capite decimo quarto.

Liquet igitur nunc hæreſim longè peſſimum eſſe vitium; vtpote quæ fidem deſtruit, baſim ac fundamentum ętotius ędificij Chriſtiani, cui, quidquid ad veram pietatem ac religionem pertinet, innitatur oportet: & ſine qua nihil ſunt reliqua omnia profutura: vt oſtendit Auguſtinus, libro De prædeſtinatione Sanctorum, capite ſeptimo. Impoſſibile eſt enim, Apoſtolo teſte, ſine fide placere Deo, quidquid tandem aliorum donorum & gratiarum poſſideas. Vbi fundamentum deeſt, nihil ſuperædificari poteſt; & ſi quid fuerit ſuperſtructum, neceſſe vt confeſtim corruat. Fide ſublata, omni flagitio, quantumuis enormi, feneſtra, immò porta latiſſima, aperitur. Sicut enim fides virtutibus ceteris, ita econtrariò hæreſis vitijs ac ſceleribus omnibus viam parat. vnde fit, vt qui infidelis eſt aut hæreticus, omni flagitio perpetrando aptiſſimus fiat. Quemadmodum enim, qui corporales oculos amiſit, ægrè admodum ſe tuetur ab hoſtibus, quoniam iacula illorum & verbera, à quibus ſibi cauere deberet, videre non poteſt: ita, qui fidem Catholicam (quæ Chriſtianæ vitæ veluti oculus eſt lumenq́ue) derelinquit, laqueos inſultuſq́ue dæmonum, mundiq́ue nequit euitare præſtigias: quæ enim videri non poſſunt, caueri nequeunt. Quam ob cauſam diabolus impenſè laborat, iſtos fidelibus eruere oculos: vt eo faciliùs illorum ſaluti nocere poſſit, quo minùs ipſe ab eis deprehenſus & cognitus fuerit. Nihil, inquit Auguſtinus Epiſtola 107. ſic agit princeps tenebrarum, quàm vt non credatur Deo: &, cùm in filijs diffidentiæ omnia mala ſua opera, ſecundùm Apoſtolum, operetur; in primis tamen & maximè ipſam infidelitatem, qua ſunt inimici fidei: per quam ſcit eos poſſe mundari, poſſe ſanari, poſſe perfectiſſimè liberos (quod eis vehementer inuidet) in æternitate regenerari.

Samſonem Philiſthæi, poſt erutos oculos, vinctum catenis duxerunt, & clauſum in carcere molere coëgerunt. Ita quoque dæmones, poſteaquam oculos mentis, hoc eſt, fidem, ab aliquo abſtulerunt; vinctum eum detinent, & per omnium flagitiorum circui-

tum

rum deuolui cogunt, vt in ſeruitutem redactum. Vnde beatus Paulus 2. ad Timoth. 2.
de hæreticis inquit; A quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem: vt videlicet illi in om-
nibus quæ voluerit obſequantur. Vnde alibi idem, hæreſis ac infidelitatis enormitatem
oſtendens, ita de ijs qui fidem reliquerunt loquitur: Voluntariè peccantibus nobis, poſt *Heb. 10.*
acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia; terribilis autem
quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ conſumtura eſt aduerſarios. Nam,
quòd Scriptura hęc non de quouis mortali peccato loquatur poſt baptiſmum commiſſo
ſed de grandi illo hæreſis aut ſchiſmatis crimine, de apoſtaſia à fide, quæ per antonoma-
ſiam in Scriptura ſacra peccatum vocatur (exempli gratia Ioannis decimoquinto; Si non *Ioan. 15.*
veniſſem, peccatum non haberent.) eſt à nobis in ſcripto alio declaratum.

Sanè hæretici, quod ex ipſis eſt, prorſus ſunt incurabiles, nullamque ſibi remiſſionem
aut hoſtiam Chriſti reliquam faciunt; niſi quòd per miſericordiam & immenſam Dei
bonitatem, poſſunt adhuc relicta hæreſi ad ſanam mentem redire, & Chriſti gratiæ vitæ-
que æternæ eſſe participes. Quod de vnico hæreſiarcha Berengario (nam de alijs, qui ab
Apoſtolorum temporibus innumeri extiterunt, non inuenias facilè) tradunt Scriptores
quidam, quod in fine vitæ ſuæ ſincerè reſipuerit; cùm tamen aliquanto anteà palinodiam
quidem cecinissſet, ſed iterùm fuiſſet in errorem ſuum relapſus. Vide Gerſonem in Ser-
mone de Pœnitentia, in 2. tomo; & in Tractatu contra Romantium de Roſa, in quarto
tomo; & Gnilielmum Monachum in libro tertio De geſtis Anglorum; quod fragmen-
tum ponitur cum operibus Guitmundi atque Algeri.

Tantopere itaque diſplicet Deo peccatum hæreſios. Vnde quoque B. Apoſtolus &
Euangeliſta Ioannes, non quidem planè certo, ſed probabili argumento ex hæreſi repro-
bationem videtur colligere: ita, vt ſi aliquem videas eſſe prolapſum in hæreſim, iudicare
vel ſaltem ſuberi poſſis, eum iam à Deo eſſe reprobatum, & damnationis æternæ fi-
lium. Ex nobis (inquit in 1. Epiſtola, capite 2.) prodierunt; nimirum hæretici, deſerue-
runt collectionem ſuam; ſed non erant ex nobis. hoc eſt, ex electis, qui ad vitam æter-
nam prædeſtinati ſunt: inter quos Ioannes ſeipſum bona fiducia numerat. Et tamquam
ei diceretur, ait Auguſtinus, Vnde id oſtendis? Nam, ſi fuiſſent, inquit, ex nobis; per- *De corrept.*
manſiſſent vtique nobiſcum. Si pertinuiſſent ad numerum electorum, quos Deus præ- *& gratia*
deſtinauit ad vitam æternam, permanſiſſent in noſtra ſocietate Fidelium; non ſeſe vltrà *cap. 9.*
ab Eccleſia ſeparaſſent, neque hæreſi ſeſe aut apoſtaſiæ dediſſent, ex qua vix vllus vn-
quam emergit. Quia tamen à lapſu in hæreſim & apoſtaſiam, via adhuc reliqua eſſe po-
teſt per reſipiſcentiam ad gratiam, atque ita ad gloriam; hinc dixi, non planè certo id ar-
gumento poſſe concludi, certum eſſe reprobationis indicium, eſſe lapſum in hæreſim.
Formidanda tamen ſine dubio beati Ioannis ſententia. Plerumq; enim Deus tam enor-
miter per hæreſim peccantes deſerit, ac merito tam inſignis ſuæ impietatis, in reprobum
ſenſum tradit; vt veram vnquam pœnitentiam agere, atque ad iuſtitiæ & veritatis amo-
rem redire, nequeant. Quamobrem hæc ipſa hæreſis in Euangelio peccatum in Spiri-
tum ſanctum vocatur; quod nimirum directè in Spiritum ſanctum committitur, & quo
diuina Maieſtas eiuſque religio blaſphematur. De quo proinde apud Marcum Saluator
pronuntiat, quòd, qui in hunc modum in Spiritum ſanctum blaſphemauerit, non ha-
bebit remiſſionem in æternum. Videlicet conſona omnino ſententia illis, quas iam antè
ex Apoſtolis Ioanne & Paulo citauimus.

Rectè ergo D. Auguſtinus (tantam huius peccati, hæreſios dico, grauitatem conſide- *Lib. 9. De*
rans) dubitat, vter in meliori, ſeu potiùs minùs malo ſtatu, eſſe dicendus ſit; iſne, qui ſo- *Baptiſmo*
lo hæreſis vitio infectus eſt; an, qui retenta fide, alijs vniuerſis flagitijs eſt contaminatus. *contra Do-*
Vtrùm, inquit, Catholicum peſſimis moribus, alicui hæretico, in cuius vita, præter id *natiſtas.*
quod hæreticus eſt, non inueniunt homines quod reprehendant, præponere debeamus; *cap. 20.*
non audeo præcipitare ſententiam. Quod non mirabitur, qui diligenter expenderit, per
hæreſim totius Chriſtianæ religionis caput & fundamentum auferri, nempe fidem: qua
ſublata (vt antè quoque indicauimus) integrum Chriſtianæ religionis ædificium corruit,
mutua inter proximos charitas euaneſcit, vinculum pacis rumpitur, concordia ſcinditur,
vilia hæc & caduca ſupra meritum æſtimantur, Deus ipſe vileſcit, omnis denique pietas
profanatur. vt veriſſimè iam olim à Felice Papa & Martyre dictum ſit, hæreſim nimis
eſſe impiam, & Euangelicæ veritatis inimicam: quæ non portionem aliquam lædere, ſed *In Epiſt. ad*
ipſa Chriſtianæ religionis conatur fundamenta conuellere. Quoſcumque enim, inquit, *Paternum*
rapit ad ſe; non ſolùm in hoc vitium, ſed in multa alia vitia ruere facit: & ipſo ſuadente *Epiſcop.*

antiquo

antiquo hoſte, non ſolùm perſecutores Eccleſiæ, ſed etiam Sacerdotum eius, fiunt. In cuius verbis illud quoque diligenter notandú eſt; quòd nempe hęreticos dicit non ſolo vitio hæreſeos laborare; ſed in multa etiam alia peccata ruere. Cui pulchre conſonat, quod Auguſtinus libro quarto contra Donatiſtas, capite vigeſimo ait; hæreticum, etſi non ſemper & neceſſariò, vt plurimùm tamen alijs vitijs non carere: carnalem enim eſſe hæreticum, & animalem, ac per hoc æmulum eſſe oportere, & animoſum, & inuidum, & inimicum ipſi veritati. Quemadmodum & ebrioſitas, inquit, in quocumque ſit, ſola eſſe non poteſt. Nam, ait, quis ebrioſus, non & contentioſus, & animoſus, & inuidus, & à præceptorum ſanitate diſſentiens, & arguentibus ſe grauiter inimicus? Iam verò, vt fornicator & adulter non ſit, difficile eſt. Hæc ſanctus ac præclarus ille Eccleſiæ Doctor.

Quod ſanè poſtremum, in hæretico vel maximè veritatem ac locum habere, vt videlicet & fornicator ſit & adulter, incontinens & libidinoſus, non vno loco grauiſſimus teſtis eſt D. Hieronymus, in ſeptimum & nonum caput Oſeæ Prophetæ. Qui & alio loco hæreticos coloribus ſuis vtcumque depingens, ita habet: Hæreticus in Prouerbijs, confidens, procax, ſuperbus, & peſtilens appellatur. ipſe effundit ſanguinem deceptorum, & omnia in ſe peccata congeminat; comedens in montibus ſuperbiæ, & Eccleſiam proximi ſui polluens: egenos & pauperes in ſcientia Scripturarum contriſtans, & opprimens atque ſupplantans: rapinam rapiens, eos quos de Eccleſia ſeduxerit: pignus non reddens, quod à magiſtro acceperat: vt impleret quod ſcriptum eſt, Gratis accepiſtis, gratis date: & ad idola atque ſimulachra, quæ de ſuo corde finxit, leuans oculos, cunctaſque faciens abominationes. Tantum & huicuſque D. Hieronymus. Ex cuius & præcedentium verbis liquet, alieniſſimum eſſe à veritate, quod nonnulli affirmant, homines moribus optimis, & innocentiſſimos, frequenter in hæreſim incidere, & hæreſim, ſolum eſſe crimen bonorum virorum. Immò D. Auguſtinus ex huiuſmodi hominibus hæreticos fieri dicere non veretur, qui, ſi in Eccleſia permanſiſſent, nihilominùs errarent: hoc eſt, per ſceleratam vitam perirent: lib. De vera Religione, capite octauo.

Capvt xvi.

Epitheta in ſacra Scriptura hæreticis attributa, vt & aliæ rationes, hæreſios prauitatem coarguunt.

IN primis, ipſa hæreſis à Domino & ab Apoſtolo Paulo, lupinæ rapacitatis vocabulo compellatur. Quare? niſi, quia non deſinunt hæretici fremere ad Dominici gregis caulas; atque ad diripiendas, tanto pretio redemtas animas, aditus vndecumque rimari? niſi, quia humanæ necis inſatiabili crudelitate, fidelium morte populorum, rabiem ſuam explere deſiderant, & verſutæ diſputationis venena ſpargentes, animam petunt, guttur inuadunt, vitalibus vulnus infligunt? Graues ſunt morſus hæreticorum, qui ipſis grauiores & rapaciores beſtijs, nullum auaritiæ finem impietatiſque nouerunt. Vide de his D. Auguſtinum libro primo, contra duas Epiſtolas Pelag. capite primo: item Ambroſium lib. ſeptimo in Lucam, in illud, Ecce ego mitto vos, ſicut oues inter lupos.

Sic etiam in Scriptura ſacra, propter fraudulentiam ſuam & nequitiam, vulpibus comparantur; vt ait Hieronymus, in decimumtertium caput Ezechielis: quemadmodum id quoque D. Bernardus pulchrè deducit in Homilia ſuper Cantica 65. 66. Aliàs canes vocantur: quia, vt dicit Auguſtinus, non ratione, ſed conſuetudine, contra inſolitam ſibi veritatem latrant. Hæc eſt enim canum natura; vt, cum quibus habent conſuetudinem, ſiue illi boni ſiue mali ſint, non ad eos latrent: inſolitorum autem perſonis viſis, etiam innocentibus, irritentur.

Appellat alibi Scriptura hæreticos ſerpentum quoque nomine: vt Venerabilis Beda
2. Cor. 11 ex Iſidoro recenſet; vtque D. Paulus inquit: Timeo, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit, &c.
Deſcribit item hæreticos notis ſuis eleganter Apoſtolos, ad Romanos capite 16. ad Philippenſes tertio, ad Titum primo; & prioris ad Timotheum quarto & ſexto capitibus: omnium autem pulcherrimè 2. ad Timotheum 3. cap. in hæc verba: Hoc autem ſcito (ait, in Prophetia loquens) quia in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa; & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites,

ſine benignitate, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei; habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.

An cuiquam, ex bono & æquo iudicanti, malè iſta epitheta in noſtræ huius tempeſtatis hæreticos conuenire videntur? Similia de hæreticis ſcribit Iudas Apoſtolus in Epiſtola ſua; & Petrus in Epiſtola ſecunda capite ſecundo. cuius verba, quia ſignificantiſſima ſunt, hîc etiam animus eſt adſcribere. Nouit Dominus pios, inquit, de tentatione eripere, impios verò in diem iudicij reſeruare cruciandos: magis autem eos (hæreticos putat) qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt; audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blaſphemantes; vbi Angeli virtute & fortitudine cùm ſint maiores, non portant aduerſum ſe execrabile iudicium. Hi verò, velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem in his quæ ignorant blaſphemantes in corruptione ſua peribunt, percipientes mercedem iniuſtitiæ; voluptatem exiſtimantes diei delicias coinquinationis & maculæ: delicijs affluentes, in conuiuijs ſuis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterij, & inceſſabilis delicti; pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum auaritia habentes; maledictionis filij: derelinquentes rectam viam, errauerunt, ſecuti viam Balaam ex Beſor; qui mercedem iniquitatis amauit, correptionem verò habuit ſuæ veſaniæ: ſubiugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ inſipientiam. Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruatur. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in deſiderijs carnis luxuriæ, eos qui paululùm effugiunt; qui in errore conuerſantur, libertatem illis promittentes, cùm ipſi ſerui ſint corruptionis. Hactenus diuus Petrus Apoſtolus; ex cuius verbis inſignem videlicet hæreticorum innocentiam proboſque mores conſiderare licet.

Non nego tamen, aliquando nihil in vita hæretici ab hominibus notari poſſe, præter hæreſim, quæ ipſa maximum ſcelus eſt, omnibus peccatis & fornicationibus peior; ait Hieronymus, in principium capitis 16. in Ezechielem: at iſtud nigro (quod aiunt) cygno eſt rarius. Ac, iuxta mei quidem animi ſenſum, tantò eſt in eo nocentius & peſtilentius malum hæreſis, tantò eſt animi eius ſuperbia, & Eccleſiæ totius contemtio maior; dum hoc nomine multò plus in doctrina ſua habet auctoritatis, eo qui doctrinam ſuam turpi conuerſatione commaculat: vt bene docet Origenes, Homilia ſeptima in decimumſextum caput Ezechielis: Qui enim, inquit, vitæ peſſimæ eſt, non facile homines ad falſum dogma ſollicitat; nec poteſt per vmbram ſanctitatis, audientium ſimplicitatem decipere. Qui verò ſermone peruerſus eſt, & diſciplinæ ſalutis contrarius, mores autem compoſitos & ornatos habet; nihil facit aliud, niſi quòd varia inſtituti boni & ſanctæ conuerſationis adiumenta idolis ſuis circumdat, vt magis alliciat ac decipiat audientes. Idcircò, ſollicitè caueamus hæreticos, qui bonæ eſſe conuerſationis videntur; quorum vitam non tam Deus quàm diabolus inſtruxit. Habet enim ille ſuam etiam (vt ſic dicam) caſtitatem & manſuetudinem, qua poſſit facilius incautum fallere, & falſis ſermonibus irretire. Diuerſis ipſe pugnat inſidijs, vt miſerum perdat hominem; & bonam quodammodò malis vitam tribuit, ad decipiendos videntes, malamque bonis induit conſcientiam.

Exemplum huic rei peraccommodum animi gratia tamquam ſatum attexamus: In hiſtoria Fratrum Prædicatorum legitur (vt habet Bernardus Lutzenburgus in catálogo hæreticorum) in Epiſcopatu Brixienſi virum quemdam fuiſſe, tanta ſanctitate & vitæ puritate præditum (vt quidem pleriſque videbatur) vt alter Ioannes Baptiſta ab illis haberetur. adeò quidem, vt eius nominis fama & celebritate plerique omnes eius prouinciæ allecti, ad eum velut ad ſanctum Dei hominem gregatim confluerent: qui tamen hæretica prauitate infectus erat. Cùm autem ille vita functus & honorificè ſepulturæ mandatus eſſet; poſt aliquod tempus, fidei inquiſitor, per teſtes fideles examine diligenti peracto, reperit illum fuiſſe hæreticum: ideoque de conſilio Epiſcopi & aliorum prudentium virorum, ſancitum eſt, vt eius cadauer effoderetur, & oſſa igni cremarentur. Populo itaque circumſtante, eius oſſa in ignem coniecta ſunt; quæ mox dæmones ex eodem igne in aërem attollentes, ea ſuſpenſa ſuper ignem tenebant, non tamen illi videbantur. Ex quo effectum, vt populus exclamaret, Epiſcopum cum ſuis eſſe necandum; qui inuidiâ moti, ſanctum Dei virum exurere præſumpſiſſent, id Deo nolente, neque permittente. Qua re exterritum Epiſcopum, ſui bono animo eſſe deprecati ſunt; in hæc verba prorumpentes: Domine Epiſcope, ne vlla re frangaris quæſumus, quandoquidem hic pro fidei

Ex Gabriele Prateolo, in Elencho hæreticorũ.

fidei tuitione adſumus. Sed ad ſacrum peragendum te potiùs præpara: viſuri ſumus experientia ipſa, num Deus aliquod miraculum ſuper hac re exhibiturus ſit,ne fides in diſcrimen veniat, ac periclitetur. Miſſa ea fuit de beata Virgine; cumque corpus Dominicum ſurſum ab Epiſcopo leuaretur, dæmones in aëre exclamare auditi ſunt, in hunc modum: O Guido de Lacha (hoc ei nomen erat) te hucuſque,quantum potuimus, defendimus; ſed ampliùs non poſſumus: quia maior nobis adeſt. Moxque in ignem oſſa ceciderunt, & combuſta ſunt, & fides ab omnibus exaltata. Ex quo diaboli dolus facili negotio perpendi poteſt; qui hæreticum hominem vita functum defendit, quò plures animas deciperet.

Verùm, vt ad propoſitum redeamus: etſi contingat interdum, hæreticos ſpecie pietatis, ouiumque eſſe ornatos exuuijs, non tamen dicendum eſt, moribus optimis homines plerumque in hæreſim labi: immò,ſicut diſertis verbis docet Apoſtolus 1.Tim. 1. Ob repulſam bonam conſcientiam naufragauerunt quidam à fide. Fides, tamquam nauis eſt, ſine qua nemo ad portum ſalutis pertingere poteſt. quemadmodum autem nauis per anchoram figitur, ne deuiet,in alteram partem nimis declinet, aut etiam ſubmergatur: ſic bona conſcientia vitæque probitas periclitantem & nutantem quandoque fidē munit atque erigit, ne euertatur. Verba ſunt D. Chryſoſtomi, in hunc locum Pauli ad Timotheum. Eadem habet quoque Epiphanius in Ancoratu. Qui igitur bonę conſcientię ſanctæque conuerſationis teſtimonio deſtituitur, facilè in hæreſim labitur: tum, quia illa eſt natura hominis, vt vbi vita reprehenſibilis fuerit, ne futurorum metu & expectatione crucietur, perſuadere ſibi conetur, falſa eſſe omnia, quæ noſtra religio continet: tum,quia Deus quem improbæ vitæ nouit, iuſto iudicio excæcat; mentique eius, in pœnam peccati, errorum tenebras immittit.

Vnde & alio loco Paulus apertè de quibuſdam dicit: Quia charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent; ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. Quem locum ſuper Matthæum tractans Origenes; Nemo,inquit,in periculū falſi dogmatis incidens facilè ſuperatur & fallitur, niſi qui nudus eſt ab operibus bonis. Cui ſimile eſt illud Cypriani Martyris, de ſimplicitate Prælatorum: Nemo, inquit,exiſtimet, bonos de Eccleſia poſſe diſcedere. Triticum non rapit ventus; nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubuertit. Inanes paleæ tempeſtate iactantur; & inualidæ arbores turbinis incurſione euertuntur.

Veriſſimæ profectò ſententiæ. Nam, vir piæ vitæ confidenter cum Pſalmiſta dicit: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes; ſed non vt lex tua. Et, ſuper inimicos meos prudentē me feciſti,mandato tuo: quia in æternum mihi eſt. Immò, cùm hæreſis ſit electio falſæ doctrinæ, poſt claram veritatis manifeſtationem; numquam aliquis in hæreſim incidit, quin priùs grandi aliqua ſuperbia, & ſui complacentia, iuſtitiæ fiat pietatiſque deſertor. Cur enim pertinaciter apertæ reſiſteret veritati, ſuumque ſenſum totius Eccleſiæ iudicio anteferret, niſi aliud aliquod grande peccatum ei dominaretur; & Dei ſpiritum derelinquens,ſequeretur ſuum? Omnis hæreticus (vt ſæpè inculcat D. Hieronymus) in ſuperbiam extollitur; Eccleſiæ ſimplicitatem parui pendens, & fidem imperitiam reputans. Ita ille Doctor,in principium Abdiæ,in ſecundum caput Habacuc,& in decimumſextum caput Iſaiæ. Nullo igitur pacto veſtimenta ouium, quibus lupi ſubinde obteguntur, bonos mores iuſtitiaſque vocemus. Sed Chriſto eiuſque Apoſtolis fidem adhibeamus potiùs, qui hæreticos lupos rapaces appellant, non parcentes gregi: habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.

TRA-

TRACTATVS HVIVS PARS ALTERA:

In qua oſtenditur, quòd illa, quæ Salomon, varijs Prouerbiorum capitibus, de muliere fornicaria & meretrice commemorat, optimè vitio hæreſis conueniant; & quaſi ad litteram de illo prædicta ſint.

CAPVT PRIMVM.

Quibus de cauſis Salomon impudicæ mulieri ipſiq́ libidini hæreſim comparet.

DANDA in primis hîc eſt ratio, quare Salomon hæreſim ſub nomine meretricis deſcribat. Nimirum, quia inter meretricem aut libidinem & vitium hæreſeos maxima eſt conuenientia. Primùm, ſicut meretrix fœdis cunctorum ſcortationibus proſtituitur; ita hæreſis multorum errori ac libidini patet: ait Venerabilis Beda, Quęſtione duodecima ſuper Leuiticum. Deinde, ſicut meretrices blandis pulchriſq́ue verbis optimè ſunt inſtructæ ad pelliciendos adoleſcentes in ſui amorem, & valdè ſuauiter garriunt: ſic hæretici mitis verborum blanditijs, & gratiſſima quadam ſuada dicendiq́ue ratione, errores ſuos proponere norunt, vt latiùs in progreſſu Tractatus huius ſumus oſtenſuri. Prętereà, libidinis & incontinentiæ vitium, initio blandum, delectabile, & ſine periculo eſſe videtur, facilè pelliciens hominem ad ſui vſum, experientiam, amorem, conſenſum: nam, quis non facilè, ſe, cum puellis confabulando, ludendo, oſculando, tangendo, & familiariter conuerſando, recreet; nihil mali, nihil iudicans eſſe periculi? & tamen hoc pacto latenter paulatim hominem capit libido, ac prorſus tandem ſibi ſubijcit. Ita, dum quempiam aggreditur facundus aliquis & probus vt apparet hæreticus, ac pulchris verbis dogma ſuum proponit, Catholicam veritatem argutis & plauſibilibus aliquot argumentis oppugnans, auditur libenter; nec diſplicent omnino omnia, quæ dicit. Siquidem humanæ rationi, cui plurimum tribuunt homines, longè viciniora ſunt, quæ hæretici docent, quàm quæ Eccleſia Catholica credenda proponit; & libertati carnis, (quam falſò Chriſtianam appellant) ad quam omnes ex naturæ corruptione propendent & ſuſpirant, longè ampliùs fauent.

His de cauſis, hæreſis primùm ſic ſatis placet, habetur colloquium & familiaritas cum hæreticis, curritur ad eorum conciones, libri eorum leguntur; blanda ſunt omnia & iucunda. & eo ſecuriùs hæc fiunt, quo minus in paruis iſtis initijs ſeductionis putatur eſſe periculum. Sed, hac ratione contagioſo malo malè prudens inficitur, ac quaſi neſciens plenè ab hæreſi poſſidetur: nam, vt teſtatur Apoſtolus, vitium illud vt cancer ſerpit; qui, donec immedicabilis ac incurabilis effectus eſt, non percipitur. Ad hæc, ſemel deguſtata voluptas carnis, vt plurimùm ita mentem veluti excantat obſcuratq́ue; vt de turpitudine eas in turpitudinem, donec excæcatus venias in reprobum ſenſum, & intricatus in malo, ne tum quidem poſſis turpem voluptatem relinquere, cùm te illa iam deſerit, & es tu illi iam quaſi inutilis. An non ad eumdem prorſus modum in hæreſi agi, quotidiana docet experientia? nimirum, quòd vno errore pertinaciter ſemel recepto, in dies alij alijq́ue accreſcant; & de hæreſi in hæreſim prolabentes, nullum errandi finem faciant, donec penitus excæcati, atque in reprobum ſenſum traditi, ad extremum malorum, ad incurabilem ſtatum, & vnde vix ſeipſos poſſint extricare, deueniant. Sunt hæc ſuperiùs ex Scripturis oſtenſa.

Inſuper, libido ante omnia famam, poſſeſſionem profectò longè optimam & pretioſiſſimam, tollit: nullius enim vitij rumor ſpurciùs olet, quàm libidinis. Hæreſis autem vſqueadeò infame eſt vitium, & id quidem ſummo iure; vt quiduis potiùs homo dici malit, quàm hæreticus. Vnde nullo modo illud nomen admittere volunt, etiam illi, qui-

bus

bus maximè conuenit. Quod Scribæ quoq; & Phariſæi benè intellexerunt. volentes enim Chriſtum extrema afficere contumelia, vocauerunt eum Samaritanum, hoc eſt, hæreticum; tamquam diceres Lutheranum: nam Samaritani tunc apud Iudæos hæretici erant, vt alibi declarauimus.

Tum verò, quis explicet, quantum ſcelerum gregem voluptas admiſſa adducere ſoleat? Non audire parentes, prodigere rem patriam, rapere alienam, peierare, potare, latrocinari, depugnare, blaſphemare: in hæc omnia, & longè pluta ac grauiora, domina hæreſis te tranſuerſum rapiet, vbi ſemel eam admiſeris. Hæretici enim penitus à diuina gratia derelicti, obſtinata malitia, nullum refugiunt facinus; modò regnum infelix, quod occuparint, retineant ac dilatent. Declarauimus iſtud etiam anteà. Exemplum petis? Audi quid Vincentius Lirinenſis de hæreſi Arriana ſcripſerit: Illius, inquit, temporis periculo ſatis ſuperque monſtratum eſt, quantum inuehatur calamitatis, nouelli dogmatis inductione. Tunc ſiquidem, non ſolùm paruæ res, ſed etiam maximæ labefactatæ ſunt. Nec enim tantum affinitates, cognationes, amicitiæ, domus; verùm etiam vrbes, populi, prouinciæ, nationes, vniuerſum poſtremò Romanum imperium funditus concuſſum & emotum eſt. Namque cùm profana ipſa Arrianorum nouitas, velut quædam Bellona aut furia, capto prius omnium Imperatore, cuncta denique palatij culmina legibus nouis ſubiugaſſet; nequaquam deinceps deſtitit vniuerſa miſcere atque vexate, priuata ac publica, ſacra profanaque omnia, nullum boni & veri gerere diſcrimen, ſed quoſcumque collibuiſſet, tamquam de loco ſuperiore percutere. Tunc temeratæ coniuges, depopulatæ viduæ, profanatæ virgines, monaſteria demolita, diſturbati Clerici, verberati Leuitæ, acti in exilium Sacerdotes, oppleta ſanctis ergaſtula, carceres, metalla; quorum pars maxima, interdictis vrbibus, protruſi atque extorres, inter deſerta, ſpeluncas, feras, ſaxa, nuditate, fame, ſiti affecti, contriti ac tabefacti ſunt. Et cetera apud prædictum auctorem. Et hæc ipſa profectò hac noſtra tempeſtate, anno inquam 1562. nos tam clarè ingenti ſuo malo docuit Gallia, vt ne de Anglia, Germania, Scotia mentionem faciam. Et quidem de aſſumpta inter libidinem ſeu meretricem & hæreſim ſimilitudine, plura nolo commemorare; propterea quod ex Salomone (quem mox latiùs explicabimus) abundè ſatis comprobata ac manifeſta euadet. Hoc tantum adijcio, libidinis atque hæreſis malo nullum aliud neque magis nos faciliuſque inuadere, neque acriùs vrgere, neque plures in exitium trahere. Non parum autem hìc iuuabit & delectabit aduertere, hæreſim fere nullam fuiſſe vmquam, nec eſſe hodie, cuius auctor, dux, & præcipua fautrix, meretrix aliqua & impudica mulier, non extiterit: vti eleganter, per ſingulas hæreſes diſcurrendo, Hieronymus ipſe proſequitur, Epiſtola ad Cteſiphontem.

CAPVT II.

Quomodo Deus communiter hæreſim puniat libidine.

CONSIDERANDVM quoque, iuxta dictorum aſſenſum, Deum quaſi ſemper prudenti conſilio hæreſim libidine ipſa, & turpiſſimo fornicationis peccato, punire. Ita vt non ſemel D. Hieronymus clamet (quod ſuperiùs etiam diximus) in ſeptimum & nonum caput Oſeæ ſcribens, hæreticos admodum raró caſtos & pudicos inueniri. Simulant quidem interdum ſanctitatem ac pudicitiam, Catholicorum & Papiſtarum (vt vocant) Sacerdotum incontinentiam ſeueriſſimè reprehendunt, quamquam id non male: ſed ipſi reuerà longè magis dediti ſunt incontinentiæ & libidini; ita vt quæ in occulto faciunt, turpe ſit & dicere. At, quia ſciunt continentiæ vocabulum glorioſum, ſub ouium pellibus lupos tegunt, Chriſtum mentitur Antichriſtus, & turpitudinem vitæ falſo nominis honore conueſtiunt; vt ait D. Hieronymus, circa finem Epiſtolæ ad Euſtochium. Sunt verè ſerui mancipiaque libidinis; & illam etiam ipſi multis argumentis atque indicijs non poſſunt non prodere, tum in moribus ſuis & conuerſatione, tum etiam in doctrina. Vel quid ſibi vult, quòd paſſim Monachos videmus & Sacerdotes, qui à noſtra ſocietate Catholica ad eorum caſtra refugiunt, ſtatim ſe, voti ſui religione contemta, feminarum amplexibus iungere, vxores ducere, ſcortari, filios procreare? Certè, notum eſt, vt de coryphæis ipſis tantùm loquar; quomodo Lutherus, Auguſtinianæ profeſſionis Monachus, Monialem in vxorem acceperit. vtque habet Gabriel Prateolus in ſuo Elencho,

Elencho, libro quarto, capite octauo; Carolſtadius, ſecta Lutheranus, primus ex Clero apud Germanos vxorem duxit anno 1524. Notæ ſunt & Oecolampadij infames nuptiæ, qui anteà ſe regulæ S. Brigittæ voto adſtrinxerat. Petrum Martyrem, alij ex Carmelita, alij ex Carthuſiano, vxoratum factum ferunt. Bucerus autem ex Dominicano. Ioannem Pomeranum conſtat ex regula & profeſſione Minoritarum ad coniugium illud infandum & illegitimum tranſijſſe. Muncerus & Pellicanus, priuſquam pellices vxorum ritu acciperent, vt minimùm ſacerdotes fuerunt. Carolſtadius autem, vt diximus, primus fuit omniū, qui, ſacerdos cùm eſſet, & Eccleſię VVittenbergenſis Archidiaconus, publicè vxorem duxit. Quæ nuptiæ quomodo celebratæ fuerint, videre licet apud Cochlæum, in vita ac geſtis Lutheri; & eſt operæpretium videre.

Cum vita autem ipſorum tam honeſta & pudica, optimè conſonat eorum doctrina; videlicet, vt facta verbis verbaque factis reſpondeant. Quid enim, quod plerique omnes, imò in vniuerſum omnes, docent, virginalem caſtitatem non eſſe apud Deum maioris meriti, quàm coniugalem? item, Sacerdotes & Monachos poſſe liberè, ſi modò velint, vxorem ducere? item, caſtitatem virginalem, ſeu cœlibatum, non eſſe cultum Dei? votum continentiæ, quod religioſi vouerunt, nullius eſſe momenti, & liberè ſolui poſſe? Quidam autem, vxorem toties abijci ac repudiari poſſe affirmant, vt alia ducatur, quoties non vult ſe marito commodā & morigerā exhibere, ac viciſſim, maritum ab vxore toties dimitti poſſe, aliumq; accipi, quoties quę boni mariti officia ſunt, præſtare recuſat. ita Bucerus in 19. caput Matthæi. Alij plures ſimul haberi poſſe vxores docent; vt Coruinus. Alij denique, omnes omnium vxores omnibus debere eſſe expoſitas & communes; vt Anabaptiſtæ. Et id genus infinita alia prodigioſæ libidinis monſtra, quæ noſtri temporis hæretici proferunt.

Quid iſta, inquam, aliud arguunt, quàm vitam hæreticorum omnium ſordidiſſimam, ſpurciſſimam, turpiſſimam eſſe? Itaque Deus nobis pulchrè oſtendit, ſi aduertimus animum, quàm ſibi vehementer diſpliceat vitium hæreſis, præ ceteris peccatis & ſceleribus omnibus; quod etiam in hac vita alio tam abominando vitio punit, libidinis videlicet peſte: qua non eſt alia fœda magis homineque indigna: vtpote, quæ nos, diuinum plaſma, non pecudibus modò, verùm etiam ſuibus, hircis, canibus, & brutorum brutiſſimis æquet: immò, quæ nos infra pecudum conditionem deiiciat, qui ſumus ad Angelorum conſortia, ad Diuinitatis communionem, deſtinati. Præter enim corporis mala, quorum infinitam congeriem ſecum trahit, ingenij vigorem tollit, mentis acumen hebetat, & quaſi pecuinam mentem inſerit; eripit rationis vſum, ab omnibus honeſtis ſtudijs, pietatis exercitijs, ſalutis adiumentis ſemel auocat, hominemque, quantus eſt, totum cœno immergit; vt iam nihil niſi ſordidum, humile, ſpurcum, facere, dicere, cogitare, libeat. Ob has cauſas, Apoſtolus non immeritò hæreſim inter carnis vitia numerauit; vt diligenter annotauit D. Hieronymus. nimirum, quòd & oriatur ex carnis vitijs, & nata eadem ipſa generet, & ſummam cum illis (vt iam ſatis ſuperque oſtendimus) ſimilitudinem & conuenientiam habeat, & tota carnem ſpiret.

CAPVT III.

Quonam pacto Salomon hæreſim in meretrice depingat.

SED, iam tempus eſt, vt videamus, quo pacto hęreſim nobis in meretrice depingat Salomon. Illud enim eo diligentiùs (meo quidem iudicio) fecit, quòd ſciret, quantum malorum in Chriſtianum populum inuectura erat, & quàm multi ſe eius erant daturi amplexibus, in certam ipſorum perniciem. Neque enim Deus in noui ſolùm Teſtamenti Scripturis multa nobis voluit de hæreſi eſſe prædicta, ſed etiam in veteri Teſtamento clariſſimè nobis hæreticorum mores voluit eſſe depictos: vt eò magis fugere ac deteſtari ſtudeamus hæreſim, cùm graſſari cœperit; eoque minùs & conturbemur & miremur, quando euenire cernimus, quod tanto antè tempore tam manifeſtè prædictum eſt; ſed potiùs nos, Scripturis hæc prænuntiantibus, certiſſimè conſolemur.

Hæc eſt ergo *mulier illa aliena atque extranea*, à Chriſti videlicet & Eccleſiæ membris ac beneficiis: *quæ mollit ſermones ſuos*; mollitie diſertitudinis, & linguæ blandimentis, innocentium corda decipiens. Vnde D. Hieronymus ait; Iactat grandia, & ad deci- *Prou. 2.*

T t piendos

piendos ſimplices quoſque, quaſi aureis ſenſibus & eloquiis, argenti ſplendore fulgentibus, imperitorum obſtringit aciem. Vide citatum Doctorem in initium decimi capitis Ieremiæ, & in ſecundum caput Oſeæ. Quemadmodum quoque pulchrè in nonum caput Eccleſiaſtæ, hæreticorum ſagenam eſſe dicit ſermonem affabilem, & blandum eloquium. Id quod etiam Apoſtolus ipſe noſter non tacuit; dicens, eos per dulces ſermones & benedictiones ſubuertere corda innocentium.

Pergit itaque Salomon in hęreſios impudicæq́; mulieris deſcriptione: *Et relinquit ducem pubertatis ſua, & pacti Dei ſui oblita eſt.* Optimè in hæreticos quadrat: qui matrem ſuam, Eccleſiam Catholicam, Doctores ſuos & Paſtores, à quibus Chriſtianam primò fidem didicerunt, quiq́ue duces eorum in fide & pietate erant, per hæreſim poſteà derelinquunt; & pacti illius primi, in Sacramento Baptiſmi, quo Deo promiſerunt Eccleſię fideliter adhærere, Catholicamq́ue Eccleſiæ fidem ſequi atque defendere, obliuiſcuntur: vel tamquam eius omnino obliti forent, violant illud audacter, & nihili faciunt.

Quod iam ſequitur: *Inclinata eſt enim ad mortem domus eius, & ad inferos ſemita ipſius*: nullam id habet difficultatem; cùm certum ſit, hæreſim (ſi quod aliud crimen) maxime hominem æternæ mortis & damnationis reum facere. Pergit Sapiens horrendam, ſed tamen veriſſimam loqui ſententiam: *Omnes*, ait, *qui ingrediuntur ad illam, non reuertentur; neque apprehendent ſemitas vita.* Non ita aptè hoc intelligitur de meretrice carnali, quæ corpus ſuum proſtituit alijs: quamquam aliquo modo etiam ſic poſſit intelligi; fornicatio enim & libido in æternam mortem hominem præcipitat, & difficile admodum eſt ab ea auelli, cùm te illi ſemel addixeris: at, de hæreſi multo illuſtriùs & veriùs intelligitur; vt anteà ſatis, grauitatem malitiæ eius deſcribentes, ex Chriſti ſententia, Pauli, & Ioannis, oſtendimus.

Prou. 5. Sequitur in quinto Prouerbiorum capite: *Ne attendas fallacia mulieris: fauus enim diſtillans labia meretricis; & nitidius oleo guttur eius.* Eadem ſunt cum illis, quæ iam antè ex ſecundo capite ſunt producta: nempe, de blandis hæreticorum colloquijs & rationibus, eloquentiæ ſplendore ac ſpecie veritatis ornatis; quibus ad decipiendos ſimpliciores ſunt inſtructiſſimi. Nónne quotidie cernimus, crebriuſq́; inaudimus, quàm blandis, quàm apparentibus argumentis rudiores aggrediantur? Quis ferat (inquiunt, exempli gratia) vt illud Chriſti corpus dicatur, quod pati videmus putredinem & conſumi? Quid magis barbarum, quàm vt homo corporaliter Deum edat ac deuoret? Qui poteſt impius ſacrificulus quatuor verbis (Hoc eſt corpus meum) repentè Chriſtum è cælis abſtrahere? Quid magis Deo indignum, quàm ſi nunc impiorum manibus attrectetur & confringatur, atque impuriſſimo ore ſumatur? Et ita in varijs argutis captiunculis. Sic iam igitur noſtri hæretici; nimirum vt olim Neſtoriani, noſtrorum hæreticorum magiſtri: Quis ferat, aiebant, vt Deus dicatur ex femina natus? Numquam bimeſtrem aut trimeſtrem appellabo Deum. Item: Quomodo potuit femina octo verbis (Ecce ancilla Domini; fiat mihi ſecundùm verbum tuum) è cælo Deum in vterum ſuum deducere? Quid item abſurdius, quàm vt Deus nouem menſibus in immundiſſimis fætidiſq́ue ventris ſordibus habitet & concludatur; quàm vt crucifigatur & moriatur? Non glorieris Iudæe, non Deum noſtrum crucifixiſti, ſed purum hominem, &c. ita illi blaſphemi. Nónne hæc admodum videntur eſſe ſpecioſa & præclara?

Deinde ſcientes hęretici, nullam eſſe (vt ait Lirinenſis) ad fallendum faciliorem viam, quàm vt vbi nefarij erroris ſubinducitur fraudulentia, ibi diuinorum verborum prætendatur auctoritas. Inquiunt enim ſemper: Hæc dicit Moyſes, hæc Chriſtus, hæc Paulus; hoc in Matthæo ſcriptum eſt, in Pſalmis, in Prophetis: & videas eos volare per ſingula quæque ſanctę Legis volumina; &, ſiue apud ſuos ſiue apud alienos, ſiue priuatim ſiue publicè, ſiue in ſermonibus ſiue in conuiuijs, ſiue in itineribus ſiue in plateis, nihil vmquam pæne de ſuo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur. Mille continuò teſtimonia, mille de Scripturis auctoritates, de Lege, de Pſalmis, de Apoſtolis, de Prophetis: quibus nouo & malo more interpretatis, ex arce Catholica in hæreſis barathrum infelix anima præcipitetur. An non hoc tibi videtur fauus de labijs meretricis diſtillans? Quis tales facilè errare poſſe arbitretur, quos tot tantiſq́ue diuinæ Scripturæ teſtimonijs ad confirmationem doctrinæ ſuæ videt inſtructos?

Origenes Homil. 5. in Ezech.

Iam verò, vt aliud prætereà mellis fauiq́ue meretricij ac hæreticorum genus aperiam, illis quas iactant promiſſionibus ſuis miro modo incautos fallere conſueuerunt. Audent etenim polliceri & docere, quòd in Eccleſia ſua, hoc eſt, in concionis ſuæ conuenticulo,

magna

magna & ſpecialis, ac planè perſonalis quædam adſit Dei gratia; adeò, vt ſine vllo labore, ſine magno ſtudio atq; induſtria, ſine vigilijs vllis aut moleſtijs, etiamſi nec quærant, nec petant, nec pulſent, quicumque illi ad numerum ſuum pertinent, tamen ita diuinitus diſpenſentur, vt Angelicis euecti manibus, atque Angelica protectione ſeruati, numquam poſſint offendere ad lapidem pedem ſuum; hoc eſt, numquam ſcandalizari.

Quàm gratum eſt & ſuaue, quòd vbique plurimum tribuunt fidei & charitati, tacitis interim Sacramentis & pœnitentia! quòd meritum paſſionis Chriſti, & Dei miſericordiam vehementer extollunt; prætermiſſa eius iuſtitia ac ſeuero iudicio! quòd denique tantopere ſe Scripturæ auctoritatem (vt diximus) venerari prædicent! Sed, quid ſequitur? *Nouiſſima autem illius amara, quaſi abſynthium: & lingua eius acuta, quaſi gladius biceps.* Sic Pſalmus 105. inquit: Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum; & ipſi ſunt iacula. Sanè, quæ poſt hæreticorum ſequuntur blanditias, ſuiſque illi dulcibus & fucatis verbis efficiunt, amara ſunt quaſi abſynthium. Siquidem amariſſimam animæ mortem adferunt; & pòſt, ſupplicium damnationis æternæ: vt omittam grauiſſimas & duriſſimas calamitates, anguſtias & miſerias etiam huius ſæculi, in quas hæretici quos ſemel ſeduxerunt præcipitant. Qui in dies hoc experiuntur, rectiùs ſciunt, an verum dicam. Lingua eorum, vtcumque pulchros blandoſque ſermones proferat, citiſſimè & grauiſſimè audientes lædit; non aliter quàm gladius biceps, ſiue vtrimque ſcindens, & facillimè carnem penetrat, & acerbiſſimum vulnus infligit. Caue, ait Ambroſius, verſutæ diſputationis venena: animam petunt, guttur inuadunt, vitalibus vulnus affigunt. Ita ille in 10. caput Lucæ. Vide & Hilarium initio octaui capitis, De Trinitate.

Capvt IIII.

Varietas, & conſtans hæreticorum inſtabilitas, viæ greſſibuſq; meretricis aſſimilatur.

Sed audiamus Salomonem in comparatione hæreticorum cum meretrice progredientem. ſic pergit in eodem capite quinto Prouerbiorum: *Pedes eius deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus eius penetrant; per ſemitam vitæ non ambulant.* Clara ſunt iſta, de hæreticis: *Vagi ſunt greſſus eius & inueſtigabiles.* Verè vagi ſunt omnes hæretici, poſteaquam ſemel ſe à fidei rectitudine, ab Eccleſiæ vnitate & ſtabilitate, ſecuerunt. Quis enim explicet, in quot ſe errores inſtabiles diuidant, cùm non minùs in maximis fidei articulis, inuicem à ſe, quàm à nobis, diſſentiant? Deinde, quis vmquam hæreticus præceptoris ſui doctrinam non auxit atque mutauit, noui aliquid è ſuo capite proferens; vt iam non diſcipulus, ſed magiſter etiam, & ſuæ doctrinæ Doctor eſſe videatur? Quemadmodum vetus & euidens fabula habet, ait Epiphanius, quòd ſcorpij, alter alteri implexus, catenam nectentes, decem aut plures de tecto ſiue domo ſeipſos demittunt; & ſic cum dolo perniciem hominibus inducunt: ſic hæretici, inquit, omnes erroris principes ac duces ſunt; & occaſionibus ab alio acceptis, alter ab altero doctus, poſt præceptorem erroris additionem facit, & aliam hæreſim inducit ex priore dependentem: atque ita perpetuò error errorem, hæreſis hæreſim trahit.

Neque verò ſic plures à ſe inuicem dumtaxat diſſident, ſed etiam ſinguli ferè à ſemetipſis; dum nunc hoc nunc illud quiſque docet, prout mendacij erroriſque illis ſpiritus ſuggerit, & auditoribus ac fautoribus, quibus placere conantur, ſeruire cernunt. Perinde enim eis eſt, quid aut qualiter prædicent; dum non aliud ex doctrina ſua, quàm gloriam & quæſtum ſequuntur. Vnde fit, vt frequenter centies in anno mutent ſententiam, ac toties ferè contraria doceant. Pudet dicere, quo pacto Bucerus breuiſſimo tempore, circa diuiniſſimum omniq́ue veneratione digniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ſententiam ſuam quater mutarit. ad extremum, mortuus in Anglia, planè atheus. nimirum incertus, an Meſſias Iudæis olim in Lege & Prophetis promiſſus, adhuc vmquam aduenerit: & an fides adhiberi debeat illis, quæ Euangeliſtæ Ieſum Mariæ filium dixiſſe conſcribunt. Pudet, inquam, referre, quo pacto Melanchthon in Iuſtificationis negotio (quod penè eſt incredibile) quaterdecies aliud atque aliud ſenſerit. Nec minùs inconſtanter ac leuiter circa alia fidei myſteria ſe habuerunt, non illi modò, ſed alij vniuerſi.

Quippe omnibus idem inconſtantiæ erroriſque ſpiritus dominatur. Vide de ſimilibus plura apud Hoſium.

Quod autem dicit Salomon, greſſus huius hęreticæ meretricis eſſe inueſtigabiles, ſeu rectius inperueſtigabiles & inſcrutabiles; Beda intelligit, in tot tamque varios & innumerabiles errores ſeſe hæreſim fundere, vt penitus, quot ſint, inueſtigari nequeat. Quod quidem veriſſimum eſt: ſed aliud prætereà hic latere puto, non minùs obſeruatione dignum: quòd nimirum fraudes hæreticorum, tam occultæ, ſubtiles, & planè vero ſimiles ſint, vt difficillimum ſit eas euitare; tam doloſa & vafra eorum conſilia, vt prorſus, quò vergant, inueſtigari ac deprehendi non poſſit; tam inuolutæ & obliquæ ſententiæ, vt, quidnam per eas ſibi velint, intelligi nequeat: vt verum dicere videantur, dum ſuadent falſiſſima; vt bonam tueri cauſam, dum ſuſtinent iniquiſſimam: nimirum nequiſſima verſutia aliud longè agentes, quàm verba ipſorum præ ſe ferunt. Ita vt veriſſimè dixerit beatus Leo (Sermone quinto de Natali Domini) non minùs in tramite fidei anguſtam & arduam viam eſſe, quæ ducit ad vitam, quàm in opere virtutum, & obſeruatione mandatorum: & magni laboris eſſe magnique diſcriminis, inter dubias imperitorum opiniones, & veriſimiles falſitates, per vnam ſanæ doctrinæ ſemitam inoffenſis greſſibus ambulare; & cùm vndique ſe laquei erroreſque opponant, omne periculum deceptionis euadere.

Sic D. quoque Cyprianus dicit (in principio libri De ſimplicitate, ſiue vnitate Prælatorum) diabolum, qui ſemet transfigurat in Angelum lucis, miniſtros etiam ſuos velut miniſtros iuſtitiæ ſubornare; aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem pro obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei; vt, dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur.

Ad quem modum rectè intelligas de hæreticis illud Pſalmi 139. Iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi. Dum videlicet mala quaſi bona, hæreſim tamquam fidei veritatem, ſub aliqua virtutis ſpecie, laudant atque proponunt. Videbantur me velle in rectam viam ducere, at ipſi reuerà per deuia errorum me trahere nitebantur: deuiumque & ſcandalum, tamquam ipſamet ſit via, oſtentant. Quid enim aiunt? Non delectatur, aiunt, Deus cultu illo impio ac ſuperſtitioſo, quo naturam ſuam corrumpunt homines, & caput ſuum in circulum torquent, vſque ad amentiam à cibis abſtinentes, &c. Pulchra ſunt verba; & quò vergant, ægrè queunt ſimplices intelligere: ſed nihil aliud iſtis niſi vtiliſſimum & ſaluberrimum nobis ieiunium conantur auferre. Rurſum: An, inquiunt, conſentaneum eſſe creditis Diuinæ bonitati, vt impios atheoſque pontifices veritatem ſinceræ fidei & religionis doceat; & à peſſimis impuriſſimiſq; hominibus viros optimos Euangelij ſenſum ac interpretationem petere velit? Sic illi aggrediuntur incautos: qui quomodo facilè ſibi perſuadeant, ſub blandis hiſce multumque veriſimilibus verbis, aliquem ſubeſſe dolum? Sed, longè aliud hîc agitur, quàm prima fronte appareat. Latet anguis in herba. Conantur ſiquidem hiſce verbis ac rationibus, ſummo Romano Pontifici auctoritatem abrogare, & ab illius nos communione ſeducere; cùm promiſerit illi Chriſtus quòd ſuam ſuper eum ædificaret Eccleſiam, aduerſus quam portæ inferi præualituræ non eſſent: & pro eo rogauerit, ne fides eius vnquam deficeret. Videtis, quàm inperueſtigabiles & inſcrutabiles ſint greſſus hæretici, quàm ſubdola eorum conſilia, quàm difficilè cognoſci ac deprehendi poſſit, quid blandis ſermonibus ſuis conentur efficere? Plura poſſem de Neſtorio, Pelagio, noſtriſque hæreticis commemorare, qui ſimilibus ſtrophis ſubuertunt fidei integritatem: ſed, ne diutiùs quàm par eſt iſtis inhæream, ſimque iuſto prolixior, vnum tantùm quid de Arrianis referam, quo res tota nimis quàm euadet manifeſta.

Cùm peſtis Arriana ſic pænè vniuerſum terrarum orbem obtineret, vt dumtaxat viginti plus minùs Epiſcopi in fide Catholica perſtitiſſent; omnem mouerunt lapidem Arriani, vt iſtos quoque paucos peruerterent. Verùm quanto hi pauciores, tanto in fide conſtantiores ac firmiores erant. Itaque ad extremum quando minis eos & terriculamentis nequidquam cedere ac moueri poſſe conſtabat; Taurus, prætorij Præfectus, precibus eos aggreditur, ac lacrymans obteſtatur (ô ſimulatam vereque hæreticam mentem!) mitiora vti conſulerent, ſequerentur plurium exemplum, auctoritatem ſaltem ex numero ſumerent, multaq; talia. Ac tandem: Quid eſt autem (ait nebulo peruerſiſſimus) quod vobis in fide noſtra tantopere diſplicet. Ecce hęc fides ab Orientalibus omnibus, Imperatore auctore, prolata eſt. Quis tandem diſcordiarũ finis erit; ſi quæ Orientalibus placent,

Occiden-

Occidentalibus vſque diſpliceant? Age, ſi quid minùs plenè præſenti fide editum videtur, ipſi addite, quæ addenda putatis: noſtrum in omnibus, quæ adiicietis, habituri eſtis conſenſum. Fauorabilis profeſſio pronis omniū animis excepta eſt, nec vltrà noſtri repugnare auſi, iam quoquo modo finem rebus imponere cupientes. Recitata eſt igitur fides. Poſt multa, Taurus & Valens profeſſi ſunt, ſe Arrianos non eſſe, & ab Arrij blaſphemiis penitus abhorrere. Placuit hoc omnibus, & vtrimque damnatus eſt Arrius, totaque eius perfidia; vtrimque confeſſum eſt, Filium ante ſæcula eſſe à Patre genitum. Tum Valens, tamquā noſtros adiuuans, ſubiecit ſententiam, cui inerat occultus dolus: Si quis dixerit, Filiū Dei creaturā eſſe, vt ſunt ceteræ creaturæ, anathema ſit. nimirum aduerſus Arrium, qui Chriſtum creaturam ceteris creaturis ſimilem aſſerebat. Ab omnibus igitur conclamatum eſt; Anathema ſit. Siquidē ſonabant verba pietatem, & inter tanta illa præconia nemo venenum inſertum putabat. Nihil ſacrilegum expoſitionis ſuperficies præferebat: verùm, his verbis, quibus ſimilis eſſe ceteris creaturis Filius negabatur, creatura tamen potior & excellentior tantùm ceteris pronuntiabatur. Igitur hoc modo Concilio diſſipato, Arriani rebus nimiùm proſperè & ſecundùm vota fluentibus, Conſtantinopolim repentè ad Imperatorem concurrunt; ibique omnes vi Regia compellunt, exemplo Occidentalium; prauam illam fidem recipere. Ecce, aiebant, illi qui hactenus reſtiterunt Occidentis Epiſcopi, in noſtram iuere ſententiam. Hæc fides eſt, quam confeſſi ſunt; Filium Dei non eſſe creaturam ſicut ceteras creaturas. Quid apertius? hoc illud eſt, quod ſemper voluimus; non eſſe Filium Dei creaturam, vti ſunt aliæ creaturæ, ſed longè digniorem ac maiorem creaturam omnibus aliis creaturis: fuiſſe ipſum ante ſæcula genitum, ſed tamen tempus fuiſſe quando non erat; &, priuſquam naſceretur, non fuiſſe. Quid vltrà fouemus diſcordias? quin pacē, quin fidei vnitatē amplectimur? Tunc tunc demum οὐσίας nomen abolitum eſt; tunc Nicenę Synodi damnatio conclamata eſt. Tunc ingemuit orbis totus, inquit Hieronymus, & Arrianum ſe eſſe miratus eſt. Concurrebant Epiſcopi, qui hęreticorum dolis irretiti, ſine conſcientia hæretici ferebantur, contrectantes corpus Domini, & quidquid in Eccleſia ſanctum eſt, ſe nihil mali in ſua fide ſuſpicatos. Putauimus, aiebant, ſenſum congruere cum verbis; nec in Eccleſia Dei, vbi ſimplicitas, vbi pura confeſſio eſt, aliud in corde clauſum eſſe, aliud in labijs proferri timuimus. Decepit nos bona de malis exiſtimatio, &c. Hinc planè conuincitur, verè inueſtigabiles eſſe greſſus hæreſis, fraudeſque & dolos eius perdifficilè deprehendi: ſed prorſus, cùm nullum putetur eſſe periculum, incautos fallere. Serpit, ait Ambroſius, dum latet, eorum perfidia. Vnde conſequenter optimè monet Salomon, quod ſequenti capite proſequemur.

CAPVT V.

Fuga hæreticorum commendatur à Salomone, & nouq modo peſtis illa deſcribitur.

HÆRESIOS, vt meretricis, deſcripto periculo; hoc pacto fidelem Chriſtianum ad ipſius fugam hortatur Salomon, in quinto Prouerbiorum: *Nunc ergo fili mi, audi me, & ne recedas à verbis oris mei. Longè fac ab ea viam tuam: & ne appropinques foribus domus eius.* Et ſubdit: *Lætare potiùs cum muliere adoleſcentiæ tuæ.* hoc eſt, cum Catholica & Romana Eccleſia, quæ primùm te, cùm adoleſcens & puer eſſes, in recta atque Orthodoxa fide inſtituit. Sit illa gratiſſima tibi ceruа, & gratiſſimus hinnulus. Vbera eius inebrient te omni tempore; & in amore eius delectare iugiter. Quare ſeduceris, fili mi, ab aliena; Eccleſia nempe hæreticorum, ſeu potiùs Antichriſti Synagoga; & foueris in ſinu alterius? Ecce, quàm ſeriò quantoque cum affectu Salomon ab amore hæreſeos dehortatur: nimirum ſciens inexplicabile malum eſſe, ab ea ſeduci, eiuſque amplexibus irretiri.

Sequenti iam capite, ſexto videlicet, ipſo etiam expreſſo nomine deſcribit hæreticum: *Homo*, inquit, *apoſtata, vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur.* quæ ſingula explicabimus. *Prou. 6.*

Quonam autem modo hæreticus, qui apoſtata eſt à fide Catholica, peruerſo ore gradiatur, ex eo dignoſcitur, quòd nimirum Fideles peruerſiſſima oris ſui doctrina

decipiat, & quaſi ex ore producta catena poſt ſe trahat. Exurgent (inquit Apoſtolus, de hæreticis loquens Actorum 20.) viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe. Tribus autem iſtis, *annuit oculis, terit pede, digito loquitur*, externa amicitiæ ſigna denotantur. Conantur enim ſe venditare pro amicis Chriſti & Eccleſiæ; nihilque ſe niſi honorem Chriſti, & ſalutem ac profectum hominum quærere, perſuadere nituntur: prædicant charitatem, iactant pacem, concordiam fraternam dilectionem: & reuerà nihil aliud ſtudent, quàm Eccleſiam ſcindere, ac fraternam charitatem pacemque & concordiam Eccleſię perturbare. Vnde ſequitur in Prouerbijs: *Prauo ore machinatur malum; & in omni tempore iurgia ſeminat.* De quo poſteà forſitan aliquanto fuſiùs differemus. Sed quid? an ſemper regnabunt? an impunè hæretici vaſtabunt Eccleſiam? *Huic*, ait, *extemplò veniet perditio ſua, & ſubitò conteretur; nec habebit vltrà medicinam.* hoc eſt, remedium aliquod ſeu modum, quo ſe ab æterna damnatione eripiat.

Quod poſteà ſequitur: *Vt cuſtodiat te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ. Non concupiſcat pulchritudinem eius cor tuum; nec capiaris nutibus illius*: aptiſſimè id totum hæreſi applicetur, adeò vt de ipſa dictum videatur, niſi ſequeretur: *Pretium enim ſcorti vix eſt vnius panis.* & pòſt: *Qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus cùm tetigerit eam.* Quæ commodiùs de fornicatione ſimplici atque adulterio (ſub cuius nomine & perſona hæreſim Salomon deſcribit) dicta eſſe videntur: ſicut ſtatim ſubdit, *Qui autem adulter eſt*, &c. Sed quod ibidem de ſcortis & mulieribus, hiſce verbis ait: *Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta eius non ardeant: aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem, non erit mundus cùm tetigerit eam*: quàm maximè veritatem habet in hæreſi; vt ſatis ex ijs quæ antè diximus manifeſtum eſt. Fieri ſiquidem vix poteſt, vt qui colloquijs hæreticorum delectatur ac vtitur, non capiatur atque inficiatur. Sermo enim illorum vt cancer ſerpit, iuxta Apoſtolum. Nullum vitium magis eſt contagioſum vitio hæreſis. vnde & Venerabilis Beda ſic in hunc locum ſcribit: Soli ei conceditur hæreticorum libros legere, qui adeò ſolidatus eſt in fide Catholica, vt verborum dulcedine vel aſtutia nequeat ab ea ſegregari. Quis verò eiuſmodi fidei ſoliditatem ſibi facilè tribuat?

CAPVT VI.

Perpulchro paradigmate ſcanico, hæreſis ſub meretriculæ perſona & nomine, à Salomone adumbratur: ſed priùs, ſeducti per illam conditio.

NVNC ad ſequens caput Prouerbiorum, videlicet ſeptimum, procedamus: vbi fuſiſſime & eleganter admodum coloribus ſuis hæreſis noſtra depingitur; noſtra, inquam, quam adumbrandam ſuſcepimus. Habuimus in genere hactenus multas hæreſeos proprietates, quæ & hoc loco denuò, ſed nouo aliquantulum modo, repetuntur. Audiuimus multa de hæreticorum blanditijs, de dulcibus, facundis, atque ad decipiendum aptiſſimis eorum ſermonibus: ſed quidnam in particulari dicere quibúſve vti verbis conſueuerint, nondum audiuimus, hîc iam illud primùm oſtenditur. Docetur hîc, quænam ſint illa dulcia & blanda colloquia, quibus in errorem ſuum alios pertrahunt.

Prou. 7. *Dic ſapientiæ*, inquit Salomon, *Soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam.* Sapientiam, nimirum, quæ pietas eſt & verus Dei cultus, non aliter ama, quàm ſororem ſuam homines amare ſolent. Maxima videlicet illam tibi dilectione coniunge. Quamobrem? Nempe, *vt cuſtodiat te à muliere illa extranea & aliena*: (de qua multa iam diximus) id eſt, ab hæreſi; quæ maximè pugnat cum pietate. Eſt illa à Chriſti & Eccleſiæ eius communione extranea, à fide, ſanctitate, veritate, & ſpe Eccleſiæ Catholicæ aliena. Maximè verò per hoc nota & in ſpeciem commendabilis, quòd verba ſua dulcia facit; vt ſuprà oſtenſum eſt. Obſerua itaque, & vigila diligenter, vt per Dei gratiá te ab illa cuſtodias. Video enim (quaſi Sapiens dicat) quantum ijs, qui ſegniores ſunt in timore Dei, periculum ab illa immineat. Video, quàm miris artibus ac dolis illa tales in caſtra ſua pertrahere ſtudeat. Video, quàm miſerè fraudibus & blanditijs eius multi capiantur, & quàm graue ſupplicium ab ea ſeductos maneat.

At

At penitiùs nunc attendamus, quomodo primùm deſcribat Salomon eos, qui ab hæreticis capiuntur, quales, & quonam modo plerumque priùs affecti ſint. *De feneſtra*, inquit, *domus meæ per cancellos proſpexi, & video paruulos, conſidero vecordem iuuenem*, &c. Hoc tamquam exemplum quoddam, & actus ſcænicus, effictum eſt à Salomone, docendi gratia.

Primùm, iuuenem & paruulum vocat illum, qui amplectitur hæreſim; non quidem ætate, ſed conſilio & prudentia, paruulum virtute & pietate. Notandum eſt (inquit Hieronymus in 32. caput Iſaiæ) quòd, qui ab hæreſi decipi poteſt, humilis ſit & terræ affixus. nempe, vt Apoſtolus ait, qui fluctuantes circumferuntur omni vento doctrinæ: loquitur enim de hæreticis. Tertullianus capite ſecundo, De Præſcriptione hæreticorum: Hæreſes, inquit, apud eos multùm valent, qui in fide parum valent. Et mox: Non aliter hæreſes de quorumdam infirmitatibus habent quod valent; nihil valentes, ſi in benè valentem fidem incurrant. Et ſequenti capite, docet, neque prudentes neque fideles æſtimandos, quos hæreſes potuerint demutare. Vide quoque D. Hieronymum, Epiſtola ad Cyprianum; Priùs te, &c. ad illud Pſalmi; Dies noſtri ſicut aranea meditabuntur, &c.

Nota autem, quòd non ſimpliciter iuuenem appellat Salomon, ſed vecordem iuuenem; id eſt, vagum, diſſolutum, nullis honeſtis ſtudijs occupatum, malis concupiſcentijs carniſque affectionibus ſubditum, virtute vacuum. Tales ſiquidem paratiſſimi aptiſſimique ſunt ad ſuſcipiendos hæreticos. Vnde & Petrus dicit, hæreticos pellicere in errorem ſuum animas inſtabiles (in fide ſcilicet & pietate vitæ) & eos, qui paululùm effugiunt, qui in errore conuerſantur: qui relinquere cœperunt vitæ probitatem & exercitia pietatis, qui nutant & vacillant, ac nonnihil ad partes aduerſariorum inclinant: quibus ſemper aliquid in antiqua religione diſplicet; ſemper queruli, ſemper obmurmurantes. Huiuſmodi paruuli & vecordes iuuenes vehementer ſunt diſpoſiti atque affecti ad amplectendam hæreticorum doctrinam; atque habita quàm minima occaſione, ſeduci ſe patiuntur: non aliter quàm proximus eſt præcipitio, qui iam alterum pedem ad lapſum leuauit.

Sequitur: *Qui tranſit per plateas, iuxta angulum.* Qui ab hæreticis capiuntur, plateas, id eſt, latas vias (vt eſt in Euangelio) obambulant; deſerentes anguſtam viam, quæ ducit ad vitam; vt iam oſtendimus: & iuxta angulos platearum; hoc eſt, curuos & reflexos tramites: quia nimirum à veritatis rectitudine deuiantes, variorum ſequuntur ambages errorum. *Et prope viam domus illius graditur.* Qui à via veritatis declinant, ait Beda, meritò viæ domus hæreticorum appropiant. Significatur hîc etiam, quod per diſſolutos & malos mores, per corruptiſſimam vitam, vehementer quis propinquus fiat vijs hæreticorum. Deinde etiam, quòd qui ab hæreticis capiuntur, priùs ipſi ferè occaſionem quærant: veniunt ad eos, libenter eos audiunt, cum eis loquuntur & conuerſantur familiariùs, libros eorum legunt; atque ad eum modum valdè appropinquant moribus & inſtituto ipſorum, quos non auerſantur.

In obſcuro, adueſperaſcente die, in noctis tenebris, in caligine. Poteſt ad literam ſenſus eſſe; quòd plerumque nocturno tempore, quando tenebroſum eſt & obſcurum, ſeducantur paruuli ab hæreticis, quemadmodum & à meretriculis. Tum enim ferè hæretici conuenticula ſua celebrant; partim metu (quia, ſi palàm id facerent, à ciuili poteſtate, quæ Eccleſiæ ſeruit, deprehenſi, pro crimine pœnas darent) partim, quia malè ſibi ſunt cōſcij. Omnis enim, qui malè agit, inquit Saluator, odit lucem. Ob has enim cauſas, videmus hæreticos noctu conuenire, conciones habere, ſacrilegia ſua peragere, inſtruere ſuos in ſuſceptis erroribus, & quoſcumque alios ad eoſdem errores, ad ſacrilegam ſuam conſociationem, admittere. Vnde & Saluator inquit de illis: Tunc ſi quis vobis dixerit; Ecce in deſerto, ecce in penetralibus eſt, nolite ire.

In obſcuro itaque noctis, in tenebris & caligine graditur, qui hæreticorum fraudibus irretitur. Ac prætereà tenebris obſcuratum habent intellectum, multa variorum errorum ac vitiorum conſperſum caligine, multis tenebrarum obductum operibus, qui in hæreticorum doctrinam & communionem induci ſe patiuntur. vt hac quoque ratione, meritò in obſcuro noctiſque tenebris ambulare dicantur.

CAPVT VII.

Iam peculiariter hæreſis vt meretricis vafricies ac ſubdola agendi ratio declaratur.

ALTERA iam ſequitur veluti pars fabulæ, qua depingit Salomon technas, dolos, mores, & proprietates hæreſeos, meretricis obtentu. *Ecce*, inquit, *occurrit illi mulier in ornatu meretricio; præparata ad decipiendas animas*, &c. De meretricio hæreticorum ornatu, phaleriſque verborum, ſatis multa ſuperiùs diximus; maximè vbi ſimilitudinem inter meretrices & hæreticos declarauimus. Hic tamen breuiter accipe, quod Beda: Hæreſis, inquit, apparet ornatu meretricio, quia immundâ præfulget eloquentiâ. Iſte certè primus & præcipuus eſt meretricum & hæreticorum ornatus; quòd nimirum vtrique polleant ſuauitate verborum, & mirâ elocutionis gratiâ ſimplicibus parumque cautis quod volunt perſuadeant. Vnde mox ſubiicitur, meretricem hanc eſſe garrulam. ſed hoc abundè ſuperiùs eſt declaratum: quemadmodum & quod ſequitur, vagam eſſe hæreſim.

Eſt autem & illa *Quietis impatiens*: quietem & pacem Eccleſiæ turbare deſiderans, inquit Beda. Nihil porrò æque malè habet diabolum, quàm quòd Eccleſiam videat in ſumma pace, concordia, vnitate, & tranquillitate, Deo ſeruire; nulla eſſe ſchiſmata; idipſum ſentire omnes. Siquidem nulla alia re magis Chriſtiana religio promouetur, nulla alia magis diaboli regnum deſtruitur. Vnde & Chriſtus ex hac vita diſceſſurus ad Patrem ſuum, nihil nobis aliud, vt ita dicam, teſtamenti loco reliquit, quàm pacem. hanc nobis hereditatē dedit, dona omnia ſuæ pollicitationis & præmia, in pacis conuerſatione promiſit: neque aliud Patrem eſt precatus ardentiùs, quàm vt vnum cum ipſo, vnum inter nos eſſemus; vt pulchrè notauit Cyprianus. Quamobrem nullum non lapidem mouet diabolus, vt hanc Eccleſiæ vnitatem, vt fidelium vnanimitatē, pacem atque concordiam, turbet. Commodum itaque hæreticos excitat, qui noui itineris errore, fidem (qua maximè vnitas retinetur) ſubuertant, veritatem corrumpant, vnitatem ſcindant atque perturbent. Non ferunt, Epiſcopos & Sacerdotes Catholicos à Chriſtiano populo
Iacob. 3. Act. 20. honorari, ſe autem inglorios ignoroſque manere. Volunt ipſimet plures magiſtri fieri, & diſcipulos poſt ſe abducere; vt ſibi honor bonis Paſtoribus & Doctoribus debitus deferatur. Liquet igitur, rectè eos à Salomone dici Eccleſiaſticæ quietis & pacis impatientes eſſe, eamque ea propter qua poſſunt interturbare. Quod ipſum quoque ſignificare mihi videtur, quod proximè ſubiicit Salomon: *Non valens in domo conſiſtere pedibus ſuis: ſed nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians.* Cùm non poſſint hæretici, nec velint, in Eccleſiæ Catholicæ domo & communione conſiſtere, vndiq; occaſiones quærunt, vt [illegible]um illam infeſtare, vt fideles inde ſecum abducere, vt omni ex parte ſaluti Eccleſiæ nocere poſſint. Hoc deſignat, quòd nunc foris, nunc in plateis, nunc circa angulos, inſidientur: omni loco, omni tempore, omni modo, inſidias ſtruunt Eccleſiæ, aliosque erroribus ſuis inficere ſtudent. Mare & aridam circumeunt, vt faciant vnum proſelytum; reuerà longè magis ad perfidiæ ſuæ propagationem laborantes, quàm nos ad veræ fidei noſtræ defenſionem atque incrementum conſueuimus facere.

Sequitur in textu Prouerbiorum: *Amplexumq; deoſculatur iuuenem.* Quid hoc ad hæreticos, inquiet aliquis: Verborum, inquit Beda, fallacium blandimentis tentant inſtabilem. Carnalis etenim voluptatis illecebræ vehementer ſe exerunt in impudicis oſculis & contactibus. in his potiſſimùm guſtatur Venus. ſic hæretica peſtis ſe maximè inſinuat animis hominum per blanda, & elegantia, & illecebroſa ipſorum hæreticorum colloquia, multumque veriſimilia argumenta; quibus aduerſus Catholicam veritatem pugnant. Hic hamus commodiſſimus, quo ab hæreticis ſimplices capiuntur, vti anteà diximus.

Amplexumque ergo hæreſis blandis verbis & promiſſionibus deoſculatur iuuenem; & procaci vultu blanditur, dicens: *Victimas pro ſalute deuoui, hodie reddidi vota mea.* Religionis eſt & pietatis ſimulatio. Quaſi dicat: Iamdudum voui Deo, pro mea tuaque ſalute, votum: promiſi ei pinguia offerre ſacrificia; ſi me in fide hac conſeruaret, quam ſumma dignatione nuper mihi (cùm magnis priùs in erroribus verſarer) reuelauit: ſique

per me

per me quamplurimos alios eiuſdem veritatis ac lucis nouæ participes facerer. Video autem nunc (laus Deo) feliciter quod optaui ſuccedere: idcircò reddidi hodie vota mea, obtuli Deo ſacrificium, laudans eum & gratias agens, quòd tam benignè in tenebris & in vmbra mortis ſedentes, Euangelij ſui luce, & fidei veritate illuminet, & veram nobis ſalutis viam hucuſque nobis ignoratam oſtendat. Quæro autem vbique, quos lætitiæ huius meæ participes faciam, quos eamdem verbi diuini doceam veritatem, quos ad æternam mecum ſalutem promoueam. Tædet (eheu!) miſeretque me tantæ cæcitatis, qua nunc tot ſæculis totus ferè Chriſtianus orbis laborauit. & hoc magis miſeret, quòd errorem ac ignorantiam ſuam vix quiſquam agnouit: donec iam Spiritus ſanctus, non ferens diuriùs hominum profundam infidelitatem ac cæcitatem, copioſè (ſit ipſe benedictus) gratiam ſuam in multos effudit, qui tamquam alij Apoſtoli cœperunt homines ab erroribus liberare, vera homines fide ac religione paſſim imbuere, clarumque obſcuro mundo lumen accendere. Laborant illi quidem diligenter in vinea Domini, ſed plurimos etiam num ſibi reſiſtentes inueniunt, à quibus graues admodum perſecutiones (ô ingratitudinem non ferendam!) Prophetarum, Apoſtolorum, Sanctorumque ab initio omnium more, patiuntur. Nimis addicti ſunt plerique antiquis atque inueteratis erroribus; homines nimirum corrupti moribus, & vitę, libidine, ſuperbia, auaritia, gula, iniquitate, crudelitate, ceteriſque vitijs contaminatiſſimę. Nemo apud eos ſincerè tractat verbum Dei; nemo abuſus & vitia, quibus omnia ſcatent, exſtirpare nititur; nemo fraternam charitatem exercet; nemo pauperum, viduarum, pupillorum, aliorumque afflictorum, curam gerit: omnes quæ ſua ſunt quęrunt. Cumque hæc generaliter omnibus ſint communia, maximè tamen & præcipuè apud Eccleſiaſticos (vt ſeſe appellant) vigent: qui ſimulant ſe præ alijs deuotius, ſanctiùs, ac potiùs Deum colere, multaq; ſibi iniquè præ alijs arrogant: apud ſacrificulos illos & malos Paſtores, veriùs lupos & crudeles ouium dilaniatores, qui lacte & lana ouium ſe paſcunt & veſtiunt, ipſas autem oues impijs ſuis moribus, peruerſa doctrina, iniqua tyrannide, & hic opprimunt, & poſteà in æternum præcipitant exitium: apud Monachos & Religioſos illos (ſi dis placet) cùm nihil minus ſint quàm religioſi; vtpote genus hominum, otio, libidine, gula, auaritia, luxu, perditiſſimum: cui quæſo apud iſtos iam lubeat diutiùs conuerſari? Hi ſunt videlicet Papiſtæ illi, qui Chriſti ſeſe gloriam quærere ſimulant; operibus autem ipſis iuratos ſe Chriſti hoſtes eſſe declarant. Hi ſunt ſuperbi; quibus nimis indignum videtur, quod à pauperibus & humilibus iam primùm ſalutis viam, iam primùm Euangelij veram interpretationem diſcant: adeò in peccatis ſuis ac ignorantiæ tenebris conſenuerunt, excæcante eos malitia ſua. At ſperandum eſt tamen, quòd miſericordia ſua Deus illos ſemel reſpiciet: quod vt citò facere dignetur, diligenter orandus eſt. Te verò, cariſſime fili, per ſalutem tuam obſecro, ne gratiam Spiritus ſancti, quę nunc tibi offertur, contemnas: ne ſalutem negligas animæ tuæ. Perfice potiùs gaudium meum, participem te redde lætitiæ meæ. Peractis quippe ſacrificijs & precibus meis, *egreſſa ſum in occurſum tuum, deſiderans te videre: & reperi*, laus Deo. Oraui pro te Dominum diligenter, ſalutem tuam Chriſto votis ardentiſſimis commendaui. Quocirca, ſi me diligis, ſi diligis Chriſtum, ſi teipſum adeò amas; audi verba mea, amplectere conſilia mea. Separa te de medio impiorum; fuge ocyùs è Babylone, ne inuolucris pœnis illius, & particeps fias ſuppliciorum eius: inſtat enim eius perditio. Satis iam abundè datum eſt erroribus, impietatibus, fraudibus illorum hominum, quibuſcum hactenus conuerſaris. Ad noſtram te fili mi, ſocietatem conuerte, ſimplicibus te & humilibus iunge: non ſit tibi vltrà pars cum ſuperbis iſtis Deoque vehementer exoſis Antichriſti diſcipulis.

Ecce, hunc in modum hæretici, humilitatis, pietatis, & miræ charitatis prætextu, capiunt ſuos. Omnibus hoc commune eſt, vt ſimulent ſanctitatem, & pro aliorum ſalute ſollicitos ſeſe eſſe perſuadeant. Omnes charitatem, amorem, zelum Dei atque Eccleſiæ, religionem, Deique timorem prætendunt. Quamuis (inquit D. Gregorius libro tertio Moralium, capite decimoquinto) elationis typho turgidi magnos ſe apud ſemetipſos æſtimant, nonnumquam tamen Eccleſiæ ſanctæ ſpecie tenus inclinant; & dum verba molliunt, virus infundunt. Aliquid ſemper de imagine ſanctitatis & humilitatis oſtendunt; vt, dum ſancta & humilia exhibent, perſuadeant impia & ſuperba quæ docent. Adeò vt hoc quoque Paulus inter ceteras hæreticorum proprietates collocet; quòd ſint quidem habentes ſpeciem pietatis, ſed virtutem tamen eius abnegantes.

Pergit itaque Salomon, ſeu potiùs hæreſis apud Salomonem adblandiens iuueni:

Intexui

Intexui funibus lectulum meum: ſtraui tapetibus pictis ex Aegypto: aſperſi cubile meum myrrha, & aloë, & cinnamomo. Iſtis omnibus verbis explicare nititur Salomon, quam magnificè hæretici Eccleſiam ſuam, dicam verius pſeudoeccleſiam, & doctrinam commendent; quàm præclara promittant, quanta apud ſe bona eſſe iactitent. Vnde non eſt neceſſarium, ſingulorum quæ hîc exprimuntur rationes exquirere; & quonam modo ſingula hæreticis conueniant, explicare. Satis eſt intelligere, quidnam Salomon per hæc omnia ſimul velit. Eſt enim ſermo tamquam prouerbialis aut metaphoricus. quemadmodum, cùm de Eccleſia dicit: Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores: non eſt anxiè inquirendum, quonam mòdo peccatores ſupra dorſum Eccleſiæ fabricent: ſufficit intelligere, per illum ſermonem parabolicôs indicari grauiſſimam afflictionem, quam patitur Eccleſia à peccatoribus; ſicut grauiſſimè affligeretur, ſuper cuius dorſum tamquam incudem fabri malleis ferreis fortiter verberarent. Ita ergo hoc loco, cùm dicit hæreticus; *Intexui funibus lectulum meum*, &c. nihil aliud deſignare vult, quàm omne bonum in Eccleſia ſua reperiri. Audent, inquit Vincentius Lirinenſis, polliceri & docere, quòd in Eccleſia ſua, hoc eſt, in communionis ſuæ conuenticulo, magna & ſpecialis ac planè perſonalis quædam ſit Dei gratia (quod antè meminimus) adeò, vt ſine vllo labore, ſine vlla induſtria, etiam ſi nec quærant, nec petant, nec pulſent, quicumque illi ad numerum ſuum pertinent, tamen ita diuinitus diſpenſentur, vt Angelicis euecti manibus, id eſt, Angelica protectione ſeruati, numquam poſſint offendere ad lapidem pedem ſuum; hoc eſt, numquam ſcandalizari.

Certe, clariſſimum eſt, hæreticos magnam quamdam & ſublimem polliceri ſcientiam atque doctrinam, ſinceram ac apertam Scripturæ interpretationem; verbi Dei puram ſimul & copioſam adminiſtrationem, eximiam vitæ pietatem, inſtitutionem, pacem, concordiam, mutuam charitatem, & miſericordiam erga omnes: pauperes apud ſe, viduas, inopes, pupillos, numquam negligi, vt apud Papiſtas, aiunt, ſed omnium diligentem haberi curam & rationem. Multaque id genus habent, quibus ad ſe norunt pellicere ſimplices. Quemadmodum & apertius ſequitur in textu: *Veni, inebriemur vberibus:* fidei ſcilicet noſtræ atque doctrinæ; quæ inſtar vberum reficit & delectat. *Fruamur cupitis amplexibus*: nimirum conuerſatione & familiaritate mutua, dulcibus colloquijs.

CAPVT VIII.

Falſa ac præpoſtera hæreticorum noua quaſi lucis prætenſio, in tenebricoſæ ſuæ doctrinæ commendationem.

PROGREDITVR apud Salomonem fallaces ſuas inſidias ſpecioſo velo obtendere meretrix, & in ipſius perſona peſtiſera hæreticorum doctrina, adeoque ipſamet hæreſis: dum ait; *Donec illuceſcat dies.* Hic mihi namque hæretici velle videntur, quod Petrus Apoſtolus, poſterioris Epiſtolæ ſuæ capite primo, dum ſic inquit: Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benè facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in loco caliginoſo, donec dies illuceſcat. Vbi clarum eſt, diei nomine intelligi tempus futuri ſæculi. Hoc enim præſens ſæculum, ſeu tempus, nox vocatur in Scripturis: tum quia in eo plerique in altis peccatorum tenebris, & varia denſaq; caligine errorum verſantur; tum quòd in eo ſingulorum ſit vita occultior, nec certum ſit, amore ne aliquis an odio dignus ſit. Sic Apoſtolus ad Romanos ait: Nox præceſſit (ita enim ſecundùm Græcanicam veritatem legendum eſt) dies autem appropinquauit.

Hoc itaque ferè eſt, quod ſibi volunt hæretici, ac ſi dicant: Cùm tot in hac vita errores & laquei vndique occurrant, ſecuri apud nos viuite, & noſtræ (per ſalutẽ veſtram obſecramus) doctrinæ credite. hîc demum tuti, ab omniq; erroris periculo immunes, eritis. Noſtra fides ac doctrina præ alijs omnibus, quaſi lucerna eſt quædam in caliginoſo iſto ſæculo lucem præbens, rectamque ſalutis viam demonſtrans: donec futuræ vitæ dies adueniat, & Lucifer Chriſtus oriatur in cordibus veſtris, clariſſimam vobis ſuam diuinitatem oſtendens.

Sed, quid eſt, quod ſequitur? *Non eſt vir in domo ſua: abijt via longiſſima,* &c. Hîc ſibi hæretici ſuiſque animos addunt, ex ſecuritate & facilitate rei perficiendæ, quam aggrediuntur; tamquam nullo negotio effecturi ſint, quod ſtatuerunt: non ſubeſſe magnum pericu-

periculum, nec fruſtrà ſe laboraturos eſſe, modò audacia aliqua, fortitudo, & zelus (vt volunt) domus Dei, adſit. *Non eſt*, inquiunt, *vir in domo ſua*, &c. Quaſi dicant; Iam animum accipere oportet omnia perturbandi, noſtramq́ue doctrinam longè lateq́ue ſeminandi, cùm tempus eſt commodiſſimum & maximè opportunum. Chriſtus enim non ampliùs iam eſt in Catholicorum Eccleſia, dereliquit ſedē ſuam antiquam, eò quòd malos mores, & peccata, errores, impietates, abuſus, quæ omnem Eccleſiæ ipſorū ſtatum inuaſerunt, ferre diutiùs noluit. quemadmodum olim Iudæis, cùm vita eſſent ſceleratiſſima, & à veritatis doctrina iam deflexiſſent, dicebat; Ecce, relinquetur vobis domus veſtra deſerta: & auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius: ita nunc ſimiliter, gratiam ſuam & protectionem Catholicis æquiſſima ratione ſubtraxit. An hoc non videtis ad oculum, palamq́ue animaduertitis? cernitiſq́ue quàm negligenter agant Paſtores eorum, Epiſcopi, & Sacerdotes? quàm alto ſomno oppreſſi iaceant? quonam modo populum à vitijs & malis moribus non defendant? non ſincerè Euangelium & liberè veritatem prædicent? quonam pacto ſeipſos paſcant, non oues ſuas? An non videtis, quonam modo populus Prępoſitorum ſuorum negligentiam & vitia optimè imitetur; quodq́ue vita corruptiſſima planè ſit perditus, atque ad doctrinam noſtram obuijs vlnis amplectendam paratiſſimus aptiſſimuſq́ue? Quid hæc aliud arguunt, quàm ab eis Chriſtum abijſſe? abieciſſe illos ac reliquiſſe: nolle ampliùs illos pro populo ſuo ac hereditate agnoſcere? Nauſeat iam paſſim omnibus fides antiqua, religionem omnem veterem priſcaſq́ue cærimonias paſſim omnes faſtidiunt: in nouam noſtram ſuauemq́ue doctrinam omnes procliues ſunt. Quin igitur inuadimus? quidni viros eis opponimus? Tuta & ſecura ſunt omnia: maxima vndique affulget ſpes victoriæ.

Sic itaque, ſic hæretici conſpirant animantq́ue ſeipſos aduerſus Eccleſiam. nimirum, quemadmodum Iudæi olim aduerſus caput Eccleſiæ Chriſtum, ſicut habet Pſalmus ſeptuageſimus: Quia dixerunt inimici mei mihi; & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in vnum, dicentes: Deus dereliquit eum; perſequimini & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat. Ad eumdem quoque modum Gentes olim aduerſus Iudæos Deum colentes, ſe animabant & conſpirabant, dicentes, vt habemus 1. Machabæorum duodecimo capite: Non habent principem & adiuuantem; nunc ergo expugnemus illos, & tollamus de hominibus memoriam illorum.

Neque verò ſe mutuò tantùm ita exhortantur hæretici, ſed ad eumdem quoque modum cum illis agunt, quos conantur ſeducere. Quid etiamnum, aiunt, in Papiſtica illa manetis Eccleſia? nondum videtis, quonam pacto illos Chriſtus iamdudum abiecerit ac repudiauerit, nolitq́ue eam ampliùs pro domo ſua Eccleſiaque agnoſcere? An non hoc ſatis euidenter loquitur ſupina illa nimiſq́ue intoleranda Epiſcoporum, Paſtorum, & Sacerdotum in regendo populo negligentia, vitaq́ue eorum ſordidiſſima, impijſſima, & publicè ſcandaloſa? tum abuſus craſſiſſimi, omnis generis vitia, quæ in populo ipſo eis adhærente, in quemcumque ſtatum oculos conuertas, abundant maximè? Quonam modo ſe ita hæc haberent, ſi ipſorum adhuc Eccleſiam Chriſtus diligeret, regeret, & ſua protectione à malis defenderet? Verè, ***non eſt vir in domo ſua; abijt via longiſſima.***

Videntur iſta imperitis hominibus admodum veriſimilia & plauſibilia; multumq́; per iſta mouentur, ac facilè hac ratione ab Eccleſia Catholica auocantur: apud peritos & probos autem, qui prudentiores ſunt, nullius momēti iſta ducuntur. Quos malè quidem habuit ſemper, & habet etiamnum, tot tantoſq́ue eſſe Catholicorum, maximè Eccleſiaſticorum, abuſus & corruptos mores; attamen ſciunt, ſibi nullo modo propterea eſſe ab eorum communione recedendum: iuxta illud Chriſti; Omnia, quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite; ſecundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt: Matth. vigeſimotertio.

Quod iam ſequitur: ***Sacculum pecuniæ tulit ſecum, in die plenæ lunæ***: ſiue, vt Hebræa habent, ***Tempore conſtituto reuerſurus eſt in domum ſuam***: ad tropum id ſeu metaphoram pertinet. nec aliud per hoc inſinuatur, quàm quòd vir longinquam aggreſſus ſit profectionem, multoq́ue tempore domo ſit abfuturus. Nam, qui ſacculum pecunia plenum è domo ſecum portat, indicat hoc facto, ſe haud citò reuerſurum.

CAPVT

CAPVT IX.

Quæ quantáque incurrit pericula & damna, qui ſe ſinit ſeduci ab hæreſi.

NVNC poſtremam fabulæ partem triſtemque cataſtrophem videamus: qua Salomon declarat, in quæ & quanta mala incidat; qui, non munitus vera ſapientia, ab hæreſi ſeduci ſe patitur. Ita in contextu proſequitur: *Irretiuit eum multis ſermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum.* Manifeſta & facilia captu ſunt hæc; vt etiam quæ ſequuntur: *Statim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam; & quaſi agnus laſciuiens & ignorans,* &c. Pulchra comparatio à boue & agno deſumta: qui tam gaudent & laſciuiunt, cùm ad macellum mactandi ducuntur, quàm dum ad præſepe bono pabulo reficiendi; cùm neſciant, vbi, quando, & quomodo ſint morituri. Sic qui patiuntur ſe ab hæreticis decipi, exiſtimant ſe apud eos miram ſapientiam & vitæ pietatem conſecuturos eſſe, & reuerà ad mortem ducuntur æternam. *Ignorans,* inquit Salomon, *quòd ad vincula ſtultus trahatur.* vincula vtique peccatorum, de quibus ſcriptum eſt, quòd funibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur: & pòſt, ſupplicia ſempiterna. de quibus Dominus: Ligatis manibus eius & pedibus, proijcite in tenebras exteriores.

Sequitur in parabola Salomonis: *Donec transfigat ſagitta iecur eius.* Non enim priùs ſe malè eſſe cognoſcit, quàm cùm mortem ipſam intra præcordia conceperit, animaque eius mortifero ac lethali vulnere lancinetur, ac remorſu tandem læſæ mortiferè conſcientiæ crucietur. Tam enim cæci ſumus, vt non antè iudicemus nos malè facere, quàm apertè maximorum flagitiorum ſordibus volutemur, ac omnino de tanta peccatorum fœditate erubeſcamus. Tum demum aperiuntur oculi noſtri per ſyntereſim: quæ illa eſt pars hominis, quæ retinet & conſeruat omnia; & quæcumque facta ſunt, poſteà recolit, & veluti in iudicium atque examen reuocat.

Sed, quoniam hæretici tarò admodum vel numquam ad remorſum conſcientiæ ac pœnitentiam redeunt; (vt latiùs ſuprà oſtenſum eſt) malim hîc, per ſagittam, diuinam intelligere vltionem, quæ frequenter in Scriptura ſagitta vocatur, vt in Cantico Moyſi: Congregabo ſuper eos mala; & ſagittas meas complebo in eis. Item Pſalmo decimo ſeptimo: Miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos. Item 37. Quoniã ſagittę tuę infixæ ſunt mihi; & confirmaſti ſuper me manum tuam. Hoc eſt, grauiter me afflixiſti, dureque tractaſti. Item 143. Emitte ſagittas tuas; & conturbabis eos. Dicit ergo Salomon, quòd non antè hæreticus pericula ſua, errores ac peccata, agnoſcit; quàm diuina vltione (vel hîc etiam, vt ſæpè vſu venit, vel ſaltem in futuro ſæculo) grauiſſimè feriatur. Sic ſola, iuxta Iſaiam, vexatio dat intellectum.

Sequitur alia, non minùs elegans, comparatio: *Velut,* inquit, *ſi auis feſtinet ad laqueum; & neſcit, quòd de periculo animæ illius agitur.* Eſt clarum: nam ad oculum res vna alteram luce meridiana clariùs manifeſtat.

CAPVT X.

Adhortatio ad cautelam & hæreſeos fugam.

HACTENVS durauit exemplum, quod finxit Salomon, ad commodiùs docendum ac explicandum naturam, proprietates, ac mores hæreſeos ac hæreticorum, vt & illorum qui per hæreſim ſeducuntur, & in quanta poſteà mala incurrant: nunc deinceps applicat illud ad propoſitum, & monet vt diligenter ſibi quilibet caueat, ne ſimiliter cum ipſis agatur. Sic etenim ſe monitorem præbet: *Nunc ergo fili mi, audi me, & attende verbis oris mei. Ne abſtrahatur in vijs illius mens tua.* hoc eſt, ne relicta via veritatis & Catholicæ fidei, inclineris ad vias hæreſis ac perfidiæ. *Neque decipiaris ſemitis eius. Multos enim vulneratos deiecit; & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea.*

Monet, vt ne quiſquam confidat proprijs viribus aut ſapientiæ: ne quis temerè exiſtimet, ſe ſatis doctum, & fortem, ac peritum eſſe, vt cum hæreticis abſque ſeductionis periculo conuerſetur. *Multos enim,* inquit, *vulneratos hæreſis ipſa deiecit; & fortiſſimi quique*

quæ interfecti ſunt ab ea. Et eſt profectò veriſſimum. Maximi enim viri, doctiſſimi, eloquentiſſimi fuère, Neſtorius, Apollinaris, Photinus, &c. Supra modum fortis ac eruditus fuit Tertullianus: at ſupra omnes longè maximus & eruditiſſimus fuit Origenes; quem (inquit Venerabilis Beda in hunc locum) poſt Apoſtolos Eccleſiæ magiſtrum fuiſſe, quamdiu rectè ſapuit, qui negauerit, errat.

Admiranda ſunt quæ Vincentius Lirinenſis de præclaris virtutibus, & ſcientia dictorum iam hæreticorum, & maximè Origenis, refert: reddens quoque rationem, cur interdum magni viri ſinantur à Deo in hæreſim prolabi, & ſalutarem Catholicam fidem relinquere; cùm reuerà magna infirmorum tentatio ſit, quando illum quem tu Prophetam, quem Doctorem & aſſertorem veritatis putes, quem pro ſancto multumque religioſo ſemper habueris, quem ſumma veneratione amoreque complexus ſis, is repentè errorum ſeminator ac doctor fiat: quem nec citò deprehendere valeas, dum antiqui magiſtri duceris præiudicio; nec facilè damnare audeas, dum magiſtri veteris impediris affectu. Hæc eſt, inquam, magna tentatio: verùm non ob aliud quàm ad tentationem, ſeu probationem fieri iſtud diuina prouidentia patitur. Nimirum vt nos examinet, inquit Moyſes Deuteronomij 13. capite) vtrùm diligamus Deum ex toto corde & ex tota anima noſtra, an non. Et Paulus 1. Corinthiorum vndecimo capite; Oportet, inquit, hæreſes eſſe: vt, qui probati ſunt, manifeſti fiant. ac ſi dicat; ob hoc hæreſeon non ſtatim diuinitus eradicantur auctores: vt probati manifeſti fiant; hoc eſt, vnuſquiſque, quàm tenax, & fidelis, & fixus Catholicæ fidei ſit amator, appareat. & reuerà, quæcumque nouitas ebullit, ſtatim cernitur frumentorum grauitas, & leuitas palearum. Tunc ſine magno molimine excutitur ab area, quod nullo pondere intra aream tenebatur. Sed, auolent quantum volent paleæ leuis fidei, quocumque tentationum afflatu, eò purior maſſa frumenti in horrea Domini reponetur: quemadmodum inquit Tertullianus De præſcriptione hæreticorum, capite tertio.

Magnopere itaque facit, tum ad commendationem Diuinæ gratię, tum ad humilitatis conſeruationem, atque electorum ſpiritualem ædificationem, magnamque ſalutis occaſionem; quòd magni quidam interdum multumque ſapientes à fide deficiant: nimirum, vt eſſe diſcamus non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes; & cum timore & tremore noſtram ſalutem operemur. Vt ſiamus aliorum periculo cautiores; timentes, ne idem nobis accidat fortè, ſi negligentiores ſimus, quod tantis viris, qui tantos antè in fide progreſſus fecerant, accidiſſe videmus. Iuxta quod Auguſtinus habet De dono perſeuerantiæ, cap. 13.

Si docti aliquando & magni in errores turpiſſimos & hæreſes non inciderent; ſibimetipſis homines, ſuæque ſolius induſtriæ doctrinam ſuam, ſcientiã, fidem, conſtantiam, perſeuerantiamque tribuerent. vt omnes ſumus natura nimis procliues ad ſuperbiam; nõ cogitaremus, nos Diuinę gratię adiutorio, quidquid boni habemus, conſecutos fuiſſe. Quemadmodum Philoſophi illi, qui ex creaturis, Deo donante, omnium creatorem Deum cognouerunt, euanuerunt in cogitationibus ſuis: & dicentes, ſe ſapientes eſſe (hoc eſt, vt Proſper poſt Auguſtinum ait, non in Deo ſed in ſemetipſis gloriantes; quaſi ad veritatis inſpectionem, ſuis ſtudijs atque rationibus propinquaſſent) ſtulti facti ſunt. At, quando videmus, tam doctos ſæpè quàm indoctos, tam magnos quàm paruos excæcari, & in turpiſſimos errores labi; certè occaſionem habemus, vt non in nobilipſis, ſed in Deo glorıemur: illi gratias agentes, de adepta primùm, & hactenus cuſtodita fide, veraque doctrina ac religione Catholica.

D. Auguſtinus ſcribens in Pſalmum centeſimum ſextum, ad illud: Errare fecit eos in inuio, &c. Potuit, inquit, hæreticos pati in Eccleſia ſemper; ſed nos de illis non proficeremus. Cùm autem ſeparati ſint, & per quæſtiones malignas nos inquietent, propoſitum eſt nobis ex illis & inquiſitionis ſtudium, & timoris exemplum. Vnuſquiſque tremat, cùm alterum videt exiſſe, tamquam de illius exitu dicatur illi: Quapropter, qui ſe putat ſtare, videat ne cadat. Proſunt ergo quia exeunt: nam ſi intus eſſent, & tam mali eſſent, nihil de illis prodeſſet; & tam diu haberent homines iſtum ſaluberrimum timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec ad Chriſti gratiam, qua piè viuitur, peruenirent: deinceps iam ſecuri, numquam ſe ab illa eſſe caſuros. Quæ præſumptio, in iſto tentationum loco, non expedit; vbi tanta eſt infirmitas, vt ſuperbiam poſſit generare ſecuritas: vt ait D. Auguſt. De correptione & gratia, capite 13.

Quid ergo (inquit Tertullianus De præſcriptione hæreticorum) ſi Epiſcopus, ſi Diaconus,

nus, ſi vidua, ſi virgo, ſi Doctor, ſi Martyr etiam lapſus à regula fuerit; hæreſes ideò veritatem videbuntur obtinere, aut idcircò ædificabimur in ruinam? Ex perſonis probamus fidem, an ex fide perſonas? Potiùs inde per humilitatem ad conſtantiam in fide ædificeris; orans Deum, ne fortè & te ex olea Eccleſiæ exſcindi permittat, ne fortè nec tibi parcat.

Deinde alia ratio eſt, ob quã Deus ſubinde maximos eruditiſſimoſq; viros in hæreſim incidere permittat; nempe, vt hoc modo nobis oſtendat, quanta ſit vnius peccati (maximè hæreſis) grauitas: quamque parum curet & nihili faciat Deus illum, quantumcumq; gratia magna & donis ornatus ſit, qui Deum ipſum ſemel ex ſuperbia dereliquerit; qui non veretur legem eius aut doctrinam ſciens & prudens violare; qui ſibi denique dona ſua, non Dei gratiæ tribuit.

Mirantur multi, ſcio, & quidem ad ſtuporem vſque mirantur, nec omnino ſatis admirari poſſunt, quo pacto Salomon ipſe, vir tantæ ſapientiæ & virtutis, eò dementiæ venerit, vt, relicto Deo vero, idola concubinarum ſuarum coluerit & adorarit, eiſque templa altariaque conſtruxerit. Et certè, res ſummè miranda eſt. Sed ego multò magis demiror, quonam modo, Adam, tanta ſapientia, tanta iuſtitia, tantis virtutum omnium ornamentis dotatus, eò inſaniæ venit, vt contra Dei præceptum ſerpentinæ ſuaſioni fidem adſcribens, crediderit, ſe ſicut Deum futurum, poſteaquam fructum vetitum deguſtaſſet. ita vt poſtmodum illi à Deo improperatum fuerit: Ecce, Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum. Quis enim neſcit, quàm multis partibus maior ſapientia in Adam ante peccatum, quàm vmquam in Salomone fuerit? Deinde (quod eſt præcipuum) Salomon, vt erat filius Adæ, communi naturæ lege progenitus; ita corruptam ex eo naturã traxerat, in qua prona illa concupiſcentia habitabat, ſemper iuſtos pariter & iniuſtos ad peccata ſollicitans. Cogebatur enim Salomon, æque vt Paulus, dice-
Rom. 7. re; Inuenio legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Et: Non quod volo bonum, hoc ago; ſed, quod odi malum, illud facio. At vero Adam in carne ſua nihil omnino contrarium legi mentis ſentiebat. non habebat internum hoſtem, qui ad præcepti Diuini tranſgreſſionem eum incitaret: ſed æque facilè (ne dicam faciliùs) poterat mandatum Dei ſeruare quàm violare.

Verùm, & in Adam, & in Salomone, & Saul, atque alijs id genus, voluit nobis Deus oſtendere, vt diximus, quantopere ſibi vnicum peccatum diſpliceat; quamque ipſe parui faciat hominem, multis licet & magnis gratiarum donis inſignem, qui gratiam ipſius & bonitatem, per ſuperbiã & inobedientiam audet contemnere; ſuamque voluntatem Diuinæ voluntati ſciens & prudens anteferre: idcircò illos, poſt primum peccatum, paſſus eſt in multas errorum tenebras, in varias corporis animęque miſerias atque anguſtias prolabi; immò & poſteros eorum eiuſdem ipſorum inobedientię pœnam inſignem portare.

Quod autem ad diabolum attinet, humani generis hoſtem perpetuum: non mirum ſi ille magnos, eruditos, ac eloquentes, ad hæreſim erroreſque potiſſimùm, ſollicitet; quia alios nouit ad eam rem ſibi non ita conuenire. Indocti ſiquidem, elingues, & qui dicendi gratia deſtituuntur, non ſeruiunt neque idonei ſunt ad nouam docendum doctrinam. Quia ergo diabolus ex indoctis non poteſt doctos facere; hinc doctos potiſſimum quęrit. At Chriſtus, quia omnipotens eſt, & quiduis de homine facere poteſt; ideò humiles plerumque & idiotas quærit, ad ſuam prædicandum doctrinam: quemadmodum eminenter in Apoſtolis enituit. Potens enim eſt, doctrinam illis, gratiam, & ſufficientem facundiam ſubminiſtrare.

Quoad cauſam illam, cur docti aliquando labantur in hæreſim, quam inter alias eſſe retulimus, quòd quandoq; nimium ſuo nitantur ingenio, ſapientes non ad ſobrietatem: exemplo concludam, quod tomo Annalium ſeptimo, ex Euagrio & Leontio narrat Baronius, vt & Acta Nicænę poſterioris Synodi, fidẽ faciunt. Duo Patres monaſterij cuiuſdã, prope Emeſam, inter ſe de cauſa lapſus Origenis diſſidentes & diſquirentes, ad Ioannem Abbatem ad loca ſancta profecti ſunt, pro dubij huius deciſione: qui eos domum remiſit, ad quemdam Simeonem Salum, hoc eſt ſtultum; qui ſapientia cuiuſque generis & diuina gratia refertus, delirus & ſtultus pro Chriſto haberi voluit. Ad hunc illi duo reuerſi, & accedentes, inuenerunt illum rodentem lupinos: quo viſo alter illorum in hominis moribus ſcandalum paſſus, ridere & deridere eum cœpit atque deſpicere. Accedentibus interim illis propiùs; impegit Simeon deriſori talem colaphum, vt pluſquam triduo ſignum apparuerit: dixitque illi; Quare vituperas hoſce lupinos? quadraginta diebus macerati fuerunt (totidem namq; diebus ac noctibus ieiunauerat nihil comedens)

Orige-

Origenes, inquit, ex eis non comedit, quoniam mare ſubijt, & non potuit egredi, & fuit ſuffocatus in profundo. Iſta ſymbolicè de Origene Simeon: quòd deſerens ille Chriſtianam, bene probatam ſimplicitatem, per lupinorum; vt ſabarum, eſum repræſentatum; cùm plus ſapere vellet quàm oportet ſapere, euanuit in cogitationibus ſuis; & putans ſe ſapientem, verè ſtultus factus eſt. Accidit iſtud anno Domini 548.

Sequitur in Salomonis parabola & Prouerbiorum capite ſeptimo, in fine: *Via inferi domus eius, penetrantes interiora mortis.* Clarum eſt, domum, ſiue Eccleſiam, vel doctrinam hæreticorum, viam eſſe ad inferos. Interiora autem mortis, ait Beda, acerrima gehennæ tormenta, quaſi arctiora & obſcuriora dicit, quibus conſtat hæreticos eſſe mergendos: ſic de Sanctis, pro Domino in hac vita aduerſa patientibus, dicitur; Quia miſit eos cuſtos in interiorem carcerem; atrociorem videlicet, fœdiorem, & obſcuriorem.

Capvt XI.

Hæretica vt adulterinæ doctrinæ pernicies, & aſſentientis exitium, deſcribitur.

NVnc ad extremum, quid in nono de hæreticis capite ſcriptum ſit videamus: *Mulier*, inquit, *ſtulta & clamoſa, plenaq́ illecebris*. hæc omnia hæreticis optime conuenire oſtendimus antè. Tam clamoſi autem ſunt hæretici, vt diſputationibus ſuis, concionibus, clamoribus, vias omnes, naues, currus, immò mundum propè vniuerſum repleant. Quod ſequitur: *Et nihil omnino ſciens*: hoc ipſum quoque, pulchrè hæreticos deſcribens, expreſſit Apoſtolus 1. Timoth. 6. Si quis, inquit, aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ ſecundùm pietatem eſt doctrinæ, ſuperbus, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum, &c. Et iterùm; A quibus (fide ſcilicet & charitate) quidam aberrantes conuerſi ſunt in vaniloquium; volentes eſſe legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Ac rurſus alibi: Semper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Prou. 9.

Cùm omnes hæretici arrogent ſibi ſcientiam; imperitiſſimi tamen hominum ſunt, nihilque ſcientes. Iactant noſtri hæretici verbum Dei, verum ſe docere Euangelium clamant, profitentur ſe eſſe legis Doctores: at non intelligunt, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Facile idem mecum ſentiet, qui cum iudicio, omni ſemoto affectu, vel ſcripta eorum legerit, vel audierit conciones.

Sedet in foribus domus ſuæ ſuper ſellam. Mulieres, quæ conſueuerunt in foribus ac limine domus conſidere, tranſeunteſq́; aſpicere & obſeruare; deſides illæ ſunt, pigræ, otioſæ, curioſæ, captioſæ. Quo ſignificatur, hæreticos libertatem atque otium quærere, alijſque promittere. ſicut Petrus ait; Promittentes alijs libertatem, cùm ipſi ſerui ſint corruptionis. vel potiùs, quòd ſuper ſellam ſeu cathedram ſedeant, deſignat eos audere ſibi docentis auctoritatem, & magiſtri officium vendicare; vltrò ſe vbiq; locorum ad docendum, concionandum, diſputandum, ingerere, cùm non mittantur; vt Deus per Ieremiam conqueritur. Vnde, non in cathedra veritatis ſedent, ſed peſtilentiæ; de qua Propheta regius in primo ſuo Pſalmo: *Sedet autem in foribus domus ſuæ, in excelſo vrbis loco.* vt videlicet omnibus ſe exponat atque proſtituat, vt quamplurimos doctrina ſua inficiat. Vnde, quæ ſuperiùs dicta ſunt, ad locũ illum capitis ſeptimi: *Nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians*: cum hiſce conueniunt. Sic enim ſequitur, vt ex ſequentibus patet; *Vt vocaret tranſeuntes per viam, & pergentes in itinere ſuo.* hoc eſt, vt qui recto veritatis itinere gradiuntur, ad ſuam ſectam vocet; & diuerſorum deinceps errorum viam carpere faciat. Sed quonam modo eos alloquitur? *Quis eſt paruulus?* inquit, *declinet ad me.* Bifariàm poteſt hîc ſumi paruulus: vel pro inſipiente, qui ſenſu & prudentia paruulus eſt, vel pro humili, qui ſui æſtimatione eſt paruulus. Priori modo ſic dicit hæreticus: Quis eſt veſtrûm indigens ſapientia, rudis & imperitus in fide? quis eſt, qui circumfertur omni vento doctrinæ, ignorans cuinam potiùs aurem accommodare, quam fidei doctrinam ſequi debeat? huc, huc veniat miſer; ad me declinet: ego illi quid verum, quid ſanctum, quid ad æternam ſalutem neceſſarium ſit, demonſtrabo. Apud me demum vera eſt ſapientia, rectum eſt verbum Dei, ſincerum Euangelium, veritas pura, vera pietas, ipſa ſa-

 lus.

lus. Poſteriori modo ſic loquitur; Chriſtus, qui ſe omnibus imitandum propoſuit, magno affectu dicit apud Matthæum: Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde. Quicumque igitur ad Chriſtum aliquando peruenire, quicumque gratia eius & beneficijs frui cupit; in primis neceſſarium eſt, vt ſit humilis. quamobrem, ego, qui Chriſtum prędico, qui verbum Dei verum, ac Euangelium eius (laus & gratia Deo qui hoc mihi donauit) ſincerè doceo; ſuperbos omnes, & vana gloria vel ſuo inflatos ſenſu, odi: ſimplices autem, humiles, & modeſtos diligo: illos ego doctrinæ fideique meæ participes facio; ijs rectam ſalutis viam oſtendo. Declinet ergo ad me, qui ſic eſt in oculis ſuis paruulus, qui omnem Catholicorum ſuperbiam, arrogantiam, faſtumque depoſuit: is meus erit filius, is meis nutrietur vberibus, is protectione mea, fide, doctrina, ab omni malo tutus erit, à me fouebitur eius humilitas. Apud alios humilem eſſe, nihil proderit; aut veriùs, apud alios verè humilem eſſe nequaquam contingit: apud nos autem ſolos mera reperitur humilitas. Sic ſanè loquuntur hæretici; humilitatem, manſuetudinem, modeſtiam ſimulantes, cum reuerà ſint omnium ſuperbiſſimi: vt ſuo anteà loco monſtratum eſt. Verùm, quia ſequitur; *Et vecordi locuta eſt*: prior ſenſus magis videtur textui conuenire: vt nimirum paruulus, hîc non pro humili, ſed pro inſipiente ponatur, qui inops eſt ſenſus atque prudentiæ.

Subdit apud Salomonem hæretica meretrix: *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt; & panis abſconditus ſuauior.* Quo tropo modoque loquendi videtur innuere Sapiens, quòd, ſicut eiuſmodi illecebroſis pellicibus, ac vecordibus adoleſcentulis, multò plus voluptatis furtiuis ac illicitis amplexibus ineſſe videtur, quàm ſi in legitimo coniugio decies tantumdē accideret: ita hæreticis appareat, ſe beatos eſſe, rem præclarè geſſiſſe, regno cælorū vim intuliſſe, prædam ab inferorum portis abegiſſe; quando ſemel clam conuenticula ſua, ac virulentas coitiones, & conſpirationes clanculariass, furtim & impunè contigerit celebrare. iuxta illud Poëtæ de Amoribus:

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſq; negata.

Quod ſequitur, totumque hunc tractatum concludet, non minùs quàm omnia reliqua, hæreticis conuenit: *Et ignorauit*, tam ipſa meretrix quàm vecors iuuenis, hæreticus & ab illo ſeductus; *quòd ibi ſunt gigantes.* Ibi, quò vocatur nimirum, ſunt dæmones inſidiantes, rapientes inuitatos, & in errorem illectos. *Et in profundis inferi conuiuæ eius*: ſtultæ mulieris, doctrinæ hæreticæ, vt & carnalis voluptatis. Vnde Iob 26. Ecce gigantes gemunt ſub aquis: pœnis ſcilicet quibus immerſi ſunt dęmones ipſi, & qui habitant cum eis: damnati omnes, conuiuæ mulieris huius fornicariæ, hæreſeos. *Qui enim applicabitur illi, deſcendet ad inferos.* Qui non crediderit, condemnabitur. Vnde Fidelibus hoc dictum Saulis Cinæo conuenit: Abite, recedite, atque diſcedite ab Amalech, ne forte inuoluam te cum eo. Vtque Salomon oſtendat ſe benè ac efficaciter dicere, quòd qui applicabitur illi, hæreſi ſcilicet per conſenſum, certo certiùs deſcendet ad inferos; addit, tamquam certam reddens eius dicti ſui rationem: *Nam, qui abſceſſerit ab ea, ſaluabitur.* hîc ſpe, re autem in futuro: niſi videlicet alius reatus ſalutem eius impediat. Ex his omnibus, & nequitia hæreſeos, & periculum præſens, ac certa extremaque demum pernicies ob oculos ponitur, omnibus qui ab illa ſibi minimè cauerint.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

PETRI

PETRI SIMONIS TILETANI

EPISCOPI YPRENSIS

ORATIONES

ET

EXHORTATIONES,

ante Epiſcopatum habitæ.

ORATIO *habita in prima Synodo Prouinciali Mechlinienſi, anno* M. D. LXX.

SI omnis præclaræ rei ſumma & præcipua laus à fine eius dependet, Reuer^{mi} Domini, ceterique ornatiſſimi atque ampliſſimi Auditores, nobis nunc in eo elaborandũ eſt maximè; vt quæ hîc Diuina fauente benignitate, felicibus eùm auſpicijs, tum progreſſibus hucuſque perducta ſunt, æque felici exitu conſummentur. Scimus, diu multumque exoptatum multis fuiſſe Prouinciale Concilium: quòd ſibi homines perſuaderent, vt res eſt, quæ in œcumenica illa ſacroſancta Tridentina Synodo de moribus & Religione rectè definita & conſtituta ſunt, hac via commodiùs in executionem mitti poſſe. Ita ſiquidem natura comparatum eſſe videmus, vt à ſupremis ad inferiora, ab vniuerſalibus ad particularia (vt loquuntur Philoſophi) ordo omnis ratioque agendi deſcendat. Itaque, cùm nunc piis omnium votis magna ex parte factum ſit ſatis, habito ac legitimè hîc celebrato Prouinciali Concilio; ſupereſt, vt res omnium pulcherrima & vtiliſſima, debito ſuo boniſque hactenus omnibus vehementer deſiderato fine minimè fruſtretur. Finem autem conſilij dico, non modò vt ritè omnibus deliberatis conſtituriſque ſoluatur, vniuerſis, qui huc conuenerunt, domum ſuam cum gaudio remeantibus (id quod nunc, laus Superis, agitur) ſed, multò magis, vt quod hac Synodo de morum cuiuſq; honeſtate, & Religionis reſtaurandę commodiori ratione conſtituitur, alacriter ab omnibus opere ipſo, vitæque expreſſione, compleatur: quemadmodum finis vniuſcuiuſq; rei, vſus eius eſt. Nemo enim rectè, verbi gratia, creaturarum irrationabilium finem dixerit eſſe ſimpliciter, viuere aut ſubſiſtere; ſed homini ſeu rationali creaturæ ſeruire. Ita tum demum Synodus hæc, & quæ in ea decreta ſunt, finem ſuum conſecuta eſſe iure dicentur, cùm in vſum, executionem, obſeruationemque tranſierint. Non illud potiſſimùm ſpectat Eccleſia, Concilia conuocans, aut decreta conſtituens, vt ſciatur & habeatur quod rectum eſt; ſed, vt moribus ipſis, & operum exhibitione teneatur. Neque tam hactenus decretorum, canonum, & bonarum cõſtitutionum inopia, quàm vitæ ad optimos canones emendatione, & ſanctorum decretorum obſeruatione, meo quidem iudicio, laborauimus. Vix quemquam hodie reperias, qui non nouerit abundè ſatis multa: ſed an perinde multi ſint, qui quod nouerunt, operibus præſtent, & moribus viuant, vobis, Auditores, iudicandum relinquo: mihi ſanè mores hominum contemplanti, quotidiana experientia aliud longè loqui videtur. Atque hac

 ratione,

ratione, obtento inquam hoc Concilij fine, fiet, vt Deo optimo maximo gratitudinem noſtram, quod in primis æquum eſt, exhibeamus. Nihil enim ambigo, quin multi inter vos agnoſcant ſingulare Dei beneficium, quòd Synodum hanc nunc temporis celebrare, & qua decet reuerentia & ſolemnitate, etiam finire conceſſerit; iamque cum animo ſuo tacitè ſaltem cogitent, qua potiſſimùm ratione gratos ſe vtcumque tantæ Dei
1. Cor. 12. benignitati queant oſtendere. Nam, ſi ne nominare quidem, aut conſiteri nomen IESV
2. Cor. 3. poſſumus, niſi in Spiritu ſancto, vt Scriptura loquitur; aut cogitare aliquid boni à nobis, quaſi ex nobis: quanto minùs hoc tantum opus ad Dei laudem, Eccleſiæque ædificationem, perficere? Quamquam enim hoc Concilium diutius ſanè protractum ſit, & vehementer optaſſent Patres (vt mihi quidem ſatis conſtat) citiùs multo confecta eſſe omnia, in eamque rem totis ſemper viribus incubuerint: tamen, ſi rerum, quæ tractatæ ſunt, grauitatem & multitudinem expendamus; ſi, quæ planè ex improuiſo inciderunt, diuerſorum negotiorum ſummam perplexitatem conſideremus; non poterimus Diuinam benignitatem non mirificè collaudare, quòd Reuerendiſſimis Patribus in rebus difficillimis ſummam concordiam, in rebus maximis & diuturni temporis facilem, expeditam, ſatiſque compendioſam progrediendi viam ſuggeſſerit: vt hic quoque vel maxime locum habere debeat vulgaris parœmia; Sat citò, ſi ſat benè. Atque vtinam huic Concilio accedere felicitas, illa obtingere gloria potuiſſet, vt Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini Archiepiſcopi Cardinalis præſentia, conſilijs, induſtria, decoratum promotumque fuiſſet: ſane, quod nunc feliciſſimos, Chriſto auſpice, exitus habuit, longè tum etiam feliciores habiturum fuiſſe, minime dubitamus. ſed non illud grauiſſima ac neceſſaria, quibus in Vrbe detinetur, negotia permiſerunt. Ita nihil in rebus mortalium omni eſt ex parte beatum.

Nunc igitur eò redeo, vnde paululùm alia ſum occaſione digreſſus. Hæc eſt ergo certiſſima Deoque acceptiſſima gratiarum actio, ſi, quod Deus Patribus hac in Synodo pro morum neceſſaria correctione & Religionis collapſæ reſtauratione inſpirauit, ſinguli noſtrûm reipſa ſine longiori tergiuerſatione præſtare, moribuſque & vita conemur exprimere. Nullum Deo gratius ſacrificium, quàm obtemperare voluntati eius: nullũ illi acceptius gratitudinis teſtimonium, quàm ex animo præceptis eius & legibus morem gere-
Deut. 13. te. Et nunc Iſrael (ait magnus ille Propheta) quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas illum, & ambules in vijs eius; & cuſtodias mandata eius, & cærimonias eius?

De obedientia igitur, quæ ſacris Concilijs & Præpoſitis noſtris Eccleſiaſticis debetur, pauca in præſentiarum dicemus: vos, benigni Auditores, dum id facio, attentos (vt ſoletis) rogo, beneuoloſque præbete. Quod dicere conſtitui, dicam breuibus; efficiamque, vt ne de mea prolixitate conqueramini.

Inter varias virtutes, quibus animus hominis, diuino afflatus fauore, ornatur; nulla mihi æque Deo placere videtur, dum myſticam diligenter Scripturam inſpicio, vt promta atque ex animo profecta obedientia: declarant hoc nec pauca nec obſcura Sacrorum librorum teſtimonia, ſi tempus ferret omnia commemorare. Samuel Propheta, Regum decimoquinto capite: Melior eſt, inquit, obedientia, quàm victimæ; & auſcultare Deo, magis quàm offerre adipem arietum. Magnus fuit Abraham apud Deum continentia coniugali, magnus fide, patientia, alijſque heroicis diuerſis virtutibus: ſed nihil eum tamen ſic Deo præ ceteris commendaſſe videtur, atque promtiſſima obedien-
Heb. 11. tia, qua primùm ad vnicam Dei vocem, e terra ſua, cognatione, & poſſeſſione exiuit, omnibus a tergo relictis; oberrans per regiones, neſcienſque quò iret, vt habet Apoſtolus. Poſteà deinde, quod maius etiam & præclarius; ad ſimilem Dei iuſſionem, paratus fuit filium ſuum vnigenitum (quem diligebat) Iſaac Deo, nihil cunctatus, in ſacrificium iugulare. Proinde, obedientiæ merito, inſignem illam de nouo Teſtamento, & Meſſiæ in or-
Geneſ. 22. bem aduentu, promiſſionem accepit; Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ. Nec eſt opus procul petere illuſtria exempla obedientiæ, modò ad caput noſtrum, ducem & Seruatorem Chriſtum, velimus oculos eleuare. Si enim
Philip. 2. quærat aliquis, quo merito ille nomen conſecutus ſit ſuper omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; reſpondebit Apoſtolus: Quia obediens fuit Patri vſque ad mortem, mortem autem crucis.

Porrò, vt horum exemplo nos decet omnem obedientiam Deo præſtare: ita, ſi quid nobis à ſuperioribus noſtris præcipitur, quod ad pietatem conducat, omnibus eſt modis obtemperandum: vel ob id ſolùm, quòd hic ſuperiores noſtri vice Dei funguntur. Qua

de re

de re exſtat, inter alias, illuſtris admodum ſententia apud Paulum ad Romanos decimo tertio capite; Omnis anima, inquit, poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Quid ita Paule? Non enim eſt poteſtas, niſi à Deo: quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt: itaque, qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem ad eum modum Dei ordinationi reſiſtunt, ipſi ſibi certò damnationem acquirunt. Hæc ille. Et notandum ſeriò, quod pòſt paulò ſubiungit: Subditi igitur eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Quibus verbis disertè pronuntiari intelligitis, non ſine ingenti crimine, & graui conſcientiæ læſione, legibus Magiſtratuum obedientiam denegari: nam de ciuili Magiſtratu propriè ibi agit Apoſtolus. Et erant tamen Magiſtratus, cùm hæc ſcriberet, à Chriſtiana Religione Deique cognitione alieni, idololatriæ adhuc vaniſque ſuperſtitionibus dediti Quid eum igitur putatis dicturum fuiſſe de Iudicibus & Magiſtratibus Chriſtianis? immò, vt propiùs ad rem veniam, quid de Iudicibus & Præpoſitis Eccleſiaſticis? Si enim illis tam ſtricta & expedita præſtanda obedientia, quibus corpus noſtrum, & exteriores dumtaxat fortunæ ſubiectæ ſunt; quid de illis dicemus, quibus animarum noſtrarum ſalus, quibus æternæ vitæ noſtræ, vltimi finis, & ſummi boni, eſt cura concredita? Audite alio in loco hac de re grauiſſimè intonantem Apoſtolum; Obedite, inquit, præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. ipſi enim peruigilant, quaſi rationem red- *Heb. 13.*
dituri pro animabus veſtris: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Hoc enim non expedit vobis. Quàm bene vrget! quàm grauiter terret! quàm ſignificanter explicat ſingula! Non ſatis erat, dixiſſe; Obedite præpoſitis veſtris: addit; Et ſubiacete illis. Quo vocabulo, promtiſſimam ſummeque demiſſam obedientiam declarauit. Cuiuſmodi obedientiam ne fortè exiſtimes immeritò & ſine cauſa exigi, adiecit protinus; Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris. Ardua ſane in primis, dura, moleſta, & periculoſa prouincia. quæ ſi ſubditorum proteruia & contumaci rebellione magis etiam aggrauetur, fit non modò ſuperioribus ipſis propè intolerabilis, ſed ſubditis etiam ipſis non parum inutilis. Vnde poſtremò ſubdit Apoſtolus; Vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis. Profectò, non expedit nobis, vt Præpoſitos noſtros contradictione aut inobedientia contriſtemus, prouinciamque illorum per ſe duriſſimam (vt iam docui) magis etiam duriorem reddamus. conuenit potiùs, vt benigna obſequentia, & ſpontanea gratitudinis oſtenſione, onus illorum, quantum in nobis eſt, ſubleuemus. Vultis huius rei, ex innumeris quæ ſuppetunt, vnum exemplum depromam; quandoquidem exempla mira quadam atque occulta vi in admirationem animos rapiunt? Cùm Dathan, Abiron & Core nullum facerent neque modum neque finem contradicendi Moyſi & Aaron ſacerdotibus, & contumaciter reluctandi iuſſioni illorum; tandem mitiſſimus mortalium Moyſes iure exacerbatus, iratuſque valdè, vt habet Scriptura, dixit ad Dominum: Ne reſpicias ſacrificia illorum. *Num. 16.*
Et factum eſt, vt ceſſauit loqui (ô nouum horrendumque ſpectaculum!) dirupta eſt terra ſub pedibus illorum; & aperiens os ſuum, deuorauit eos, cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia illorum: deſcenderuntque viui in infernum, operti humo; & perierunt de medio multitudinis. Videte, Auditores, inobedientiæ præmia; videte, quàm minimè expediat ſubditis, iuxta Pauli ſententiam, vt ſuperiores, illorum inobedientiâ contriſtati exacerbatique, non ex animo præſtent officium ſuum. Si cui lubet exemplum hoc memorabile, eleganter admodum apteque ad rem noſtram explanatum videre, Cyprianum legat in Epiſtola ad Cornelium, quæ ſic incipit; Legi litteras tuas, &c.

Diligenter autem obſeruare vos velim, quo potiſſimùm ex capite Moyſes crimen hoc inobedientiæ in Præpoſitos Eccleſiaſticos exaggeret. Quis eſt enim, inquit, Aaron Pontifex, vt murmuretis contra eum? Et alibi; Non contra nos eſt murmur *Exod. 16.*
veſtrum, ſed contra Dominum. Nos enim, quid ſumus? Ad quem modum Dominus etiam ipſe, poſtquam filij Iſraël, ſemper ad inobedientiam ac rebellionem proclíues, Samuelis Prophetæ imperium detrectaſſent, Regem ſibi more gentium poſtulantes; Non te, inquit, abiecerunt, ô Samuel, ſed me; ne regnem ſuper eos. Quam etiam Scripturam *1. Reg. 8.*
Cyprianus ad hoc inſtitutum appoſitè, loco iam commemorato, producit. Et conſentit Chriſti Saluatoris noſtri in nouo Teſtamento doctrina, dicentis Apoſtolis ſuis, Eccleſiæque Præpoſitis: Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit. Ex quo Paulus *Luc. 10.*
Apoſtolus, cùm Eccleſiæ Corinthianæ leges quaſdam in ſpeciem minutas præſcripſiſſet, vt nimirum in Eccleſiaſticis conuentibus duo dumtaxat, aut ad ſummum tres, dono linguarũ diuinitus præditi, lingua ceteris ignota loquerentur, idq; viciſſim, nec niſi præſente

inter-

1. Cor 4. interprete; confidenter de ſuis illis mandatis pronuntiat; Si quis videtur Propheta eſſe,
aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quoniam Domini ſunt mandata. nimirum
Domini mandata appellans, quæ ipſe dedetat; non quòd ad illorum obſeruationem
Corinthij, naturali aliqua vel Diuina lege tenerentur, priuſquam ea promulgarat Apo-
ſtolus; ſed, quia quidquid vice Dei præcipit homo, non ſecus accipiendum ſit, quàm ſi
Deus ipſe præcipiat. Qua de re, eruditiſſimè diſputat D. Bernardus in libro De præcepto
& diſpenſatione: Siue, inquit, Deus, ſiue homo vicarius Dei, mandatum quodcumque
tradiderit; pari obſequendum eſt cura, pari reuerentia deferendum. Quid enim intereſt,
vtrùm per ſe, an per ſuos miniſtros, ſiue homines, ſiue Angelos, innoteſcat ſuum bene-
placitum Deus? Tantum D. Bernardus. Et ſi omnino ex ipſo Dei ore audire eſt ani-
mus, quàm grande crimen ſit, quamque vehementer Deo diſpliceat, morem non gerere
Deut. 17 Eccleſiaſticis ſtatutis; vnicum prætereà locum ex Deuteronomio proferamus: Si difficí-
le & ambiguũ apud te iudicium eſſe perſpexeris, inquit Dominus Deus, inter ſanguinem
& ſanguinẽ, cauſam & cauſam, lepram & leprã; & iudicum intra portas tuas videris ver-
ba variari; ſurge; & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus· venieſque ad ſacerdotes
Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab illis, qui indica-
bunt tibi iudicij veritatem: & facies, quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem ele-
gerit Dominus; & docuerint te, iuxta legem eius: ſequenſque ſententiam illorum; nec
declinabis ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram. Qui autẽ ſuperbierit, nolẽs obedire Sacerdotis
imperio, qui illo tempore miniſtrat Domino Deo tuo; ex decreto Iudicis morietur ho-
mo ille: & auferes malum de Iſrael; cunctuſque populus audiens timebit, vt nullus
deinceps intumeſcat ſuperbia.

Heb. 10 Nunc mihi animum parumper aduertite. Irritam quis faciens legem Moyſi, inquit
Apoſtolus, ſine vlla contradictione, duobus vel tribus teſtibus, moritur; & omnis inobe-
dientia accepit iuſtam præuaricationis retributionem: quantò magis putatis deteriora
mereri ſupplicia, qui ſpiritui gratiæ, per ſuperbam inobedientiam, in nouo Teſtamento
contumeliam fecerit? Nam quod ad libertatem Chriſtianam attinet; quam prætexunt
quidam, quò minùs ſe præceptionibus Eccleſiæ Præpoſitorum, vt oportet, ſubijciant;
vti eſt vetus illa obiectio, ſic veterem eamque benè ſolidam habet reſponſionem. Non
eò ſcilicet nos à Chriſto libertate donatos, vt excuſſo ſemel omni obedientiæ fræno,
quidquid deprauatæ noſtræ voluntati collibitum eſt, quidquid maleſuada libido ſugge-
rit, perpetremus; ſed, vt eius grana à vitijs expediti, libera vltroneaque voluntate, legi
eius omnique recto conſilio obtemperemus. Vos in libertatem vocati eſtis, fratres; ait
Apoſtolus: tantùm ne libertatem in occaſionem detis carnis: ne illorum mores aut con-
ſilia imitemini, qui, cùm libertatem promittant alijs, ipſi ſerui ſunt corruptionis. Proin-
de, ante mille annos, ab vniuerſa Eccleſia hęreticis adnumeratus eſt Aërius quidam; quòd
aſſereret, Chriſtianos propterea legibus Eccleſiaſticis nõ teneri, quia ſint per Chriſtum li-
bertate donati. Quid eſt enim, aiebat, Paſcha, quod apud vos perficitur? Iudaicis fabulis
rurſus addicti eſtis. Nõ enim oportet Paſcha celebrare. Paſcha enim noſtrum immolatus
eſt Chriſtus. Sed neq; ieiuniũ erit ordinatũ: hæc enim Iudaica ſunt, & ſub iugo ſeruitutis.
Iuſtis enim non eſt lex poſita, ſed iniuſtis. Si verò omnino voluero ieiunare; qualemcum-
que eligam diem à meipſo, & ieiunabo propter libertatem. Hæc vobis, ex Aërij perſona,
verbis Diui Epiphanij retuli, hæreſi 75. Nimirum, nihil nobis eſſe faciendũ ex præſcri-
pto Eccleſiæ; ſed omnia ex ſolo arbitrio noſtro, & libertate (ſi Superis placet) Chriſtiana
metienda. Aërium hunc ante annos centum ſecutus eſt ſceleratus ille Ioannes Hus in
Bohemia; docens, obedientiam Eccleſiaſticam eſſe ſecundùm adinuentionem Sacerdo-
tum Eccleſiæ, præter expreſſam auctoritatem Scripturæ: ita enim ille loquebatur. Sed
eam ob cauſam, alioſque permultos fœdiſſimos errores, à generali Concilio Conſtan-
tienſi, & Martino V. Pontifice, inter hæreſiarchas relatus eſt. Hos tandem ſecutus Mar-
tinus Lutherus, qui facem totius diſcordiæ, quæ hodie eſt in Eccleſia, primus accendit;
mox à Leone X. Romano Pontifice palàm eſt condemnatus. Exſtat ea de re, in Bulla
Leonis, articulus vigeſimus ſeptimus. Ex his intelligitis, non eſſe nouum errorem, aut
noſtræ tempeſtatis ſectarijs proprium, de neganda obedientia legibus & Præpoſitis Ec-
cleſiaſticis; ſed multis olim hæreſiarchis communem fuiſſe. Quin, ſi D. Cypriano cre-
dimus, vt eſt illud hic etiam ab alijs ante nos recitatum; non aliunde omnino ortæ hære-
ſes, aut nata ſunt ſcandala, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur. nec vnus
in Eccleſia ad tempus Sacerdos & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecun-
dùm

dùm magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa; nemo aduerſus Sacerdotum collegium quidquam moueret; nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coëpiſcoporum conſenſum, iudicem ſe non iam Epiſcopi, ſed Dei, faceret; nemo diſſidio vnitatis Eccleſiam ſcinderet; nemo ſibi placens ac tumens, ſeorſim foris nouam hæreſim conderet. Ita Cyprianus, Epiſtola paulò antè citata, ad D. Cornelium.

Iam, ſi tam ſtrictam obedientiam exhibere præcipimur legibus Eccleſiaſticis quibuſcumque; conſequitur profectò, multo ſtrictiorem, ſi fieri queat, ſacris eſſe præſtandam Concilijs. in his enim, tanto certiùs de Diuina voluntate inſtruimur, quanto magis ea totam Chriſti Eccleſiam repræſentant, & certiorem habent in Sacris litteris promiſſionem aſſiſtentiæ Spiritus ſancti. Qua in re, primum quidem & præcipuum locum obtinent, extra controuerſiam, Concilia generalia; quæ legitimè collecta & celebrata, omnino errare non poſſunt: ſed non ſunt tamen ab hac laude & auctoritate (mea quidem ſententia) etiam Prouincialia excludenda; tametſi non faciamus hîc vllam in paritate comparationem. Nam ſi promiſit Chriſtus, vbi duo aut tres congregati ſunt in nomine eius, ibi ſe in medio illorum fore; quid dicemus fieri, vbi complurium Eccleſiarum Epiſcopi, Prælati, Paſtores, alijque eruditiſſimi iuxtà ac religioſiſſimi viri, in nomine Chriſti, veritatis tantùm inquirendæ, vel Religionis reſtituendæ cauſa, conueniunt? Credat ille ab hoc cœtu abeſſe ſpiritum Chriſti, qui Chriſtum credit non ſtare verbis ſuis, Eccleſiæque ſuæ curam minimè gerere.

Atque hinc eſt, quòd pleræque maximæ & pernicioſiſſimæ hæreſes, non per œcumenicas, ſed per prouinciales Synodos damnatæ ſunt, & extinctæ. Priſcillianiſtæ ſiquidem in Hiſpania, contra quos tam acriter, tot locis, Leo ille Pontifex verè magnus depugnat, per Concilium prouinciale Toletanum exploſi ſunt; quod idem Leo Pontifex confirmauit. Heluidius & Iouinianus, (quibuſcum tam viriliter conflixit, monſtrorum eiuſmodi domitor D. Hieronymus) in prouinciali Synodi Telenſi, à Syricio Papa comprobata, damnati ſunt. Pelagium, Iulianum, Cæleſtium, (quibus confutandis tantopere auguſtiſſimum illud D. Auguſtini deſudauit ingenium) Arauſicanum ſecundum, Mileuitanum, & Carthaginenſe, particularia Concilia, reiecerunt; quæ omnia D. Innocentius Primus & Cæleſtinus Romani Pontifices approbarunt. Vt omittam Concilium illud Apoſtolicum, omnium primum, de quo Lucas Actorum 15. capite; non generale, ſed prouinciale dumtaxat fuiſſe. Et tamē nō minor fides adhibita eſt Diuo Petro ſumma illic auctoritate præſidenti, quàm ſi fuiſſet generale Concilium. Similem prouincialem Synodum celebrauit & Paulus Epheſi: Actorum 20. cap. Nec verò expedit, nec eſt tolerabile, ſingulis hæreticis condemnandis, aut abuſibus ex Eccleſia profligandis, generales Synodos cogere.

Cùm igitur Deus Eccleſiæ ſuæ proſpexerit in neceſſarijs; nimirum ad hæreſes priuatas in Eccleſijs particularibus refutādas, aut alia quęcumq; particularia ſcandala amouenda; Concilia prouincialia ſatis erunt, ſi erunt modò (quod quidem ad ea, quæ fidei ſunt, pertinent) ſummi Pontificis auctoritate roborata. Quod adijcio, vt Eraſmi & aliorum quorumdam errorem circa hanc rem calumniamque retundam. cùm ille in Annotationibus ſuis ſuper quintum caput Epiſtolæ ad Romanos de peccato originali pueriliter & ineptè admodum diſputans, (ne quid grauiùs dicam!) dixiſſet ſe non vſqueadeò adſtringi Synodo Mileuitana, alijſque ſimilibus prouincialibus; ſubdit: Alioqui, ſi quis vtgeat eſſe ſeruanda, quæcumque in illis decreta ſunt, proferam ex illis dogmata quædam, quæ nunc Eccleſia damnat pro hæreticis. Sic ille. Sed fallitur imprudens & impudēs toto cælo. Non enim aduertit, Mileuitanum illud Concilium eſſe ſummi Eccleſiæ iudicis & Pontificis ſententia confirmatum. ideoque illo Chriſtianus omnis iure vrgetur. Illa verò particularia Concilia, ex quibus dogmata hæretica proferrentur, ad ſimilem modum confirmata non ſunt. Agnoſcitis, opinor, Auditores, claram iuxtà latamque differentiam. Atque hæc de Conciliorum, tum generalium, tum prouincialium, deque Eccleſiaſticarum legum auctoritate, breuibus à nobis, pro temporis quod huic rei impendere licuit, breuitate, ingenijque noſtri tenuitate, diſſerta ſunt; vt omnes illis quam merentur fidem & obedientiam alacriter deferamus. Nam, quod ad Reuerendiſſimos Dominos ac Patres noſtros attinet (vt vno hoc verbo dicam) ſperamus, eos probè memores fore, non ſatis fuiſſe Apoſtolis, prouinciale Ieroſolymis Concilium celebraſſe, niſi inſuper, cùm Eccleſias diligentiſſimè viſitarent, ſerò inter alia præcepiſſent, vt præcepta Apoſtolorum &

Pre-

Preſbyterorum, in dicto Concilio edita, omnes vbique cuſtodirent; vt eſt Actuum decimoquinto & decimoſexto capitibus.

Non ferunt profectò hæc tempora, benigni Auditores, longiorem cunctationem. Fuit aliquando tempus, quo Romanus quidam dux, quem nouiſtis, longa rem omnem cunctatione reſtituit: nunc è diuerſo metuendum, ne quod nobis adhuc ſupereſt rei, cunctatione & tergiuerſatione perdamus. Itaque, iam iam vnuſquiſque à ſeipſo, cùm Tridentini, tum huius etiam Mechlinienſis Concilij executionem incipiat; nec diutiùs alij in alios negotium reiiciamus, vt grauiter initio etiam Reuerendiſſimus Dominus Præſes admonuit. Sed nihil vetat, quod bonum & pulchrum eſt, imò quod extremè neceſſarium, ſemel iterumque monere. Et quamquam bona ſpes habet animum meum, fore vt hoc veſtra ſponte, nobis quoque nihil monentibus, ſitis præſtaturi; velo tamen vtor & aura; vt ille canit:

Nil nocet admiſſo ſubdere calcar equo.

Quòd ſi ex animo tandem aliquando noſmet conuertere velimus ad recta conſilia; non tam procul adhuc à nobis aufugit pietas, quin ſit ad hunc conatum facilè reditura. Religionis reſtaurationem, Eccleſiæq. ſaluté, omnes nos quidem quærere profitemur; pacem & tranquillitatem Reipublicæ, felicem negotiationis ſucceſſum, atque adeò aurea quod aiunt ſæcula, vehementer ſine controuerſia quærimus & deſideramus vniuerſi. Sed viam, quâ ſolâ eſt eò peruenire, plerique omnes reuera aut ignoramus, aut cognitá (quod magis etiá admirandú deplorandumq;) negligimus. Non enim huc tenditur ambitione, auaritia, ſimoniacis technis, ebrietate, inuidia; quibus tamen malis (prô dolor!) pleriſque in locis plena ſunt omnia; ſed humilitate, ſed ſimplicitate, ſed caſtitate, temperantia, Dei proximique ſincera charitate, & id genus aliis virtutum exercitiis, atque (vt vno verbo abſoluam) eò maximè, quòd ſuum vnuſquiſque munus & functionem fideliter obeat. Si Prælati Eccleſiaſtici, Paſtores, Canonici, & Superiores quique, exemplo probæ vitæ, & ſanæ ſubminiſtratione doctrinæ, populo præeant, ceterſque præfulgeant; populus autem Paſtoris ſui & Superiorum ſincere fideliterque ſequatur veſtigia; non ita aduerſum nos Di-
Iſa 59. uinæ iræ furor accenſus eſt, quin hac ratione nullo negotio placari queat. Non eſt ab-
Threm. 3. breuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat; neque aggrauata eſt auris eius, vt cum Iſaia loquar, vt non exaudiat: ſed iniquitates noſtræ, & peccata noſtra abſconderunt faciem eius à nobis. Nos peccauimus, Domine, teque ad iracundiam prouocauimus: propter-
Dan 9. eà tu inexorabilis es. Nos, inquam, Sacerdotes peccauimus. Non enim poſſum, nec volo, mea ipſius ordiniſque mei diſſimulare delicta. Peccauimus prorſus, iniquitatem fecimus, impie geſſimus, receſſimus & declinauimus à mandatis tuis. Tibi Domine iu-
Threm 5. ſtitia, nobis auté confuſio faciei. Sed tu, Domine, quare in perpetuum obliuiſceris noſtri, derelinques nos in lõgitudine dierum? Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: innoua dies noſtros, ſicut à principio. Verbis vtor Ieremiæ Prophetæ. Sic nunc floreat Eccleſia tua, vt olim floruit Apoſtolorũ tuorũ, vt floruit Auguſtini, Hieronymi, Ambroſij, Baſilij, Nazianzeni, temporibus. Sic inquam floreat Eccleſia tua, non quælibet, non in genere, ſed hac tua in qua agimus, & quæ nos genuit, Belgica. Nam, quid nobis prodeſt, ſi tibi Indi ſeruiant, ſi te colant Æthiopes, ſi religionem tuam gregatim nouæ, vt audimus, ac remotiſſimę Inſulæ amplectantur, nos autem abijcias? Quid nobis prodeſt, ſi alij probe ſatientur, & abundent panibus, nobis interim hic fame pereuntibus? Quòd ſi omnino meremur, vt auferas a nobis regnum tuum, & tradas genti facienti fructus eius (vt nimium profecto metemur, & iamdudum multis nominibus commeruimus) quamquam non illis hoc inuidemus. Domine, quin potiùs illorum felicitati gratulamur, noſtramq; dolemus vicem; tamen, ne ſecundùm peccata noſtra facias nobis, neque
Ierem. 14. ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis. Sed, citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. Si enim iniquitates noſtræ reſponderint nobis, Domine, fac propter nomen tuum; quoniam multę ſunt auerſiones noſtræ. Tibi peccauimus expectatio Iſraël, Saluator eius in tempore tribulationis. Quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus & fortis, qui non poteſt ſaluare? Tu in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum inuocatum eſt ſuper nos; ne derelinquas nos, Domine Deus noſter: qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas, in ſæcula ſæculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO *habita ad Clerum, in prima Synodo Diœceſana Gandauenſi; ſub Cornelio Ianſenio, primo Gandauenſium Epiſcopo, anno* M. D. LXXI.

POSTEAQVAM Reuetendiſſimo Domino D. Præſuli noſtro viſum eſt, bènigni Auditores, vt aliquam ad vos de more orationem haberem; & diu mulrūmque mecum ipſe cogitaſſem, quid potiſſimùm expediret, pro concione tractare: tandem illud fortè Paulinum in mentem incidit; OMNIA 1. Cor. 14.
HONESTE, ET SECVNDVM ORDINEM, FIANT IN VOBIS. Quod vt occurrit, mox alijs relictis cogitationibus, pro argumento qualis qualis orationis arripui. Nam, de Conciliotum auctoritate diſſetere, quæ nonnullorum fortaſſe ſententia erit, ſiue Oecumenica, ſeu Prouincialia, ſiue etiam (vt eſt iſtud) Diœceſana velimus, non vſqueadeò magnum iudicaui operæpretium fore. Exſtant enim ea de re paſſim, nec pauca, nec ſanè pœnitenda, cùm vererum, tum etiam neotericorum monumenta; Synodorum in Eccleſia non modò longè vtiliſſimum verumetiam perneceſſarium vſum eſſe. Numquam enim intet Chriſtianos, alicuius momenti hæreſim aut ſchiſma, niſi Conciliorum auctoritate oppreſſum; immò numquam latè peruagantes, alteque iactis radicibus intimis hominum animis inſitas morum ac vitæ corruptelas, niſi auctoritate interueniente Synodica extinctas profligataſque fuiſſe, & noſtræ & ſuperioris ætatis omnis hiſtoria loquitur. Sed his in aliam oportunitatem miſſis factis, de Paulinis quæ dixi verbis, agere in præſentiarum conſtitui.

Cùm hanc ad Corinthios ſententiam Paulus perſcriberet; Omnia honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant in vobis; erat tum inter illos nonnihil confuſionis, in re quidem non omnino maximi momenti, ſed quæ tamen haud parum officiebat decori Eccleſiæ ac nominis Chriſtiani. Cùm enim alij diuinitus donum linguarum accepiſſent, alij munus Prophetiæ ſeu interpretationis Diuinarum litterarum, alij aliud; prout varia ſunt dona Spiritus ſancti; fiebat, vt non ſatis modeſtè ac decenter ſuo quiſque munere vteretur. Nō ſatis deferebat alter alteri, non aliū alius expectabat dicendo, ſed ſimul multi in concione proferebant, quod vnicuique in mentē veniebat. dicebant ſimul, alius Romanè, alius Græcè, alius Aſiaticè, alius aliter; adeò, vt qui in cœtum illorum ingrederentur, linguarum præſertim imperiti, audientes confuſum diuerſarum vocum ſtrepitum, nihilque omnium intelligentes, inſanire eos dicerent, vt ait Paulus, ac veluti mente captos lymphatoſque inepture. Mandat igitur, vt in conuentibus Eccleſiaſticis, bini dumtaxat loquantur, aut vt plurimùm terni; neque id tamen ſimul, ſed per vices: neque rurſus ſoli loquantur, ſed adſit, qui quod ab illis ignota lingua dictum eſt, interpretetur populo. Quoties, inquit, in publicum cœtum conuenitis, ſuā quiſque dotem ſecum adfert: alius habet canticum myſticum, quo lubet canere Deum; alius doctrinam habet, qua poſſit ad rectè inſtituendam vitam erudire; alius reuelationem habet, vt eruat abſtruſa recondita que in Sacris litteris; alius linguæ dono præditus eſt: nihil horum faſtidiatur, ſuus vnicuique dono honos & locus detur; ſed omnia conferantur in publicam vtilitatem. Ac tandem vniuerſa concludens; Omnia, inquit, honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in vobis.

Iſtam Corinthiorum ineptam prauamque conſuetudinem ſi quis cum noſtri ſæculi moribus confetat; aut ego vehementer fallor, aut is deprehendet, nos longè maiori iure opus habere hac, ſiue admonitione, ſeu præceptione Paulina; Vt honeſtè omnia, & ſecundùm ordinem, fiant in nobis. Siue enim inſpiciamus ſtatus hominum, diuerſaque vitæ genera; quæ dari poterit vitæ conditio, ſæcularis aut Eccleſiaſtica, in quam non plurimum confuſionis, vitij, corruptelæ, iam olim irrepſerit? ſiue oculos conuertamus ad vnumquemque noſtrum, quotuſquiſque reperietur, qui munus & functionem ſuam vt oportet exequatur? Et hæc cùm pridem non laterent Eccleſiæ proceres, ſtuduerunt illi quidem diu multumque huic malo mederi, tum alijs diuerſis modis, tum maximè variorum celebratione Conciliorum: quoniam ea res, præ ceteris, mulrum huc momenti adferre poſſe credebatur, nec abs re. Hinc primùm Synodus illa Oecumenica Tridentina tantis laboribus, tot omnium expenſis coacta eſt, ac poſt decem & octo annos, plus minus, quàm inchoata erat, felici exitu tandem omnibus ſuis numeris abſoluta. In qua, ex-

ſtant

ſtant de fide Catholica & morum correctione Conſtitutiones, tum vtiliſſimæ, tum ſanctiſſimæ: ex malis nimirum moribus bonæ leges. Huic, ſuperiori anno ſucceſſit Synodus Prouincialis Mechlinienſis, in qua non minùs elaboratum eſt, concordibus animis, vt ſuus Eccleſiæ decor tandem aliquando reſtitueretur; nec fruſtrà elaboratum eſt ſanè. Verùm, ne ſic quidem negotium totum confici potuit: tantæ molis eſt, Chriſtianam condere gentem. Supereſt, vt quæ io vtroque iam commemorato Concilio rectè ſalubriterque decreta ſunt, hoc tertio Epiſcopali, ſeu Diœceſano, in executionem mittantur, paratamq; veluti medicinam in viſcera hoc pacto traijciamus. Ita enim natura comparatum eſſe videmus, vt à ſupremis ad inferiora, ab vniuerſalibus ad particularia ordo omnis ratioque agendi deſcendat. Quod in genere omnibus dicitur, nemo id ferè ſibi in particulari dictum exiſtimat. Proinde, poſt Oecumenicam & Prouincialẽ Synodum, Diœceſanam ſuccedere neceſſarium fuit; in qua generaliores illæ de morum cuiuſq; honeſtate præceptiones, ſingulis applicentur, & promulgentur. Vt autem, quid honeſtũ ſit, paulò luculentiùs explicetur, & clarior habeatur intelligentia eius quod tanquam pro themate orationis deſumſimus; Omnia honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant in vobis: repetendum eſt memoria, quod habet Marcus Tullius de Officijs; primum, tantam eſſe vim ac pulchritudinem honeſti, vt, ſi eius facies oculis cerneretur, Platone etiam auctore, mirabiles amores excitaret ſapientiæ. deinde, ſi omnino, honeſti aliquam deſcriptionem requiritis; honeſtum id eſſe, quod decet, & quod decet, honeſtum. Qualis enim, inquit, differentia ſit, honeſti & decori, faciliùs intelligi, quàm explanari poteſt. Id verò maximè quemque decet, vt idem tradit Cicero, quod eſt cuiuſque ſuum maximè. Suum igitur quiſque noſcat ingenium, ſuum ſtatum, ſuam conditionem & functionem; & mox nullo negotio perſpiciet, quid ſe deceat, quidve honeſti ab eo ratio poſtulet. Quemadmodum enim alia decent coquum aut latomum, exempli gratia, alia Senatorem & Conſulem; ſic alia vita, alij mores decent laicum, alij Sacerdotem.
Leuit. 20. Sancti, inquit, eſtote; quia ſanctus ſum ego, Dominus Deus veſter; & ſeparaui vos à ceteris, vt eſſetis mei. Quo propiùs aliquis ad Regem honore ac dignitate accedit, hoc eum decent mores geſtuſque meliores. Eumdem in modum, quò magis quis Deo, honore, dignitateque coniungitur, eò vitã eius conuenit omni virtutum genere præ ceteris magis ſplendere. Sacerdotes proinde, quos ita hîc in terris Deus euexit, vt nihil ſimile Regibus vllis aut Monarchis conceſſerit; parum dico, vt præſtantiſſimis illis cæleſtibus ſpiritibus, Angelis, Archangeliſque prætulerit; quanto interuallo decet alios homines vniuerſos in exercitio pietatis anteuertere? Cui enim dixit aliquando Angelorum; Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt? Tanta
Bern. Serm. Vigil. Petri & Pauli. eſt Sacerdotum dignitas, ait D. Bernardus, vt præcedat ſententia Petri ſententiam cæli. Id quod alijs apud Matthæum verbis diuo Petro aliquanto apertiùs dicitur; Tibi dabo claues Regni cælorum: & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.

Agnoſcite, honorandi Patres, &, ſi dignum ducitis, chariſſimi etiam fratres; agnoſcite, inquam, dignitatem veſtram: videte, in quo honoris gradu, in quo culmine celſitudinis, diuina vos ſententia collocarit: & hoc poſteaquã diligenter etiam atque etiam perſpexeritis, attentiùs deinde conſiderate, quàm puram atque innocuam vitam, quàm integros omnique dignos laude mores, præſtare præ aliis debeatis. Legite Leuitici quartum caput; reperietis ibi ſimile prorſus idemque ſacrificium preſcriptum, pro peccato Sacerdotis alicuius, & pro peccatis totius populi, vel multitudinis. Quid hoc ſignificare putatis? Alij fortaſſe aliter id interpretabuntur, vt eſt fecunda Scriptura ſacra, & multiplicem ſenſum admittit. Sed nobis illic ſubindicare videtur, tantum eſſe Sacerdotis alicuius peccatum coram Deo, tamq; grauiter illi diſplicere, quàm diſplicet peccatum totius populi. Adeò benè ſcriptum alicubi ab D. Hieronymo; Non eſt facile, ſtare loco Petri; tenere locum Pauli. Et quod ille de Apoſtolis dicit, idem ſuo modo ſeptuaginta duobus dici poteſt; io quorum locum Sacerdotes Eccleſiæ inferiores & ſingularum Eccleſiarum Paſtores ſuccedunt. Pulchrum ſanè & ſuaue auditu eſt, plenumque honoris & dignitatis, quod de Sacerdotibus ac Paſtoribus dicitur; Vos eſtis lux mundi: vos eſtis ſal terræ. Sed, qui hiſce titulis delectatur, debet & illud animaduertere, quod mox ſequitur; Si ſal euanuerit, io quo ſalietur? Ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et illud; Cui multum datum eſt, multum petetur ab eo. Proinde, nolim vos exiſtimare, ſatis eſſe, ſi planè ſimus ab ebrietate omni & crapula alieni; ſi à fœda libidine, impudi-

impudicitia & fornicatione immunes;ſi auaritiam & turpem omnem quæſtum vitemus;
ſi auram popularem,gloriam mundi, omnemq́; ambitionis ſpeciem deteſtemur;ſi otium
ignauiamq́ue, vt vitiorum omnium matrem ac ſeminarium, ſummo ſtudio fugiamus:
maiorem perfectionem ac ſanctitatē, mihi credite,ordo noſter dignitaſq́ue requirit; alias
longè ac maiores laudes poſtulat ſacerdotium. Quas illas tandem? Proferam ſententiam
meam;quam ratio(vt audietis) mihi,& Sacrarum litterarum inſpectio ſuggerit. Vt nimi-
rum tumultu æſtuantis ſæculi & mundi huius, indies magis magiſq́ue miſerè peſſum
euntis,curis ac negotiis vacui, in lege Dei meditemur die ac nocte: vt in tantis, quæ nunc
paſſim omnes ſentimus, periculis conſtituti, aſſiduis orationibus benignas ſemperq́ue
patulas Dei aures pulſemus: denique,vt rerum humanarum velut obliti,& omnibus quæ
in terris ſunt ſuperiores effecti,animo & cogitatione toti in cælo verſemur: vt illud in no-
bis compleatur, quod de ſe Iſaias Propheta commemorat; Nomen tuum & memoriale *Iſa. 26.*
tuum, in deſiderio animæ meæ. Anima mea deſiderauit te in nocte; ſed & ſpiritu meo,in
præcordijs meis, de manè vigilabo ad te. Atqui hoc (dicet aliquis fortaſſe) Carthuſia-
norum eſt, & eorum qui eremiticam (vt loquimur) vitam agunt. Ego verò efficiam, Au-
ditores, vt intelligatis, id non tam ad hos pertinere, quàm ad omnes qui Sacerdotio ini-
tiati ſumus; vt alia omittam capita, quibus Deo plerique magis etiam ſumus & peculia-
rius obligati. Dicite mihi, obſecro; an non à reliquo populo, à vulgi multitudine ſepa-
rauit nos Dominus? Declarant hoc verba eius, quæ ſuperiùs paulò recenſui: Sancti eſto-
te, quoniam ſanctus ſum ego, Dominus Deus veſter; & ſeparaui vos à ceteris, vt eſſeris
mei. Idem & res ipſa loquitur. A populo autem omni,& vulgo laicorum,exigere Deum,
vt crapulam, ebrietatem, auaritiam, iracundiam vitent; ſuperuacaneum eſſet,opinor,ar-
gumentis velle docere. Nam nec adulteri, inquit Paulus, nec fornicarij, nec auari, nec *1. Cor. 6.*
ebrioſi, regnum Dei poſſidebunt. Niſi igitur hoc quod dixi egerimus, vt tumultu & cu-
ris mundi omnibus liberi, vni Deo, cui ſemel totos nos conſecrauimus, noctesq́ue dieſ-
q́ue viuamus; qua quæſo in re populum ſuperabimus? Meritò enim nos grauiter pudere
oporteret, illis vitæ ſanctimonia pares tantummodò eſſe, quibus tam immenſo interual-
lo, honore, gradu, dignitate, opibuſq́ue præcellimus. Neque verò craſſa illa dumta-
xat, quæ iam memini, vitia Apoſtolus deteſtatur in plebe; ſed vult inſuper eò illos vſque
contendere, vt non admittant vel μωρολογίαν, aut εὐτραπελίαν, hoc eſt, vanos face-
tóſve ſermones: Interpres vertit, ſtultiloquium, & ſcurrilitatem. Quamquam enim
εὐτραπελία & facetia, in bonam iuxta & malam partem accipiantur; Apoſtolus tamen
ibi de inepta & ſcurrili vrbanitate propriè loquitur. idq́ue, velut his verbis: Volo vos in
conſeſſibus & in conuiuijs veſtris Chriſtum Saluatorem & beneficia eius ſonare;non ea,
quæ ſtulta ſunt, inepta, ridicula, quoquo modo ſcurrilia: ea enim indigna ſunt Chriſtia-
nis. Locus eſt, ad Epheſios quinto capite. Si ad hæc & tanta plebem Chriſtianam horta-
tur Apoſtolus; quid nos decet facere? nos inquam, qui tanto, vt diximus, gradu à plebe
diuidimur? Olim Dominus noſter nouellis Chriſtianis dicebat; Niſi abundauerit iuſtitia *Matth. 5.*
veſtra, pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Quid
ſi nobis nunc Sacerdotibus, Paſtoribus, aut Canonicis dicat; Niſi abundauerit iuſtitia ve-
ſtra, pluſquam ſæcularium & laicorum, non intrabitis in regnum cælorum; an eum ali-
quis noſtrûm exiſtimet, abs re ſine cauſa id eſſe dicturum? Inter ſæculares,inquit D. Ber- *Lib. 2. De*
nardus, nugæ, nugæ ſunt; in ore verò Sacerdotis, blaſphemiæ ſunt. Conſecraſti os tuum *conſid.*
Euangelio: talibus iam aperire, illicitum; aſſueſcere, ſacrilegum. Labia, ait, Sacerdotis
cuſtodiunt ſcientiam: & legem requirunt ex ore eius; non nugas profectò, aut fabulas.
Verbum ſcurrile, quod faceti vrbanive nomine colorant, non ſufficit peregrinari ab ore;
procul ab aure relegandum. Hæc ille.

Iam, ſi orationem ad alteram functionis noſtræ partem velimus conuertere; Deum
immortalem, quanta hinc nobis incumbit præ alijs ſanctimoniæ cura? hac enim altera
vel maximè ratione diſiuncti ſumus à populo, quòd poteſtate ſumus præditi conſecran-
di & offerendi corpus & ſanguinem Domini. Nobis peculiariter, non alijs, dictum eſt;
Hoc facite in meam commemorationem. hoc eſt, benedicite, conſecrate, offerte, edite, *Luc. 22.*
diſtribuite corpus meum, vt me iam primum feciſſe vidiſtis. Quæſo, dilectiſſimi fratres,
ſi intelligitis, quid hæc ſint; num exiſtimatis, dum hæc facitis & tractatis, inter mortales
verſari, vel in terra penitus conſiſtere? annon potiùs eueſtigiò, nudo animo puraq́ue
mente, ea conſpicere quæ in cælis ſunt; & quadamtenus ea quoque guſtare, quæ nec
oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt? Hæc ſententia eſt profe-

 ctò

ctò magni illius Chryſoſtomi libro ſexto De Sacerdotio. Quos libros, omni laude ſuperiores, & pluſquam aureos, vtinam Sacerdotes, & Paſtores præcipue omnes, diligenter euoluerent; vt officij ſui dignitatem inæſtimabilem, & quæ eò pertinent omnia cognoſcere vt oportet atque intelligere diſcerent.

Sed redeamus ad tremenda, quæ nobis diuina auctoritate ſunt commiſſa, myſteria. Si non ſatis exploratum habetis, quantum à nobis iſthæc vitæ puritatem, ſanctimoniam, perfectionem requirant; vno id dumtaxar argumento, vt intelligatis, efficiam. Iſaias Propheta, Chriſti Saluatoris noſtri gloriam videns, vt Ioannes Euangeliſta refert, ita concionatur; Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum: & plena erat omnis terra gloria eius; & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſubter illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri; duabus tegebant faciem ſuam, & duabus velabant pedes ſuos, & duabus volabant: & clamabant alter ad alterum, & dicebant; Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus exercituum: plena eſt omnis terra gloria eius, & commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis; & domus repleta eſt fumo. Quanta eſt hæc maieſtas! nimirum, quam ſupremi illi Angelorum omnium Seraphim intuentes, faciem & pedes ſuos obuelant alis, præ reuerentia; indignos ſe reputantes, qui tantę aſſiſtant gloriæ. Atqui huius, de quo tanta dicuntur, verum ac viuum corpus quotidie in ſacro altari Sacerdotes ſacrificant: quanto igitur hos in ordine collocabimus? aut, quam ab ijs vitæ puritatem religionemque exigemus? Iſaias Propheta, cùm Dominum Ieſum illa in maieſtate & gloria cerneret, cæleſteſque illos ac ter maximos ſpiritus illi adſtare, pudoris, timoris, tremoriſq; pleniſſimos; denique ad illorũ dulciſſimũ concentum, cælum terramque moueri; vehementer quidẽ ſe illis coniungere geſtiebat, vnaq; cum eis decantare, Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus exercituum; ſed mentis ſibi conſcius non ſatis perpurgatæ, tentare id formidabat: vnde & triſtis ſubiungit; Væ mihi, quia tacui. quaſi diceret; O miſerum me & infelicem; qui tanta in lætitia ipſe mihi debui ſilentium imperare; cui laudes illas Dei non licuit propriæ quoque vocis acceſſione promouere, & pars aliqua fieri illius ſuauiſſimi chori! Cauſam autẽ, cur id ſibi exiſtimauerit non licere, ſubiungit: Quia, inquit, vir pollutis labijs ego ſum. Et ſi vlteriùs, vnde illi fuerint labia hæc polluta, perquiras; In medio, ait, populi polluta labia habentis ego habito. Ergo, non tam ſuo, quàm polluti cum quo verſabatur populi vitio, (vt fit) pollutionis ac næuorum nonnihil contraxerat. Hoc ſi tãtum Prophetã indignũ reddebat laude Dei, vt Τρισάγιον illud cum Angelis canere minùs auderet; quanta oportet eſſe præditũ puritate eum, qui nõ cum Seraphim modò Sanctus, ſanctus, ſanctus decantet, verùm illa etiã ore ſuo verba pronuntiet; HOC EST CORPVS MEVM; quæ nulli omnium Angelorũ proferre datum eſt? quæque, dum à Sacerdote ex Chriſti Domini noſtri præſcripto proferuntur, tremunt nimia præ reuerentia & admiratione Angeli vniuerſi. Quæſo, num ſatis ſuperque eſſe arbitramur, ſi tantæ rei miniſtri, à crapula, ebrietate, impudicitia, auaritia, cæteriſque id genus craſſis vulgaribuſque delictis abſtineant? Nónne ad Angelicam puritatẽ quam proximè accedere conuenit? immò illam potiùs aut exæquare, aut, ſi fieri poſſit, etiam ſuperare, quando illud eis committitur, quod nulli omnino Angelorum. In veteri Lege de Sacerdotibus ſcriptum eſt; Anima polluta, quę ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quę oblata eſt Domino, peribit de populis ſuis. Et alibi; Omnis qui habuerit maculam de ſemine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hoſtiã Domino, nec panes Deo ſuo. Denique rationẽ reddens omnipotens Deus, quamobrẽ à Leuiticis Sacerdotibus eximiam quamdam corporis atque animæ puritatem ac peculiarem præ alijs ſanctitatem poſtularet; Incenſum, inquit, Domini, & panes Dei ſui offerunt; & ideò ſancti erunt. Quid eum igitur exiſtimatis de nobis dicturum fuiſſe, qui non panem offerimus, ſed ipſum [illegible] er, quantus quantus eſt, Dominum Deum? Vel, ſi panem vultis, (nam eam locu[illegible]em non omnino aſpernantur Scripturæ) certè non illum panem, qui de terra educitur, ſed qui de cælo è ſinu Patris deſcendit, & dat vitam mundo. Et hactenus quidem ſatis a nobis, opinor, pro temporis breuitate demonſtratum, quam vitæ honeſtatẽ requirat Deus à Sacerdotibus & Paſtoribus; ſeu, quid eos peculiariter deceat, iuxta Paulinam illam ſententiã, quam explicandã ſumpſimus; Omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant in vobis. Nam, vti ex Cicerone oſtendimus, quod honeſtũ eſt, decet; & quod decet, hone[illegible] eſt. Reliquum eſt, vt de ordine nonnihil adiiciamus: quandoquidem eadem illa ſententia duo dicit (vt auditis) Apoſtolus; Omnia honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant in vo[illegible] Tametſi enim hæc fere ſe mutuò conſequantur, vt qui per omnia honeſte agit, is rectum ſeruet

Iſaiæ 6. Apoc. 4. Leuit. 7. Leuit. 21. Ibidem. Ioan. 6.

fernet ordinem, & è conuerſo; diuerſam tamen ambo tractationem admittunt, dicendi-
que de ſe aliam atque aliam materiam ſubminiſtrant. Ordo in omni re adeò multùm
valet, vt eo ſublato, nihil vſquam aut fieri aut dici rectè poſſit. Ex quo natura, ſeu Deus
potius, naturæ Auctor, dum totam mundi huius molem digereret, nihil habuit anti-
quius, quàm vt omnia in numero, pondere, & menſura diſponeret: quibus verbis Scri- *Sap. 11.*
ptura ordinem declarauit. Cumque in toto hoc vniuerſo, nihil carius, nihilque pretio-
ſius habeat Eccleſia ſua, ſeu Fidelium ſocietate; in illa nihil prius inſtruit, nihil fecit ma-
gis obuium, nihil docuit euidentius, quàm certo, perpetuo, atque indiſſolubili ordine
debere conſtare. vti nullus alius conuentus, nulla humana ſocietas, immò nulla prorſus
vita mortalium eſſe aut ſubſiſtere ſine ordine poteſt. Quam rem, ceu pulcherrimam, &
præclariſſimam, ſæpè inculcat, libenterque commemorat D. Paulus ad Epheſios 4. ca-
pite: Ipſe, inquit, dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios
verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum,
in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti; donec occurramus omnes in vni-
tatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis
Chriſti. Hic & ordinem Eccleſiæ auditis, & ordinis rationem. Verùm, ſi amplius aliquid
de huius neceſſitate ordinis lubet intelligere, aduertite quæ ſequuntur: Vt iam, inquit,
non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia ho-
minum, in aſtutia ad circumuentionem erroris; veritatem autem facientes, in charitate
creſcamus in illo, per omnia, qui eſt caput Chriſtus: ex quo totum corpus compactum
& connexum, per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem, in
menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui, in
charitate. Hæc ibi. Ad Romanos verò duodecimo, & prioris ad Corinthios itidem duo-
decimo capite, aptiſſimam ſimilitudinem membrorum humani corporis, quam obiter
hic attigit, ad huius ordinis decorem neceſſitatemque declarandam, fusè & perelegan-
ter explanat. Iuuerit autem, ad maiorem huius rei guſtum, & pleniorem capiendam in-
telligentiam, ſi obſeruemus non illam modo Eccleſiaſticam hierarchiam, quę tota ferè in
actione verſatur, ad quã Paulus dumtaxat reſpexiſſe videtur, ſed illam etiã, quæ medita-
tioni Sacræ & contemplationi addicta eſt: hoc eſt, religionem Monaſticam; eamque va-
riam quidem, ac diuerſi generis, prout alijs aliiſq; vijs eſt ad eamdem metã pertingere; ſed
quę omnis tamẽ mirificè conducit ad ornamentum & decorem ordinis Eccleſiaſtici. Vt
qui hęc omnia, totiuſque Eccleſiæ ordinatiſſimum ſtatum, ſeria mentis intentione con-
ſideret, non poſſit non, conſiderando cum Salomone exclamare; Quæ eſt iſta, quæ pro- *Cant. 6.*
greditur quaſi aurora, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordina-
ta? Hic ſinguli ſuum habent locum, gradum, ordinem, ſtationem, pro ſua quiſque con-
ditione. Vnum eſt tantummodò neceſſarium, vt ſuam quiſque ſtationem, quam Dei be-
nignitate nactus eſt, nouerit ac tueatur. Primum enim eſt noſſe, quo loco ſis in Eccleſia,
quidve ad te propriè pertineat: proximum, præſtare quod noueris. ne alioqui Athe-
nienſibus ſimus ſimiles, de quibus olim non ſine probro dici ſolebat, nouiſſe eos præcla-
rè, quid rectum ſit; ſed præſtare nolle: quod Cicero libro primo De officijs teſtatur. Qui
ordinatiſſimam hanc Eccleſiæ diſpoſitionem non videt, pluſquam cæcus eſt: qui videt,
& non demiratur, ſtupidus: qui miratur tantùm, non etiam ſequitur, nec vitam ſuam ad
illam componere nititur, malus, & tamquam neceſſarij omniumque decentiſſimi ordi-
nis contemtor ac violator, multa caſtigatione digniſſimus. Quemadmodum enim mi-
les quiſpiam, cuiuſcumque tandem ordinis ſit, ſi ſuum non præſtat officium, perturbare
ordinem militarem conuincitur; ſæpeque, propter leue alioquin delictum, ordinis ac di-
ſciplinæ conſeruandæ gratia, ſeueriſſimè ducis baculo caſtigatur, interdum quoque in
crucem agitur: ita Chriſtianus, cuiuſuis conditionis, ſi ſecùs viuit atque ordo eius &
conditio poſtulat, vitiat ac dehoneſtat ordinem Eccleſiaſticum, quouis militari præſtan-
tiorem. Diuus ille Dionyſius Areopagita, Pauli diſcipulus, qui diuiniſſimos libros De cę-
leſti & Eccleſiaſtica hierarchia cõſcripſit, erudite illud, vt omnia, prodidit: ad hoc, diuinæ
diſpenſationis prouiſione, gradus diuerſos ordineſq; diſtinctos eſſe conſtitutos in huma-
nis rebus, vt, dum reuerentiam inferiores Superioribus exhiberent, & viciſſim iſti illis of-
ficia dilectionis neceſſariæque gubernationis impenderent, vna concordiæ fieret ex diuer-
ſitate connexio; & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim
vniuerſitas, inquit, alia potuit ratione conſiſtere; niſi huiuſmodi eam magnus differentię
ordo ſeruaret. Quòd verò creatura in vna eademque qualitate viuere non poteſt, cæle-

ſtis militiæ nos exemplum inſtituit: in qua, dum ſunt Angeli, ſunt & Archangeli; liquet, quia non æquales ſunt, ſed poteſtate & ordine differunt alter ab altero. Si ergo inter eos, qui ſine peccato ſunt, conſtat iſtam eſſe diſtinctionem; quis hominum abnuat huic ſe libenter diſpoſitioni ſubmittere? Hinc enim & pax & charitas mutua ſe vice complectuntur; & manet firma concordiæ in alterna, & Deo placita dilectionis ſinceritas. Hæc magnus ille Dionyſius. Quàm eſſet iucundum, Auditores, & præclarum ſpectaculum, ſi nos ſaltē Eccleſiaſtici, & primi ordinis homines, (vt laicos plebeiosq; prætercam) ſuum quique munus & functioné ex animo laboraremus præſtare! Si inquam, Paſtores, quæ Paſtorū ſunt; ſi Canonici, quæ ad eos ex officio pertinent; ſi religioſi, ad quę regula eos, quam profitentur, adſtringit; non perfunctoriè, ſed ſeriò tandé aliquando exequerentur. Quàm prudenter nobis ipſi cōſuleremus omnes! quàm feliciter ſuccederet res Chriſtiana! quàm citò nouā videremus Eccleſiæ faciem! quàm breui florerent omnia! Nunc (prô dolor!) plerique omnes bis in ordinem hunc peccamus grauiſſimè. nam & proprium officium ferè negligimus, & in aliorum excutiendo carpendoque ſumus ſupra modum procliues & curioſi. Pudet dicere, quàm procul extra ordiné receſſerimus vniuerſi: manus ſui oblita, quid oculus agat, inquirit: oculus ſimiliter à ſemetipſo velut auertens obtutum, quid manus, quid pes, quid lingua rerum gerat, examinat. O monſtra, ô ordinem rerum inuerſum! Quàm malè in nos quadrat id, de quo ſponſa Chriſti in myſtico illo Cantico tan-
Cant. 2. topere in Domino gloriatur, dicens: Ordinauit in me charitatem! Optabat olim D. Bernardus (quando huius viri verbis vti ſemel cœpimus) Vtinam, inquiens, in me Dominus Ieſus tantillum ordinet charitatis quod dedit, vt ſic mihi curæ ſint vniuerſa, quæ ſunt ipſius, vt tamé, quod mei potiſſimum propoſiti ſeu officij eſſe conſtiterit, ante omnia curem! Votum ſanè maximè omnium ſalutiferum; ſed quod, vt diximus, animos plerorumque noſtrûm parùm ſollicitat. & hinc illæ, vt aiunt, lacrymæ. Quamdiu ſiquidem ſuo quiſque fideliter ordine ſtetit, ſuo cum modeſtia functus eſt munere, ſua fuit cōditione contentus; quamdiu non inuidit alter alteri melioré fortunam, non alius alium liuidus oderat; rectè in Eccleſia omnia gerebantur, beneq́ue erat omnibus: non magnopere
1. Tim. 1. erat opus, vel præceptionibus, vel decretis nouis, non legibus, non Concilijs. Iuſto enim non eſt lex poſita, inquit Apoſtolus, nec eſt opus. Idipſum dicebant, idipſum ſentiebant, idipſum ſapiebant, idipſum docebant, idipſum agebant omnes: vt facilè ciuitaté agno-
Pſal. 121. ſceres, cuius participatio in idipſum. ſiue, vt alius ex Hebræo quidam clariùs & ſignificantiùs vertit; Cuius ciues amabili concordia in vnum coëunt: illamq́ue ordinatiſſi-
Pſal. 132. mam & ſuauiſſimam ſocietatem faciunt, de qua dicitur; Ecce, quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum! At, ſimulatque ſuam quiſque cœpit gloriam quęrere, ſuum commodum ſectari, ſuo illuſtrando nomini, ſuæ quoque modo augendæ ditioni ſtudere: cùm, inquam, & ſæcularis poteſtas Eccleſiaſticam pro viribus opprimere, & Eccleſiaſtica ſæculari non ſatis modeſtè ac ciuiliter, vt oportebat, imperare; adeoq́ue iam nemo non ſui immemor eſſe cœpit ordinis, gradus, officij, & dignitatis, quam in Eccleſia obtineret; non modò omnis ille confeſtim Eccleſiæ decor euanuit, ſed velut agmine facto, errorum, ſcelerum, corruptelarum, & vitiorum omne genus ſentina ſe in illam effudit: vti in hodiernum diem, nemo noſtrûm non experitur.

Quare, vt orationem contraham: ſi ad illa quæ amiſimus bona tamquam poſtliminio redire velimus, ſi iuuat ad excuſſam dudum e manibus felicitaté adſpirare, ad priſtinamq́ue noſtram & Eccleſiæ gloriam, procul à tergo relictam, interdum reſpicere; ad ordinem cuique ſuum & ſtationem eſt redeundum. Videndum, quo loco ſis in Eccleſia, quod geras munus, qua ſis conditione; & enitendum omni ſtudio, vt officio tuo & vocationi ex animo ſatisfacias. Non magnum eſt, vocari Paſtorem aut Sacerdotem; ſed viuere. Non magnopere laudabile, dici Canonicum; ſed præſtare. Non admodum Deo gratum, profiteri Monachum aut Religioſum; ſed eſſe. Qui ſubditi ſunt, eum omni reuerentia obediant Præpoſitis ſuis; nec merita perſonarum, ſed officia conſiderantes, debitum illis honorem dependant: quandoquidem obedientia primarium vinculum & veluti
Heb. 13. neruus eſt ordinis Eccleſiaſtici. Audiant Apoſtolum grauiſſimis intonantem verbis: Obedire Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis. Quàm benè vrget, quàm grauiter interminatur, quàm ſignificanter explicat omnia! At quia pondus ſingulorum verborum patheticæ huius ſententiæ, ſuperiori oratione diſcuſſimus; cetera, quoad ſubditos, hîc miſſa faciemus. Verùm & ipſi ſuperiores viciſſim,

ciſſim, ſui quoque officij memores, non indignos ſe præbeant eo quo perfunguntur miniſterio. Benignitate ac manſuetudine animos ſibi ſubditorum concilient; atque ita ſeuerè clementes, & clementer ſeueri eſſe nouerint, vt & timeri pariter ſeſe faciant & amari. Talem quiſque gerat curá ſibi commiſſi gregis, tamquam diſtrictiſſimo Iudici de illis omnibus exactam ſemel rationem redditurus: tamquam de cuius manibus requiretur, iuxta Prophetam, ſi quid fortè ex illis, ipſorum culpa, perierit. Sic, ſic demum honeſtè omnia, & ſecundùm ordinem, fient in nobis. Non ferunt profectò hæc tempora longiorem cunctationem. Itaque iam iam vnuſquiſque (quod & in Concilio Prouinciali Mechlinienſi me dicere memini) à ſeipſo antiquorum & ſalubrium quorumcumque canonum executionem incipiat, nec diutiùs alij in alios, puerorum inſenſatorum more, reijciamus. Non diutiùs verbis, cærimonijs & profeſſione ſola ſimus pij, ſed rebus. Numquam licuit miniſtris Eccleſiæ deſidia torpere, aut omnino ſic vitam inſtituere, vt mores à ſancta profeſſione diſſideant. Sed potuit fortaſſe olim Eccleſia, cùm robore ſuo, ſanitate, gloria, copiaque floreret, eiuſmodi quoquo pacto tolerare: nunc autem, ſic deformata, afflicta, imminuta, fracta, deiecta, prorſus non fert ampliùs inutiles ignauoſque miniſtros. Quamquam haud ſcio, an ſint digni miniſtri Eccleſiæ nomine, qui vitam otio tranſigunt; vt alia taceam vitia, otio grauiora. Qui, vt Propheta Amos inquit, ſicut Dauid putant ſe habere vaſa cantici, bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiuntur ſuper contritione Ioſeph. hoc eſt; qui non indoleſcunt malis proximi, non miſerentur, non ſuccurrunt laboranti Eccleſiæ, quos nulla tangit cura communis calamitatis: qui ita ſuauiter indulgent genio, ſic in vtramque aurem ſecuri dormiunt, tamquam nihil ad eos pertineret aliorum afflictio: quaſi nos parum aut nihil concerneret propinquorum ipſorum, vicinorum, patriæ communis, immò totius pæne Eccleſiæ, miſeria ac ruina. Sed quid ego hæc, vera quidem, attamen triſtia admodum & deploranda, commemoro? quin potiùs vos vnà mecum, vt poſſum, exſtimulo, vt longum & perpetuum vale præteritis dicentes erroribus, in rectam pariter omnes viam feramur? & quæ retrò ſunt, cum Apoſtolo, obliuiſcentes omnium, ad ea quæ priora ſunt extendamus noſipſos?

Amos c. 6. *Phil. 3.*

Si enim ex animo tandem aliquando noſmet conuertere velimus ad recta ſanaque conſilia; non tam procul adhuc à nobis aufugit (quod aliàs dixi) Diuini numinis fauor, quin ad hunc ſerium conatum facilè ſit rediturus. Pax, Reipublicæ ſalus & proſperitas, ſincera animorum coniunctio, ſecundus negotiationis ſucceſſus, & quibus prætereà ſolemus beatam vitam metiri, quę priſci homines aurea ſęcula nominabant, vnà cum pietate & timore Dei, à nobis procul dubio auolarunt. Hæc ſi colere iterùm & amare incipimus, illicò illa recurrent omnia. Non tam implacabiliter in nos Deus iræ ſuæ furorem accendit, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, vt non ſit non remoturus à nobis vltionem ſuam; ſi modò nos ſincerè, atque ex toto corde (vt ipſe loquitur atque deſiderat) viderit ad ſe eſſe conuerſos. Præceſſit diſciplina, ſequetur & venia. Vtque verbis glorioſi Martyris Cypriani concludam: Si nos Dominus viderit humiles & quietos, ſi ad nos inuicem copulatos, ſi circa iram ipſius timidos, ſi præſenti tribulatione correctos emendatoſque conſpexerit; tutos protinus ab inimici infeſtationibus exhibebit.

EXHORTATIO *De ſtudio Sacrarum litterarum amplectendo, otióque euitando, ad Paſtores & Sacerdotes.*

ROGATVS, vt aliquam ad vos modò exhortationem haberem, ornatiſſimi Domini, cùm multa ſint, quæ hîc poſſint non intempeſtiuè proponi; alijs omnibus in aliam opportunitatem reiectis, nonnihil de officio Paſtorum & Sacerdotum agere in præſentiarum conſtitui. Video enim, nec ambigo, quin idem iuxtà mecum omnes ſentiatis, ex hac vna re potiſſimùm aut ignorata, aut non præſtita, omnes nobis hodie propemodum turbas naſci. Et quamquá mihi quidem perſuaſiſſimum ſit, nihil opus eſſe, vt ego vos doceá quid ſit officij veſtri, adeoque multò malim alium ex hoc cœtu quempiam dicentem audire, quàm ipſe dicere; quia tamen aliquid ex more faciendum eſt, humanitate veſtra fretus, dicam quod ſentio breuiter, meipſum maximè inter alios ad officium exſtimulaturus. nec tam

acturus, vt quod ignoratum fortè, aut neglectum à vobis eſt, corrigatur; quàm vt ita laudabiliter deinceps in officio quiſque ſuo verſemini, quemadmodum hactenus illud præclare adminiſtraſtis: &, quæ egregiè cœpta ſunt, fine præclariori ornetis & perficiatis.

Duas eſſe potiſſimùm partes officij paſtoralis, vt nimirum exemplo vitæ, & verbo doctrinæ Paſtores ceteris præeant, extra omnem eſt controuerſiam. Id enim inter alios diſertè expreſſit ſummus ille olim & primus poſt Chriſtum Paſtorum Princeps D. Petrus, vbi *Act. 6.* de Paſtorum munere, ex profeſſo concionatur: Nos, inquit, orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus. orationis nomine, & ſacrificij oblationem, & quidquid ad pietatis exemplum pertinet, comprehendens. Vtraque autem hæc pars officij paſtoralis, amplißimam de ſe dicendi materiam præbet. Sed nos, quando vtramque pro dignitate tractare non poſſumus; alteram, quę in doctrina eſt poſita, ſumſimus breuiter explicandam. Non eſt autem neceſſe, procul petere huius ſiue explicationis ſeu concionis principia, ſeu fundamenta. Nam, abunde ſatis compertum eſt, rerum experientia, quantum malorum inde conſecutum ſit, quòd plerique Sacerdotes & Paſtores hanc officij ſui partem adeò *Iſa. 5.* hodie neglexerunt, vt meritò nunc illud Iſaiæ ſonare poſſimus: Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam; & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius ſiti exaruit. Loquitur enim Iſaias de fame & ſiti ſpiritus, quæ in appetitione & defectu verbi Dei ſita ſunt. In quem ſenſum & Ieremias de porrectione panis con- *Ierem. Thren 4.* cionatur; Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.

Quid mirum, ſi populus ſe patitur in errores abduci, cùm de Religionis & fidei veri- *Ephe\ſ. 4* tate non diligenter inſtruuntur? Quid mirum, ſi iam efficiamur ſicut paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumuentionem erroris, quando illi, qui conſtituti ſunt à Deo Paſtores & Doctores vt id impediant, ſuaque eruditione populum in officio contineant, nihil minùs quàm hoc agunt? *Ioan. 4.* Qui diligit me, inquit Saluator, ſermones meos ſeruabit. Primum autem eſt, ſcire ſer- *Ierem. 23.* mones Dei, & fidei puritatem; proximum autem, præſtare. Si Prophetæ & Paſtores ſtetiſſent in conſilio meo, ait Deus per Ieremiam, & nota feciſſent verba mea populo meo; auertiſſem vtique eos à via ſua mala, & à cogitationibus ſuis peſſimis. At quo pacto alios doceant vias Domini, qui eas nec ſciunt ipſi interdum, nec ſcire laborant? Apoſtolos ſuos Chriſtus, eorumque in regendo populo vicarios ſucceſſores, ſal terræ, hoc eſt, terrenorum hominum, appellauit: ſcilicet, quòd ipſorum doctrina debeant animi hominum ab errorum & vitiorum putredine præſeruari; quodque prædicatione verbi Dei, & rectis conſilijs ſuis, mores ſubditorum ita debeant benè condire, vt Domino ſapiant, eiuſque diuino reddantur idonei: quemadmodum ſalis conditiones ſunt, quòd & gratum cibi ſaporem præſtet, & cibos ſua virtute à corruptione cuſtodiat. Iam verò, ſal ipſum ſi euanuerit, in quo ſalietur? aut, quid ſpei reliquum erit, alicuius in populo Chriſtiano emendationis aut obedientiæ ſecuturæ? Nullum eſt ergo efficacius præſentiuſque remedium, vt ſe Sacerdotes & populum Chriſtianum ab errorum & vitiorum quorumlibet putredine tueantur, quàm ſi ſeipſos primùm exerceant diligenter Sacrarum ſtudiis litterarum: & in plebem ſuam liberali manu deinde erogent, quæ didicerint. Nihil enim eſt, quod ad veram hominis felicitatem, nihil quod ad vllam huius vitæ functionem pertineat, quod in his non ſit traditum, diſcuſſum, abſolutum. Nam, ſiue viuendi formam exquirimus; cur aliud nobis prius eſt exemplum, quàm quod in Sacris nobis litteris ſic ad viuum depingitur, archetypus ipſe Chriſtus? ſiue pharmacum aliquod deſideramus, aduerſus moleſtam animi cupiditatem; cur aliò confugimus, quàm ad diuinas Scripturas? ſiue viſum eſt, ſe aduerſus graſſantium hæreſum exitiale virus armare; cur alibi putamus remedium eſſe præſentius, quàm in Sacris litteris? Laborat quis ignorantia? vnde, quæſo, ſpirita- *Pſal. 118.* lis lux cuipiam magis affulgeat? Lucerna, inquit ille, pedibus meis, verbum tuum; & lumen ſemitis meis. Ac rurſus: Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Mœret quiſpiam, hoc triſtiſſimo ſæculo? hinc lenimen doloris petat, & diſ- *Pſalm 93* cedet alacrior. Hic illud experietur: Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Tentatur quis, & periclitatur? ab Euangelio & Paulinis Epiſtolis petat præſidium. Sitit aliquis iuſtitiam? hic re- *Ioan. 4* periet fontem aquæ puriſſimum: vnde ſi biberit, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam *Ioan. 6.* æternam. Si quis eſurit vitalem cibum; hic eſt panis de cælo deſcendens: vnde qui ede- *Ephe\ſ. 4.* rit, vegetus ac robuſtus euadet in Chriſto, donec occurrat in virum perfectum, in menſu-

tam

tam ætatis plenitudinis Chriſti. Hic fons eſt ille paradiſiacus, vnde quatuor emanant Geneſ. 2.
flumina, irrigantia vniuerſam faciem terræ. Hic denique eſt panis ſermonis diuini; vnde
hodie quoque Ieſus mirificè reficit ad ſe confugientes. Quid plura? Omnis Scriptura, 2. Tim. 3.
diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudien-
dum, in iuſtitia; vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.

Proinde, ſi vere atque ex animo ſumus quod dicimur; non modò Chriſtiani, verùm
etiam Chriſtianorum Paſtores & Sacerdotes; ſi verè credimus, Chriſtum è cęlo miſſum;
vt nos ea doceret, quæ Philoſophorum ſapientia non poterat; ſi denique verè expecta-
mus ab illo, quod nulli Principes, quamlibet opulenti, donare queunt; cur eſt nobis ali-
quid huius litteris prius aut antiquius? immò, cur omnino quidquam videtur eruditum,
quod ab huius decretis diſſidet. Sanè, Ciceronianus non eſt, qui Ciceronis libros placita-
que non legerit: & Chriſtianus, immò Chriſtianorum Magiſter & Paſtor erit, qui Chri-
ſti libros non legerit, non tenuerit? Quis non vehementer fœdum cenſeat, Ariſtotelicam
profitenti Philoſophiam, neſcire, quid vir ille ſenſerit de ratione ſyllogiſmi, de cauſis ful-
minum & pluuiarum, de prima materia, de vacuo, de infinito; quæ nec cognita felicem,
nec ignorata infelicem reddunt? Et nos Sacerdotes, tot Sacramentis initiati, tot modis
præ ceteris addicti Chriſto, non fœdum ac turpe putamus, illius neſcire dogmata, quæ
certiſſimam omnibus felicitatem præſtant? Quid verò his ſimile inuenietur in aliorum
ſcriptis? Quæ eiuſmodi ferè ſunt, vt non parùm multos pœniteat inſumtæ in illis ope-
ræ. Carmina Poëtarum, inquit D. Hieronymus, ſæcularis ſapientia, Rhetoricorum pom- Epiſt. ad
pa verborum, dæmonum cibus eſt. Quæ ſua quidem omnes ſuauitate delectant, & dum Damaſum de filio pro-
aures verſibus dulci modulatione currentibus capiunt, animum quoque penetrant, & digo.
pectoris interna deuinciunt: verùm, vbi cum ſummo fuerint ſtudio ac labore perlecta;
nihil aliud niſi inanem ſonum, & verborum ſtrepitum, ſuis lectoribus tribuunt: nulla ibi
ſaturitas veritatis, nulla refectio iuſtitiæ reperitur. Studioſi earum, in fame veri, & virtu-
tum penuria perſeuerant. At in ſacroſanctis Chriſti dogmatibus viuere, hæc meditari, in
his totos eſſe, nihil aliud noſſe, nihil aliud quærere, illud demum eſt quoddam, hic in ter-
ris, Regni cæleſtis habitaculum.

Sed nolim hic ex profeſſo, inter ſe, ſtudium ſapientiæ ſæcularis, quas bonas (neſcio
quàm rectè) appellant litteras; & Diuinarum ſtudium litterarum conferre. Vtinam verò
tandem aliquando illius ſeriò recordemur, quod D. Petro Apoſtolo, ſemel, iterùm, ac
tertiò dictum eſt: Paſce oues meas. Quod non ad illum ſolùm, ſed ad vniuerſos perti- Ioan. 21.
net, qui vel vicarij illi Paſtores ſuccedunt, vel in partem curæ ſocij illi & coadiutores
adiuncti ſunt. Quomodo autem Chriſtus oues ſuas hiſce paſcendas commiſit? haud du-
biò, quin in primis Chriſtianæ doctrinæ pabulo. An non igitur neceſſitas nobis magna
incumbit, fratres, nauiter operam dandi Sacris litteris? An verò hiſce patiemur nos ſupera-
ri à ſutoribus, latomis, mulierculis, alijſque hoc genus infimæ conditionis hominibus?
quos hodie volitare videmus per ſingula quæque ſanctę Legis volumina, per Pſalmos, per
Paulum, per Euangelia, per Prophetas? Siue enim apud ſuos, ſiue alienos, ſiue priuatim,
ſiue publicè, ſiue in conuiuijs, ſeu plateis; nihil vmquam penè de ſuo proferunt, quod
non Scripturæ verbis adumbrare conentur. Quod medicorum eſt, inquit ille, promittūt Hieron. ad
medici, tractant fabrilia fabri; ſola Scripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendi- Paulinum.
cant. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc vniuerſi præ-
ſumunt, lacerant, docent (prò dolor) antequam diſcant. Et nos Sacerdotes, quibus po-
pulus Domini, pabulo verbi Dei & ſacrarum Scripturarum paſcendus, commiſſus eſt, ad
nos parùm pertinere exiſtimabimus, in Diuinis litteris verſari, diſquirere, ſcrutari aſſiduè?
has ſinu circumferre, has ſemper habere in manibus?

Propheta regius, cùm multa receſuiſſet beneficia Dei, populo Iſraëlitico præſtita, tan-
dem rem totam verſibus duobus abſoluit; qui optimè quadrant in eccleſiaſticos viros
huius temporis, diuino cultui deputatos: Dedit illis, inquit, regiones gentium, & labores Pſal. 104.
populorum poſſederunt, vt cuſtodiant iuſtificationes Dei, & legem eius exquirant. Quod
quid ſibi velit, ſi extraneis exemplis diſcere lubet; inueniemus ſanè in antiquitate genti-
lium, quæ ad rem iſtam (meo iudicio) magnopere faciant. Apud Ægyptios ſiquidem,
olim deputabant reges ſacerdotibus, quæ ad annonam erant victumque neceſſaria; vt à
ſæcularium negotiorum curis immunes, toti arduarum & cæleſtium rerum contempla-
tioni vacarent. Auctor eſt Ariſtoteles in primo Metaphyſicorum. Conſentiunt & Scri-
pturæ ſacræ. Ita quoque Mathematicas artes primi ipſi inuenerūt; fuitque ſapientia il- Geneſ. 47.

lorum toto terrarum orbe adeò celebris, vt Lycurgus Lacedæmoniorum legifer, Py-
thagoras Samius, Plato Athenienſis, ac pænè omnes Græci qui ſingulari aliqua erudi-
tione claruerunt, in Ægyptum ad Sacerdotes diſcendi cauſa profecti ſint. Quem eum-
dem honoris gradum, & ſapientiæ opinionem, Chaldæi quoque Sacerdotes apud Aſſy-
rios Babyloniosq́ue ſortiti ſunt. Ad cultum enim deorum (vt Diodorus ſcribit) deputa-
ti, per omnem vitam philoſophari ſolebant: fueruntq́ue & ipſi Aſtrologiæ, & eorum
quæ ad Sacra pertinent, ſine controuerſia peritiſſimi. Quid hic referam, quanto in pre-
tio in Perſide Mediaque fuerint Magi, qui Sacerdotum apud eos munere fungebantur;
cùm conſtet, eos à ſcientiæ magnitudine hoc ipſum Magi nomen inino conſecutos fuiſ-
ſe? Profluxerunt ab iſtis Indorum Gymnoſophiſtæ, quos appellabant, qui ab opere omni
externo liberi, ſoli diuinarum rerum contemplationi & ſacrificijs offerendis operam da-
In vita bant; quorum ſapientiam, Plutarcho teſte, expertus & admiratus Alexander ille Ma-
Alexand. gnus, multis eos magniſq́ue honoratos muneribus à ſe dimiſit. Apud Græcos autem,
Sacerdotium ferè philoſophiæ coniunctum fuiſſe, & Sacerdotes ibidem aut Philoſophos
etiam fuiſſe, aut ſtudio ſapientiæ deditos, notius eſt, quàm vt probatione ſit opus.

Hæc eò ſeruiunt, fratres, vt intelligamus, quàm conueniens, atque adeò neceſſarium
ſit, Sacerdotes Chriſtianorum, diuinæ ſapientiæ, quæ Scripturis ſacris prodita eſt, peritos
& ſtudioſos eſſe; vbi ethnicos Sacerdotes, idolorum cultores, tantam ſemper eruditionis
& ſcientiæ rationem habuiſſe nouerimus: ac pudeat nos ab illis doctrinæ percipiendæ
diligentia ſuperari, quibus tanto interuallo piæ Religionis ſincera profeſſione præcelli-
Act. 8. mus. In Actibus Apoſtolorum, Eunuchus ille Candacis Reginę Æthiopum, de Æthio-
pia, id eſt, de extremis mundi finibus, venit ad templum Ieroſolymitanum; reliquit au-
lam regiam; & tantus amator Legis diuinęque ſcientię fuit, vt etiam in vehiculo legerit
Litteras ſacras: & tamen, cùm librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet,
lingua volueret, labijs perſonaret, ignorabat eum, quem in libro neſciens venerabatur.
Iam mihi conferte hominem à Dei cognitione alienum, laicum, in aula agentem, &
principem, cum Chriſtianis Sacerdotibus, plebiſq́ue Doctoribus.

Malach. 2. Clamat per Malachiam Dominus: Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam; & legem
Aggei 2. requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt. Et per Aggæum: Interroga
Sacerdotes legem. In tantum, inquit D. Hieronymus, Sacerdotis officium eſt, interroga-
tum reſpondere de lege. Immò, ſi penitiùs quis Sacras litteras introſpiciat; inueniet ille,
non minùs coniunctam eſſe debere ordini ſacerdotali ſcientiam, quàm ſacrificium.
Nam, quid aliud ſibi vult quod Oſeæ ſexto capite ſcriptum eſt; Miſericordiam volo, &
non ſacrificium; & ſcientiam Dei plus quàm holocauſta; niſi quòd ſatius & tolerabilius
Sacerdoti ſit, ſacrificio abſtinere, quàm diuinæ Legis ſtudio & meditationi non eſſe inten-
Osea 4. tum? Ex quo per eumdem quoque Prophetá Deus ſeuere pronuntiat: Quia tu ſcientiam
Ierem. 2. repuliſti; proieci te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Et per Ieremiam, Sacerdotes, inquit, non
dixerunt, Vbi eſt Dominus? & tenentes legem neſcierunt me. Propterea adhuc iudicio
contendam vobiſcum, ait Dominus; & cum filijs veſtris diſceptabo. Horrendum ſanè
Iob 9. incidere in manus Dei viuentis: periculoſum, cum illo congredi in iudicium. Si quis, ait
Iob Propheta, voluerit contendere cum eo; non poterit ei reſpondere vnum pro mille.
An verò hoc iudicium ſuum Deus nuſquam nunc cœperit exercere, vos ipſi iudicate. Ego
enim, dum omnia mecum diligenter conſidero, & rem recta reputo via; haud ſcio, an
alia de cauſa magis hodie contemtui paſſim ſint, immò adeò abiecti penitus & ſedibus
ſuis pulſi Sacerdotes (res eſt deploratione digna) quàm quod vel comeſſationibus, vel ve-
nationibus, vel etiam fortaſſe ſcortationibus, alijſque rebus indignis, quàm veræ ſapien-
tiæ ſtudio & Sacrarum litterarum meditationi, operam dare animumque intendere ma-
luerunt. In loco illo, iam paulò antè ex Malachia citato, ita aduerſus Sacerdotes into-
Malach. 2. nat Dominus: Labia (quod antè audiſtis) Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem
requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum eſt: vos autem receſſiſtis de via,
& ſcandalizaſtis plurimos in lege. Irritum feciſtis pactum Leui, dicit Dominus exerci-
tuum. propter quod, & ego dedi vos contemtibiles, & humiles omnibus populis. Quis
porrò non videt, prophetiam illam in nobis iam euidenter impleri? nos, inquam, Sacer-
dotes, ſiue ordinem noſtrum datum eſſe contemtibilem & vilem omnibus populis? Et
hoc ipſum eſt quoque, quod Seruator noſter de Sacerdotibus non tam aſſeruit quàm
prædixit, vt antè meminimus; Vos eſtis ſal terræ. quòd ſi ſal euanuerit; in quo ſalietur?
Ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Quid enim
aliud

aliud Sacerdotes (prô dolor!) quàm conculcantur? dum non modò honor illis à laicis debitus non defertur, verùm etiam odio habentur paſſim, & deridentur, & digito monſtrantur; atque adeò honoris ſummi vocabulum, illis à vulgo hominum in opprobrium & conuitium vertitur. Notum eſt enim, quid ſonet hodie, ſiue Latina vox Sacrificulus, ſiue vernacula, *Pape*.

Et vnde, quæſo, ordo iſte rerum inuerſus emanauit; niſi, ſi verum velimus fateri, ex vitio noſtro? quòd nos animaduertit populus, nihil minùs quàm honori noſtro ac nomini reſpondere: pietatem verbis iactare; mores verò gerere, otio, luxu, ambulatione, libidine, auaritia, corruptiſſimos: breuiter, nihil minùs eſſe, quàm quod dicimur, Sacerdotes. Vitia verò iſthæc, quibus populo iure fuimus offendiculo, vnde profecta ſunt; niſi quòd animum noſtrum & ſenſus non continuimus in officio, lectione & meditatione Legis diuinæ? Nam eleganter & veriſſimè à D. Hieronymo dictum eſt, cuius ego verbis libentiſſimè vtor; Ama ſcientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis. Proinde, qui humanum ingenium molæ compararunt, ij mihi optimè naturas rerum perſpexiſſe videntur. Quemadmodum enim mola, dum frumento deſtituitur quod comminuat, ſeipſam ſua agitatione terit atque conſumit: ſic ingenium noſtrum, quando nullo ſerio, pio, atque honeſto exercitio occupatur, in ſuam ipſius perniciem fertur. Ita numquam animus noſter otioſus eſt; ſed ſemper aut aliquid boni agit, aut mali. Qui non eſt mecum, inquit Saluator, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.

In promtu eſſet, ex Iſaia, aliiſque locis myſticorum librorum, alia longè & plura in commendationem ſtudij Sacrarum litterarum adferre, quoad præſertim id Sacerdotes concernit; niſi & breuis eſſe laborarem, & non neſcirem, me apud eruditas aures diſſerere: quas ineptum & ſuperuacaneum ſit, multorum adeò teſtimoniorum productione onerare. Vnum adhuc illud ſilentio præterire non poſſum, quod Ioſue olim à Deo audiuit, dum populo præficeretur: Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt cuſtodias ac facias omnia, quæ ſcripta ſunt in eo. *Ioſ. 1.* Tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. In quem ſenſum Paulus ad Timotheum ſcribit, *1. Tim. 4.* ab infantia Sacris litteris eruditum, & ad ſtudium atque exercitium Scripturæ ſanctę hortatur, dicens; Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. hæc meditare, in his eſto; vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Attende tibi & doctrinæ, inſta in illis: hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt. Tito præcipit, vt in *Tit. 1.* conſtituendis Epiſcopis & Sacerdotibus, diligentem habeat rationem eruditionis & peritiæ Sacrarum litterarum: Amplectentem, inquit, eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem; vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere. Cyrillus Homilia ſecunda in Leuiticum, vel quiſquis veteris illius operis Auctor eſt; Obſeruandum eſt, ait, quòd in peccato Sacerdotis, non addit Legiſlator; Quia per ignorantiam, & non voluntate, peccauit. Neque enim ignorantia cadere poterat in eum, qui, vt ceteros doceret, prouectus eſt. Quibus ille verbis planè inſinuat, quod res ipſa alioqui ſatis loquitur, ignorantiam protſus abeſſe debere à Sacerdote; vtpote cuius eſt officij, alios inſtituere. Nam, ſi cæcus (vt eſt in Euangelio) cæco ducatum præſtet, neceſſe eſt, vt ambo in foueam cadant. Quo pacto, quæſo, alijs prælucebit, qui ipſe non luceat? Qua ratione alijs, virtutis, iuſtitiæ, & veritatis iter aperiet, qui ipſe illud ignoret? Quid autem magis, neſcio an ridiculum, an deplorandum; quàm ſpeculator cæcus, doctor inſcius, præco mutus? Hæc ſecum ipſe reputans item D. Hieronymus, in Epiſtola ad Nepotianum, quæ eſt de vita ac moribus Clericorum & Sacerdotum; Diuinas, inquit, Scripturas ſæpiùs lege, immò numquam de manibus tuis Sacra lectio deponatur.

Iam paucis explicui, quid veſtrum à vobis officium poſtulet; quid profeſſio, quid nomen requirat, quid æquitas ſuadeat, quid temporum neceſſitas propè extorqueat. Quòd ſi quis præter hæc mercedis etiam amore ducatur, vt eſt humana natura ad præmia procliuis; ne hîc quidem nobis deeſſet dicendi materia, ſi hora propemodum elapſa permitteret. Qui docti fuerint, inquit Daniel, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad *Dan. 12.* iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Quis noſtrûm non iam modò ad iſtam claritatem & felicitatem anhelat? Rutilantia firmamenti ſidera cum voluptate adſpicimus; iuuat cæli conuexa tueri. Cùm igitur craſſum hoc noſtrum, obſcurum, & terreſtre corpus in ſtellæ lucidiſſimæ claritatem fuerit transformatum; quanta illa tunc erit iucunditas, quantaque voluptas! quando nimirum illud implebitur; Re- *Philip 3.* formabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Atqui, hoc minus

nus quiſque lucis & ſplendoris in futuro ſæculo conſequetur, quo minùs hîc animum ſuum veritatis & ſapientiæ cognitione repleuerit, in aliorumque vtilitatem parciùs erogauerit.

Sed, tempus eſſe video, vt dicendi finem faciam. Deſino igitur, & oratiunculam iſtam
1. Pet. 5. hiſce principis Apoſtolorum verbis concludam: Preſbyteros hîc præſentes obſecro compreſbyter: Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei; prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo. Et, cùm apparuerit princeps Paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam. Quam nobis largiatur idem princeps Paſtorum, Dominus noſter Ieſus Chriſtus; qui cum Patre ſuo & Spiritu ſancto viuit & regnat in æternum.

EXHORTATIO

De gulæ vitio vitando, ad Paſtores & Clerum.

MEDIÒ abhinc anno, fratres & conſacerdotes cariſſimi, nonnihil apud vos ex hoc eodem loco diſſerui, ſi meminiſtis, de ſtudio & ſcientia Sacrarum litterarum, quâ maximè ornatos eſſe conuenit Sacerdotes, qui præſertim animarum curam gerunt, & populi Chriſtiani ſunt præfecti Paſtores. Quæ materia eò tum à nobis tractabatur, quòd inter vitia, quibus ordo Sacerdotum (prô dolor!) deplorandum in modum inficitur, ceu fons quidam & ſeminarium mihi eſſe ignorantia, otium, & deſidia, videretur: quo ſublato, fore, vt cetera minori negotio omnia reſecentur. Conſtat enim, quando nullo humanus animus honeſto exercitio in officio continetur, tum illis ſe omnino rebus dare, à quibus nihil aliud poteſt quàm propriam ſui ipſius perniciem expectare. Nullo autem meliori vtiliorique exercitio otium fallitur, nulla præſentiori ratione peccata vitantur, nobis præcipuè Sacerdotibus, quàm lectione ſacrarum Scripturarum. Vnde exſtat illa aurea ſententia Diui Hieronymi, quam tum temporis memini retuliſſe; Ama ſcientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis. Sed nolo iſta pluribus nunc repetere. De vitio autem carnis, ſeu fœdæ malo libidinis, quod primo ſtatim loco ex otio profluit, quoque nimiùm adhuc (timeo) quidam ordinem noſtrum contaminant, proxima nobis fauentibus ſuperis vice dicetur. Nunc hac concione decreui, quàm maxime breuiter fieri poterit, aduerſus tetrum & infame gulæ atque ebrietatis malum pugnare. Sic paulatim omnia ſtatus noſtri vulnera, diuina aſſiſtente gratia, curabimus; aut certè remedium ſaltem nonnullum curandis morbis hiſce, cùm turpiſſimis, tum periculoſiſſimis, adhibebimus.

Sed vnde nunc incipiemus? aut quid primo in tam ampla materia ſumus loco dicturi? Qui Diuinas contemplatur litteras, dubitare non poteſt, quin ebrietatis & gulæ vitium, ætatem omnem, ſexum omnem, homines in vniuerſum omnes, cuiuſcumque condinonis & generis, dedeceat: cùm Paulus nec obſcurè nec vno in loco pronunciet,
Rom. 13. ebrioſos excluſum iri à regno Dei. Primùm enim ad Romanos ſcribens; Abijciamus, inquit, opera tenebrarum, & induamur arma lucis: ſicut in die, honeſtè ambulemus; non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs. Tum ad Corinthios;
1. Cor. 6. Neque fornicarij, neque adulteri, neq; ebrioſi, regnũ Dei poſſidebunt. Ad eumdem mo-
Galat. 5. dum ad Galatas ſcribens, ebrietates ponit inter illa carnis opera, qualia qui agunt, regnum Dei non cõſequentur. Neque hîc audiendi ſunt, qui ſic iſtos Scripturæ locos intelligunt, tamquam vna ebrietas non ſit peccatum mortale, ſed ebrietates dumtaxat, ſeu ebrioſum eſſe: hoc eſt, ſæpiùs ebrium eſſe, & inebriandi ſe conſuetudini deditum: illiuſque ſententiæ patrocinium ab Auguſtino videntur ſibi arrogare, in Sermone quodam de purgatorio. Sed nimiùm illi abſunt, tum à rei veritate, tum à Pauli Apoſtoli & beati Auguſtini doctrina: id quod nunc nimis longum eſſet, ex profeſſo oſtendere. Et Sermo ille, de purgatorio, in quo tale aliquid haberi videtur, ab Auguſtino nec ſcriptus, nec dictus vmquã fuit; vt pleriq; alij quoque Sermones de tempore & de Sanctis oſtendunt. Itaque, nõ mo-
Luc. 21. dò Apoſtolum, ſed Apoſtoli Dominum & Saluatorem noſtrum etiam audiamus. Attẽdite, inquit, ne grauentur corda veſtra, in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ; & ſuperueniat in vos repentina dies illa. tamquam laqueus enim ſuperueniet in omnes, qui

ſedent

ſedent ſuper faciem terræ. Eſtque memorabile, in Epiſtola D. Pauli ad Titum, cùm di- *Tit. 2.*
uerſis hominum generibus diuerſa morum præcepta tradantur, vnum tamen illud Apo-
ſtolus omnibus præcipit, vt ſint ſobrij, & ab ebrietate abſtineant: hoc commune eſt vi-
ris ac feminis, ſenioribus & iuuenibus. Quo quid aliud docemur, quàm nihil æque om-
nibus neceſſarium eſſe, atque curam ſobrietatis & temperantiæ? Si hîc vobis ſobrietatis
fructus explicuero, & contra quàm varia, immò innumera, eaque ſummè execranda ma-
la ex ebrietate proueniant, non inutilem rem facturum me ſcio: ſed tempus noſtrum an-
guſtius eſt, quàm vt hoc facile, pro rei dignitate, fieri poſſit. Illud ergo oſtendam breui-
ter. Si omnibus vſqueadeò vetita, vt audiuiſtis, & tantopere noxia & perniciosa eſt
ebrietas, quanto minùs conueniat Sacerdotibus & Paſtoribus, quandoquidem hîc potiſ-
ſimùm Sacerdotes & Paſtores conuenimus? Primum, quoniam ebrietas communem tol-
lit ſenſum, rationem euertit, & iudicium omne mentis obnubilat; liquet eam illis maxi-
mè cauendam eſſe, quorum eſt alios regere, præeſſe, verbo & exemplo docere. Quo pacto
ſiquidem alios doceat, qui ſit mente captus? quomodo alijs viam demonſtrabit, qui ipſe
eâ, ebrietate obrutus, nec ambulare, nec omnino videre poſſit? Hinc Reges, Duces, Iudi-
ces, Senatores, quàm alieniſſimos eſſe decet ab omni ebrietate: vt rectè monet Sapiens; *Prou. 31.*
Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum: quia nullum ſecretum eſt, vbi regnat
ebrietas: ne fortè bibant, & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam filiorum paupe-
ris. Hinc etiam illa Paulina admonitio exſtat ad Titum; Senes hortare vt ſobrij ſint; anus
etiã non multo vino ſeruientes, bene docentes, vt prudentiam doceant adoleſcentulas. Et
hæc eadem cauſa eſt, cur turpiſſima ſit ebrietas in Sacerdote, Paſtore, Canonico, aut alio
id genus homine Eccleſiaſtico. Ex quo Paulus ad Timotheum diſertis verbis reijcit ab
Epiſcopatu & Diaconatu vinolentum; vel, qui ſit multo (vt alibi inquit) vino deditus.
Immò in veteri Teſtamento, cùm nõ tanta requireretur ſanctimonia in miniſtris Dei, ta-
men terribili admodum exemplo Deus oſtendit, quantopere ſibi ebrietas diſpliceret in
Sacerdotibus; dum Nadab & Abiu, Sacerdotes, & filios Aaron, igne cælitus miſſo con- *Leuit. 10.*
ſumpſit: nimirum propterea quòd ignem alienum contra legem obtulerant. Sed vnde
factum ſit, vt ita manifeſtæ Legis palàm immemores fuerint, ſatis eadem Scriptura inſi-
nuat, dum continuò diuinum præceptum ſubijcit: Vinum, & omne quod inebriare po-
teſt, non bibetis, tu, & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum Domini, ne moria-
mini; quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras; & vt habeatis ſcientiam
diſcernendi, inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum; doceatiſque filios
Iſraël omnia legitima mea. Auditis igitur, ex ebrietate eos in apertã illam Legis præuari-
cationẽ incidiſſe, quam tam horrendo Deus puniuit ſupplicio? Si ſimilem in modũ in nos
Sacerdotes Deus omnipotens terribiliter fulminaret, quoties ſacrificium illi non rectè &
iuxta Legis præſcriptũ offerimus, & quoties ad tremendũ eius altare irrumpimus, heſter-
nam adhuc crapulam & ebrietatẽ ructantes, (pudet dicere) cum multis noſtrum (timeo)
infeliciter ageretur; liceretque nobis non abs re Ouidianum illud diſtichon vſurpare:

Si quoties peccent homines, ſua fulmina mittat
Iuppiter; exiguo tempore inermis erit.

Sed, non propterea minus odit ebrietatem noſtram Deus, quia ob eam nos non tam
grauiter ſtatim caſtigat, quoties promeremur: Tardè enim, inquit Valerius Maximus,
ad vindictam ſui diuina procedit ira; ſed tarditatem ſupplicij poſteà grauitate compen-
ſat. Sacerdotum proprium munus eſt, orare, vt docet D. Petrus Actuum ſexto capite.
Quid verò orationi magis contrarium, quàm ebrietas; quæ homini non attentionem
modò, ſed mentem quoque ipſam eripit? ſed non licet his diutiùs immorari. Sæpè
multumque olim conqueſtus eſt Deus in veteri Teſtamento, quòd Sacerdotes præ
ceteris ferè ebrietatis vitio laborarent. Per Amos Prophetam, de Sacerdotibus, qui ca-
nebant ad vocem Pſalterij, ita inquit: Sicut Dauid, putabant ſe habere vaſa cantici; bi- *Amos 6.*
bentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur ſuper contri-
tione Ioſeph. Hoc eſt, non erat eis curæ, paruique pendebant, quòd periret populus
meus Iſraël; ſed ipſi interim omnis curæ & quaſi ſenſus expertes, ebrietati & delicijs
operam dabant. Et per Iſaiam, Sacerdotes, inquit, & Prophetæ neſcierunt præ ebrietate; *Isa. 28.*
abſorpti ſunt à vino; errauerunt in ebrietate; neſcierunt videntem, ignorauerunt iudi-
cium. Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu ſordiumque, ita vt non eſſet vltrà lo-
cus. Et alibi ſic ait: Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi; canes muti, non *Isa. 56.*
valentes latrare. Ipſi Paſtores ignorauerunt intelligentiam; omnes in viam ſuam declina-

uerunt,

uerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam, à ſummo vſque ad nouiſſimum. Venite, ſumamus vinum, & impleamur ebrietate; & erit ſicut hodie, ſic & cras, & multo ampliùs.

Sed quid in veteri hæremus Teſtamento, in quo paſſim ſexcenta eiuſmodi loca inuenies? Ad nouum & noſtrum veniamus, in quo Dominus ac Redemtor noſter, noſtra hæc infelicia tempora, noſtri ordinis corruptiſſimos mores, Sacerdotum ebrietatem, velut penicillo depinxiſſe, ac digito demonſtraſſe videtur. Scitis, ad quos pertineant verba illa

Matth. 24. Matthæi vigeſimoquarto capite: Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituat Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram: Beatus ille ſeruus, quem, cùm venerit Dominus eius, inuenerit vigilãtem. Amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum. Nunc auſcultate, quid ſubijciat: Quòd ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo; Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conſeruos ſuos; manducet autem & bibat cum ebrioſis: quid tum futurum? Veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua ignorat; & diuidet eum: hoc eſt, præſcindet à numero & ſocietate Sanctorum; partemque eius ponet cum hypocritis; ibi erit fletus & ſtridor dentium. An non ita hodie multi Sacerdotes dediti ſunt gulæ & ebrietati, frequentandis diuerſorijs magis quàm templis, conuiuijs magis quàm ſacris concionibus; vt omnino dicere videantur, Moram facit Dominus meus venire? Verbis id diſertis non di-

Tit. 1. cunt quidem, ſed moribus & operibus dicunt tamen. Confitentur, inquit Paulus, ſe noſſe Deum, factis autem negant. Adeò delicijs & vinolentiæ dediti, in vtramque aurem, quaſi nihil eſſet periculi, ſecurè dormiunt.

Sic viuunt homines (ait ille) *ac ſi mors nulla ſequatur,*
Et velut infernus fabula vana foret.

Quàm turpe & indecorum, ne dicam impium & execrabile, Sacerdotem cum quouis è vulgo certare exhauriendis poculis, calicibus epotandis? Id quod hodie adeò tritum & vulgare eſt quibuſdam; vt in eo ſibi etiam placeant, & tamquam re benè geſta glorien-

Iſa. 5. tur. Væ vobis, ait Dominus Deus, qui potentes eſtis ad bibendum vinum. Et ne quis fortè exiſtimet, eos dumtaxat tam grauiter à Domino reprehendi, qui vino abutuntur; non autem qui ceruiſia ſe inebriant; addit protinus Iſaias: Væ, qui fortes eſtis ad miſcendam ebrietatem. nimirum, quocumque id fiat potus genere. At turſus: Væ, qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperum; & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis. Quid ad hæc dicemus, fratres chariſſimi? quid reſpondebimus, cùm ſtabimus ante tribunal Domini noſtri Iesv Chriſti? nam eò ſemel omnes nos, vt manifeſtè nouiſtis, comparere oportet, vt referat vnuſquiſque propria corporis ſui, prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum. An fortè vino noſtro, quæ vbique ferè locorum inualuit, conſuetudinem prætexemus: Neſciebam eſſe tam grande peccatum; videbam commune eſſe omnibus, ſeruiendum erat tempori & ſocietati? Atqui praua conſuetudo, quamlibet inueterata, quamlibet latè patens, nullum poteſt facere diuinis legibus præiudicium. Non idcircò idololatria (exempli gratia) non eſt grande ſcelus, quia olim per totum terrarum orbem longè lateque regnabat. Væ peccatis hominum, inquit optimè D. Auguſtinus, quæ ſola inuſitata perhorreſcimus; vſitata verò, pro quibus abluendis Filij Dei ſanguis effuſus eſt, quamuis tam magna ſint, vt omnino claudi contra ſe faciant regnum Dei, ſæpè videndo omnia tolerare, ſæpè tolerando nonnulla etiam facere cogimur.

Expergiſcamur itaque tandem aliquando, fratres, ad tam horrendas Dei comminationes. Si virtute ipſa, ſi dulcedine ipſa, ſi præmijs temperantiæ non allicimur; vel ſupplicijs ſaltem crapulæ & ebrietatis moueamur. Quas pœnas Deo dederint ebrij Sacerdotes Nadab & Abiu, iam didiciſtis: Noë ad vnius horæ ebrietatem nudat femora ſua, quæ per ſexcentos annos ſobrietate contexerat: Loth per temulentiam, neſciens libidini miſcet inceſtum; & quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt: Holofernes ebrietate ſopitus, à Iudith interficitur, & manu feminæ ſobriæ funditur exercitus ebrioſorum.

1. Pet. 5. Sed ne longiùs, quàm par eſt, progrediar, præſentem exhortationem iiſdem quibus nuper feci D. Petri principis Apoſtolorum verbis concludam: Preſbyteros, qui in vobis ſunt, obſecro, compreſbyter: Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei; prouidentes, non coactè, ſed ſpontaneè, ſecundùm Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo. Et cùm apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam. Quam nobis vniuerſis ſua benignitate largiatur, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

EXHORTATIO *De caſtitate, ad Sacerdotes & Paſtores.*

SVPERIORIBVS vicibus, cùm aliqua mihi exhortatiuncula ad vos habenda eſſet, optimi Auditores, primum de ſtudio litterarum aduerſus otium, deinde de ſobrietate contra gulam & ebrietatem diſſerui: nimirum perſuaſus, nõn aliud vobis vtilius, & quod magis ad rem facit, proponi poſſe. Hinc mihi rectà tranſeundum videtur ad caſtitatem; contraque turpiſſimum omnium libidinis & impudicitiæ vitiũ depugnandum. Tametſi enim hæc materia parùm conuenire videatur cum reuerentia huius templi, & cum honore, qui nullo non loco caſtis debetur auribus; tamen neceſſitas infeliciſſimi temporis noſtri, & corrupti mores quorumdam noſtri ordinis hominum, non mihi permittunt, hanc rem ſilentio præterire. Efficiam autem, vt quàm caſtiſſimis verbis concionem abſoluam; ne cuiuſquam aures iure ex me offenſæ fuiſſe videantur. Quamquam non vocabula propriè vlla obſcœna ſunt aut reprehenſione digna; ſed res dumtaxat vocabulis & ſermonibus huiuſmodi deſignata in vitio eſt: à qua ſi omnino animis alieni ſumus, nihil nos lædent, quamlibet turpia & inhoneſta quæ appellantur vocabula, præſertim in vitij ipſius deteſtationem prolata.

Primùm igitur, quod ad hoc vitium in genere pertinet; conſtat apud omnes qui rationem adhibent in iudicium, nullum aliud æque hominem dedecère, nihilque magis aduerſari generoſitati humanæ naturæ: adeò vt Ethnici olim etiam pleraque beſtias & ſues potiùs quàm homines ducerent Epicuræos illos, quos opinio eſt apud vulgus in huiuſmodi voluptatibus bonum hominis vltimumque finem conſtituiſſe: Epicuri, inquit Horatius, de grege porci. Et ille tamen finem hominis proprium ignorabat; neſciebat nos eſſe creatos à Deo ad Angelorum conſortia; parùm dico, ad diuinitatis communionem deſtinatos; adeoque ignorabat primariam dignitatem humanæ conditionis: tantùm conſiderabat fortaſſe, quantùm hoc malum præ ceteris lædat, hebetet, ſæpè etiam tollat omnino humanam mentem & rationis vſum, quod eſt hominis proprium; quàm auocet ab omnibus honeſtis ſtudijs, hominemque quantus eſt totum cœno ac luto immergat, vt iam nihil niſi ſordidum, humile, ſpurcum tractare libeat, dicere, cogitare: adhæc, quòd idem malum ante omnia famam, poſſeſſionem pretioſiſſimam, eripiat. nullius enim vitij rumor turpiùs olet quàm libidinis. Denique, vt alia prætermittam innumera, quòd corporis ſimul & vires & ſpeciem interimat, valetudinem lædat, morbos innumerabiles, eoſque fœdiſſimos, pariat; quodque blanda hæc peſtis momentaneaque voluptas numquam ſincera ſit, ſed ſemper plus aloës quàm mellis habeat. Vnde idem canit Poëta:

Sperne voluptates; nocet empta dolore voluptas.

Et hoc teterrimum vitium, quàm homini noxium, tam Deo ingratum eſt; quod diuina Scriptura (vt ad eam veniamus) luculenter declarat. Paulus Apoſtolus, qui primus nobis ſemper in ore & in corde debet verſari, ad Epheſios ſcribens, ſic inquit: Hoc ſcitote [Epheſ. 5.] intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, non habet hereditatem in regno Chriſti & Dei. Et addit: Nemo vos ſeducat inanibus verbis; propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Diligenter expendenda Paulina ſententia, notanda verba, vt habet Gregorius, ſignanda myſteria. Videtur enim Apoſtolus ſuo tempore haud facilè quibuſdam perſuadere potuiſſe, quàm graue ſit vitium fornicatio, quodq; vnica ſimplex fornicatio ſit peccatũ mortale: quemadmodum noſtro quoq; ſæculo (quod vehementer etiam atque etiam admirandum) ægrè quibuſdam perſuadeas: tanta eſt humanæ naturæ corruptæ peruerſitas. Ideò tam diligenter inculcat, tam grauiter interminatur Apoſtolus: Nemo vos ſeducat inanibus verbis; omnis fornicator aut immundus non habet hereditatem in regno Chriſti & Dei. Vtque magis exemplo terreat, atque ex vltione & pœnæ grauitate, criminis quoque grauitatem exaggeret; ſubijcit continenter: Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Quibus verbis ad illa Scripturę loca alludit, in quibus iræ & vindictæ Dei, aduerſus hoc, de quo agimus, carnis vitium, exemplum ponitur. Et quidem negari non poteſt, oſtenſam olim iram Dei inſigniter, propter alia quoque diuerſa hominum ſcelera; vtpote ſuperbiæ, inobedientiæ, auaritiæ, & id genus alia; vt cõpendio dicit idem Apoſtolus, ad Corinthios ſcribens: Neque tentemus Deum, [1. Cor. 10.]

inquit, ſicut quidam illorum tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt: neque murmuraueritis, ſicut quidam illorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. Sed hæc ſupplicia, & argumenta iræ Dei, quamlibet in ſe perhorrenda, ſi tamen cum illis ſupplicijs conferantur, quæ extant in Sacris litteris, aduerſus libidinis vitium, non tam iræ quàm clementiæ eſſe ſigna fortaſſe videbuntur. Primùm ſiquidem, ob hoc peccatum terribilis illa maxima atque vniuerſalis orbis totius inundatio contigit; qua non modò humanum genus vniuerſum, octo tantummodò demtis capitibus, verumetiam quidquid terra & aër viuens in ſe complectebatur, ſubuerſum aquis miſerè atque deletum eſt; auditaque eſt vox illa iræ Dei ſummæ: Pœnitet me feciſſe hominem. Poſteà verò Deus, ex ſimili cauſa, noui ac reparati orbis partem omnium pulcherrimam, alterumque adeo paradiſum, vt Scriptura loquitur, ipſam nimirum Gomorrhæ & Sodomæ regionē, non vulgari aut conſueto ſupplicio extinxit, ſed igne & ſulphure cælitus miſſo (quo quid eſſe aut cogitari poteſt horribilius magiſve extimeſcendum?) conſumſit. Addam & tertium exemplum, vt in ore duorum vel trium teſtium, iuxta Legem, ſtet omne verbum idq̃ue Paulinis verbis: Neque, ait, fornicemur, ſicut quidam illorum fornicati ſunt; & ceciderunt vno die viginti tria millia. Hiſtoria deſcribitur Numerorum 25. capite. Nam, quòd huius occaſione criminis numeroſiſſima illa nobiliſſimaque tribus Beniamin tota penè Dei iuſſu bello deleta ſit, adeò vt ne parcitum ſit quidem mulieribus aut infantibus, nulla ætatis aut ſexus habita ratione, vrbibus quoque vniuerſis incendio concrematis, vt docet Iudicum caput vigeſimum, volens prætereo. Nec me latet, quòd quiſpiam hîc fortaſſis obijciat, in hiſce locis omnibus, non ſimplicem propriè fornicationem notari, ſed extremam incontinentiæ turpitudinem: verùm à paruis ad maiora paulatim aſcenditur (ſi modò hîc paruum aliquid appellare licet) & qui non laborat fœdæ huius voluptatis obſtare principijs, ſenſim ille in grauiora flagitia magis magiſq́ præcipitabitur; donec tandem in reprobū ſenſum traditus eò veniat, quò Philoſophos gentiū, metis pudi-
Rom. 10. citiæ ac naturæ omnibus procul tranſgreſſis, deueniſſe Paulus declarat. Vnde rectè ſanctus Propheta Iob, volens primam huius vitij occaſionem præſcindere, non modò corpus ſuum ab omni illicita huiuſmodi voluptate immune continuit; verumetiam, Pepigi, inquit, fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Hæc eò à me perſtricta ſunt breuiter, vt ſupplicij grauitas ſaltem ab huius nos blandæ voluptatis amore deterreat.

Nunc à generali conſideratione, ad ea quæ Sacerdotum ſunt propria veniamus. In veteri Teſtamento, quando rude admodum & craſſum Deus Sacerdotium inſtituerat, licebatque proinde Sacerdotibus vxoratis eſſe; audite tamen cuiuſmodi ab eo præcepta acceperant. Primùm, non poterat Sacerdos vxorem ducere niſi virginem. Deinde quando offerendum ſacrificium, aut in templo erat Sacerdotale miniſterium exhibendum, ab vxoris ſe penitus debebat conſortio abſtinere; nec omnino licebat e templo decedere, niſi tempore vicis ſuæ & miniſterij ritè peracto; vt Lucas teſtatur. Atque hæc magna pro illo tempore reputabitur caſtitas Sacerdotum, quamquam & rude admodum erat Sacerdotium, & populum Dei oportebat coniugij beneficio multiplicari. Quantam igitur noui Teſtamenti Sacerdotes debent caſtitatem ſeruare, quando & Sacerdotium illis commiſſum infinitis partibus veteri eſt prȩſtantius, & aliorum opera numerus fidelium abundè ſatis augetur. Iſraelitæ legem Moſaicam recepturi, iuſſi ſunt non appropinquare vxoribus ſuis (vt Scriptura loquitur) quid igitur nunc Sacerdotem decet præſtare, cuius eſt officij, omnis bonæ legis auctorem ſupremumque Legiſlatorem quotidie ſumere? Dauidi etiam fame extrema & neceſſitate adacto, panes Deo propoſitos edere non licebat, niſi poſtquam declaraſſet, ſe ſuoſque iamdudum immunes fuiſſe à contactu vxorum. Et Sacerdos noui Teſtamenti, cui proprio ex munere incumbit, panem illum cæleſtē, Domini noſtri Ieſu Chriſti carnem & ſanguinem, quotidie pro ſe & populo offerre ac man-
Iſa 52. ducare; femininis tactibus, oſculis, amplexibuſque vacabit? Mundamini, inquit Iſaias, qui fertis vaſa Domini. hoc eſt, vos Leuitæ & Sacerdotes, qui ſacra templi vaſa tractatis; quique ſacratiſſimis & mundiſſimis eſtis functionibus deputati; videte, vt cordis pariter & corporis munditiem puritatemque ad altare portetis. Iuxta aliud illud Dei man-
Leuit. 11. datum; Sancti eſtote, quoniam ſanctus ſum, cui ſeruitis, Dominus Deus veſter. Iam mihi inter ſe conferte vaſa illa, in quibus veteres illi ac Leuitici Sacerdotes ſanguinem hircorum & taurorum portabant, & illa, in quibus pretioſum ſanguinem agni immaculatiſſimi Saluatoris & Domini noſtri Ieſu Chriſti portamus. Sane grauis, & vehementer

extime-

extimeſcenda eſt illa Dei ſeu querimonia ſiue interminatio, apud Malachiam Prophetam: Ad vos, inquit, ô Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & dixiſtis; In quo deſpeximus nomen tuum? Quia offertis ſuper altare meum panem pollutum. Non erant panes propoſitionis, quos olim Aaronici Sacerdotes offerebant, in ſe polluti, ſed ex puriſſima & præſtantiſſima materia piſti. multo minus ex ſe pollutus eſt panis ille benedictus, qui largitur puritatem, ſanctificationem, & vitam mundo, quem noui Teſtamenti Sacerdotes ſacrificant: ſed idcircò pollutum appellat Dominus, quia pollutis miniſtrorum ſuorum manibus atque ore tractatur. Nec ſecùs ad illum libidine alijſque vitijs polluti & contaminati accedunt, quàm ſi & ipſe vulgatis ac verè pollutus panis eſſet: adeoque efficiunt ſua improbitate, vt pleriſque (prô dolor) vilis, contemtibilis, pollutuſque reputetur. Eòdem pertinet, quod per eumdem Prophetam Deus ad immundos Sacerdotes ibidem pronuntiat: Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Quid ita Domine? Quia ſordidam mihi omnes atque immundam oblationem offertis, opere & re ipſa dicentes; Menſa Domini contaminata eſt; & quod ſuperponitur, contemtibile eſt. Ab ortu autem ſolis vſque ad occaſum, offeretur nomini meo oblatio munda. *Malach. 1.*

Eſt illud quidem verum, confratres, inſignem illam laudem mundæ oblationis, Dominum ad noui Teſtamenti Sacerdotes referre; ſed non eſt tamen, quòd inde ſibi blandiantur vniuerſi. non de omnibus hoc prædicit noui Teſtamenti Sacerdotibus; ipſe ſcit, quos elegerit. Si munda eſt hoſtia, quã conſecramus, offerimus, mãducamus; cor noſtrum mundum, labia munda, mundæ aures, mundi oculi, mundæ ſint manus noſtræ: alioqui, ſi nos immundi ſordidique miniſtri mundas ad Deum hoſtias mittimus; non laudi id nobis dabitur, ſed magno potiùs vitio opprobrioque vertetur. Meminerimus, Chriſtum Sacerdotem ſummum, & ducem noſtrum, cuius nos vices gerere gloriamur, cùm ſuo mundum aduentu illuſtraret, de puriſſima Virgine naſci, deinde in mortem pro nobis traditum ſindoni mundæ inuolui, & in nouo mundoque ſepulcro, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat, collocari voluiſſe. Quæ omnia nobis magno ſunt argumento, nolle eum excipi aut requieſcere, niſi in pura mẽte, in mundo corde, in caſtiſſimis animis. Beati, inquit ipſe, mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt. Videre Deum, proprium *Matth. 5.*
deberet eſſe Sacerdotum; vtpote quorum eſt alios Deum docere, legemque eius interpretari, & modum videndi Deum exponere. Non poteſt verè alios Deum, Deique videndi modum, docere; qui prius ipſe eum non videat atque intelligat. Tantum enim de Deo loquimur, quantum capimus, quantumque de eo ſingulari eius beneficio intelligimus. Niſi autem præditi ſumus munditia & puritate cordis, non facile ſe nobis videndum cognoſcendumque præbebit. Spiritus ſanctus diſciplinæ, inquit Sapiens, effugiet fictum, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Iſaias autem; Quem, inquit, docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, auulſos ab vbere. hoc eſt, illos maximè, quibus nihil eſt commune cum mollitie muliebri, quique ſunt ab omni femineo conſortio procul auulſi. Ioannes Apoſtolus, virginitatis ſuæ & caſtitatis merito, è pectore Dominico meruit exuberantiſſima illa ſapientiæ diuinæ fluenta potare, præque alijs Apoſtolis & Euangeliſtis, cæleſtis lucis intima ſecreta, aquilæ inſtar, rimari, futurorumque intelligentia myſteriorum abundanter impleri. Hinc Apocalypſis eius exſtat: in qua, ſi Diuo Hieronymo credimus, tot ſunt ſacramenta, quot verba. Hinc illæ prodeunt voces, tam alto præ aliorum Euangelijs ductæ exordio; In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum; & quæ ſequuntur. *Sap. 1.* *Iſa. 28.*

Non eſt, Auditores, quòd multo vobis plura huc in medium proferam; ipſi per vos ſatis intelligitis, opinor, rei, quam ſuadeo, æquitatem. Paulus Apoſtolus prioris ad Corinthios ſexto capite, multis & pulcherrimis argumentis Chriſtianũ quemlibet à pudendo vitio fornicationis deterret: Neſcitis, inquit, quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens igitur membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit. An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt, inquit, duo in carne vna: qui autem adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt. Fugite fornicationem. Si vincere hoc malum vultis, ô memorabilem exhortationem! fugite fornicationem. Si vitium hoc euellere, ſi libidinis tormenta ſuperare, procul ab ea fugite. hoc eſt, omnes eius illecebras, occaſiones, circumſtãtias, & quidquid vel à longè eò ducit, aut aliquid cum ea affine habet, ſtudioſe vitate: alioqui haud facilè ab eius faſcino & laqueis immunes eritis. Sũt etenim

hoſtes quidam, qui non tam inuadendo & manus conſerendo, quàm fugiendo vincuntur. Inter illos in primis praua eſt iſta carnis voluptas numeranda. Ergo ſi oculus tuus ſcandalizat te; erue eum, & proijce abs te: bonum tibi eſt, vnum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Si amicus tuus, ſi hæc aut illa, quamlibet arcto tibi neceſſitudinis aut etiam conſanguinitatis vinculo iuncta, aliquod fortaſſe vitij huius fomentum ſuppeditat; erue eam, & proijce abs te. Hoc eſt, ecce, quod dicit Apoſtolus; Fugite fornicationem: nimirum ceu anguem, ceu ſcorpium, numquam non adhærentem, numquam non inſequentem, numquam non inſidiantem tibi. Pergit deinde; Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Certe, nullo alio vitio tam turpis nota, tam grauis corpori inuritur contumelia, tam acerba pœna infligitur, quàm fornicatione ac libidine. Id quod nunc multo clariùs, quàm ipſius Apoſtoli fortaſſe, aut ſuperiori quocumque tempore intelligimus; quando cœpit ex hoc vitio, tam fœdus naſci corporis morbus, tam horribilis, tam incurabilis, tam contagioſus, qui nondum certum nomen inuenit, vt orbis vniuerſus ad eius conſpectum ac notitiam obſtupuerit. Nouiſtis, quid velim. Hæc lues ſi cognita aut præuiſa fuit D. Paulo, profectò non iniuria dixit; Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat.

Matth. 5.

1. Cor. 6.

Sequitur aliud argumentum: An neſcitis, inquit, quoniam membra noſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt; quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Hæc ratio Paulina non tam expoſitione quàm obſeruatione opus habet. Etſi hæc Apoſtolus omnia ad quemlibet Chriſtianum concionatus eſt, multo ſanè iuſtiùs ea nos ad Sacerdotes & Paſtores referimus; quibus iam olim ab Eccleſia omnis Venereus vſus peculiariter interdictus eſt: quam iuſtis neceſſarijſque de cauſis, non eſt veſtrûm quiſquam, ſpero, qui non probe intelligat. Quòd ſi noſſe vobis eſt animus, qua pœna olim Eccleſia Sacerdotem mulctabat, qui ſemel dumtaxat in fornicationem lapſus erat; legite in Iure Canonico, diſtinct. 82. capite Presbyter, &c. Quod capitulum ex Concilio Gangrenſi deſumtum eſt. Eſt locus ſane lectu digniſſimus, & quem vnice vobis commendo. Totos decem annos debebat agere pœnitentiam, eamque non vulgarem; ſed talem & tam duram, vt verear, ne referenti mihi parum ſitis credituri: proinde, malo vt ipſi locum inſpiciatis, & vobiſmetipſi credatis.

Quod ſupereſt; ſi quis fortè, ſeu pharmacum, ſiue antidotum aliquod à me poſcat aduerſus incentiuum libidinis; equidē nec præſentius nec præſtantius habeo, quàm quod me vobis, præteritis vicibus, communicaſſe commemini. Otium atque ebrietas libidinem pariunt; nimirum impij ac fœdi parentes, turpem atque improbam filiam: contra verò, ſobrietas & honeſta occupatio tollunt arcentque carnis vitium. Quid Noë, iuſtitiæ præconem, atque vnicum orbis decus, tam turpiter denudatum proſtrauit, improbique filij ludibrio atque irriſioni expoſuit? nimirum ebrietas. Quid iuſtum caſtumque Lot, non ad qualemcumque contumeliam, ſed ad inceſtum, ſpeciem libidinis extremam, impulit, idque repetitis vicibus? eadem ebrietas. Venter enim muſto plenus, inquit D. Hieronymus, facilè deſpumat in libidinem. Cui pulchrè quadrat illud Comici; Sine Cerere & Baccho friget Venus. Quod verò ad otium pertinet, nota ſunt Poëtarum carmina;

Otia ſi tollas, periêre Cupidinis arcus.

Quæritur, Aegyſtus quare ſit factus adulter.

In promptu cauſa eſt; deſidioſus erat.

Vultis exemplum è Sacris litteris? Dauid ille magnus Propheta, quamdiu prælijs & perſecutionum procellis exercebatur, continentiam ſuam in tuto habuit: at ſimulatque belli curam alijs committens, ipſe otioſus domi deambulare cœpit in ſolario; confeſtim libidine captus, in atrociſſima adulterij & latrocinij ſcelera lapſus eſt. Finem facio, ſi conſuetam priùs concluſionem abſoluero: Presbyteros qui in vobis ſunt, obſecro compresbyter; Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei: prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè, ſecundùm Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis, ex animo. Et, cùm apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſcibilem vitæ coronam.

1. Pet. 5.

EXHORTATIO
De auaritia vitanda, ad Sacerdotes & Paſtores.

IVxta morem, hactenus à nobis iſta in Paſtorum conuocatione obſeruatum, viri humaniſſimi, breui ſermone aduerſus vnum quoddam ſtatus noſtri Eccleſiaſtici vitium dimicabimus; quando pro temporis breuitate curari ſimul omnia nequeunt. Occurrit autem nunc potiſſimùm illud, quod vt eſt omnium peſſimum, ita latiſſime patet, & miro quodam modo omnibus propemodum in vniuerſum commune eſt. Vnde & in primis quidem curatum oportuit: ſed, de quibus ſigillatim anteà egimus, ita inter ſe connexa ſunt omnia, (ſi eorum quæ diximus meminiſtis) vt ſeparari commodè non potuerint. Eſt autem iſtud prauum & ſordidum auaritiæ vitium: quod beatus Apoſtolus malorum omnium radicem appellat; quàm rectè, ex ijs quæ in medium afferemus, ſpero, intelligetis. Primùm autem, illud mihi videtur conſideratione dignum eſſe; ſi naturam ipſam tantùm inſpiciamus, permulta in ea exſtare fugiendæ auaritiæ teſtimonia. Nam cur exiſtimamus hominem nudum planè, omnibuſque rebus orbatum, in hanc lucem prodire; niſi vt hoc nobis documento ſit, quàm minimis rebus humanæ naturæ ſatisfieri? An ſecundùm hominem hæc dico? An & lex hoc non dicit? Nihil, inquit Paulus, intulimus in hunc mundum; haud dubium, quia nec auferre quid poſſumus. Habentes igitur alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Eodem argumento ſe magnus ille ac vetuſtus Propheta Iob ſolabatur; cùm ex opulentiſſimo repentè pauperrimus & abiectiſſimus factus eſſet: vt alia exempla ſciens prætercam. Quid enim tam eſt obuium & frequens in Sacris litteris, iuxtà & profanis hiſtorijs, quàm auaritiæ & tenacitatis accuſatio? Auaro, inquit Sapiens ille Hebræus, nihil eſt ſceleſtius: & nihil iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim & animam venalem habet; quoniam in vita ſua proiecit intima ſua. Audite, quàm ſordidè iniquus & ſceleſtus ſit, qui auaritia eſt infectus, quantumque vitiorum agmen ſecum trahat auarus. Primùm, in Deum eſt ingratiſſimus; vtpote, qui dona eius, quæ ille ad bonum vſum liberaliter elargitus eſt, perire prorſus, nihilque cuiquam emolumenti adferre ſinit: atque adeò dona Dei reuerà nihil aliud quàm contemnit. Quo quid eſſe poteſt flagitioſius? Si quis Regis alicuius munus contemnat, aut vilipendat; nónne ille, vt ſummè ingratus, inſigne promeretur ſupplicium? Rex autem nónne meritò contemni diceret dona ſua, ſi ad illum vſum non accommodari audiret, ad quem donaret, ſed tamquam otioſa & inutilia in ſcrinio domúſve angulo aliquo aſſeruari?

1. Tim. 6. *Ibidem.* *Eccl. 10.*

Neque ſolùm in Deum eſt ingratus auarus, ſed in proximum quoque iniquiſſimus. Quid enim iniquius, quàm egenti proximo & penuriam patienti, cùm poſſis commodè, non ſuccurrere? Paſce fame morientem, inquit Ambroſius: ſi non pauiſti, occidiſti. Nec minus, inquit, eſt criminis, habenti tollere, quàm, cùm poſſis & abundes, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt, quem tu detines; nudorum veſtimentum eſt, quod tu recludis; miſerorum redemtio & abſolutio eſt pecunia, quam recondis atque in terram fodis. Sanè, ſi Deus vnicuique tantùm de ſuis bonis proſpectum eſſe voluiſſet; non alijs plura, alijs pauciora dediſſet, ſed æquè multa omnibus. Nunc verò quibuſdam abundantiſſimè proſpiciendo, alijs autem tenuiſſimè, cui dubium quin horum inopiam illorum voluerit copia ſubleuari? Mirum eſt autem, auaros non alijs modò, ſed ſibi etiam ipſis, tam iniquos eſſe atque iniurios; vt bonorum ſuorum nullos fructus, nullumq; verum vſum percipiant. Abundat opimis prouentibus, poſſeſſionibus varijs, & fame tamen, nuditate, ſordibus, ac miſerijs perit. Quæ hæc eſt inſania? Gula, ebrietas, venus, ambitio, peſſima quidem illa, & ſummè execranda ſunt vitia; ſed ſuum tamen poſſeſſorem nonnullo fructu, voluptate, lætitia, aut ſimili id genus quopiam bono deliniunt. Auarus autem ſemper triſtis, anxius, meticuloſus: ſemper (vt Terentiano vtar vocabulo) heautontimorumenos, ſemper ſeipſum excrucians, proprium defraudans genium, nuſquam ſecurus. Qui ita ſibi ipſi nequam eſt, vt Scriptura loquitur, cui alteri bonus erit?

Iam verò, quis auarus, non idem eſt mendax, fur, raptor, periurus, inuidus? quodque in Eccleſiaſticos propriè quadrat, & eſt omnium grauiſſimum, etiam ſimoniacus, ſacrilegus; vt alia omittam multa connexa vitia. Cumque tam enorme peccatum ſit auaritia, tamen incredibile dictu, quàm multis commune ſit, vt initio ſubindicaui; quamque ſit

exſtirpatu difficile, vbi ſemel animum hominis occupauerit. Prophetæ omnes, in nullo
alio taxando exſtirpandoque peccato plus operæ ac laboris collocaſſe videntur. Iſaias,
Iſa 56. Omnes, inquit, in viam ſuam declinauerunt; vnuſquiſque ad auaritiam, à ſummo vſque
Ier. 6. & 8. ad nouiſſimum. Ieremias ſimiliter; A minimo vſque ad maximum, omnes auaritiam ſe-
Amos 9. quuntur. Sic Amos Propheta; Auaritia eſt in capite omnium. Ieſus Naue potuit So-
Amb. lib. 1 lem ſtatuere ne procederet, ait D. Ambroſius; auaritiam hominum non potuit ſiſtere, ne
Offic. c. 26 ſerperet. Sole ſtante, confecit triumphum; auaritia autem procedente, pænè amiſit victo-
riam. Reſpicit ſanctus Doctor ad caput ſeptimum libri Ioſue; vbi auari & furacis Achan
terribilis commemoratur hiſtoria.

Non hîc referam ex Ethnicorum monumentis Crœſum Lydorum Regem, non Mi-
dam, non M. Craſſum, non Euclionem Plautinum, alioſque innumeros: non item ex
ſacra noſtra Hiſtoria Balaam prophetam impium, de quo Numerorum 22. capite, mul-
tiſque ſequentibus: non Nabal Carmeli accolam, de quo 1. Regum 25. capite: non Me-
nelaum, de quo ſecundo Machabæorum libro: non illos denique, quos S. Lucas Euange-
liſta 12. & 16. capitibus depingit ſuis ipſorum coloribus. De Eccleſiaſticis poriſſimum
agam, & ijs qui diuinis ſunt miniſterijs deputati; quoniam huc proprie huius ordinis &
functionis viri conuenimus. Et quidem multis olim modis cauerat Deus, ne Leuitæ aut
Sacerdotes ſordidiſſimo auaritiæ vitio ſe contaminarent. vnde cùm alijs tribubus vni-
uerſis, ſuas terras, ciuitates, poſſeſſiones, ſorte aſſignari curaret; Leuitis & Sacerdotibus
nullas voluit eiuſmodi proprias poſſeſſiones donari, ſed voluit eos aliorum pijs donatiuis
& oblationibus ſuſtentari; nihilque ſuum proprium, præter Dominum, poſſidere. Vnde
Deut. 18. illi dicebant, vt hodie quoque verbotenus ſaltem Clerici dicunt: Dominus pars heredi-
tatis meæ, & calicis mei; tu es qui reſtitues hereditatem meam mihi. Super quo pulchrè
Cyprianus libro primo Epiſtol. 9. & Proſper lib. 1. De vita contemplatiua cap. 16. ſi cui
fortaſſe videre lubeat.

Sed dolendum ſupra modum, pulcherrimam Dei ordinationem & voluntatem, effe-
ctu ſuo poſteà fuiſſe tam manifeſte fruſtratam. Cùm ſiquidem Iudæorum natio vniuer-
ſa auaritiæ vitio grauiter laboraret, Sacerdotes tamen conſtat præ ceteris fuiſſe auariſſi-
mos; totoſque in hoc fuiſſe, vt populum Dei varijs expilationibus, vſuris, fraudibus, tur-
piſſimi quæſtus gratia callidè excogitatis, opprimerent. Vnde Ieremias Propheta, cùm
Ierem. 6. locis illis, quæ ſuprà meminimus, dixiſſet; A minore vſque ad maiorem, omnes auaritiæ
ſtudent: vt intelligeremus manifeſtiùs quid maximè eum malè haberet, adiecit vtroque
loco protinus, tamquam explicans ſemetipſum; A Propheta vſque ad Sacerdotem cun-
cti faciunt dolum. Hinc illæ quoque Dei tam frequentes tamque ſeueræ querimoniæ,
per diuerſos Prophetas, de Sacerdotibus & Paſtoribus Iſrael, quòd lac tantùm & lanam
Ierem. 23. ouium quærerent, non fructum animarum, non Dei gloriam. Væ, inquit (*eſt intermina-*
Ezech. 33. & 34. tio æternæ maledictionis) væ Paſtoribus & Sacerdotibus, qui paſcebant ſemetipſos. Lac
comedebatis, & lanis cooperiebamini, & quod craſſum erat occidebaris; gregem autem
meum non paſcebatis. Zacharias autem vndecimo capite diſertis verbis declarat, nihil
aliud quæſiſſe, ad nihilque aliud laboraſſe Paſtores Iſraeliticos, niſi vt opes populi conſe-
querentur, & diuites fierent: quo obtento, tamquam re benè geſta ac veluti ſummo
adepto bono, requieuiſſe; huiuſque vnius rei gratia, audacter omni Dei timore abiecto,
Zach. 11. oues Domini læſiſſe, occidiſſe, vendidiſſe, pro ſuo ipſorum arbitrio. Hæc dicit Dominus
Deus meus, inquit prædictus Propheta, Paſce pecora occiſionis; quæ qui poſſederant oc-
cidebant, & non dolebant, & vendebant ea, dicentes: Benedictus Deus, diuites facti ſu-
mus. Quid dici aut fieri poſſit magis impium? Nec tacuit Saluator noſter in Euangelio
intolerabilem auaritiá Sacerdotum Iudaicorum; cui nimirum vitio vt ſatisfacerent, ini-
quiſſimis è capite ſuo confictis traditionibus, æquiſſimas Dei leges palàm ſubuertebant.
Prior locus eſt, Matthæi 15. capite, alter 23. vterque memorabilis. In illo, Sacer-
dotes ſuæ auaritiæ conſulentes docebant, ſanctius & melius eſſe locupletare donarijs
templum, quàm ſubuenire parentibus egenis: ac technam demonſtrabant, qua filij pa-
rentibus opem flagitantibus illuderent: nempe, vt ſic loquerentur patri & matri; Munus
quodcumque ex me tibi proderit. Senſus eſt; Munus quod offero templo, tibi collatum
puta. Siquidem quod Deo ſummo parenti offertur, non poteſt non optimè collocatum
eſſe: talis filiorum pietas proderit & parentibus. Atque hac arte, ſub prætextu pietatis,
contra expreſſum Dei præceptum, deſerebantur parentes, vt meliùs haberent Sacerdo-
tes. Res ad illos redibat; ad parentes autem egenos, præter fucata verba, nihil redibat.

In

In altero loco Euangeliſtæ, ſi quis quid iuraſſet per templum aut altare, docebant non
teneri iuramento; ſi quis autem aliquid iuraſſet per aurum templi, aut per donum quod
altari ſuperponitur, ratum eſſe iuramentum, nec poſſe diſſolui ſine crimine. præpoſtero
ſcilicet iudicio, pluris facientes non ea quæ per ſe ſanctiora, ſed quæ ipſorum auaritiæ
erant gratiora. Aurum malebant quàm templum, oblationes quàm altare. Pulchrè au-
tem illorum ſtultitiam & cæcitatem redarguit Dominus: Væ, inquit, vobis, duces cæci, *Matth. 23.*
qui dicitis: Quicumque iurauerit per templum, nihil eſt; qui autem iurauerit in auro
templi, debet. Stulti & cæci, quid enim maius eſt, aurum, an templum quod ſanctificat
aurum? Et quicumque iurauerit in altari, nihil eſt; quicumque autem iurauerit in dono,
quod eſt ſupra illud, debet. Cæci, quid enim maius eſt, donum, an altare quod ſanctifi-
cat donum? Hæc Phariſæorum Sacerdotumque Iudaicorum auaritia, vtinam ad noſtros
non etiam Sacerdotes, vnà cum alijs quibuſdam vitijs, tamquam per manus tranſmiſſis,
commigraſſet! Certè, oportet auaritiam hodie inſigniter regnare inter Eccleſiaſticos, vt
paſſim prouerbio dicatur apud multos; Sacerdote tenacior.

Refert Cicero libro ſecundo Officiorum, Apollinem Pythium olim oraculo prodi-
diſſe; Spartam florentiſſimam & ſapientiſſimam Lacedæmoniorum ciuitatem, nulla alia
re, niſi auaritia, eſſe perituram. Ego verò, cunctis oraculis Delphicis verius eſſe puto; Ec-
cleſiam Chriſti & Religionem, nulla alia re magis quàm auaritia perituram eſſe, vbicum-
que eam tandem Chriſtus perire permiſerit. quòd nimirum ex auaritia omnia ſcandala
oriantur, iuxta Pauli veriſſimam ſententiam: Radix omnium malorum eſt cupiditas. *1. Tim. 6.*
Religio & pietas olim peperit opes Eccleſiæ; nunc contrà videmus, matrem à filia ſuffo-
cari & opprimi. Vt hîc etiam veriſſimum eſſe comperiatur, quod ait Chriſtus; diuitias *Luc. 8.*
eſſe ſpinas, quæ ſuffocant verbum Dei. Quid enim mali hodie non oritur in Eccleſia, ex
eo quòd opes Eccleſiaſticæ aut luxu conſumuntur, vbi non debent; aut auaritia, contrà
quàm oportet, ſeruantur?

Quàm parùm conſideramus, fratres, quid deceat ſtatum & ordinem noſtrum! quàm
parùm expendimus, quæ exempla nobis aduerſus auaritiam, maiores noſtri, Epiſcopi ſan-
cti & Sacerdotes reliquerint! Chriſtus Seruator, quo duce omnes & capite & protecto-
re gloriamur, quique ſummus eſt Sacerdos & Princeps Paſtorum, tam alienus fuit ab
auaritia opumque terrenarum cupiditate, vt non habuerit, vbi caput ſuum reclinaret.
Vulpes, inquit, foueas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet
vbi caput ſuum reclinet. Et cùm rogaretur à quodam, vt ſe inter ipſum & fratrem eius,
iudicem conſtitueret: O homo, inquit, quis me conſtituit iudicem & diuiſorem ſuper *Luc. 12.*
vos? Quare? niſi vt ſuo exemplo nos (dico Eccleſiaſticos præſertim) doceret, heredi-
tatem omnem terrenam contemnere; nec quidquam nobis cum ſollicitudine atque
amore diuitiarum debere eſſe commune? Apoſtoli omnes, nónne vſque adeò ab
omni auaritia abhorrebant, vt nihil planè haberent proprium: & dicerent confidenter:
Ecce nos reliquimus omnia; & ſecuti ſumus te? Quid alij ſancti Epiſcopi & Sacerdotes,
Nicolaus, Martinus, Hieronymus? nónne omnis illorum vita miram paupertatem, mi-
rum diuitiarum contemtum ſonat? Martinus (canit Eccleſia) hîc pauper & modicus, cæ-
lum diues ingreditur; hymnis cæleſtibus honoratur. De beato Auguſtino Epiſcopo ſcri-
bit Poſſidonius, quòd teſtamentum nullum condiderat; quia vnde conderet, non habe-
bat. Gloria Epiſcopi eſt, pauperum opibus prouidere; inquit D. Hieronymus: ignominia
Sacerdotis eſt, proprijs ſtudere diuitijs. Legite Epiſtolam eius ad Nepotianum, auream,
inquam, illam Epiſtolam, de vita & moribus Clericorum & Sacerdotum. Nemo mili- *2. Tim. 2.*
tans Deo, inquit Paulus, implicat ſe negotijs ſæcularibus; vt ei placeat, cui ſe probauit. At
quot & quàm multi hodie inter eos, qui Deo militant, & vitam Eccleſiaſticam profiten-
tur, non modò ſimpliciter implicant ſe negotijs ſæcularibus; ſed ſunt à terrenis curis, à
ſollicitudinibus opum, vel conquirendarum vel conſeruandarum, prorſus abſorpti; vt
nihil cogitent, ſapiant, agant, tractent, loquantur, niſi vilem pecuniam; omnis ſui ſtatus,
ordinis, conditionis, & functionis obliti! Ea eſt enim natura auaritiæ, vt, in quo (viro Ec-
cleſiaſtico præſertim) ſemel hæſerit, ac radices egerit; omnia ſacra proſtituat venalia,
cruces, altaria, Sacramenta, animas ipſas, quibus redimendis Chriſtus IESVS ſanguinem
ſuum fudit. videlicet illud ſecum reputantes, quod habet Satyricus; Lucri bonus odor ex
re qualibet. Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames?

Me profectò puderet referre, quæ de Paſtorum quorumdam & Sacerdotum intolera-
bili, & plus quàm Euclionica auaritia, certo rumore accepi. Quid poſſunt ſecum, demi-

 ror,

rot, eiuſmodi homines cogitare: aut quem ſibi tandem vitæ finem præſtituunt? Quin ſibi interdum ob oculos ponunt terribilem illam ſententiam Euangelicam, in diuitē auarum *Luc 12.* & tenacem prolatam; Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: & quæ paraſti, cuius erunt? In illo, iure omnibus metuendo, extremi iudicij die, non ſuperbos propriè alloquitur ſeuerus Iudex, non inuidos, non libidinoſos, non ebrioſos (quamquam illi omnes ſuam quoque damnationem habebunt) ſed ſermonem ſuum omnem ad auaros conuer- *Matth. 25.* tit; Diſcedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Quare Domine? Audiant auari; Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitiui, & non dediſtis mihi bibere; nudus fui, & non cooperuiſtis me. Si hæc dicturus eſt Chriſtus in vniuerſum auaris omnibus; quantò magis Eccleſiaſticis? quos non natiuitas, non parentes, non etiam frequenter aliqua induſtria diuites fecit; ſed beneficia Eccleſiaſtica, ſed patrimonium Chriſti, ſed peccata populi? Multis antiquiſſimis Canonibus cautum eſt, vt Eccleſiaſtici bonis intuitu (vt loquimur) Eccleſiæ acquiſitis, non modò non abutantur in luxum aut auaritiam; ſed ne ijs etiam conſanguineos ſuos aut heredes ditent, niſi quatenus illi poſſint quoque inter pauperes reputari; quibus æquum eſt ſubuenire. Nam, ſi parentes noſtri aut conſanguinei inopiam patiantur; & tales ſint, vt in illos rectè ac tutò poſſint conferri hæc beneficia; illorum proculdubiò ante omnia habenda eſt ratio. Qui *1. Tim. 5.* enim ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet (ait Apoſtolus) fidem negauit, & eſt infideli deterior. Vbi verò honeſte, & quantum ſatis eſt, aliunde huſce proſpectum eſt; quidquid ſupereſt bonorum Eccleſiaſticorum, in pauperes, aut Eccleſiæ reparationem, eſt conferendum.

Eia igitur, Auditores, aperiamus ſemel oculos noſtros, vt, quid à nobis ratio exigat, quid natura poſtulet, quid Chriſtus præcipiat, quid Sanctorum omnium exempla do- *Luc 12.* ceant, videamus. Non ego dico vobis, ſed dicit Saluator; Vendite quæ poſſidetis, & date *Matth. 6.* eleemoſynam. Verùm, ſi id durum videtur, illud ſaltem recipietis; Nolite theſaurizare *Luc. 16.* theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, vbi fures effodiunt & furantur. Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt; theſaurum non deficientem in cælis. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Vndecumque enim diuitiæ colligantur, ſiue ex bonis Eccleſiaſticis, ſiue aliunde, mammonæ ſunt iniquitatis, nomenque ac naturam ſuam negare non poſſunt.

Breuiſſimum profectò eſt humanæ vitæ curriculum; & vix momenti inſtar obtinet, ſi cum æternitate comparetur. Dicto citiùs aderit illa dies, in qua vel perpetuas ſtultitiæ & amentiæ pœnas, vel æternam pietatis coronam, percipere nos oportebit. Dum igitur licet, reſipiſcant mortales: & ſordidæ crudeliſque tenacitatis repudiato conſilio, quod vel praua educatione, vel mala conſuetudine, vel alijs neſcio quibus rationibus allecti, complexi ſunt; liberalitatem, beneficentiam, miſericordiam, & alias id genus diuinas virtutes colant & exerceant: vt vel ipſi dij ſint, vt dicebat antiquitas (nec omnino male) vel de Deo & membris eius promereantur; atque ita tandem veri euadant dij, vt ipſa clamat *1. Pet. 5.* & pollicetur Veritas, Ieſus Chriſtus. Deſino, vbi conſuetum adiecero epilogum. Preſbyteros, qui in vobis ſunt, obſecro compreſbyter: Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei; prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè, ſecundùm Deum; neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè; neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis, ex animo: & cum apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam. quam nobis omnibus largiatur, ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Amen.

ORATIO *funebris, habita in exequijs Cornelij Ianſenij, primi Epiſcopi Gandauenſis: anno* M. D. LXXVI.

QVÆ ad ſupremam funeris curam Reuerendiſſimi Domini noſtri clariſſimę memoriæ pertinent, ampliſſimi atque ornatiſſimi viri, magna ex parte peregimus, animæque eius feliciſſimæ iam iuſta perſoluimus. Et, quamquam magna fortaſſe quibuſdam, ſplendida ac ſumtuoſa videri poſſint, quę facta ſunt, nullo tamē pacto eiuſmodi ſunt, quæ meritis, dignitati, & gloriæ tanti viri reſpondeant. Neque fuit animus, tam excellenti atque incomparabili viro digna pręſtare (hoc enim nec ferunt facultates eius, & meritis eius, vt dixi, honor eſt omnis inferior)

rior) ſed receptæ conſuetudini, ac mori Eccleſiaſtico, vtcumque dumtaxat ſatisfacere. Dum vixit, modeſtiam ſemper aureamque mediocritatẽ vnice coluit: proinde, æquum fuit, etiam in exequijs eius, à placitis modeſtiæ ac frugalitatis non nimis deflectere; vt poſtrema, quantum fieri poteſt, primis reſpondeant.

Atque vtinam vel temporis ratio, aut veſtræ etiam, clariſſimi viri, occupationes ferrent, in huiuſmodi viri laudibus recenſendis, vel anteactæ integerrimæ ac laudatiſſimæ vitæ eius hiſtoria repetenda, paulò diutius immorari: audiretis ſane (non dubito) quod numquam vos audiuiſſe pœniteat. Sed enim, ne de re tam memorabili, pro recepto pręſertim more in huiuſmodi ac talium virorum funeribus, nihil nunc audiatis; néve, quoniam omnia quæ huc pertinent, nequaquam poſſumus, nulla idcircò penitus referamus; præcipua ex multis proferemus.

Cùm admodum adhuc puer eſſet, quòd non dubiam felicis ingenij indolem magnæque eruditionis ſpem præ ſe ferre videretur; ex loco natali (quod Hulſtum eſſe, maritimum Flandriæ oppidum, nouiſtis, non ignobile) in hanc primùm celeberrimam Gandauenſem ciuitatem, ad maioris momenti ſcholas tranſlatus fuit. Vbi operá dedit annos aliquot doctiſſimo iuxtà & pientiſſimo Sacerdoti, Eligio Hoeckario nomine, qui tum in vicino Monte arenoſo, ingenti cum laude Iuuentuti præerat. Verùm, cùm ibi in dies maiores in litteris profectus faceret, ingenioque ad longè quoque maiora contendere videretur; Louanium deſtinatur, vt bonis atque humanioribus litteris, quæ ad Ariſtotelicæ Philoſophiæ diſciplinam ſpectant, adiungeret. Qua in palæſtra ſic eſt verſatus, vt in noſtro Caſtrenſi Gymnaſio, breui ſecundus (vt loquuntur) Vniuerſitatis euaderet: primo citra controuerſiam loco, ſi fortuna virtutibus ac doctrinæ eius reſpondiſſet, digniſſimus. His iactis fundamentis, bonis auibus, ad ſtudia ſacræ ac ſummæ Theologiæ aggreditur. in qua cùm intelligeret ſe pro dignitate verſari non poſſe, nec iuſtos quos meditabatur progreſſus facere, adiutum ſolius Latinæ linguæ præſidijs; magno animo atque indefeſſo conatu, Græcam quoque linguam addidicit; idque tam abſolutè, vt breui auctores quoſvis è Græco in Latinum conuerteret. Nec verò hic deſtitit hominis veritatis amantiſſimi diligentia. cùm enim non eſſet neſcius, pleroſque omnes diuinarum Scripturarum codices Hebraicè eſſe conſcriptos; huius quoque ſacræ linguæ cognitionem ſibi eſſe comparandam exiſtimauit. Neque enim ex illorum erat numero (ſi qui tamen adhuc ſunt huiuſmodi) qui linguarum Græcæ Hebraicæque peritiam ad Scripturæ ſacræ veræque Theologiæ intelligentiam parum vel momenti vel adminiculi conferre arbitrantur. Diui Hieronymi exemplum potiùs ſequebatur; qui, cùm omnibus linguis perfectiſſimè eſſet imbutus, factus eſt Sacrarum litterarum interpres abſolutiſsimus. Et beato Auguſtino credebat, qui cùm Latinam dumtaxat linguam calleret, Græcam leuiter tantummodò attigiſſet, Hebraicam nec ſciret nec ſperaret; tamen libro De doctrina Chriſtiana 2. non dubitat harum cognitionem, ad Sacros codices vel intelligendos vel reſtituendos, neceſſariam pronuntiare: quòd, quemadmodum incognitis elementorum figuris, nemo legit quod ſcriptum eſt; ita ſine cognitione linguarum nullus quod legit intelligit. Quare non pepercit laboribus, non ſumtibus, alioquin in re tenui, non propriæ valetudini, non rebus denique vllis, dum longè pulcherrimi voti ſui compos efficeretur. Atque his demum inſtructus armis in Sacrarum litterarum adyta, bonis (quod aiunt) auibus, lætiſque ac felicibus ſucceſsibus penetrauit, atque ex vberrimo diuinorum eloquiorum campo ſuauiſsimos flores decerpſit; ſemperque ſeipſo cum ætate euadens maior ac doctior, æquales quoque ſuos longo interuallo à tergo omnes reliquit. Cumque iam annos aliquot in celebri Theologorum collegio peregiſſet, ob illuſtrem eruditionis famam, in Prælectorem Sacrarum litterarum monaſterij Tongerlenſis depoſcitur. vbi commodiſsimam proficiendi occaſionem, tempuſque ac locum ſtudijs maximè opportunum nactus, incredibile eſt, otium illud ſanctum quantum in negotium verterit; quantumque ibi eximiæ eruditionis theſaurum compararit.

Iamque labentibus annis tempus erat, quo non ſibi modò, pauciſque monaſticam religionem profeſſis ſtuderet; ſed, quæ iamdiu didicerat, in publicam aliquando vtilitatem proferret, collectoſque diuinæ ſapientiæ fructus palàm liberali manu facundoque ore in populum ſpargeret: notum eſt enim illud; Scientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque? Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum; vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Proinde, cùm Cortracenſes Paſtorem deſiderarent, oppidumque illud virum aliquem numeris omnibus inſignem requireret; non

Eccl. 20. *Matth. 5.*

alius

alius repertus fuit aptior ad hanc prouinciam, atque hic D. ac M. Cornelius Ianſenius. Paſſus eſt perſuaderi ſibi, eò vt ſe conferret, populumque facilem & benignis moribus, exemplo vitæ verboque doctrinæ inſtituendum ſuſciperet. Quæ enim ſine fictione didicerat, voluit omnino diuinam illam ſempiternamque ſapientiam imitatus, ſine inuidia communicare.

Sap. 7.

Hic verò quàm egregiè ſe geſſerit, quamque laudabiliter paſtorale munus adminiſtrarit, quamdiu ea in functione (annis vt minimùm octodecim) vixit; omitto pluribus verbis commemorare, vt ne vos diutiùs æquo detineam. Hoc vnum ſcio, ex quo facile erit cetera diuinare; diſceſſus eius, quot lacrymis, quot triſtibus querimonijs, quot precibus pijs conſtiterit Cortracenſibus: & voluiſſent illi modis quidem omnibus abeuntem retinere, eiuſque abitum multo quoque ſi fieri potuiſſet auro redimere: ſed aliò eum diuina prouidentia deſtinarat; quæ miro modo, plerumque etiam inſcijs nobis, de toto vitæ ac rationum noſtrarum ſtatu diſponit. Nos eramus, ornatiſſimi viri; nos, inquam, eramus Gandauenſes, quibus iam vir tantus, diuini numinis benigno ac ſalutari fauore, tacitè parabatur. Vbi ergo Cortraco Louanium remigraſſet, non poſt multos annos ſummis Theologici ſtudij ornatur honoribus, Doctoralique viridi laurea decoratur. Sub idemque ferè tempus in Decanum Eccleſiæ collegiatæ Diui Iacobi ab Aula deligitur. qui honos eſt Louanij non ex poſtremis. Iamque ſic omnino rationibus ad vitam ſubductis erat; vt nec ad maiora magnopere adſpiraret, & tamquam fidum quietumq; portum, varias poſt iactationes, nactus fuiſſet, aliarum rerum curam propè omnem abiiceret. Sed nō omnino peſſime atque abs re mihi vulgò dici videtur, Nocet eſſe ſapientem; ſi tamen hoc eſt nocere, ad maiora ſemper & ſublimiora pro meritis, & ſapientiæ occaſione, promoueri. Cùm enim celeberrima ſingularis eruditionis eius fama longè lateque increbreſceret, & Rex noſter (quem Chriſtus nobis diu velit eſſe ſuperſtitem) doctiſſimos vndique viros perquireret, quos ad Oecumenicam Synodum Tridentinam deſtinaret; contigit inter alios hunc quoque ad rem tantam aſſumi, vaſtiſque ac inſolitis itineribus vltra Alpes, in rem communis Reipublicæ Chriſtianæ, & vniuerſæ (quàm latè per orbem patet) Eccleſię cauſa, grauiſſima longeque honeſtiſſima legatione tranſmitti. Quæ res tot iam annos anteà expectata, tot tantiſque tentata conatibus, eum denique finem habuit, vt adſpirante votis eius aliorumq; Synodi Patrum Chriſto optimo maximo, Concilium tandem feliciter abſolutum, rebuſque Eccleſiæ conſtitutis, cunctis ſuam in patriam redeundi facta copia fuerit.

Factum eſt itaque, vt reuerſus, cùm opinione ſingularis doctrinæ & raræ pietatis vbique magis magiſque floreret, ab inuictiſſimo vereque Catholico Rege noſtro ad ſupremæ dignitatis faſtigium eueheretur; fieretque, vt vno dicam verbo, primus Epiſcopus Gandauenſis. Sed quid vobis videtur, candidiſſimi viri? An quiſquam eſt veſtrûm, qui fortaſſis arbitretur, lætum illi admodum & pergratum nuntium attuliſſe, qui hoſce illi primùm nouos magnoſque rumores attulit? Rari ſunt profectò mortales, qui opum conditione, amplorumque prouentuum amore minime capiantur: rariores quoque, qui ad ſpem egregiæ dignitatis non titillentur, lætitiam animo quamdam concipiant, ſeque ipſos iam nonnihil incipiant admirari. Ea eſt humanæ mentis cæcitas atque infirmitas; ſic vnumquemque ferè noſtrûm morbus humani generis maximus philautia poſſedit. At Reuerendiſſimus noſter Dominus, in cuius nunc lugemus acerbo funere, quàm excelſo animo hæc contemſit omnia! quàm omnia quæſiuit diuerticula, omnes effugiendi rationes adhibuit! donec vrgente Rege, idque iterùm atque iterùm (vt mihi quidem certò conſtat) nec vllam omnino excuſationem excipiente, compulſus fuit oneri colla ſubmittere. Verè ob hoc ſummis dignus honoribus; quòd eos ad exemplum veterum illorum ſanctorum Epiſcoporum tantopere eſt auerſatus.

Quid autem hìc eſt opus referre, quonam modo apud nos Epiſcopum egerit? Quorſum attinet, procul aut aliunde laudum eius teſtimonia petere, cùm ſint ad manum? Veſtras ipſorum appello conſcientias, viri optimi. Quid potuit à vero Epiſcopo expectari, quod iſte non cumulatiſſimè præſtitit? Siue enim docendi populi munus conſideres, quod Apoſtoli Epiſcoporum longè præcipuum ac proprium munus appellant; an non concionantem & docentem vidimus, donec eum virtus omnis, ſpiritus, ac locutio ipſa deficeret? Siue admonendi & corripiendi priuatim vnumquemque officium ſpectes (id quod certè vel in primis etiam ad bonum Paſtorem pertinet) quid illo fuit hac in re diligentius? Siue zelum denique pro religione ac pietate, contraque aperta vitia impatien-
tiam

tiam reputes; nihil illo fuit feruentius, nihil vigilantius, quando negotium Dei agi, & virtutem ſeu pietatem in periculum venire cernebat. Quam vtiles ac pias vbique locorum leges condidit! quam præclara ad ſinceram religionem fundamenta iecit! quàm feriò, quæ decurſu temporum alijſque occaſionibus collapſa erant, reſtituit! quàm egregiè ſucceſſori ſuo ad res præclariſſimas viam aperuit, primuſque velut glaciem ſcidit! hac in re nec gratiam cuiuſquam moratus, nec inuidiam, dum vni Deo ſe ſuaſque actiones probaret, ſuſque deque ferens quid de ipſo dicerent homines, quidve ſentirent.

Quid verò de vniuerſæ vitę eius innocentia ac puritate? quid de inexplicabili deſiderio erga templum & cultum Dei? quid de perpetuo amore dicendi audiendique Horas canonicas, in medijs quoque difficillimiſque negotijs; quod proprium eſt Sacerdotum ac Canonicorum munus? Quoties ſe, infirmiſſimo corpuſculo & plane exhauſto viribus, ad templum tamen duci prorſus, ſeu veriùs portari fecit? nec omnino benè ſecum agi reputauit, nec quieto eſſe animo potuit, quàndo per nimiam ægritudinem adeſſe cum alijs in Choro non licuit. O felicem animam, quæ nunc ſoluta corpore, cunctiſque terrenis impedimentis exuta, excellentiſſimæ pietatis tuæ fructus legis vberrimos! quàm lucida & ſalutaria nobis veræ religionis veſtigia reliquiſti, quæ ſequamur! quàm promto ac forti animo ipſe Paſtor & dux gregi tuo iter ad cælos præiſti!

Nec illud ſilentio prætereundum puto, ædes iſtæ eius quàm ſemper aduenientibus vndique viris bonis apertæ, & menſa iſthæc ipſius nota, quàm numquam non hoſpitibus expoſita fuerit: poſtquam D. Paulus, inter alia Epiſcopi ornamenta, tam feriò requirit, vt ſit hoſpitalis. Et in quadam Synodo ſcriptum memini, ad hoc inſtitutam eſſe domum Epiſcopalem, vt ſine perſonarum acceptione, omnes hoſpitalitate excipiat. Vos ipſi eſtis teſtes oculati, ampliſſimi viri, id quàm egregiè præſtiterit iſte venerandus Epiſcopus. Cuius enim vmquam, vel minimo probitatis titulo commendati, in ipſius ædes non fuit pergratus aduentus? Quis alicuius nominis vir nobilis iſtá vmquam ciuitatem ingreſſus eſt, quẽ non communis pacis præcipuè (cuius ſemper fuit ſtudioſiſſimus) & ciuilis amicitiæ cauſa, benignè ad ſe inuitatum, & pro ingenio ſuo & facultatibus, frugali quidem, ſed hilari tamen ſatiſque lauta menſa exceptum curauit? De Paſtoribus enim, Sacerdotibus, Religioſis, ac ſtudioſis omnibus, nihil attinet dicere; quos omnes volebat, ſuo quodam iure, vir optimus ad ſe diuertere. Quid autem de munificentia eius, de benignitate in pauperes? quorũ alios quotidianis eleemoſynis, alios veſtibus annuis, alios hebdomadali pecunia, hieme præſertim, quando maximè populus egeſtate premitur, aſſidue ſubleuabat: vt iam nunc haud parùm multi apertè ac palam querantur, ſe magnum inopiæ ſuæ præſidium perdidiſſe; verumque & communem pauperum patronum ipſius morte extinctum eſſe. Sed præcipuè eius mortem, non iniuria, deplorant pauperiora vtriuſque ſexus huius ciuitatis Monaſteria, quæ præ ceteris liberalitatem eius & munificentiam fuerunt experta; atque in omni neceſſitate, ad eum, tamquam ad ſacram anchoram, certum & ſingulare refugium habuerunt. Vt nihil iam dicam de inſignibus ac perpetuis liberalitatis officijs, quæ Louanij in pauperes Theologiæ ſtudioſos, præſertimque in celebria illa Theologorum collegia, & antehac ſæpè, & moriens iam iterùm teſtamento contulit. Sed non licet nobis, ſingulis hiſce præclariſſimis eius virtutibus enarrandis immorari diutiùs.

1. Tim. 3.

Concilium Matiſc. 2. Can. 13.

His ergo omnibus, quæ longum eſſet perſequi, relictis in medio; redeundum eſt nobis nonnihil ad ea quæ ſapientiam eius & doctrinam concernunt: quádoquidem inter alias Epiſcopi virtutes tam ferió requirit Apoſtolus, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana; & eos, qui contradicunt, arguere. Id quonam pacto publicis concionibus viuaque voce præſtiterit Reuerendiſſimus Dominus noſter, ex me iam vtcumque audiſtis; & ſæpenumerò ex ipſomet, dum hoc ageret, longè certiùs didiciſtis. Sed, non perinde fortaſſe meminiſtis omnes, idipſum quàm præclarè ſcripto calamoque præſtiterit. Quæ dixit pro concione, & e ſuggeſtu, vereor ne citiùs quàm oporteat, pleriſque omnibus elabantur. Vox audita perit; habet vulgaris ſermo. Sed quæ ſcripto reliquit, huiuſmodi ſunt certè, quæ numquam interitura eſſe videantur. Scripſit in vniuerſum Pſalterium, in Parabolas Salomonis, in Eccleſiaſticum Ieſu filij Sirach. At quonam modo ſcripſit, obſecro? num leuiter & perfunctoriè percurrendo difficiliora præſertim quæque, inſtar multorum, quibus ſatis fuiſſe videtur, quòd dixerint vel ſcripſerint aliquid? Quàm eleganter ac dextrè veram vbique & genuinam ſententiam explicat! quàm clarè obſcuriora quæque recludit! quàm grauiter receptas vbique falſas opiniones refutat! nec vllam vſpiam Le-

Tit. 1.

ctori ſtudioſo dubitandi occaſionem relinquit. Sed, quid referam de Commentarijs [illegible] in Concordiam Euangelicam, ab ipſo prius conceptam & concinnatam? Aut ego, [illegible] humaniſſimi, vehementer opinione mea fallor, aut hoc opus nomen & gloriam conſequetur immortalem.

Victurus genium debet habere liber:

inquit optimè Martialis. Ego mihi non ſumo poteſtatem de auctoribus iudicandi; ſed ſi quis eſt vir doctus, qui hoc opus euoluit; dicet ille mecum, ſat ſcio, iam inde à trece[illegible]s & ampliùs annis, aut nullum omnino librum in lucem prodijſſe, qui genium habeat, aut hoc opus genio præditum, ac proinde quoque (vt inquit Perſius) cedro dignum eſſe. Quod vt vobis oratione noſtra, quatenus præſentis temporis anguſtia patitur, aliq[illegible]tiorius atque reſtatius faciam; primùm, quis credat, operi illi extremas imponendo manus, quantum laboris impenderit? quantum non modò ſtudij & diligentiæ, ſed ingeni quoque atque induſtriæ, adhibuerit? D. Hieronymus haud exiguis laudibus ex[illegible]lit regulas quaſdam Ammonij, neſcio an Euſebij, ad hoc excogitatas, vt quid vnicuique Euangeliſtæ proprium ſit, quid verò cum alijs commune ſinguli habean[illegible] in promtu ſit cognoſcere. Sed regulæ illæ, quoniam perbreues ſunt & obſcuræ (quæ d[illegible]o etiam Horatio teſte ferè ſemper coniuncta ſunt) compluribus eruditis minimè poſt[illegible]a-tisfecerunt. Acceſſit, quòd, etſi inde vtcumque, quidnã vnuſquiſque proprium haberet, intelligere liceret, non tamen conſtabat, quonam modo Euangeliſtæ inter ſe omnes, pe[illegible] omnia, in vniuerſa vitæ Chriſti hiſtoria conſentirent; neq; vnuſquiſpiam aliquid vſquam diceret, quod cum aliorum narratione pugnaret. Vnde multi olim Chriſtiani nominis hoſtes, occaſionem ſumpſiſſe videntur, conuitijs inceſſendi hiſtoriam Euangelicam, & de vniuerſa Chriſtiana religione peſſimè ſentiendi. Quod diuum quoque Au[illegible]ſtinum permouit, vt eam materiam quatuor iuſtæ magnitudinis libris tractarit. Sed vir ille, cùm ſatis haberet, præcipuas Ethnicorum aduerſus Euangelium calumnias repuliſſe; nec illi vacaret ſingulis exactè perſcrutandis tempus impendere; vtpote cùm alijs eſſet conſcribendis libris, tum alijs multis Eccleſiæ grauiſſimis curis, occupatiſſimus; ſatis abundè loci reliquit alijs eadem de re copioſiùs diſſerendi. Quare eodem in argumento, conſequentibus ſæculis, à multis perquam diligenter elaboratum eſt. Sed hunc exitum habuit omne illud ad vnum pæne omnium ſtudium, vt alij ſemper ab alijs, haud immeritò, multis nominibus reprehenſi, & non exiguorum errorum notati & conuicti fuerint, nec vllus omnino extiterit, veterum aut neotericorum, qui ſtudioſorum deſiderio, ac diuturnæ virorum doctorum expectationi, modis omnibus ſatisfecerit. Tantum hac in re occultæ ac ſacratæ caliginis, tantum admirandæ difficultatis ineſt. Sic Deo placuit, humanum ingenium perpetuis huiuſmodi occupationibus, & ſacratiſſimis ſtudijs exerce[illegible].

Venit tandem Ianſenius noſter, qui omnibus omnium perſpe[illegible]ibus, & quid ſinguli rectè, quid ſecùs ſcripſiſſent, vel quid ipſi omnino pr[illegible], quid alijs poſt ſe adijciendum reliquiſſent, magno demum acerrimoq; iudicio aſſecutus; ſic ipſe elaborauit, vt omnibus omnino excuſſis ac diſſolutis difficultatibus, omnia ſimul ſtudioſorum omnium vota cumulatè impleſſe videatur. ſi præſertim non modò quæ propriè ad rationem concordiæ Euangeliſtarum pertinent, ſed & quàm diſertè, perſpicuè, copioſè facta omnia & dicta Saluatoris noſtri explanet, velimus attendere. Quid enim vſquam intactum, quid inexplanatum reliquit? Quis vnquam, vel ipſe difficilem aliquem in ſacris Euangelijs locum reperit, vel ab alijs ante repertum cognouit, qui hic non dilucidè ex[illegible]licerit? Nolo meæ aſſertioni fidem habeatis, Auditores: vosipſi, dum vacabit, librum aliquando in manus accipite, huiuſque rei periculum facite. Numquam vos, polliceor, tantillæ operæ aut lectionis pœnitebit. Quidquid vnquam veteres, Græci aut La[illegible] Scriptores in Euangelia commentati ſunt, quidquid ſedula neotericorum diligentia p[illegible]rum monumentis adiecit, quàm pulchrè & concinnè hic omnia breui in pagina collectim ob oculos proponuntur? Hic Doctores habent, quod e cathedra diſcipulis prælegant ſuis, hic concionatores & Paſtores quod e ſuggeſtu populum doceant. Hic omn[illegible] tamquam in ditiſſimo omnium ſpiritualium mercium penu, ac velut cornucopiæ, qu[illegible] vel ſibimet ipſis, vel quibuſcumque alijs erudiendis abundè ſufficiat, promtum & [illegible]rum reperiunt. Iam, ſi verum eſt, vt eſt quidem veriſſimum, quod diuino afflatus ſ[illegible]

Dan. 12. cecinit Daniel; Qui docti fuerint, fulgebunt ſicut firmamentum; & qui ad iuſtitiam [illegible] diunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates; quantam putamus huius eſſe gloria[illegible] & claritatem in regnis cæleſtibus, qui doctrina ſua, non illas modò quibus præfuit [illegible]

tates,

tates, [illegible] potiùs replen[illegible]? Nam, quæ iam nominaui ſcripta eius, præ-ſe[illegible] aureos in [illegible] Euangelia Commentarios, multo magis Hiſpani atque I[illegible] & admirantur, quam nos facimus.

Sed [illegible] quidem, pro ratione temporis & loci huius, ita breuiter. Quòd ſi quis tam iniquus erit ([illegible]iam hoc etiam operæpretium duxi obiter admonere) vt hiſce tam multis tamq́ue præclaris virtutibus vnam aliquam ſubitaneam iracundiam, qua quibuſdam interdu[illegible] ſe[illegible] laboraſſe, obijc[illegible] perinde is faciat profectò, atque ſi quis in formoſiſſimo corpore næuum aliquem exiguum liuidus admiretur, aliam verò omnem pulchritudinem & ve[illegible] prætereat. perinde, inquam, faciat, atque illi inepti olim apud Romanos, qui in o[illegible]xta atque [illegible] lu[illegible] imperatoribus quædam ſtudio inueſtigabant, quæ reprehenderent; vt exempli gratia, in Pompeio Magno quòd vnico digito ſcalperet caput: in Scipione Africano, quòd inter dormiendum ronchos duceret: in Iulio Cæ[illegible]; & id genus alias quaſdam minutias, relatu indignas. Sic inuenerunt etiam, vel confinxerunt veriùs, parùm æqui huiuſmodi Ari[illegible] præſtantiſſimis Eccleſiæ Doctoribus & columinibus, vt ethnico relinquamus H[illegible], N[illegible]o, Chryſoſtomo, quod cenſura ſua & reprehenſione dignum eſſe iudicarent. Quanto ſatius illud Sapientis [illegible] cum reputaſſent; Ne inſidieris, & quæras impietatem in do[illegible]ſti; neque vaſtes requiem eius: ſepties enim in die cadit iuſtus & [illegible] imp[illegible] corruent in [illegible]. vel illud ſalt[illegible]m peruulgatum apud Satyricum; *Prou. 24.*

> *Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,*
> *Cur in amicorum vitijs tam cernis acutùm,*
> *Quàm aut aquila aut ſerpens Epidaurius?*

Sic comparatum eſt cum natura humana; Nihil eſt ex omni parte beatum.

> ——— *Vitijs* (inquit idem ille) *nemo ſine naſcitur; optimus ille,*
> *Qui minimis vrgetur.* ———

Et, vt verum fateamur; quid erat illud tandem, quod in excellenti hoc Prælato notatum fuit? [illegible] excand[illegible]? Concedo, ſed nonne ſic oportet interdum? Eius erat zeli [illegible]nique feruoris; vt, ſiue quod ad Religionis integritatem, ſeu cultus officijq́ue diuini puritatem, ſeu deniq́ue morum honeſtatem rerumq́ue o[illegible]ium o[illegible] attinebat, omnia quàm ab[illegible]mè ſe habere peroptaret. Si quid igitur ſecus fieri, quàm oporteret, obſeruabat; illicò videbatur igniculus ille ferueſcentis animi, ex intimo cordis ad exteriora vultus aſcendere, verbiſq́ue, quibus poterat, rei indignitatem deteſtari. Vtq́ue verbo vno iudicium hac de re meum candidè vobis teſtatum efficiam; hoc ipſum in ſancto hoc viro mihi videor obſeruaſſe, quod hiſce verbis D. Bernardus, occaſione zeli S. Ioannis Baptiſtæ, ſuis inculcabat; Ferueat, inquit, etiam in vobis zelus iſte, chariſſimi: ferueat amor iuſtitiæ, odium iniquitatis. Nemo, fratres, vitia palpet; peccata diſſimulet nemo. Nemo dicat; Numquid cuſtos fratris mei ſum ego? Nemo, quod in ſe eſt, æquanimiter ferat, cum videat ordinem deperire, minui diſciplinam. Atque vtinam, Auditores, hunc feruorem concipiant, quotquot præſunt præſertim: illudq́ue magis in vſu habeant, quod monet Propheta regius; Iraſcimini, & nolite peccare: & quod ipſe Dominus per alium Prophetam; Zelus domus tuæ comedit me. Sed de his plus ſatis.

Quare ne vos, benigniſſimi viri, diutiùs detineam, neque plus æquo veſtra abutar patientia; hoc vnum vos ad extremum ex animo rogatos cupio, vt animæ longè optimi ac ſapientiſſimi viri benè omnes precemur: quæq́ue nobis exempla pietatis, dum in humanis eſſet, oſtendit; in ſua quiſque vitæ conditione, grauiter imitetur.

EPITAPHIVM

Reuerendiſſimi Domini CORNELII IANSENII, D. Petro Simone auctore.

AH, Præſul venerande, nimis ſublate dolendo
Interitu! Ah mortis triſtia fata tuæ!
Sic miſerum ſine patre gregem & paſtore relinquis?
Nec, quibus obruimur, te mala noſtra mouent?
Vade tamen, reuocante Deo; & cæleſtibus, olim
Quæ tota optaſti mente, fruare bonis.
Hoc age dumtaxat; vt, qui te in honore ſequetur,
Diſſimilis non ſit moribus ille tuis.

CONCIO *in feſto omnium* SANCTORVM, *habita coram Vniuerſitate Louanienſi in templo Patrum Prædicatorum, anno* M. D. LXVI.

QVANDO fieri non poteſt, ampliſſimi Auditores, vt Sanctos ſingulos cum Chriſto regnantes, propria per anni circulum feſtiuitate veneremur; prudenter admodum Eccleſia diem iſtum ſimul omniũ Diuorum cultui dedicauit. Nimirum, quoniã nullius nõ ope ac meritis adiuuari cupimus; nullum non etiam (quoad fieri à nobis poteſt) honoribus annuis celebremus. Non enim exiſtimandum eſt, ipſis beatis ſpiritibus quidquam præſtari, laudibus noſtris, feſtis, præconijs: tametſi eos meritò honoramus in terris, quos Deus ita honorat in cælis. Pater alioqui eos abunde cæleſtis, iuxta veracem Chriſti promiſſionem, glorificat. Pleni ſunt prorſus: bonorum noſtrorum Sancti non indigent. Plane, quod honorificam eorum memoriam agimus, noſtra intereſt, non ipſorum. Quippe vt quos debita veneratione proſequimur, ſimili etiam conuerſatione ſequamur: quos beatiſſimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota mentis auiditate curramus: quorum delectamur præconijs, etiam patrocinijs ſubleuemur; quorum gaudemus meritis, inſtruamur exemplis. Sic ignorantia noſtra, ipſorum commemoratione diſpellitur, infirmitas noſtra, ipſorum interceſſione fulcitur; cæleſtis denique in nobis patriæ deſiderium, ipſorum recordatione gloriæ ac beatitudinis excitatur. Vt ipſorum videlicet tandem iucundiſſima ac feliciſſima ſocietate fruamur; & mereamur conciues eſſe ſpirituum beatorum; miſceri venerando Patriarcharum cœtui, cuneis Prophetarum, Apoſtolorum glorioſo ſenatui, Martyrum exercitibus numeroſis, Confeſſorum collegijs, Virginum choris. Hæc eſt cauſa, ob quam nunc Eccleſia feſtum nobis omnium Sanctorum proponit; & beatos prædicat omnes, qui poſt dura hoc in mundo, varia & laborioſa certamina, per tot rerum diſcrimina, ad felicem portum, ad immarceſcibilem illam in cælis coronam pertingere meruerunt. Quemadmodum ex illorum numero quidam nobis ſcriptum reliquit in hæc verba; Quotieſcumque ſanctorum Martyrum ſolemnia celebramus, ita ipſis intercedentibus expectamus à Domino conſequi temporalia beneficia, vt, ipſos Martyres imitando, accipere mereamur æterna. Ab ijs enim ſanctorum Martyrum in veritate feſtiua gaudia celebrantur, qui ipſorum Martyrum exempla ſequuntur. Solemnitates enim Martyrum, exhortationes martyriorum ſunt; vt imitari non pigeat, quos celebrare delectat.

Ioan. 12. — *Auguſt. Serm. 47. De Sanctis.*

Hæc frequenter legimus, Auditores; præſertim qui Sacris ſumus initiati ordinibus; ſed ſæpiùs legiſſe, parum profuerit, (ne quid grauius dicam) niſi vitæ idipſum conuerſatione probiſque moribus exprimamus. Docent nos arcanæ litteræ, quanto ſtudio hoc vnum egerint Sancti, cùm in terris adhuc mortales agerent, vt ad ſui alios imitationem

pro

prouocarent. Vnde illa exſtat à Paulo toties repetita ſententia; Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Et Ioannes inquit; Maiorem horum non habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare. Quamobrem, ſi animus eſt vobis, obſequium Sanctis dignum acceptumque præſtare, nulla eis religio gratior magiſque propria, quàm ſi virtutem eorum laboretis exprimere. Nullus beatæ Mariȩ Virgini gratior cultus, quàm ſi Mariæ humilitatem, prudentiam, pudicitiam imiteris. Vis tibi demereri beatum Petrum, aut Paulum? alterius fidem, alterius imitare charitatem. Propone tibi ante oculos vitam Sanctorum, iuxta normam Diuinæ legis purè tranſactam: vel, ſi quando pro humana fragilitate à recto deflexerunt, diligentẽ prorſus ac citum ad virtutem regreſſum: ad eumque modum in ſingulorum honorem & æmulationem ſingula mutare vitia, ſingulaſque amplecti virtutes ſtude. Sic fiet, vt & Sanctos tibi mirifice propitios ac fauentes reddas, & magnos breui in pietate progreſſus facias. Magnam enim exempla vim habent, ad permouendos animos: vtpote, quæ velut in ſpeculo, quid deceat, quid ſecùs, oſtendant. Quin immò, ſicut pictores, dum imaginem ex imagine pingunt, exemplar identidem reſpectantes, lineamenta eius magno ſtudio ad opificium ſuum transferre conantur; ita qui ſeſe meditatur omnibus virtutis numeris abſolutum efficere, veluti ſimulacra quædam ſpirantia & efficacia, Sanctorum vitas reſpiciat, oportet; probaque illorum opera, ſua quodammodò imitando faciat. Verùm, priuſquam rem iſtam altiùs ingredi, pluraque huc pro mea tenuitate adferre in medium pergam; communibus votis, Spiritus ſancti gratiam opemque Diuorum omniùm, intercedente præſertim Deipara Virgine, imploremus. AVE MARIA, &c.

1. Cor 4. & 11 Phil. 3. Ioan. ep. 3.

Tam copioſa nobis ac varia ſeſe offert de hodierno Sanctorum omnium feſto dicendi materia, viri ornatiſſimi, vt neſciam pæne, quid potiſſimùm tractare, aut vnde exordiri velim. Nonnulli veſtrûm fortaſſis in illa ſunt opinione, vt exiſtiment loci huius ac temporis eſſe, de Sanctorum inuocatione diſſerere; quod hodie ab hæreticis vocatur in controuerſiam: vti illi nihil ferè, quod ad ſinceram puramque religionem ac pietatem pertinet, non labefactare conantur; vſqueadeò noſtra ſæcula, vindicante ita hauddubiè ſcelera noſtra Deo, ad extremam impietatem atque inſaniam deueniſſe videntur. Verùm hanc partem ego pro concione hîc à me tractandam eſſe non iudicaui prolixiùs: præſertim apud vos agens, quos multa paſſim ea de re ſolidiſſimè ſcripta legiſſe non ambigo; & in Eccleſiæ matris certis antiquiſque dogmatibus ritè inſtitutos eſſe confido. Quis enim veſtrûm non promtiſſimo animo amplectatur articulum illum Symboli Apoſtolici, SANCTORVM COMMVNIONEM? Quòd ſi illud ſequimini, & ſanctam Chriſti Eccleſiam diſſcindere formidatis, iam Sanctorum etiam eoipſo inuocationem recipitis. Quæ enim maior poteſt eſſe Eccleſiæ & Sanctorum communionis diruptio, atque eam, quȩ in terris hîc peregrinatur, ab illa ſeiungere, quȩ cum ſponſo ſuo supernè glorioſa iam viuit? dubio hîc etiamnum Marte pugnantem, ab illa quæ cum Chriſto ibi ſecura triumphat? homines fideles, à ſocietate Angelorum ſanctorum? vt videlicet miſeri ſe felicibus commendare non queant? Si ad Eccleſiam pertinent Angeli ſancti, vt auctor eſt Paulus ad Hebræos 12. & membra Eccleſiæ ſunt, qui peregrinantes à corpore, ſunt præſentes ad Dominum; cur magna ab eis cum fiducia non poſtulemus membrorum officiũ, vt pro nobis orent? vt pro noſtra dignentur eſſe ſalute ſolliciti, qui iam ſunt de ſua ſecuri? Ab homine aliquo potentiore beneficium perituri, illos primùm accedimus, quos illi gratos eſſe, & quorum interceſſioni nonnihil ſubinde donare perſuaſum habemus: & Dei amicos, feliciter cum eo regnantes, in quorum gratiam nihil non propemodum ſeſe facere, & veraciſſima promiſſione, & certiſſima operũ exhibitione declarat, negligimus? Magni periculi res eſt (inquit optimè Maximus ille Taurinenſis Epiſcopus) ſi poſt Prophetarum oracula, poſt Apoſtolorum teſtimonia, poſt Martyrum vulnera, veterem fidem quaſi nouellam diſcutere, nedum negare præſumas: poſt tantos duces in errore permaneas, & poſt morientium ſudores otioſa diſputatione contendas. Proinde miſſa hæc in præſentiarum facimus: vti neque in ſolis etiam Sanctorum laudibus & prȩconijs orationem noſtram conſumere volumus, quod facillimum foret. Nam, ſi veteres illi apud Romanos ſummis elati ſunt laudibus (recténe, an ſecùs, iam non diſcutio) quòd falſorum deorum cultum & religionem tuentes, inanis gloriæ cupiditate ducti, non virtutem, quam ignorarunt, ſed virtutis potiùs ſimulacrum, ſummo ſtudio coluerunt; quibus, quæſo, laudum præconijs dignos putabimus eos, qui omnem inanem gloriam, ceteraſque ſæculi prætereuntis calcantes illecebras, ſub vnius veri Dei cultu, innocẽtiſſimum

Serm. de com. Martyrum.

 vitæ

vitæ curſum perſoluerunt? Quin etiam, ne quid diuinis (quoad fieri poſſet) detraheretur
honoribus, ſanguinem ſuum vitamque profundere non ſunt dedignati; vt confidenter
cum Propheta regio atque Apoſtolo glorientur: Quoniam propter te mortificamur to-
ta die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Porrò de lætiſſima Sanctorum beatitudi-
ne, & glorię abundantia, qua cum Chriſto Domino in cælis feliciſſimè perfruuntur, quid
attinet dicere? Notum eſt illud Pſalmi 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & tor-
1. Cor. 2. rente voluptatis tuæ potabis eos. illudque Apoſtoli, pariter & Prophetæ: Nec oculus
Iſa. 64. vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ prępparauit Deus diligentibus ſe.
Quod ſi, iuxta Paulum, etiam in præſenti hac ærumnoſa vita locum habet; quid ſentien-
Lib. 3. De lib. arbit. cap. 25. dum ducitis de futura? Tanta eſt ibi, inquit Auguſtinus, pulchritudo iuſtitiæ, tanta iu-
cunditas lucis æternæ; hoc eſt, incommutabilis veritatis atque ſapientiæ; vt etiamſi non
liceret amplius in ea manere, quàm vnius diei mora; propter hoc ſolùm innumerabiles
anni huius vitæ, pleni delicijs & circumfluentia temporalium bonorum, rectè meritoque
Pſal. 83. contemnerentur. Non enim falſo, aut paruo affectu, dictum eſt; Melior eſt dies vna in
atrijs tuis, ſuper millia. Hoc vnum dumtaxat vobiſcum expendite; quid ſit æternitas.
Non dubito, quin conſideratio felicitatis Sanctorum vos planè obſtupefaciet: vt meritò
cum eodem Pſalmiſta protinus exclametis: Deficit anima mea in atria Domini. Sed non
eſt animus iſtam quoque materiam pluribus perſequi. Hoc potiùs deinceps agemus,
quibus rationibus, quaque via, ad hanc Sanctorum perpetuam felicitatem peruenire poſ-
ſimus. Hoc enim nobis, meo quidem iudicio, quamdiu in hac vita ſumus, fuerit longè
vtilius, quàm multa exactè de futuræ vitæ qualitate cognoſcere. Nam, ſi cui, exempli gra-
tia, notum eſſet, in remotiſſima quapiam regione munera ſibi multa & præclara eſſe re-
poſita, quorum omnium valorem, pretium, & qualitates omnes exactè perſpectas habe-
ret, viam autem quæ eò ducit neſciret, nec aliquem haberet ducem itineris; quid illi pro-
deſſet, obſecro, ſcire, munera illic ſibi eſſe talia præparata? Annon multò feliciorem cen-
ſeretis, qui, etſi qualia illa quantaque ſint, ignoraret; rationem tamen, qua perueniri ad ea
poſſit, benè cognitam & exploratam haberet? Sic non eſt magnopere neceſſarium de fu-
turæ vitæ delicijs in particulari multa cognoſcere; ſed viam, quę certò ad eam ducit, per-
ſpectiſſimam nobis eſſe neceſſe eſt: illaque habita, non magno negotio finem quoque ip-
Deut. 30. ſum ac terminum conſequemur. Via autem iſta (ne quis hîc ſeipſum fallat) non ſupra
te eſt, ô homo; neque procul poſita, vt verbis vtar Scripturæ; ſed iuxta te eſt valdè, in cor-
de tuo, & in ore tuo. Nimirum, eam omnes Sancti, quorum feſtiuitatem hodie celebra-
mus, conſtantes alacreſque calcarunt. vtpote, qui vniuerſi fuerunt (nam via hæc in Eu-
angelio hodierno pulchrè exprimitur) pauperes ſpiritu, mites, miſericordes, mundo cor-
de, pacifici; omnes perſecutionem paſſi propter iuſtitiam. In iſtis igitur eos imiteris opor-
tet, ſi palmam cum eis eamdem adipiſci deſideras. Non enim nihil agentibus, multo au-
tem minùs male agentibus cæleſtia obueniunt præmia. Prorſus non coronabitur, niſi
Iac. 5. qui legitimè certauerit. Exemplum, inquit Iacobus, accipite laboris & patientiæ Prophe-
tas, qui locuti ſunt in nomine Domini: Ecce, inquit, beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt.
Quod autem de Prophetis ille, idem & de Patriarchis dicendum eſt, Abraham, Iſaac, Ia-
cob, Seth, Abel, Noë, Moyſe, Phinees, Ioſue, &c. Idem de Iudicibus & Regibus ſanctis;
idem de Apoſtolis & Diſcipulis Domini, qui nouam in orbe doctrinam plātarunt; idem
de infinitis Martyribus, Confeſſoribus, Doctoribus, Sacerdotibus, Monachis; idem de-
nique de caſtis Virginibus, atque ad vnum omnibus Sanctis. Omnes ſiquidem per labo-
res multos & patientiam, cælum ingreſſi ſunt. Certauerunt omnes viriliter, arduoque ac
laborioſo certamine, aduerſus mundanas inſidias, gloriā, ſapientiam; aduerſus propriam
Epheſ. 6. carnem, aduerſus Principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum;
Matth. 7. contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Omnes per arctam viam, per anguſtam por-
Gal. 5. tam intrarunt: omnes carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs: omnes
Matth. 16. ſeipſos negauerunt; & Chriſtum ſequentes, crucem quiſque ſuam portarunt: omnes in
1. Cor. 3. hoc mundo ſtulti facti ſunt, vt apud Deum ſapientes eſſent: omnes linguam ſuam do-
Iac. 3. muerunt: omnes humiliter peccata ſua confeſſi ſunt: omnes corpus & ſanguinem Domi-
ni dignè frequenterque ſumſerunt, non ignari, quantus ſit in Sacramento illo gratiarum
2. Tim. 3. theſaurus reconditus. Breuiter, quoniam omnes in Chriſto piè viuere voluerunt, perſe-
Act. 14. cutionem paſſi ſunt; & per multas tribulationes introierunt in regnum Dei. Macti ita-
que virtute, Auditores; accipite ab iſtis exemplum eiuſdem aggrediendi viriliter laborioſi
certaminis. Concipite magno animo perfectæ vitæ propoſitum, conceptum vrgete. Ni-
hil

hil vnquam vehementer ſibi imperauit humanus animus, quod non effecerit. Iam nunc tandem excutite iugum omne peccati, odiumque ante omnia iniquitatis aſſumite. Vt enim in ſcala, primus gradus eſt à terra progreſſio; ſic in viuẽdi ratione ſecundùm Deum, principium progreſſus eſt vitiorum depulſio. magna pietatis pars eſt, toto pectore velle fieri pium. Quòd ſi nos viderint Sancti ſaltem velle totis conatibus iter virtutis arripere, hauddubiè ſuppetias ferẽt, exorabuntq́ue apud Deum; vt qui dedit velle, tribuat & perficere; qui affectum bonum ſuggeſſit, etiam progreſſum felicem & conſummationem indulgeat. Similes enim ſimilibus afficiuntur, & par pari gaudet. Quo fit, vt, quò magis noſmetipſos ſtuduerimus Sanctis in pietate ſimiles exhibere: eo plùs ab eis beneficiorum imperraturi ſimus Fidelis ſermo, inquit Apoſtolus, ſi commortui ſumus, & conuiuemus: ſi ſuſtinebimus, & corregnabimus: ſi compatimur, & conglorificabimur: ſi fuerimus ſocij tribulationum, erimus & conſolationum.

Et quid tandem eſt, quæſo, quod nos à Sanctorum imitatione remoretur atque deterreat? Si durum eſſe videtur, contemto mundo, ſpretiſq́ue carnis illecebris, cum Chriſto crucem tollere; primùm, cur id cuipiam aſperum videri poteſt, quo ad tam ingens, tam certum, itur præmium? Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis (clamat Scritura) ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et alibi; Quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna. Si, iuxta Sapientis cuiuſdam dictum, Spes prę mij minuit vim flagelli; quis in hac momentanea vita non leue, non dulce iudicet; quo cęleſtem illam ac numquam deſituram ſibi vitam paret? æternùm regnare cum Chriſto? aſſiduè ſummum illud intueri bonum? in Angelorum verſari contubernio? ab omni malorum metu procul abeſſe? Quis, oro, tantum hoc præmiũ, non vel ſexcentis (ſi fieri poſſet) mortibus emtum velit? Atqui hoc tantũ donatiuum pollicetur militibus ſuis Imperator noſter Ieſus; qui nec fallere poteſt, nec mentiri nouit. Rom. 8. 2. Cor. 4.

Deinde verò quî minus tu poſſis, quod illi illique Sancti, eo ſexu, ea ætate, ſic nati, ſic educati potuerunt? Numquid tu delicatior es, inquit Auguſtinus, illo Senatore? numquid tu infirmior illo aut illo? numquid tu infirmior feminis? Feminæ potuerunt, viri non poterunt? Sed ego, inquis, multum peccaui. Numerantur etiam (reſpondet) qui multum peccauerunt; & eo amplius amauerunt, quò plura illis ſunt dimiſſa peccata: quomodo dictum eſt in Euangelio; Cui minus dimittitur, minus diligit. Sic ille Doctor, in Pſalmum centeſimum decimum nonum, ad verſiculum illum; Cum carbonibus deſolatorijs. Qui & alibi continentiam introducens, ad amorem atque amplexus ſui, eum etiamnum in iuuentute impuriùs viueret, exhortantem, in hæc verba loquitur; Aperiebatur, inquit, mihi, ab ea parte qua intenderam faciem, & qua tranſire trepidabam, caſta dignitas continentiæ; ſerena, & non diſſolutè hilaris, honeſtè blandiens vt venirẽ, neque dubitarem; & extendens ad me ſuſcipiendum atque amplectendum, pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri, & tot puellæ; ibi iuuentus, & omnis ætas, & graues viduæ, virgines, anus: & in omnibus ipſa continentia nequaquam ſterilis, ſed fecunda mater filiorum, de marito te, Domine. Et irridebat me irriſione exhortatoria, quaſi diceret; Tu non poteris, quod iſti & iſtæ? an verò iſti & iſtæ in ſeipſis poſſunt, an non in Domino Deo ſuo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te ſtas, & non ſtas? proijce te in eum: noli metuere; non ſe ſubtrahet vt cadas: proijce te ſecurus; excipiet te, & ſanabit te. Et erubeſcebam, inquit, nimis; & cunctabundus pendebam. Lib. 8. confeſſ. cap. 11.

Quòd ſi nobis interdum, idq́ue ſeriò, ob oculos verſarentur innocua vita moreſq́ue Sanctorum, in quibus ſunt tamquam tabulæ quædam, vt diximus, Diuinæ legis; mirum, ſi cum Auguſtino non erubeſceremus quoque vehementer, quando noſtra viuendi ratio cum illorum moribus tam parum conuenit. Neque eſt, quod quiſquam ignauiæ ſuæ prætexat, dicens; Quid putas cauſæ eſt, quòd priora tempora meliora fuere, quàm nunc ſunt? Stulta enim, inquit Eccleſiaſtes, eſt eiuſmodi cogitatio. Fuerunt priores Sancti ſimiles nobis, carne corruptibili ſanguineq́ue circumdati, morbis, defectibus, miſeriis diuerſis obnoxij, nec prorſus etiam immunes à prauis animæ cupiditatibus: in ſumma, tales, à quibus nihil humani alienum fuit. Nihil enim, mea quidem ſententia, magis eſt pernicioſum, atque tam ſublimes facere Sanctos, vt videamur eos imitari non poſſe: quamdamq́ue eis apathiam affingere, quam nos impaſſibilitatem vel imperturbationem poſſumus dicere, quando numquam animus vllo perturbationis vitio commouetur; Eccleſ. 7.

uetur; videlicet, vt vel ſaxa vel Deus fuerint. Aliter ſanè Iacobus Apoſtolus de Propheta
Iac. 5. illo maximo: Helias homo erat, inquit, ſimilis nobis, paſſibilis. vbi ſciunt, qui Græcè nouerunt, non de corporis paſſionibus, ſed de vitioſis animæ affectionibus eſſe ſermonem. Verùm, etſi non vacarunt Sancti penitus omni vitio, non tamen ſe peccati ſeruos fecerunt, non dederunt manus prauæ concupiſcentiæ, non ſe vitiorum illecebris turpiter detineri vinciq́ue ſiuerunt: quin potiùs ad Dominum protinus clamauerunt in anguſtiis conſtituti, ſudarunt, perſtiterunt, luctati ſunt fortiter, manumq́ue ita auxiliatricem Domini meruerunt. Nobis nunc ſimiliter, eamdem ingredientibus viam, patet ſalus. Quidni igitur feſtinamus? quid ſubſiſtimus? quid cunctamur? quin alacri mente præcedentium
1. Mach. 4. veſtigia premimus? Mementote, inquit Machabæus ille, qualiter ſalui facti ſint patres no-
Iſa. 59. ſtri. Non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat; neque aggrauata eſt auris
Rom. 10. eius, vt non exaudiat. Vt olim ſemper, ſic modò quoque diues eſt in omnes, qui inuocant illum.

Quòd ſi dicas, non poſſe te Sanctorum omnes in vniuerſum virtutes ſequi, atque infirmiorem eſſe, quàm vt in omni genere pietatis eos æmuleris; placet: vnam igitur illarum, aut alteram ſaltem imitare virtutem. Sic ſenſim cum tempore, ceteris aſſueſces. Nemo repentè fit ſummus. A paruis initijs, ad magna progrediendum eſt; quamquam nihil paruum ſit, quod ad pietatem conducit. Propone tibi, in primis, fidem Sanctorum,
Heb. 11 & 13. à qua in Epiſtola ad Hebræos ab Apoſtolo tantopere commendantur. Qui & mox inferens, Mementote, inquit, Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem. Ieſus Chriſtus, heri & hodie, ipſe & in ſæcula. Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci. Quaſi diceret: Non eſt mutabilis, inconſtans, aut leuis Ieſus; vt modò à vobis aliam exigat fidem, quàm olim à Sanctis popoſcit. Ipſe idem eſt ſemper & ſui ſimilis: quod ſemel docuit, hoc ſemper docet. Quocirca doctrinis varijs & peregrinis, quæ cum priorum Sanctorum, qui vos inſtituerunt, fide non cõſtant, nolite ſeduci. Quantus hîc mihi nunc dicendi campus offertur, ſi ad noſtra hæc infeliciſſima tempora oculos conuerto? Verùm, quia memini, non ante hos multos menſes, ab alio fuiſſe hac de re copioſe diſſertum, aliam vobis modò Sanctorum virtutem ob oculos ponam.

Altera Concionis pars.

HODIERNVM Euangelium, inter cetera beatos prædicat miſericordes; hoc eſt, qui ex charitate fraterna, alienam miſeriam ſuam eſſe ducunt; qui malis proximi indoleſcunt; qui calamitatibus aliorum illacrymant; qui de ſuo paſcunt egentem, veſtiunt nudum, monent errantem, docent ignorantem, peccanti condonant: qui, quantum in ipſis eſt, modis omnibus prodeſſe ſtudent vniuerſis; & bonis, quò fiant meliores; & malis, quò eiuſmodi beneficentia ac manſuetudine prouocentur ad meliorem frugem. breuiter quidquid habẽt dotis, id ſubleuandis aliis ac refocillandis impendunt. Non enim is iuxta ſtultorum æſtimationem, ſumtum facit, ſed lucrum. Apud homines fortè paupereſcunt miſericordes, dum largitione exhauriuntur facultates: at apud Deum vehementer locupletantur; dum exhauſto ſcrinio, pectus pietatis fructibus cumulatur.

Hanc virtutem, charitatem dico & miſericordiam erga proximos, tanto ſtudio excoluerunt omnes Sancti; vt propter hanc ſolam in extremo iudicio commendari, vitæq́ue æternæ mercedem accipere, videantur: vti cernere licet Matthæi vigeſimo quinto capite. Vnde & manifeſtum euadit, eximiam quamdã vim raramq; laudẽ eſſe iſtius virtutis.

Hæc eſt illa virtus, quæ Deum ipſum in primis permouit, vt noſtræ ſalutis cauſa, in hanc lacrymarum vallem factus homo deſcendere, atque adeò mortem ipſam,
Ioan. 3. cùm ignominioſiſſimam tum acerbiſſimam, ſubire non dubitaret. Sic enim Deus dilexit mundum, inquit Saluator, vt Filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Hic eſt pius ille Samaritanus, qui cùm grauiſſimè ſaucium ac ſemiuiuum iacentem videret, eum qui ex Ieruſalem in Iericho profectionem inſtituens in latrones inciderat, miſericordia motus eſt; & appropians alligauit vulnera eius, infundens vinum & oleum, & imponens eum in iumentum ſuum, duxit in ſtabulum, & curam illius egit. O immenſam miſericordiã! ô inæſtimabilem charitatem! Quis crediturus erat, tantum fuiſſe Dei amorem erga genus humanum rebelle, & tot flagitijs obnoxium; vt non ſolùm non vlciſceretur admiſſa ſcelera,

verum-

verumetiam Filio ſuo non parceret, quò deperditos homines in priſtinam dignitatem reſtitueret! Hanc ergo largam, & omnibus expoſitam Patris beneficentiam, tamquam germani filij, referre debemus. Si Deus pro nobis animam ſuam poſuit, inquit Ioannes, & *1. Ioan. 3.*
nos debemus pro fratribus animas ponere. Nimirum, quemadmodum Paulus affectus
erat, cùm diceret; Optabam ego ipſe anathema eſſe, pro fratribus meis, qui ſunt cognati *Rom. 9.*
mei ſecundùm carnem. Et alibi; Ego autem ipſe libentiſſimè impendam, & ſuperimpen- *2. Cor. 12.*
dar ipſe, pro animabus veſtris. Sic Moyſes quoque, dux ille & Propheta eximius, ſuos di- *Exod. 32.*
ligebat Iſraelitas, quádo potius habebat deleri de libro vitæ (vtcumque hoc ſit intelligendum) quàm non condonaret eis Deus admiſſum flagitium. Dauid autem & ipſe Rex & *2. Reg. 24.*
Propheta, cùm videret Angelum cædentem populum, inquit Scriptura; Ego, ait, ſum,
qui peccaui; ego, qui inique egi: iſti qui oues ſunt, quid fecerunt? Vertatur, obſecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei. Quid alios memorem? cùm omnes
illud præſtiterint; Diliges proximum tuum, ſicut teipſum? Et, eſtote miſericordes; ſicut & *Matth. 12.*
Pater veſter miſericors eſt. Quanto oportuit amore ac deſiderio ſalutis noſtræ inflamma- *Luc. 6.*
tos fuiſſe Apoſtolos, vt Martyres omnes & Confeſſores taccam; quando, vt nos pietatis rationem, fidem, & veritatem docerent, nouumque tenebroſo mundo lumen accenderent, in vniuerſum terrarum orbem celerrimè inſtar nubium, diſcurrerunt; ac tandem
ceruices ſuas gladijs, corpuſque flammis ſubijcere minimè formidarunt, vt nobis benè *2. Tim. 2.*
eſſet! Omnia enim facio, propter electos, ait Apoſtolus, vt ipſi ſalutem conſequantur.

Sed dum in Sanctorum laudibus & virtute verſamur, nullámne mentionem benedictæ illius Virginis matris, glorioſæ Sanctorum Reginæ, faciemus? Fuit hæc ſanè, ſi quis alius, in miſericordiæ erga proximum & charitatis operibus longè exercitatiſſima: quemadmodum decebat matrem illius, qui potentiam ſuam parcendo maximè & miſerando
manifeſtat: immò, cui proprium eſt, miſereri ſemper & parcere. Hæc enim virtus in pri- *Act. 1.*
mis effecit, vt cum diſcipulis Chriſti, pro aduentu Spiritus ſancti in totam Eccleſiam, obſecrationibus (vt habet Lucas) perſeueranter inſiſteret. Hæc eamdem adegit, vt audita
cognatæ ſuæ felici imprægnatione, ad montana protinus cum feſtinatione decederet; vt *Luc. 1.*
ſeniori virgo iuuencula gratum præſtaret obſequium. Quid, quòd in Cana Galilææ mi- *Ioan. 2.*
ſerta nuptiatum vino carentium, à Filio ſuo primum omnium, (in tenuium, vt apparet, conuiuatorum gratiam) miraculum impetrarit? Hanc Mariæ miſericordiam, ſeu commiſerationem, imitari nos conuenit; idque apud Filium eius ſimiliter precibus agere, vt qui iam multis in locis aquam dumtaxat habent frigidæ rationis, præſtantiſſimum eis fi-
dei vinum donare dignetur; Vinum, inquam, (vt ille habet) quod germinat virgines. Vi- *Zach. 9.*
demus nunc in Eccleſia omnia peſſum ire, atque in dies pænè rem vergere in deterius. Nec mirum. Nam, quid eſt, quòd ſibi quiſquam emendationem aut malorum finem promittat, quando nemo adhuc (quod equidem ſciam) zelo Dei ſuccenſus, inſigni aliquo aduerſus improbos iſtos ſectarios facinore edito, diuini ſtuduit iram furoris placare?
Vbi nobis iam Phinees, Matthathias, Elias, qui quadringentos Prophetas Baal propria *Num. 25.*
manu trucidet? Vbi aliquis Ezechias, qui litteras blaſphemiarum Rapſacis coram Deo *1. Mach. 2.* *3. Reg. 18.*
expendat? Si iſthæc nos Eccleſiæ mala non tangunt, vt commiſeratione moueamur; ve- *4. Reg. 19.*
rendum ſanè, ne non ſimus de membris Eccleſiæ: cùm ſcriptum ſit; Si quid patitur *1. Cor. 12.*
vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Iam autem non vnum aut alterum Eccleſiæ membrum affligitur; ſed ipſamet propemodum tota Eccleſia perit: vt illud nunc meritò Ieremiæ gemens decantet; Abſtulit omnes magnificos meos Dominus de me-
dio mei. Idcircò ego plorans, & oculus meus deducens aquas; quia longè factus eſt *Thren. 1.*
à me conſolator, conuertens animam meam. Facti ſunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus. Prô dolor! Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius: omnes perſecutores eius apprehenderunt eam inter anguſtias. Quantum mutata eſt illa, quæ olim dicebat;
Gaudens gaudebo in Domino; & exultabit anima mea in Deo meo. Quia induit me ve- *Iſa. 61.*
ſtimento ſalutis; & indumento iuſtitiæ circumdedit me, tamquam ſponſum decoratum corona, & tamquam ſponſam ornatam monilibus ſuis. Non eò hæc dico (ne quis me ſiniſtrè intelligat) quòd ipſam Chriſti Eccleſiam, vel interire, vel internecioni proxi-
mam eſſe putem. Scio enim quod dictum eſt; Portæ inferi non præualebunt aduerſus *Matth. 16.*
eam. Et illud item; Ponam te in ſuperbiam ſæculorum, gaudium in generationem & *Iſa. 60.*
generationem. Scio ciuitatem eſſe ſupra montem poſitam; atque lucernam, quæ neque extingui, nec deprimi, addam, nec obſcurari vmquam poteſt. Floret illa, creſcit, fulget, vigetq; ſemper. Eſtque hoc illi proprium; vt in natura ſua immobilis manens, firmitatem

Hilarius in 7. De Trinit. naturæ ſuæ quotidie, dum attentatur, acquirat; tum vincat, cùm læditur; tum obtineat, cùm deſeritur; tum intelligat, cùm arguitur. Itaque, non Eccleſiæ vicem propriè, ſed noſtræ patriæ, noſtræ inquam huius Eccleſiæ vicem doleo: à nobis quippe Eccleſiam ſuam, regnumque auferre, nos deſerere, nobis valedicere velle, mihi Deus videtur. Nam quid aliud, obſecro vos, minari nobis ac indicare videntur, primùm, quòd nauſeam nobis quodammodò parit omnis eius priſca religio, vetereſque eius omnes cærimonias quaſi deridemus? dein, quòd miniſtros eius, Paſtores, Doctores, Sacerdotes, Epiſcopos noſtros, non modò contemnimus, indigniſque opprobriis oneramus, ſed & perſequimur crudeliſſimè, & extinguere penitus atque è medio auferre conamur? tum, quòd Sacramenta eius vniuerſa reiicimus, vnica ſalutis noſtræ præſidia? ad hæc, quòd ſacra eius vaſa, altaria, templa, venerandas imagines, diripimus, violamus, profanamus, proſternimus? poſtremò, quòd ipſummet Dominum & Deum noſtrum (horret animus dicere) pedibus conculcamus? Nouiſtis, quos putem; & quid velim. Verum, etſi nos (quod abſit) pro merito noſtro Deus abiiciat; non idcircò mox (ne quis eò ſibi blandiatur) peribit Eccleſia. Habet alios facilè Deus omnipotens, qui puriùs multo ac ſinceriùs ipſi ſeruiant: quemadmodum non vanis rumoribus fertur, quantum hîc deficit fides, tantum & amplius in exoticis aliis regionibus multò maximis incrementi ſuſcipere. Videlicet iuxta illud Chri-
Matth. 21. ſti pronuntiatum: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.
Act. 13. & Pauli; Vobis oportebat loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad gentes: ſic enim præcepit nobis Deus. Sed nimis fortaſſis vrgeo.

Iſta igitur nos calamitas, Auditores, hæc tanta mala Eccleſiæ noſtrę, ad commiſerationem nos prouocare meritò debent: vt aſſiduè Deum orationibus & lacrymis ſollicite-
Ezech. 34. mus, quò vel nunc tandem venire dignetur in medium ouium ſuarum diſſipatarum;
Luc. 10. operarios mittere in meſſem ſuam; exſurgere in auxilium noſtrum, & non obdormire,
Pſalm. 43. ne obruat nos fluctus ſæui maris. Gratiſſimum illi eſt, vel vnius lucrandæ animulæ zelo ſtudioque accendi; vti ex authentica Tiburtij & Valeriani hiſtoria diſcimus. Quantò igitur illi acceptius fore putamus, pro tot animarum millibus, pro totius Eccleſiæ ſalute eſſe ſollicitum? Moueant ſaltem vos, amici & propinqui veſtri, vt non moueant alia, moueant conterranei, moueant fratres, ſorores, parentes: quorum multos non dubium eſt, vel quoquo modo ſe nunc hoſtes (quod eſt grauiſſimum) præbere Eccleſiæ, vel certè in magna admodum afflictione, anxietate, & diſcrimine degere. vtcumque autem ſe ha-
Epiſt. Iudæ. beant, orationibus veſtris non poſſunt non vehementer egere. Hos quidem, inquit Iudas Apoſtolus, arguite iudicatos, illos verò ſaluate, de igne rapientes. Cernitiſne, vt ſe hodie populus Chriſtianus, tamquam furijs quibuſdam actus, cateruatim in ignem infernalem præcipitet? Annon videtis, quàm improbo labore, quantis ſtudijs, quantiſque impenſis homines perditionem ſuam, æternamque damnationem quærant? Nimirum, ingenti quodam zelo, magnoque prorſus animo opus eſt, vt malum hoc auertatur, populuſque ab æternis illis incendijs eripiatur, quæ iamdudum probè commeruit. Satis abundè datum eſt otio; non iam ampliùs fert Eccleſia deſides ignauoſque miniſtros: quamquam haud ſciam, an nomine miniſtrorum Eccleſiæ digne cenſendi ſint, qui vitam otio tranſigunt, ne quid grauius memorem.

Tempus omnino eſt, Auditores, vt qui quoquo modo idoneus eſt, ad ſubueniendum laboranti Eccleſiæ; huc ſtudia omnia conferat, huc neruos omnes intendat. Poteſt adhuc placari à nobis Diuina clementia, poteſt eius bonitas precibus calidis aliiſque veræ pœnitentiæ operibus flecti. Non vſqueadeò nobis adhuc eſt infenſus Omnipotens, cuius natura eſt (vt antè iam diximus) miſereri ſemper & parcere; vt non ſit amoturus à nobis plagas ſuas, ſi nos ſincerè viderit atque ex animo ad meliora conuerſos, & ſuum vnumquemque officium, vt decet, præſtare. Non enim vult mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur & viuat. Conuerte nos Domine, & conuertemur ad te; & ſanctum nomen tuum magnificabimus. Non tradas beſtijs animas confitentes tibi; & animas ſeruorum tuorum ne obliuiſcaris in finem: quas pretioſo tuo ſanguine redemiſti. Peccauimus quidem cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus; ſed tu Domine, qui pius es & miſericors, ne reminiſcaris delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris. Non intres in iudicium cum ſeruis tuis; quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Si enim iniquitates obſeruaueris Domine; Domine quis ſuſtinebit? Miſerere itaque Domine populi tui, ſecundùm magnam miſericordiam tuam

tuam. Et ſcimus certè, quòd ſi decreueris ſaluare nos (tametſi non mereamur) continuò liberabimur. Quod nobis concedat, qui eſt in ſæcula benedictus. Amen.

De Conceptione B. VIRGINIS MARIÆ, *quâ* FILIVM DEI *de* SPIRITV SANCTO *concepit, pius tractatus.*

DOMINE, audiui opera tua, & expaui. Conſideraui, inquam, mirabilia opera tua, & defeci. Deſcendente Verbo tuo, cor noſtrum partim præ admiratione, partim præ amore, dulcedine, & gratitudine, liquefactum eſt. Quàm nouum enim, quàm admirabile, quod, cùm medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens Sermo tuus a regalibus ſedibus venit! Verè fidelis Sermo, & omni acceptione, honore, & gratitudine dignus; quòd effudiſti, Pater cæleſtis, viſcera charitatis tuæ ſuper nos, & multitudinem miſerationum tuarum vltra cohibere minimè potuiſti. Effudiſti, inquam, lucem in tenebris, rorem in ſiccitate, & in magno gelu ignem vehementiſſimum accendiſti. Apparuit nobis Filius tuus, tamquam ciborum copia, cunctis fame grauiſſima laborantibus, & vt fons aquæ viuæ, deficientibus præ ſiti & æſtu maximo: aut certè, ſicut apparere ſolet fortis adiutor & liberator obſeſſis, iam iamque ruituris in prælio; quibus mors extrema præ oculis verſatur, hoſtili gladio comminante, & armata dextra ſitiente cruorem: ſic ille nobis apparuit, & factus eſt in ſalutem.

Sed, latiùs paulo atque attentiùs ſalutis noſtræ exordia repetamus; &, vnde venerit, quomodo deſcenderit, & vbi, quonam modo conceptus ſit DEI FILIVS, contemplemur. Licet enim omnis hæc res ineffabilis ſit & incomprehenſibilis, multa tamen inde iucundè & ſuauiter, multa etiam vtiliter, cum debita animi humilitate ac modeſtia, percipi poſſunt. Hic ſumma eſt fidei noſtræ, radix ſubſtantiæ noſtræ, lumen ſcientiæ, amoris vinculum, & patens aditus ad æterna. Et primùm quidem occurrat nobis Dauid Propheta, atque explicet, vnde venerit iſte Saluator noſter. A ſummo, inquit, cælo egreſſio eius. *Pſalm. 18.*
Quid eſt à ſummo cælo? id eſt, à Deo, qui eſt ſumma eſſentia, ſummum bonum, ſumma beatitudo. O verè ſumma eſſentia, quæ nec loco circumſcribitur, nec mutabilitate mouetur, nec tempore clauditur: ſed omnia loca maieſtate, immenſitate, determinat; omnia mutabilia mouet, propria immutabilitate; claudit cuncta tempora, æternitatis infinitate. Eadem eſſentia ſummum bonum eſt: non ſolùm per dictam immenſitatem, immutabilitatem, æternitatem; verùm etiam propter æternam conceptionem creationis, quam parturiuit in tempore; & infinitam ſapientiam, qua antequam quidquam eſſet, cuncta ab æterno diſpoſuit; & amorem ineffabilem, quo opus ſuum complectebatur, antequam produceretur in creationem. In hoc ſummo bono, ſumma item (quam diximus) beatitudo conſiſtit; quòd ſui adeptione efficit verè beatos. Eius namque participatione, vita æterna acquiritur, perfecta ſapientia tribuitur, amoris plenitudo poſſidetur: vt in æternitate vitæ, ſit plena ſinceritas; in lumine ſapientiæ, perfecta iucunditas; in amoris dulcedine, omnis completa cupiditas & voluptas. Hoc ergo ſummum cælum, de quo Dauid, vnde venit Chriſtus. Sed, quia hoc ſummum cælum, Pater; hoc ſummum cælum, Filius; hoc ſummum cælum, Spiritus ſanctus; venit igitur Chriſtus à Patre, venit à Filio, ſeu à ſeipſo, (res mirabilis) venit à Spiritu ſancto. At quomodo venit à Patre, qui numquam reliquit Patrem? quomodo à Verbo aut Filio, qui numquam Verbum aut Filius eſſe deſijt? quomodo à Spiritu ſancto, cùm Spiritus ſanctus à Patre ac Filio ipſo procedat?

Magna & difficilia hæc omnia, quis nobis aperiet? Ipſe nimirum ſolus, qui clauem Dauid habet, quem tractamus; qui aperit, & nemo claudit; qui claudit, & nemo aperit. Ipſe ſcit enim, nos hæc non curioſè, ſed humiliter ad eius gloriam inquirere. Petamus igitur, & dabit nobis (nam ſic promiſit ipſe) pulſemus, aperiet nobis; quæramus, & inueniemus. Dicimus itaque, Chriſtum venire à Patre, venire à Verbo, venire à Spiritu ſancto. Non miremini, obſecro. Hoc enim non eſt aliud dicere, quàm quòd tota beata Trinitas eius incarnationē & conceptionē operata eſt. Nihil ſiquidem aliud eſt, à ſummo cælo, à ſumma Trinitate venire, quàm operante eadē Trinitate cōcipi & incarnari. Sed aliter à Patre venit; aliter à Filio, ſeu ſeipſo; aliter denique à Spiritu ſancto: à Patre nāque genitus æternaliter, ex matre prodijt genitus temporaliter: apud Patrem manens inuiſibiliter, cum homi-

hominibus viſibiliter conuerſatus. Hoc illi fuit egredi à Patre, quod ad nos venire, noſtraque ſuſcipere,& foris viſibiliter apparere,& fieri quod ex Patris natura non erat. Itaque (quod dicta mirabile eſt) ab eo venit, à quo non recedebat; ab illo egrediens, in quo remanebat; vt ſine interuallo totus eſſet in æternitate, totus in tempore; totus in Patris maieſtate,& totus in noſtra humilitate. Si quæris, quomodo? collige veritatem ex imagine. Verbum in corde genitum, perfecte exit in ore, vt integrum quoque ad alios veniat, & in omnium audientium auribus ſonet; & tamen totum in corde proferentis remaneat: ſic Verbum bonum de corde Patris eructatum, & in mundum exijt, & Patrem non reliquit.

Venit quoque Verbum à ſe, deſcenditque ſub ſe, quando caro factum eſt, & habitauit in nobis; quando ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens. illa exinanitio, à ſe deſcenſio fuit. ita tamen deſcendit, vt ſibi non deeſſet. ita caro factum eſt, vt Verbum eſſe non deſineret; nec humanitatis aſſumtio minuit gloriã maieſtatis. Sciendum nunc, quomodo à Spiritu ſancto venerit, cùm Spiritus ſanctus ab eo procedat. Procedit igitur ab illo quidem Spiritus ſanctus, æterna proceſſione; ſed, vt naſceretur de Maria Virgine, venit de Spiritu ſancto temporali conceptione. De æterna proceſſione Spiritus ſancti, per

Pſal. 32. Pſalmiſtam ſic dicitur: Verbo Domini, cæli firmati ſunt; & ſpiritu oris eius, omnis virtus eorum. Verbum Domini os Domini nominauit, in quo ſemel Pater locutus eſt: Spiritum oris, ſpiritum ſanctum appellauit, quòd ab ore procedat. Quòd autem Verbum de

Abac. 4. Spiritu ſancto venerit, ſic habetur in Abacuc, Deus ab Auſtro veniet,& ſanctus de monte Pharan. Per Auſtrum, in quo eſt vitalis calor, virtuſque genitiua, Spiritus ſanctus deſignatur; qui confert vitæ nouitatem, faciens oriri germina virtutum. Idem Spiritus, mons dicitur, propter excellentiam charitatis; Pharan, propter gratiarum diuiſionem. Spiritus enim ſanctus eſt, qui dona ſua ſingulis tribuit, prout vult. Venit ergo Deus ab Auſtro, quia de calore viuificante & regenerante conceptus eſt. venit de monte Pharan; de ineffabili celſitudine diuiſionis chariſmatum emanante profluxit. Sed, dic nobis clariùs,

Dan. 2. Daniel ſancte, quomodo de hoc monte deſcenderit. Præciſus eſt, ait, lapis de monte, ſine manibus. Quis lapis? Lapis, quem reprobauerunt ædificantes; lapis angularis, qui facit vtraque vnum; lapis, quem vnxit Iacob: lapis, in quo ſunt ſeptem oculi. Hic præciſus eſt de monte, ſine manibus; quia Virgo ſacra ſuſcepit eum, non ab homine, nec per hominem, ſed de Spiritu ſancto.

Audiuimus igitur, vnde deſcenderit: nunc nobis idem Dauid modum deſcenſionis

Pſalm. 71. eius aperiat: Deſcendit, inquit, ſicut pluuia in vellus; & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Pulcherrima ſanè verba, & plena myſterijs iucundiſſimis: videamus ſingula. *Primùm* autem dicendum, quodnam hoc vellus; deinde, quæ terra; qualiterque *pluuia* deſcendit in vellus, & quomodo ſtillicidia ſtillant ſuper terram. Vellus, cùm ſit de carne, excreſcit ſupra carnem, & carnis paſſiones ignorat: attactu leni, & colore humili, manſuetudinem ac humilitatem deſignat: formæ quoque habilitate, ſimplicitatis & innocentiæ gerit indicium; & naturali calidoque velamine, membrorum tegit fouetque teneritudinem. Denotat autem vellus glorioſam Virginem, quę in carne degens, extulit ſe extra carnem, & carnis paſſiones ſpiritus virtute ſuperauit: manſuetudine & humilitate nulli ſimilis fuiſſe dignoſcitur: ſimplicitatem eius atque innocentiam dicere nemo ſufficiat: charitatem, qua humanum genus inceſſanter fouet & protegit, mentis noſtræ intelligentia non comprehendit. Porrò præfata terra eamdem virginem Mariam demonſtrat. Sicut enim vetus Adam, de terra incorrupta, nullumque paſſa contagium, forma-

Pſalm 84. tus eſt; ſic incorrupta Virgo nouum Adam produxit. Sic enim rurſum Dauid: Veritas de terra orta eſt O rem nouam, de terra oriri illum, qui eſt veritas! Nunc breuiter, quomodo pluuia deſcendat in vellus, & qualiter ſtillicidia ſuper terram decidant, attendamus. Pluuia deſcendit in vellus, abſque ſtrepitu, abſque motu vellerum, ſine vlla ſciſſione, vel diuiſione: leniter infunditur, tranquillè ſuſcipitur, ſuauiter ac molliter bibitur. Sic ſtillicidia ſenſim & paulatim irrorant, ac madefaciunt terram, tam mirabili decurſu, tantaque ſubtilitate, vt in introitu vix pateant, & in exitu germina producant. Sic cæleſtis ille imber Chriſtus deſcendit in vterum Virginis, ſine humano opere, ſine motu concupiſcentiæ, ſalua virginis integritate, clauſtriſque vteri obſeratis & integris: leniter infuſus eſt, tranquillè ſuſceptus, ineffabiliter incarnatus. Stillauit quoque ſuper terram eius, in introitu non comparens, & in exitu prodiens manifeſtè. Sunt ad hæc, tantæ rei & aliæ ſimilitudines. Vt enim radius ſolis vitrum abſque læſione penetrat, & claræ aquæ abſque

ſciſſione

ſectione vel diuiſione immergitur, vt ad fundum vſq; vniuerſa rimetur; ſic Dei Verbum adijt virginis habitaculum, & inde prodijt, clauſo virginis vtero. Quippe, qui facilè poſſet extra virginem corpus creare ex nihilo; facile potuit corpus acceptum de virgine, extra ullam carnis corruptione vel læſione efferre. Neque enim legi naturæ ſe ſubdidit, qui naturæ leges poſuit.

Audiſtis, vnde deſcenderit Verbum, & quomodo deſcenderit: nunc tertium ſatis etiam intelligitis; quò nimirum deſcenderit: nempe, vt diximus, in virginis vterum: vterum ſanctum, impollutum, inuiolatum, conſecratum manu vnctionis diuinæ. Ibi carni noſtræ ſociatum, copulatum naturæ noſtræ, impleuit ſacratiſſimum & ſecretiſſimum ſacrarium; vt eſſent duo in carne vna, vnoq́ue cótubernio inſeparabili Deus & homo fruerentur. Factus eſt Deus inuiſibilis, viſibilis homo: impaſſibilis & immortalis, paſſibilé ſe & mortalé exhibuit: incircumſcriptus & immenſus, quemq; cæli & terrç amplitudo non capiunt, Mariæ viſcera & anguſti clauſtra vteri comprehendunt. Si quæris; quomodo factum eſt iſtud? Audi cæleſtem legatum, paranymphum angelicum, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te; & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Superueniet, non ſolùm tibi; ſed & in te. O quàm felix es, Maria! & verè ſuper omnes mundi feminas benedicta! Et quàm felices omnes nos per te futuri ſumus! Dum oras enim, dum lacrymas pro humani generis redemtione effundis, dum ſuſpiras, & damna dilationis deploras, dum dilecti tui & mundi Saluatoris turbaris abſentia, dum illam miraris virginem, illam videre, illi inſeruire deſideras, cui illud decus, ille honor, illa continget gratia, vt mundi concipiat & pariat Redemtorem; ecce, ſuperuenit in te Spiritus ſanctus, vt inopinato perfruaris gaudio, & noua atque incomprehenſibili lætitia perfundaris. Spiritus, inquit, ſanctus ſuperueniet in te; & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. In te, inquam, vt propiùs inuiſat te; vt totam te repleat. nuntiat tibi verbum bonum, verbum plenum ſuauitatis & admirationis: plenum altiſſimi conſilij, plenum gratiæ, plenum gaudij & ſalutis. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, vt à tactu eius venter tuus (vt eſt in Cantico) cótremiſcat, vterus intumeſcat, gaudeat animus, floreat aluus. Gaude & exulta, quæ tali ſuauitate perfrueris; tam ſancto & cęleſti dignaberis oſculo, tali ſponſo copulaberis, à tali marito fecundaberis. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te; in alios multos Sanctorú venit, in alios veniet, in te verò ſuperueniet; quia præ omnibus, & ſuper omnes elegit te, vt ſuperes vniuerſos, qui ante te fuere, vel poſt te futuri ſunt, gratiæ plenitudine. Impleuit quidem Abel tantá innocentiâ, vt innocens manibus, & mitis corde, de manu fratris necem ſuſciperet: tua verò innocentia, millia nocentium innocentiæ reddidit & ſaluti. Tranſtulit quidem Enoch in cælum, vel in locum quem ipſe nouit; ſed caro, quam generabis, cùm aſſumta fuerit à terra, omnia trahet ad ſe. Impleuit Abraham fide & obedientia profutura poſteritati; ſed fide tua & obedientia mundus ſaluatus gratias agit. Impleuit Moyſem, & legis, non gratiæ latorem inſtituit; tibi autem tribuit, non ſolum legis omnis bonæ auctorem, ſed omnis etiam gratiæ largitorem. Adſciuit Dauid in Prophetam & Regem; ſed ille, Filium tuum Dominum ſuum nominat. Quid plura commemorem? omnes ſuperas, præſtas vniuerſis, non ſolùm hominibus, ſed ſummis quoque Angelorum ordinibus. Hinc eſt, quòd glorioſius, præ illis omnibus, nomen hereditabis. Nam, cùm alius dicatur Angelus Dei, alius Propheta, alius præco, & ſuo quiſque cenſeatur nomine, pro ordine & dignitate; tu verò ſingulari & ſpeciali nomine appellaberis Mater Dei, & ideò, mater ſalutis, mater gratiæ, mater miſericordiæ. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te; ſuperueniet in vbertate, in affluentia, in plenitudine carnis & animæ. Cumq́ue repleuerit te, erit adhuc ſuper te, & ſuper aquas tuas feretur, facturus in te quiddam melius & mirabilius, quàm cùm ferebatur ſuper aquas à principio, vt materiam creationis in diſtinctionem formamq́ue produceret. Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Obumbrabit tibi Chriſtus, Dei virtus & ſapientia. Ille humanam de te naturam ſuſcipiet; & plenitudinem diuinitatis, quam ferre non poſſes, teget in carnis ſuſceptione. Obumbrabit ergo tibi, quia luci inacceſſibili aſſumta à Verbo humanitas ſe obijciet, cuius obiectu lux illa temperata, caſtiſſima viſcera tua perfundet.

Sed, dic nobis, Maria, Virgo benedicta, materq́ue mirabilis: libet enim te vnum adhuc quiddam interrogare. Scio enim, ô Domina benigniſſima, non aſpernaberis ex pietate quærentes; non reücies cum charitate pulſantes, cum humilitate rogantes. Obſecro igitur, quo affectu mouebaris, quo amore tenebaris, quibus æſtibus concitabaris, cùm hæc fierent in te, & Verbum Dei carnem ſumeret ex te? vbi tunc erat anima tua, vbi mens,

vbi

vbi cor tuum? vbi ſenſus, vbi ratio, vbi & memoria tua? Nimirum a[illegible] olim oſtenſus fuit Moyſi, & non comburebaris; liqueſcebas, vt dilect[illegible] & non conſumebaris. Quam mirabiliter inflammabat te ignis il[illegible] c[illegible] bat, inquam, & incendebat; non imminuens aut conſumens te, vt res al[illegible] ſed vire[illegible] per maiores addens. Ignis il[illegible]e, luminis rotem exhibuit [illegible]os lu[illegible]noſus vnctu[illegible]em [illegible] vnctio ſemen ſanctum præſtitit, in quo omnes gentes benedicerentur. Hæ[illegible] Virgo pulcherrima & ſanctiſſima, ſtrictis amplexibus auctori pulchritudinis, & [illegible] quiddam effecta, quàm virgo, longeque plu[illegible]am vi[illegible], nimirum, mate[illegible] & v[illegible] mirabile ſemen cæleſti ac Deifica [illegible]utione ſuſcepiſti. AVE igitur, GRATIA PLENA [illegible]MINVS TECVM, BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS, ET BENEDICTVS FRVCTVS VE[illegible] TVI IN ÆTERNVM.

Cant. 7. Felix aluus beatæ Mariæ, de qua dictum eſt; Venter tuus vt aceruus [illegible], v[illegible] lilijs. An non vt aceruus tritici venter eius, qui grano illo intumuit, quo omnis r[illegible]ſum ſeges excreuit? In fonte quippe baptiſmatis, peccatis & nobiſipſis mortui, per [illegible]crum regenerationis, Christo renaſcimur, vt ei viuamus, qui pro omnibus mort[illegible] Ergo, ex vno grano multæ ſegetes; ex aluo autem virginis Mariæ granum illud [illegible]dum ac ſuperbenedictum. Rectè ideò aceruus nominatur. vi ſeminis, non nume[illegible] virtute, non pluralitate. Lilijs autem vallatus dicitur, eo quòd vte[illegible] pe[illegible]tegritas Scripturę ſacris eloquijs comprobetur. Quid enim ſunt aliud ſacra eloq[illegible]ia [illegible] quædam lilia, emanantia candorem puritatis, & gratum odorem ſuauitatis [illegible] Hinc enim eſt quòd Verbum Patris, candor lucis æternæ nominetur. Et de di[illegible] eloquiis per Pſalmiſtam dicitur; Eloquia Domini, eloquia caſta, &c. De odore au[illegible] ſcriptum eſt; Curremus in odorem vnguentorum tuorum. Eloquia namque Do[illegible] vnguenta pretioſiſſima ſunt, quibus morbus animarum expellitur, quibus c[illegible]ng[illegible] v[illegible]nibus medicina adhibetur: de quorum item odore ſcriptum eſt; Odor vnguentorum tuorum, ſuper omnia aromata.

De differentia partus EVÆ, *&* MARIÆ VIRGIN[illegible] *deq́; gaudijs* MARIÆ, *& modo, quo ſe habuit in partu* CHRISTI.

EVA parit corrupta, Maria integra & incorrupta. Eu[illegible] dol[illegible] Ma[illegible] in voluptate & ſalute: Eua in vetuſtate, Maria in nouitate [illegible] Dominum: illa reum, iſta iuſtum: illa peccatorem, [illegible] pe[illegible]a mundi. Euæ partus mortes multiplicat; Mariæ [illegible]. E[illegible]æ parturienti draco inſidiatur; Marię partui ab [illegible]ratur. Eua quos parit, multis exponit caſibus; Maria quem parit, ſaluat à [illegible] omnibus. Eua pariente, abundauit malitia; parturiente Maria Virgine, ſuperabundauit gratia. In partu M[illegible]æ, cæli lætati ſunt, & terra exultauit, infernus etiam commotus expauit. Cæl[illegible] lætan[illegible] dederunt ſtellam, atque Angelorum glorioſum exercitum, collaudantem, & dicentem; Gloria in excelſis Deo. Exultans terra dedit paſtore[illegible] glorificantes, & Mag[illegible]s adoran[illegible] ac munera offerente[illegible]. Infernus commotus excitauit [illegible]egem impium, & ſat[illegible]lites in necem innocentium puerorum graſſantes. Ita pariente Maria, boni lætati ſunt, & mali turba[illegible] quoniam ille naſcebatur, qui bonis præmia virtutis redderet, & malos debita v[illegible]e p[illegible]niret. Adeoque exiſtimandum eſt, quando Maria peperit, fac[illegible] in totiu[illegible] vniue[illegible] fiſſe, & lætum orbem ſuo applauſiſſe Domino: cælum, abſterſis nubibus, induiſſ[illegible] d[illegible]rem; & ſidera dicentia, Adſumus, luxiſſe ei cum iucunditate: noctem effudiſſ[illegible] in tenebris, & pro caligine miniſtraſſe ſplendorem ſplendorem, inqua[illegible], qui[illegible] ſolis obnubilat. De hac nocte, per Pſalmiſtā dicitur; Nox ſicut dies illuminabitur: & Nox illuminatio mea in deliciis meis, &c. Fulgebat aëris grata & pacata temperies: & cuncta parata in ordine ſuo, auctorem ſuauitatis & pacis veniſſe teſt[illegible]antur.

An mirum eſt, in ortu Chriſti cuncta elementa pacata, quę in morte eius t[illegible]ta [illegible] leguntur? Quomodo? Illo moriente turbarentur, & illo naſcente non pacarentur. [illegible]rientem ſuo ſenſu ſentirent, & naſcentem neſcirent? Si autem illo naſcen[illegible] cuncta [illegible] ſunt, mater eius, putas, qualiter lætabatur! ſi cuncta gaudebant, illa quanto gaudio [illegible]

ba[illegible]

batur: Lingua balbutit, cor refugit, ſenſus expaueſcit ad pondus tantæ lætitiæ. Quomodo enim vas adhuc fragile & mortale, tantam vim gaudiorum poterat ſuſtinere? Sed ille obumbrabat illi in ortu ſuo, qui in conceptione obumbrauerat. Ille dabat ſufferentiam gaudiorum, qui affluentiam præſtabat: &, quam gloria maieſtatis replebat ineffabili abundantia, virtus Diuinitatis mirabili potentia continebat.

Cùm igitur natum repromiſſum edidiſſet, diemque ex die peperiſſet; conuerſa ad Deum toto corde, vocem gratiarum & laudis ſuæ auditam fecit in excelſo: obtulit gratum ſacrificium labiorum, & hoſtiam iubilationis immolauit. Amplectens verò dulcibus & puris manibus fructum ventris ſui, natumque Emanuel, lucem adſpexit incomparabiliter ſole pulchriorem, & ſenſit ignem aquis inexſtinguibilem. Suſcepit in teſta carnis genitæ ac mortalis, fulgorem illuminantem omnia: & portare meruit inter brachia, quo portantur & ſuſtinentur cælum & terra. Repleta igitur ſcientia Domini, ſicut aqua maris inundantis, rapitur extra ſe; & mente ſurſum eleuata, altiſſima contemplatione defigitur. Miratur, ſe virginem aſſumtam in matrem; & Dei altiſſimi genitricem ſe læta obſtupeſcit. Intelligit, in ſe completa Patriarcharum promiſſa, Prophetarum oracula & Patrum veterum deſideria; qui Chriſtum de virgine naſci præconabantur, ortumque eius votis omnibus expectabant. Videt Dei Filium ſibi commendatum, & mundi ſalutem ſibi creditam lætatur. Audit dicentem ſibi, & in ſe loquentem Deum Patrem cæleſtem; Ecce, quomodo elegi te, ex omni carne; & inter omnes mulieres benedixi tibi; cui vni pretioſiſſimum theſaurum meum, Filium meum vnicum, commendaui. Noli timere lactare quem genuiſti; educate quem peperiſti. Agnoſce non meum ſolùm, ſed tuum etiam filium. Filius meus ex æterna Diuinitate, filius tuus ex nunc aſſumta humanitate.

Quo itaque affectu & ſtudio, qua humilitate & reuerentia, qua dilectione & deuotione id expleuerit, omnibus incognitum; illi ſoli, & Deo notum. Sæpè oblita eſus & potus, ſpretaque corporis neceſſitate, noctes inſomnes agebat, vt Chriſtum mente cogitaret, Chriſtum in carne videret; cuius ardebat deſiderio, flagrabat obſequio. Sæpè agebat, quod in Cantico ſcriptum eſt: Ego dormio, & cor meum vigilat. Carne quidem leuiter dormiebat, animo vigilabat; & vigilans in iiſdem ſe inueniebat; & artus ſopori concedens, in pace in idipſum dormiens requieſcebat. Vbi erat theſaurus eius, ibi & cor eius: vbi gloria, ibi conſcientia. Diligebat Deum ac Filium ſuum, verè ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus ſuis. Videbat oculis, & manibus tractabat verbum vitæ. Felix, cui præſtitum eſt, fouere eum, qui fouet ac nutrit omnia; portare portantem vniuerſa; lactare filium, qui lac ipſis infudit vberibus; paſcere cuncta paſcentem! Pendebat à collo eius, Patris ſapientia, verè dulciſſimum onus; & in humeris eius, virtus mouens cuncta reſidebat. Stabat in ſinu materno paruulus IESVS; & in gremio quieſcebat virgineo, cunctarum requies animarum. Aliquando ſubnixo capite, læua dextraque tenentem vultu placidiſſimo Genitricem adſpiciebat, quem deſiderabant Angeli videre; & blando murmure matrem inuocabat, quem omnis ſpiritus in neceſſitate inuocat. At illa, repleta Spiritu ſancto, ſanctum pueri pectus, ſuo pectori copulabat; & faciem illius, ſuæ faciei applicabat. Nonnumquam oſculabatur manus & brachia; & materna confiſa licentia, ab eius ore dulciſſimo, ſanctiſſima ac ſuauiſſima oſcula carpebat. Non ſatiabatur viſu, nec implebatur auditu, qui illum videbat & audiebat, quem multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt; audire, & non audierunt. Proficiebat igitur magis ac magis in amore; & animus inardeſcens, mente peruigili diuinis obtutibus inhærebat. Non labores, non dolores, non diſcrimina, non neceſſitatem aut penuriam, non formidines aut mortes, non Regis crudeliſſimi furorem, non fugam in Ægyptum aut reditum pro Nati amore formidabat. Erat gratiſſima in opere, lætiſſima in actione, promtiſſima in obſequio, deuotiſſima in miniſterio, & humillima in famulatu. In cunctis proſperè agebat; cuncta ſtrenuè & ſapienter adminiſtrabat. Vniuerſa humanitatis officia, vultu ſereno ac mente tranquilla percurrit. Nam, ſicut in theorica nulli ſimilis exſtitit, ſic in actiua vita ſimilem non inuenit.

Sed, quid agimus, aut dicimus de MARIA? vincimur, & nos vinci gratulamur. Valdè ſupra nos eſt, quod tentamus. Hîc igitur taceamus, & virgineam matrem, per arcana gaudij, & ineffabiles amores eius, quos ſingulari priuilegio meruit, rogemus; vt maternæ pietatis affectum nobis impendat, & pro peccatis noſtris apud Filium ſuum, Dominum noſtrum, intercedat. Amen.

DE ASSVMPTIONE B. MARIÆ;
Quare vnà cum Chriſto non aſcenderit in cælum.

COGITANTIBVS multis, & ſæpiùs animo retractantibus Dei genitricis Aſſumptionem, quæſtio ferè ſemper occurrit, quæ digna inquiſitione, vtilis inuentione, dulcis admodum euadit communicatione. Quæritur enim, cur aſcendente in cælum Domino, mater eius, quæ tãto eum complectebatur affectu, nõ ſtatim ſecuta eſt. Cùm ſiquidem nulla peccati nube depreſſa, nulla vitæ macula reſperſa, ſuper ignem ruberet ob charitatem, luce clarior eſſet ob caſtitatem, ipſis quoque admiranda cæligenis ob virginei partus nouitatem; mirum videtur, cur non ſtatim cum Filio in cælum eleuabatur. Certè, Enoch cum cordis munditia, cum Deo ambulauit; & non comparuit; quia tranſtulit eum Deus. Helias quoque nimio diuini amoris zelo ac amore ſuccenſus, curru igneo, equiſque igneis, in cęlum raptus memoratur. Hæc verò, excedens Enoch cordis munditia, & amoris prærogatiua longe maior Helia; quare cum illo, quem genuit, non illicò in cælum effertur? Erat namque plena gratia, & inter mulieres benedicta. Deum verum, de Deo vero, ſola meruit concipere, quem & virgo peperit, virgo lactauit, fouit in gremio, eique in omnibus dulciſſimo miniſtrauit obſequio. Paſſa eſt denique, magis ſpiritu quàm carne, cum moriente; reuixit ſpiritu cum reſurgente; & cur item non aſcendit cum aſcendente? Eius namque ſacratiſſima caro, quæ de Spiritu ſancto grauida fuit, quę germine magnifici Regis intumuit, in qua Deus homo Verbum caro factum eſt, & mediante Chriſto manſit in ea diuinitatis plenitudo corporaliter; aſſumto Domino, cælo certè etiam miſcenda videtur. Quorſum enim retardata eſt, vel ad horam vnam, aut paſſa Nati diuortium? vt quid dilatum eſt, feruentius igne, tam ſanctum eius deſiderium?

Nimirum, quoniam iſta dilatio, diſcipulorum Chriſti non minima conſolatio fuit. Iſta ſiquidem dilatio matri nihil minuit, & mundo ſalutis remedia contulit. Voluit enim Dominus IESVS, vt ipſo ad Patrem redeunte, Apoſtoli materno ſolatio & eruditione fruerentur. Qui quidem, licet edocti eſſent à Spiritu, ab illa tamen etiam poterant mirificè edoceri, quæ mundo iuſtitiæ ſolem edidit, & fontem ſapientiæ, ex prato virgineo, alueo intemerato, produxit. Mira denique pietate primitiuæ Eccleſiæ prouiſum eſt; vt, quæ Deum in carne hac præſentem minime cerneret, matrem eius viſu iucundiſſimo recreata videret. Quid enim tam iucundum, quid tam decorum, quàm matrem *Plaſmatoris* & Redemtoris omnium intueri? Nam, ſi ſepulchrum eiuſdem noſtri Saluatoris ita viſu delectabile eſt, ſi lapis, in quo ſtirps ſancta Ieſſe requieuit, tanta expe[...]bilis celebritate, vt animos & affectus cunctorum prouocet in ſe, & quadam pietatis arte trahat ad ſe omnia; quæ vel qualis erat lætitia, Dei genitricem cernere, quamdiu eam diuina pietas communi ſorte degentem nobiſcum conceſſit in terra? Beata gens, & felix generatio, quæ tali ſpectaculo meruit illuſtrari; quæ illius meruit præſentia & conſortio decorari, in cuius medio conſtitit arbor vitæ, quæque genitrix effulſit lucis æternæ. Apparuit puteus ille clauſus, & fons ſignatus; de quo egreſſus eſt fons domui Dauid patens, in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ. Hoc inſigne priuilegium, hæc prærogatiua ſingularis Eccleſiæ primitiuæ contigit.

Denique Virgo mater, omnium in ſe chariſmatum commercia deferebat. Primo namque adſpectu, ſcintillás ſacri amoris ignibus, proximorum pectora ſuauiter exurebat; animis fidem ſuggerebat, ſuadebat verecundiam, inflectebat ad pietatem: ſpirabat florem virginitatis, ſeminabat nouale caſtitatis; depingens oculis habitum humilitatis, præferens iudicium veritatis. Splendor indeficiens in circuitu eius, & ig[ne]is exardeſcens à facie eius. Fluuius igneus rapiduſque egrediebatur ab ea; qui hoſtes ſuccenderet, amicos confoueret, iuuaret proximos, concremaret inimicos. Fertur ab ijs, qui nouerunt naturas animantium, quòd ſolo viſu flatuque mortifero vicina quæque ſibi regulus venenatus interimat. Sic illa, modo contrario, diuini igne caloris vehementer accenſa, & Verbi flammigerantis repleta incendijs, odorem reuiuificantis gratiæ, ijs qui longè, & ijs [qui] propè commanebant, exhalabat. Et alijs quidem (id eſt, aduerſarijs) erat odor mo[rtis in] mortem; alijs verò (id eſt, credentibus in Filium ſuum) odor vitæ in vitam. Sicut enim in Eua omnes moriuntur, ſic in MARIA omnes viuificãtur: & ſicut Euę ſcelere fit mundi dam-

di damnatio, ita fide MARIÆ orbis reparatio. Illa infecta fuit veneno lethali, quod tranſfudit ad poſteros; hæc perfuſa vitali antidoto, quod ad fideles tranſmiſit vniuerſos. Corruit illa, male credula ſerpenti, ſurrexit iſta, & iuxta verbum quod dixerat Deus, contriuit caput ſerpentis: ab initio prænuntiata, & nunc Eccleſię primitiuorum donata: ex tunc repromiſſa, & in temporum fine exhibita. Quis ergo non properaret, quis non curreret ab extremis terræ, reuerendæ maieſtatis decus adſpicere & vultum omnimoda ſuauitate, imperiali dignitate, & ſingulari prędictum poteſtate videre? Quippe nihil inueniebatur illi ſimile, in filijs & filiabus Adæ nil ... le in Prophetis etiam aut Apoſtolis. Nihil illi comparandum, cælum aut terra dedere. Quis enim ſimilis foret matri Dei, etiam inter filios Dei?

Et vide quàm recto ordine, ante aſſumtionem eius, effulſit nomen eius in vniuerſa terra; & fama eius celeberrima vbique diffuſa eſt priuſquàm eleuaretur magnificentia eius ſupra cęlos. Decebat enim matrem Domini Virginem, & ob Nati ſui honorem primò terris regnare, & ita demum cælum cum gloria penetrare: dilatari in infimis, vt & ſuperna in plenitudine ſancta conſcendere: transferri, ſicut de virtute in virtutem, ita de claritate in claritatem, à Domini ſpiritu. Igitur, in carne præſens, futuri regni primitias prælibauit: & nunc accedens ad Deum ineffabili ſublimitate, nunc proximis condeſcendens inenarrabili charitate; inde Angelicis frequentabatur officijs, hinc humano famulatu venerabatur. Aſſiſtebat enim paranymphus Gabriel, cum choris Angelicis: Ioannes ei (gaudens ſibi virgini matrem Virginem commendatam) cum ceteris Apoſtolis, miniſtrabat: illi Reginam, iſti videre Dominam lætabantur; & vtrique, pro deuotionis affectu, obſequebantur. At, illa reſidens in arce ſublimiſſima virturum, & pelago diuinorum affluens chariſmatum, abyſſum gratiarum, qua cunctos exceſſerat, credenti & ſitienti populo largiſſima copia profundebat. Salutem namque corporibus & animis medelam afferebat, potens ſuſcitare à morte carnis & animæ. Quis vmquam ab ea æger, aut triſtis, aut ignarus cæleſtium myſteriorum abſceſſit? quis non lætus & geſtiens ad propria redijt, impetratis à matre Domini omnibus quæ petiuit? MARIÆ præſentia gratam veris præſentiam exhibebat; & quoquò ſe verteret paradiſus deliciarum erat. Emiſſiones tuæ, ait ſponſus, paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus; Cant. 4.
cypri cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum, cum vniuerſis lignis Libani; myrrha & aloë, cum omnibus primis vnguentis: fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Habet quippe paradiſus glorioſæ Virginis, mala punica in varietate virturum; fructus pomorum, in perfectione operum: habet cyprum cum nardo; illam fertilem vuarum, hanc miri odoris herbam aromaticam: ad ſobriam ebrietatem ſenſuum, & ſuauefragrantem opinionem virturum. His adduntur crocus lætitiæ, fiſtula exſpoliationis carnis, cinnamomum ſuauitatis, cum vniuerſis lignis Libani; per quæ vniuerſitas bonorum operum deſignatur. Myrrha quoque mortificationis, & aloë incorruptionis, cum omnibus primis vnguentis effuſis in oratione, ab illo vnguento, quod conſiſtens in capite, deſcendit in barbam, barbam Aaron; non illius veteris & ſignificantis, ſed noui & ſignificati: deſcenditq; in oram veſtimenti eius, quod eſt Eccleſia; exhibita ipſi vero Aaroni, iuxta Paulum, ſine macula & ruga. His ergo tantiſque bonis exuberans ſponſi mater, ſuauis & chariſſima in delicijs, vt fons hortorum rationabilium, & puteus aquarum viuentium, & viuificántium, quæ fluunt impetu de Libano, à monte Sion vſque ad circumfuſas & exteras quaſque nationes, pacis flumina, & gratiarum emanationes, cęlica denuabat infuſione. Vnde beatus Dauid, cùm de Filio eius, Domino noſtro, loqueretur; Erit, inquit, in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis: aperte deinceps adiungẽs; Donec auferatur luna. Luna quippe ipſa eſt, quę cælo terriſque irradians, aſtris Sanctorum ſupereminet vniuerſis. Donec, ait, auferatur luna: quæ, eleuato Sole iuſtitiæ, ſtetit in ordine ſuo; & prima Eccleſiæ primitiuorum inſulſit. Tradit fides maiorum, iuxta veritatem hiſtoriæ, ab ortu Saluatoris, vſque ad tranſitum Virginis glorioſæ, terrarum accolas, ſopita armorum rabie, continua ac tranquilla pace quieuiſſe. Hæc igitur breuiter, pro ſolutione propoſitæ quæſtionis; vt, quo fine & fructu genitrix Regis noſtri dilata ſit, monſtraremus.

Aduertendum eſt etiam, ex hac eius dilatione, vt quæque fidelis anima, vulnerata charitate, & iaculis Diuini amoris confoſſa, diſcat non murmurare, ſi eam contigerit non mox ad vota migrare. Ecce, differtur mater Domini; quis audeat querulari? differtur, vt proficiat; & proficit perſeuerando fideliter. Amori enim vel operi iuncta perſeuerantia,

 pleni-

plenitudinem creat, parit perfectionem. Hinc eſt,quòd voce Pſalmiſtæ de iuſto dicitur; Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur. Palma emenſo numeroſo ſpatio florere dicitur,& cedrus Libani annoſo prouectu multiplicatur. ſic iuſtus,animo caneſcens,vt palma florebit diuturnitate. Hinc idem ſubdit; Adhuc multiplicabuntur in ſenecta vberi,haud dubiè iuſti. Aduertendum itaque,optimi meriti ac ſingularis iuſtitiæ Mariam, quæ ſuper Angelos meruit exaltari,prius hîc in ſenecta vberi debuiſſe multiplicari. Quod vbi prouenit ex Diuino munere,abſconditus honor eius & forma quam geſſit in occulto, effecta luce clarior, omniq́ue elegantia præſtantior, ora in ſe ſupernorum ciuium animoſq́ue mirabili dilectione conuertit.

Iam verò, quis dignè laudibus efferat ſacratiſſimam eius aſſumtionem? quis fando explicet,quam læta migrauit à corpore? quàm læta vidit Filium,quam gaudens properauit ad Dominum,Angelorum vallata choris, Apoſtolicis fulta obſequiis; dum Regem cerneret in decore, & natum cum gloria ſe præſtolantem videret, ſicut expers totius corruptelæ, ſic immunis ab omni moleſtia? De carnis habitaculo educta eſt,perenniter habitatura cum Chriſto. Tranſiit autem in viſione Dei,& beatiſſimam illam animam ſole clariorem, cælo celſiorem, Angelis digniorem virtutis, Domino exhalauit. Enimuerò in tranſitu eius glorioſo illuſtratur mons Sion, vbi prouecta dierum, deceſſit in ſenectute bona. Ibi expleuit munus vitæ, dans plenam atque perfectam virtutum omnium conſummationem. Ibi orienti magis quàm morienti, & abituræ potiùs quàm obituræ,occurrunt caſtra Dei; & ruunt obuiam ei exercitus militiæ cæleſtis. O quàm pretioſa in conſpectu Domini,mors genitricis ipſius? Quæ vita adæquabatur morti, quæ gaudia funeri eius? Addas licet mundanos honores, addas pompam funebrem, conuiuia ac feſta trophæa; addas omne quod demulcet & delectat; his tamen omnibus iucundior atque ſuauior eſt. Eſt enim hæc eius ſuauis obdormitio,abſolutio à carne mortali,via ad vitam perpetuam,nihil habens doloris, acerbitatis nihil,nihil formidinis. fouet potiùs, pro dolore; delectat,pro acerbitate;& pro metu,firmat in littore fidæ ſtationis. Nec tenebras inducit, quæ lumen æternum aperuit; nec vitam tollit, quæ dirigit ad fontem & auctorem vitæ perpetuæ. Hac & tam glorioſa morte migrauit; ſi tranſitum ad vitam veram, mortem liceat appellare. Vita eſt enim potiùs, vbi ſola mors moritur; vbi corpus mortis exuitur; vbi vita carnis, pia quiete defuncta, fœnore multiplici in poſterum reſeruatur. An non vita,cùm itur ad fontem vitæ;& vita æterna à vita,perpetu meatu,hauritur? Hoc hauſtu indeficiente præuenta eſt, ante deceſſum, mater virgo; ne in ipſo tranſitu, vel leuiſſimo mortis guſtu tangeretur. Egrediens itaque inuenit vitam,ne videret mortem;vidit Filium glorioſum,ne carnis abſceſſu doleret. Euadens ergo libera, in tam feliciſſima viſione, & potita optato vultu Dei, venerandos ciues cæli in ſui obſequio & deductione paratos inuenit. Mirantur illi animam meriti ſingularis exutam æterna labe, nullam carnis aut ſæculi maculam gerere. Mirantur exutam artubus, gratia totius puritatis candere. Quid enim primùm laudent in ea: integritatem,an humilitatem? prudentiam, an charitatem? robur mentis,an patientiam? honorem matris, an partus nouitatem? ſed virtus omni ex parte integra, & gratiæ magis in eo plenitudo laudatur. Vnde Dominus,aſſiſtens egredienti de corpore, ita prædicat laudes eius; Tota pulchra es,amica mea, & macula non eſt in te. Tota,ait,pulchra es: pulchra in cogitatu, pulchra in ſermone, pulchra in actu: pulchra ab ortu vſque ad finem, pulchra in conceptu virgineo, pulchra in partu Diuino: pulchra in rubore paſſionis meæ, pulchra in candore reſurrectionis. Surge ergo, amica mea, formoſa mea, columba mea, immaculata mea, & veni. Iam enim hiems tranſiit, abſentiæ meæ; imber abijt, lacrymarũ tuarum; & redeunte ſole, flores angelici apparuerunt tibi. Vox tua, ô turtur glorioſa, exaudita eſt; tempus migrationis aduenit.

Igitur,cùm Virgo virginum à Deo & Filio ſuo, Rege regum,exultantibus Angelis, & cælo laudibus reſonante, deduceretur; impleta eſt Prophetia Dauid, dicentis ad Dominum: Adſtitit Regina à dextris tuis, circumdata varietate. Tunc, iuxta vocem Salomonis, ſurrexerunt filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt; & reginæ laudauerunt eam. Quæ eſt iſta (aiunt ſupernæ Virtutes) quæ aſcendit dealbata? Item; Quæ eſt iſta,quæ progreditur quaſi aurora? Denique;Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto. Nouus & admirandus eſt nobis ſplendor iſte, nouus hic ordo aſſumtionis, nouus planè hic odor ſuauiſſi[...] Tantis verò deducta laudibus, nec ipſa poterat à laude ceſſare, quæ Filium ſuum vid[...] dextera paternæ gloriæ reſidentem,& ſe cum gloria aſſumentem. Tenuiſti,inquit, d[...] ram meam;& cum gloria ſuſcepiſti me. Iterum; A dextris eſt mihi, ne commouear. p[...]

p[...]

pter hoc lætatum eſt cor meum. Sed, quid hiſce immoror? Eleuata cum vocibus exultationis & laudis, prima poſt Deum, ſuper omnes cæligenas, in ſede gloriæ collocatur. Ibi mox reſumta carnis ſubſtantia (neque enim credi par eſt, corpus eius vidiſſe corruptionem, in quo Deus ipſe requieuit, & ex quo carnẽ accepit) & duplici ſtola induta, Deum & hominẽ, in vtraque natura, quanto ceteris clariùs, tanto ardentiùs & lætiùs, mentis & carnis oculis contemplatur. Exinde, humano generi charitate ineffabili cõdeſcendens, & illos miſericordes oculos, quibus cęlũ illuſtratur, ad nos ſubinde conuertens; communem pro Clero & populo, & pro vtroque ſexu, pro viuis quoque & pro defunctis, orationem leuare non ceſſat. Adeſt huc de cælo glorioſiſſima, & prece potentiſſima; propellens omne quod noxium eſt, & conferens id quod bonum eſt: cunctiſque ſe rogantibus, præſentis vitæ munimen tribuit, & futuræ. Memor quippe, quo fine & fructu mater effecta eſt Redemtoris, libentiſſimè ſuſcipit cuiuſlibet preces peccatoris; & pro vniuerſo reatu pœnitentium, apud proprium Filium intercedit. Obtinebit ſanè, quod volet, parens chariſſima; per cuius caſtiſſima viſceta Verbum Dei caro factum, venit ad nos, orbis piacula & veteris delicti cautionem ſanguine proprio diluturus. Qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum.

De timore Domini,

Exhortatio ad Iuuentutem Domus Fratrum habita, in D. Catharinæ feſto, cùm Domus illa erigeretur in Seminarium Diœceſis Gandauenſis, anno M. D. LXIX.

QVod hodie feſtum Eccleſia celebrat, adoleſcentes optimi, ſacrum eſt, ſcitis, diuæ virgini & martyri Catharinæ. Quam virginem neceſſe eſt eximiè ſanctam egregiamque fuiſſe, quæ ſic per orbem Catholicum vniuerſum tanta populi Chriſtiani lætitia & deuotione celebratur. Multis autem pręclaris dotibus inſignis fuit Catharina; nam & virgo fuit caſtiſſima, quæ res ſummæ laudis & meriti eſt apud Deum: prætereà martyrij glorioſam palmam obtinuit, in quo ſuprema religionis Chriſtianæ perfectio ſita eſt: & poſtremò (quod petrarum in puellis ac mulieribus) eximia fuit eruditione & ſapientia prædita. Atque hoc eſt, quod potiſſimùm in S. Catharina admiramur, atque modò amplectimur (nam virginitatis & martyrij gloriam, cum alijs multis ſanctiſſimis puellis communem habuit) atque adeò ob hanc cauſam, habetur ferè à Chriſtianis patrona clericorum, omniumque qui litteris & eruditioni comparandæ in ſcholis operam nauant. Quamobrem, non ſine peculiari Diuinæ prouidentiæ conſilio & diſpoſitione factum eſſe credendum eſt; vt ſchola hæc Eccleſiaſtica, ſeu Seminarium (vt appellat Concilium Tridentinum) hoc in loco, in illius die feſto, ſumat exordium, quæ ſcholarum litteriſque ſtudentium fautrix eſt & patrona: vt ſit ipſa quoque, iuxta illius ſententiam, tanti dux femina facti.

Quia verò longum eſſet, totam eius, quæ in manibus habetur, hiſtoriam explicare; viſum eſt, illa prætermiſſa, nonnihil in præſentiarum agere apud vos, pro temporis anguſtia, de Timore Domini, in quo ſe Catharina profectò mirum in modum exercuit. Neque enim ipſa vmquam ad tantam perueniſſet gloriam ſapientiæ, ſi Timorem Domini non diligentiſſimè coluiſſet. Nec vos, adoleſcentes, ad veram vmquam & ſolidam eruditionem ac ſapientiam pertingetis, niſi iſto primùm Timoris Domini iacto firmiter fundamento. Si doctrinæ ſcientiæque amantes eſtis, vt eſt illa hauddubiè ſummè amabilis; ſi vos ſapientiæ cura ſollicitat; ſi animus eſt vobis, pectus ſolida eruditione imbuere; hoc modo id facilè perficietis, nec omnino alia ratione ad hanc rem via patet. Initium enim ſapientiæ, timor Domini, vt habet Scriptura. Hoc Dauid Propheta regius tradit; hoc repetit Salamon; hoc Ieſus etiam ipſe, filius Sirach, inculcat. Immò, ſi beato Prophetæ Iob credimus, vt credimus verè, non modò initium ſapientiæ in timore Domini conſtituendum; ſed ipſamet ſapientia, quanta eſt. Timor enim Domini, inquit, ipſa Iob 28.
eſt ſapientia; &, recedere à malo, intelligentia. Vnde omnino conſequitur, vbi multarum rerum ſcientia eſt abſque timore Domini, non modò ibi veram non eſſe ſapientiam, verùm etiam meram adeſſe ſtultitiam.

Num idcircò exiſtimabimus, Platones, Ariſtoteles, Demoſthenes, Cicerones, Virgilios, Ouidios, & id genus alios vere ſapientes aut germanè Philoſophos fuiſſe, vt ipſi loquebantur; quia magnarum multarumque rerum multo ſtudio ſibi notitiam & experientiam compararunt? Non illa eſt profectò D. Pauli ſententia: Stultam, inquit, fecit Deus ſapientiam huius mundi. Et alibi; Euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. dicentes enim ſe ſapientes eſſe, ſtulti facti ſunt. Quid ita obſecro? Nimirum, quia cum illa eruditione ſua non coniunxerunt timorem Domini, veramque pietatem. Deum ſiquidem, omnis ſapientiæ fontem, aut non cognouerunt omnino, aut, quod eſt nequius, cognitum non glorificauerunt vt oportebat. An vlla poteſt maior eſſe inſipientia; quàm eum, qui ſapientiam & philoſophiam profiteatur, ignorare à quo, & in quem finem ipſe creatus ſit, ſcientiamque ſuam acceperit? Iactabant illi quidem magnificè illud ſuum, Noſce te ipſum: de finibus item bonorum & malorum buccis crepantibus diſputabant: ſed ab illarum rerum cognitione procul nimiùm aberrabant. Ad hæc ſecreta non eſt aditus, niſi per TIMOREM DOMINI; de quo in præſentiarum nobis eſt ſermo.

Cùm autem vobis hic timorem Domini commendamus, non de illo Dei timore agimus, quo quidam ſic affecti ſunt, vt Deum timeant non tam propter ipſummet, quam propter æterna quæ peccatoribus comminatus eſt & præparauit tormenta; ita, vt ſi horum non eſſet periculum, non magnopere formidarent, Deum, Legis eius præuaricatione, offendere. Hic enim timor nimiùm eſt ſeruilis, & ab ingenuo ac liberali animo alienus. Sic olim plerique Iudæorum Deum timebant; non tam vt Deum, quàm vt carnificem: magiſque infernum ipſum & æterna ſupplicia metuentes, quàm Deum. Nos

Rom. 8. verò Chriſtiani, nó ita didicimus Chriſtum. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterùm in timore; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei; in quo clamamus: Abba, pater. Itaque, quē hic vobis prædicamus, timorem Domini; reuerentia quædam perpetua eſt ſummæ ac diuinæ illius Maieſtatis, in omnibus actionibus, verbis, atque adeò etiam cogitationibus noſtris. Quia ipſe (exempli cauſa) Deus meus eſt, Dominus meus eſt, Pater meus, Conditor ac Redemptor meus, ſummum bonum & vltimus finis meus: qui vnus & ſeruare me poteſt & perdere; idcircò, propter eius honorem, non patiar in æternum, in peccatum me pertrahi. Alliciat, blandiatur, terreat mundus vt libet; ſtimulet ac premat caro; ſollicitet, diuexet, perturbet diabolus quátum voluerit; timor Dei, &, quam illi debeo, reuerentia, numquam me patietur prauis illorum ſuggeſtionibus conſenſum præbere. Ipſe mihi pluris eſt, quàm mille mundi. Sit quamlibet moleſta ac diuturna tentatio: ex illo eius timore orabo ſemper, nec omnino orare deſinam, vt me nó ſinat *in tentationē* induci, aut ab illa ſuperari. Quòd ſi tamen contingat, pro naturę fragilitate, & tentationis importunitate, me in peccatum incaurú vel victú incidere, quemadmodum homines omnes ſumus, non Angeli; idem timor Dei, & diuinę Maieſtatis reuerentia, me perurgebit, vt à peccato reſurgam; vt in viam protinus atque ad mentem redeam, vt veniam implorem, meliora proponam, peccatum confitear, & ex animo conuerſus ad Dominum dicam: Pater peccaui in cælum & coram te; iam non ſum dignus vocari filius tuus, ſed fac me vnum de mercenarijs tuis. Neque intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine. Adiuua me Deus, ſalutaris meus; & propter gloriam nominis tui libera me. Maiorem mihi, quæſo, deinceps fortitudinem & gratiam præſta, vt ne in ſimile vmquam mortis & damnationis diſcrimen me contingat incidere.

Quid vobis videtur, adoleſcentes? An nó magnopere cuperetis omnes diuinum hunc timorem ſemper habere? Ego ſanè illud, veſtro iuxtà ac meo nomine, vehementer optarem. Sed, quid conſilij, vt eò perueniatis: vt timorem hunc ſanctum, caſtum, atque efficacem aſſequamini? Optimum (mea quidem ſententia) & præſens conſilium, ſi Deum cogitetis ſpiritum eſſe, vbique locorum præſentem, omnia ſcientem, omnia videntem, cuncta ſua cognitione penetrantem, atque omnipotentem. Hæc enim conſideratio, timorem mox & Dei reuerentiam pariet; timor autem ille vos à peccando deterrebit. Si, inquam, ſeriò expendatis, voſipſos, actiones, ſermones, & quidquid internis ac ſecretiſſimis animi receſſibus voluitis, ante nudum Dei conſpectum verſari. Videt ipſe omnia, vniuerſa cognoſcit. Quocumque voſipſos vertatis, quamlibet occultè veſtra perpetretis, etiam in ſecretiſſimis & abditiſſimis locis, in denſiſſimis tenebris; non poteſtis effugere oculum diuinitatis eius, omnia perpetuò contuentem.

Inter alia Scripturæ loca, pulchrè hoc docemur Pſalmo centeſimo trigeſimo octauo:

Quò

Quò ibo, inquit, à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Quid facies? quò te recipies? vbi *Pſal. 138.*
temetipſum abſcondes, miſer peccator? in quos te angulos abdes? Si aſcenderis in cælum,
illic eſt; ſi deſcenderis in infernum, adeſt. Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius, ait Apo- *Hebr. 4.*
ſtolus. Quòd ſi ita eſt (vt eſt certo certius) non vereris, ô homo, in conſpectu Maieſtatis
ipſius, peccati turpitudinem perpetrare? Non metuis, nec erubeſcis, Leges Dei violare,
ipſo ſciente & vidente? Multa ſunt, proculdubiò, quæ puderet nos admittere, dum præ-
ſens adeſſet Præceptor noſter, aut alius quiſpiam vir probus, & non pudet nos, nec formi-
damus multo fœdiora & atrociora perpetrare ante oculos diuinæ Maieſtatis? Dicite mi-
hi, optimi iuuenes, ſi ita vobiſcum comparatum eſſet (quemadmodum olim erat cum A-
poſtolis, dum in humanis agerent) vt cum Chriſto corporaliter & viſibiliter ageretis, ille
vobiſcum familiariter, tamquam ſocius cum ſocio, amicus cũ amico obambularet, ede-
ret, loqueretur; nónne magnopere timeretis in eius præſentia dare vos turpitudini pecca-
torum, mentiri, furari, conuitiari, odio, inuidia, ſuperbia laborare? Nónne vos cautiſſimè
gereretis, ne quid deſignareris, quod eum poſſet præſentem, videntem, & obſeruantem
offendere? Equidem nihil addubito; neque enim quiſquam tam perfrictę eſt frontis, ani-
miq́ue tam occæcati & inhumani, vt vel cogitare id velit. atqui, non minùs ille nunc vo-
biſcum præſens eſt vbique locorum, modo quodam inuiſibili, quàm ſi corporaliter illum
videretis. Teſtatur hoc fides ac religio noſtra, oculis hiſce corporeis, modis infinitis cer-
tior. Itaque fieri non poteſt, vt animam veſtram peccatis inquinetis, ſi diligenter exercetis
vos hac conſideratione præſentis vbique Dei maieſtatis. Sanè hac maximè cogitatione
nobilis illa Suſanna (cuius tanta eſt laus in ore omniũ) à peccato abſtinuit, ſtructamq́; ſi-
bi peccati machinam conſtanter eliſit. Sola erat cum ſolis in pomario, puellæ eius abſceſ- *Dan. 14.*
ſerant, aberant arbitri, fores clauſæ, fiebat res clàm atque inſcijs omnibus. Nemo (aiebant
impuri ſenes) nos videt; & nos in concupiſcentia tui ſumus: quamobrem aſſentire no-
bis, & commiſcere nobiſcum. Quòd ſi nolueris, dicemus contra te teſtimonium, quòd
fuerit tecum iuuenis, &c. Quid illa ad hæc? Ingemuit, & ait: Anguſtiæ mihi ſunt vndi-
que. Si enim hoc egero; mors mihi eſt, nempe æterna: ſi autem non egero, non effugiam
manus veſtras. Sed melius eſt mihi incidere in manus veſtras, quàm peccare IN CON-
SPECTV DOMINI. O ſententiam auream, & pluſquam femineam! O quàm paucos ho-
die (prô dolor) habes Suſanna, qui tecum ſentiant, qui te imitentur! Melius mihi, in-
quit, incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini. Oſtia quidem po-
marij clauſa ſunt, nemo adeſt mortalium, qui nos accuſet: ſed tamen, t[illegible] cælo fallimini,
ſi ſolos nos eſſe exiſtimetis, ſi videre nos neminem: Deus ipſe præſens adeſt, iudex viuo-
rum & mortuorum. Nemo nos videt hominum, fateor; ſed videt è cælis, quem vnum
offendere grauius eſt & periculoſius, quàm Reges & Principes terræ vniuerſos. Itaque,
melius mihi eſt incidere in manus veſtras, atque indigniſſima pati, quàm peccare in con-
ſpectu Domini Dei mei. Cum Suſanna ſentiebant, atque eumdem in modum ſe gere-
bant Prophetæ illi, quibus illud ſemper in ore erat: Deus, ante cuius conſpectum ſto: hoc
eſt, quem nemo hominum fallere, cuius inſpectionẽ nemo ſubterfugere poteſt, qui om-
nium mearum & actionum & cogitatuum eſt conſcius. Ita enim illi ſibi certò perſuade-
bant, quod & Sanctis omnibus eſt in vſu.

Et hæc quidem pro temporis breuitate ſufficient, ad cognoſcendum qua via ac ratio-
ne liceat ad Dei timorem pertingere. Supereſt, vt tribus verbis fructus timoris Dei pona-
mus ob oculos: atque hæc res benè perſpecta, animos vobis (ſpero) maiores addet, vt aſſi-
duè & quàm diligentiſſimè voſmet in diuino hoc timore exerceatis. Sunt autem in Pſal-
mis Dauidicis tria loca potiſſimùm, in quibus res iſta (breuibus quidem verbis) ſed tamen
eleganter admodum explicatur. Pſalmus vigeſimusquartus ſic habet: Quis eſt homo,
qui timet Dominum? legem ſtatuet ei in via, quam elegit. Anima eius in bonis demora-
bitur; & ſemen eius hereditabit terram. Firmamentum eſt Dominus, timentibus eum;
& teſtamentum ipſius, vt manifeſtetur illis. Pſalmus centeſimus vndecimus eſt nõ mul-
tùm abſimilis: Beatus vir, qui timet Dominum; in mandatis eius volet nimis: potens in
terra erit ſemen eius, & iuſtitia eius manet in ſæculũ ſæculi. Pſalmo vero centeſimo qua-
drageſimoquarto, ita canimus: Voluntatem timentium ſe, faciet; & deprecationem eo-
rum exaudiet, & ſaluos faciet illos. Sed nos primum locum paucis explicemus. Quis eſt,
inquit, homo, qui timet Dominum? Phraſis loquendi eſt, quæ denotat perpaucos eſſe,
qui verè Dominum timeant;

Rara auis in terris, nigroq́; ſimillima cygno.

Simili modo quærit Saluator in Euangelio, de bonis plebis Paſtoribus: Quis, putas, eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituet Dominus ſuper familiam ſuam? Quid porrò illi continget, qui timet Dominum? quid fructus aut emolumenti inde conſequetur? In primis, inquit, legem ſtatuet illi Dominus, in via quam elegit: hoc eſt, quamcumque vitæ rationem fuerit amplexatus, in ea illi aderit Deus; docebitque, quomodo officium ſuum adminiſtrare, qua ratione ſe in illo gerere debeat. Res proculdubiò magni momenti. Quid præclarius aut optabilius, quàm Deum Patrem habere velut Ludimagiſtrum ac Præceptorem; Filium, ceu Conſiliarium quemdam; Spiritum verò ſanctum, tamquam Gubernatorem noſtri & actionum noſtrarum? Ah! quàm nimis multos perire videmus, eò quòd, quid ſtatus & officium ipſorum requirat, ignorent? Sed audite plura & maiora: Anima eius in bonis demorabitur. hoc eſt, omnium bonorum abundantia perfruetur: Cornucopiæ, vt habet prouerbium. Quid maius à Deo poſſemus optare, ſi modò optio nobis daretur, quàm vt omnium bonorum fruamur copia? vt nihil nobis deſit eorum, quæ rectè queant deſiderari? hoc ecce, & tantum præmium promittitur timentibus Deum. Pergit Pſalmiſta: Firmamentum eſt Dominus timentibus eum. hoc eſt, ſolida petra, ſacra anchora, cui inniti, in quam recumbere, in qua fidere & tutò ſperare liceat. Etiamſi te totus mundus abijciat, noli animum deſpondere: Firmamentum eſt Dominus, timentibus eum. Alia tranſlatio habet; Secretum ſiue arcanum Domini, timentibus eum; nimirum, aperitur, aut reuelatur. Quod rectiùs quadrat cum eo quod ſequitur: Et teſtamentum ipſius, vt manifeſtetur illis. Hoc ſiquidem non eſt, niſi ſingularium & valdè intimorum amicorum, vt ſecreta & arcana Domini ipſis reuelentur, & quaſi conſiliarij Dei fiant, & hoc ecce priuilegium timentibus Deum corrogatur.

Admiranda ſanè & ineffabilia ſapientiæ ſuæ & conſilij ſecreta aperit Deus timentibus ſe, quæ alij neſcierunt Expertus poteſt nouiſſe, quod dicimus. Qui enim nullam habet in ſe Diuini huius timoris experientiam; non mirum eſt, ſi iſta non capiat. Qui namque timoris Dei eſt expers; quacumque ratione ſecretum hoc diuinum ipſi volueris explicare, ſurdo cecineris, & cæco de coloribus feceris verba.

Sed horam video iamdudum eſſe elapſam. Deus det, vt per timorem & reuerentiam Maieſtatis eius, cùm hic diſcamus peccata vitare, tum poſteà, ad vitã perueniamus æternam. Quod nobis concedat, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

QVAESTIO QVODLIBETICA

Habita Louanij in Scholis Artium, anno M. D. LXVII. XVII. Kalend. Ianuarij.

An aliqua ſit idonea & iuſta cauſa deficiendi à ROMANA ECCLESIA.

NEGANTEM quæſtionis partem probabilem facit, quòd Romana Eccleſia illa eſſe credita ſemper fuerit, de qua Seruator ad Petrum: Super hanc petrã ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam. Ex quo factum eſt, vt qui à Romana Eccleſia defecerunt, ſchiſmatici iam inde ab Apoſtolorum temporibus ſemper habiti fuerint; qui verò huius Eccleſiæ de fide doctrinam repudiarunt, hæretici. Et certè ſi notas illas vel ſigna veræ Chriſti Eccleſiæ, quæ Apoſtolicum nobis & Conſtantinopolitanum Symbolum expreſſerunt, intueamur, perſpicuum eſt, ea in nullam aliam quàm Romanam paſſe competere; quòd nimirum ſit vna, ſancta, Catholica, Apoſtolica. Nam poſtremum illud, quod potiſſimùm hîc vrgendum eſt, vel ex vna ab ipſa Petri Apoſtoli ſede per tot ſæcula ſacerdotum continua ſucceſſione, perquam manifeſtum euadit. Matth. 16.

Affirmantem tamen partem illud non leuiter confirmare videtur, quòd Eccleſia Romana, ſi quam præ alijs auctoritatem vel prærogatiuam habet, non habet illam niſi ratione capitis ſui, Romani Pontificis; cui nimirum in Petro Apoſtolo factæ ſunt promiſſiones illæ à Chriſto, è quibus poteſtas illa & priuilegium Eccleſiæ Romana deſumitur. Atqui Romanum Pontificem, quum de moribus & fide pronuntiat, falli atque hallucinari poſſe, non infimi nominis quidam in Iure & Theologia perſuaſum habent. Quin & hiſtoriis proditum eſt,

Romanos

Romanos quoſdam Epiſcopos in fide erraſſe: vtputa Anaſtaſium, 19. diſtin. cap. Anaſtaſius: & Honorium, vt in 6. Concilio generali actione 13. & decimaoctaua definitur. Quum igitur procliue admodum ſit, quod Romanus ipſe Pontifex ſentit, id Eccleſia Romanæ toti credendum faciendúmve præcipere, continget eo pacto vniuerſam Eccleſiã Romanam in errore verſari. Id quod noſtra hac tempeſtate vſuvenire permultis perſuaſum eſt. Qui proinde licitum ſibi, atque adeò neceſſarium eſſe arbitrantur, ab illa diſcedere. Huc pertinet quod D. Hieronymus grauiſſimus doctrinæ Catholicæ propugnator, Epiſtola ad Euagrium, cum illi obijceretur Romanæ Eccleſiæ conſuetudo: Si auctoritas, inquit, quæritur, orbis maior eſt vrbe. Vbicumq; fuerit Epiſcopus, ſiue Romæ, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Alexandria, eiuſdem meriti, eiuſdem eſt & ſacerdotij. Cui ſatis conſonat & D. Ambroſius lib. 3. De Sacrament. cap. 1. Quòd ſi iſti Eccleſiæ Romanæ inſtituta facilè reijciunt, certè non eſt cur Eccleſiæ illius in moribus & fide regulam ſequi debeamus.

ORATIO.

Nullam ſubeſſe iuſtam cauſam, deficiendi à ROMANA ECCLESIA.

PARS PRIMA.

INTER alia quæ præſenti loco pro temporis ratione tractari poſſunt amplißimi Auditores, illa eſt mihi viſa nõn minimè opportuna quæſtio, An aliqua ſit idonea & iuſta cauſa deficiendi à Romana Eccleſia. Videmus enim hodie, & ſi quid in nobis reliquũ eſt Chriſtianæ pietatis, ingenti cum dolore lacrymiſque videmus, plurimos è Chriſtiano populo, tamquam furijs quibuſdam actos, cateruatim ſe à Romanæ atque adeò Catholicæ Eccleſiæ ſocietate præſcindere, noua facere conuenticula, nouas excitare, non Chriſti Eccleſias certè, ſed Antichriſti execrabiles ſynagogas. ita vt ſi vmquam impletum ſit, quod futurum tanto antè Seruator prędixit, dicturos nimirum pſeudoprophetas: Ecce hîc eſt Chri- *Matth. 24.*
ſtus, ecce illic; ecce in deſerto, ecce in penetralibus: nunc, nunc profectò, euentu ipſo, vel maximè impleatur. Quibus vocibus ita oues Chriſti miſere dementantur, vt iam vbi ſit Chriſtus, certo ac præſenti cum ſalutis diſcrimine, multis in locis ignorent: præcipuè poſteaquam edoctæ ſunt à ſectarijs, contra clarum & apertum Dei verbum, non obe- *Heb 13.*
dire Præpoſitis ſuis.

Inuectus eſt olim multis libris grauiter Auguſtinus in factionem Donatiſtarum, quòd leui ex cauſa vnitatem Eccleſiæ in Africa violarent, quòd Catholici populi communionem reſpuerent, quòd cathedram contra cathedram, altare, vt habet, contra altare conſtituerent, profanũ videlicet aduerſus ſacrum, ſchiſmaticum aduerſus verum atque legitimum. At quid modò diceret Auguſtinus, ſi præſentem Eccleſiæ faciem intueretur; videretq; non vnam aliquam factionem contra veram Eccleſiam arroganter ſe extollentem, ſed per vniuerſum mundum, quàm latè propemodum patet in eo nomen Chriſtianum, ſectas tam diſſectas tamque varias, vt ſi quis colligere primariarum ſaltem nomina velit, non multò breuiorem catalogum ilicò confecturus ſit, quàm eſt Homericus Grçcarum nauium. Iam nauſeam nobis parit quodammodò omnis priſca religio, ipſaque re egregiè nunc experimur, quod Paulus olim Diuino afflatus ſpiritu futurum præuidit, dicens: Tempus erit, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt *2. Tim. 4.*
ſibi magiſtros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Vetera omnia paſſim hodie faſtidimus; quod nouum, quod inſolitum, quod hactenus inauditum, ad id porrò auſcultamus, id obuijs, quod aiunt, vlnis amplectimur.

Hæc dum tacita mente ſecum reputant multi, cogitare cum animis ſuis incipiunt, an verè nouarum iſti Religionum ſectatores, facti ſui legitima ratione deſtituantur; nihilque ſit in communione Romanæ Eccleſiæ, propter quod ſe iure ab illa ac meritò ſeparent. Non enim vllo pacto veroſimile eſſe videtur, tantæ rei mutationem ſine cauſa grauiſſi-

ma æquiſſimaque fieri poſſe. Quemadmodum id maiores noſtri, [illegible] entiſſimi rerum publicarum gubernatores, in primis, ſi diligenter annales euolutis, cauendum admonuerunt, ne vllius aut edicti, aut legis, aut diſciplinæ imperiique mutatio te[illegible] tentaretur. Sic enim ſe rem habere prudenter proſpexerunt: vt ſicut corpora, cum [illegible]nſueto & familiari victu ad nouum & inſolentem traducerentur, conturbata in morbos graues inciderent: ita non longe aliter Reſpublica cùm ciuilis tum eccleſiaſtica, pernicioſ[illegible] ſeditionũ motibus laboratura eſſet, ſi vetuſto eius ſtatu conuulſo, repudiatis maiorum inſtitutis, abrogata diuturni temporis conſuetudine, ſurſum deorſum omnia permiſcerent[illegible]. Hinc illa Græcorum inſtituta, quæ poſteà Romani ſuam in ciuitatem tranſtule[illegible], quibus patria ſacra coli, ritus patrum, quoniam proximè antiquitas ad Deum a[illegible]ede[illegible], ſeruari voluerunt. Hinc illa apud Dionem Mæcenatis ad Auguſtum ſapien[illegible] & el[illegible] oratio, qua Imperatorem monet, nullam fore in republica peſtem capitaliorem ma[illegible]que auertendam, quàm vt veterem formam peruerti, nouam introduci ac firmar[illegible] tur. Hinc illa Perſarum, Locrenſium, omnium denique gentium, imò Iuriſcon[illegible] prudentiſſimorum ſententia, in nouis rebus conſtituendis euidentem perſpectamq[illegible] vtilitatem eſſe oportere, antequam ab eo iure quod diu receptum ſit, decedendi de[illegible] inſtituatur. Hinc denique illud quod vulgò, ſed tamen veriſſime iactari ſolet; ex te[illegible] commutatione, perpetuo ſequi reipublicæ conuerſionem. Id quod hodie nemo no[illegible]trum magno ſuo malo non experitur.

Age igitur, videamus quid de hac re ſentiendum ſit, & quas facti ſui rationes p[illegible]xant, qui auctores ſunt hac tempeſtate labefactatæ huius florentiſſimi Belgij, [illegible]tius pæne Chriſtianiſmi, benè compoſitæ religionis & diſciplinæ, abrogatæ magna ex parte rationis tot ſæculorum decurſu ab omnibus probatæ pietatis, denique triſtiſſimæ diuiſionis & diſperſionis in Eccleſia Dei factæ.

Et quidem quod ad veram & primariam cauſam multorum ab Eccleſia Romana defectionis attinet, ſi quis rem recta ratione expendat; diſceſſionis huius meram arro[illegible]ntiam, faſtum, proteruiam, præcipuam fuiſſe cauſam dixerit. Nam cum nonnihil [illegible]rum donorumque ſuorum Deus in auctores quoſdam huius nefarij ſchiſmat[illegible]gnitate contuliſſet, nec doctrina, nec linguarum peritia, nec præclara ple[illegible]que dicendi ſcribendique facultas deeſſet; hæc eſſe Dei dona velut obliti, ſic ſeipſos amare, ſic [illegible]ſis placere, ſic magnificè ſe efferre cœperunt, eoque inſolentiæ proruperunt, vt ha[illegible]d [illegible]ter quam ſi ab ipſis, vt cum Paulo noſtro loquar, verbum Dei proce[illegible]ſſet, au[illegible] in ipſos ſolos perueniſſet, illius poſſeſſione reliquos omnes excluderent: & v[illegible]uet[illegible]um orbe[illegible] Chriſtianum aut cæcitatis, quòd non videret in Scriptura ea quæ ſibi ipſi [illegible]dere vide[illegible]tur, aut impietatis, quòd ſciens prudenſque agnitam veritatem oppugna[illegible], condemnarent.

Hos verò illorum animos illud in primis accendebat, quo[illegible] vider[illegible] [illegible]erorumque animos faſtidio veteris diſciplinæ, ac nouæ ſtudio amoreque teneri [illegible] v[illegible]nt etiam eam eſſe plebis magna ex parte propter Sacerdotum quorundam vi[illegible]a offenſion[illegible]m, eam multorum in veritate oppugnanda & reipub. ſtatu peruertendo [illegible]e conte[illegible]tionem, eam poſtremò rerũ eſſe ſolere viciſſitudinem, vt non difficile futurum cogitarent, tandem aſſequi quod inſtruebant; aut ſaltem obſiſtere, ne Chriſtiana reſpub. tam libera & quieta pace frueretur. Cumque ex antiquis Romanorum & Athenienſium hiſtori[illegible], qui nouis rebus ſtuderent, eos in multitudinis ſenſum atque amicitiam ca[illegible]ne ra[illegible]one poſſe irrepere, ſi magnas ſpes, magnas vtilitates oſtentarent ijs quorum opera ac gratia florere cuperent, protinus ad contemptionem Sacerdotum dira obtrectatione impe[illegible] nefas ſibi videri quòd noſtri Epiſcopi tot annuos prouentus ex Eccleſiaſticis præ[illegible]a-piant, quòd ad turpiſſimos vſus abutant[illegible]r: queri porrò ac deplo[illegible]are, n[illegible]llum eſſe l[illegible]m charitati aut pietati, exteros hoſpitio carere, inopes alimentis egere, affli[illegible]os ſol[illegible] d[illegible]tui: aliam Apoſtolorum fuiſſe conditionem, qui quidem tenuiter & parcè v[illegible]uerent, opeſque ſi quas haberent, pauperibus liberaliter erogarent, ægros viſi[illegible]nt, ſupp[illegible] auxilium conſiliumque non denegarent, hanc viuendi rationem animum ſibi eſſe [illegible] v[illegible]um reuocare: noſtros homines cæco errore tenebriſque inuolui; hanc caliginem velle ab [illegible]lorum oculis diſcutere, veramque pietatem hactenus ſiue ignoratam ſiue o[illegible] reſtituere.

Qua tam pia, tamque charitatis ac propenſi amoris plena oratione, facile effec[illegible] vt ſi qua pecus ſcabioſa vel in cœnobijs vel in vrbibus ſecerni a grege, nec ſanari, [illegible]

[illegible]a

ſua lue ſordeſcere, cunctiſque obſeruantiæ ac honeſtatis legibus ſolui cuperet, confe- ſtim in iſtorum Academiam vel potiùs in Epicuri hortos, vbi turpiter volutaretur, & intemperanter voluptuaretur, libentiſſime deficeret. Hîc iam ipſiſſimam habetis cau- ſam & modum diſceſſionis hac tempeſtate à Catholica Romana Eccleſia. His princi- pijs ſerpſit paulatim hoc in repub. malum, quod indies querimur vehementiùs ingra- ueſcere: & ita in omnes reipublicæ Chriſtianæ partes quadam veluti contagione diina- nauit, vt iam nullo remedio corpus ſanari poſſe videatur, niſi ab eo membra gra- uius affecta diuellantur. Quod tamen quo modo nunc commodè fieri poſſit, equi- dem non video. In quem verò exitum ſchiſma hoc nefarium deſinere hodie om- nes conſpicimus, nempe in turpiſſimum quæſtum, ſpolia, & deprædationem, iiſdem planè initijs olim cœptum eſt, iiſdem progreſſibus incrementum ſumſit: vt vere Apo- ſtolus cupiditatem ſiue auaritiam idolorum ſeruitutem, adeoque initium omnis pec- cati appellet. Conſtat enim non aliud initio mouiſſe Lutherum, vt tantas in Germa- nia tragœdias excitaret, facemque in Eccleſia diſcordiarum accenderet, quam quòd quem ſibi ſuiſque deberi quæſtum putabat, eum ab alijs intercipi ferre non poſſet. Ni- mirum de peccatorum condonationibus, vulgò vocant Indulgennas, agebatur. Sed fuit iſta cauſa quædam diſceſſionis remotior. Ceterùm poſtquam ei non deſuerunt applau- ſores, qui cùm illum ſolita coniuitiorum plauſtra in mores vitamque noſtram effunden- tem viderent, ſubinde Euge, Euge, acclamabant; ea demum res animum homini addidit, vt minùs cunctantet intrepidèque ab Eccleſiæ vnitate diſcederet. 1. Tim. 6.

Hæc breuibus à nobis commemorantur, vt ſciatis quæ radix & progreſſus fuit erroris & ſchiſmatis noſtri temporis, eadem plane vniuerſis propè ſectarijs iam inde à tempori- bus Apoſtolorum olim vſu veniſſe. Nulla enim vnquam hæreſis aut ſchiſma in Eccle- ſia extitit, quod non è cupiditate lucri aut inanis gloriæ, ex faſtu & arrogantia originem duxerit. id quod non foret difficile exemplis ordine declarare, niſi & tempus moneret orationem conſtringere, & ab alijs hoc ante nos eſſet non ineleganter oſtenſum. Non igitur doctrina noſtra, iudicio ipſorum parùm pia, ſed ſuperbia ipſorum, non paulò mi- nor quàm fuit illius angeli, qui in cælum arroganter aſcendere nitebatur, & ſuper aſtra cæli exaltare ſolium ſuum, execrandæ huius diſceſſionis cauſam dedit. Iſaia 14.

Sed videamus tamen quale ſit quod prætexunt. Accuſat nos in Germania Brentius antichriſtianiſmi, quòd non relinquamus verbum Dei in ſua ſincentate, ſed peruerta- mus alienis interpretationibus, quodque inſtitutionem Sacramentorum Chriſti depra- uemus. Neceſſitatem itaque ſalutis ipſorum exegiſſe, vt colluuiem eorum, qui in Apo- ſtolorum doctrina non permanſerunt, deteſtarentur; & quàm celerrimo poſſent curſu defugerent. Ita Theodorus Beza in Gallijs, à vera Chriſti Eccleſia tantum nos diſceſ- ſiſſe ait, quantum ad eius familiaritatem & gremium ipſe, ſi ſuperis placet, acceſſit. Sed hic veſtram fidem appello, benigni Auditores. Accuſant nos, dicunt, antichriſtianiſmi. Num vobis videtur ſufficere, ad hunc modum nos ab eis eſſe tam grauiter accuſatos? num cauſam propterea legitimam habuerunt diſceſſionem à nobis faciendi? Meritò, vt ſcitis, & ſapienter olim quidam: Si accuſari, inquit, ſuffecerit, quis erit innocens? Con- uictos certè tanti criminis, non accuſatos ſolùm oportuit. Quid autem, ſi probauero ip- ſoſmet antichriſtianiſmi longè veriùs accuſari, adeoque conuinci poſſe? Quid, ſi eam fi- dem quam etiamnum tenet Romana Eccleſia, ab hinc mille ducentis annis ſanctiſſi- mè fuiſſe profeſſam (nam de reliquo tempore, ad Apoſtolos vſque, nulla illis nobiſcum eſt controuerſia) ſi eamdem nullo tempore intermiſſam, nulla opinionum varietate aut contentione, nulla hæreticorum machinatione interruptam oſtendero? Sanè qui tem- porum euoluerit antiqua monumenta, & priſcæ ætatis memoriam omnium Eccleſiæ Doctorum ſcriptis conſignatam inſpexerit; comperiet ille quam modò Catholici ſe- quimur Religionis doctrinam, eamdem ante hos trecentos & quadringentos annos Bernardi, Aquinatis, Lombardi ætate; ante octingentos nongentoſque annos, venera- bilis Bedæ & Gregorij Magni temporibus, ante mille adeò plus minus ducentos annos, Auguſtini, Hieronymi, Baſilij, Athanaſij, Cypriani, Tertulliani ſæculis, ad amuſſim in Eccleſia, quàm latè per orbem diffuſa erat, traditam, ſeruatam, cultamque fuiſſe. Nolo mihi habeatis fidem: quos iam nominatim recenſui Doctores Eccleſiæ, illorum id mo- numenta, ſi modò candidè quis inſpiciat, palàm loquuntur.

An verò vllo pacto videtur vel Scripturis ſacris vel rectæ rationi conſentaneum, vt cre- damus Eccleſiam mille ampliùs annis caruiſſe Chriſto, ſponſoque ſtertente ſponſam in

Sacris litteris enarrandis fuiſſe prorſus cæcam ; eoque impietatis atque idololatriæ, vt loquuntur, prolapſam, vt ſtatuas inanimatas, vt fruſtum panis (horret animus dicere) pro
Matth. 28 Deo coluerit? Vbi igitur ſunt magnificæ illæ & toties repetitæ Chriſti promiſſiones; Ego
Luca 22. vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi: Ego rogaui pro te vt
Matth. 16 non deficiat fides tua: Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: Spiritus meus qui
Iſaia 59. eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus, amodò & vſque in ſempiternum? Nam quòd dicta hæc eſſe arbitrentur de ſuis eccleſiis, vbi quæſo gentium aut locorum latebant illæ ante quinquaginta hos annos? Quando (exempli cauſa) ante Lutheri tempora audita eſt prodigioſa ipſorum doctrina de fide iuſtificante, quem præcipuum eſſe locum doctrinæ Chriſtianæ, quem ſummam Euangelij continere volunt. Quis ante Caluinum, vel certè Berengarium, fidem iſtam de ſanctiſſimo Euchariſtię Sacramento vel ſomniauit vnquam? Non enim obſcurum eſt, vbi, quando, & quæ initia habuerit noſtra etiam memoria Lutheri & Caluini eccleſia.

Quòd ſi verum id eſt, quod impudentiſſimè iactant, ſe Euangelicam veritatem plus mille annis ſepultam reuocaſſe in lucem, difficilius, mea quidem ſententia, negotium egerunt, quàm olim Apoſtoli habuerunt. Nec enim paulo facilius erat Iudaicos abrogare ritus, ac gentium ſuperſtitionem deſtruere, quam ea conuellere quæ Eccleſiæ proceres magno conſenſu tot ſæculis vt oracula Dei docuerunt, coluerunt, tenuerunt, hodieque tenent. Nam gentium religio tantum habebat abſurditatis, vt etiam qui inter illos litteras ſcirent, aut paulò eſſent cordatiores, intelligerent eſſe mera figmenta, quæ de diis ferebantur: à callidis hominibus inſtinctu dæmonum ad hoc excogitata, vt incondita multitudo quæ philoſophiæ rationibus gubernari non poterat, deorum metu vtcumque contineretur. Et Prophetarum vaticiniis prædictum erat, futurum vt gentes, relicto dæmonum cultu, verum Deum agnoſcerent: quemadmodum & de Iudaicis cærimoniis prædictum erat, vt ad coruſcantem Euangelij lucem, velut vmbra euaneſcerent. At in his quæ ipſi conuellunt, quid obſecro vel impium, vel abſurdum, vel ridiculum. Aut quis vnquam Prophetes prædixit, hoc futurum, vt totus orbis ignoraret Chriſtum ab Apoſtolis prædicatum, ac pro Deo coleret idolatrum, quotquot in Apoſtolorum vicem ſucceſſerant, excæcati nihil viderent in Sacris litteris? demde poſt mille ducentos annos, à neſcio quibus nouis Euangeliſtis, ad veritatis cognitionem reuocarentur? Adde, quòd Apoſtolorum prædicationi fidem aſtruebat perpetuus dogmatum conſenſus ac miracula: quum iſti non ſolùm diſſentiant inter ſe, ſed iidem ſubinde nouent ritus pariter & dogmata; altera parte ſint omnino deſtituti?

Hæc ſunt non minus certa & efficacia, quàm aperta & familiaria argumenta. Porrò ſi ex ipſis Sacris litteris diſcere lubeat, quænam & apud quos ſit vera Eccleſia, non erit ſanè difficilis inquiſitio. Siquidem Euangeliſtę ad vnum omnes vt diligenter hoc explicarent, nec paterentur nos in re grauiſſima dubios fluctuare, operam de induſtria adhibuiſſe videntur. Vniuerſi enim, & id quod magis mireris, alia atque alia occaſione, Petri Apoſtoli prærogatiuam luculenter declarant. Quamquam Marcus qui Petro familiariſſimè vtebatur, cuiuſque auctoritate Euangelium ſuum probatum iri debere non ignorabat, parciſſimè inter alios hac de re & modeſtiſſimè ſcripſerit, ne aut adulationi aliquid datú eſſe, aut ex compoſito rem geſtam fuiſſe, exiſtimare forſitan aliquis potuiſſet. Quinimmò Chryſoſt. Homil. 59. in Matthæum dicit, Petro ipſo deprecante factum ne de eo Mar-
Cap. 16. cus magnificè ſcriberet. Matthæus porrò inquit: Beatus es Simon Bar-iona: quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cælis. Et ego dico tibi quòd tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terrá, erit ſolutum & in cælis. Lu-
Cap. 22. cas autē refert: Simon, ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.
Ioan. 21. Ioannes verò commemorat, Dominum à reſurrectione ſua Petrum his verbis affatum fuiſſe: Simon Ioannis diligis me? Paſce oues meas. Marcus autem quid 13. cap. de ianitore illo ſcribat, cui Dominus profectus foras præcepit vt vigilet, non eſt obſcurum.

Iam verò quòd hæc non ſolùm ad perſonam Ipſius Petri pertineant, ſed defuncto illo ſit qui in eadem illi auctoritate & poteſtate ſuccedat, vel vno hoc argumento abundè conficitur. Nam cùm oues Chriſti eſſent vſque ad conſummationem ſæculi futuræ, deſipiet

ſipiet profectò, qui Chriſtum exiſtimabit ouili perpetuo paſtorem temporarium ſuffeciſſe. Quale eſt enim, obſecro, proſpexiſſe Dominum de capite & Paſtore Eccleſiæ ſuæ infantiæ, noſtri autem, & qui poſt mortem Petri exiſterent omniú, curam penitus abieciſſe? An voluimus vt his diebus non ſit iudex in Iſraël, ſed vnuſquiſque quod ſibi videatur bonum, id faciat & ſentiat? Fateamur igitur, quam Petrus à Chriſto poteſtatem ſuper Eccleſiam vniuerſam & prærogatiuam accepit, ad ſucceſſores eius Epiſcopos eſſe tranſlatam.

Romanum autem Pontificem in Petri locum, fidem, auctoritatemque ſuccedere, Eccleſia ab Apoſtolorum temporibus vniuerſa ſemper agnouit. Quod quia totius orbis vſu ac conſenſione firmatum erat, ne Arriani quidem negare vnquam potuerunt, vt Sozomenus lib. 4. Hiſtor. tripar. cap. 15. & 16. prodidit. Ad Romanam verò ſedem Epiſcopos Eccleſiarum in cauſis quibuſque grauiſſimis prouocaſſe, ab illius ore fideles fidei ſemper oracula petiſſe, illius iudicium Catholicos omnes in religionis controuerſijs expectaſſe, illius denique & vim & auctoritatem ſacra omnia legitimaque efflagitaſſe Concilia, adeò certum & manifeſtum eſt, vt ſim ego ineptus ſi velim oſtendere.

Quibus ex rebus quoniam negari non poſſunt, conflatur atque efficitur id quod tantopere quærimus argumentum; quo ex multis magníque haud facile quis dixerit aliud aut certius eſſe aut euidentius. Si enim Legum Chriſti interpres nullus ſanior eſt, quàm perpetuus Eccleſiæ vſus, Eccleſia verò in religionis & fidei quæſtione ac ceteris grauiſſimis controuerſijs, non ad Antiochenum, Mediolanenſem, Toletanum, Pariſienſem, aut Colonienſem Epiſcopos, ſed ad Romanum omni ſemper ætate confugit, quis dubitat hunc eſſe quem vt ſucceſſorem Petri, ita quoque quæſtionum de fide iudicem doctrinæque Apoſtolicæ magiſtrum habemus; cuique Dominus in Petro dixit: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam? Ac rurſum: Paſce oues meas. & iterùm: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos? Diſſimulemus hæc tamen. An non ſenſibus ipſis, niſi planè videre nolumus, ipſóque rerum experimento ſatis conſtat, Chriſti de Petro & ſucceſſoribus vaticinia in Eccleſia Romana manifeſte impleri? Hanc enim liquet, orbe etiam toto omni illam machinarum genere quatiente, in fide & auctoritate Petri fixam atque immobilem perſtitiſſe. Et cùm ceteras Apoſtolorum Eccleſias vel ab infidelibus occupatas ſine fidei veſtigio, vel ab hæreticis grauiter aliquando affectas viderimus, aduerſus hanc vnam Romanam Eccleſiam, nec Pagani, nec hæretici præualere vnquam potuerunt. Vbi iam ſunt, prô dolor, qui Iacobo Apoſtolo Ieroſolymis, qui Andreæ in Achaia, qui Matthæo in Æthiopia, qui Philippo in Phrygia, qui Ioanni in Aſia, qui Thomæ & Bartholomæo in India, qui Iudæ in Perſide, qui Paulo in Græcia Epiſcopi ſucceſſerunt? Sola eſt Romana Eccleſia à Petro fundata, quæ hodieque inuicta perſtat. Ad quam numquam acceſſum habuiſſe perfidiam ſcribit [a] Cyprianus: in qua ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguiſſe principatum narrat [b] Auguſtinus: in qua Patrum auctoritatem incorruptam ſeruari teſtatur [c] Hieronymus, neque dubitat Romanam fidem Catholicam appellare: ſicut & [d] Ambroſius Epiſcopos Catholicos vocat, Romanam Eccleſiam. Pugnarum eſt olim vehementer, non à Græcis ſolum, ſed ab alijs pleriſque totius orbis Epiſcopis, vt hoc Romanæ Eccleſiæ priuilegium labefactaretur. Atque habebant pro ſe illi quidem & Imperatorum arma, & maiorem eccleſiarum numerum. Numquam tamen efficere potuerunt, vt aut Romani Pontificis auctoritatem abrogarent aut in alium transferrent Epiſcopum. Quinimmò qui à Romana ſede defecerunt, hi ſchiſmatici ſemper in Eccleſia ſunt habiti: qui verò huius ſedis de fide iudicium detrectarūt, hæretici. Quæ profectò omnia ſatis oſtendunt, non humano, ſed diuino decreto Eccleſiam Romanam & ceteris eſſe præpoſitam, & Petri priuilegia iure ſibi ſuo vindicaſſe, & eam demum petram eſſe, ſuper quam Chriſtus vniuerſalem conſtruxit Eccleſiam, aduerſus quam portæ inferi præualere non poſſint.

[a] *Cyprianus lib. 1. Epiſt 3.*
[b] *Auguſt. Epiſt. 142.*
[c] *Hiero Ep. ad Damaſ. & lib. 1. contra Rufinum*
[d] *Ambroſ. in oratione funebri de obitu fratris.*

Quod ni ita eſſet, quî potuiſſet Eccleſia illa tot tamque magnis Principibus repugnantibus, tam multis hæreticis mille modis ad impietatem inſtructis contradicentibus, tam varijs Eccleſijs defectionem molientibus obſiſtere?

Fatetur autem hoc etiam ipſe Caluinus, quod res ipſa loquitur, magnum Romanæ Eccleſiæ honorem vbique detuliſſe veteres, reuerenterque de ea locutos, vel quòd fundata & conſtituta eſſet Petri miniſterio, vel quòd in ea caput eſſet imperij, vel quòd cùm Orientales & Græcæ Eccleſiæ, Africanæ etiam, multis opinionum diſſenſionibus in-

Citatur ab Hoſio lib. 2. contra Brentium.

ter ſe tumultuarentur, hæc ſedarior alijs & minùs turbulenta fuerit: Ita factum eſt, inquit, vt pij & ſancti Epiſcopi ſedibus ſuis pulſi illuc ſe velut in aſylum aut portum quemdam ſæpe reciperent. Nam quo minùs acuto & celeri ſunt ingenio Occidentales Aſiaticis & Aphris, eò etiam ſunt rerum nouarum minùs cupidi. Hoc ergo, ait, Romanæ Eccleſiæ plurimum addidit auctoritatis, quòd non ita dubijs illis temporibus tumultuata eſt vt reliquæ, ac doctrinæ ſemel traditæ fuit omnibus alijs tenacior. Hactenus Caluinus.

Citat idem lib. 3.

Quid verò Lutherus? Audio, inquit, & video rebaptizationem à quibuſdam vſurpari ex eo fundamento, vt in deſpectum Papæ faciant, tamquam hi qui nihil ab Antichriſto habere velint. Quemadmodum & Sacramentarij propterea merum panem & vinum credere volunt in deſpectum Papæ, arbitrantes ſe hoc pacto rectè ſubuertere poſſe Papatum. Profectò friuolum eſt hoc fundamentum, ſupra quod nihil boni ædificaturi ſunt. Hoc enim pacto negare eos oportet totam Scripturam ſacram & prædicandi officium; hoc enim totum à Papa nimirum habemus; & nouam quoque Scripturam ſacram nos facere oporteret. Sic & vetus Teſtamentũ nos dimittere oporteret, ne quid ab infidelibus haberemus Iudæis. Stultũ eſt hoc totum. Nam & Chriſtus in gente Iudaica inuenit Scribarum & Phariſæorum abuſus, non tamen propterea totum reiecit quod illi habuerunt & docuerunt. Nos, inquit, fatemur ſub Papatu plurimum eſſe boni Chriſtiani, imò omne bonum Chriſtianum; atque etiam illinc ad nos deueniſſe. Quippe fatemur in Papatu veram eſſe Scripturam ſacram, verum Baptiſmum, verum Sacramentum altaris, veras claues ad remiſſionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechiſmum, vt ſunt oratio Dominica, decem Præcepta & articuli Fidei. Dico inſuper in Papatu veram Chriſtianitatem, imò verum nucleum Chriſtianitatis eſſe. Hæc ille. Quòd ſi teſtimonia illa maximi ponderis & momenti ſemper iudicata ſunt, quæ aduerſarij ferunt; quod potuit pro cauſa noſtra luculentius adferri teſtimonium etiam ab eo qui ſuauiſſimè in nos effuſus eſſet, quàm quod allatum audiuiſtis ab hiſce mortalium omnium nobis infeſtiſſimis? Ac ne quis fortè dicat hæc inter initia ſcripſiſſe Lutherum, cùm nondum illi, de qua tantopere gloriantur, lux Euangelicæ veritatis affulſiſſet; ſciat, hæc ſcripta ab eo fuiſſe, decimo pòſt anno quàm ab Eccleſia ſe præciderat, quo tempore nomen eius hæreſeos fama cum primis fuit celebre. Adeò per illius tamquam per Balaam Prophetæ iugulum, vel inuito illo, erupit veritas.

Epiſtola ad Pammachium & Oceanum, quæ incipit: Schedulæ

Quæ cùm ita ſe habeant, quid eſt quod hodie populum à Romanæ Eccleſiæ fide & obedientia tantopere auocare laborant, in aliudque transferre Euangelium? Quiſquis es, inquit D. Hieronymus, aſſertor nouorum dogmatum, quæſo te, Romanis parcas auribus, parcas fidei quæ Apoſtolico ore laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod anteà neſciuimus? Cur profers in medium quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Vſque in hunc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit: illam ſenex tenebo fidem, in qua puer natus ſum. O præclaram aureamque ſententiam! Quid vobis videtur Auditores? An non iiſdem verbis melioti iure vti aduerſus noſtri temporis hęreſiarchas poſſemus? Cur poſt mille quingentos annos, docere nos conamini, quod antè neſciuimus? Cur profertis in medium quod neq; Petrus, neque Paulus, neque quiſquam legitimus eorum ſucceſſor edere voluit? Vſque in hunc diem ſine iſta veſtra doctrina mundus Chriſtianus fuit: illam adulti fidem tenebimus, in qua pueri nati ſumus.

Codice De ſumma Trinitate.

Vſque adeò autem Romana fides Catholica ſemper fides eſt habita, vt Gratianus Imperator, quemadmodum in Eccleſiaſtica hiſtoria ſcriptum, & in codice Iuſtiniani relatum eſſe legimus, de fide prorſus noluerit diſputari; verùm edictum faceret, vt cuncti ſubditi eam religionem retinerent, quam vertex Apoſtolorum Petrus initio tradidiſſet, ac tum Damaſus Romanus Pontifex cuſtodiret. Grauiſſimè olim ab Auguſtino ſcriptum eſt, vt Irenæos interim, Cyprianos, Euſebios, Vincentios Lirinenſes omittam:

Contra Epiſtolam Manichæi c. 4

Multa ſunt quæ me in Eccleſiæ gremio iuſtiſſimè tenent: tenet me conſenſio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata; tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem ſuam Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum, tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſola obtinuit. Hæc ſcripſit Auguſtinus de ſua ætate, quando ſedes Petri durauerat ſolùm quadringentos plùs minùs annos. Quid nunc diceret de Romana Eccleſia, quæ in hunc vſque diem, hoc eſt, ad annum vſque quingenteſimum ſexageſimum ſeptimum ſupra milleſimum continuâ ac perpetua Epiſcoporum ſucceſſione perſeuerat, & fidem

dem Catholicam, fruſtrà aduerſarijs omnibus contrà pugnantibus, integram & illibatam cuſtodit.

Oſtendant nobis hi noui religionis magiſtri, (vt Tertulliani verbis vtar) ex qua ipſi auctoritate prodierint, edant origines Eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauit, auctorem & anteceſſoré habuerit. *De præſcriptionibus hæreticorũ c. 32.* Sic Optatus ille Mileuitanus Auguſtini æqualis: Veſtræ, inquit, cathedræ vos originé reddite, qui vobis vultis ſanctã Eccleſiam vendicare. *Lib. 2. contra Donatiſtas.* Verum quid ipſi aliquid probabiliter de legitima ſucceſſione confingant; cùm illud in cõfeſſo ſit, non modò nullam eſſe apud illos Sacerdotum & Epiſcoporum in eadem quam prædicant fide & religione ſucceſſionem, verum etiam eorum Eccleſias nunc quoque Sacerdoribus & Epiſcopis legitimè ordinatis, præterquam qui à noſtra, hoc eſt Catholica, defecerunt, omnino carere? Quamobrem apud eos templa videre licet, ſicut ſacrificio ita & Sacerdotio deſtituta. Egregia verò Eccleſia, in qua nullus Epiſcopus, nullus Sacerdos, nullum eſt ſacrificium: in qua cuiuis de fæce vulgi, penitus illotis, quod aiunt, manibus, & ad Sacramentorum & ad verbi miniſterium, citra vocationem vllam & ordinationem legitimam accedere licet.

Sed non eſt animus iſta perſequi pluribus. Hoc volo cum D. Auguſtino, cuius ego rationibus & ſermone ſicut vnicè delector, ita vtor etiam libentiſſime: Quum tantum auxilium & prouidentiam Dei in Romana Eccleſia, tantum profectum fructumque videamus; dubitabimus nos in eius Eccleſiæ condere gremio, quæ vſque ad confeſſionem generis humani ab Apoſtolica ſede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtrà hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiã miraculorum maieſtate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? cui primas dare nolle, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ. *De vtilitate credendi ad Honoratũ c. 17.* Et certe, vt ne diutiùs his immoremur, ſi Eccleſiæ Romanæ fidem ſectando falli quempiam ac recedere à veritate contingeret, haberet ille, meo iudicio, quo ſe ad Diuinum tribunal iure purgare, atque adeò errorem ſuum in Chriſtum ipſum reijcere poſſet. Quid enim? An non huic liceret iudicem in hæc verba affari? Amplexatus ſum fidem & præcepta illius quem te Eccleſiæ tuæ magiſtrum, quem ouium tuarum Paſtorem conſtituiſſe teſtatus es: ſi huius audiendo vocem errraui, tu ſanè mihi auctor erroris es. Nunc verò nulla prorſus cuiquam reliqua eſt excuſatio. Si enim quiſpiam à recta fide dilapſus, imperitiam fortè ſuam iudici Chriſto alleget, quòd inter dubias opiniones & veriſimiles falſitates, per vnam ſanæ doctrinæ ſemitam difficilè potuerit inoffenſis greſſibus ambulare; cumque vndique ſeſe laquei, vt nunc fit, erroreſque opponerent, periculum omne deceptionis euadere: nimirum in promtu erit iudici quod huic reſpondeat; Ex ore tuo te iudico ſerue nequam: ſi rudis eras & imperitus, arduumque eſſe cognoſcebas inter errores varios ac veriſimiles falſitates veram fidem diſcernere; cur non illius doctrinam amplexus es, quem ego Eccleſiæ magiſtrum, ouiumque mearum Paſtorem conſtitui, præſertim cùm in Euangelijs ad vnum omnibus, id quàm apertiſſimè explicuerim, huiuſque Paſtoris (Romani dico Pontificis) opera & miniſterio, ad veſtram vſque ætatem Chriſtianam religionem & fidem Catholicam conſeruarim? Hæc velim cum animis ſuis ſeriò aliquando cogitarent, quibus vſque adeò collibitum eſt doctrinam fidemque Eccleſiæ Romanæ conuellere; & quiduis potiùs ſequi, quàm quod præſcriptum ſit vel profectum à Romano Pontifice.

Sed de prima Orationis parte iam ſatis dictum eſt. Alteram, quæ ſupereſt, paucioribus abſoluemus.

ALTERA ORATIONIS PARS.

DEBACCHANTVR aduerſarij ſtrenue in luxum & impudicitiam Sacerdotum, in ambitionem, inſcitiam atque ignauiam Epiſcoporum, in tyrannidem, vt loquuntur, Romani Pontificis; & hoc vnicè inter cetera in cauſam ſacrilegæ diuiſionis allegant, ſe timore Dei & conſcientiæ defeciſſe, ne inter improbos Sacerdores & Pontifices viuerent. Quemadmodum Auguſtinus Epiſtola 137. ſemper id hæreticis vſitatum fuiſſe, in cauſa diuiſionis ſuæ defendendæ, teſtatur. Hanc obiectionem ſi, vt par eſt, adnitar refellere,

fellere, non deerunt fortaſſe quibus videar propriam plus æquo cauſam agere, ordinemque potiùs meum quoquo pacto velle quàm veritatem defendere. Proinde optarem partes haſce alteri cuipiam eſſe datas, in quem nulla ſtudij partium vel ſiniſtræ eiuſmodi exiſtimationis ſuſpicio poſſet incidere: talis enim cum maiori alacritate atq; fiducia, tum vberiori etiam fructu fortaſſis, verba de his facere rebus poſſet. Verùm, quando ita viſum eſt iſtarum quæſtionum ornatiſſimo Præſidi, vt quidnam hîc ſectanjs reſpondendum ſit ego potiſſimum iudicem, meamque ſententiam vos celeberrimi Auditores de præſenti controuerſia expectetis, breuiter vobis animi mei ſenſum aperiam: ſi illud prius apud humanitatem veſtram quam demiſſis poſſum maximè precibus egero, vt quas hactenus dicenti benignas attentaſque aures præbuiſtis, deinceps eas non denegetis.

Principio inter Sacerdotes noſtros, quoſdam in obſcura non Diuinarum modò verùm etiam humanarum litterarum ignoratione verſari, libidinosè viuere, officio ſuo minùs officiosè defungi, diffiteri nec poſſum nec debeo. Sunt ſanè quædam in noſtrorum hominum moribus emendatione & animaduerſione digna: peccatores ſumus: peccata noſtra, & quòd partim noſtra ſocordia, partim temporum calamitate peccandique licentia non paululùm à perfecta maiorum noſtrorum virtute ſanctimoniaque deflecximus, haud inuiti agnoſcimus. Vtinam ea refellere commode liceat, quæ ex Bernardo & alijs de corruptis noſtri ſæculi moribus proferuntur: ſed veriora profectò ſunt pleraque de multis, quàm vt refutari queant. Verum an iuſtam iſti idcircò ſeparationis cauſam habebunt? Num continuò rerum ordines propter abuſus tollendos, & quemadmodum Lycurgum propter temulentos vino malè vtentes, ſtirpitus vites ferunt excidiſſe, ita propter nonnullorum hominum deformatos mores, non reformandam viuendi regulam, ſed propemodum abrogandam, exiſtimabunt? An propterea nobis iura noua legiſlatores eximij deſcribent, priſca & vſitata, & iam inde ab heroicis temporibus repetita damnabunt? Homines noſtros nihil ſapere, & quod paſſim vſurpare ſolent, litteras Sacras ignoraſſe, ſe ſolos earum ſenſum feniſſe, myſteria detexiſſe, plus ſuum aſylum quam vniuerſi orbis conſilium vidiſſe clamitabunt? Quis verò tales nobis legiſlatores adhibuit? quis tales nobis tribunos plebis aut cenſores legibus corrigẽdis ac ferendis creauit. Numquam tam feliciter actum eſt cum Eccleſia, quin multa fuerint corrigenda, & inter paucos bonos, multos pertulerit improbos: eaque ſemper fuit, ſemperque futura eſt rerum humanarum conditio, vt plus habeat aloës quam mellis. Quoties clamat Paulus in pſeudoapoſtolos, in canes, in malos operarios, in falſos fratres, in ventris mancipia, in ſua quærentes, non quæ IESV Chriſti! Quid igitur? Quia tales erant etiam Pauli temporibus magna ex parte verbi miniſtri, num eis propterea Spiritus ſanctus defuit? num ideò iugum eorum fuit ab ouibus excutiendum? Qui tum annuntiabant Chriſtum, faciebant id animo minime Chriſtiano. nihil enim aliud ſpectabant quam vt capto vinctoque Paulo maiorem adderent afflictionem, vt ex Euangelij profectu maius illi conflarent odium, eumque adeò in vitæ ſuæ diſcrimen adducerent. Neque tamen ideo Paulus eos audiri prohibuit: quin quacumque tandem occaſione Chriſtum per eos annuntiari gaudebat. Solent omnium rerum feruere principia. Erat tunc temporis puſillus Eccleſię grex: & tamen in hoc erant diſſidia, factiones, cõtentiones: in hoc erat qui palàm vxoris loco nouercam haberet: in hoc Demas, qui relicto Euangelio, ſecutus eſt ſæculum: in hoc qui mentirentur, qui circumuenirent, qui fraudarent fratres, qui circumcide[illegible]ntur. in hoc quæ otioſæ circumibãt domos alienas, garrulæ & curioſæ, oneratæ peccatis. in hoc erant viduæ, quæ collecta ex Eccleſiæ cibo laſciuia deſerto Chriſto ſeſe reflecterẽt ad Satanam: in hoc erant, qui blandiloquijs ſeducerent corda ſimplicium. Hæc aliaq; multa tunc fuiſſe, liquet ex Epiſtolis Apoſtolicis. Tantum malorum iam tum lactens taraque tulit Eccleſia: & miramur ſi in eadem tam numeroſa, tam latè diffuſa, ſint quæ bonis diſpliceant? & ob vitia quædam inſperſa cenſemus vniuerſam Eccleſiæ ſcenam inuertendam. Optabile quidem eſt, omnes Eccleſiæ Præſules eſſe quam maxime ſacra doctrina, ſtudio pietatis, charitate, ſinceritate morum ornatos. Paſtores ſunt ouium, ſed & ipſi ſunt oues; homines hominum curam gerunt. Nihil eſt quod metuant iſti, modò ſint ipſi boni, quidquam eis obfuturos Præpoſitos malos. Sarcinam ſuam vnuſquiſque portabit.

Numquid obfuit bonis tanta ſceleratorum multitudo, qui per Ezechielem Prophe-
Ezech. 9. tam dicti ſunt, nimirum illis qui gemebant & mœrebant facinora populi, quæ fiebant in
Homil. 33 medio eorum? Quin quanto Præpoſiti Eccleſiæ minus digni, tanto maiorem in cælis
in Matth. mercedem eis eſſe repoſitam affirmat Chryſoſtomus, qui non in perſonarum acceptione

fidem

fidem habeant; neque qui ſint ipſi, verùm quis & quantus ille ſit pro quo legatione funguntur, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, attēdunt. D. Auguſtinus Epiſtola 165. recenſens ordine Epiſcopos, qui Romæ à D. Petro vſque ad Anaſtaſium ſibi mutuo ſucceſſerunt: In hoc ordine, inquit, ſucceſſionis nullus Donatiſta Epiſcopus inuenitur. In illum ordinem Epiſcoporum etiam ſi quiſquam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ & innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus prouidens ait de Præpoſitis malis: Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt, enim & non faciunt. Vt certa ſit ſpes Fidelium, quæ non in homine ſed in Domino collocata, numquam tempeſtate ſacrilegi ſchiſmatis diſſipetur. Liberautem quid ſchiſmaticus ipſe, vel ſchiſmaticorum & hęreticorum anteſignanus potius, Martinus Lutherus de conſilio ſeparationis eiuſmodi ſenſerit, vobis iterum recitare. Nam qualis qualis ipſe ſit, digna tamen eſt vox hæc eius quæ celebretur, quamque omnes, qui ſe Catholicos profitentur, non in ore magis quam in pectore ſemper habeant: Quòd Romana, inquit, Eccleſia ſit *Citatur ab Hoſio in fine confeſſ. Polonica.* à Deo præ ceteris omnibus honorata, non eſt dubium. Ibi enim S. Petrus & Paulus, Pontifices quadraginta ſex Romani, ac tot centena millia Martyrum ſanguinem ſuum fuderunt, infernum & mundum vicerunt, vt vel palpari queat, quàm ſingularem habeat ad ad eam Eccleſiam reſpectum Deus. Quòd ſi nunc, prô dolor! res habet Romæ vt expediret habere meliùs, attamen neque hæc neque alia cauſa vlla tam grandis eſt nec eſſe poteſt, vt ab Eccleſia ſeparatio vlla vel diſceſſio fieri debeat. Imò quo peius res ibi habet, tanto magis accurrendum & adhærendum eſt. Per ſeparationē enim & contemtum non fit meliùs; nec dimittendus eſt Deus, propter Diabolum; nec vitandi reliqui boni, propter turbam prauorum. Alioquin cur non Moyſes quoque reliquit duræ ceruicis populum? cur non Helizæus & Prophetæ, reges Iſrael idololatras? Conſequens eſt, inquit, quòd Bohemorum diſſidium à Romana Eccleſia, nulla poſſit excuſatione defendi quin ſit impium, & Chriſti omnibus legibus contrarium; quia contra charitatem, in qua omnes leges ſummantur, perſtat. Nam hoc quod vnicè allegant, ſeſe timore Dei & conſcientiæ defeciſſe, ne inter malos Sacerdotes & Pontifices viuerent, hoc eos maximè omnium accuſat. Hęc ille. Videtis Auditores, quid de ſeparationis conſilijs ſenſerit ille ipſe, qui primus ætate noſtra ſeparationis ab Eccleſia Dei conſilium eſt amplexus, facemque adeò in Chriſtianiſmo diſcordiarum accendit: qualem ipſe contra Bohemos & ſe ſuique ſimiles hęreticos, veritatis vi coactus, ſententiam protulerit. Quocirca fugite per ſalutem veſtram, fugite, inquam, ſeparationis conſilia, & in vnitate Eccleſiæ permanere. Quales quales ſumus, quamdiu Catholici ſumus, parata eſt ſemper in Eccleſia Catholica remiſſio peccatorū, ſimul vt ex animo patratorum criminum pœnituent. Quiſquis autem ab Eccleſia Catholica fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter viuere ſe exiſtimet, ſolo hoc ſcelere, quòd a Chriſti corporis vnitate diſiunctus eſt, non habebit vitam, ait Au- *Auguſt. Epiſt. 152.* guſtinus, ſed ira Dei manet ſuper eum. Quid autem ſtultius quàm ſic odiſſe Sacerdotes, Epiſcopos aut Monachos improbos, vt ipſe te peiorem illis reddas, nec illos tamen efficias meliores: atque ita mala non ſolùm malis mutare, ſed etiam deterioribus. Nullum eſt enim vitium hæreſi aut ſchiſmate deterius. Congerantur in vnum Sacerdotem, dicam ingenue, vel Catholicum quemlibet, luxus, libido, ambitio, auaritia, & ſi quid prætereà criminum: totam hanc vitiorum lernam, vna ſuperat hæreſis. id quod mihi in promtu eſſet idoneis rationibus confirmare, niſi benignitatem veſtram nimia prolixitate vererer offendere. Numquam tam bene actum ſit, ſicut antè iam diximus, cum rebus mortalium, vt non multum fuerit querelarum tum de Sacerdorum ac Principum, tum de populi moribus. Alijs temporibus alia vitia magis regnarunt, hæc nullo tempore non fuerunt. Ita indignemur Sacerdotibus, vt & illos & nos homines eſſe meminerimus.

Porrò quòd in noſtrorum hominū vitia ipſi tam ſeuerè inquirunt, videant ne ſi viciſſim ipſorum abuſus maleficiaque notauero, metirò illud in Iudæos Chriſti dictum de *Lucæ 6.* trabe & feſtuca illis obijciatur; quod eleganter Lyricus Vates his verſibus expreſſit:

Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutùm,
Quàm aut Aquila, aut ſerpens Epidaurius?

Omnes Epiſcopi Romani vſque ad 23. vel ſi Luthero mauulris credere, 46. Martyrij gloriam tulerunt. Ac ſerò admodum ad illos ceteroſque Eccleſiæ Præſules repſit opum amor, deliciæ, dominandi libido. Quibus ipſis tamen vitijs nec tam multi nec tam graui-

ter obnoxij fuerunt, quàm maligni iſti clamitant, vt in odium eos atque inuidiam vulgi adducant. Videbimus qualis futurus ſit, qui Luthero aut Caluino vigeſimus ſucceſſerit: quamquam bona ſpes habet animum meum, ſore ne tam multi illis ſuccedant.

Certè Theodorum Bezam, Caluini Geneuæ ſucceſſorem, quem modò velut numen quoddam in Gallijs venerantur, litteris proditum eſt, cùm Lutetiæ, vbi lippis & tonſoribus, laniſtis & ganeonibus erat in primis cognitus, ſummeque egregiis ſcortationum & ludorum palmis nobilitatus; quum, inquam, Candidam illam ſuã, quam perditè deperibat, ſine probro periculoque abducere, & creditorũm, quibus ære obſtrictus tenebatur, fidem diutius fallere non poterat, exilio & fuga ſeſe omni vinculo nexuque exſoluiſſe. Quid vero poſteà egerit, & nunc in præſentiarum rerum gerat, vtinam non incredibili malo ac tantum non exitio ſuo Chriſtianiſſimum illud olim ac florentiſſimum Galliæ regnum experiretur. De aliis autem ipſorum miniſtris, quos appellant, id eſt, factionum ipſorum & partium adminiſtris ac ſatellitibus, quid dicam? Qui ſuperioribus annis vitandi iudicij ac ſupplicij, quod ſuis nefandiſſimis facinoribus erant promeriti, gratia, à nobis ad eos veluti ad aram confugerunt? Deinde in ipſorum procacitatis ſchola tres aut quatuor menſes maledicendo & debacchando (quæ vna eſt illorum induſtria) gnauiter exercitati, quaſi in bicipiti Parnaſſo, vt eſt in fabulis, ſomniaſſent, repentè Doctores effecti, ex ſutrina vel tonſtrina ad ſuggeſtum & concionem dimiſſi ſunt?

Agnoſcitis, opinor, quæ hic vobis geſta poſſim commemorare, ſi libeat. neque enim neceſſe eſt vt notiſſima referam. Hoc requiro dumtaxat, quum tantopere vociferentur in abuſus & vitia cœtus noſtri, vt ipſi nobis aliquid proferant melius & Euangelio dignius. Fortaſſis enim illic, ſi quis obſeruet, nõ minùs indulgetur luxui, libidini & pecuniæ, quàm faciunt illi quos deteſtantur. Proferant nobis quem iſtud ipſorum Euangelium ex commeſſatore ſobrium, ex feroci manſuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego eis nullo negotio multos oſtendam qui facti ſunt ſeipſis deteriores. Circumſpice mihi ſodalitatem iſtam Euangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot alijs vitijs infames. Apoſtoli quò magis vacarent Euangelio, aut abſtinebant ab vxoribus quas ducere licebat, aut legitimè ductas vertebant in ſorores. Nunc floret Euangelium quo Sacerdotes & Monachi, contra ius Diuinum, contra promiſſionem ſuam ducunt vxores, imò & repudiant etiam, ſi videatur, eodem ſcilicet iure quo duxerant. Condonetur hoc tamen. Obſerua, num caſtiora ſint illorum coniugia, quàm aliorum quos ducunt pro ethnicis. Quòd ſi meis verbis minùs habetur fides, referam verba illius qui diligentius his de rebus ex profeſſo diſſeruit, Eraſmi Roterodami, tanto maiore, quod quidem ad hanc rem pertinet, fide digni, quòd inter eos ipſe vitam degebat, qui ſe maximè iactabant Euangelicos, vt oculatus planè eorum teſtis fuerit: ſic autem ille habet: Excuſſa eſt obedientia Epiſcoporum, ſed ita vt ne profanis quidem magiſtratibus pareatur. Abiectum eſt iugum humanarum conſtitutionum: ſed vbi ſunt qui ſubmiſerunt ceruicẽ ſuam iugo Domini? Et interim conſtitutiones humanæ conſtitutionibus humanis, imò parũ humanis mutantur. Titulus modò mutatus eſt; vocatur enim Verbum Dei: ceterùm res adeò nihilo eſt mitior, vt complures boni viri præferant vltroneum exilium iſti magnificè decantatæ libertati. Atque adeò proceres quidam & anteſignani iſtius factionis, cùm nondum ad Epiſcoporum dignitatem, opes & ditionem peruenerint, tamen eiuſmodi ſpecimen de ſe præbent, vt ego me malim in Epiſcoporum quàm in horum poteſtatem tradere, ſi detur optio; malimque potẽtiſſimi Cæſaris ferre iugum, quàm quorumdam magiſtratuum Euangelicorum, quamuis humili ſorte. Sic excutiunt iugum hominum, qui veſtro Euangelio ſubmiſerunt ceruicem: magis vereor ne plerique pro graui iugo hominum, portent grauius iugum diaboli. Olim Chriſtiani ſub ethnicis Principibus quietè viuebant, ſtudioſè cauentes, ne quam ſeditionis occaſionem darent; exhibentes honorem cui debebatur honor, vectigal cui vectigal, tributum cui tributum: hortabantur Chriſto initiatos, vt idololatris etiã magiſtratibus obtemperarent, pro illorum incolumitate quotidie Deum orarent. At iſte populus tam Euangelicus, etiam Turcarum principi dicitur eſſe deteſtabilis, quem ait ſeditioni natum. Quoties, quàm leuibus de cauſis procurrit ad arma ne ſuis quidem Eccleſiaſtis ſatis obtemperans, niſi dicant blanda auribus: profligandi etiam, ſi liberiùs in vitam eorum inuehebantur, aut ab opinione diſſentiant. Hactenus illius verba retuli, qui multis annis inter eos verſatus eſt, nec valde nonnullis viſus eſt alienus ab illorum doctrina. Quorſum igitur attinet, ſic nobis improperare peccata

cata noſtra, quaſi verò ipſi non ſint grauioribus flagitijs cooperti?

Quòd autem ſe toties à nobis verberatos, necatos, cæſos, omniq́ue genere tormentorum & cruciatuum vexatos conqueruntur; ac nihilo minus ſe viuos cremari & crudeliſſimè mori, quàm turpiter nobiſcum viuere atque ſentire maluiſſe, tam ſæpè obiectant, habeo quod illis breuiter reſpondeam. Equidem ſic exiſtimo, vt in extremis corporum morbis, ita in reipub. vulneribus, nulla remedia tam facere dolorem quàm quæ ad ſalutem adhibentur. Id Cæſares Chriſtianos ſenſiſſe, Iuriſperitorum libri teſtantur; id noſtros maiores cenſuiſſe, annales & monumenta apertè loquuntur; id poſtremò ita eſſe faciendum Caluinus ipſe in Serueti ſupplicio, id alij præterea eiuſdem cum eo farinę ſcriptis ſuis, quorum me maximè auctoritas in hac parte mouet, indubitanter confirmant. Quemadmodum enim Caluinus, poſt ſumtum de Serueto extremum ſupplicium, edito libello rectè in hæreticos gladio animaduerti docuerit, notius eſt quàm vt me auctore diſcere debeatis. Clamant enim Serueti diſcipuli, cùm eum Caluinus Scripturis ſuperare non poſſet, à vi & armis præſidium eſſe mutuatum. Sed hoc vtcumque ſe habeat, abſit, vt nos Caluini de Serueto factum improbemus: quin laudamus potiùs. Si quod ille de Serueto fecit, factum idem fuiſſet ante annos quadraginta de primo hæreſeón omniũ architecto, nullum inſigne magis exemplum diuinæ cuiuſdam clementiæ edi potuiſſet: ſeruatæ fuiſſent paſſim tot myriades Chriſtianorum, quibus libertas Euangelica, quam iſti prædicant, non modò libertatem eripuit, ſeruituteḿque duriorem effecit, verum etiam & corporum & animorum exitium attulit ſempiternum; neque tot & tantæ fuiſſent in hiſce noſtris & vicinis regionibus calamitates conſecutæ. Præclarè ſcriptum eſt à D. Hieronymo: Scintilla res parua eſt, & pæne dum cernitur non videtur: ſed ſi fomitem comprehenderit, & nutrimenta ſui quamuis paruus ignis inuenerit; mænia, vrbes, latiſſimos ſaltus regioneſque conſumit. Fermentum quoque res modica videtur & nihili: ſed cùm farinæ conſperſum totam maſſam ſuo vigore corruperit, in illius vim tranſit omne quod mixtum eſt. Ita & doctrina peruerſa ab vno incipiens, vix duos aut tres primùm in exordio reperit auditores: ſed paulatim cancer ſerpit in corpore; & iuxta vulgare prouerbium, vnius pecudis ſcabies totum commaculat gregem. Igitur & ſcintilla ſtatim vt apparuerit extinguenda eſt, & fermentum à maſſæ vicinia ſemouendum: ſecandæ putridæ carnes, & ſcabioſum animal à caulis ouium repellendum: ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora; ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereant. Arrius in Alexandria vna ſcintilla fuit: ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, totum orbem eius flamma populata eſt. Hucuſque Hieronymus. Sic & in Saxonia Lutherus vna ſcintilla fuit: ſed quia nun ſtatim oppreſſa eſt, quantum ex ea ſit incendium excitatum, quis eſt qui ſiccis oculis commemurare queat?

Vide Hoſiũ lib 1 contra Brentium.

In 5. cap. ad Galat.

Verùm quando tempus monet vt orationem concludam, ad vos me, humaniſſimi Auditores, conuertens, viſum eſt ijſdem epilogi loco verbis vti, quibus Philippenſes olim D. Paulum eſſe legimus allocutum. Si qua conſolatio in Chriſto Ieſu, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſericordiæ, implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eamdem charitatem habentes, vnanimes, idipſum ſentientes. Nihil à vobis difficile, nihil durum vel moleſtum, nihil non expeditum, nihil quod non cum voluptate potiùs quàm cum labore coniunctum ſit poſtulamus: tantùm, vt idem ſapiatis, eamdem charitatem, eumdem ſpiritum habeatis: id eſt, vt alibi Apoſtolus diſertè eloquitur, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Quid eſt facilius quàm credere? quid dulcius quàm amare? quid porrò vtroque fructuoſius? Non ſic autem à vobis fidem requiro, ac ſi vobiſcum agam tamquam cum infidelibus, aut perſuaſum habeam vos nihil credere: prorſus enim mihi dubium non eſt quin credatis: ſed minimè ſufficere exiſtimamus, ſi quomodocumque tandem vos credere profiteamini. Verùm, ſicut habet Paulus, ita vos optamus credere, vt idem credendo ſapiatis: id quod de vobis, multis ijſq́ue grauibus argumentis permotus, confido: non vt ſingularem ſiue ſolitariam quiſque ſuam, non vt alius Lutheranam, alius Caluinianam, Auguſtanam alius, alius Anabapriſticam, alius aliam (iam enim, prô dolor! luditur fidibus, nec vna retinetur fides) ſed vt Romanæ, vt Catholicæ fidei confeſſionem Chriſtianam vnanimiter omnes amplectamini. Oſtendimus iam, & niſi me opinio mea fallit, certò atque euidenter oſtendimus, nullam eſſe idoneam cauſam deficiendi à fide & communione Romanæ Eccleſiæ. Nolite autem præbere ijs, qui per dulces ſermones & benedictiones, vt inquit Scriptura, ſeducunt corda innocentium. Obſeruate eos, clamat Apoſtolus, qui diſſen-

Philip. 2.

Rom 16.

ſiones & offendicula, præter doctrinam quam didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis. Nolite, inquit Ioannes, omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt, quoniā multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. Eſtote ſimplices ſicut columbæ, ne quem lædatis aut circumueniatis: ſed ijdem eſtote prudentes ſicut ſerpentes, ne vos Satanas mille inſtructus artibus circumueniat, corrumpatque ſenſus veſtros à ſinceritate quæ eſt in Chriſto Ieſu. Videte quo pacto ceſſerit ijs qui ſe noſtra tēpeſtate à Romanæ Eccleſiæ vnitate præciderunt, & relinquentes Ieruſalem quæ eſt ciuitas pacis, cuiuſque participatio eſt in idipſum, Babylonem ædificare, illique adhærere maluerunt: ignorantes nimirum quàm horrenda per Prophetas ſuos Deus Babyloni comminetur. Quæ quidem non illi dumtaxat de qua propriè ſcripſerunt, verùm etiam illi quam illa ſignificauit, eueniſſe videmus omnia. Ædificauit memoria noſtra primus in Germania Babylonem Martinus Lutherus. Quid ſupereſt malorum ex ijs omnibus quæ Prophetæ prædixerunt, quod in ea nō videamus eſſe completum? Sed, & in Anglia dudum extructa, & in Gallijs iam pridem extrui cœpta eſt Babylon, vt ne quid de noſtra inferiori Germania referam. Quibus non fuerunt regna illa iactata procellis & tempeſtatibus, quæ non pertulerunt naufragia, quibus non ſunt vaſtata inſortunijs? Neq; tamen eorum adhuc finis apparet vllus. Agite igitur, ô fratres, quorum exitus perhorreſcitis, eorum imitari facta ne velitis. 1. Ioan. 4.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

OBIECTIO *Præſidis Quæſtionum quodlibeticarum aduerſus prædicta.*

AVDIVISTIS celeberrimi Auditores, abſolutiſſimam reſponſionem doctiſſimi Domini Baccalaurei ad quæſtionem ſibi à me propoſitā; & quàm grauibus perſpicuiſque argumentis docuerit, Romanam Eccleſiam in ijs quæ fidem & mores Chriſtianos concernunt, errare non poſſe, & proinde nulli eſſe idoneam iuſtámve cauſam deficiendi ab hac Eccleſia. Nam quòd hæretici multa in particulari producunt, in quibus accuſant Eccleſiam illam falſæ ac perniciosæ doctrinæ; exempli cauſa, de numero & adminiſtratione Sacramentorum, de vſu imaginum, purgatorio, iuſtificatione, & hoc genus alijs; alterius inſtituti ac loci eſt, de his omnibus in particulari diſſerere. Nec iure poſſunt illa quemquam mouere, poſteaquā hoc ſemel in genere firmiter conſtitutum eſt, non poſſe Romanam Eccleſiam in dogmatibus fidei ac morum errare. Ceterùm, vnus ille me, eruditiſſime Domine, etiamnum ſcrupulus tenet, quem initio aduerſus negantem quæſtionis partem propoſui, ad quem non memini in oratione veſtra quidquam hactenus eſſe reſponſum. Quòd nimirum conſtet Romanos quoſdā Epiſcopos à recta fide lapſos eſſe; ex quo videtur conſequens, vniuerſam Eccleſiam Romanam poſſe in negotio ſalutis errare. Si enim fides Romani Pontificis dirigere ipſum non valet, multo minùs, vt apparet, alios in fide rectos efficiet. Quo pacto enim imbecillus in fide, fratres ipſe confirmabit? & non potiùs, iuxta Chriſti parabolam, ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadent? Licebit igitur eo caſu ab Eccleſia Romana deficere. Hunc nodum ſi vt oportet dilucidè explicueris, nihil equidem video quod obijci prætereà contra reſponſionem tuam meritò poſſit.

RESPONSIO.

OBIECTIONI huic video quoſdam haud aliter poſſe occurrere, quàm Romanos Pontifices erroris nota ſemel omnes liberando. Ita contendunt nullum vnquam in hæreſim incidiſſe, quin ne potuiſſe quidem cadere. Atque vt Anaſtaſium in libertatem aſſerant, Gratianum vexant contumelioſiſſimè, Iuriſperitis indigniſſimè maledicunt: vt verò Honorium tueantur, ſextæ generalis Synodi exemplaria falſarios corrupiſſe, multis coniecturis ſuadere nituntur. Sed eò vſque venire, mea quidem ſententia, nihil neceſſe eſt, vt ne iam dicam ineptè eos pleraque hæc & temerè comminiſci. Illud potiùs adferam obiectioni diluendæ, in Romanis Pontificibus aliud eſſe quod ad hominis priuatam perſonam ſpectat, aliud quod ad communem Eccleſiæ gubernationem pertinet. Albertus Pighius.

Non eſt igitur negandum, quin ſummus Pontifex ſeu Romanus Epiſcopus hæreticus eſſe interdum poſſit, tametſi reuerà nullum eius rei certum proferatur exemplum; at, quòd

quòd in fidei iudicio contra fidem definierit, aut aliquid Eccleſiæ Chriſti vniuerſæ credendum præſcripſerit, quod ſit contrarium fidei, id verò penitus fieri nequit. Non eſt Eccleſiæ neceſſaria interior ſeu priuata fides Romani Pontificis; nec illius occultus & priuatus mentis error, Eccleſiæ Chriſti nocere poteſt. Quocircà, nõ eſt neceſſe, vt in interioris & perſonalis fidei conſeruatione, Romanis Pontificibus Deus ſemper aſſiſtat: at quòd dum ea decernunt quæ Chriſtianis credenda ſunt, dumque Eccleſiam Chriſti in fide dirigunt, non deficiant, ſed diuina manu ac protectione teneantur, hoc Eccleſiæ opus eſt. Idque proinde Romanis Põtificibus, etiam imbecillis & alioqui priuatim errantibus, non negabitur: ne videlicet per publicę poteſtatis errorem, Eccleſiam vniuerſam faciant in communi veritatis ignoratione verſari. Cuius rei memorabilem hiſtoriam narrat illuſtriſſimus Cardinalis Hoſius Epiſcopus VVarmienſis, de Vigilio Papa: Per ſcelus, inquit, is ad Pontificatum peruenerat. Siluerium enim Papam, cuius erat diaconus, inſtigante Auguſta, de ſede ſua deturbandũ atque in exilium deportandum curauerat, quòd is omnia ſe priùs & facere & pati paratum diceret, quàm vt quod Auguſta tanto ſtudio poſtulabat, Anthemium, qui propter Eutychetis hæreſim de ſede Conſtantinopolitana per prædeceſſorem ſuum Agapetum deiectus fuerat, in ſedem illam reſtitueret. In huius autem Silueri locum opera Auguſtæ ſuffectus ac Pontifex Romanus deſignatus eſt, ea lege, vt quod Siluerius conſtanter facere detrectabat, id ipſe facturum ſe, atque Anthemium in Eccleſiam Conſtantinopolitanam reſtituturum promitteret. Res eſt admiratione digna: ſtatim vt Petri cathedram aſcendit, idem illi quod Saùli euenit. nam ſuper eum quoque factus eſt ſpiritus Domini. Cumque longe alio animo ad Eccleſiæ gubernacula acceſſiſſet, poſteaquam promiſſi fuit admonitus per Auguſtam, priùs extrema quæque ſe paſſurum reſpondit, quàm vt hæreticum in ſedem, ex qua merito ſuo deturbatus fuerat, reſtitueret. Cumque multa probra, multos etiam graues cruciatus, famemque diuturnam in carcere pertuliſſet, paſſus eſt omnia fortiter, quòd multo ſe grauiora ſupplicia commeritum diceret, qui malis artibus Pontificatum aſſecutus, horrendum facinus contra ſanctum Pontificem Siluerium deſignaſſet. *Lib. 2. contra Brentium.*

Non fuit hic Pontifex in primo ſuo ingreſſu diſſimilis Caiphæ: effecit tamen ſedis huius Apoſtolicæ priuilegium, vt à fide non potuerit aberrare. quodque priùs impiè promiſerat, id piè poſteà negauit; ac eo quo Chriſtianum Pontificem decebat animo, tulit omnia potiùs fortiter quamlibet acerba, quàm vt aliquid indignum Petri ſucceſſore de religione ſtatueret. Verbum his non amplius addam.

QVÆSTIO PRIOR SINE ARGVMENTIS.

An vera CHRISTI ECCLESIA *annexa perpetuò ſit* ROMANÆ VRBI.

FVERVNT olim, & ſunt etiamnum, nonnulli haud infimi nominis viri, qui exiſtimarunt Eccleſiã Chriſti non eſſe vmquam ab vrbe Romana ſeparandam: hoc eſt, fidem & primatum Eccleſiæ, Petri cathedram, clauesque regni cælorum, à Romana diœceſi eſſe inſeparabiles, quodque prouidentia Dei, & B. Petro Apoſtolo opem ferente, Romanus Epiſcopatus non deficiet vmquam totus à fide. Quemadmodum videmus ab initio prædicationis Apoſtolorum ad hæc vſque tempora in tot tantiſque tyrannorum perſecutionibus, eamdem hanc diœceſim Romanam, neque à tramite Apoſtolicæ traditionis vmquam aberraſſe docendo, neque hęreticis nouitatibus aliarum more credendo ſuccubuiſſe, ſed antiquam & veram fidei normam ſecundùm Apoſtolorum traditionem perpetuò tenuiſſe. Verùm hanc prærogatiuam poſſeſſuram ſemper in poſterum eſſe vrbem Romanam, non poteſt aperte vel certò Scripturis euinci. Nam quod ait Chriſtus: Ego pro te rogaui vt non deficiat fides tua. item; Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. ad Petrum quidem eiuſque ſucceſſores in ſede Romana extra controuerſiam pertinet: ſed vtrùm qui B. Petro legitimè in Epiſcopatu Romano ſuccedunt, in ipſa Romana vrbe illi ſemper manſuri ſint, id demum eſt quod in controuerſia ponitur. *Lucæ 22.* *Matth. 16.*

Conſtat

Conſtat certè, Clementem Quintum, (recténe an ſecùs, iam non excutio) anno ſalutis humanę 1302. ex vrbe Romana Auinium, quod oppidum eſt in Gallia Lugdunenſi, migraſſe, ibiq; Sedem Pontificiá totos 74. annos manſiſſe, ad tempora nimirum vſque Bonifacij Vndecimi. Cui ſimile quiddã Romanis ciuibus nuper interminatum fuiſſe, quem nunc habemus verè ſanctiſſimum Patrem, Pium Quintum, non vano quorumdam rumore accepimus: niſi videlicet meretrices Vrbe exigerentur, ſe aliò cum tota curia migraturum.

Egreſſo autem ex Vrbe ſucceſſore Petri, ad quem perpetuæ fidei atque Eccleſiæ promiſſio pertinet, nõ video equidem cur ciuitas ipſa populuſque Romanus non æque poſſit degenerare, vt ceteri. Homines ſunt Romani, inſidijs diabolicis æquè vt nos ſubiecti, breuiter, humani ab illis alienum eſt nihil. Quid obſtat igitur, quo minus ipſi quoque poſſint à fide excidere? Et vtinam non illud aliquando Diuina miſeratione conringar, quod tamdiu concupiuit, & tot modis crebrò egit immaniſſimus ille & perpetuus hoſtis nominis Chriſtiani Turcarum Imperator, puta vt vniuerſa Italia ſub eius ditionem redigatur. Certè quantum eius imperio quotannis ferè ex nobis accreſcat, & ſit ipſe multo veriùs ſemper Auguſtus, nemo non videt Chriſtianus, nemo non dolet.

De religioſo illo & pio non minùs quàm erudito Dionyſio Carthuſiano memoriæ proditum eſt, cùm quodã tempore inter Miſſarum ſolemnia diuinis reuelationibus vacans, demiſſe Deum percontaretur, futurúmne aliquando eſſet, vt Romanam vrbem ſibi Turca ſubijceret; reſponſum accepiſſe, non intereſſe eius, nec expedire illud cognoſcere. Integrum itaque eſt, in ſenſu ſuo hîç vnicuique abundare, quum neutra quæſtionis pars, vel ſtatui certò ex Scripturis poſſit, vel ijſdem oſtendi perſpicue repugnare.

Quid autem ſibi velit quòd Paulus Apoſtolus poſterioris ad Theſſalon. 2. cap. inter ſigna quæ diem, vt appellat, Domini, antecedent, diſceſſionem ſeu defectionem enumerat, quam Lactantius, Chryſoſtomus, Hieronymus, & alij plerique veteres, Romani imperij interitum ſeu vaſtationem intelligunt: rurſus, quid illa Balaam prophetia, Numerorum 24. ſignificet; Venient in trienbus de Italia qui ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipſi peribunt: ſtudioſis Sacrarum litterarum perſcrutatoribus inueſtigandum relinquo. Lactantius autem ſub finem 7. lib. Diuinarum inſtitutionum dicit, incolumi vrbe Roma nihil eſſe magnopere de mundi fine metuendum. At verò, inquit, quum caput illud orbis ceciderit, quod vſque nunc ſuſtentat omnia, quis dubitat veniſſe iam finem rebus humanis orbique terrarum?

QVÆSTIO ALTERA SINE ARGVMENTIS.

An rectè, qui ROMANÆ ECCLESIÆ *adhærent, appellentur* PAPISTÆ.

AB antiquo hæreticis proprium ac veluti natiuum fuiſſe, maledictis & contumelijs agere, & vbi veritate ac ratione deſtituerentur, conuitia in cõtradicentes impio ore torquere, notius eſt quàm vt à me hic ſit exemplis aut hiſtorijs explanandum. Hi, inquit Thadæus Apoſtolus, carnem quidem maculant, dominationem autem ſpernunt, maieſtatem autem blaſphemant. Cum Michael Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non fuit auſus iudicium inferre blaſphemię, ſed dixit, Imperet tibi Deus. Hi autem quæcumque quidem ignorant, blaſphemant; quæcumque autem naturaliter tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Sic noſtræ tempeſtatis homines, ſeſe ſpecioſo nomine Euangelicos, nos autem probroſo & vili, vt ipſis videtur, Papiſtas appellant: ſtudentes nimirum hac nomenclatura inuidiam nobis vulgi odiumque conflare, tamquam ij ſimus, qui Romanum Papam ceu Deum quemdam in terris veneremur, eius adnitamur tueri ac promouere tyrannidem, & ab ijs quæ ipſe nobis mandet, quæcumque tandem illa ſint, etiam ſi aduerſa quod aiunt fronte verbo Dei repugnent, ne latum quidem vnguem recedere audeamus.

Iud. Epiſt.

Ceterum, nos ſi rectè ſentimus, non feremus indignè quòd eo nos ipſi nomine vocẽt, nec vitio nobis illud aut probro, ſed gloriæ potiùs atque honori ducemus. non quidem

vt ipſi

vt ipſi no[illegible] illud falsò accipiunt, ſed ſicut natura ipſa nominis ratioque expoſcit. Papæ nomi[illegible] nó quiuis olim Pontifex ſiue Epiſcopus dicebatur; ſed qui multorum Epiſcoporum tamquam pater curam gerebat, multaſque aut fundabat, aut docebat, aut regebat Eccleſias. Sonat enim Papa, ſi Grammaticis quibuſdam credimus, idem quod Pater patrum, vtriuſque videlicet dictionis primis ſyllabis in vnam vocem conflatis. Sic Hieronymus Hilarium, Athanaſium, Epiphanium, Auguſtinum quoque interdum, Papas appellat. Iſtud autem nomenclaturæ quoniam nulli aptiùs Pontifici quàm Romano competebat, cuius miniſterio & auctoritate vniuerſa Eccleſia, quàm late per orbem diffuſa eſt, gubernatur; omnes conſtituuntur Epiſcopi, fideles omnes in officio continentur; hinc penes ſolum Romanum Pontificem honorificum illud & præclarum nomen Papæ, velut per antonomaſiam, remanſit. A quo quum ſubditi eius ſeu Catholici nominantur Papiſtæ, nihil aliud deſignatur quàm eos conſtituere illum hominum cœtum, ad eamq́ue Eccleſiam pertinere, cui ſucceſſor D. Petri Romanus Epiſcopus, tamquam caput & ſummus ſub Chriſto Paſtor præſidet.

Quin etiam dum res benè perſpicitur, dum nos Papiſtas appellant, nihil ferè aliud vocant quàm Catholicos. Non enim partem aliquam aut ſectam nutat, Papiſtam vocari. Non eſt Papa certus aliquis aut nouus auctor religionis, ſicuti Arrius, Lutherus, Caluinus: nec vnius alicuius loci, ſed totius orbis Chriſtiani Patrem ac Paſtorem ſignificat: nec huius temporis perſonam aliquam, ſed perpetuum Eccleſiæ ſupremum Præfectum ac ſummum Epiſcopum denotat. Quare, dum nos Papiſtas nuocupant, nihil aliud reuerà quàm oues & ſubditos appellant illius, cui in perſona Diui Petri Chriſtus omnes oues ſuas commiſit, cui totus orbis Chriſtianus ceu capiti ſuo, D. Petri ſucceſſori, Chriſtiq́ue in terris Vicario generali, ſubijcitur, in cuius Eccleſiæ communione Chriſtiani omnes cuiuſcumque nationis exiſtant, & hodie & ſemper antè vixerunt. Quamobrem ſi exprobramini, inquit Petrus, in nomine Chriſti, beati eritis; quoniã quod eſt honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui eſt eius Spiritus, ſuper vos requieſcit. Non erubeſcite, glorificate autem Deum in iſto nomine. *1. Pet. 4.*

Maledicebant olim Iudæi, Euangelio teſte, cuidam cæco ad Chriſtum à quo ſanatus erat conuerſo, dicentes: Tu diſcipulus eius ſis. Sed felix illa nimiùm, optanda & ſalutifera maledictio. Non eſt quòd terreamur hominum iniquorum de nobis exiſtimatione, dicterijs, agnominationibus, contumelijs. Quorum illa eſt peruerſitas & malitia, vt ſicut rebus quibuſque optimis, ſic nominibus honeſtiſſimis abutantur; & quæ honoris ſunt ſummi, in ignominiam vertant. Arriani olim Catholicos per conuitium Homouſianos vocabant. Et tamen quid non veritatis & gloriæ verè eſt in illo nomine? Apud Turcas, Saracenos, Iudæos, nullum eſt nomen exoſum magis & execrabile, nomine Chriſtiani. An par eſt idcircò vel pudore affici, vel abſtinere penitus ab huiuſce nominis mentione? *Ioan. 9.*

Si protinus tollendum eſt quo plures abutuntur, quid erit tandem reliquum in rebus humanis? quum & Sacramentis omnibus, & ipſa adeò ſacra Scriptura innumeri hodie non modò indigniſſimè abutantur, verùm etiam ferre æquo animo prorſus nequeant. Nec refert à quibus res aliqua, noménve quod rem bonam deſignet inuentum ſit, boniſne an malis, Catholicis an hæreticis. Amanda eſt veritas vbicumque inueniatur. Et ſi quis animum diligenter aduertat, comperiet ille fortaſſis, quę quotidiana experientia docet, humano generi ſummo eſſe & neceſſario vſui, ab improbis ferè primitus aut alioqui abiectæ ſortis hominibus eſſe inuenta. Viuant igitur, diuino eos Numine protegente, floreantq́ue Papiſtæ.

D I X I.

PETRI

PETRI SIMONIS TILETANI

EPISCOPI YPRENSIS

EXHORTATIONES

AD CLERVM

HABITÆ IN EPISCOPATV.

EXHORTATIO *prima ad Clerum Yprenſem de* POENITENTIA, *& vera ad Deum conuerſione, initio Quadrageſimæ, anno* 1585. *ſuper verbis Ioëlis Prophetæ:* CONVERTIMINI AD ME, IN TOTO CORDE VESTRO, IN IEIVNIO, ET FLETV, ET PLANCTV, *&c. Ioël.* 2.

Quidnam ſit ad Deum conuerti, iuxta mentem Prophetæ: quódque vera ad Deum conuerſio & pœnitentia primùm omnium ſpectet ad Sacerdotes & Eccleſiaſticos.

QVONIAM id ita intelligo hodierno die hactenus ferè obſeruatum fuiſſe, Reuerendi ac venerabiles Domini, vt prædeceſſor noſter D. Martinus Rithouius, felicis recordationis, ad Clerum præcipue ciuitatis vel Eccleſiæ huius, aliquam Latinè exhortationem fecerit; non putaui mihi committendum eſſe, vt piæ huic ac laudabili cõſuetudini pro noſtræ tenuitatis modulo & facultate deeſſem. Vt autem non longiore vos præfatione detineam, videor mihi nullis vos aptioribus verbis alloqui poſſe, quàm quibus hodie pia & prudens mater noſtra Eccleſia, eadem plane intentione, nos omnes alloquitur. Si enim alia fuiſſent in Sacris litteris aptiora ad inſtructionem noſtram, non dubium eſt (vt in omnibus rebus & conſilijs ſuis ſingulari Sancti ſpiritus inſtinctu regitur) quin ijs potiùs vſa fuiſſet. Audiamus igitur cantum & exhortationem eius in hoc capite Quadrageſimalis ieiunij & abſtinentiæ. cantum inquam Eccleſiæ, triſtem illum quidem, iniucundum, & lugubrem; ſed non minus profectò vtilem & ſalutarem; vt vulgò etiam nec ſine ratione corpori noſtro ſalubriora & magis conducibilia referuntur, quæ guſtui & palato amariora videntur. Sic hodie Eccleſia intonat, ſic Deum nos omnes grauiſſima concione compellantem, &, tamquam tonitru quodam, è ſomno excitantem inducit: CONVERTIMINI AD ME, IN TOTO CORDE VESTRO, IN IEIVNIO, ET FLETV, ET PLANCTV; ET SCINDITE CORDA VESTRA, ET NON VESTIMENTA VESTRA, ET CONVERTIMINI AD DEVM VESTRVM, QVIA BENIGNVS ET MISERICORS EST, ET PATIENS, ET MVLTÆ MISERICORDIÆ, ET PRÆSTABILIS (ſiue vt 70. Interpretes clariùs habere videntur, POENITENS) SVPER MALITIA. QVIS SCIT SI CONVERTATVR ET IGNOSCAT, ET RELINQVAT PO[ST] SE BENEDICTIONEM, SACRIFICIVM ET LIBAMEN DOMINO DEO NOSTRO? Multa ſequuntur prætereà in eamdem ſententiam. Sed nobis ad dicendum ſatis ſuperq́ue ſunt, ſatiſque vberem

rem & copioſam exhortandi materiam præbent quæ iam recitauimus. Reſumamus igitur ſententiam ab exordio.

Convertimini, inquit, ad me. Hæc tria dumtaxat verba vobis modò breuiter explicabo: cetera omnia in aliud forraſſe tempus & occaſionē aliā differemus. Priuſquam intelligamus quid ſit conuerti ad Dominum, obſeruandum eſt primùm, conuerſionem hanc ad Dominum, ad quam Propheta ſiue Eccleſia ſeu Deus potiùs nos adhortatur, auerſionem aliquam, vt communiter loquimur, præſupponere. Nemo ſe de nouo ad Deum conuertit, niſi qui priùs ab eo auerſus fuit. Et in hac vna re, vera peccati ratio propriè ſita eſt, quòd ſe quis vltrò & data opera, à Deo, hoc eſt à ſummo bono, auertit. Sic enim Theologi peccatum fere deſcribunt, auerſionem nimirum à bono incommutabili ad bonum commutabile.

Homo initio Deo coniunctus erat, in Deum reſpiciens, ad eumque ſemper prona conuerſus facie, lumen ab eo gratiæ, quo ſolo erat beatus, hauriebat. Auertit ſe ſua ſponte infelix, & retraxit à Deo, totumque ad creaturam conuertit, & quidem ad creaturam malam, impuram, damnatam, & iam antè perueiſam: quo factum vt eſt ſimilis planè illi creaturæ effectus ſit, ad quam ſeſe conuerterat, cuiuſque amore captus erat; hoc eſt malus, impurus, peruerſus, mortalis, & mille malis obnoxius.

Hoc eſt quod Ieremias Propheta conqueritur cap. 2. Verterunt ad me dorſum, & non faciem. & Sophonias 1. cap. Extendam manum meam ſuper Iudam, & ſuper omnes habitantes Ieruſalem, & ſuper omnes qui auertuntur de poſt tergum Domini, & non quæſierunt Dominum, nec inueſtigauerunt illum. Sed omnium clariſſimus eſt locus Ieremię 8. Ille enim Propheta inter alios omnes pulcherrimè, & tamquam ad viuum multis locis peccati naturam deſcribit, & præ ceteris homines prouocat ad pœnitentiam: Numquid, inquit, qui lapſus eſt non reſurget; & qui auerſus eſt non reuertetur? Quare ergo auerſus eſt populus iſte auerſione cõtentioſa? Hoc eſt, obſtinata & pertinaci auerſione, vt planè nullam velint inſtructionē admittere; nolint ad mentē redire, vel quidquam omnino audire de pœnitentia; omnem admonitionem & doctrinam ſcientes & prudentes reijciant, opem omnem & medicinam ſpernant. Hoc eſt quod ſequitur continenter; Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti. Attendi, inquit, & auſcultaui; expectaui eos patienter ad pœnitentiam: fruſtrà & in vanum omnia. Nemo quod bonum eſt loquitur. Nemo eſt qui agat pœnitentiam de peccato ſuo, dicens; Quid feci qui vel mentionem aliquam audire velit de reſipiſcentia. Deus nos, fratres, præſeruet à tali mente. Intelligitis ergo ſatis, opinor, quonam pacto per peccatum à Deo auerſi ſimus: nimirum vt Iſaias quoque ait cap. 53. Omnes nos quaſi oues errauimus, poſtquam ſemel à Deo auerſi fuimus. Vnuſquiſque, inquit, in viam ſuam declinauit: alius ad ſuperbiam, alius ad auaritiā, ad iram & inuidiam alius, alius ad impudicitiam & libidinē, alius ad ebrietatem & gulam, alius aliò. Quis enim numeret gradus omnes & ſpecies infelicis huius & multiplicis auerſionis à Deo? Quemadmodū nimirum varia & propè innumera ſunt diuerticula quibus in errorem inducimur, vnica verò tantùm via eſt quæ rectà nos eò ducit quò tendimus. Quænam eſt via illa qua tot modis à Deo auerſi redire ad illum denuò poſſumus? Vna nimirum pœnitentia. Quæ ſcitè admodum eo nomine à Diuo Hieronymo nominatur altera tabula poſt naufragium.

Huc nos vocat Eccleſia, imò huc nos Deus ipſe potiùs per Eccleſiam vocat, dicens hoc ſacro abſtinentiæ tempore; Convertimini ad me. Verùm quid iam propriè eſt ad Deum conuerti? Si vtcumque intellexiſtis quæ iam modò breuiter diximus, ex ijs id ſatis poteſt colligi. Auerſi à Deo fuimus, vt audiſtis, per peccatum: vult igitur vt ad illum per virtutis & pietatis exercitium redeamus. In tenebris fuiſtis hactenus? ad lumen redite; in multa ignorantia atque in errore fuiſtis? redite ad veritatem. ad hæreſim & infidelitatem cucurriſtis? ad fidem modò veram & ſanctam religionem reuertite. ebrietatem & gulam amaſtis? nunc deinde ſobrietatem, ieiunium, abſtinentiam diligite. Sectati eſtis iniuſtitiam, vſuram, auaritiam? nunc æquitatem & iuſtitiam amplectimini. odio, inuidia, æmulatione mutua laboraſtis? nunc vos ad pacem veram & mutuam charitatem conuertite. Quid multis? Cecidiſtis omnes, vt pulcherrimè alicubi deuotiſſimus Bernardus inquit, & in lutum & ſuper lapides: hoc eſt, immundi effecti eſtis per peccatum, & ſaucij quoque, quod grauius eſt, ac letaliter vulnerati: Lauamini igitur, vt Iſaias 1. cap. inquit, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruerſè, & diſcite bene agere, & vulnera ſimul veſtra pœnitentiæ medicina miſeri

 obligate

obligate & curate. hoc eſt, quod hîc dicitur; CONVERTIMINI AD ME. Secuti eſtis hactenus deſideria carnis veſtræ: imitamini ſanctorum Magorum, vel trium (vt loquimur) Regum exemplum; per aliam viam deinceps reuertimini in regionem veſtram, in cæleſtem patriam.

Sed clariùs hoc etiam aliquanto diſcamus ex Euangelio, quidnam ſit nimirum, Ad Deum verè conuerti. Sic habet Chriſtus Matth. 18. Niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Scriptura longè pulcherrima. Hîc duo auditis notatu digna, ſi quæ alia: primum quæ pœna maneat illos qui ad Dominum non conuertuntur vt oportet, nimirum priuari in æternum regno Dei. Niſi, inquit, conuerſi fueritis non intrabitis in regnum cælorum. Quo quid dici poteſt grauius vel acerbius? Etiamſi nulla eſſet alia adiuncta pœna vel cruciatio illis qui tépeſtiue ac ſincerè ad Deum non conuertantur, quàm quòd excluduntur in æternum à regno Dei, tamen hæc ſola punitio, vt omnes diſerte Doctores tradunt, omnem aliam ſenſibilem pœnam ignis etiam atque incendij ſempiterni longè exuperat. Sed hoc hîc nunc nolumus diſputare. Videamus potius & intelligamus ex iiſdem hiſce verbis Seruatoris noſtri, qua in re præcipuè ſita ſit vera ad Deum conuerſio. hoc noſtra magnopere intereſt intelligere. Niſi, inquit, conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli. Hoc eſt igitur verè ad Deum conuerti, paruulum fieri in Chriſto: non quidem ſenſu, vt Paulus ait 1. ad Corinth. 14. ſed malitia. Non vult nos Chriſtus multiplici inſcitia laborare, inſtar paruulorum, qui vt malarum, ſic etiam omnium bonarum rerum & totius Chriſtianæ pietatis ignari ſunt; ſed vult nos procul eſſe ab iis omnibus vitiis, quæ neſciunt pueri: non eſſe malitioſos, fraudulentos, hypocritas, fucatos, ſimulatores & diſſimulatores, vt hodiernum etiam Euangelium docet; non ſuperbos, non iracundos, non inuidos, non auaros, non guloſos. Videtis pueros alienos eſſe ab omni faſtu, ſuperbia, arrogantia: perinde illis eſt quibuſcum ludant, an cum æqualibus ſuis, an cum pauperibus & abiectis; qua vtantur veſte, pretioſa an vili: non norunt inuidere, non iraſci, non odia ſeruare capitalia: etſi grauiter aliquando lædantur, pomo aliquo aut oſculo vel ſimili re nullius momenti facilè placantur: non magnopere appetunt aurum vel argentum, non cibos exquiſitos, omnibus in rebus paruo contenti ſunt, iiſque omnino quæ benigne illis dantur: pleni ſunt innocentia, pleni vera ſimplicitate & candore: nihil doloſe diſſimulant, nihil ſimulant fraudulenter: quia nihil peccant, nulla laborant mala voluntate, nullo etiam pudore tanguntur. Hanc vitam, hos mores ab eo requirit Deus, qui ſincetè ſe vult ad Deum conuertere.

Sed quum ſatis hæc nunc omnes, vt exiſtimo, capiamus; operæpretium erit, paucis aduertere, quibuſnam hæc verba propriè & præ ceteris videantur congruere: non quidem quòd dubitare liceat quin ad omnes ex æquo pertineant, qui Chriſtiano cenſentur nomine, cuiuſcumque ordinis aut vitæ conditionis exiſtant. Vt enim omnes ad vnum à Deo auerſi ſumus per peccatum, ſic neceſſe eſt ad eum vt reuertamur; idq; ad eum modum quem diximus, hoc eſt per veram pœnitentiam, & vitæ in melius mutationem, ſi ſalui aliquando & beati eſſe volumus. Sed enim vt hæc noſtra exhortatio ad Sacerdotes propriè pertinet, & eos qui ordinis ſunt Eccleſiaſtici; ſic verba illa quæ enarrare iam cœpimus, quibuſque nos omnes Eccleſia hodie ad pœnitentiam exhortatur, ad Sacerdotes potiſſimum dicta eſſe à Propheta videntur. Ita enim diſertis verbis Ioël Propheta paulò ſuperiùs concionatur: Accingite vos & plangite Sacerdotes, vlulate miniſtri altaris, ingredimini, cubate in ſacco miniſtri Dei mei. Hos nimirum primùm & ante omnia prouocat ad pœnitentiam: deinde alios omnes eodem inuitat, dicens; Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate ſenes, omnes habitatores terræ in domum Dei veſtri. Et ſanè multis nominibus æquum eſt, vt Sacerdotes & miniſtri Eccleſiæ in primis & ante ceteros omnes ad pœnitentiam prouocentur: non quidem quòd hîc diſputare velim, illos præ ceteris Deum annis his præcedentibus offendiſſe: reliquo id vniuſcuiuſque veſtrûm conſcientiæ; vt videat vnuſquiſque apud ſemetipſum, ſerioque perpendat, excuſſis diligenter omnibus conſcientiæ ſinibus, occultiſque receſſibus, quonam modo & quàm grauiter pro vocatione ſua, proque acceptis a Deo præ ceteris beneficiis, nimia ingratitudine aliiſque multis modis in Deum, in proximum ſuum, in ſemetipſum deliquerit. Quod ſi facit vnuſquiſque vt oportet, iuſtum ac ſeuerum in ſe iudicem agat, vt Paulus etiam Apoſtolus ad Corinth. 11. admonet, non ſe palpando, vt multis eſt conſuetudinis; non excuſando, non ſibi inaniter blandiendo: mirum, ſi non grauiſſimè

ſtatim

ſtatim coram Diuina illa maieſtate de propria turpitudine erubeſcet, & magno ſe confeſtim grauium delictorum aceruo onuſtum reperiet.

Hoc tamen (vt iam dixi) hic nunc non agitur; ſed illud breuiter tantùm dico, perſonæ qualitatem, vt nemo veſtrûm non nouit, circumſtantiam eſſe vnam & primariam qua delictum omne magnopere aggrauatur. Vnde primùm colligitur, etiamſi paria eſſent in ſe noſtra peccata & ſæcularium; tamen eam ob cauſam, quia Sacerdotes & miniſtri Dei ſumus, tantóque honoris & dignitatis gradu alijs antecellimus, peccata noſtra aliorum peccatis longe eſſe grauiora. Proinde rectè & meritò alicubi D. Bernardus ait; nugas inter ſæculares, nugas eſſe; in ore autem Sacerdotis, blaſphemias. Quod ſi de nugis dicit, quid ſentiret de verbis turpibus & obſcœnis, quid de temerarijs iuramentis, quid de Sacerdotum ebrietate, gula, auaritia & alijs vitijs grauioribus? Sed hæc res clarior eſt, quàm vt pluribus verbis & maiore probatione opus habeat. Quòd ſi igitur noſtra peccata tanto magnitudinis gradu aliorum peccatis præcellunt; conſequitur, nos in primis, nos, inquam, Sacerdotes & miniſtros Dei, ante alios nos debere ad Deum atque ad veram conuertere pœnitentiam; & tanto noſtram pœnitentiam maiorem & perfectiorem eſſe debere pœnitentia ſæcularium, quanto illorum peccata noſtrorum peccatorum grauitate & magnitudine ſuperantur. Altera huius rei cauſa nonnihil affinitatis habet cum illa quam modò diximus; ſed aliam tamen nonnihil etiam & propriam quamdam conſiderationem habet. Nos ab initio inter alios omnes proximi Deo fuimus. Antequam omnes ab eo pariter his præſertim ſuperioribus annis eſſemus auerſi, nos apud illum in ſummo eramus honore, euecti ab illo, amati, ornati, ditati, multiſque beneficijs affecti præ ceteris. Nobis illud præ alijs dicitur, quod toties & tam ſolemnibus verbis in Dei Lege repetitur: Sancti eſtote, quia ſanctus ſum ego Dominus Deus veſter, & ſeparaui vos à ceteris, vt eſſetis mei. Auditis, fratres, verba pulcherrima & plena in nos fauoris & munificentiæ Dei. Separaui, inquit, vos à ceteris, vt eſſetis mei. quaſi videlicet alij eius non ſint, ad eumque non pertineant. Vtinam ita hodie hæc verba acciperemus cum tanta animi deuotione & gratitudine, ſicque rem ipſam, vt eſt, perpenderemus, vt olim fecit Moyſes, quo tempore tamen Sacerdotalis dignitas eum noſtra nunc dignitate, nulla erat ratione comparabilis. Sic enim habet Numer. 16 cap. ad quoſdam illius temporis Leuitas, qui tamen ad Sacerdotij gradum & dignitatem non peruenerant: Num vobis parum eſt, quòd ſeparauit vos Deus Iſrael ab omni populo, & adiunxit ſibi.

Quòd ſi ſic illi præ ceteris cõiuncti fuimus anteà, & adhuc ſumus; eſtne æquiſſimum, vt, quum omnes expectat ad pœnitentiam, omnes ad ſe reuocat, omnes benigniſſimè ad ſe inuitat, nos primi omnium reuertamur? nec ſimpliciter ante alios pœnitentiam agamus tantùm, ſed vt magnus ille Baptiſta ait, dignos etiam pœnitentiæ fructus faciamus: ne alioqui nobis exprobret, quod Dauid olim tribui Iuda in cauſa non abſimili, & quum totus Iſrael à peccato grauiſſimo tandem ad illum reuerteretur, exprobrauit; 2. Reg. 19. Fratres, inquit, mei vos, os meum & caro mea: cur venitis nouiſſimi ad reducendum Regem? Annon hæc verba nobis Sacerdotibus penitus congruunt? An verò non ſumus os eius & caro eius, propinqui eius & conſanguinei, qui nimirum quotidie carne eius viuifica & pretioſo ſanguine paſcimur? An conuenit igitur, vt nos tam illi propinqui, tam chari præ ceteris, committamus vt nos aliqui in ſincera ad eum cõuerſione, in vera agenda pœnitentia antreuertant? An non potiùs æquiſſimum eſt, vt nos hac in re omnium primi ſimus? Sed nunc tertiam rationem audiamus. Nobis incumbit, conſratres chariſſimi, conuerti nunc ad Deum in toto corde, & pœnitentiam agere non noſtri cauſa duntaxat, ſed pro toto etiam populo cui præfecti ſumus; non modò vt noſtram priuatam, ſed vt cauſam etiam agamus omnium aliorum; vt oremus & ſacrificemus pro alijs, vt ſupplicemus & intercedamus pro alijs, vt Deum iratum non nobiſipſis tantummodò, ſed toti populo propitium & placabilem reddere ſtudeamus. Hoc eſt quod in quadam Pontificalis oratione dicitur; Vt, dum altari ſacrorum propitiationem imponimus, ipſi propitiatores Dei eſſe mereamur. Videntur verba abſonum quiddam & ineptum ſonare, vt propitiatores Dei eſſe mereamur. ſed rectè ſunt intelligenda: non quidem quòd Deus noſtra propitiatione opus habeat: ſed propitiatores Dei ſumus, quum Deum populo & precibus & ſacrificiis propitium reddimus, eiuſque propitiationem & miſericordiam impetramus. Cuius rei pulcherrimus typus eſt in veteri Teſtamento Numerorum 16. vbi Aaron Sacerdos offerens ſacrificium, & ſtans inter mortuos & viuentes, quos iam deuorabat incendium, orauit pro populo, & plaga ceſſauit.

Et hac de cauſa etiam populi oblationibus viuimus; & comedimus (vt arcanæ loquũtur Litterę) peccata populi. Æquum eſt enim, vt qui altari ſeruit, iuxta Apoſtoli etiam Pauli ſententiam, de altari viuat. Verùm, ſi ita res habet, ſi non ſolùm pro nobis ipſis, ſed pro vniuerſo etiam populo Deum rogare, flectere illum quantum poſſumus, & placare debemus; poſtulat ratio, vt nos præ ceteris & ante alios omnes pœnitentiæ operam demus, & noſmetipſos in primis ſincero corde & toto animo ad Deum conuertere ſtudeamus, ſi officio & vocationi noſtræ aliquo modo & quadamtenus ſatiſfacere volumus. Et hoc illud eſt quod in eadem hac Ioëlis Prophetia tam claris verbis exprimitur, & ab Eccleſia in proximo Quadrageſimali officio ad perpetuam & ſalutarem memoriam quotidie replicatur: Inter veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes, miniſtri Domini, dicentes; Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hereditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes. Iam ergo audiuimus breuiter, & quid ſit ad Deum conuerti, & quibus propriè id conueniat: reliquum eſſet, vt, quando potiſſimùm & quo anni tempore id faciendum eſſe videatur, explicemus. Sed quoniam hæc res longiorem tractationem deſiderat, & nunc nos hora, vt ſcitis, aliò vocat; de illa materia, alio, ſi Deus nobis faueat, tempore differemus.

Secunda ad Clerum de POENITENTIA *Exhortatio, initio Quadrageſimæ, Anno* 1586.

ANno proximè elapſo, pro ratione temporis huius & conſuetudinis, vobis explicare cœpimus verba illa Ioëlis Prophetę, quę hodierno die nobis proponit Eccleſia, quibuſque nos excitat ad pœnitentiam, CONVERTIMINI AD ME IN TOTO CORDE VESTRO, IN IEIVNIO, ET FLETV, ET PLANCTV, ET SCINDITE CORDA VESTRA, ET NON VESTIMENTA VESTRA; & quæ ſequuntur. Oſtendimus vobis tunc hac occaſione, ſi meminiſtis, quid ſit conuerti ad Dominum, & quibus propriè id conueniat. Non eſt autem animus, quidquam illorum, quæ tunc diximus, hîc repetere. Pergemus igitur in explanatione eorumdem verborum ad inſtructionem & exhortationem noſtram; ac primùm nunc dicemus, quando potiſſimùm nos ad Deum per veram pœnitentiam conuertere debeamus. Hoc enim doctrinæ atque exhortationis noſtræ ordo poſtulare videtur, vt quando tenemus qua in re vera ad Deum conuerſio ſita ſit, itemque ad quos propriè præ alijs verba illa pertineant; nouerimus deinde, quo præcipuè anni tempore ad Deum nos conuertere debeamus.

Hoc igitur quò intelligamus vt oportet; ſciendum nobis, ſeu potiùs ad memoriam reuocandum, in rebus omnibus externis nullum eſſe laborem aut operam, quæ non ſuum peculiare tempus requirat. Eſt ſuum tempus profectioni, nauigationi, piſcationi, agriculturæ, inciſioni venę, ſumendæ medicinæ, &c. Nemo miratur, quòd nunc temporis, appetente nimirum Vere, tus colitur, quòd in Autumno ſeminatur, quòd in Æſtate fructus colliguntur, quòd medio anno poſt Autumnum metitur: item quòd interdiu ab omnibus laboratur, & ſua quiſque functione defungitur, noctu verò quieſcitur. norunt enim omnes tempus ita & rem poſtulare. Adeò quidem vt ſi quis aliter faciat, ſi media hieme ſolum vertere, metere, vindemiam tentet facere; non ſolùm fruſtrà laborabit, nec tantùm omnibus magnam admirationem excitabit, ſed riſui etiã ſe ac ludibrio exponet omnibus, pro ſtolido, fatuo, ac propemodùm inſano reputabitur. Hoc eſt etiam quod tam diſertis tamq; multis verbis magnus ille Eccleſiaſtes concionatur 3. cap. Omnia, inquit, tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa ſub ſole: tempus plantandi, tempus euellendi quod plantatum eſt; tempus deſtruendi, tempus ædificandi; tempus belli, tempus pacis; tempus flendi, tempus ridendi, &c. Et propter conſimilem ſententiam, γνῶθι καιρὸν, Pittacus Mitylenæus habitus fuiſſe videtur ex ſeptem Gręcię Sapientibus; quòd videlicet ſapienter inter alia multa admonuerit, omnibus in rebus obſeruandam eſſe congruam temporis opportunitatem.

Et hæc quidem ita ſe habent in externis huius mundi negotiis, ac laboribus; verùm in ſpiritualibus rebus, quæ ad animam noſtram, ad cultum Dei, ad functiones & exercitia vitæ Chriſtianæ pertinent, nullum eſt omnino diſcrimen temporis. Ad huiuſmodi ſpiritualem agriculturam animæ noſtræ omne tempus æquè eſt opportunum. Die & nocte,

hieme

hieme, æſtate operari, & ſecare & reſecare, ſeminare & metere fructus iuſtitiæ & pietatis, non modo licet, ſed oportet etiam, ſi officio noſtro ſatiſfacere, ſi tempus noſtrum vt decet impendere & collocare volumus. Hoc in primis docet idem ille ſacer concionator cap. 9. Quodcumque, inquit, facere poteſt manus tua, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec conſilium, nec ſcientia eſt apud inferos, quò tu properas. Quaſi dicat, Vtere ad bene operandum, atque ad piè viuendum, omni & cuiuſuis opportunitate temporis: quoniã poſt hanc vitam operandi, vel pœnitentiã agendi, aut placandi Deum, aut reſarciendi præteritam negligentiam, tempus nullum erit. Sed multo etiam luculentius idem repetit 11. cap. Mane, inquit, ſemina ſemẽ tuum, & veſperi ne ceſſet manus tua: quia neſcis quid magis oriatur hoc an illud; &, ſi vtrumque, melius eſt. Quę cauſa eſt etiam cur in Sacris litteris noui præcipue Teſtamenti, huius vitæ tempus vni diei comparatur, qui totus nimirum nobis ſit diligenter ac ſollicitè vtili & ſalutari labore conſumendus. Sic Dominus noſter Ioannis 9. Me oportet operari donec dies eſt, venit nox quando nemo poteſt operari. Sic etiam 12. cap. Ambulate dum lucem habetis; ſeu dum dies eſt, vt non tenebræ vos comprehendant. D. Paulus ſimiliter 2. Corinth. 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Et ad Hebræos 3. Hodie ſi vocem eius audieritis nolite obdurare corda veſtra: ſed exhortamini voſmetipſos donec hodie cognominatur, hoc eſt tantiſper dum dies iſte vitæ præſentis durat. Omnes iſtæ ſententiæ eo referuntur, ne, quæ ad animæ noſtræ culturam vel ſalutem pertinent opera, in craſtinum velimus extrahere, nec differamus pœnitentiam noſtram aut conuerſionem ad Deum de die in diem, vt grauiter monet Eccleſiaſticus 5. cap. ſed nouerimus nunc iam, hodie eſſe diem ad veram pœnitentiam opportunum ac neceſſarium. Quem ſi ſocordia noſtra ſine fructu prętereire ſinimus; cras alium forte non ſimus habituri.

Et hæc omnia quamuis ita ſe habeant, eò tamen ventum eſt hodie, partim ſumma hominum infirmitate, partim etiã craſſa negligentia, ignorantia, prauitate mentis noſtræ, vt etiam in rebus ſpiritualibus temporis diſcrimen habeatur & ſeiũdum ſit. Nulli quidem prorſus dies, nihilque penitus temporis dandum eſſet laſciuiæ, gulæ, ebrietati, leuitati, vanitati, intemperantiæ: ſed omne tempus Chriſtianis hominibus ſacrum eſſe deberet, ſanctiſque pietatis omnis operibus deputatũ, adeoq; Sabbatum ſemper ex Sabbato, vt Iſaias Propheta ait 66. cap. Sed quis nunc hoc temporis diſcrimen eximet ex animis hominum carnalium? vt Scriptura eos appellat. Vult mundus Bacchanalia, vt loquitur, celebrare. In quibus quum nullum habeat locum diſciplina Chriſtiana, tamen putant ſe id temporis peccare non poſſe, nec modum excedere, imò ita ſe gerunt, quaſi Deus eo tempore iraſci non poſſit, quidquid deſignet mundus. Idque totũ vel vna ratione ſatis ſe excuſare poſſe arbitrantur, quòd ſint Bacchanalia; quaſi illa quoque ſuum tempus habere debeant per anni circulum. Nam in eius rei confirmationem afferre nobis audent illud Sapientis quod iam audiſtis: Omnia tempus habent. Nec vident homines ſtultiſſimi, ſi ſic licet colligere, ſecuturum eodem argumento tempus aliquando etiam eſſe debere furandi, latrocinandi, iniuriandi, ipſoſque adeò etiam lædendi varijs modis, qui ſic ratiocinantur. Nam ſi ebrietati, laſciuiæ, intemperantiæ tempus ſuum debetur, quoniam omnia tempus habent; cur non ſimiliter iniuſtitiæ, violentiæ, furto, rapinæ, omnique iniuriæ in Deum & in proximum? Sed demus illis tamen hoc argumentum, humaniterque omnino atque indulgenter cum illis agamus. Sit ſuum quoddam tempus etiam Bacchanalibus, quia omnia tempus habent. Verum ſi collectionem illam valere volunt, etiam in Bacchanalibus, par eſt vt longè maiorem vim habeat in Quadrageſima, quam nunc ingredimur. Si tum, quum ebrij, temulenti, intemperantes, leuiſſimi ſumus, dicimus, Omnia tempus habent: dicamus id nunc ſaltem ſimiliter tempore Quadrageſimæ, quando Eccleſia pariter nos omnes ad ieiunium, ad temperantiam, ad omne genus pœnitentiam, ad ſeriam ad Deum conuerſionem, vocat. Si illud tempus luxuriæ, gulæ, temulentiæ, ſtultitiæ & vanitatis omnis generis ius ſuum habet apud mundum; habeat hoc quoque ſanctum tempus abſtinentiæ ius ſuum ſaluum & inuiolatum apud Chriſtianos.

Nunc enim verè tempus eſt acceptabile, nunc eſt dies operandæ ſalutis noſtræ: mundi tempus cum heſterno die prętерijt, noſtrum cum hodierno incepit. Quem fructum habent nunc ex illis, quæ deſignarunt, omnibus, de quibus ſi ſaperent, nunc erubeſcerent? Nos nunc demum viuere, valere, regnare incipimus; ſiquidem Deo ſeruire regnare eſt. Nunc tempus eſt vt emẽdemus quæ toto anno ignoranter peccauimus, ne ſubitò præoccupati die mortis quæramus ſpatium pœnitentiæ, & inuenire non poſſimus. Quid autem

tem dico ignoranter, imò etiam multo magis quæ ſcientes & prudentes, quæ deſtinata voluntate peccauimus. Quis enim eſt noſtrum qui nihil iſtorum ſibi eſt conſcius? Varijs enim modis Deum offendimus toto anni longo circulo per ignorantiam, per infirmitatem, per malitiam voluntatis; multa per viſum & auditum, non pauca per linguam lubricum admodum & peſtiferum membrum, vt non iniuria D. Iacobus appellat. Hæc omnia, chariſſimi, nunc tempus eſt vna ſeria pœnitentia in ſacra hac Quadrageſima abluendi & expiandi.

Vtamur ergo parciùs
Verbis, cibis, & potibus,
Somno, iocis, & arctiùs
Perſtemus in cuſtodia.
Vitemus autem peſſima,
Quæ ſubruunt mentes vagas;
Nullumq́ue demus callidi
Hoſtis locum tyrannidi.
Dicamus omnes cernui,
Clamemus atque ſinguli;
Ploremus ante iudicem,
Flectamus iram vindicem.

Rogo vos, inquit D. Bernardus, tota deuotione ſuſcipite quadrageſimale ieiunium, quod nòn ſola abſtinentia commendat, ſed multo magis Sacramentum. Nam ſi deuote vſque modò ieiunauimus, vtique ſancto hoc tempore ieiunandum eſt multo deuotius. Si quid enim additur ad ſolitum abſtinentiæ modum, nónne valde indignum eſt vt nobis oneroſum ſit quod Eccleſia portat vniuerſa nobiſcum? Propterea, ſi diebus ceteris ſtudia veſtra aliquatenus tepuerunt; dignum eſt, vt nunc in feruore ſpiritus recaleſcant. Sicut enim procul dubio maiorem habiturus eſt abſtinentiæ ſuæ fructum, cuius deuotio nunc totius Eccleſiæ communi abſtinentia adiuuatur: ita minimè dubium eſt quin grauiorem multo damnationé merebitur, qui nunc ieiunantibus omnibus non ieiunat; qui ſpiritualibus temperantiæ armis contra hoſtes viſibiles & inuiſibiles certantibus vniuerſis, ſolus ipſe non dimicat, quique alijs laborantibus ſolus ipſe turpiter atque ignauè quieſcit. Si rectè vulgò dicitur, Solatium eſt miſeris ſocium habere in afflictione; quanta conſolatio eſt pijs Chriſtianis ieiuniorum ſuorum & ſalutaris afflictionis totam Eccleſiam ſociam & conſortem habere? Videmus milites pariter & duces exercitus prælio libentiùs ſe committere in quo ſecum habent quàm plurimos contra hoſtem certantes, quoq́ue maior eſt militum ac pugnantium copia, eò ſingulos & fortiùs alacriuſque pugnare, & maiorem victoriæ fiduciam concipere: illa nimirum ſpe ductos, ſi ab alijs deſerantur, ab alijs eſſe adiuuandos, & quod pauciores ſuſtinere non poſſent aut perficere, multorum auxilio alijs ſemper atque alijs ſuccedentium perfecturos. Quantis igitur animis, quanta victoriæ ſpe nos decet hoc ſacro tempore cum hoſtibus noſtris in arenam deſcendere, quando vndique infirmitas noſtra tam innumerabilium commilitonum ſimul nobiſcum in ſpirituali hoc prælio depugnantium viribus atque auxilijs adiuuatur? Hanc rationem magni admodum fecit Leo ille Pontifex non immeritò Magni cognomentum ſortitus: Eccleſiaſticus miles, inquit, etiamſi in ſingularibus prælijs poſſet fortiter facere, tutiùs tamen & feliciùs dimicabit, ſi contra hoſtem in acie ſtetent, vbi non ſuis tantùm viribus, ſed ſub inuicti Regis imperio fraternis conſociatus agminibus bellum vniuerſale conficiat. Minori enim diſcrimine plures confligunt cum hoſte quàm ſinguli; nec facilè patet vulneri quem oppoſito ſcuto fidei non ſua tantùm, ſed etiam aliorum fortitudo defendit; vt vbi eſt vna omnium cauſa, ſit vna victoria.

Iam verò eſt alia ratio non vulgaris momenti, quamobrem, quod nunc ingredimur tempus, præ ceteris eſt aptiſſimum pœnitentiæ. Iam enim præ foribus eſt omnium operum Chriſti longe maximum, ac totius redemtionis noſtræ ſummum myſterium, mortis ſcilicet ac paſſionis Dominicæ, quo vno præcipuè omnis ſpes noſtra, & ſalus, & vita, & victoria continetur. Vt illius ergo vnici ac longè potentiſſimi Deoq́ue bono iure omnium gratiſſimi ſacrificij in nos fructus deſcendat, vtq́ue paulò pòſt læta cum Chriſto reſurrectio & ſalutare nobis Paſcha contingat, his ſacris quadraginta diebus toto nos corde & corpore præparamus; vt nimirum abiectis omnibus operibus tenebrarum, peccatorum deterſis ſordibus, & per ſacram ieiuniorum abſtinentiam cunctis vitioſis ſuppreſſis affectibus, digni efficiamur, qui cum Domino reſurgamus. Id quod pulcherrimis & grauiſſimis quidem verbis idem Leo Pontifex multis quidem locis, ſed præcipuè Serm. 1. & 4. de Quadrageſima, explicat: Quamuis, inquit, nulla ſint tempora, quæ diuinis non ſint apta muneribus, & ſemper nobis ad miſericordiam Dei per ipſius gratiam præſtetur acceſſus; nunc tamen omnium mentes maiori ſtudio ad ſpiritales profectus moueri, & ampliori fiducia oportet animari, quando ad vniuerſa pietatis officia il-

lius

ius nos dici in quo redemti ſumus recurſus inuitat, vt excellens ſuper omnia paſſionis Dominicæ Sacramentum purificatis corporibus & animis celebremus. Debebatur quidem tantis myſterijs ita inceſſabilis deuotio & continuata reuerentia; vt tales permaneremus in conſpectu Dei, quales nos in ipſo Paſchali feſto dignum eſt inueniri: ſed quia hæc fortitudo paucorum eſt, & dum carnis fragilitate auſterior obſeruantia relaxatur, dumque per varias actiones vitæ huius ſollicitudo diſtenditur, neceſſe eſt de mundanorum puluere etiam religioſa corda ſordeſcere; magna diuinæ inſtitutionis ſalubritate prouiſum eſt, vt ad reparandam mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas & pia opera redimerent & ieiunia caſta decoquerent. Sic D. Hieronymus in 9. cap. Matth. Eccleſiæ conſuetudo ad paſſionem Domini & reſurrectionem per humilitatem carnis venit, vt ſpirituali ſaginæ ieiunio corporis præparemur. Et hæc etiam ratio eſt, cur alij quidam Eccleſiæ Doctores tempus hoc Quadrageſimę illis diebus circa natiuitatis D. Ioánis ferias comparent, quibus ſolent homines communiter ędium permutationes facere, contractus nouos conductionis aut elocationis inire, & de alijs ędibus in alias demigrare. Quemadmodum enim id temporis exteriora domicilia commutantur; ita ſpiritualibus animarum noſtrarum ædibus repurgandis, totiſque huiuſmodi hoſpitijs commutandis, ſacrum hoc tempus eſt ab Eccleſia deſtinatum. Vt & diabolus inde cum omnibus operibus atque artibus eius, cumque tota ipſius peſſima ac turpiſſima ſupellectili effugetur, locuſque ibi præparetur Chriſto à morte redimito. Qualem cordis mutationem ac tranſmigrationem niſi hoc tempore faciamus, fruſtrà id toto reliquo anni tempore ſperauerimus.

His omnibus congruit quòd Quadrageſima iſthęc tempore illo annorum quadraginta non obſcurè præfiguratur, quo populus Hebręorum in deſerto pœnitentiam egit prętentorum ſuorum peccatorum; perque errores & labores varios ad terram tandem promiſſam atque ad intermiſſi Paſchæ concelebrationem peruenit, vt eſt Ioſue 5. cap. Quod tempus ſi filij Iſrael religiosè & congrua mentis humilitate atque in Deum gratitudine, vt oportebat, tranſegiſſent admirabilem Dei in ipſos beneficentiam experti fuiſſent, atque ad optatiſſimam laborum quietem omniumque bonorum affluentiam perueniſſent: verùm quia plerique illorum turpiſſima ingratitudine abuti maluerunt illo quadraginta annorum tempore ad peccandum; nec ad beatam quietem peruenerunt, nec Diuinæ promiſſionis fructum aliquem perceperunt. Ad eumdem plane modum nobiſcum agetur: ſi breui hoc tempore Quadrageſimæ benè vtamur, ad ſanctos ac ſalutares labores, ad expiationem peccatorum, ad ſeriam purificationem animarum noſtrarum; & certam cum Chriſto quietem in eius reſurrectione conſequemur, & promiſſam nobis cæleſtem hereditatem non dubitanter aliquando poſſidebimus. ſin aliter, ſi mundi potiùs quàm Eccleſiæ conſilium amplecti, ſi diaboli quàm Dei voluntati (quod abſit) morem gerere maluerimus; omnia nobis contrà euenient: pro vna ac leuiſſima peccati voluptate, pro parua ſpreta pœnitentia, duriſſima ſupplicia: pro breui admodum tempore quo mundo & peccato ſeruiuimus, & promiſſis Dei ampliſſimis atque æternis excidemus, & ſempiternæ ſeruituti ac numquam finiendis laboribus & tormentis noſipſos mancipabimus.

Vt eò igitur, vnde initio cœpit, noſtra recurrat oratio, ſeq; iterùm ad ſapientem illum Eccleſiaſten conuertat: mundi tempus ſeu Bacchanaliorum, ſeu quocumque alio turpi appellant nomine, tempus eſt naſcendi (vt ipſis placet) ſeu viuendi ex animi & carnis ſententia; hoc verò Quadrageſimæ tempus eſt moriendi, mundo nimirum & peccato, vt Scriptura loquitur: illud tempus eſt plantandi, germina videlicet peccatorum & malorum exemplorum; hoc tempus eſt euellendi quod plantatum eſt: illud tempus eſt deſtruendi, leges nimirum omnes Eccleſiaſticas & pietatem; hoc tempus eſt ædificandi: illud ridendi, hoc flendi: illud ſaltandi, hoc plangendi: illud amplexandi, hoc longè fieri ab amplexibus: illud perdendi, hoc acquirendi gratiam nimirum Dei & ſalutem æternam. O ſanctam ac nobilem Quadrageſimam, non Prophetarum modò veterum, ſed Chriſti etiam ipſius & Filij Dei exemplo, iugi abſtinentia conſecratam! ô venerabile ac ſolemne ieiunium! ô tempus omni meritò acceptione (vt Paulinis vtar verbis) & gratitudine dignum! Quàm parùm plerique omnes laudem tuam, vtilitatem, pulchritudinem ſacratam, vim & dignitatem cognoſcimus! Quàm parùm aduertimus, quid veteres de te omnes optimi rerum æſtimatores ſentiant; quàm honorificè de te vno ore lo-

quantur? Alij appellant tempus militiæ Chriſtianæ; vt Bernard. Serm. 1. in cap. ieiunij. Alij nunc totius anni ſacras decimas quæ Deo debentur, nunc totius humani generis expiationem ſaluberrimam, vt Concilium Toletanum 8. Alij ſpiritualem meſſem & vindemiam, vt Auguſtinus: Sicut enim, inquit, meſſis aut vindemiarum tempore colligitur, vnde caro poſſit ſuſtentari; ſic diebus Quadrageſimæ vnde anima in æternum poſſit viuere, congregatur. Alij imitationem diuinæ conuerſationis, vt Ignatius ille vel Chriſti ipſius vel Apoſtolorum ſaltem eius diſcipulus, in Epiſtola ad Philippenſes: Quadrageſimam, inquit, nolite ſpernere, imitationem enim continet Dei conuerſationis. Alij animarum tranquillitatem, ſenum decorem, iuuenum pædagogum, continentium magiſtrum, omnium ſexuum atque ætatum ornamentum & coronam: vt Chryſoſt. Hom. 1. in Geneſim. Eccleſia illam nunc appellat familiæ Chriſtianæ purificationem, vt in oratione proximæ Dominicæ, Deus qui Eccleſiam tuam annua Quadrageſimali obſeruatione purificas. nunc ſalutarem medicinam mentis & corporis; vt in Collecta. Et quum hæc ita ſe habeant, erunt adhuc aliqui ſeu hęretici deplorati homines, infelix ſemen maleſani cuiuſdam Aerij, qui eam ob cauſam ab vniuerſa Eccleſia iam olim damnatus & exploſus fuit, qui Quadrageſimam ridendam, contemnendam, reijciendam putabunt, vel Chriſtiani Catholici illo indigni tam honorifico nomine, qui frigide illam & ſegniter obſeruabunt? Sed valeant illi. Nos Eccleſiæ matris noſtrę, Deique adeò ipſius, pijs monitis obaudiamus.

Serm. 1. in cap. ieiunij.

Legimus 1. Regum 5. cap. quum Dauid longo tẽpore exul & profugus cum exercitu ſuo in deſerto frumenti & ciborum inopia laboraret, miſiſſe ad prædiuitem & opulentum Nabal, in Carmelo habitantem, milites, qui felicia illi omnia precarentur, rogarentque vt Dauidem & exercitum eius nonnullis ciborum donarijs honoraret. Ad eam autem rem captaſſe opportunitatem temporis, quando nimirum oues Nabal, quarum habebat numeroſiſſimos greges, tondebantur. Quod tempus apud eos magnæ erat lætitiæ, quale vel meſſis eſt aut vindemiæ. Vbi igitur ad Nabal veniſſent qui Dauidis nomine mittebantur, ſalutato eo amanter & honorificè, vt iuſſi erant, commemoratis etiam beneficijs quæ in eum contulerant, petitionem ſuam explicabant, dicentes: In die bona venimus ad te, quodcumque inuenerit manus tua, da ſeruis tuis & filio tuo Dauid. Cetera quæ ſequuntur non pertinent ad rem de qua nunc agimus. Sed quam hic audiſtis hiſtoriam & petitionis formam, non male omnino accommodare licet, mea quidem ſententia, ad præſentem rationem temporis. Primùm enim verè nunc dies boni ſunt, quemadmodum illi dicebant: In die bona venimus ad te. Nam etſi omnes anni dies ex ſeipſis æquè boni ſint, tamen illi dies præ ceteris boni nominantur, in quibus Deus ſingulariter bonitatis & miſericordiæ ſuæ ſigna oſtendit, quibus nos ad bonitatis ſuæ imitationem & participationem magis inuitat, quales omnino iſti ſunt præ omnibus, vt audiſtis. Sicut ediuersò dies mali eſſe dicuntur in Sacris litteris, in quibus Deus iræ in nos ſuæ oſtenſionem facit, quibúſve homines in ſuam ipſorum perniciem abutuntur. Nec verò dies iſti Quadrageſimæ boni tantùm ſunt generaliter, quòd in ijs Deus nobis ſingulari quadam ratione benefaciat, verùm etiam, quòd nunc propriè oues Dei, ad exemplum prædictæ hiſtoriæ, tondeantur. Qui namque ſint oues Dei ſecundùm Scripturam, nemo veſtrûm ignorat. Paſce, inquit, oues meas, de fidelibus ſuis & electis loquens. Et Dauid ipſe Pſal. 94. Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius: vt alias omnes Scripturas prætereȧm. Sed quando oues iſtæ aut quomodo tondentur? Scitis lanam eſſe rem per ſe mollem, & ouibus nõ modò ſuperfluam, ſed grauare illas quoque, & impedimẽto eſſe multis modis, vbi plus ſatis increuerit. Huiuſmodi ergo lana, hoc eſt, omnis carnis mollities, & quidquid ſuperfluum eſt ad veram & Chriſtianam pietatem, quæ pauciſſimis eſt contenta; imò quidquid grauat corda noſtra, aut ſpinis & curis ſæcularibus implicat, ne poſſit verbum Dei ad maturitatem ſuccreſcere, atque ad terram deprimit; quidquid deniq; impedimento eſt, quo minus ſpiritus noſter, quæ Dei portio eſt, ſuo liberè fungatur officio, in cęlũ ſubuolet, & cæleſtium cogitationũ alimonia nutriatur: id omne nunc temporis in Quadrageſima detondetur à fidelibus, ac reuellitur. vt rectiſſimè nũc propriè Deo dicere poſſimus, toto corde ad eum conuerſi: Domine in die bona venimus ad te: ſanctiſſimo iſthoc & ſalutari tempore Quadrageſimæ exponimus tibi neceſſitatem & penuriam noſtram: & quidem quando per veram carnis macerationem & abſtinentiam tondentur, ſicut diximus, oues tuæ. Quod tempus ipſemet quoque tibi gratiſſimum & iucun-

iucundiſſimum eſſe, declaraſti, dicens: Gaudium eſt Angelis Dei in in cælo, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Reſpice igitur nunc placido vultu ac ſerenis oculis ſeruos tuos, vt deſideratam benedictionem tuam conſequantur.

Audi benigne Conditor
Noſtras preces cum fletibus,
In hoc ſacro ieiunio
Fuſas quadragenario.
hoc eſt, in die bona qua ad te venimus.
Scrutator alme cordium,
Infirma tu ſcis virium:
Ad te reuerſis exhibe
Remiſsionis grátiam.
Multum quidem peccauimus,
Sed parce confitentibus:
Ad laudem tui nominis,
Confer medelam languidis.
Sic corpus extrà conteri
Dona per abſtinentiam,
Ieiunet vt mens ſobria
A labe prorſus criminum.
Praſta beata Trinitas,
Concede ſimplex Vnitas,
Vt fructuoſa ſint tuis
Ieiuniorum munera.
A M E N.

Tertia ad Clerum de POENITENTIA *Exhortatio, initio Quadrageſima, Anno* 1587.

SVPERIORIBVS annis, chariſſimi, Scripturam hanc Propheticam pro Exhortatione tractantes, diximus vobis breuiter, tum quidnam ſit ad Deum conuerti, tum quo præcipuè tempore noſmet cõuertere ad Deum debeamus: reſtat nunc, vt, quonam modo quibúſve medijs id fieri debeat, explicemus. Hoc docét clariſſimè verba illa thematis noſtri (ne longa vos præfatione ſuſpenſos teneamus) IN TOTO CORDE VESTRO, IN IEIVNIO, ET FLETV, ET PLANCTV. Sicut igitur conuerti ad Deum eſt pœnitentiam agere: neque enim Propheta, aut Eccleſia Chriſti, de corporali aliqua aut externa ad Deum conuerſione loquitur; ſed de immutatione & correctione mentis: ita conuerti ad Deum in toto corde, eſt veram & ſeriam agere pœnitentiam.

Quod vt meliùs etiam intelligamus, obſeruandum eſt in omnibus rebus, quæ vel naturæ beneficio ſponte ſua proueniunt, vel arte aliqua aut humano labore conficiuntur, alias veras eſſe & ſinceras, alias non veras, ſed aut falſas, aut inanes, aut fucatas, aut vitiatas, quæ tamen verarum rerum ſpeciem quamdam & ſimilitudinem gerant. Noviſtis in primis eſſe verum & purum aurum, ſubſtantiam omni laude dignam, humanoque generi apprimè neceſſariam. ſed eſt etiam adulterinum & fucatum aurum, quod etſi auri ſpeciem habeat, nihil tamen minus eſt quàm aurum; ad fallendum tantummodò ab hominibus fraudulentis & malitioſis inuentum. Sunt gemmæ (vt ſcitis) veræ, multis præclaris dotibus ac viribus præditæ. ſunt & falſæ & fucatæ, nullam hominibus veram vtilitatem afferentes, quæ tamen tanta ſimilitudine verarum gemmarum naturam referunt, vt ægerrimè diſcerni vel deprehendi queant, ab ijs etiam interdum qui artis illius ſunt peritiſſimi. Sic experimur quotidie monetam eſſe quamdam & pecuniam veram & bonam: eſſe itidem fucatam, vitiatam, adulterinam, magno multórum malo ac detrimento factam. Idem locum habet etiam in moribus & vita noſtra. Eſſe veram & falſam iuſtitiam declarat Saluator noſter, Matth. 6. Attendite, inquit, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab illis. Ecce vobis falſam iuſtitiam. Vultis aliquid de vera audire iuſtitia? Luc. 1. de parentibus beati Præcurſoris Chriſti habetur: Erant iuſti ambo ante Deum: incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Dei ſine querela. Ex Paulo Apoſtolo conſtat, veram itidem & falſam ſeu ſimulatam eſſe charitatem. Alioqui enim numquam dixiſſet ad Rom. 12. Dilectio ſine ſimulatione: & ad Timotheum ſuum, Ex charitate non ficta. Ita ex Epiſtola B. Iacobi Apoſtoli liquet veram & falſam ſiue adumbratam eſſe religionem. Hinc illud 1. cap. Religio vera & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt, &c. Huiuſmodi rerum facilè eſſet exempla proferre propemodum infinita, etiam ex Sacris litteris, niſi animus eſſet venire ſine mora longiore ad propoſitum noſtrum.

Quemadmodum ergo in rebus ferè omnibus, itemque in virtutibus omnibus, alia vera, germana, & ſincera ſunt; alia falſa, vitiata, ſimulata, & veri tantùm externam quamdam

dam

dam ſormam ad decipiendum habentia: ſic eſt prorſus etiam vera & falſa pœnitentia. Veram pœnitentiam deſcribunt nobis Prophetæ illa verba quæ explicanda ſumſimus: Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. De vera etiam pœnitentia loquitur Prodromus Chriſti, dicens: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Falſa pœnitentia depingitur nobis Pſal. 77. Dilexerunt eum ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei: cor autem illorum non erat rectum cum illo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius. Nimirum, quum varijs illos Deus ſupplicijs, propter ſcelera eorum, peſte, fame, bello contereret, reuertebantur ad illum vt apparebat, rogabant veniam, meliora pollicebantur. Sed quonam modo & quouſque? Ore & lingua dumtaxat, non ſincerè atque ex animo. Vnde, ſimul vt Deus retracta manu ſua, flagellorum omnium & caſtigationum terrorem amouerat, dicto citiùs ad conſueta relabebantur peccata.

Talis erat & pœnitentia Pharaonis illius impij Ægyptiorum tyranni, quum frequenter manum Dei grauiſſimè ſe & populum ſuum totumque regnum punientem ſentiret: Peccaui, inquit, contra Dominũ, orare pro me, ô Moyſes & Aaron, vt ceſſent plagæ eius. Sed ſublatis plagis, mox redibat ad ingeniũ, imò peior longè atq; obſtinatior euadebat, quàm anteà. Similis fuit pœnitentia longè ſceleratiſſimi Regis Antiochi, de qua 1. Machab. 6. multa leguntur. Ingentem præ ſe dolorẽ ferebat impius ille de admiſſis in Deum flagitijs in templum & religionem eius: magnam promittebat emendationem. verùm nihil ex animo, nihil ex corde, vt hîc Propheta loquitur: tantum ex ſenſu dolorum ac tormentorum, in quę tandem iuſta Dei vindicta inciderat. Vnde nihil ei quoque omnis illa pœnitentia vtilitatis attulit.

Huc referenda eſt etiam pœnitentia illa mirabilis & ridicula Regis Achab, 3. Reg. 21. Quum audiſſet enim peſſimus ille grauiſſimas comminationes Eliæ Prophetæ, propter interfectum iuſtum Naboth, & multa eius alia nefanda crimina, territus & metu perculſus, ſcidit veſtimenta ſua, cilicium & ſaccum induit, detractis regijs veſtimentis, luxit, ieiunauit. Exiſtimaſſes hominem eſſe religioſum, lupumque in ouem conuerſum, ſi ex ſola externa ſpecie iudicare liceret. Et quod mirum videtur, Deus etiam illa ipſius viſa pœnitentia adeò ſibi placuit & delectatus fuit, vt quæ illi comminatus erat ſupplicia, in poſteros eius & ſucceſſores transferret; Elia, inquit, vidiſtine humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus fuit mei cauſa, non inducam malum in diebus eius, ſed in diebus filij ſui inferam malum domui eius. De illo Scripturæ loco multa dicenda eſſent, ſed non eſt hoc huius propriè loci vel temporis. Sufficit nobis hîc non fuiſſe illam veram aut ſeriam pœnitentiam. vnde nec gratiam Dei veram per illam impetrauit ad remiſſionem peccatorum ſuorum, nec aliquid tale: tantùm pœnas quaſdam euaſit temporarias, quas illi Deus comminatus fuerat. idque multo magis ſingulari & gratuita Dei benignitate quàm merito pœnitentiæ ſuæ.

Non abſimilis fuit pœnitentia Eſau, de qua Geneſ. 27 & ad Hebr. 12 de quo dicitur, quòd reprobatus fuit, nec inuenit pœnitentię locum, quamquam cum lacrymis quæſiſſet illam. Inueniſſet procul dubio locum pœnitentiæ apud patrem ſuum, & præcipuè apud clementiſſimũ Deum, qui pronus ſemper natura ſua eſt ad veniam & gratiã, ſi ex animo eum pœnituiſſet facti ſui. Sed fletus eius omnis, triſtitia, dolor, eiulatus, precatio, & ſimilia, ex eo tantùm prouenit, quòd ſe & poſteros ſuos, præcipuè priuari cerneret externis multis honoribus & priuilegiis, bonorumq; abundantia temporaliũ. Cor autem eius intereà plenũ intus erat odio ac liuore in fratrem ſuum; à quo numquã tamen antè læſus fuerat; Venient, inquit, aliquando dies mortis patris mei, & occidã Iacob fratrẽ meum.

Huiuſmodi igitur omnis triſtitia & pœnitentia, quæ oritur ex amiſſione bonorum temporalium, honoris, pecuniæ, fauoris humani, amicorum, ſanitatis corporis vel ſimilium, quibus toto animo addictus ſis, nullius momenti eſt apud Deum. Hoc genus homines non rarò videmus ſe ad Deum vtcumque conuertere, à quo mala hæc temporalia venire agnoſcunt, fatentur etiam interdum hæc ſe meruiſſe peccatis ſuis, veniam rogant, aliquanto frequentiùs ſolito ad Eccleſias veniunt, malis huiuſmodi regnantibus, opem à Deo atque atque auxilium cum ceteris flagitantes: ſed nihil huiuſmodi ex animo proficiſcitur. Si liberi eſſent à pœnis tẽporalibus quibus premuntur, à peſte, à bello, ab annonæ caritate, à morbis variis, ab hoſtibus & ſimilibus; non magnopere ad Deum ampliùs confugerent, nec templa frequentarent, nec quidem cogitarent ſemel de Deo vel conſcientia ſua. Quid autem de illis dicemus, qui ne hucvſque quidem

perue-

perueniunt? quique nullum vmquam verum Dei timorem concipiunt? ſolummodò quandoque pœnitentiam agunt, vel ſe fingunt agere potiùs vt hominibus placeant, quibus id gratum eſſe cògnoſcunt, quorumque gratiam & fauorem arbitrantur ſibi eſſe modis omnibus neceſſarium? Non eis dolet quòd Deum offenderint, ſed quod hominibus id diſpliceat quos vel amant perperàm vel metuunt.

Huiuſmodi falſæ pœnitentiæ multa itidem exempla extant in Scripturis ſacris. Ac primum hic habemus duos Reges, valdè diuerſa affectione laborátes in hoc negotio, Saülem & Dauidem. Si rem omnem & ſpeciem externam conſideres, dicas eos eamdem & ſimilem prorſus egiſſe pœnitentiam, adeoque mirari poſſis quamobrem non parem conſecuti ſint pœnitentiæ fructum. Vterque peccauerat, vterque de peccato ſuo per Prophetam admonitus erat & correptus: Dauid quidem per Nathan, Saul autem per Samuelem: denique vterque videtur peccatum ſuum conſimiliter agnouiſſe ac deteſtatus fuiſſe: protulit enim vterque, audita Prophetæ increpatione, vocem hanc, Peccaui. Et tamen Dauid ad hanc vocem receptus fuit in gratiam, & remiſſioné peccatorum obtinuit, ſtatimque audiuit à Propheta: Dominus tranſtulit peccatum tuum. Saul autem ad remiſſionem peccati ſui & gratiam Dei peruenire non potuit: quin potius, quum magnus ille Propheta & tátus Dei amicus Samuel pro eo diu multumque intercederet apud Deum, audiuit tandem; Vſquequo tu luges Saul, quum ego proiecerim eum? Vnde hæc tanta differentia? Cur alterius pœnitentiam reſpexit ac recepit Deus, alterius minimè? cur alter è veſtigio veniam impetrauit, alter verò numquam remiſſionem conſequi potuit? An eſt Deus acceptor perſonarum? Nequaquam. Si vtriuſque pœnitentia æque bona fuiſſet, vterque æque ad gratiam Dei & miſericordiam perueniſſet. Verùm, etſi nulla exteriùs differentia apparebat in verbis, vtriuſque magnum tamen intus diſcrimen erat in corde: quod præcipuè, imò ſolùm reſpicit Deus. Dauid ex animo pœnitentiam agebat tam coram Deo intus in animo ſuo, quàm foris coram hominibus: imò longè magis coram Deo. vnde verba illa eius: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. item: Peccatum meum contra me eſt ſemper. item; Lauabo per ſingulas noctes lectum meum; lacrymis meis ſtratum meum rigabo. & multa id genus alia. Saul autem non admodum anxius aut ſollicitus erat de placando Deo: tantùm coram Samuele quædam exteriora pœnitentiæ ſigna oſtendit, vt illum placaret, quem tantæ auctoritatis nouerat eſſe apud omnem populum; cuiuſque vnius fauorem ſibi exiſtimabat eſſe neceſſarium. Vnde & non legimus illum magnopere fleuiſſe coram Deo, aut ſupplicaſſe pro peccatis ſuis; dumtaxat Samueli dicebat: Honora me quæſo coram ſenioribus & principibus populi. vt nimirum indicaret, ſe non aliud captare, quàm auram & fauorem popularem.

Talis erat omnis pœnitentia Scribarum & Phariſæorum, cuius toties ſacra Euangelia meminerunt. Dabant largas eleemoſynas, ieiunabant ſæpè, orabant frequenter. quę omnia ſunt opera pœnitentiæ. Sed quò tendebant hæc omnia? An ex vero timore vel amore Dei naſcebantur? an dirigebantur ad illú placandum, vel ad eius gratiá promerendam? Nihil minus. Omnia opera ſua faciunt, inquit Dominus, vt videantur ab hominibus. Vnde adeò nihil merebantur apud Deum huiuſmodi pœnitentia, vt magis etiá iram eius contra ſe concitarint. nihil enim aliud erat huiuſmodi pœnitentia quàm mera hypocriſis: quæ peccatum eſt per ſe maximum. Vultis autem clariſſime intelligere, pœnitentiam hanc procul abfuiſſe à vera pœnitentia? quumque ita ſe haberent, non fuiſſe verè ad Deum ex corde conuerſos. Populus iſte, inquit, labijs me honorat, cor autem illorum longè eſt à me. Denique in Euangelio hodierno: Exterminant facies ſuas, &c. Quàm verendum eſt, multos eſſe illorum ſimiles inter Chriſtianos: qui nunc temporis exteriùs pœnitentiam quamdam agunt, ad templum cum reliquis veniunt, cineribus ſacris caput ſuum aut frontem ſignari curant, à carnibus abſtinent; tempore etiam Paſchæ peccatorum ſuorum nonnullam apud Sacerdotem confeſſionem faciunt, ſacræ ſeſe Euchariſtiæ participes reddunt. Sed quorſum hæc omnia? An ex amore aliquo vero vel timore Dei? an ea mente, qua veri Chriſtiani & Catholici, vt nimirum Deo ſatisfaciant de peccatis ſuis & aliorum, verè atque ex animo dolentes quòd eum toties & tot modis offenderint hactenus? Minimè gentium. Ex timore dumtaxat vel pudore humano, ne alijs ſint diſſimiles, ne in aliquam diuerſæ religionis ſuſpicionem veniant: ac proinde vel de bonis ſuis temporalibus, vel quandoque etiam fortaſſis de vita periclitentur. Huc pertinent illi, qui pœnitentiam quamdam agunt tempore Quadrageſimæ orantes cum reliquis

quis & ieiunantes, non propriè quidem huiuſmodi vitioſa intentione, vt hominibus placeant; ſed ex annua conſuetudine, quia ſic fieri ſolet quotannis, & quia ceteros vident ita agere: quidnam autem hoc myſterij habeat, vel quem in finem inſtituta ſit hæc annua laudabilis conſuetudo & à pijs Chriſtianis obſeruata, vel quis denique fructus inde proueniat ad ſalutem animarum noſtrarum, non magnopere laborantes: ac proinde omni etiam abſtinentiæ ſuæ ac pœnitentiæ, modò ita loqui liceat, fructu carentes.

Verum, quid ſi quis ſe côuertat ad pœnitentiam & peccare deſinat non quidem vt hominibus placeat, neque etiam ex ſenſu & conſideratione rerum quarumuis temporalium, quòd nimirum vel bona aliqua temporalia hoc pacto conſequi ſperet aut conſeruare, vel temporaria aliqua mala euadere, vt iam diximus; ſed ex vero atque horribili timore inferni ac damnationis æternæ? verúmne hæc vera & laudabilis erit pœnitentia? Hîc dicendum eſt, metum futuri æterni ſupplicij poſſe quidem exordium eſſe veræ ac ſalutaris pœnitentiæ: quin eſſe etiam vt plurimum: attamen ſi hic hæreatur, & propter ſolum inferni timorem peccare deſinas, ac te conuertas ad pœnitentiam, ita nimirum, vt ſi infernus non eſſet, nullaque huiuſmodi horribilia ac ſempiterna tormenta Deus impijs ac ſceleratis hominibus præparaſſet, non ceſſares à peccando; non eſt illa vtique bona & meritoria pœnitentia. nam, qui ad eum modum peccare deſinit, retinet adhuc peccandi affectum ac deſiderium: manum tantum cohibet à peccato, non voluntatem; peccaret enim, ſi poſſet impune: ſimilis eſt ille cani qui ſtat ante ollam carnium tota naturæ inclinatione inhians prædæ: at, ſi quis aſtet cum baculo minitans continenter, atque intentans verbera, abſtinet quidem, nec audet inuadere; ſed quæ gratia propterea debetur cani? Sic Diuus Auguſtinus alicubi elegâter admodum & veriſſime: Qui timore pœnæ non concupiſcit, puto, inquit, quòd concupiſcit. Iam nemo veſtrûm non intelligit, vbi amor adeſt aut voluntas peccandi, non poſſe ibi veram eſſe pœnitentiam. Omnis enim veræ & ſalutaris pœnitentiæ initium, conuerſio eſt voluntatis: vt, quod ante placuit, ex animo nunc diſpliceat; & quod diſplicuit, placeat.

Ergo expedit quidem cum alijs pro officio quemq; ſuo, tum ſibimetipſi Diuini iudicij & futuri æterni ſupplicij metum & conſiderationem frequenter proponere, quo animos noſtros per ſe ſemper ad peccandum procliues, hoc tamquam fræno coërceamus: ſed vt primum noſipſos territos & perculſos deprehendimus metu æternæ damnationis, reflectere nos debemus confeſtim ad alteram partem, ad conſiderationem ſcilicet gratiæ & clementiæ & miſericordiæ Dei, vt ex illa cogitatione prouocemur ad amorem Dei: ac deinde ſpem concipiamus veniæ & remiſſionis peccatorum noſtrorum. Sic ſenſim magis magiſque diſcemus odiſſe peccatum, & ab illo abſtinere; non ſolum timore pœnæ, ſed longe magis amore iuſtitiæ: non tantum, ne ab illo damnemur, aut in ignem coniiciamur æternum; ſed potiùs ne Deo, qui omne odit peccatum, diſpliceamus, ilique ſummæ atque æternę bonitati iniuriam faciamus, violando legem & mandata ipſius. Cui vni diſplicere ſummum malum, ſumma eſt infelicitas: non tantum ne ab illo tamquam iuſto iudice mali ſerui puniamur, verùm vt ab illo ceu patre optimo boni atque ingenui filij diligamur. Cuius vnius gratia & fauore carere, grauius eſt reuera omnibus inferni æternis tormentis. Hac mente à peccando deſiſtere, veram demum & ſanctam & ſalutarem eſt agere pœnitentiam. Atque huc tandem à ſeruili hoc timore tamquam primo pœnitentiæ gradu proficimus auxilio gratiæ Dei. vt videlicet peccare iam nolimus vel Deum offendere, etiamſi nullus eſſet infernus, etſi nulla nos propterea manerent temporalia vel æterna ſupplicia: tantummodò vt in Dei (qui ſummum eſt bonum) gratia, fauore, cura, amore & protectione, vt modò diximus, maneamus.

Atque ex hoc præcipue capite vitioſa ac damnabilis fuit pœnitentia Iudæ proditoris, quæ alioqui certe fuit non parua. Pœnitentia ductus, inquit ſanctus Euangeliſta, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & ſenioribus, dicens: Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum. Omnia hîc pæne quæ ad veram pœnitentiam requiruntur. Audiuis enim in primis agnitionem peccati, cum deteſtatione eiuſdem. Secundò eſt eiuſdem peccati vocalis confeſſio, eaque publica, & quidem coram illis quibuſcum peccauerat: quæ res magni momenti: hæc omnia indicat vox illa, Peccaui. Tertio eſt reſtitutio integra: & plena illius quod peccato acquiſitum & malè partum fuerat: Retulit, inquit, triginta argenteos: ac poſteà, proiectis argenteis in templo, receſſit. Denique eſt reparatio famæ Chriſti & innocentiæ, quam læſerat anteà. Iam enim aperte ac publicè vere iuſtum confitetur, quem paulò ante vt ſeductorem tradiderat: Peccaui, inquit, tradens ſanguinem iuſtum.

iuſtum. Quis non diceret pœnitentiam hanc eſſe numeris omnibus abſolutam? Quid enim huic deeſt pœnitentiæ, in qua hæc inſunt omnia? Nimirum quum vehementiſſime perculſus eſſet atrocitate ſceleris ſui, conſideratione magnitudinis iræ ac iuſtitiæ Dei, quam contra ſe tam enormi crimine concitauerat: denique apprehenſione ſeu meditatione ſupplicij æterni quod promeruerat, vndique illum perurgente huiuſmodi triſtiſſimis cogitationibus diabolo, omnis mali incentore, nullam concepit ſpem aut conſiderationem clementiæ aut miſericordiæ Dei, ſemperq́; animo voluente ac reuoluente magnitudinem ac turpitudinem peccati ſui, ad remiſſionem illius ac veniam ſe poſſe vlla ratione pertingere deſperabat; ſecumq́; adeò firmiter conſtituebat id quod Caim infelix iam olim de ſuo parricidio dixerat: Maior eſt iniquitas mea quàm vt veniam merear. Peſſima nimirum ac ſummæ impietatis plena cogitatio atque perſuaſio: quæque Deo & Chriſto Domino noſtro longè magis diſplicuit, quàm omnia Iudę alia crimina, quamque ipſa etiam Chriſti traditio. Quid enim? Terminum aliquem, aut metam, aut modum, aut menſuram, aut finem aliquem ponere bonitatis & miſericordiæ & clementiæ Dei; hoc eſt Deo ſummam iniuriam facere, ac detrahere illi conditionem naturæ ſuæ omnium optimam. Tametſi enim iuſtitia Dei magna ſanè etiam ſit & incredibilis erga peccatores impœnitentes, Quis enim nouit poteſtatem iræ tuæ, inquit ille, & prę timore tuo iram tuam dinumerare? tamen clementia eius & miſericordia erga peccatores ex animo pœnitentes, ſi fas eſt aliquam hic comparationem facere, longe maior eſt atque amplior in pœnitentes: etiamſi ſolus aliquis omnia peccata mundi perpetraſſet. Non enim ſine cauſa dixit idē ille Propheta regius, Miſericordia eius ſuper omnia opera eius.

Sed operæpretium eſt hîc nonnihil obſeruare conſilium diaboli admirabile iuxtà ac deteſtabile, eiuſque artificium doli admirabilis ac malitiæ plenum, in ſeducendis miſeris hominibus ac pertrahendis in damnationem æternam. Cùm primùm enim illos conatur allicere ad peccatum, perſuadet illis multis ac variis argumentis rem eſſe leuem: adeoque vel nullum eſſe peccatum, vel admodum paruum: inſuper Deum eſſe benignum & miſericordem: non tam grauiter puniturum eſſe rem tam parui momenti, imò nec imputaturum in peccatum. His rationibus vbi miſerum hominem magis magiſque pertraxerit in peccatum, ac tandem (vt fit) in profundiſſimam turpitudinis abyſſum præcipitauerit, ſi videat hominem velle de pœnitentia cogitare, aut ad mentem redire; tum illi contrà proponit ſummam peccati grauitatem ac turpitudinem: & tam nunc peccatum eius in immenſum exaggerat, quàm priùs ſupra modum extenuarat, vt hac ratione hominem à ſpe veniæ abductum in barathrum deſperationis pertrahat. Ita hîc planè cum Iuda egit. perſuaſit illi initio peccatum eius eſſe leuiſſimum: tum verò (etſi grande eſſet peccatum) Ieſum eſſe plenum clementiæ; futurum vt facilè ab eo veniam impetraret: neque enim futurum vmquam, vt, etſi in manus hoſtium ſuorum traderetur, mortem ipſam oppeteret: ſæpe etiam antè fuiſſe in manibus illorum; ſemper autem, nunc hoc modo, nunc illo modo euaſiſſe: ita nunc quoque futurum eſſe; & ipſum intereà captis denariis potiturum: Mariam Magdalenam longe grauiùs ac turpiùs antè peccaſſe: Matthæum quoque, Zacchæum, & alios multos, & tamen facilè veniam ab illo impetraſſe: quin & Iacob Patriarchæ filios germanum fratrem ſuum vendidiſſe, & tamen veniam omnes & à patre & à fratre & à Deo conſecutos fuiſſe. Hæc prima eius argumenta erant ad pręcipitandum illum in peccatum. At vbi ſcelus iam perpetrarat, eiuſque atrocitate commotus dubitare inciperet, quid potiùs conſilij caperet, adeoq́; vtrùm ad veniam aliquam impetrandam aſpirare auderet: iam illum diabolus contrariis argumentis aggreditur, docetque nullo modo fieri poſſe, vt ad tanti criminis remiſſionem perueniat: numquam enim tale flagitium perpetratum fuiſſe ab orbe condito, &c. Sic itaque ſalutis humanæ inimicus diabolus miſerum Iudam, tametſi multa pœnitentię ſigna monſtrantem, à vera tamen pœnitudine, quæ in corde conſiſtit, impediuit. Nos autem, iuxta Prophetæ præſcriptum, in toto corde noſtro ad Dominum conuertamur.

EXHORTATIO VI. *de* POENITENTIÆ *neceſsitate & fructu, initio Quadrageſimæ, Anno* 1588.

INGREDIMVR hodierno die, chariſſimi, vt ſcitis, tempus pœnitentiæ. Vnde omnia quæ legimus hodie in officio Eccleſiaſtico, imo totis his proximis 40. diebus, nos inuitant ad pœnitentiam. Hoc eſt, vt vno verbo dicam, ad ſeriam vitæ emendationem, ad verum dolorem & ſatisfactionem pro delictis noſtris prætentis. Quòd ſi vere intelligeremus quid ſit pœnitentia, cognoſceremus vnà pœnitentiam eſſe rem non modò vehementer vtilem & ſalutarem, ſed penitus etiam neceſſariam: idque ad vnum omnibus, cuiuſcumque vitæ generis aut conditionis exiſtant. Cognoſceremus itidem, pœnitentiam non modò vtilem & neceſſariam factu eſſe diebus his Quadrageſimæ quos ingredimur, qui propriè tempus pœnitentiæ nec male etiam aut immeritò nominantur, ſed toto etiam tempore vitæ noſtræ. Totus vitæ noſtræ decurſus, ex quo primùm incipimus vti ratione, interque bonum & malum diſcernere, vſque ad finem, non aliud eſſe deberet, ſi saperemus, quàm continua pœnitentia: & viuere homini Chriſtiano non deberet aliud eſſe quàm pœnitentiam agere. Poëta ille ethnicus dicebat; *Non eſt viuere, ſed valere, vita:* hoc eſt, ſine cura, ſine dolore, ſine triſtitia vel moleſtia viuere. Sed loquebatur ille ſuo more, nempe vt hominem Epicureum atheumque decebat, qui ſic, vt ille viuebat, aliter atque ipſe loqui non poterat: homo Chriſtianus vereque ſapiens diceret,

Hoc eſt viuere, riſè pœnitere.

Ad veram hanc ſapientiam accedebat propiùs ille magnus Philoſophorum princeps Plato, qui diceret, vitam hominis non aliud eſſe quàm iugem meditationem mortis. Nam ſeria mortis meditatio, etiam iuxta Chriſtianam Philoſophiam bona pars veræ eſt pœnitentiæ. Vnde etiam fit vt hodierno die, quum incipimus pœnitentiam agere, caput noſtrum & frontem cineribus conſpergamus; nimirum vt meminerimus, ſicuti nobis Sacerdos dicit nos conſignans cineribus, quòd cinis ſimus & quòd in cinerem reuertemur. Ecce in principio pœnitentiæ noſtræ meditationem mortis. Sed ea de re alio tempore fortaſſis plura. Nunc ad id reuertamur quod dicere cœpimus, totam vitam hominis Chriſtiani non aliud eſſe debere quàm perpetuã pœnitentiam. An hoc cuiquam noſtrûm poteſt eſſe obſcurũ intelligenti aliquid in religione Chriſtiana? Primùm, quid aliud dum viuimus facimus, quàm quòd ſententiam primæ noſtræ maledictionis portamus? Maledicta (inquit Deus principi generis noſtri) terra in opere tuo. in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: ſpinas & tribulos germinabit tibi: cùm operatus eam fueris, non reddet fruges ſuas. in labore vultus tui veſcêris pane tuo. At quàm diu Domine? Donec reuertaris in terram de qua ſumtus & formatus es. Quia puluis es, & in puluerem reuertêris. Hoc facere ſicut oportet, quid eſt aliud, quàm pœnitentiam agere? Non ſumus quidem omnes agricolæ, ſed permultum omnes tamen in tota vita noſtra ſpinarum & tribulorum inuenimus: vereque omnes in ſudore vultus noſtri veſcimur pane noſtro, ſi viuimus vt hominem Chriſtianum decet. Tum verò ſi pœnitentia dolor eſt ſerius de peccatis, cum propoſito vitæ melioris vt iá diximus, & peccata ſunt ſola, iuxta Prophetarum & Sacrarum omnium litterarum oracula, quæ tamquam muro interpoſito (vt Iſaias præcipuè loquitur) ſeparant nos à Deo; ſi quis cum Deo in gratiam & amicitiam redire cupit, nónne illi perpetua opus eſt pœnitentia? Si cui datum eſt, vt ſine peccato viuat, ſi quis hic eò perfectionis deuenit, vt vitam agat alienam atque immunem ab omni culpa; eat ille per nos, eat fauſto pede, nullamque agat pœnitentiam. Sed quis eſt hic? & laudabimus eum, inquit ille. Quis eſt qui poteſt dicere, Purum eſt cor meum, mundus ſum à peccato? inquit magnus ille Sapiens. & D. Ioannes Apoſtolus, Si dixerimus, inquit, quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Vitijs nemo ſine naſcitur, inquit ethnicus ille; optimus ille qui minimis vrgetur. Id quod pulchrè conuenit cum doctrina vbique ſacrarum Scripturarum noſtrarum.

Si ergo nemo eſt ſine peccato, nemo non indiget pœnitentia: ſi quidem Deo placere, æternamq; maledictionem animus eſt euadere. Quod ſanè etiá Chriſtus Seruator noſter diſertis verbis expreſſit Lucæ 13. Niſi, inquit, pœnitentiam egeritis, omnes peribitis.

Non

Non dicit, Niſi vos Scribæ & Phariſæi, niſi Eccleſiaſtici & Sacerdotes egeritis pœnitentiam: nec ediuerſò etiam dicit, Niſi vos laici & ſæculares pœnitentiam egeritis, peribitis: ſed indefinitè, Niſi pœnitentiam egeritis: quotquot eſtis videlicet, & quicunque tandem eſtis, cuiuſcumque generis vel conditionis, ſæculares, Eccleſiaſtici; nobiles, ignobiles; diuites, pauperes; Iudæi, gentiles; viri, feminæ; adoleſcentes, puellæ. Quid ita? Omnes nimirum peccauerunt, & egent gloria ſeu gratia Dei, inquit Paulus. Ad gratiam autem Dei non patet reditus (vt iam diximus) niſi per pœnitentiam. Illa ſola eſt remedium efficax, medicina certiſſima vulnerum animæ noſtræ, ſpiritualis ægritudinis noſtræ ſeu peccatorum noſtrorum. Nec dicit etiam Dominus, Niſi hoc vel illo tempore egeritis pœnitentiam, omnes peribitis; ſed ſine temporis diſtinctione ſimpliciter, Niſi pœnitentiam egeritis. declarans nimirum haud obſcurè numquam non, totoque vitæ noſtræ tempore agendam eſſe pœnitentiam: nec magis nos ſine pœnitentia eſſe poſſe, quàm poteſt ægrotus eſſe ſine medicina, vel quàm infirmus ac debili corpore ire aliquò ſine adminiculo baculi, cæcus ſine duce. Adhiberem alias multas ſimilitudines, niſi exiſtimarem ſatis vobis rem eſſe tum per nos nunc perſuaſam, tum per ſe cognitam.

Et hæc eſt ratio quamobrē Ioannes Baptiſta, Chriſtus Dominus noſter, Prophetæ, & Apoſtoli omnes prædicationem ſuam & doctrinā omnem auſpicati ſint ſemper à pœnitentia. Vt enim a veteri Teſtamento incipiamus: quemadmodum Iſaias Propheta exordiatur Prophetiam ſuam, (ille inquam Iſaias Prophetarum omnium vt primus ordine, ſic generis ſplendore & Prophetiæ dignitate facilè nobiliſſimus) nouerunt plerique veſtrûm: Lauamini, inquit, mundi eſtote. Et ne quis dubitaret de quanam munditie vel lauatione loquatur, puta non de exteriori aliqua corporis lotione, ſed de expurgatione ac lauatione conſcientiæ, addit protinus: Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere peruerſè, & diſcite benè facere. Et poſteà: Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas: & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Auditis naturam ipſiſſimæ pœnitentiæ, meliùs propemodum clariuſque deſcriptam quàm in Euangelio; ſicut rectè illum dicit B. Hieronymus Euangeliſtam potiùs fuiſſe quàm Prophetam. Prætereamus Prophetas omnes alios, & veniamus ad nouum Teſtamentum. Ioannes Baptiſta primus præco gratiæ noui Teſtamenti, quomodo incepit prædicationem ſuam. Pœnitentiam, aiebat, agite; appropinquauit regnum cælorum. Nec hoc tantùm. Longè alia adiecit ad commendandam omnibus pœnitentiam, præcipuéque ad percellenda & concutienda corda durorum ac præfractorum hominum prædicatione pœnitentiæ. Progenies, inquit, viperarum, quis vobis perſuadere poterit fugere per pœnitentiam à ventura ira? Quorum tandem ſalutaribus conſilijs ac minis credetis, qui Prophetarum omnium exhortationes, correptiones, doctrinas ſpreuiſtis? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Notate verba, ſignate myſteria, vt ſancti illius ac magni Doctoris verbis vtar. Non dicit tantùm Ioannes ſimpliciter, Agite pœnitentiā; ſed, Facite fructus dignos pœnitentiæ. Et addit aptam admodum ſimilitudinem vt magis moueat: Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum; hoc eſt, quæ non profert dignos pœnitentiæ fructus, exſcindetur & in ignem mittetur. Sed Ioannes ille vobis videtur fortaſſe nimis rigidus eſſe in prædicatione pœnitentiæ: ſicuti in tota vitæ conuerſatione iam inde à puero fuit propemodum inhumanus. Audiamus igitur alios. Et principio quidem Chriſtus ipſe princeps Doctorum omnium & Prophetarum, iiſdem planè verbis incepit prędicationem ſuam, quibus ante illum Ioannes Baptiſta: Pœnitentiam, inquit, agite, appropinquat enim regnum cælorum. Eiuſdem eſt vox illa quam paulò antè audiſtis, nihilo mitior prędicatione Ioannis Baptiſtæ & Præcurſoris ſui, Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis. Idem alibi docēs quamobrem venerit in hunc mundū, quídve omni prædicatione ſua, omnibus laboribus vitæ ſuæ ſibi voluerit, Non veni, inquit, vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Denique explicans alibi & breuibus verbis complectens ſummam totius Euangelij ac doctrinæ Chriſtianæ; Sic, inquit, oportebat pati Chriſtum, & reſurgere, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. Notate ante remiſſionem peccatorum præcedere pœnitentiam: ne quis inani fiducia vel præſumptione ſeipſum fallat. Si remiſſionem peccatorum quærimus, vt quidem nemo non facit, nec iniuria etiam; ad illam nulla alia via, nullus patet alius aditus niſi per pœnitentiam. Hoc princeps etiam Apoſtolorum apertè declarat, Actuum 2. idque in prima omnium concione quam ad populum habuit: Pœni-

 tentiam

tentiam, inquit, agite; & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in remiſſionem peccatorum. Et ſecundæ Epiſtolæ ſuæ 3. cap. Non tardat Deus promiſſionem ſuam ſicut quidam exiſtimant;ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Quid Paulus magnus ille prædicator & Doctor gentium? Plane ſicut Petrus coapoſtolus eius:ad Roman. 2. An diuitias bonitatis & patientiæ & longanimitatis Dei contemnis? An ignoras quòd benignitas eius ad pœnitentiam te expectat? Secundùm duritiem tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundùm opera ſua.

Audiuiſtine quantis periculis ſe exponant, qui negligunt vel ſemper differunt ac procraſtinant pœnitentiam? quantum quoque terribilem iræ ac iuſtitiæ Diuinæ theſaurum ſibi accumulent? In poſteriori autem ad Corinthios 5.cap. Pro Chriſto autem, inquit, legatione fungimur,tamquam Deo exhortante per nos.Obſecramus pro Chriſto,reconciliamini Deo, hoc eſt,agite pœnitentiam. Et 12.cap. Timeo,inquit,ne iterum,cùm venero ad vos, humiliet me Deus; & lugeam multos ex vobis qui ante peccauerunt,& non egerunt pœnitentiam. Intelligitis quàm rigidus exactor fuerit congruæ pœnitentiæ: quàm grauibus ſuppliciis ſubiicere conſueuerit qui pœnitentiam non agebant vt oportebat. Huc pertinet quòd Actuum 17. cap. Athenienſibus prædicans vnam præ omnibus nominat vrgetque pœnitentiam, vnam requirit ab omnibus, idque Dei expreſſa conſtitutione & voluntate, vt commemorat: Nunc, inquit, tempora huius ignorantiæ deſpiciens Deus nuntiat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant. Sic 2. cap. docet omnem prædicationem ſuam per totam Aſiam nihil aliud fuiſſe quàm pœnitentiam in Deum & fidem in Dominum Ieſum Chriſtum. Imò & Ioannes Apoſtolus ille mitiſſimus & ſuauiſſimus in omni vita & prædicatione ſua,tamen quum incidit in ſermonē vel mentionem pœnitentiæ, magnam vehementiam, minas graues ac terribiles adhibet. Apocalypſis enim 3. cap. Eſto memor, inquit, vnde excideris; & age pœnitentiam: alioqui veniam tibi citò, & mouebo candelabrum de loco ſuo; hoc eſt,auferam te è medio, inque æternam damnationem,vt mereris,proiiciam. Vtinam omnes meminerimus,chariſſimi, iuxta ſalutarem hanc admonitionem,vnde excidimus,quid perdidimus per peccatum: longe aliter haud dubiè, longe meliùs ac feruentius pœnitentiam ageremus. Excidimus è gratia & amicitia Dei,ex ſocietate & contubernio Angelorum, è ſumma libertate mentis & corporis in extremam ſeruitutem, è felicitate modis omnibus maxima in turpiſſimam æternamque miſeriam, e vita ſempiterna in mortem perpetuam, è ſummo cælorum in profundum inferni. Ad hæc omnia & tanta bona tamquam poſtliminiò reuertimur per pœnitentiam.

Per hanc Dauid Rex reuerſus fuit ad gratiam Dei,quam toto pænè anno vir tantoperè anteà Deo charus amiſerat. Hæc Manaſſem Regem omnium pænè Regum quos terra vmquam ſuſtinuit impijſſimum,non modò reduxit in gratiam Dei,poſt infinita flagitia,poſt idololatriam turpiſſimam ac longiſſimam, poſtquam impleſſet ciuitatem Ieruſalem ſanguine Prophetarum ac iuſtorum vſque ad os,vt Scriptura loquitur,ſed reſtituit etiam in regnum & priorem gloriam ſuam. Quum enim catenis vinctus abductus fuiſſet in Babylonem, ibique in tetrum coniectus carcerem; afflictio dedit illi intellectum, iuxta ſacrum Prouerbium;redijt ad mentem,orauit Dominum Deum ſuum,& egit pœnitentiam valdè, coram Deo patrum ſuorum, inquit Sacra hiſtoria 2. Paralip.33.Qui & exaudiuit orationem eius,reduxitque eum in Ieruſalem in regnum eius.Sicq; adeò deinceps vixit,vt magna & propemodum certa opinio ac ſpes ſit de ſalute eius æterna.O magnam & mirabilem vim pœnitentiæ! Vtinam tale aliquid ſimili coniecturæ certitudine ſperare liceret de Salomone, Rege illo omnium maximo, ſapientiſſimo, florentiſſimo! Legimus illum amore captum, & perfruitum multis mulieribus ad portentum vſque propemodum,cumque illis & per illas grauiter & turpiſſime deliquiſſe. At quia non legimus adamaſſe poſteà vnam illam omnium ſpecioſiſſimam & caſtiſſimam pœnitentiam, de ſalute eius æterna meritò plurimi dubitant: tametſi tamen econtrà non inanibus argumentis nonnulli ſaluatum exiſtiment.

Hæc eadem pœnitentia,qua de nunc agimus, Regem Niniuitarum cum tota illa prodigioſæ magnitudinis pariſque potentiæ atque opulentiæ ciuitate, Diuina ſententia addictum exitio, inſtar Zodomæ & Gomorrhæ, paucorum dierum ſpatio ex ira Dei, ex igne & flamma cæleſti, ex ſupplicio infernali eripuit, in priſtinaque gloria & felicitate reſeruauit. Venit ad illam ciuitatem Ionas Propheta iuſſu Dei, Iudæus ad Gentes, igno-

tus

tus ad ignotos prædicans ignota & inaudita omnibus, quòd nimirum omnes in grauiſſimam indignationem incidiſſent ſummi Dei, illius qui cælum & terram feciſſet, & omnia quæ in illis ſunt: idque propter varia ipſorum grauiaque peccata: à quibus niſi confeſtim abſtinerent, & Deum illum vitæ puritate veraque anteactæ vitæ pœnitentia placare ſtuderent, omnes breui admodum perituros, & ciuitatem totam cum omnibus quæ in illa ſunt. Noua admodum apud huiuſmodi homines, ingrata atque odioſa prædicatio, vt eſt omnis ſermo qui ad morum correctionem pertinet; Adhuc, aiebat, quadraginta dies, vel vt alij legunt, tres dies & Niniue ſubuertetur. Quid igitur accidit? Res mira admodum: æquis auribus excepta fuit tam inſolita, tam triſtis ac dura prædicatio. Crediderunt viri Niniuitæ Domino, & prædicauerunt ieiunium & veſtiti ſunt ſaccis à maiori vſque ad minorem. Et peruenit verbum hoc ad ipſum quoque regem, & ſurrexit de ſolio ſuo, detraxit coronam de capite ſuo, abiecit regalia veſtimenta, & induit ipſe etiam ſaccum, regioque edicto publicari fecit per totam ciuitatem, Homines & iumenta non guſtent quidquam, & operiantur ſaccis homines & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertantur à via ſua mala, & ab iniquitate quæ eſt in manibus eorum. Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Deus, & reuertatur à furore ſuo, & non peribimus? Et vidit Deus opera illorum, & quòd conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt ſuper malo quod locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit.

Per pœnitentiam iuſtificatus eſt Publicanus; in gratiam & amicitiam Dei tranſierunt Matthæus & Zacchæus, publici peccatores & palam infames. Per eamdem reſtitutus in priſtinã Apoſtolatus dignitatẽ Petrus; Paulus verò non modò gratiam & remiſſionẽ conſecutus præteritorum criminum, ſed factus etiam Apoſtolus & magiſter gentium. Hæc latroni cum Chriſto crucifixo horæ vnius momento infernum clauſit, cælum aperuit: hæc illum è patibulo miſit ad paradiſum: ſupplicium eius vertit in martyrium, pœnam peccatis eius debitam in coronam. Per eamdem Magdalena, (ne ſolos viros commemoremus) liberata fuit à ſeptem dæmonibus, vt Euangeliſtæ teſtantur; hoc eſt, à variis grauiſſimis vitiis, quibus plena fuerat, vt recte diuus Gregorius interpretatur: ex peccatrice publica effecta amica Chriſti longè omnium dilectiſſima: ex vaſe contumeliæ vas honoris & gratiæ; ex ſpeculo impudicitiæ exemplũ perpetuum virtutis omnis & iuſtitiæ.

Denique per pœnitentiam filius prodigus conſumtis omnibus bonis ſuis, redit in gratiam patris ſui: & factus eſt non vnus ex mercenariis, vt prius optabat; ſed filius chariſſimus, vt antè fuerat. admiſſus fuit ad amplexus paternos, imò ad oſculum etiam, quod intimi eſt amoris ſymbolum. Pœnitentia illa detraxit velociter omnes illos fœdos ac laceros pannos, quibuſcũ domum reuertebatur ex regione longinqua infelix, & reddidit illi ſtolam priſtinam, calceamenta in pedibus, annulum in digitis; hoc eſt, non texit ſolummodò, ſed ornauit etiam. Quid ampliùs audire vultis de pœnitentia, de laude, præſtantia & virtute eius? Quin & affertur & mactatur vitulus ſaginatus, & qui in alios vſus ſeruatus erat, filiolo huic prodigo, nepotulo huic totus impenditur; inſtruitur opiparum ſplendidumq́ue conuiuium. Et ne quid deeſſet ad plenam perfectamq́ue lætitiam, ad omnes ſenſus demulcendos, vndique accerſuntur Muſici, adhibentur omnis generis muſicalia inſtrumenta, cantatur, tripudiatur, clamatur: fit ſtrepitus tectis, vocemq́ue per ampla volutãt atria, ingeminant plauſum, noti ignotiq́ue ſequuntur. Dies feſtus agitur, nihil non iucunditatis ac lætitiæ celebratũr, vnà hæc omnia impetrante ac perficiente pœnitentia. Hæc eſt mulier illa ſapiens, 2. Regum 14. quæ apud Dauidem Regem tam ſpecioſis verbis, tam pulchris rationibus intercedit pro filio ipſius perdito Abſalon: hoc eſt apud Chriſtum verum Dauidẽ, Dauidiſq; filium ac Dominum, pro miſeris peccatoribus quondam filius Dei, & nunc adhuc etiã creaturis eius, quorum typum gerebat nequam ille ac perditus Abſalon. Quid autem dicit pro nobis, quibus verbis cauſam noſtram agit apud Deum hæc ſapientiſſima & charitatis ac miſericordiæ pleniſſima pœnitentia? Omnes, inquit, morimur, & quaſi aquæ in terram dilabimur, quæ non reuertuntur. nec vis, ô Deus, perire animam, ſed retractas, cogitans ne penitus pereat quod abiectum eſt. Quare ergo non reuocas eiectum tuum? Cur non parcis creaturæ tuæ? illi inquam creaturæ, quam tam nobiliter creaſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam? Cur pateris illam contaminari, affligi, opprimi tam indignis modis ab hoſtibus tuis: non modò in perniciem eius, ſed etiam in contumeliam gloriæ nominis tui? O quis det nobis, vt talem aliquam aduocatam & patronam habeamus ante thronum Dei, quum ipſi frequenter non meminimus noſtri, nec ſalutis aut honoris noſtri, ſed ſequimur cæci ac dementes vanitatem cordis & cogitationum noſtrarum, vt Scriptũra loquitur. Sed

 hæc

hæc ſatis erunt, ſic breuiter à me dicta in laudem & commendationem [illegible], vt vos in eius amorem prouocem, hoc præcipue ſacro & ſolemni & [illegible] Chriſtiano-rum omnium tempore pœnitentiæ. Suaſi ego vobis quantum in me fuit, [illegible] & perſuaſerim: ſed hoc in vobis ſitum eſt, à vobiſque dependet. Ad id nos omnes Dominus noſter IESVS Chriſtus adiuuare dignetur. AMEN.

Quinta ad POENITENTIAM EXHORTATIO, *initio Quadrageſimæ, Anno* 1589.

1. *Quòd de omnibus peccatis ſimul, nullo excepto, ſeria agenda ſit pœnitentia.*
2. *Quid nos præcipue mouere debeat ad pœnitentiam.*
3. *Quòd nemo, ſi modò conſultum ſibi velit, pœnitentiam debeat in futurum tempus differre.*

QVANTA ſit vis pœnitentiæ, quos quamque ſalutares & ex[illegible] obis [illegible]us pariat, denique quàm bene & fe[illegible]ter c[illegible]o [illegible] qui veram agit pœnitentiam, quique ex toto corde ad Deum [illegible] ituit, alias vobis ſuperioribus declarauimus. Explicuimus etiam, quid ſit [illegible] veram agere pœnitentiam, ſeu quid ſit ſe ad Deum ex toto corde conuertere. Memini autem me vnum quiddam ad eam rem pertinens [illegible] et additurum fuiſſe, niſi obſtitiſſet anguſtia temporis. Id nunc igitur faciam Deo [illegible]te, vno verbo, priuſquam ad illud veniam, quod potiſſimùm vobis decreui proponere, [illegible] quis ſeipſum fallat, dum ſe parat ad Deũ conuertere, & pœnitentiam [illegible]. Quando dicit nobis Deus per Prophetam ſuum; Conuertimini ad me in toto corde veſtro, verba illa in toto corde præter alia multa quæ hic repetere nolumus, illud [illegible] ſignificant, Omnia peccata, omneſque vitioſas affectiones ſimul eſſe exuenda [illegible] . non quidem illa & iſta peccata relinquenda eſſe, hoc autem fortaſſis [illegible] peccatum adhuc foueri poſſe. Simul ex animo excutienda atque abiicienda ſunt [illegible]. Sunt homines quidam, qui dolere, vt ipſis videntur, & pœnitentiam [illegible], pecunis, gulæ, ebrietate, & [illegible] hæc enim apud [illegible] ten[illegible] confitentur. Sed quòd furto pecuniam ab aliquo abſtulerunt, vel quòd [illegible]ne, id ſubticent ac diſſimulant ſiue quod eos pudet tale al[illegible] ſeu quod à reſtitutione abhorrent, vel neſcio qua alia ſiniſtra opinione ducti. Alij [illegible] multa peccata agnoſcunt & confitentur, ſed quòd carnali aliqua affectione perſonæ alicui nimis addictus eſt, & multa quæ inde ſequuntur contra legẽ Dei, vel non [illegible]cit eſſe peccata, vel certè voluntatem non habet ab iis adhuc abſtinendi. Quo in genere [illegible] Auguſtinus [illegible] videtur, priuſquam vere ex animo & perfecte ad Deum conuerſus erat. Ita quiſque ſuis laborat [illegible] affectionibus quibus eſt quodammodo excæ[illegible] ne auelli non poteſt. Qu[illegible] a quo [illegible] affectus eſt, nullo modo [illegible] pœniten[illegible]. Tam[illegible] paratus eſſes omnia [illegible] vnum alicu[illegible] ctu[illegible] pœnitentia tua. Vbi enim eſt mala vel d[illegible]ta vol[illegible] non poteſt [illegible] pœnitentia. Quamdiu enim homo pe[illegible] peccato, qual[illegible]cunque [illegible] apud Sacerdotem, Chriſti vicarium genuè co[illegible] malam [illegible] habet voluntatem. Mala enim eſt voluntas [illegible] peccatum amat, quæ e[illegible] addicta eſt contra legem Dei. Nec [illegible] vt oportet de [illegible] peccatis, [illegible] per[illegible]. N[illegible] ex animo vel propter Deum [illegible] dolet [illegible] Deus [illegible] de [illegible] omnibus [illegible] contra eius legem aut [illegible]. [illegible] pœnitentia [illegible]. Quod [illegible] ut [illegible] & amicitia [illegible] cum a[illegible]. Quemadmodum [illegible] corpus [illegible], non [illegible] funis, non

laqueo,

[illegible] n igne, non aliis multis modis, ſi te velis ſubmergere? Quid iuuat, quum multa [illegible] corpore [illegible] mortifera vulnera, vnum, duo, vel tria diligenter curare ſi vel [illegible] quod neglexeris. Ad eumdem plane modum nihil prodeſt hoc aut illo modo [illegible] non occidere, [illegible] interficis alio. Vnumquodque autem mortale peccatum mors eſt animæ, vt Sacræ literæ noſtræ & fides Chriſtiana teſtantur. Idcircò etiam Deus aut omnia peccata ſimul remittit, aut nulla; non donat dimidiatam veniam, vt communiter & recte dicitur: hoc eſt, non hac aut illa ex parte ſanat ac viuificat animam noſtram, ſed [illegible] boni medici omni [illegible] parte ſanat, nec vllum penitus vulnus mortiferum in ea remanere patitur. nimirum quando ad illum nos [illegible] conuertimus ex toto corde noſtro. V[illegible] inter [illegible] te quibuſn[illegible] ſimiles ſint qui de vno peccato pœnitentiã agere conantur, & non de [illegible]. Similes ſunt Pa[illegible] illis (in Sacris litteris [illegible] Phi[illegible] ſeu Philiſthęi dicuntur) qui in templ[illegible] ſuo ſimul & idolum ſuum Dagon & Arcam Dei Iſraël bello captam poſuerunt. [illegible] quod ægre admodum tulit Deus Iſraël: vnde & grauiter illos afflixit, vt Sacra docet hiſtoria. Item [illegible] Cutæi [illegible] vel Samaritanis, quos [illegible] Rex Babylonis in terra Iſraël, ipſis Iſra[illegible] abductis in captiuitatem, ne patria redigeretur in ſolitudinem, [illegible] ſi nullos omnino incolas aut cultores habuiſſet. Colebant homines illi Deum terræ [illegible], ſeu De[illegible] ve[illegible], iuxta ritum illis oſtenſum à quodam veri Dei Sacerdote; & nihilominus, vt ſimul [illegible] conuenerant & coaluerant ex variis populis, ſinguli colebant etiam Deum ſuum, ſeu terræ illius in qua nati fuerant. Hoc quam ſit abſurd[illegible] ac Deo [illegible], nemo veſt[illegible] opinor non intelligit.

H[illegible] re[illegible] ita vno verbo at[illegible] gere [illegible], vt intelligamus, quid ſit conuerti ad Deu[illegible] ex toto corde, ſeu veram agere pœnitentiam. Nunc quid eſt quod potiſſimum nos mouere & excitare poteſt ad pœnitentiam? In primis & ante omnia ratio præſentis temporis. [illegible] ſi enim nullum tempus non aptum & opportunum ſit ad ſeriam & fructuoſam pœnitentiam, tamen quod nunc ingredimur tempus ad eam rem propriè eſt ab Eccleſia co[illegible]m. Vnde & propriè tempus pœnitentiæ appellatur. Nunc tota Chriſti Eccleſia toto terrarum orbe [illegible] fuſa, vno conſilio, vno animo, vno ſtudio & conatu ſe componit ad pœnitentiam, ad ſobrietatem, ieiunium, ad orationes & eleemoſynas frequentiores, ad [illegible] orem carnis caſtigationem, & ſimilia. Si [illegible] ſolius infirma, debilis, frigida, imperfecta eſt pœnitentia, modò bonæ ſit voluntatis, & pœniteat eum ex animo infirmitatis ſuæ, adiuuatur feruore ac præſtantia pœnitentiæ omnium aliorum. Vnde merito de hoc tempore nunc canitur in Eccleſia illud Apoſtoli ſeu Prophetæ, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. In h[illegible] ergo diebus e[illegible] mendemus noſmetipſos in multa patientia, in ieiunijs multis, per arma iuſtitiæ, à dextris & à ſiniſtris. Sunt homines quidam malè conſulti, vt mox latius audiemus, qui emendationem vitæ ſuæ toto anno remittunt ad Quadrag[illegible]am: [illegible]m promittunt ſe facturos pœnitentiam. Si illis hactenus pepercit Deus, & principium Quadrageſimæ dedit attingere (non dedit profectò omnibus) nunc illi ſaltem expergiſcantur & meminerint pollicitationis ſuæ. Hodie ſi vocem [illegible] audieritis, nolite vel nunc ſaltem obdurare corda veſtra. Ne [illegible] aliquando vobis contingat quod ſequitur: Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Apoſi[illegible] eſt, ſubaudiendum: Mentiar, vel Non ſim Deus. 2. Cor. 6.

Al[illegible] ratio [illegible] non hoc tantum ſed omni tempore in[illegible]re debet ad pœnitentiam, eſt mirabilis Dei longanimitas & clementia ſemper nos excitantis, ſemper inuitantis, & prouocantis ad meliora. Hæc ratio exprimitur clariſſimè in verbis Epiſtolæ hodiernæ quæ tractatur: Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. Auditis Prophetam nullis verbis ſatis explicare poſſe ineffabilem Dei miſericordiam & clementiam, qua ſemper [illegible] peccatorem conuerſum in gratiam recipere. Id quod Ezechiel Propheta eleganter etiam verbisque affectuum plenis declarat, dicens cap. 18. Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus inquinamentis veſtris, & non erit vobis in ruinam [illegible]. Quare moriemini domus Iſrael? Quia nolo mortem peccatoris, dicit Dominus Deus: reuertimini & viuite. [illegible] addit eodem loco: Quotiecumque auerterit ſe impius ab [illegible] ſtitia, & egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodi[illegible] ps præcepta mea, vita viuet, & non morietur o[illegible] iniquitatum eius nun[illegible] bor. O quanto clementior eſt Dominus Deus noſter regibus omnibus & [illegible] ipibus [illegible] mundi! Si quis miles deſerto rege ſuo fugiſſet ad hoſtes [illegible], & poſt e[illegible] pœnitudine [illegible] reuerteretur; quorum[illegible]que eſt [illegible] etiam optimorum, Ioel. 2.

qui talem militem vel non occideret quàm primùm, vel ſaltem non eiiceret in exilium? Quòd ſi quis Regum tam clemens eſſet, vt prima vice veniam daret recieperetque in gratiam, eum idem faceret, ſi miles ille iterùm iterumque Regem falleret, & ſacramentum fidelitatis illi præſtitum violaret? Aliter hiſtoriæ omnes rerumque experientia loquitur. At verò quid Dominus Deus noſter? Audite quid dicat per Ieremiam Prophetam ſuum cap. 3. Vulgò dicitur: Si dimiſerit homo vxorem ſuam, & [illegible] ab eo duxerit virum alterum; numquid reuertetur ad illam vir ſuus, aut illam ad [illegible] reuertentem recipiet? numquid non polluta & contaminata eſt mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere, & ego recipiam te, dicit Dominus. O clementiſſimum Dominum, ô vocem omni nectare dulciorem! O cor durum, ferreum, adamantinum, quod talis miſericordiæ oſtenſione non flectitur, non commouetur ad pœnitentiam!

Sæua fuit, dextrâ quæ concidit Herculis, hydra,
Sæui qui ſiluis exagitantur apri:
Sæui qui Lybicis ſtabulantur montibus vrſi,
Sæua & in Hyrcanis rupibus orta tigris:
Sæuus quum viſâ rugit leo Punicus agnâ,
Sæua lupis rabies quos premit atra fames:
Sæuior eſt, quem nulla Dei clementia frangit,
Hydra, apris, vrſis, tigre, leone, lupo.

Aliter D. Bernardus Serm. 22. ſuper Cantica: Omnino, inquit, propter manſuetudinem quæ de te prędicatur, curremus poſt te Domine IESV, audientes quòd non ſpernis pauperem, peccatorem non exhorreas. Non horruiſti aut reſpuiſti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam ſupplicantem, non deprehenſam in adulterio, non ſedentem in telonio, non ſupplicantem Publicanum, non negantem diſcipulum, non perſecutorem diſcipulorum, non ipſos crucifixores tuos. In odorem, inquit, horum curremus. Hoc eſt illud etiã, quod habet Reſponſoriũ quoddam Eccleſiaſticum, vt videbimus in hac Quadrageſima ſuo tempore: Tribularer ſi neſcirem miſericordias tuas Domine. Tu dixiſti, nolo mortem peccatoris; ſed vt magis conuertatur & viuat. Qui Chananæam & Publicanum vocaſti ad pœnitentiam. Accipite hac de re vnum verbum adhuc clariſſimum ex Diuo Paulo Apoſtolo, ex quo verbo deſcendemus ad tertiam rationem qua permoueri debemus ad pœnitentiam. Ignoras, inquit, Rom. 2. quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Hoc eſt, de quo iam diximus. Sed quid ſi quis tam durus, præfractus & obſtinatus ſit, tam ſibi placens in peccatis ſuis, vt benignitate Dei non commoueatur? Audite quemadmodum intonet eodem loco aduerſus illos: (tales enim multos eſſe beatum Apoſtolum minime latuit) An diuitias, inquit, bonitatis & patientiæ & longanimitatis eius contemnis. Secundùm duritiem tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicii Dei, qui reddet vnicuique ſecundùm opera ſua.

Sunt nonnulli, vt iam diximus, qui omnem pœnitentiam & emendationem ſuæ vitæ vſque ad Quadrageſimam differunt. Adeò vt ſi numquam veniret Quadrageſima, numquam pœnitentiam agerent. Veniente autem Quadrageſima, tum adhuc procraſtinant, ac reiiciunt pœnitentiam vſque ad Quadrageſimæ finem, vſque ad hebdomadam Sanctam. Primùm, quis hominibus huiuſmodi promiſit aliquã Quadrageſimam? [illegible] clementia principium nacti ſunt Quadrageſimæ, quis eos certos reddidit [illegible] finem [illegible] victuros? Quàm multos abſtulerunt menſes iſti proximè elapſi qui exordium hoc Quadrageſimæ nõ viderunt, quod nos modò attigimus? Qui ſi nunc adhuc nobiſcũ [illegible], non ita ſinerent, opinor, elabi ſibi tempus gratiæ & miſericordiæ Dei ſine vllo [illegible]ctu. Qui pœnitenti veniã promiſit, nõ promiſit peccanti [illegible], ait [illegible] Gregorius. An non meminiſtis fatui illius in Euangelio Lucæ 12. A[illegible] aiebat, H[illegible] multa bona poſita in annos plurimos. requieſce ergo, ede, bibe, epulare. Sed quid eximprouiſò illi Deus? Stulte, inquit, hac nocte repetent animam tuam [illegible] & quæ paraſti, cuius erunt? Deinde, velim mihi dicerent [illegible], ſi morbo aliquo periculoſo, ſi peſtilenti vlcere, ſi vulneribus mort[illegible] laborarent, [illegible] differrẽ [illegible] dicum accerſere, morboque ſuo remedium adhibere [illegible] Omnis [illegible] eſſet. Quænam igitur excuſatio erit apud Deum, tantopere ſollicitos eſſe p[illegible] ne corporis, quod velimus nol[illegible] aliquando moreretur, cuius [illegible] m[illegible]

afferr

affert ad ſalutem animæ noſtræ,& pro animæ curatione ac vita,à qua dependent omnia, æterna ſcilicet aut felicitas aut infelicitas noſtra,tam paruam curam adhibere? illius curationem differre de die in diem, de anno in annum dum ſanus es,dicere,Pœnitentiam agam vbi ægrotare incepero: dum ægrotas,Tum cogitabo de pœnitentia vbi reualuero; nunc enim non licet per morbum & ægritudinem. O ter cæcos atque inſanos homines, quàm miſerè illuduntur ac falluntur artibus nefariis & conſiliis diabolicis! Quanto meliùs ſapiens ille Ieſus filius Sirach Eccleſiaſtici 5. Fili, inquit, ne tardes conuerti ad Dominũ, & ne differas de die in diem.Subitò enim veniet ira illius,& in tempore vindictæ diſperdet te. Cui ſimile eſt illud Iſaiæ 55. Quærite Dominum, dum inueniri poteſt; inuocate eum, dum propè eſt. Quæ verba profectò ſignificant,Deum nec ſemper inueniri dum quæritur, nec ſemper inuocantes exaudire, nec ſemper propè eſſe, aut paratum ad opem ferendam. Sed omnium optimè & clariſſimè hanc rem explicat canticum quoddam Eccleſiaſticum quod audiemus Dominica proxima: Emendemus in melius quæ ignoranter peccauimus; ne ſubitò præoccupati die mortis quæramus ſpatium pœnitentiæ,& inuenire non poſſimus.

Hic obſeruandum in primis, quàm bonam opinionem habeat pia mater Eccleſia de filiis ſuis. Emendemus,inquit,in melius quæ ignoranter peccauimus. Putat nimirum neminem Chriſtianorum tam ſui ac Dei obliuiſci poſſe, vt ſcienter ac prudenter violet legem eius.Et tales quidem eſſe deberent reuerà homines Chriſtiani. Sed quàm procul ab eo abſimus plerique omnes; hoc eſt, quàm ſæpe ſcientes prudenteſque peccemus grauiter; non modò per infirmitatem aut ignorantiam, qua vehementer haud dubiè laboramus omnes, ſed etiam per meram malitiam voluntatis; quis eſt qui neſciat? Quòd ſi igitur Eccleſia nunc tam ſeriò exhortatur in melius emendare quæ ignoranter peccauimus; quantò magis emendanda ſunt hoc ſacro tempore Quadrageſimæ, quæ toto anno variis modis contra legem Dei ſcientes prudenteſque deliquimus? Idque ne fortè ſubitò præoccupati die mortis quæramus ſpatium pœnitentiæ, & inuenire non poſſimus; atque ita in mortem & damnationem æternam incidamus,quæ manet vtique omnes qui ſine vera pœnitentia ex hac vita diſcedũt. Quantò ſatius eſſet hîc paruo tempore pœnitentiam agere fructuoſam & ſalutarem, quam in inferno numquam non agere pœnitentiam luctuoſam & inanem! De qua infelici pœnitentia, quæ dolorem habet quidem, ſed non medicinam, ſcriptum eſt Sapientiæ 5. Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt,pœnitentiam agentes,& præ anguſtia ſpiritus gementes, &c.

Sed fortè mirum alicui videatur quod hîc dicitur, Ne ſubitò præoccupati die mortis quæramus ſpatium pœnitentiæ, & inuenire non poſſimus. Quid enim? Nónne patet ſemper ianua pœnitentiæ & miſericordiæ Dei omnibus ad extremum vſque ſpiritum vitæ? Nónne ſcriptum eſt etiam: Quotieſcumque ingemuerit peccator, ſaluus erit? Primùm Scripturam illam in meis Bibliis equidem non inuenio,ſed recipio illam tamen ac veneror,& credo extare alicubi in verſione Septuaginta Interpretum. Certè,ſenſus illius Scripturæ,dummodò intelligatur vt oportet, eſt in verbis illis Ezechielis Prophetæ, quæ iam paulò ante retulimus. Atqui varius eſt modus ingemiſcendi. Non omnis gemitus pro peccatis bonus & ſalutaris eſt gemitus. An obliti eſtis eius quod iamiam ex libro Sapientiæ produximus de damnatis in inferno: Talia dixerunt intra ſe præ anguſtia ſpiritus gementes? Quoties aliquis ex animo ingemiſcit pro peccatis ſuis, dolens ſincerè quòd Deum offenderit, & meliora proponens; etiamſi extremum vitæ ſpiritum duceret, animamque ageret, apertam inueniet ianuam gratiæ & miſericordiæ Dei. Exemplum eſt latro in cruce cum Chriſto moriens. Sed quæſo, chariſſimi, quot prætereà nouiſtis exempla huiuſmodi? non quidem quòd quemquam repellat Deus ex animo ingemiſcentem & pœnitentem;ſed quòd rariſſimè contingat,vt qui ad finem vſque vitæ ſuæ, vel vſque ad ægrotationem reiiciunt pœnitentiam, verè atque ex animo tum reſipiſcant ac miſericordiam poſtulent.

Sententia eſt memorabilis admodum,ſed tam vera quàm terribilis,quę D.Auguſtino tribuitur,in Sermone quodam de Innocentibus:Hac animaduerſione percutitur peccator,vt in morte atque ægritudine obliuiſcatur ſui,qui, dum viueret & ſanus eſſet, oblitus eſt Dei. Huius rei permulta extant exempla tam in Sacris litteris quàm in aliis. Hoc eſt illud in primis quod de fatuis virginibus D.Matthæus ſcribit 23.cap.Clauſa ianua venerunt dicentes: Domine,Domine aperi nobis. At ille reſpondens, ait; Neſcio vos. Huc pertinet illud quod de profano Eſau dicitur ad Hebræos 12. quòd non inuenit pœnitentiæ

tentiæ locum, etſi cum lacrymis quæſiſſet illam. Annon vehementer miramini, cum multis lacrymis pœnitentiam quæri, & minime reperiri? Sed non omnes lacrymæ bonæ & ſalutares ſunt lacrymæ. Sunt lacrymæ quædam Crocodili, vt eſt in prouerbio, fictæ nimirum lacrymæ, & ad fallendum compoſitæ: quales ſunt & illarum, de quibus dicitur: Vt flerent, oculos erudiêre ſuos: &, Si quis adeſt, iuſſæ proſiliunt lacrymæ. Sunt autem & aliæ lacrymæ dolore vel metu pœnarum extortæ, quales fundunt interdum impij in mortis extremo diſcrimine conſtituti. Quid mirum, ſi nihil illæ à Deo valeant impetrare? Quia, vocaui (inquit Deus) & renuiſtis, extendi manus meas, & non erat qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis: ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis, quod timebatis, aduenerit; cum irruerit ſuper vos repentina calamitas & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, cùm venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè conſurgent, & non inuenient me. Quid ita? Quia non ſincere atque ex animo inuocant, ſed tantummodò metu vel dolore ſupplicij, vt nunc diximus. Comedent igitur, inquit, fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſilijs ſaturabuntur. Hæc omnia ſic ad verbum habentur Prouerbiorum 1 capite.

Huc ſpectat exemplum terroris pleniſſimum, quod D. Gregorius Homilia Euangeliorum duodecima hiſce verbis recenſet: Rem, fratres chariſſimi, refero; quam ſi intente audire vult charitas veſtra, ex conſideratione illius vehementer inſtruitur. Quidam vir nobilis, in Valeria prouincia, nomine Chryſaurius fuit, vir valdè idoneus; ſed tantum plenus vitijs, quantum rebus; ſuperbia tumidus, carnis voluptatibus ſubditus, in acquirendis rebus auaritiæ facibus accenſus. Sed, cùm tot malis finem Dominus ponere decreuiſſet, corporis languore percuſſus eſt. Qui ad extremum veniens, ea hora qua iam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit tetros & nigerrimos ſpiritus coram ſe aſſiſtere, & vehementer imminere, vt ad inferni clauſtra eum raperent. Cœpit tremere, palleſcere, ſudare, & magnis vocibus inducias petere, filiumque ſuum, nomine Maximum, monachum, turbatis clamoribus vocare, dicens; Maxime, curre; Maxime, curre. Turbatus mox Maximus adfuit; lugens ac perſtrepens familia conuenit. Eos autem, quos ille inſiſtentes ſibi grauiter tolerabat, ipſi malignos ſpiritus videre non poterant; ſed eorum præſentiam, in confuſione, in pallore, ac tremore illius qui trahebatur, videbant. Pauore enim tetræ eorum imaginis, huc illucque vertebatur in lectulo. Cumque conſtrictus nimis, relaxari ſe iam poſſe deſperaret; cœpit magnis vocibus clamare, dicens: Inducias, vel vſque manè: Inducias, vel vſque mane. Sed, cùm hæc clamaret; in ipſis ſuis vocibus de habitaculo ſuæ carnis auulſus eſt. De quo nimirum conſtat, quòd pro nobis iſta, non pro ſe, viderit: vt eius viſio nobis proſiciat, quos adhuc Diuina patientia longanimiter expectat. Nam illi tetros ſpiritus ante mortem vidiſſe, & inducias petijſſe, quid profuit; qui eaſdem inducias quas petijt non accepit? Nos ergo, fratres chariſſimi, nunc ſollicite iſta cogitemus: ne nobis in vacuum tempora pereant: & tunc quæramus, ad benè agendum, viuere; cùm iam compellemur de corpore exire. Hactenus D. Gregorius.

Lib. 5. Hiſt. Angl. c. 14. Exemplum non minus horribile minúſve notatu dignum narrat Venerabilis Beda, hanc ferè in ſententiam & modum breuiter contractum: Vir quidam officio militari Regi Anglorum Coënredo charus, ſed ſalutis ſuæ negligens, a Rege ſedulò admonebatur, vt peccata confiteretur & emendaret, priuſquam inopinata morte præoccuparetur. Verum ille monita ſalutis ſpernebat, ſeque aliquando pœnitentiam acturum promittebat. Interim in ægritudinem incidit. Rex iterum, vt vel tunc per pœnitentiæ Sacramentum ſaluti ſuæ conſuleret, hortabatur. Reſpondit, ſe iam nolle; ne metu mortis id feciſſe diceretur, atque ita à conſodalibus derideretur: ſe, vbi ſanitati foret reſtitutus, confeſſionem peccatorum facturum. Morte magis ac magis ingruente, iterum à Rege admonitus, clamauit miſerabili voce: Quid vis modò? quid huc veniſti? non enim mihi aliquid vtilitatis aut ſalutis potes vltra conferre. At Rex: Noli, inquit, ita loqui: vide vt ſanum ſapias. Non, inquit, inſanio: ſed peſſimam mihi conſcientiam certus ante oculos habeo. Narrataque Angelorum ac dæmonum viſione, triſtique pro anima concertatione, ſentienſque quaſi duos dæmones in viſcera irrepentes, deſperans infelicem efflauit animam. Vt vere liceat hiſce duobus exemplis concludere;

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Exhor-

EXHORTATIO VI. *de effectibus ſeu fructibus* POENITENTIÆ, *initio Quadrageſimæ*, *Anno* 1590.

QVEMADMODVM ægroto & malè affecto homini ſcimus omnes nihil magis neceſſarium eſſe, quam medicinam qua ſanetur: vnde & pro nulla re magis ſolliciti ſunt, qui ægrum amant, eiuſque curam gerunt, quàm vt medici opera & conſilio adiuuetur & releuetur: ſic nos omnes multis peccatis infecti (quæ morbi ſunt letales animæ noſtræ) nulla re æque indigemus atque vera & ſalutari animæ medicina, quæ eſt pœnitentia: quam nunc temporis Eccleſia filijs ſuis diligenti cura proponit & commendat omnibus. Sed pœnitentia omnium pænè communi iudicio res quædam ardua, difficilis, dura ac moleſta eſſe videtur. Quid igitur ad illam nos præcipuè excitare & commouere poterit, ſi tantoperè nobis eſt neceſſaria? Reſpondeo: Quid ægrotum hominem (vt in propoſita comparatione maneamus) cogit ad medicinæ opem confugere? Dices vtique, ſenſus doloris, metus mortis, ſpes vitæ & ſanitatis. Eadem penitus peccatores omnes, qui ægrotam (vt iam diximus) ſeu veriùs mortuam animam gerunt, commouere debent ad pœnitentiam. Si nihil arduum aut moleſtum non libenter aſſumitis, ſine ſpe mercedis, fructus, vtilitatis; pœnitentia res tam dura eſſe videtur? Ecce hîc vobis in primis fructus atque vtilitas pœnitentiæ maxima, ſpes certa vitæ, ac ſalutis æternæ.

Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignem,
Arida nec ſitiens ora lauabis aqua;
Vt valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore maius habet.

Quàm pulchrè dictum ab homine ethnico! hunc pœnitentiæ fructum Chriſtus nobis ipſe declarat Lucæ 13. Niſi, inquit, pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Quid hinc ſequitur? Si pœnitentiam egeritis, non peribitis, vt merebantur peccata veſtra. Sic Ezechiel Propheta commendans populo pœnitentiam: Conuertimini, inquit, *Ezech 18.*
& agite pœnitentiam, & non erit vobis in ruinam iniquitas. itemque mox clariùs: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vita viuet & non morietur: omnium iniquitatum eius non recordabor ampliùs. Hîc non ſimpliciter vita promittitur, hoc eſt relaxatio culpæ ac mortis æternæ; ſed remiſſio etiam pœnæ temporariæ: eaque maior vel minor pro magnitudine pœnitentiæ: quæ tanta eſſe poteſt, atque eſt interdum, vt omnem pœnam purgatoriam temporalem tollat. Tunc pleniſſimè adimpletur illud: Omnium iniquitatum eius non recordabor ampliùs. Iam verò ex hoc capite multa ſequuntur non minùs admiratione quàm amore digna. Sublatis enim peccatis, quæ ſola Deo inimica ſunt, rurſus homo per pœnitentiam cum Deo in gratiam & amicitiam redit: nec modò in eius amicum recipitur, ſed etiam in filium adoptatur. Sic loquitur Deus ipſe 2. ad Cor 6. Exite de medio illorum: hoc eſt, excutite vos à peccatis, & redite ad me per pœnitentiam: & ego ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios. An hoc vobis parum videtur? non hoc parui æſtimauit ſanctus ille & dilectus Apoſtolus Chriſti: Vide- *1 Ioan. 3.*
te, inquit, qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & ſimus. Notate verba, Nominemur & ſimus. Reges huius mundi aſſumunt ſibi frequenter magnificos & ſpecioſos titulos; ſcribunt ſe Reges multarum prouinciarum, in quibus nihil habent poteſtatis: nos omnes per veram pœnitentiam, non modò nominamur filij Dei, ſed ſumus etiam. Peccata noſtra nos quidem indignos faciunt illo honore: vnde rectè dicebat ille prodigus, conſcius ſibi delictorum ſuorum, Iam non ſum dignus vocari filius tuus. ſed humilis illa confeſſio eius, hoc eſt vera pœnitentia, tali honore dignum illum reddidit: vnde à patre ſuo receptus fuit obuijs vlnis, & tamquam filius dilectiſſimus habitus.

Quid autem hinc præterea ſequitur? Si filij, inquit alius Apoſtolus, ergo & heredes; *Rom. 8.*
heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti. Scimus, hominem quoties in peccatum mortale delabitur, deleri de libro vitæ, deque iure & poſſeſſione cæleſtis hereditatis, atque inſcribi in libro gehennæ ac mortis æternæ. Sic enim eſt Exod. 32. Qui peccauerit, delebo illum de libro meo. quæ quidem ſumma peccatorum infelicitas ac pœna eſt. At pœnitentiæ tanta virtus eſt vt chirographum peccati deleat, hominemque ex æterna male-

maledictione ereptos,cæli ciues æternæq; vitæ heredes conſcribat. Hinc verò & aliud ſequitur non minùs optabile. Quia enim filij Dei ſumus, de paterna cura & prouidentia Dei certi & ſecuri eſſe debemus, quidquid nobis accidat. Non enim amat & deſerit, vt Auguſtinus loquitur. Parentum eſt, filiorum ſuorum curam gerere, illiſque in omni neceſſitate ſuccurrere. Audite hac de re ſententiam Domini Iſaiæ 49. Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit,ego tamen non obliuiſcar tui.

Ex ijs quæ iam diximus intelligere promtum eſt, per pœnitentiam homines miſeros non modò ad vitam reuocari, nec ad certam ſolum ſalutem perduci, ſed reſtitui etiam ad priſtinam vitæ atque honoris dignitatem. Peccatum nos ab omni dignitate atque honore deijcit,quem habebamus in oculis Dei & ſanctorum Angelorum eius,in ſummamque ignominiam & turpitudinem præcipitat. *Pſal. 48.* Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus,& ſimilis factus eſt illis. Quin etiam,non tantum ſpiritali honore, qui ornamentum eſt animæ, Deo & Angelis probe cognitum (vt iam diximus) ſpoliat nos peccatum, ſed non raròetiam honore ac dignitate temporali. Filius prodigus qui quondam in paternis ædibus ſummo in honore fuerat, quum ſe peccati ſeruum reddidit, peregre profectus fuit in regionem longinquam, ibique patrimonium omne conſumſit cum ſcortis & lenonibus;eò ignominiæ tandem deuenit, vt porcos paſcere cogeretur. Manaſſes Rex propter ſcelera ſua regnum ſuum amiſit, abductus fuit captiuus Babylonem,ibique multo ferro onuſtus coniectus in carcerem. Hæc autem eadem exempla nos docebunt, pœnitentiam non ſolùm homini ſpiritualem internamque animæ dignitatem reddere, ſed reſtituere etiam vt plurimùm dignitatem temporalem. De filio prodigo iam audiſtis, & ſcitis omnes. Quod verò ad Manaſſem Regem attinet,quum in carcere Babylonico ſeriam ageret pœnitentiam,culpam ſuam agnoſceret, Deumque multis lacrymis veniam rogaret, diuino fauore ereptus fuit è carcere, ac reſtitutus in regnum ſuum,vt Sacra docet hiſtoria.

Et quod magis miremini, accidit non raro vt pœnitentia hominem in longè meliorem ſtatum maioremque dignitatem coram Deo eleuet, quam prius habuerat. Cuius rei in primis nobile exemplum eſt Magdalena: quæ per pœnitentiam ad tantam nominis celebritatem peruenit, vt nominetur cum laude ac dignitate per totam Eccleſiam. Et quinam ſunt inter viros præcipuę columnæ Eccleſiæ Dei, quorum ſcripta præ alijs ſemper à Fidelibus in ore atque admiratione habentur? Nónne Dauid ex veteri Teſtamento? ex nouo autem præcipue Matthæus,Petrus,& Paulus,Apoſtoli? Iſti autem omnes ſpecula ſunt lucidiſſima pœnitentiæ. Qui, quòd ad tantam gloriam & dignitatem peruenerunt,nõ tantùm in hoc mundo, ſed maxime etiam in futuro, vni debent præcipue pœnitentiæ acceptum ferre. Certe,inquit Ambroſius,fidelior factus eſt Petrus,poſtquam fidem ſe perdidiſſe defleuit; atque ideò maiorem gratiam reperit quàm amiſit. Et diuus Gregorius; Fit plerumque Deo gratior amore ardens poſt culpam vita, quàm ſecuritate torpens innocentia. Poſſem hanc rem facile multis alijs exemplis illuſtrare ex hiſtorijs Eccleſiaſticis: ſed ſatis eſſe puto ad inſtructionem veſtram quę iam deſumſimus ex Sacris litteris. Liberatio autem illa Regis Manaſſis, & exaltatio è carcere & vinculis ad regnum per pœnitentiam, aliud etiam quiddam nobis ſignificat. nimirum redire hominem auxilio pœnitentiæ è captiuitate ad libertatem. Loquor autem nunc de captiuitate & libertate ſpiritus: de qua Iſaias etiam loquitur cap. 52. Conſurge, conſurge; induere fortitudine tua Sion: ſolue vincula colli tui captiua filia Sion. Id quod Paulus in 2. Epiſtola ad Timotheum clariùs explicat, dicens de quibuſdam: Vt reſipiſcant à diaboli laqueis; à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem. Sic Salomon Prouerb. 5. Iniquitates ſuę capiunt impium,& funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Quemadmodùm qui captus aut ligatus eſt,non eſt ſui iuris,ſed ad illius arbitrium regitur, à quo captus tenetur: ita plane peccator prauis delectationibus tamquam vinculis & peccandi conſuetudine ceu carcere præpeditur, vt ſurgere nequeat, virtutemque agnoſcere & amplecti; accedentibus mille alijs ſuggeſtionibus & malis conſilijs diaboli, quibus omnis illi ad virtutem & libertatem via præcluditur. O quàm grauis & profundus carcer! quàm dura vincula! Quod ſi peccatori non videtur, ſi non ſentit ſe captum & ligatum eſſe; eò magis captus arctiuſque eſt colligatus. veluti morbos eſſe quoſdam nouimus tam atroces, vt ſenſus omnis doloris auferatur, nec quidquam ſentiatur, etſi ignis quoque membra depaſcat. Quàm dura autem & moleſta eſt captiuitas; tam dulcis & amabilis

eſt

eſt libertas ſpiritus quam homini reſtituit pœnitentia. Per hanc latro cum Chriſto crucifixus non modò ex miſerrima animæ captiuitate tranſiuit in perfectam ſpiritus libertatem; ſed repentè etiam de patibulo, in quo manus & pedes fixus erat clauis, volauit in amplitudinem ac delicias paradiſi cæleſtis.

Eſt verò & alia pœnitentiæ vtilitas, minimè parui momenti: quòd videlicet totius iuſtitiæ noſtræ anteactæ, omniumque bonorum operum merita, quæ ſublata ac mortificata erant (vt ſic dicam) per peccatum; ope ac remedio pœnitentiæ redeant, reuiuiſcant, omnemque debitam mercedem recipiant. Quod vt meliùs capiatis, ſcire conuenit, vel ad memoriam reuocare, Doctores Eccleſiæ triplicem quamdam operum differentiam ponere. Quædam enim appellant mortifera, ſeu mortalia, vt communiter vocantur; quædam verò mortua; alia autem mortificata. Explicatio rem faciet clariorem. Mortifera peccata ſunt, quæ animæ vitam auferunt. Sic enim loquuntur vbique Sacræ litteræ. Os quod mentitur occidit animam, inquit Sapiens. & Iacobus Apoſtolus; Peccatum, quum conſummatum fuerit, generat mortem. Hoc ſatis eſt manifeſtum. Mortua Sap. 1. Iac. 1. dicuntur opera quę per ſe quidem bona ſunt ac meritoria, ſed tamē quę ab homine fiunt in ſtatu poſito (vt vulgò dicimus) peccati mortalis. Fit enim ſæpenumerò, vt homo per peccatum aliquod grande in ira Dei conſtitutus, æternæque morti obnoxius, eleemoſynas largiatur, oret, ieiunet, alios re vel conſilio iuuet, multaque id genus alia virtutum bonorum officia præſtet: quibus tamen omnibus nihil meretur, quod præcipue ad vitam & ſalutem æternam conſequendam pertineat. Quamdiu enim auctor huiuſmodi operum Deo mortuus eſt, nulla eius opera Deo placere poſſunt. Proinde, etſi opera huiuſmodi non ſint mala vel mortifera, tamen mortua eſſe rectè dicuntur, quia nullum vitæ fructum proferunt. Hinc Apoſtolus de illo qui charitatē non habet, quæ vita eſt vera animæ noſtræ: Si diſtribuero, inquit, in cibos pauperum omnem ſubſtantiam meam, & 1. Cor. 13. ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam; nihil mihi prodeſt. Ceterùm ſunt alia quædam opera, quæ mortificata eſſe dicuntur, non autem propriè mortua. nempe quæcumque recta intentione facimus in Dei gratia atque amore conſtituti: quæ quidem tunc viua ac Deo grata ſunt: at ſi peccatum aliquod mortiferum interueniat; omnia mox vim ſuam, meritum & valorem perdunt. Peccatum enim eſt velut ignis deuorans, & quaſi letale venenum, omnia quæ ante ſe inuenit inficiens, vaſtans, perdens, conſumens. Hinc eleganter Ezechiel Propheta cap. 18. Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, ſecundùm omnes abominationes quas operari ſolet impius, numquid viuet? Omnes iuſtitiæ eius, quas fecit, non recordabuntur: hoc eſt, quamdiu manet in peccato ſuo, omnium anteactarum virtutum ſuarum fructum ac mercedem perdet. Verùm, ſi ſe iterùm ex animo, relictis peccatis, ad Deum conuertat; per huiuſmodi pœnitentiam, omnia illa bona opera præterita reuiuiſcent. Imò non reuiuiſcent, propriè ac verè loquendo; ſed tamquam è ſomno vel ex inimici potiùs violenta oppreſſione, ad naturam ſuam, valorem, ac meritum, reuertentur. Non enim penitus aut propriè mortua erant anteà, vt opus habeant reuiuiſcere, ſeu nouam vitam acquirere; ſed oppreſſa erant tantummodò, vt vim ac naturam ſuam exercere non poſſent. Aliud eſt ignem ſeu flammam prorſus extingui, aliud vaſe obiecto vel ſuperpoſito opprimi, vt vim ſuam exercere nequeat. Ablato enim vaſe iterùm ſe flāma diffundit, & calfacit viritim circumſtantes. Sic planè virtutes omnes, non quidem extinguuntur penitus, ſed opprimuntur ſuperuenientibus peccatis mortiferis. At impedimento illo ſublato, quod fit per pœnitentiam, redeunt ad vim ac naturam ſuam, & omnem debitam mercedem recipiunt. Hoc nobis ſatis apertè ſignificat parabola filij prodigi: qui quum vera pœnitentia plenus ad patrem reuerteretur, agnoſcens ex animo culpam ſuam & meliora promittens; Citò, inquit pater, afferte ſtolam primam; & quæ ſequuntur. Quid eſt, Afferte ſtolam primam? nempe obedientiæ, pudicitiæ, iuſtitiæ & ceterarum antecedentium virtutum eius, quæ hactenus mortificatæ fuerunt, illis fructum reſtituite. Quàm multorum annorum merita præclariſſima Petrus Apoſtolus, Dauid Rex & Propheta, alijque multi æternùm perdidiſſent per peccatum, niſi illis pœnitentia ſubueniſſet: quæ omnia illa vno quodammodò partu, vno temporis momento, ad vitam reuocauit, ad condignam mercedem reduxit! Felix planè hora, quæ multorum temporum merita optima laboreſque glorioſos redemit! Quemadmodum Eccleſiaſticus 11. cap. dicit, malitiam vnius horæ obliuionem facere luxuriæ & felicitatis magnæ; ſic veriſſimè dicere poſſumus, pœnitentiam vna hora animo conceptam, & quantum fieri poteſt opere præſtitam, obliuionem apud Deum adducere ma-

ledictionis perpetuæ,& reddere homini quam antè promeruerat mercedem vitę æternę. Videte voſmetipſos (inquit Ioannes in ſecunda ſua Canonica) ne perdatis quæ operati eſtis, ſed vt mercedem plenam recipiatis. Senſus eſt, Cauete, ne vno vel pluribus peccatis mortalibus omnem præteritæ pietatis veſtræ mercedem perdatis. Eſſet illa ſane iactura incomparabilis. Quanta autem eſt huiuſmodi bonorum iactura, tantum eſt lucrum, omnium piorum laborum operumque mercedem peccato deperditam recuperare per pœnitentiam.

Denique nec minima eſt, nec ſilentio prætereunda vtilitas pœnitentiæ, quæ exprimitur Lucæ 15. Dico vobis, inquit Dominus, gaudium eſt Angelis Dei in cælo, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Quis non libenter quantum poteſt gaudij & lætitiæ affert amico ſuo, quem vnice diligit? Quòd ſi tantopere ſtudemus lætificare homines miſeros & mortales, quantò maius & præclarius, addam etiam vtilius & fructuoſius eſt, lætificare ſpiritus illos nobiliſſimos immortales? Et eſt hoc mirabile admodum. Angeli Dei nihil opus habent à nobis lætificari: ſunt enim pleni ſumma lætitia · vtpote qui ſemper intuentur faciem Dei, fontem verum & materiam infinitam veræ omnis lætitiæ: & tamen gaudent a nobis miſeris lætitia affici. Et ne quis hoc vanum putet, dicit affirmatque ore ſuo ſumma veritas, Dominus Chriſtus. Agite igitur, vultis lætificare Angelos Dei? vultis excellentiſſimos illos cæli Principes nouo magnoque gaudio afficere, ac proinde illis quoque eſſe chariſſimi? Non quærunt aurum vel argentum, quo plerique omnes lætantur: non vocalem Muſicam, vel dulcem cantum quo Principes recreantur: nihil tale: id quærunt quod facile omnes donare poſſunt, quodque eſt in vniuſcuiuſque noſtrûm poteſtate. nihil quærunt præter veram pœnitentiam noſtram, quæ nihil aliud eſt, quàm ſincera cordis ad Deum conuerſio. Et quid illis vtilitatis affert pœnitentia noſtra, quòd tantoperè illa recreantur? Illis quidem nihil prorſus, ſed nobis plurimum. ſciunt illam nobis vehementer vtilem eſſe, imò penitus neceſſariam. Gaudent igitur in pœnitentia noſtra de bono noſtro, non de ſuo. hoc demum verorum eſt amicorum. Nec verò Angeli tantùm gaudent hac occaſione, ſed ipſe etiam Chriſtus Rex Angelorum, Dei Filius, Deuſque verus. Hoc enim ſibi vult parabola illa boni paſtoris, ouem perditam atque inuentam humeris ſuis imponentis, ac ferentis ad gregem reliquum: præterea autem præ nimio gaudio conuocantis amicos omnes & vicinos & dicentis; Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quam perdideram. Sicuti autem pœnitentia noſtra gaudium eſt Chriſti & Angelorum eius; ſic e conuerſo, dum noſmet peccato tradimus, vniuerſam curiam cæleſtem, noſtro damno, ac voluntatis noſtræ peruerſitate contriſtamus. Hinc illud Pauli ad Epheſios 4. Nolite contriſtare Spiritum Dei, in quo
Iſai. 33. ſignati eſtis in die Redemptionis. Hinc illud Iſaiæ Prophetæ: Angeli pacis amarè flebunt.

Refert hiſtoriam huc ſpectantem Antoninus, parte 1. tit. 6. cap. 6. quòd Stacteus quidam per Ioannem Euangeliſtam à mortuis reſuſcitatus, eiuſdem iuſſu retulerit duobus illis Ioannis diſcipulis, qui diuenditis relictiſque omnibus, pœnitudine ducti, manu ad aratrum miſſa retrò reſpexerant, quidnam de duobus illis ita a ſancto propoſito auerſis, in altero ſæculo vidiſſet. Qui dixit illis in hunc modum: O miſeri, quid egiſtis? vidi Angelos veſtros flentes de interitu veſtro; dæmones autem gaudentes. Amiſiſtis æterna palatia, vobis ex auro & argento & lapidibus pretioſis fabricata, luce plena & epulis copioſis: & pœnas acerrimas vobis in inferno præparatas expectatis. Ex miraculo igitur viſo, & ipſius reſuſcitati verbis, compuncti illi duo, ad pedes Ioannis proſtrati, miſericordiam poſtulabant. Quibus Ioannes mandauit, vt triginta diebus pœnitentiam agerent; & hoc pro ſigno caperent ſuſceptæ à Deo miſericordiæ; quando virgæ aureæ & lapides illi pretioſi ad naturam priſtinam redacti eſſent. Quod & fecerunt: poſtmodum in ſancto propoſito permanentes, miraculis effulſerunt.

Quæ cùm ita ſe habeant, vt præter innumera & omni exceptione maiora ſalutis noſtræ emolumenta, etiam per veram pœnitentiam Angelorum cœtui gaudium in cælis pariamus, quos alioqui amariſſimè flere compellimus: quis non videat, quàm toto conatu animorum & pœnitentiæ ſtudium complecti debeamus; vt & nobis aliquando donetur illis pro ſalute noſtra gaudentibus, æternùm congaudere?

Sed, quid eſt, obſecro, quòd quidam de virtutis huius tam excellentis moleſtia atque inamœnitate tantopere lamentantur? An exiſtimet aliquis, bono illos iure mouerі, vt de laudabili re querimonias ſpargant? Videamus igitur primùm, quamobrem pœnitentia

res

res tam inamabilis, dura, & moleſta illis eſſe dicitur; & quibuſnam id ita eſſe videtur? Illis profectò ſolis, qui varijs grauibuſque peccatis infecti atque oppreſſi iacent: & pœnitentiam, priuſquam quid qualiſvè ſit nurint, odio proſequuntur, ſoloque eius terrentur nomine. Atqui illi hac in re non ſunt idonei ac legitimi iudices: habent enim iudicium multis prauis affectionibus falſiſque opinionibus quas ſibi confingunt infectum, corruptum, excæcatum. Quid autem cæcus iudicare poteſt de lumine vel de coloribus? quid ægrotus aut febricitans de natura vel ſapore ciborum? Si panem illi optimum præbeas, dicet ſapere terram aut lapidem: ſi vinum dulciſſimum & præſtantiſſimum offeras, clamabit amarum & malum eſſe; eiuſque nec guſtum nec odorem feret. Tales ſunt etiam, tametſi ægroti non ſunt, tamen qui ita longa potatione guſtum omnem ſuum ac palatum corruperunt, vt nihil recte iudicare queant. Vnde illud Euangelicum; Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & quum inebriati fuerint homines, tunc id quod deterius eſt. nimirum, quum nun ſentiunt quid bibant, idémne ſit an diuerſum, bonum an malum: quidquid liquidum eſt & per guttur defluere poteſt, bonum tunc iudicant. Si infirmum hominem lecto decumbentem roges, bonúmne ſit ſtare & ambulare; negabit: at ſi idem à ſano quæras, qui rectè iudicat, dicet planè contrarium: eſſe videlicet bonum ac iucundum, ſtate in pedes, & ambulare quò velis; durum autem, moleſtum ac tædioſiſſimum, iacère porrectum lectoque decumbere. Ita prorſus non ab ijs quærendum eſt, durâne ac moleſta an ſecùs ſit pœnitentia, qui pœnitentiam egerunt nunquam, nec quidnam ſit pœnitentia nouerunt. Hi ſunt illi, quos Propheta pingit ſuis ipſorum coloribus, quibuſque illud æternæ maledictionis Væ terribiliter comminatur, dicens: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem *Iſaiæ 5.* tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Et quinam ſunt illi? addit continenter: Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Si ergo animus eſt ſcire, quid qualiſve ſit pœnitentia, amara an dulcis, moleſta an aliter; interrogandi ſunt non huiuſmodi homines qui nihil videre, nihil iudicare norunt; ſed qui ſano ſunt & incorrupto iudicio, quique nouerunt quid ſit pœnitentia, vtpote illam diligentes & colentes. Interrogandus hac de re eſſet Ioânes Baptiſta quiſpiam, qui pœnitentiam à puero diligentiſſimè & exactiſſimè coluit atque exercuit. Vel ſi ille fortaſſe quibuſdam nimis rigidus parumque omnino humanus eſſe videtur; interrogandus Rex ille magnus Dauid, qui pœnitentiam ex ædibus ſuis regijs, vbi minimè omnium locum habere videtur, minimè excluſit. Niſi enim egregius fuiſſet amator cultorque pœnitentiæ, non compoſuiſſet & reliquiſſet nobis inter alia Pſalmum quinquageſimum, Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam. non dixiſſet: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. item: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. item: Potum meum cum fletu miſcebam. Interrogandi Prophetæ omnes, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, imò & Virgines etiam, quæ per pœnitentiam, & mundum, & carnem teneram, & ſexum imbecillem vicerunt. Quamquam quid opus tanta (vt Apoſtolus ait) nube, ſeu denſa copia teſtium? Res ipſa ſatis loquitur, num vſqueadeò dura ac moleſta res ſit pœnitentia, quàm multi ſentiunt. Ebrietas potiùs, gula, & crapula, quæ pœnitentiæ tantoperè ſunt contraria, dura ſunt ac moleſta maximè. Hinc enim cruditas ſtomachi, hinc morbi innumeri maximique, denique hinc mors etiam frequenter. Neque enim temerè dictum eſt, plures gula cadere quàm gladio. Et nihil adhuc dico de damnis moleſtiſſimis omniumque grauiſſimis ſpiritalibus quæ hinc oriuntur. At verò ſobrietas, quæ magna eſt pars pœnitentiæ, & ſanitatem corporis & mentis alacritatem generat, & variæ ſummæque dulcedinis cauſa eſt, etiam in hac vita, vt nihil de futura dicam; adſit modò bona voluntas, quæ dura etiam leuia, & amara dulcia facit. Sed videamus tamen nonnihil, & demus hominibus iſtis pœnitentiam rem eſſe duram, moleſtam, inſuauem, difficilem: nihilne eſt quod nos meritò commouere debet ad hanc duram & tantoperè moleſtam rem, lubenti animo amplectendam? Vt, quidquid hac in parte deſiderari queat, compendio abſoluamus; fructus illos omnes vberrimos ac præſtantiſſimos pœnitentiæ, de quibus huc uſque diſſeruimus, attentè conſiderent; & certiſſimo argumento concludent, iucundum, gratum, amœnumque eſſe debere illum laborem, cui tot bonorum ac fructuum, hîc & in futura vita, meſſis reſpondet.

Septima EXHORTATIO *initio Quadrageſimæ, Anno* 1551. *ſuper verbis illis:* MEMENTO HOMO, QVIA PVLVIS ES, ET IN PVLVEREM REVERTERIS. *Gen.* 3.

HODIERNVS dies, chariſſimi, celebris eſt ac notabilis multis egregijs nominibus, doctrinis, lectionibus, cærimonijs: quarum vna eſt, ne omnes commemoremus, quòd frontes ſeu capita noſtra cineribus aſperguntur & conſignantur, adiectis verbis iſtis, MEMENTO HOMO, QVIA PVLVIS ES, ET IN PVLVEREM REVERTERIS. quod Adæ in peccatum prolapſo Deus ipſe prædixit. Quæ cærimonia quàm vetus ſit in Eccleſia Dei, quàm benè inſtituta & obſeruata, nihil attinet hîc referre. Si cui res ſit cum hoſtibus religionis noſtræ, cum impijs ac deploratis hæreticis, qui omnes Eccleſiæ pias obſeruationes contemnunt & ſublannant, cum hominibus contentioſis, illis omnibus ſatis ſit reſpondere illud diui Auguſtini Epiſtola ad Ianuarium: Si quid tota per orbem obſeruat Eccleſia, hoc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ eſt inſaniæ. Quòd autem Eccleſia hanc cinerum cærimoniam non vſurpet ſine magnis exemplis, quæ conſignata ſunt etiam & expreſſa in Sacris litteris, vel nunc iam, ſi tempus permiſerit, vel alia vice, Deo fauente, ad piorum hominum inſtructionem dicemus. Nunc breuiter exponere propoſuimus, quid verba illa ſonent ſuper ſingulos repetita: MEMENTO HOMO, QVIA PVLVIS ES, ET IN PVLVEREM REVERTERIS. Multa latent in his verbis ſcitu digna: ſed nos breuitatis cauſa vnum tantùm alterumq; notabimus. Bimembris eſt ſententia hæc: Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuertêris. Primùm admonet nos Eccleſia ac reducit in memoriam quòd puluis & cinis ſumus: deinde quòd in puluerem & cinerem reuertemur. Prius ad originem noſtram pertinet, poſterius ad vltimum finem: vtrumq; autem eſt magna & ſeria conſideratione dignum: conuenit enim vt vnuſquiſque nouerit vnde ſit, primamque ſuam originem; deinde nec minùs eſt æquum & neceſſarium, vt ſciat, quid tandem ad extremum futurus ſit, ſeu quem finem vltimum habiturus.

Hoc perſpectum habuerunt etiam olim ſapientes huius mundi: vnde eſt illud tantopere inter illos celebratum, quod è cælo cecidiſſe dicebant; NOSCE TEIPSVM. Cui nihil
Cant. 1. diſſimile eſt illud in Sacris libris noſtris: Si ignoras te ô pulcherrima mulierum; egredere & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum. Sed ethnici omnes vtcumque illud (NOSCE TEIPSVM) verbis iactarint, nullam tamen penitus ſuiipſorum veram cognitionem habuerunt. Quomodo enim vel quid tandem de ſeipſo noſſet, qui nec vnde ſit, nec à quo factus, nec quem in finem, nec multa huiuſmodi nouit penitus? Sola Philoſophia Chriſtiana hanc ſummam tradit ſapiētiam: ſolæ Scripturæ ſacræ docent, quemadmodum nos ipſos noſſe poſſimus ac debeamus. Brutus Romanus ille, qui Tarquinios ex Vrbe eiecit, vtcumque agnoſcebat terram eſſe matrem ſuam. Quum enim Romani deorum ſuorum oraculo cognouiſſent, primum Conſulem futurum, qui primus oſculaturus eſſet matrem ſuam; Brutus homo ingenioſus & callidus, continuò in terram procidens, illam eſt oſculatus. itaque primus etiam Romanorum Conſul fuit. Vnde ſciuit is terram eſſe matrem noſtram? vnde ceteri id quoque omnes confeſſi ſunt, Bruti ſententia & facto collaudato? Opinor, quia terra nos omnes alit, ſuſtentat, ac vegetat fructibus ſuis, ſicuti mater vberibus ſuis lacteque proprio alit proles ſuas. At verò, quòd natura noſtra & corpus hoc omne ex terra primùm diuina virtute formatum ſit, primamque eius & veram originem penitus ignorarunt. Hoc Eccleſia hodie docet atque inculcat filijs ſuis, grauiſſimis verbis deſumtis ex Sacris litteris dicens: MEMENTO HOMO, QVIA PVLVIS ES, ET IN PVLVEREM REVERTERIS. Vis ergo ſcire, ô homo, originem tuam? vis dicam quid ſis, & vnde factus ſis? Cinis es & puluis terræ. Hoc rectè dicitur vnumquodque, vnde factum eſt: idque etiamſi interdum materiæ atque originis ſuæ naturam vel ſpeciem non retineat. Ollam è terra factam & coctam in fornace, etſi nullam ampliùs terræ ſpeciem habeat, terream ollam tamen terramque vocamus. Sic Deus omnipotens principi generis noſtri propter peccatum maledicens, dicebat: Reuertêris in terram de qua ſumtus ſeu formatus

es; quia

es; quia puluis es, & in puluerem reuertêris. Conatus fuerat Adam ſeſe efferre per inobedientiam & arrogantiam, non modò ſuper Angelos, ſed ſupra Deum etiam ipſum quodammodo; credens vaniſſimis ac mendaciſſimis verbis ſerpentis infernalis: Eritis ſicut dij. Deus autem ſtatim ſuperbiam eius reprimens, vanamq́ue retundens ſpem non ſine amaro ſarcaſmo: Vide nunc, ait, cuiuſmodi Deus factus ſis, fidê adhibeos contra meum præceptum hoſti meo, ad illumq́ue deficiens. reſpice dignitatem ingentem & excellentiam naturæ tuæ: puluis es, videlicet, & in puluerem reuertêris.

Si ergo humanam naturam noſtram velimus non ſolùm cum Diuina, ſed etiam cum Angelica comparare, quæ tota eſt ſpiritalis; videmus quàm infra eam depreſſi iaceamus. Quæ enim poteſt eſſe comparatio inter ſpiritum nobiliſſimum, quales ſunt Angeli, & inter vilem terrę puluiſculum, quod nos ſumus? Nec verò creare nos Deus voluit e cælorum materia, quam ſans ad oculum patet nobiliſſimam eſſe; neque ſaltem ex igne, aut ex aëre, vel ex aqua nos condidit: ſed ex infimo elemento, quodq́ue minimum omnium virtutis ac nobilitatis habet, ex terra creauit. Proinde ſuperaut nos hac in re originiſq́ue nobilitate volucres cæli & piſces maris. Illi enim omnes ex aqua primùm creati ſunt. Vnde etiam videmus eos naturæ eſſe multò agilioris quàm nos ſumus: nimirum ſumma agilitate vel natantes in aquis profundiſſimis, vel per aëra volitantes, quod nos non poſſumus. Referimus nos conditiones originis noſtræ materiæq́ue ex qua creati ſumus. Terra partium mundi omnium totiuſq́ue vniuerſi grauiſſima eſt & craſſiſſima: tota frigida, infirma, tenebroſa, dura, immobilis; tales nos quoque omnes ſumus, talia corpora gerimus. Sed quorſum hæc omnia? vel quam hinc vtilem doctrinam ſumemus? Nempe, vt originis & conditionis noſtræ vilitatem agnoſcentes, in primis ab omni faſtu mentis & arrogantia temperemus. Vnde etenim fit vt multos videamus ſic turgidus vel ſuperbia inflatos, ita ſe efferentes ſupra alios, ſic omnes prę ſe contemnentes, nullumq́ue modum ponentes arrogantiæ ſuæ; niſi quòd ſe homines eſſe, hoc eſt terrenos ac luteos, non recordantur? Si enim hoc eis occurreret, ſimul illius meminiſſent, quod ſcribit Eccleſiaſticus: Quid ſuperbis terra & cinis? eadem cogitatio illos reprimeret ne cornua ſua erigerent *Eccli. 10.* etiam contra Deum, legeſq́ue eius omnes tam audacter conculcarent.

Legimus certè duos viros longè præſtantiſſimos & ſanctiſſimos, (quorum alter veteris, alter noui teſtamenti facile princeps eſt) ſeſe hac vna conſideratione mirum in modum humiliaſſe coram Deo. Abraham cùm iterùm iterumq́ue apud Deum intercede- *Geneſ. 18.* ret pro Sodomitis, ne videlicet vnà cum impiis iuſtos atque innoxios perderet; quàm ſubmiſſe ac reuerenter ſe habuerit, locutuſq́ue fuerit, nouimus. Quid ita? Multis quidem de cauſis, ſed in primis quòd cum dignitate immenſa Diuinæ maieſtatis conſiderabat nimiam vilitatem originis ac perſonæ ſuæ: Quid, inquit, loqui audeam Deo toties & interpellare eum, quum ſim puluis & cinis? Pari modo Ioannes Baptiſta quàm reuerenter ſe habuit in præſentia Chriſti, quanta animi ſubmiſſione dixit, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Quid eum mouebat vt tantam animi, ſermonum, operumq́ue humilitatem prę ſe ferret? Qui de terra eſt, inquit, de terra loquitur. quaſi diceret, Æquum *Ioan. 3.* eſt, vt nouerit vnuſquiſque conditionem naturæ ſuæ. Quum me ergo ipſe terrenum ac luteum, deq́ue terra & luto factum ſciam; qui fieri poſſet vt non me profundiſſimè deprimam coram illo qui totus cęleſtis eſt ac diuinus? Quamquam enim etiam Chriſti corpus quodam modo terrenum eſſet; tamen plurimùm intererat inter eius ſacrum corpus de Spiritu ſancto conceptum, interq́ue vel diui Ioannis corpus vel cuiuſuis alterius. Proinde etiam nec locum habuit in Chriſti corpore altera & poſterior pars ſententiæ quam tractamus, In puluerem reuertêris. Hoc eſt longè peiùs ac miſerius illo priori membro; Memento homo, quia puluis es. Illud enim de homine rectè dici potuiſſet etiamſi numquam peccaſſet. Terra erat Adam ſimulatque factus erat. Quemadmodum etiam in cælo poſt vltimam reſurrectionem terra erimus. Diciturq́ue adeò frequenter à ſanctis Doctoribus, Terram in Chriſto nunc exaltatam eſſe ſuper omnes Angelos. At verò illud, In terram ſeu puluerem reuertêris, pœna peccati eſt; numquam id homini contigiſſet, ſi non peccaſſet. Proinde quoties hoc audimus, admonemur peccati noſtri, inobedientiæ ac rebellionis noſtræ: ſimulq́ue nobis indicatur, quid peccando lucrati ſimus. Nempe qui conditi eramus ad vitam immortalem, cæleſtem, angelicam, dicam etiam Diuinam ac ſempiternam, quòd morti facti ſumus obnoxij. Corpus mortuum eſt propter peccatum, inquit Apoſtolus. Nec id ſolùm; corpus noſtrum poſt mortem in terram ac lutum redigitur. Nec vlla eſt illa in re differentia inter nos & be-

 ſtias:

ſtias : niſi quòd multæ beſtiæ à morte melioris longè ac nobilioris ſint conditionis quàm nos. Caro enim multarum beſtiarum poſt mortem earum à nobis manducatur & conuertitur in carnem noſtram, in deliciis habetur, auro atque argento imponitur, menſæque apponitur Regum ac Principum. At humana caro à morte ſtatim horrori eſt omnibus, in nullam poteſt vtilitatem conuerti, nemo illam, etſi propriorum parentum aut filiorum, etſi vxoris quondam chariſſimæ & formoſiſſimæ fuerit, ſuſtinet diutiùs in ædibus ſuis: nulla eſt mora, nulla requies donec alte in terram atque in lutum iniciatur, humoque operiatur, ſaxiſque ingentibus obſtruatur, ne fœtore ſuo vel contagione cuiquam officiat. O miſeram ac deplorandam, ô vilem & abominabilem conditionem humanæ naturæ! O ſerpens antique, inuide ac maligne ſeductor! hoccine eſt quod homini promittebas? hoccine eſt fieri Deo ſimilem, oculos habere apertos, ſcire bonum & malum? Ah homo! quum in honore eſſes non intellexiſti; non conſideraſti cum humilitate & gratitudine mentis felicitatem, excellentiam, nobilitatem, dignitatem tuam. Bono ergo iure comparatus es iumentis inſipientibus, & ſimilis factus es illis. Quid autem dico ſimilis? Imo longe minor, vilior, deterior factus es, vt nunc audiuimus. Qua autem in re ſimilis iuxta Pſalmiſtam? Interpretetur hanc Prophetæ ſententiam filius eius ſapientiſſimus Salomon, Eccleſiaſtæ 3 Dixi, inquit, in corde meo de filiis hominum, vt oſtenderet eos Deus ſimiles eſſe beſtiis. Quonam modo, vel qua in re? Nam vnus eſt, inquit, interitus hominum & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio. Sicut moritur homo & illa moriuntur, & nihil habet homo iumento amplius. Loquitur de homine ſecundum corpus, iuxtaque externam omnem & viſibilem ſpeciem hominis. Deinde quemadmodum in iumentis & beſtiis vnà cum morte perit omnis illorum memoria, ſic plane etiam res habet in hominibus. idque in hominibus omnis generis & conditionis. quod multò eſt admirabilius triſtiuſque.

Audire hac de re eumdem Regem ſapientiſſimum ſcribentem & concionantem eodem libro cap. 2. Moritur, inquit, doctus pariter & indoctus, vnuſque eſt interitus ſtulti & ſapientis: nec erit memoria ſapientis & ſtulti in perpetuum. Futura enim tempora obliuione cuncta pariter operient. Et nónne huius rei experimenta certiſſima quotidie habemus ob oculos noſtros? Videmus extingui per mortem, nomen & memoriam non modo amicorum noſtrorum, ſed affinium etiã & conſanguineorum, parentum quoque & filiorum, adeoq; etiã mariti & vxoris chariſſimę; quos inter amor eſt omniũ arctiſſimus maximuſque, vtpote qui ſunt inter ſe vna caro. Quid ergo poſt mortem ſperari poteſt de reliquis? Sapiens fueris, diues, nobilis, Rex, & Imperator quoque ſi placet. Vbi in viuis eſſe defieris, in terramque redieris vnde factus es; omnis gloria & memoria tua tecum vnà ſepelietur: poteritque tibi illud etiam adaptari, Periit memoria illorum cum ſonitu. Vbi nunc omnes illi quondam magni orbis Philoſophi, qui nominibus ſuis, diſputationibus, ſcriptionibus totum mundum implebant? De vno illorum atque altero nonnihil adhuc memorię ſupereſt in libris illorum: ceteri omnes iamdiu altiſſima obliuione ſepulti ſunt. Vbi maximi illi & potentiſſimi Reges Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum, qui toti mundo erant formidabiles, vt ceteros omnes prætercam minoris gloriæ & potentiæ? Plerorumque omnium ne nomina quidem tenemus ampliùs: corpora illorum iam redacta ſunt in puluerem terræ, omnis gloria & potentia in nihilum verſa. Hæc omnia includuntur in verbis iſtis, Puluis es, ô homo, & in puluerem reuertêris. O quanta & quàm ſubita mutatio rerum maximarum! Illum, de quo paulò ante dicebatur cum ingenti admiratione; Minuiſti illum paulò minùs ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti illum ſuper opera manuum tuarum; mox audire, idque ex ore Dei; Puluis es, & in puluerem reuertèris? Putredini dixi, inquit magnus ille, ſanctiſſimus, & ſapientiſſimus vir, Pater meus es: Mater mea, & ſoror mea, vermibus. *Iob 17.* Cur putredinem appellat patrem ſuum? poſſet aliquis exiſtimare illum reſpicere ad primam originem ſuam: quia ex terra quæ putredini obnoxia eſt primùm factus ſit. Sed huic interpretationi obſtare videtur quod ſequitur; Mater mea, & ſoror mea, vermibus. Quibus verbis ſignificat, ſe eamdem ob cauſam putredinem vocare patrem ſuum, ob quam vermes appellat matrem & ſororem ſuam. Non eſt autem profectò homo creatus ex vermibus: proinde ad finem potiùs ſuum quàm ad originem ſpectare videtur, dicens; Putredini dixi, Pater meus es: Mater mea, & ſoror mea, vermibus. quia nimirum ſe reſolutum iri ſciebat in vermes & putredinem; & poſt mortem cum putredine & vermibus ſemper manſurum. Quamdiu hîc viuimus, maxima nobis conuerſatio & ſumma vitæ fa-

tæ fa-

tæ familiaritas eſt cum parentibus noſtris, fratribus, ſororibus, propinquis & amicis. At hæc omnis familiaritas in morte finitur: parentes omnes, conſanguinei, affines in morte nos deſerunt. Inde cum aliis nobis æternus conuictus erit. Cum quibus? Cum vermibus & putredine. Hîc fortè cum parentibus noſtris & amicis, decem, viginti, triginta, ad ſummum quadraginta vel quinquaginta annos viuimus: at poſt mortem in ſepulchro multis annorum centenariis vel millenariis cum putredine & vermibus agimus. Illi tum ſunt parentes omnes, fratres, ſorores, amici, conuictores & ſodales in æternum.

Vtinam hæc cogitatio (quæ vera eſt philoſophia Chriſtiana) frequenter haberet animum noſtrum: quàm longè aliter animati eſſemus ad mundi immundi & fallacis contemptum, ad odium & fugam peccatorum omnium, quàm nunc ſumus plerique omnes! Nam dic mihi, obſecro, qui tantopere procliuis es ad luxuriam, qui nihil niſi puellas & feminas, nihil niſi amplexus & baſia, nihil niſi carnẽ & Venerem quæris; credisne verum eſſe quod tibi hodie dicitur: Puluis es, & in puluerem reuertêris. Credis & tuam & illarum quas tam perdite amas carnem omnem in putrediné breui & vermes cõuerſum iri: in ſpeciem tam tetram tamque abominabilem, vt nemo amplecti manibus, nemo attingere ſummis digitis, nemo oculis adſpicere audeat? Credisne quòd egreſſa anima de corpore tuo, lectus tibi erit nudum & frigidúm ſolum, aridum ſtramen? ſi tamen vel hoc es habiturus. Credis quòd ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes, vt alius Propheta dicit? Iſa. 14. Credis hoc itidem qui numquam finem facis indulgendi genio; compotationes, ebrietates ſectandi, bibendi & vomendi? Credis illam quam ſic curas cuticulam, ventremque inſatiabilem, paulò pòſt eſcam fore vermibus? Itáne igitur amas vermes, vt te repleas & ſagines ſemper, quò illis ex carne tua pinguiores & lautiores epulas præbeas? Eſca ventri, ait Apoſtolus, & venter eſcis; Deus autem & hunc & has 1. Cor. 6. deſtruet: dum nimirum ſimul vtraque in terram & puluerem rediget. Deinde, quid ſi tibi conſtaret id cras futurum eſſe, nec ſuperfuturum diutiùs, num luberet adhuc peccatis hiſce tam vilibus & noxiis operam dare? Nónne potiùs totum tempus & paucas horas quæ reſtarent ſeriò impenderes in veram ac ſalutarem pœnitentiam? Nónne omnis cura tua eſſet te præparare & componere ad horam mortis, & quæ ad illam ex Diuino præcepto neceſſaria ſunt comparare? Atqui, inquies, hoc non conſtat. Rectè: ſed non tibi conſtat etiam non ſic futurum. Neſcis planè an cras, an fortè adhuc hodie morieris. Quę ergo cæcitas, quæ dementia eſt, non ſe ad omnem diem componere, tamquam ad vltimum? & cùm neſcis protſus quando futurũ ſit, ac ſcis fieri poſſe vt hodie vel cras contingat; ſic viuere tamen, ac ſi numquam futurum ſit? Et quando Ethnici etiam monuerunt,

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum;

qui tamen nullam habuerunt notitiam nec de vera mortis natura, nec de iis quæ poſt mortem futura ſunt; quæ excuſatio erit Chriſtianis, ſi hoc non præſtent, quibus quotidie legitur & prædicatur, Vigilate, vigilate, quia neſcitis diem neque horam? Semel quidem per annum tantummodò, nimirum hodie, nobis dicitur publicè & ſolemniter: Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuertêris. Sed ideò ſemel dicitur vt ſemper nobis occurrat, nec vmquam tam ſalutaris cogitatio recedat ex animo noſtro. Quemadmodum ſemel dumtaxat quotannis celebratur publicè recordatio paſſionis, mortis, reſurrectionis Domini: ſed quonam modo vel quo fine? An vt illo cum tempore omnis tantarum rerum memoria ſepeliatur? Nequaquam: ſed, vt quod ſemel exhibetur, legitur, prædicatur; toto anno & numquam non memoria teneatur.

Hanc ſanctam cogitationem & ſalutarem memoriam dignetur cordibus noſtris tenaciter inſcribere per digitum Spiritus ſui Dominus noſter IESVS Chriſtus, qui cum Deo Patre ſuo eodemque Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

EXHORTATIO *Octaua initio Quadrageſimæ Anno* 1592. *ſuper iiſdem verbis,* MEMENTO HOMO, QVIA PVLVIS ES, ET IN PVLVEREM REVERTERIS.

NVLLI mirum vel abſonum videri debet, cùm præterito anno de Cineribus
hſc verba fecerimus, ſi iterùm de eadem materia nunc loquamur.

Nauita de ventis, de tauris narrat arator:

viri nobiles & principes de nobilitate ſua libenter loquuntur : milites
de re militari. Breuiter, de eo quiſque loquitur libenter ac verba facit quod
eſt ipſe, vel quod agit, vel quod ad officium ſuum pertinet. Quid ergo mirum ſi ſæpius
ac libenter loquamur de pulueribus & cineribus, qui nihil aliud reuerà quàm cinis & pul-
uis ſumus? nempe de cinere ſeu puluere terræ primùm facti, & breui per mortem in
Ioan. 3. puluerem reſoluendi: Qui de terra eſt (inquit magnus ille Propheta, imò pluſquam Pro-
pheta) de terra loquitur. Atque vtinam longè etiam frequentius & ſeriò, cùm apud noſ-
ipſos cogitatemus, tum cum alijs ſermonem haberemus de cineribus, benéque & pro-
fundè imprimeremus cordi noſtro quod hodie nobis dicitur & inculcatur ab Eccleſia:
MEMENTO HOMO, QVIA PVLVIS ES, ET IN PVLVEREM REVERTERIS. Hæc enim
meditatio, hæc ſermocinatio aliam vitam, alios mores in nobis pareret, quàm quotidie
videmus in Chriſtianis, vel qui ſaltem illo cenſentur nomine.

Quòd nos admonet Eccleſia originis & finis noſtri; hoc eſt, inanitatis & vilitatis no-
ſtræ, dicens, Memento homo, quia puluis es, & quòd breui puluis futurus es; non diſſen-
tit ea in re à modo concionandi ac docendi veterum Prophetarum. Noſtis illud Sapien-
Eccli. 10. tis: Quid ſuperbis terra & cinis: itemque illud Ieremiæ Prophetæ: Terra, terra, terra,
Ierem. 22. audi ſermonem Domini. Cur toties eamdem repetit vocem? Non hoc Rhetorum ſæcu-
larium more facit, nec affectat videri diſertus: ſed oſtendere vult primùm, doctrinæ
quam tradit atque exhortationis neceſſitatē; quamque omnibus ſummopere vtilis & ne-
ceſſaria ſit hæc conſideratio; quòd nihil aliud quàm terra & cinis ſimus. deinde, quàm
procul tamen à cordibus ſit plerorumque mortalium hæc tanti momenti conſideratio.
Quod monſtri inſtar eſſe videtur. Ideò iterùm iterumque ingeminat, dicens, Terra, terra,
terra. Vt nimirum, ſicut ferrum multis ſæpeque repetitis malleorum ictibus tandē ſub-
igitur, flectitur, & formatur; ſic dura & quodammodò ferrea hominum corda, frequenti
inclamatione atque oſtenſione vilitatis & vanitatis ſuæ, ad verā ſui ipſorum cognitionem
tandem aliquando excitentur: quando illa præcipuè conſideratione quàm optimè ſanari
queunt. Quò pertinet etiā, quod Eccleſia hodie non ſolùm verbis nos docet & admonet,
quòd terra, puluis & cinis ſumus, ſed ipſo etiā externo facto cinerem imponendo capiti-
bus noſtris, aut frontibus imprimendo. Vt nimirū hac externa ſpecie magis & efficaciùs
moueat corda noſtra ad hanc ſuſcipiendam ſalutarem cogitationem. Qua in re minimè
etiam exemplis Apoſtolicis, Propheticis, deſtituimur. Semper enim olim Prophetæ, cùm
rem valdè ſeriam populo perſuadere volebant, nō id ſolùm nudis ſermonibus propone-
bant; ſed ſigna etiā quædam externa addebant, quæ in omnium oculos incurrerent, reiq;
nouitate magis omnes mouerent. Ieremias Propheta ciuibus Ieroſolymitanis propter
ſcelera illorū ductam captiuitatem prædicens, catenis collo ſuo iniectis per mediam ciuita-
tem ambulabat: vt intelligerent omnes, & viderent futurā calamitatem ſuam; nec dicere
poſteà vel prætexere poſſent, ſe non fuiſſe præmonitos. Simili ferè occaſione Iſaias Pro-
pheta longo tēpore videntibus cunctis, Dei iuſſu, nudus & diſcalceatus inceſſit. Sic Ioan-
nes Apoſtolus in myſticis reuelationibus ſuis, impiorū hominū ſub figura vrbis Babylo-
nis poſt varia ſcelera extremum tandem finem deſcribens, dignum vita illorum flagi-
tioſiſſima anteacta, non modò præcipitatam ait Babylonem in infimum fundum putei
infernalis, ſed introducit etiam Angelum Dei habentem lapidem molarem ingentem
magnoque impetu in mare iactantem, & dicentem; Hoc impetu mittetur Babylon ciui-
tas illa magna, & vltrà non inuenietur. Ad eumdem planè modum Eccleſia hodie non
ſatis habet, multis nos, ſerijs, & grauiſſimis verbis, lectionibus, orationibus, ad pœniten-
tiam exhortari: niſi etiam externum & viſibile pœnitentiæ ſignum adhibeat, cineres
imponendo capitibus noſtris; adiecta doctrina & admonitione verborum, tamquam

aperta

aperta declaratione externæ atque viſibilis cærimoniæ: MEMENTO HOMO, QVIA PVLVIS
ES, ET IN PVLVEREM REVERTERIS.

Quam ob cauſam vel rationem cineres pro pœnirentiæ ſymbolo vſurpentur, mox di-
cemus; ſi paucis prius oſtenderimus, morem hunc fuiſſe perpetuum Eccleſiæ veteris, an-
tiqui præcipuè Teſtamenti, in ſeria pœnitentia cineres adhibere. Extant hac de re pri-
mùm doctrinæ apertiſſimæ diuerſorum Prophetarum. Ieremias ille magnus & perpe- *Ierem. 6.*
tuus pœnitentiæ prædicator, Filia, inquit, populi mei, accingere cilicio, & conſpergere ci-
nere: luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum. Et iterùm: Vlulate paſtores & clama- *Ibid. 25.*
te, & aſpergite vos cinere optimates gregis; quia completi ſunt dies veſtri vt interficiami-
ni. Et longe ante Ieremiam Michæas Propheta cap. 1: In domo pulueris, puluere vos *Mich. 1.*
conſpergite.

Cum quibus doctrinis & exhortationibus Prophetarum concordant exempla pio-
rum & fidelium omnium, totiuſque adeò Eccleſiæ Dei omnium ſæculorum. Macha-
bæorum tempore, cùm fideles incredibili metu ac terrore tenerentur propter potentem
exercitum Antiochi Regis maximum, quo tyrannus ille potentiſſimus penitus eos dele-
re cogitabat, omnemque Dei veri cultum & memoriam de terra auferre; quid fecerunt
boni & pij omnes, quid cepère conſilij? Omnes ſimul conuenerunt in Maſpha, loco *1. Mach. 3.*
tunc dicato cultui Dei, cùm Ieruſalem & templum Dei eſſet in poteſtate hoſtium; ieiu-
nauerunt, orauerunt, induerunt ſe cilicijs, cinerem impoſuerunt capiti ſuo, diſciderunt
veſtimenta ſua, & clamauerunt in cælum, dicentes: Ecce Domine nationes conuenerunt
aduerſus nos, vt nos diſperdant: tu ſcis quæ cogitant in nos. Quomodo poterimus ſubſi-
ſtere ante faciem eorum, niſi tu Deus adiuues nos?

Longo autem tempore ante Machabæos Daniel Propheta, cùm ſuppliciter & magna
cordis affectione Deum rogare pararet, vt ſoluere illi placeret captiuitatem Babyloni-
cam, populumque ſuum domum tandem reducere; audite quid fecerit: Ego Daniel in- *Dan. 9.*
tellexi, inquit, numerum annorum de quo factus eſt ſermo Domini ad Ieremiam Pro-
phetam, vt complerentur deſolationis Ieruſalem ſeptuaginta anni; & poſui faciē meam
ad Dominum Deum meum, rogare & deprecari in ieiunijs, ſacco, & cinere. Idem an-
te Danielem fecit in extrema neceſſitate & ſummo diſcrimine, non ſuo tantùm, ſed to- *Eſth. 4.*
tius populi Dei, Mardochæus auunculus Eſther reginæ. Quin & Eſther ipſa in eadem
neceſſitate, quamlibet formoſa ac delicato eſſet corpore, tamen poſitis veſtimentis regijs,
fletui & luctui apta veſtimenta ſuſcepit, & pro vnguentis varijs, cinere & ſtercore ſeu lu- *Eſth. 14.*
to impleuit caput, & corpus ſuum humiliauit ieiunijs. Quod ante illam quoque fecit
ſanctiſſima iuxtà ac fortiſſima Iudith, cùm ſimilibus anguſtijs & periculis cum toto po- *Iudith 9.*
pulo premeretur. Huc pertinet etiam illud ſancti Regis & magni Prophetæ Dauid
in Pſal. 101. Cinerem tamquam panem manducabam: & potum meum cum fletu
miſcebam.

Quinimò, non ſolùm Iudæi ritum hunc agendæ pœnitentiæ in cinere iacendo, cinere
ſe aſpergendo, cinerem manducando obſeruarunt; ſed variæ etiam gentes, quæ cum fi-
lijs Iſraël vel cum eorum religione nihil commune habuerunt. Ex his enim ſunt in
primis Niniuitæ: quorum Rex vt primùm Ionæ Prophetæ prædicationem & commi-
nationem audiuit, magno & ſerio dolore correptus veterum ſuorum peccatorum, qui-
bus Dei omnipotentis iram in ſe concitauerat, ſurrexit de ſolio ſuo, detraxit veſtimenta
regalia, ſaccum induit, ſedit in cinere: vt ſacra Ionæ Scriptura teſtatur. Quod autem *Ionæ 3.*
Rex fecit, non dubium quin ceteri quoque omnes ciues Niniuitæ imitati fuerint: nam
Regis ad exemplum totus componitur orbis. Quàm verò accepta fuerit Deo ratio illa
agendi Niniuitarum, non Ionæ ſolùm Prophetia, ſed Chriſtus etiam in Euangelica hi-
ſtoria palàm declarat, dicens: Surgent Niniuitæ in iudicio, & condemnabunt generatio- *Matth. 12.*
nem iſtam, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ. Atqui Niniuitæ ratio- *Luc. 11.*
nem illam agendi pœnitentiam in ſacco & cinere ab Iona Propheta didicerunt, dicet
aliquis fortaſſe. Eſt hoc profectò credibile: quòd nimirum, qui eos tam ſeriò admo-
nuit ad pœnitentiam, idem quoque modum & rationem docuerit veræ agendæ pœ-
nitentiæ. Sed ſiue ad inſtinctum Ionæ talem pœnitentiam egerint in cinere ſedentes,
ſeipſoſque cinere aſpergentes, ad placandum offenſum Deum; ſiue ex ſeipſis cognoue-
rint illam eſſe bonam & congruam rationem agendæ pœnitentiæ, veniamque & remiſ-
ſionem peccatorum à Deo conſequendi, nihil refert. Semper hinc conuincitur, ritum
hunc agendæ pœnitentiæ ethnicis etiam congruum & vſitatum fuiſſe. Id quod manife-
ſtiùs

ſtiùs etiam conſtat ex libro Iob. ibi enim deſcribuntur in primis tres amici Iob viri prin-
cipes & Reges (vt in libro Iob nominantur) cùm ſancti viri nimiam & ineffabilem cala-
Iob 2. mitatem conſpicerent, ſciſſis veſtibus puluerem ſparſiſſe ſuper caput ſuum, & ſediſſe
cum illo in terra ſeptem diebus & ſeptem noctibus. Quod vtique fecerunt partim in-
doleſcentes ex animo dolori & afflictioni amici ſui, ſeque in nonnullum eius ſolatium,
ad ſtatum & conditionem eius, quantum poterant, componentes: partim verò humi-
liantes ſe ad hunc modum coram Deo, proq́ue amico ſuo pœnitentiam agentes, quò
Deum ad gratiam & miſericordiam flecterent. Sic Iob ipſe poſteà cap. 16. Saccum con-
ſui ſuper cutem meam, & operui cinere carnem meam. In fine autem libri clariſſimè:
cùm fuiſſet à Deo in quibuſdam clementer reprehenſus & edoctus, culpam ſuam atque
Iob 42. errorem agnoſcens; Idcircò, inquit, ipſe me reprehendo & ago pœnitentiam in fauilla
& cinere. Et erant tamen hi omnes, non Iudæi, ſed ethnici & Idumæi: nec à Prophetis
hunc agendæ pœnitentiæ ritum didicerant, quos nullos habuerant; ſed vel naturæ ip-
ſius inſtinctu, vel reuelatione aliqua Dei veri quem colebant. Huc ſpectat etiam quod
Luc. 10. Chriſtus Dominus ait de Tyrijs & Sidonijs; ſi miracula apud eos facta fuiſſent quæ in
Iudæa ipſe & Galilæa fecerat, olim in cilicio & cinere ſedentes pœnitentiam egiſſent.

Sed operæpretium eſt inquirere, quam ob cauſam cineris aſperſio ſignum ſit pœni-
tentiæ: vel quid cinis habeat commune cum pœnitentia. Non recenſebo hic alias opi-
niones multorum: dicam breuiter quod nobis videtur eſſe probabilius. Scimus om-
nes, quàm res nihili, quàm leuis, quàm vilis & contemtibilis ſit cinis & puluis terræ:
calcatur pedibus omnium, minimo vento eleuatur in auras, diſijcitur, vt penitus eua-
neſcat, nec videtur amplius; ita vt prorſus videatur repentè in nihilum tranſijſſe. Talis
certè eſt homo, & quidem omnis homo. nunc aliquid eſt, vel eſſe videtur potiùs: mox
nihil. Sic idem ille Propheta (quem iam nunc memoraui) hominis vitam deſcribens;
Iob 14. Quaſi flos, inquit, egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra. ita videlicet, vt nuſ-
quam appareat ampliùs, & non eſſe penitus videatur. Et Dauid Pſalm. 102. Recorda-
tus eſt quoniam puluis ſumus: homo, ſicut fœnum dies eius, tamquam flos agri ſic efflo-
rebit. Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet: & non cognoſcet ampliùs lo-
cum ſuum. Cùm ergo ſancti & ſapientes viri ſeſe humiliarent coram Deo, & pœniten-
tiam agerent in cinere ſedentes, vel ſe cineribus aſpergentes, quid ſibi volebant tali geſtu?
Ecce, aiebant, Domine Deus, ecce Rex ſumme, æterne, omnipotens, vides infirmitatem,
vilitatem, nullitatem naturæ omnis noſtræ, quam & ingenuè his externis ſignis ac ge-
ſtibus confitemur. Cinis ſumus ac terræ puluiſculus: ex eo primùm omnes abs te facti
ſumus, in eumdem mox omnes per mortē redibimus. Quid tali vis facere? quid talem af-
fligere vel percutere? quid vires & potentiam tuam, qui tam magnus & potens es, quid
iram tuam oſtendere in huiuſmodi? Agnoſcimus nos peccaſſe in te, grauiterq́; offendiſſe
maieſtatem tuam. Sed quæ laus tibi, quæ gloria, pugnare cum talibus, qui pulueris in-
ſtar coram te in cinere proſtrati iacemus? Vir fortis ſibi turpe ducit cum femina pugna-
re, illámve inuadere & percutere, etſi magna ab illa affectus iniuria; nemo vir egregius
fert pugnare cum pueris, etſi lapidibus ab ijs impetitus. Quæ enim eſſet gloria, tales de-
uincere? quis ex tali victoria ſpecioſus triumphus naſceretur? Atqui nos longè minus
ſumus coram te, quàm vel imbellis femina, vel quàm minimus quiſquam puerulus co-
ram viro fortiſſimo. Non aliud ſumus quàm cinis, vel puluis terræ; quo nihil eſſe poteſt
leuius, inanius, contemtius, nihiloq́ue ſimilius. Quid ergo lubet cum tam infirma, tam
nihili creatura tua, bellum ſuſcipere? Quin & beſtiæ quædam cum ſeſe inferioribus &
cum infirmis certare dedignantur.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni:
Pugna ſuum finem, cùm iacet hoſtis, habet.

Nunc ergo, ecce, iacemus coram te proſtrati, & velut mortui: nempe cinere cooperti,
in quem mox per mortem reſoluemur. Parce ergo Domine, parce tam infirmis, tam mi-
ſeris creatutulis tuis. Sic Iob apertè cap. 13. Contra folium quod vento rapitur, oſtendis
potentiam tuam; & ſtipulam ſiccam perſequeris? In eumdem ſenſum Dauid ait Saüli
quærenti & perſequenti, cùm flectere eum vellet ad clementiã & miſericordiam: Quem
perſequeris rex Iſraël, quem perſequeris? canem mortuum & pulicem vnum. Quaſi
dicat. Res eſt indecora atque indigna maieſtate regia, quòd talis tantuſq́ue princeps tam
exilem, infirmum, & abiectum perſequeris.

Sunt & aliæ rationes, quamobrem cineres rectè vſurpentur in ſymbolum pœnitentiæ,
quæ

quæ ſumi poſſunt non iam à vilitate quod diximus ſed ab vtilitate cinerum. Quamuis enim cinis res ſit exilis & contemtibilis admodum, vt nunc audiuimus, tamen ſuam quoque vtilitatem habet: eamque (quod miremini) nec modicam, nec vnam. Nos hic ceteris prætermiſſis triplicem breuiter recenſebimus ad propoſitum noſtrum. Principio notum eſt, quod cineres fouent & cuſtodiunt ignem, modoque mirabili viua ad eum modum cuſtodiuntur & fouentur a mortuis. adeò quidem, vt ſine horum cuſtodia perirent atque emorerentur continuò prunæ tametſi viuaciſſimæ. Secundò, Cineres lauant ac purificant lintea: ex ijs enim lixiuium conficitur, cuius vi & acrimonia ſordes pannorum, præcipuè lineorum, facile deſtricantur & extrahuntur. Tertiò, Cineres impinguant agrum, vt bene fæcundus fiat; & arbores, vt expectatos fructus proferant. Accommodemus hæc nunc ſalutari pœnitentiæ, cuius hodie præcipue tempus ingredimur. Quid eſt quod fouet in nobis naturâ frigidis aridiſque & cuſtodit deuotionem ſpiritus ignemque diuinæ charitatis? Quid, niſi opera atque exercitia pœnitentiæ, vigiliæ, orationes, ieiunia, & ſimilia? In quibus hæc locum nullum habent; non viuunt, de ſpiritali vita loquendo, ſed mortui ſunt. Sicut Apoſtolus clariſſime de viduis dicit, quæ in delicijs verſantur, cum illarum proprium ſit lugere & pœnitentiam agere, quòd viuentes mortuæ ſunt. Vigilate *1. Tim. 5.*
& orate, inquit Dominus diſcipulis ſuis. Hæc ſunt opera atque exercitia pœnitentiæ. Cur autem tantopere vigilandum præcipit & orandum? Vt ne intretis, inquit, in tentationem. Ne videlicet & metus ac periculorum (in quibus verſamur) magnitudine, ignis omnis deuotionis extinguatur, atque ita in mortem horrendam animæ incidatis. Quod & accidit etiam ſane bonis Apoſtolis ſtatim, quia armis hiſce vigiliarum, precum, meditationum ſanctarum, pro naturæ humanæ infirmitate, non bene inſtructi ac muniti erant. hoc eſt, quia ignis cordis & charitatis illorum non tegebatur, non cuſtodiebatur cineribus pœnitentiæ.

De altera cinerum proprietate, quæ in ablutione ſordium & purgatione linteorum conſiſtit, ſuperuacuum fuerit multa verba facere: cùm nulli non manifeſtum ſit, hanc naturam eſſe propriam pœnitentiæ, conſcientiæ noſtræ ſordes abluere, quæ ex peccatis contrahuntur. Hinc Iſaias Propheta exhortans ad pœnitentiam: Lauamini, inquit, *Iſai. 1.*
mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.

Tertia cinerum conditio huic ſimilis admodum atque affinis eſt. Importantur in agrum, vt impinguent & fæcundent: apponuntur radicibus arborum vt conſeruent, foueant, frugiferas reddant. Annon talis eſt penitus natura atque operatio pœnitentiæ? Macerat pœnitentia atque extenuat corpus quidem, ſed impinguat & vegetat animam. Quando hæc duo tam diuerſæ & contrariæ ſunt naturæ, vt plerumque vnius afflictio alterius ſit felicitas; vnius oppreſſio, alterius conſolatio; vnius ægrotatio, alterius ſanitas. Seruitus & labor carnis noſtræ, libertas eſt & requies ſpiritus. denique mors carnis, vita eſt ipſiſſima ac iucundiſſima animę noſtræ. Vnde illę extát ſententiæ Apoſtolicæ: Morti- *Coloſſ. 3.*
ficate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram. Et, Semper mortificationem Domini no- *2. Cor. 4.*
ſtri Ieſu Chriſti in corpore noſtro portantes. Poſtremò in Epiſtola Dominicæ proximę, *2. Cor. 6.*
vita comite, audiemus; Quaſi morientes, & ecce viuimus. Quid hoc eſt ænigmatis? Interpretetur nobis idem Apoſtolus: Licet, inquit, qui foris eſt noſter homo corrumpitur, *2. Cor. 4.*
tamē is qui intus eſt renouatur de die in diem. Sic, ſic, cineres pœnitentiæ affligentes, macerantes, extenuantes, mortificantes carnem noſtram, viuificant, impinguant, roborant, ac lætificant ſpiritum noſtrum. Meminiſtiſne parabolæ Euangelicæ Lucæ 13 de ficu arbore infrugifera? Arborem fici habebat quidem plantatam in vinea ſua. &c. Quod hîc dicitur de mittendis ad radicem arboris illius ſtercoribus, quò fructus optatos ferat; pari modo dici fortè potuiſſet de infodiendis cineribus. Vel ſi ficus arbor fortaſſe non gaudet cinere, gaudent vtique aliæ arbores, eoque iuuantur, vt viuant, creſcant, & fructificent. Hoc eſt ergo, quod hodie nobis facit Eccleſia Dei, cinerē imponendo capitibus noſtris, vt viuamus & creſcamus in Domino, & fructus feramus vitæ æternæ. Scitis enim hominem dici arborem inuerſam, vtpote quæ ramos ſuos in brachiis pedibuſque deorſum, radicem autem in capite & capillis ſurſum extendat. Et rectè quidem dicimur radicem naturæ noſtræ ſurſum habere, cælum verſus; nempe vnde eſt & origo vera, & vita omnis, & motus, & ſenſus, & intellectus noſter. Ad hanc radicem Eccleſia hodie ſacratos cineres mittit, pœnitentiæ ſymbolum; vt hoc modo nos ad veram pœnitentiam exhortetur,

hoc

hoc præcipuè ſacro pœnitentiæ tempore : vt pœnitentiæ exercitia totis animorum bra-
chiis amplexantes, in iiſque magis ſemper magiſque proficientes fructus feramus vitæ &
ſalutis æternæ. Atque ita non maledictionem Dei, cum ficu infrugifera, vt excidamur,
& in ignem mittamur; ſed benedictionem recipiamus & gratiam, qua hîc bène & ſanctè
viuamus, & pòſt cum eo regnemus in perpetuum. Quod nobis omnibus præſtare digne-
tur omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, Amen.

EXHORTATIO *Nona, initio Quadrageſima*, *Anno* 1593. *Super iiſdem verbis*, MEMENTO HOMO, QVIA PVLVIS ES, ET IN PVLVEREM REVERTERIS.

QVos modò, chariſſimi, ex Eccleſiæ inſtituto cineres ſumſimus, res ſunt
(vt omnes ſcimus) admodum viles, abiectæ, contemtibiles, nihil in ſe ha-
bentes quod vllos humanos ſenſus oblectet; imò omnes ſenſus noſtros
offendunt potiùs. Et tamen huiuſmodi res ſunt, vt multam & variam,
bonamque & vtilem de ſe differendi materiam præbeant. nimirum ſi-
miles hac in re (vt videtur) multis alijs minimis creaturis: quæ nec ſpeciem habent vl-
lam nec magnitudinem, & tamen dedit illis Creator omnipotens huiuſmodi naturæ ar-
tem, induſtriam, vim, potentiam, fortitudinem, vt illam admiremur omnes; imitari ne-
quaquam poſſimus, imò ne ingenio quidem & cogitatione aſſequi : exempla extant
paſſim in omni genere rerum naturalium, quæ nihil hîc eſt neceſſariú referre : tale quid
etiam profectò cinis eſſe videtur. Iam bis terve hîc vobis de cineribus illorumque natu-
ra, & quid nos doceant, quid admoneant, differuimus : quando hic dies propriè inter
Chriſtianos & Catholicos cineribus dicatus eſt, atque à cineribus nomen accepit : &
diximus opinor, quæ nec inutilia ſunt, nec pœnitenda, ſi quid eorum meminiſtis. Ite-
rùm nunc viſum eſt, de eodem argumento verba facere; rurſus de cineribus, Deo do-
nante, prædicare.

Si quis neſcit igitur quid cinerum cærimonia ſibi velit, quam hodie toto terrarum
orbe Catholica obſeruat Eccleſia; audiat & conſideret quibus verbis cineres conſecien-
tur. Vtitur ad eam rem Eccleſia Collectis ſiue Orationibus non ampliùs quatuor, iiſ-
que minime longis, vt obſeruare potuiſtis, in ijs quæ modò lecta vel cantata ſunt in
altari. Prima ſic habet: Omnipotens ſempiterne Deus, parce metuentibus, propitia-
re ſupplicantibus: & mittere dignare ſanctum Angelum tuum de cælis, qui benedicat &
ſanctificet cineres iſtos; vt ſint remedium ſalutare omnibus nomen ſanctum tuum hu-
militer implorantibus, &c.

Primùm, quid in his verbis aut precibus eſt quod iuſtam aliquam reprehenſionem
mereatur? imò quid non potius omni dignum laude, ac recordatione ad doctrinam &
vitæ inſtitutionem perpetua? Rogat Eccleſia Deum omnipotentem, vt Angelum ſuum
aliquẽ mittere dignetur qui cineres hoſce, recèns ad ſalutarẽ vſum & nominis eius glo-
riá factos ac præparatos, benedicat atque ſanctificet. An hoc facere, benedicere videlicet
creaturis Dei, alienum eſt à natura Angelica? Nónne magnus ille Patriarcha Iacob Ge-
neſ. 48. Angelum Dei inuocauit, & rogauit vt filijs Ioſeph nepotibus ſuis benediceret?
Angelus, ait, qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis, & inuocetur ſuper il-
los nomen meum, nomina quoque Patrũ meorum Abraham & Iſaac. Nec refert quod
cineres creaturæ ſint inſenſibiles, vt propterea minùs capaces eſſe videantur benedictio-
1. Tim. 4. nis cæleſtis. Paulus Apoſtolus in priore Epiſtola ad Timoth. Omnis, inquit, creatura
Dei bona eſt, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Quare? San-
ctificatur enim, ait, per verbum Dei & orationem. Et quidem varium ac multiplicem
in vſum ſanctificantur & benedicuntur creaturę Dei, per verbum eius & orationem, pro
naturæ illarum diverſitate. Homines benedicuntur vt præſeruentur à malis, vt Deum
reuereantur & ſanctè colant. Panis & vinum ceteraque edulia in quotidianis Chriſtia-
norum menſis benedicuntur & ſanctificantur per orationem & verbum Dei, vt aptum
corporibus noſtris præbeant nutrimentum. Terra & agri benedicuntur, vt fructificent:
beſtiæ & pecora, vt ſui ſimile generent, genuſque ſuum in hominum vtilitatem multi-
plicent:

plicent, itemque vt ad humanæ vitæ vſus neceſſarium miniſterium præſtent. Templa benedicuntur ad inuocandum in ijs nomen Domini, eiuſque gratiam implorandam & conſequendam. Aqua bapriſmi benedicitur & ſanctificatur, vt animas Fidelium purificet atque abluat a peccatis. Similem benedictionem, quales ſunt poſtremæ iſtæ, petit & ſupplicat hodie Eccleſia ſuper cineres, opera ac miniſterio Angeli Dei. Non quidẽ quòd Angelum e cælo venire poſtulet, viſibili ſpecie qui verba ſanctificationis aut benedictionis proferat ſuper cineres: nouit Eccleſia eſſe hoc officium ſuum, ſeu ſacerdotum Dei, miniſtrorum ſuorum: qui ipſi quoque, neque id iniuria, Dei Angeli in Sacris litteris nuncupantur. ſed rogat Eccleſia vt Angelus mittatur, qui cineres benedicat atque ſanctificet: hoc ſenſu; vt remoueat à cineribus vim omnem, machinationem, infeſtationem malignorum ſpirituum, itemque a miniſtris Dei, cùm cineres hoſce meditantur in ſacrum vſum conuertere. neque vllum præſtent damnati illi ſpiritus impedimentum, quo minus hi cineres per ſacras ſacerdotum preces nouam quamdam naturam & vim ſpiritualem recipiant ad ampliationem gloriæ Dei, ſalutemque & inſtructionem ac munitionem Fidelium. Quemadmodum enim malorum ſpirituum perpetui conatus ſunt, per quaſcumque creaturas hominum corporibus vel animabus damnum afferre; illiſque vel in æterna ſalute, quo potiſſimùm tendunt, quodque eis præcipue ſemper curæ eſt, vel ſaltem in corporali ſanitate, vel quocumque poſſunt modo, nocere: ſic bonorum eſt Angelorum officium, omnia huiuſmodi nocumenta ac machinamenta depellere: Fideleſque & electos Dei contra malorum Angelorum poteſtatem, fraudes, infeſtationes, inſidias, præſeruare; omneſque Dei creaturas hominibus vtiles ad vſus vitæ huius mortalis, præcipueque ad futuræ atque æternæ vitæ, ſalutares efficere. Iuxta illud Pſalmi illius quadrageſimalis pulcherrimi & pleni conſolationis in omnibus vitæ huius afflictionibus & periculis: Angelis ſuis mandauit de te: vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum Hæc atque huiuſmodi eſt benedictio & ſanctificatio, quam Eccleſia hodie ſuper cineres, ad ſacrum vſum præparatos, Angelico miniſterio venire precatur. *Pſalm 90.*

At verò, quoniam benedictio omnis & ſanctificatio, ſiue hominum ſanctorum, ſiue Angelorum, à Deo eſt, vnico omnis gratiæ & ſanctificationis auctore; hinc Eccleſia hos cineres conſecrando, in ſecunda & tertia oratione ſeſe ad ſolum Deum conuertit, illumque precatur vt ſua Diuina atque omnipotẽte virtute hos cineres benedicere & ſanctificare dignetur. Quorumcumque enim hac in re opera Deus vtatur, aut miniſterio; ipſe eſt ſemper qui gratiam omnem & benedictionem impertit. Ille inquam ipſe, de quo in Pſalmo propterea *66.* iterum iterumque prædicatur: Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis. Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ Itaque quod B. Auguſtinus quodam loco de Baptiſmo dicit: Petrus baptizat? hic eſt qui baptizat. Paulus baptizat hic eſt qui baptizat. Chriſtus videlicet. quia nimirum omnis hominum Baptiſmus vim ſuam habet ad purificationem & ſanctificationem animarum ex meritis & virtute Chriſti. idem nos hîc de benedictione omni & ſanctificatione creaturarum quarumlibet dicere poſſumus ac debemus: Sacerdotes benedicunt? Deus eſt qui benedicit. Apoſtoli vel Prophetæ benedicunt? Deus eſt qui benedicit. denique Angeli de cælo benedicunt? Deus eſt qui benedicit. Sed quem tandem in finem poſtulat Eccleſia cineres hoſce Angelorum miniſterio atque auxilio benedici? vel quemnam vult huius benedictionis vſum, quémve inde effectum prouenire? Vt ſint, inquit, remedium ſalutare omnibus nomen ſanctum tuum humiliter implorantibus, ac ſemetipſos pro conſcientia delictorum ſuorum accuſantibus, atque ante conſpectum Diuinæ clementiæ tuæ facinora ſua deplorantibus: vt quicumque eos ſuper ſe aſperſerint, pro remiſſione peccatorum ſuorum, corporis ſanitatem & animæ tutelam percipiant. Sic prima habet Oratio.

Secunda ſonat in hunc modum: Deus, qui non mortem ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benigniſſimè reſpice: & hos cineres, quos cauſa proteſtandæ humilitatis & veniæ promerendæ capitibus noſtris imponi decreuimus, benedicere pro tua pietate digneris: vt qui nos cinerem eſſe, & ob prauitatis noſtræ meritum in puluerem reuerſuros eſſe cognoſcimus, peccatorum omnium veniam & præmia pœnitentibus repromiſſa miſericorditer conſequi mereamur.

Tertia precatio eſt huic ſimilis: Deus, qui humiliatione flecteris, ſatisfactione placaris: aurem tuæ pietatis inclina precibus noſtris, & capitibus ſeruorum tuorum horum cine-

rum aſperſione attactis, effunde propitius gratiam tuæ benedictionis: vt eos & ſpiritu compunctionis repleas, & quæ iuſtè poſtulauerint efficaciter tribuas.

Quid, inquam, in his omnibus verbis aut precationibus eſt, quod meritò aliquis carpere valeat? imò quid non pium & ſanctum? quid non veterum patrum & ſanctorum exemplis conſonum? quid non in Sacris paſſim litteris expreſſe fundatum? Eam ob cauſam Eccleſia, ne quis morem eius & actionem reprehendere audeat, vnum ex tota ſacræ Scripturæ latitudine exemplum in quarta Oratione adducit: & quidem inter cetera exempla omnia nobiliſſimum. Omnipotens, inquit, ſempiterne Deus, qui Niniuitis in cilicio & cinere pœnitentibus indulgentiæ tuæ remedia præſtitiſti: concede propitius, vt ſic eos imitemur habitu, quatenus veniæ proſequamur obtentu. Scitis omnes quemad-
Ionæ 3. modum Rex olim magnæ illius & potentiſſimæ vrbis Niniuæ, omneſque ciues & incolæ eius, cùm in iram Dei iuſtam, peccatis multis maximiſque contra maieſtatem eius diuinam admiſſis, quam tamen minime nouerant, incidiſſent; iamque dies conſtitutus eſſet cæleſti decreto & prope inſtaret extremæ totius ciuitatis ruinæ, toto corde ſeſe ad Deum antea eis inauditum conuertentes, atque in ſignum veræ pœnitentiæ ſe cineribus conſpergentes ac ieiunantes, (vti Ionas Propheta haud dubie cõſuluerat atque docuerat) veniam meruerunt: iramque Dei in clementiam, & certam horrendamque vindictam eis comminatam in dulciſſimam gratiam & miſericordiam, commutarunt. Idem vt nobis nunc quoque contingat, Deum rogat Eccleſia. vt ſic eos, inquit, imitemur habitu, quatenus veniæ proſequamur obtentu. Pulcherrima verba, votumque longe optimum. Imitari Niniuitas externo pœnitentiæ ſymbolo, capita ſcilicet noſtra cineribus aſpergendo, quemadmodum tota hodie facit Eccleſia Chriſti Catholica, non poteſt non bonum, pium, & ſanctum eſſe. At impetrare a Deo per externam huiuſmodi pœnitentiam, quod Niniuitæ impetrarunt, id verò longe omnium optimum & feliciſſimum. Quod & fiet proculdubio, ſi externo huiuſmodi cinerum vſui vera animi humilitas ac demiſſio, vera accedat ſuiipſius cognitio, nempe vilitatis vniuſcuiuſque noſtrum, deformitatis, leuitatis, indignitatis, in quam incidimus per peccatum, quaque cineribus ſimillimi ſumus, accedat, atque reſpondeat.

Atque ita ſe habent ad ſe inuicem externa pœnitentia & interna; vt ſicuti externa ſine intrinſeca parui aut verius nullius momenti eſt, ſic interna pœnitentia, quæ vere per ſeipſam Deo placet, ægrè admodum haberi queat abſque externa. Interna pœnitentia externæ finis eſt: Externa pœnitentia eſt internæ principium. Ac proinde ſancti omnes veteres vtriuſque ordinis, vtriuſque ſexus, qui boni & veri nobis magiſtri ſunt pœnitentiæ ſalutaris, etſi in externa pœnitentia, in cinere & cilicio, in ieiunio & abſtinentia, & ſimilibus, nequaquam præcipuam ſpem ſuam & fiduciam collocarunt (neque in illis hæſerunt, ſed propter aliam tantummodò aſſumſerunt, atque ad aliam, nempe internam pœnitentiam, retulerunt:) tamen, numquam etiam externam illam pœnitentiam contemſerunt aut neglexerunt, vt Nouatores noſtri faciunt; ſed amarunt eam ſemper, & ſummo ſtudio coluerunt: ſcientes, ſeſe hac ſine ad veram internamque pœnitentiam haud facilè poſſe pertingere. In cauſa eſt, ſi quis quærat fortaſſe, naturæ noſtræ corruptio: qua ab omni vera pietate naturaliter abhorremus, ad impietatem autem & voluptatem ſponte ferimur: ad veram honeſtatem tardiſſimi, ad turpitudinem procliues: ad officia veræ virtutis & cultus Dei propemodum immobiles & pluſquam teſtudines, ad
Geneſ. 8. vitium omne veloces. Ita ſenſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua, inquit Moyſes. Quò fit vt niſi vim naturæ noſtræ inferamus, nihil recti, nihil boni ab ea conſequi valeamus. Non aliter atque ferox & intractabilis equus, niſi fræno prematur, pungatur calcaribus, curſu & labore fatigetur, non modò non vehet ſeſſorem quò deſiderat, ſed præcipitabit etiam, ſi poterit, aut allidet vſpiam, aut aliud quippiam mali inferet. Hinc extant Scripturæ illæ in ſpeciem quidem abſurdæ, ſed veriſſimæ tamen, vt ij ſoli perſpicere norunt, qui naturæ noſtræ corruptionem & prauitatem benè habent perſpectam. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Item, Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. Item, Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Item, Qui non odit patrem ſuum & matrem, & fratrem & ſororem, & vxorẽ & filios, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Item, Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Quid eſt naturæ vim facere, vt regnum cælorum conſequaris? Quid eſt ſeipſum abnegare, naturæ

ris

ris Chriſtum? Quid eſt odiſſe animam ſuam, vt eam ſerues in vitam æternam? Nam hæc omnia ſunt eadem, vnumque & eumdem ſenſum habent. Eſt carni noſtræ ſiue animæ carnali & corruptæ illicita deſideria ſua negare: iuxta illud Sapientis, Si præſtes *Eccli. 18.*
animæ tuæ concupiſcentias eius, in gaudium te faciet inimicis tuis. Nec hoc ſolum eſt ei, quæ odit & fugit, donare. Quid odit & fugit & auerſatur totis viribus natura noſtra peccato tota corrupta? Cineres, cilicium, ſaccum, ieiunium, abſtinentiam, vigilias, orationes & ſimilia. His ergo atque huiuſmodi eam atterere & macerare, eſt ei vim facere, eſt eam abnegare, mortificare, crucifigere. Sic Diuus Franciſcus magnus & excellens pœnitentiarius (vt ita loquar) dicebat carni ſuæ ac naturæ corruptæ: Aſine, tu mihi ſemper moleſtus es, adniteriſque me a ſanctis pietatis exercitijs auocare, & ad peccata pertrahere: ſubtraham tibi fœnum tuum, & ieiunare cogam: tum cinere & cilicio te conteram, multiſque vigilijs & laboribus affligam, ne mihi recalcitres.

Hæc eſt cauſa quamobrem ſanctiſſimos quoſque vtriuſq; ſexus homines legimus tantos fuiſſe cinerum amatores, vt de ijs præcipue loquamur pro ratione ac myſterio diei hodiernæ. Alij enim in cinere ſederunt: vt Rex Niniuæ cum ciuibus ſuis. Alij cineres impoſuerunt capitibus ſuis: vt Iudith, Eſther, Mardochæus, Machabæi, Iob, & multi alij. Alij cinerem etiam comederunt, interque ciborum delicias habuerunt: vt Dauid rex; Cinerem, inquit, tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam. Alij denique non niſi in cineribus & ſuper cineres decumbentes mori voluerunt: quos inter primus eſt & princeps (quantum ego inuenire potui) patronus Eccleſiæ noſtræ eximius, Diuus Martinus. Qui cum & a diſcipulis ſuis rogaretur, ne ſaltem in vltima hora vitæ ſuæ tam durus eſſet in ſeipſum, molliuſque aliquanto iaceret, reſpondit, Non decere Chriſtianum hominẽ niſi in cinere mori. Quod ne ſolus quoque Martinus feciſſe putetur, imitatus eſt eum poſteà illa in re Rex ille Francorum inclytus, & non tam nomine quam re ipſa Chriſtianiſſimus, Ludouicus; is qui meritò relatus eſt in Diuorum conſortium. Fecit idem & religioſiſſimus Scotorum Rex Dauid, teſte Ioanne Maiore in hiſtoria Scotiæ. O viros immortali gloria & laude dignos; quoſque multò eſt procliuius admirari quàm imitari, pro nimia deſidia atque ignauia corruptæ naturæ noſtræ!

Quid iam dicam amplius, chariſſimi, de cineribus, déve ſacro illorum & ſalutari vſu? Occurrit mihi hiſtoria quædam memorabilis & periucunda ex Daniele Propheta, de *Dan. 14.*
Bele Babyloniorum idolo. Statua erat & figura, hominis neſcio an alterius animalis ex ære conflata; moles ingens & vaſta, monſtrumque magnum & mirabile, inſtar equi Troiani. Tantæ enim magnitudinis erat, vt crederetur in dies edere duodecim menſuras puriſſimi tritici, ſeu panes ex eo factos, & arietes pro obſonio 40. ac bibere ſex magnas amphoras vini optimi. Sed erant ſacerdotes idoli numero ad 70. qui vna cum vxoribus, liberis & famulis, & alijs quos adducebát, per occultos aditus noctu quotidie in templum ingredientes, ibi epulabantur vt volebant, & quæ conſumere ibi non poterant, vel non volebant, domum quiſque ſuam portabat. Hunc præclarum Deum cum Rex quotidie vnà cum Babylonijs adoraret, Daniel autem Iudæus Propheta, idemque vnus ex ſummis regni proceribus, vt id faceret numquàm adduci poſſet; huius rei quodam tempore ab Rege cauſam & rationem rogatus, reſpondit, ſe inania Deorum ſimulacra minimè adorare, ſed illi honorem hunc præſtare qui verus & viuus Deus eſſet. Quod audiens Rex, Laudo, ait, quod Deum verum & viuum adoras: id enim & nos faciendum cenſemus ac facimus. Nam quid ſentis de Bel Deo noſtro? Num tibi non videtur viuere? ánnon viuit, qui tantum quotidie cibi & potus abſumit? quique ſibi ad eum modum grata eſſe declarat ſacrificia noſtra? Ad quod Daniel ſubridens, Ne quæſo, inquit, exiſtimes Rex, quæ quotidie Beli dari curas cibaria, ab illo ipſo Deo vel recipi vel conſumi: res longe alia agitur. Bel non niſi lignum eſt vel metallum: intuſque eſt penitus vacuus. tale quiddam nec edere poteſt nec bibere. ſed ſunt alij quibus benè cedit quod Beli offertur. Quo facto obſtupefactus Rex, extemplò vocat Sacerdotes Dei ſui: quærit quid fiat de ſacrificijs cibi & potus quæ quotidie Deo Beli donentur. Illi audacter & impudenter, arbitrati non fieri poſſe vt quiſquam fraudes illorum reſciſceret, reſponderunt, omnia citra controuerſiam à Deo Bele conſumi. Quòd ſi rex non crederet, ab Daniele fortaſſis aut aliis ſecùs perſuaſus, dignaretur rei experimentum ſumere. Afferantur veſpere cibi conſueti, proponantur ad menſam Dei: claudantur & obſerentur fores templi: conſignentur etiam ſi ita placeret annulo regio, ne quis locus fraudi alicui relinquatur. ni manè Rex cuncta abſumta repeniat, non ſe recuſare mortem ſubire, & pœnas dare

impoſturæ cu[illegible]s accuſarent[illegible]r vt facile odorabant[illegible], ab Daniele [illegible] Dei [illegible] hoſte perpetuo. Ita tamen, vt [illegible] deprehenderentur extra culpam eſſe, Da[illegible] Iudæus peſſimæ in eos criminationis & in Deum ipſum iniuriæ non ferendæ d[illegible] lueret pœnas. Placet Re[illegible] condi[illegible], placet & [illegible]. Parat[illegible] veſperum vis ingens ciborum & potus more ſ[illegible]ito: inſert[illegible] in me[illegible] lan[illegible] Dei: claudi[illegible]u[illegible] templum: obſignantu[illegible]s [illegible]lo ſiu[illegible] annulo Re[illegible]io. Sed [illegible] Daniel Rege permittente tenuiſſimi[illegible] ci[illegible]ne[illegible] totius tem[illegible] pa[illegible]me[illegible] d[illegible] [illegible]ter[illegible] [illegible]rat [illegible] tacita. Man[illegible] [illegible]um venitur, quid acciderit. Magna [illegible] rei at[illegible] eueunt[illegible] ex[illegible] ne[illegible] tenentur. [illegible] inueniuntur omnia di[illegible]igenter. Menſa eminus vacua, cibus omn[illegible] & pot[illegible]s a[illegible] con[illegible]picit[illegible] [illegible] phu[illegible] canunt: ſed ante vid[illegible] [illegible]at Rex, Magnus & verus viuu[illegible]ue Deus, Bel[illegible] nec eſt i[illegible]te dolu[illegible] [illegible] par[illegible] [illegible]di, vt a[illegible]t prop[illegible]s atque d[illegible]uotius Ibi Daniel apprehenſum modeſtè Regem [illegible] x [illegible] progrediat[illegible]r oc[illegible] primum parumper in pauimentum coniiciat [illegible] vi[illegible]t ani-maduertat. E[illegible]ce autem videt Rex pauimen[illegible] ple[illegible] veſt[illegible]nis [illegible]num, virorum, mulierum, puerorum: totuſque admiratione repleru[illegible] qui[illegible], [illegible]t, hoc ſibi vult? C[illegible] Daniel tum vultu leniter in riſum compoſito, [illegible]beat Rex [illegible]nc ait, ſi placet, Sacerdotes voca[illegible], & perconte[illegible]r, quoru[illegible] ſint iſta veſtigia [illegible]mul[illegible]q[illegible] noſcet quis edat vel auferat ſingulis noctibus oblata Deo cibaria. Vocati [illegible]acer[illegible] fraudem ſuam diutiùs celare non poſſent, magniſque minis cogere[illegible]r ve[illegible]tat[illegible] re[illegible]rem omnem vt erat aperiunt; meritaque omnes deinde m[illegible] mulctantur. ac Da[illegible] poteſtas datur, tam ignauum Deum è medio auferendi.

Audiſtis hiſtoriam. Quidnam modò ex hac hiſtoria ad propoſitu[illegible] [illegible]neres prodita eſt inertia atque impotentia Belis, dolu[illegible]que om[illegible]is depr[illegible]henſus, [illegible] ſeros ludificabat mortales. Per cineres ergo victus eſt & confractus in ciner[illegible]que r[illegible] Iam Bêl, vt notũ eſt, diabolum repræſentat, qui in cũctis idolis cole[illegible]at [illegible]es a[illegible]m, vt audiuimus, ſymbolum ſunt pœnitentiæ. Quid ergo al[illegible]d [illegible]t [illegible] hiſtoria, quàm per pœnitentiam vinci diabolum, prodique & cogno[illegible] omnes [illegible]audulentas ac malitioſas artes eius? Ideo nunc omnes in exordio quadrageſimalis p[illegible]tiæ c[illegible]ne[illegible]bus nos conſpergimus; qui nos propriæ vilitatis noſtræ atque indi[illegible] moneant, veramque humilitatem doceant: qua præcipue iuu[illegible] contra Satanam in arenam deſcendamus, vnique vero & viuo Deo melius placeamus. Ruſſus Bel ſi nom[illegible] [illegible]giam quæratis) idem ſonat quod Nihil vel Defluens, quæ duo pęne ſ[illegible] [illegible] id[illegible]e Quid eſt nihil vel defluens? Omnis humana pulc[illegible]do, ſpecies, venuſtas, potenti[illegible] induſtria, ſcientia, opes, aurum, argentum: breuiter, homo ipſe totus, quantus eſt. Q[illegible]

Pſalm 38. eſt enim dicere, Ve[illegible]u[illegible]tamẽ vniuerſa vanitas, omnis homo viue[illegible]; quam d[illegible]c[illegible]

Iſaa 4. eſt nihil? Quid eſt dicere, vt alius Propheta clamat: [illegible] caro fœnum & omn[illegible] [illegible]a eius, quaſi flos agri; quàm dicere, Homo eſt Bel, ſiue nihil. [illegible]t q[illegible] eſt [illegible]r quod [illegible]s & deſtructus eſt Bel? Cineres, vt audiſtis. Ita homo, verus Bel, verum n[illegible] à q[illegible]m vincitur cum omni gloria ſua? Nó[illegible]ne ab cineribus, ſiue [illegible] morte, quæ per c[illegible]ne[illegible] deſignatur, quia nimirum omnia in cineres & pulueiem redigit? Eò tandem deue[illegible] dignitas & pot[illegible]ntia, omnis gloria & f[illegible]rtitudo, omnis pulchritudo, o[illegible], omnes diuitiæ hominis: om[illegible]ia bre[illegible] cinerem conuertu[illegible]t[illegible]r, & a ciner[illegible]us ſ[illegible] [illegible]. Quidquid enim aliud in ſe conuertit, illud vincit vtique. Quid hæc omnia [illegible]s docent, niſi ve[illegible]m humilitatem & pœnitentiam: vt nemo fidat, nem[illegible] [illegible] t[illegible]u[illegible]t opibus ſuis, gloriæ, nobilitati, potentiæ, formæ, pulc[illegible]tudi[illegible] ſuæ. [illegible]s, hæc [illegible]nia breui, & ſeipſum quoque, in cinerem redigendum. Huc pertinet quod nos hodi[illegible] & [illegible]pita n[illegible]ra de more atque inſtitutione Eccleſiæ cineribus conſignamus, & a[illegible] ſingulí, Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuertéris.

Ex-

EXHORTATIO *Decima de* VERA POENITENTIA, *initio Quadrageſimæ, Anno* 1594.

INTER multa quæ prælegit nobis & proponit Eccleſia hoc ſacro, quod nunc ingredimur, tempore Quadrageſimæ, excitandis ad veram & ſeriam pœnitentiam animis noſtris; delegimus hodie atque explicanda pro breui exhortatione deſumſimus, morem hactenus à nobis obſeruatum inſequentes, verba quædam Cantici Eccleſiaſtici ſeu Reſponſorij, quod iam iam hic ſi meministis in choro cantatum eſt; & proxima Dominica in Officio matutinali repetetur. Quæ verba opportuna ſunt admodum, meo quidē iudicio, ad rem præſentem, poſſuntque nobis ſeruire tamquam pro ſtimulo pœnitentiæ ſalutaris: non hoc ſolùm die, nec tantum Dominica proxima, ſed toto etiam tempore Quadrageſimę: imò, vt verè dicam, per omnem vitam noſtram. Sunt autem hæc, ne vos morer diutius: EMENDEMVS IN MELIVS QVÆ IGNORANTER PECCAVIMVS; NE SVBITO PRÆOCCVPATI DIE MORTIS, QVÆRAMVS SPATIVM POENITENTIÆ, ET INVENIRE NON POSSIMVS.

O verba licet minimè læta, tamen verè aurea! ô ſententiam cum primis memorabilem! ô doctrinam & exhortationem ſalutarem, & pro temporis ratione præſentis aptiſſimam, EMENDEMVS IN MELIVS QVÆ IGNORANTER PECCAVIMVS! Sed quis eſt in primis qui hoc dicit? quos deinde ita alloquitur? Eccleſia Catholica his verbis nunc temporis alloquitur filios ſuos: fideles ſcilicet & Chriſtianos vniuerſos: quaſi dicere vellet hunc in modum: Iam ſæpè multumque toto anni elapſi tempore multi noſtrûm dediti fuere vanitatibus & inſolentijs huius mundi. Indulſit alius carni ſuæ corruptæ illicitiſque deſiderijs eius: alius adhæſit malæ & perditæ ſocietati, pellicienti nunc ad hæc vitia, nunc ad alia; nunc ad haſce turpitudines, nunc ad illas: alius obſecutus eſt tentamentis & peſtiferis conſilijs Satanæ, hoſtis ſalutis noſtræ iurati atque perpetui; & captiuum ſe trahi paſſus eſt ad omnem illius peſſimam voluntatem: laborauit alius ira, alius inuidia, odio, maleuolentia in proximum ſuum, alius auaritia, alius gulâ & ebrietate, alius deſidia pigritiaque damnabili, alius alijs vitijs. His omnibus & ſimilibus grauiter offendimus, filij, maieſtatem Dei: in iram eius terribilem alte incidimus, magnis periculis noſmet expoſuimus damnationis ſempiternę. Et ecce tamen infinita bonitate ſua & miſericordia adhuc pepercit nobis, donec huc uſque peruenimus: ad tempus ſcilicet hoc Quadrageſimæ, tempus Catholicæ pœnitentiæ piorum omnium per totum orbem Chriſtianum: tempus acceptabile: dies ſalutis: tempus verè totius anni ſanctiſſimum multiſque modis vtiliſſimum, animabus iuxta & corporibus noſtris curandis ſalubriter iuſtitutum.

Si ergo reliquum totius anni tempus fuit contaminandi & ſauciãdi grauiter animam noſtram multis plagis mortiferis; hoc tempus eſt eandem lauandi per veram pœnitentiam & curandi. Si aliud tempus fuit contrahendi debita multa, infinita: non fuit quidem ſane, nec in illum finem diuinitus cuiquam conceſſum, abſit: verùm ſi nos ad eum modum tempore nobis dato, omniũ re optima & pretioſiſſima abuſi ſumus; iam tempus aduenit exoluendi debita noſtra, ſatiſq; Deo faciendi, per opera pœnitentię quæ inſtituit; quibuſque pro innata clementia ſua placari ſuſtinet. Denique, ſi hactenus tempus fuit ridendi, nunc tempus eſt flendi: ſi antehac plantandi in uobis ſemina multa malarum cupiditatum (ô noxiam & infelicē plantationem!) iam tempus eſt euellendi (vt Sapiens ille ait) quod plantatum eſt. Emendemus ergo in melius, filij, quæ ignoranter peccauimus: ſic nobis nunc Eccleſia mater noſtra. Quid eſt autem EMENDARE? Non eſt animus hìc diſputare Grammaticorum more de vocabulo: tametſi emendandi vocula non malè quadrat rei, de qua nunc agimus. Emendare, eſt veluti mendas tollere, ſiue à menda purgare. Menda autem non aliud eſt quàm vitium, ſiue in moribus, ſiue alijs in rebus. Noſtis illud Poëtæ:

Nocte latent mendæ, vitioq; ignoſcitur omni.

Vitam ergo emendare, vt hìc loquimur, eſt vitioſos, turpes, impuros, improbos mores, in bonos, caſtos, honeſtos, legi Dei conformes, mutare. In quo corrigit adoleſcentior *Pſal.* 118.
viam ſuam? quærit Pſalmographus: & reſpondet; In cuſtodiendo ſermones tuos. Hoc

eſt planè quod hîc dicitur: EMENDEMVS IN MELIVS QVÆ IGNORANTER PECCAVIMVS. De eadem re extat elegans Scriptura Prouerb. 21. Vir impius procaciter obfirmat vultum ſuum: iuſtus autẽ corrigit vias ſuas. Veriſſima ſententia. Improbi & perditi homines, quamlibet vel blandè moniti, vel ſeuerè etiam obiurgati; tamen nullam culpam agnoſcunt, tantum abeſt vt emendent. obfirmant & animum, & vultum, ac geſtus omnes, ad impudentiã excuſandi ſeſe, defendendi peccatũ ſuum, negandi & mentiendi fortiter & impudenter. Exemplum, Pharao Rex ille Ægyptius, quem ſcitis nullis vel rationibus, vel minis, vel ſupplicijs ad vitæ & cõſiliorum ſuorum impiorum emendationem perduci potuiſſe. Iuſtus autem, inquit, hoc eſt, qui bonæ eſt indolis, qui curam habet aliquam ſalutis ſuæ, reſpectumque Diuinæ maieſtatis, is admonitus vel correptus facilè emendat vitam ſuam. Exemplo ſit Rex alius, Dauid nimirum, qui, vt primùm à Nathan Propheta peccati ſui admonitus & correptus fuit; ſtatim prorupit in verba illa: Peccaui Domino: mox in fletus & lacrymas. deinde conuerſus ad ſaccum & cinerem, ad orationes & ſupplicationes deuotiſſimas: Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam; & quæ ſequuntur.

De quo Rege, & pœnitentia eius deſcripta paſſim in Sacra hiſtoria, & ad perpetuam memoriam litteris conſignata, dum mecum cogito; magna ſubit animum meum admiratio, in collatione huius rei cum moribus & actionibus Regum plerorumq; huius mundi, & cum iudicio multorum aliorum, qui hîc parum digne de Deo deque rebus diuinis ſentiunt. Nam quid Danidi acciderat (dicerent multi) quamobrem ſic fleret & eiularet, lacrymis rigaret lectum ſuum, in cinere & ſacco iaceret, à conſueta vitæ maieſtate ac iucunditate ſeipſum abſtraheret, ſolitudinem amaret, hominum ſocietatem vitaret, denique luctu ſeipſum & lamentatione conficeret? Nam hæc omnia de ſe ipſe teſtificatur, & multò etiam plura atque grauiora. Quid tandem perpetrauerat tanto luctu, mœrore, ſqualore, tot ſuſpirijs & ſingultibus dignum? Commiſerat adulterium, eique adiunxerat homicidium. Quàm parui iſthæc multi æſtimarent in Regibus? Annon ſunt Reges, inquiunt, rerum omnium regni ſui domini? Annon licet eis e medio tollere, quos rebus ſuis aut regni ſui commodis nocentes arbitrantur vel contrarios? non etiam oblectare ſe cum liberis, filiabus, & vxoribus ſubditorum ſuorum? Et quam pœnam, quod tribunal, quem Iudicem metuebat Dauid Rex tam potens, tam bellicoſus, quod in tanta animi anguſtia ac formidine, velut reus capitis, verſabatur? Nihil erat profecto quod extimeſceret, de Regibus quibuſuis mortalibus, de've humanorum tribunalium vel iudiciorum pœna loquendo. At ſciebat ſibi rem eſſe cum longo alio Rege ac Iudice, qui partibus infinitis ſe maior eſſet ac fortior, cuius vel vnus quiſpiam miniſter fundere queat momento temporis exercitus maximos, qui nutu ſolo poſſit Reges omnes extinguere. quiq; nullum habet reſpectum perſonarum, diuitum vel pauperum, dominorum vel ſeruorum, Regum vel mendicorũ: qui non facta modò externa, ſed intimas quoq; omniũ cogitationes atque intentiones introſpicit, examinat, iudicat: denique, qui non corpus tantummodò noſtrum occidere, ſed animam etiam perdere poteſt (vt Euangelium loquitur) & mittere in gehennam. Hunc & talem Iudicem cum ſibi Rex Dauid proponeret, ſeque illum offendiſſe reputaret; non mirum ſi vehementer animo anxius, perplexus, attonitus erat. Hic enim Iudex nulla alia re flecti vel placari poteſt, præterquam vera animi pœnitentia. nec ante iraſci deſinit, quàm fiat ex animo quod audiſtis: EMENDEMVS IN MELIVS QVÆ IGNORANTER PECCAVIMVS. Si defendere vis apud illum cauſam tuam, ſi te purgare, ſi culpam in alium conijcere, ſi quærere excuſationes in peccatis, nihil agis aliud quàm quod peccatum tuum ex maximo maius etiam facis, nihil quam quod magis magiſque irritas iram eius, pœnamque commeritam tibi conduplicas.

Quia ergo omnes, chariſſimi fratres, multum peccauimus, quia omnes gratia Dei & venia indigemus, quia omnes coram eo capitis rei ſumus, quia nihil remedij ſupereſt niſi vna pœnitentia, quia hæc eſt vere altera tabula, ſpes vnica poſt naufragium; faciamus nunc tandem quod monet Eccleſia, obtemperemus cõſilijs ſalutaribus matris optimæ cupidiſſimæque ſalutis noſtræ. EMENDEMVS IN MELIVS QVÆ IGNORANTER PECCAVIMVS. Et ſi quidem cura nos tangit aliqua, vt merito deberet, non ſolum pro noſtra ſalute, ſed etiam pro ſalute, pro incolumitate, pro quiete, pro vita proximorũ, fratrumque noſtrorum, quos ſcimus vbique locorum in tanta afflictione ac mœrore verſari, occaſione belli huius duri atque perpetui, in quo tot myriades hominum in corpore pariter & in anima continenter pereunt; ſi finem belli felicem, ſi lætam victoriam, ſi pacem

cem bonam, firmam, & ſalutarem quærimus, (quis autem non quærat ac deſideret hæc
omnia toto corde?) ſcitis quid vulgaris parœmia habeat: EMENDEMVS, OREMVS, ET
VINCEMVS. Nihil verius, nihil certius: per bonas & deuotas orationes obtinetur victo-
ria. Docent hoc omnes Scripturæ ſacræ, omnes hiſtoriæ. Sed & niſi preces, & orationes,
& ſupplicationes noſtras (etiam generales quæ dicuntur, quæque maximi haud dubiè
momenti ſunt) antecedat morum ac vitæ ſeria emendatio, iuxta ſententiam quam tra-
ctamus; fruſtrà omnes oramus, fruſtra atque in vanum victoriam expectamus. Num-
quid enim hoc quoque non habet clariſſime Scriptura ſacra? Cum extenderitis manus
veſtras (ait Dominus per Iſaiam Prophetam) auertam oculos meos à vobis: & cùm *Iſaiæ 1.*
multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Quid ita. Manus, inquit, veſtræ plenæ
ſunt ſanguine. Lauamini ergo prius, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtra-
rum ab oculis meis: quieſcite agere peruerſe, & diſcite benefacere, & venite, arguite me,
dicit Dominus: tunc, videlicet, non exaudiero preces veſtras, non præſtitero quæ po-
poſceritis. Vultis igitur viam noſſe optimam atque certiſſimam vincendi hoſtes, quibus
tanto iam tempore cincti ſumus vndique, tantumque non oppreſſi? Oremus: nos præ-
cipue Eccleſiaſtici ordinis viri, quorum eſt proprium orationi operam dare: non pro no-
bis ipſis dumtaxat, ſed pro toto etiam populo: itemque pro regibus & Principibus noſtris,
pro omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt Apoſtolus docet, denique pro tota Ec-
cleſia Dei, noſtræ potiſſimum curæ commiſſa. At verò, vt rectè oremus, & cum ſpe bo-
na impetrandi quod volumus; emendemus vnuſquiſque ſeriò vitam noſtram. Hic ſen-
ſus eſt vulgaris illius veriſſimæque ſententiæ: Oremus, emendemus, & vincemus.

O vtinam verbum illud pulcherrimum atque ſanctiſſimum, EMENDEMVS, frequen-
ter inſonet auribus noſtris! vtinam ſibi conciliare queat amorem atque affectionem
cordis noſtri! quàm præclaros, quàm dulces, quàm vtiles, & ſalutares in nobis fructus
pareret! Emendemus, emendemus in melius quæ ignoranter peccauimus. Vultis ſcire
quid ſit, EMENDEMVS? Audite Apoſtolum: Expoliantes vos veterem hominem cum *Coloſſ. 3.*
actibus ſuis, & induentes nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt. Sed hoc eſt obſcu-
rum & parabolicum, dicat aliquis. Quid enim eſt veterem hominem exuere & nouum
induere? quomodo poteſt homo ſeipſum exuere, & rurſus induere? Audite claram in-
terpretationem alio verbo eiuſdem Apoſtoli: Abijciamus opera tenebrarum, & indua- *Rom. 13.*
mur arma lucis; ſicut in die honeſte ambulemus. An ne hoc quidem ſatis fortaſſe intel-
ligitis? Sequitur clariſſimis verbis. Non in commeſſationibus & ebrietatibus; non in
cubilibus & impudicitijs; non in contentione & æmulatione: ſed induimini Dominum
Ieſum Chriſtum: & carnis curam ne feceritis in deſiderijs. Quod priùs dixerat, Exuere
veterem hominem; hic vocat, Non acquieſcere carnis noſtræ illicitis deſiderijs. quod di-
xerat, Induere nouum hominē, hîc dicit, Induete Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.
Chriſtum autem induere, eſt induere vitam eius, hoc eſt imitari mores eius: ſobrietatem
videlicet, quam hîc Paulus (vt alibi etiam) pænè ſemper ante omnia nominat. item ca-
ſtitatem, charitatem, manſuetudinem, humilitatem, ceteraſque virtutes, quæ relucent
in tota vita Chriſti. Induere Chriſtum, eſt præſtare illud, ad quod ſuos omnes hortatur
dicens; Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. Sed nemo meliùs veram totam- *Matth. 11.*
q́ue naturam pœnitentiæ explicat, & quidnam illud ſit, Emendemus in melius quæ pec-
cauimus; quam Ieremias Propheta, doctor præcipuus & prædicator maximus pœniten-
tiæ. is in Threnis ſeu Lamentationibus ſuis, quę nihil ſunt aliud, quàm triſtia cantica
pœnitentiæ, ſic habet. Scrutemur vias noſtras & quæramus, & reuertamur ad Do- *Thren. 3.*
minum. Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cælum. Nos iniquè egi-
mus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco tu inexorabilis es. Operuiſti nubem ti-
bi, ne tranſeat oratio noſtra. & quæ ſequuntur.

His paucis verbis Ieremias Propheta tria vel quatuor in medium profert, ad veram
pœnitentiam neceſſaria; quæ tacitè omnia includuntur in verbis his quæ tractamus,
Emendemus in melius, quæ ignoranter peccauimus. Primum, inquit, ſcrutemur vias
noſtras. Scitis quid Scriptura ſacra per vias intelligat, vbi ſermo eſt de moribus: nempe
ſtudia noſtra, actiones, vitam & conuerſationem vniuerſam. Sic paulò nunc ante audiſtis
ex Pſalmo Dauidico. In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam; id eſt vitam, & mores *Pſal. 118.*
ſuos improbos atque impuros. Ad conſimilē modum Ieremias ad vitæ emendationem
exhortans, Scrutemur, ait, vias noſtras. Hoc primum eſt quod ad veram pœnitentiam &
vitæ emendationem requiritur: ſcrutari videlicet, non quidem arcana opera & conſilia

Eccli. 3. Dei, quæ nihil attinet ſcire. Vnde & rectè admonet Sapiens; Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Rurſus non vult Ieremias vt ſcrutemur vias & actiones aliorum: vt curioſè inquiramus in vitam & mores vicinorum vel proximorum noſtrorum, vt ſtulti faciunt, qui etiam idcircò à Poëtis gentilibus irridentur:

Horat. lib. 1. Satyr. 3.

Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutùm,
Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius? — ait ille. Quid ergo? Si nec Dei altiſſima opera, nec proximorum noſtrorum actiones ſcrutandæ ſunt, nihilne igitur nobis ſcrutandum relinquitur? Maximè. Scrutemur (ait Propheta) vias noſtras; hoc eſt, ſtudia & conſilia noſtra, vitam omnem & conuerſationem omnem noſtram: ſcrutemur in primis externa opera noſtra: deinde verba, ſermones, colloquia cum his & illis: ad hæc, internas etiam cogitationes & affectiones noſtras. Sic magnus ille ſanctuſq; Rex faciebat, vt teſtatur Pſal. 76. Cogitaui dies antiquos, & annos in mente habui: & meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum. Quàm benè explicat quid ſit ſcrutari vias ſuas! Depinxit idem non ineleganter quiſquis auctor eſt carminis illius, inter Virgiliana, de viro bono:

Vir bonus & ſapiens, qualem de millibus vnum, &c.
Non prius in dulcem declinat lumina noctem
Omnia quàm longi reputauerit acta diei.

Hoc ſi faceremus & nos, ſi ſic ſcrutaremur vias noſtras (vt profectò omnes deberemus) quid toto die, tota hebdomada, toto anno ſecerimus; quo animo, qua intentione, quid mali deſignauerimus; quid boni per negligentiã omiſerimus, nemo noſtrûm (opinor) non facilè inueniret, ſe pœnitentia ſalutari, & ſeria vitæ emendatione indigere. Nec ratione vacat, quòd Scrutandi verbo vtitur Propheta. Subindicat enim hac loquendi forma, non ſatis eſſe, leuiter & perfunctoriè noſipſus inſpicere, dum vitæ emendationem & pœnitentiam meditamur: vt non parum multi faciunt, peccata ſua coram ſacerdote confeſſuri. Veniunt penitus imparati, vix ſemel excuſſa conſcientia, quibuſve in rebus Deum offenderint, toto frequenter anno vertente. Itaque vel prorſus muti ſunt ante Chriſti vicarium, vel dicunt tantummodò quæ nihil ſpectant ad rem præſentem. Non eſt hoc ſcrutari cor noſtrum, iuxta Prophetæ doctrinã. Examinandi ſunt diligenter & explorandi ſinus omnes ac receſſus cordis. Ac primùm opera omnia externa ad examen reuocanda; quid, vbi, quibuſcum, quando, quomodo, quoties ſactum ſit, quid per viſum peccatum & lubricitatem oculorum, quid per auditum, quid per linguam, quæ duplex habet officium, loquendi atque guſtandi; quid per alios ſenſus. Poſtremò veniendum ad intimas cogitationes, affectiones, intentiones noſtras, quomodo omnia conſenſerint cum lege Dei: nihil relinquendum indiſcuſſum. Hoc eſt quod hîc dicitur, Scrutemur vias noſtras.

Sed num ſatis eſt ad veram pœnitentiam, ſcrutari hunc in modum vias noſtras? Nequaquam. Scrutemur vias noſtras, & quæramus, inquit. Quid? Deum vtique & vias eius. Vbi enim inuenerimus haud eſſe nobis ſalutem, quietem, ſecuritatem in vijs noſtris; quin potiùs vias haſce omnes nos rectà ad ſempiternam perditionem ducere; auertendi inde greſſus ilicò, relinquendæ viæ periculoſiſſimæ, perditiſſimæ; & quærendæ viæ Dei,
Pſal. 127. de quibus ſcriptum eſt, Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius. Viæ autem Domini ſunt præcepta eius, conſilia, promiſſa, &c. Hæ ſunt viæ bonæ, rectę, lucidæ viæ vitæ, viæ ſalutis æternæ: arctæ quidem & moleſtæ, initiò præſertim; ſed certæ & ſecuræ tamen: & quæ vſu quotidiano paulatim valde miteſcunt atque dulceſcunt. Ita
Pſal. 118. vt quidam dicere audeat confidenter: Viam mandatorum tuorum cucurri, libenter videlicet atque alacriter, cùm dilataſti cor meum.

Has vias dum repereris; tertio loco ſequitur, vt te toto corde ad Deum conuertas, ad omnem eius voluntatem implendam: & dicas cum Pſalmiſta, Paratum cor meum Deus,
Pſalm. 56. & 118. paratum cor meum. item, Paratus ſum & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua. Tunc fit quod Ieremias ait conſequenter, Reuertamur ad Dominum: leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cælos. Hîc obſeruate, cum manus cordi coniungere in actione pœnitentię, & cor manibus. vt nimirum intelligamus, ad veram conuerſionem & pœnitentiam vtriuſque hominis vires, interiores & exteriores ſimul aſpirare & cooperari debere; iuxta illud Prophetæ Regij: Cor meum & caro mea ex-
Pſalm. 83. ultauerunt in Deum viuum. Leuemus, inquit, cor noſtrum cum manibus ad Dominum in cæ-

in cælum [illegible] Quod dice[illegible] [illegible]ato, manib[illegible]ſque in cælum exten[illegible] quid orabi[illegible] [illegible]tentiam fa[illegible] plena declaratio plus multo temporis & ſermonis requireret, ſed nos [illegible]nem i[illegible] debemus collationi atque exhortationi noſtræ. Quod proculd[illegible] factu[illegible] [illegible]o, q[illegible]æ [illegible] aud[illegible]us, opere quoque adimplere c[illegible]nati [illegible]enim[illegible]. Quod nobis [illegible] dat [illegible]mnipotens & m[illegible]ſericors Dom[illegible]us, à cuiuſmet bonitate & benignitate debe[illegible] prou[illegible]nire, quo & iram ipſius placemus, & vitam [illegible]ſtram in m[illegible] [illegible] manu[illegible] operi tam neceſſario adhibeamus, & [illegible] de [illegible] [illegible]us ope du[illegible]temus.

EXHORTATIO PRIMA

IN DIE COENAE DOMINI

De O[illegible] [illegible]ACRI benedictione & C[illegible] conſecratione.

MO[illegible] eſt [illegible] Catholica per to[illegible]um orbem Chri[illegible]anum, hodier[illegible] [illegible] ea [illegible]ea [illegible]nficere, ſeu conſecrare & benedicere, quibus Chri[illegible] [illegible]miniſtros ſuos vti voluit in Sacramentis, ad purgationem conſcienti[illegible]æ noſ[illegible]æ, ad ſananda vulnera peccatorum noſtrorum, ad cer[illegible]am ac perpetuam an[illegible]mar[illegible]m noſtrarum ſalutem conſequendam. S[illegible]nt [illegible]utem [illegible]a triplicia. Vnum eſt, quod adhibetur in Sacra[illegible]ento E[illegible]æ [illegible] quo perunguntur il[illegible], qui graui & periculoſa aliqua [illegible]gritudine detinen[illegible]tur, ita vt morituri videant[illegible]r. Vngun[illegible]ur, [illegible]nquam, illi ad eum finem, vt ſi quæ ſint in [illegible] adhuc peccatorum reliquiæ, extremo hoc Sacramento deuotè ac religioſe ſuſcepto d[illegible]le[illegible]tur: [illegible] vt patienter & conſtanter ferant triſtitiam & pœnam mortis temporal[illegible]: vt [illegible] ac læto animo, [illegible]ando eos Deus ad aliam vocat vi[illegible], [illegible]tes ſuos [illegible]beros, vxore[illegible], amicos, conſanguineos, bona temporalia, & ſ[illegible]miles huiuſ[illegible] di[illegible] co[illegible]ueta[illegible] [illegible]ne[illegible] delerant, denique vt, ſi [illegible]lis ſit ſalutare, ad maio[illegible]en[illegible] agend[illegible]am peccato[illegible] ſuor[illegible] p[illegible]niten[illegible]am, at[illegible]ue ad plus promerendum, ſanen[illegible] [illegible] c[illegible]poraliter, & viuant d[illegible]utius. Sed hæc fuſius explicanda ſunt in Sacra[illegible]ento Extremæ vn[illegible]io[illegible].

Alterum [illegible]um nunc appe[illegible]r generali nomine ole[illegible]m ſanctum, quia non ita ſingu[illegible]re[illegible] [illegible]t vſum vt cetera duo, nunc vero oleum catechumenorum, hoc eſt, illorum qui [illegible] idonei [illegible] ſatis [illegible]ſtructi credūtur ad Bapti[illegible]mum ſuſcipie[illegible]dum. Quo externo ſi[illegible] de[illegible]ſignatu[illegible], eos [illegible] [illegible]e vnctum Sa[illegible]ato[illegible]re[illegible] [illegible]iam incipere pertinere, poſt[illegible] diabolo, om[illegible]ni[illegible]u[illegible]que actio[illegible]us, conſ[illegible]lijs, & ſuggeſtionibus eius, publicè abrenuntiar[illegible]t. Vngunt[illegible]r autem ante in corde, & retrò inter ſcapulas; vt ſig[illegible]ificetur, eos Chri[illegible] amorem ac le[illegible] d[illegible]eps [illegible]er in corde debere geſtare, eiuſque ſuaue iugum, abie[illegible] d[illegible]o iug[illegible] dia[illegible]oli, ſemper in humeris [illegible]uis portare, eiuſque amore nullum de[illegible]ere labore[illegible].

Tert[illegible] ni oleum, [illegible]mnium eſt q[illegible]oda[illegible]modò nob[illegible]iſſimum, quod propri[illegible] appe[illegible]latur [illegible] vocabulo Chri[illegible]a. Quod quidem ſerui[illegible] ad multa & maxima rel[illegible] Chri[illegible]ſtianæ [illegible], ſed p[illegible]æ[illegible]ue vſus e[illegible] eſt in Sacramento confi[illegible]mat[illegible], [illegible] ni[illegible] apti[illegible]is datur Sp[illegible]us ſancti[illegible] ad interiorem [illegible] & [illegible] robur, ad re[illegible]dum fortiter omnibus diaboli, mundi, & carnis tentationibus, & [illegible] om[illegible] quæ [illegible] [illegible]ræ c[illegible]ntraria.

Sed hæc omnia [illegible] lat[illegible]s & aperti[illegible]s explicanda [illegible], in t[illegible] [illegible]gu[illegible]orum Sac[illegible]mento[illegible]um. Tantum hoc b[illegible]eui[illegible]er vno verbo atque [illegible]enere a[illegible]mon[illegible], vt r[illegible]nem iut[illegible] [illegible]s præſ[illegible]is cærimo[illegible], & ad quem finem atque [illegible] hodierno die [illegible] ſancta

ſancta olea in Eccleſia conſecrentur. Nunc enim vetuſtiſſima Eccleſię conſtitutione conficiuntur olea illa, quibus per totum annum tam in diuerſorum Sacramentorum adminiſtratione (vt audiſtis) quàm in alijs multis Chriſtianæ religionis myſterijs adhibentur & vſurpantur. Vnum tantùm adhuc vno verbo dicam, ſi vere amamus Chriſtum, ſi illum in reuerentia & honore habemus, ſi illum pro Deo & Domino noſtro, & Saluatore & Redemtore agnoſcimus; debere etiam amare, in magno honore ac reuerentia habere olea hæc nunc ſanctificata & conſecrata. Primum, quia ab eo ſunt inſtituta. Nunquam enim Eccleſia huiuſmodi oleis ad prædictos effectus vti auſa fuiſſet, niſi ad hoc expreſſum ab initio habuiſſet præceptum & ordinationem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hoc quidem præceptum eius non extat diſerte in Sacris litteris: ſed quam pauca & nulla propemodum ſcripta ſunt ab Euangeliſtis & Apoſtolis eorum quæ dixit & fecit Chriſtus? Taceo de ijs omnibus quæ ante mortem ſuam dixit & fecit, quorum millesima pars ſcripta non eſt; poſt reſurrectionem ſuam, docet Lucas, illum 40. diebus multis vicibus Apoſtolis ſuis apparuiſſe, & locutum cum illis de regno Dei. hoc eſt, de Eccleſiæ eius, in qua Deus regnat, adminiſtratione. Ex omnibus illis quid tandem ſcriptum eſt. Duæ vel tres pagellæ dumtaxat: nimirum exiguum illud, quod Euangeliſtæ poſt reſurrectionem eius ſcripſerunt, ſinguli vnum tantùm capitulum.

Inter illa ergo omnia quæ Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam Apoſtolos docuit, quomodo Eccleſiam, poſt aſcenſionem eius in cælum, regere & adminiſtrare deberent; ſunt illa in primis, quæ ad Sacramenta pertinent, quibus illi placuit ſalutem animarum noſtrarum operari. Quæ nimirum, & quæ, ac cuiuſmodi vellet inſtitui Sacramenta; quæ illorum materia, quæ forma, qui miniſtri, qui & quales ſingulorum effectus & fructus, &c. Ibi igitur docuit etiam, quomodo, in quem finem, & à quibus, quo tempore eſſent hæc olea conficienda & conſecranda: vt omnes veteres Eccleſiæ Patres & Doctores tradunt: præcipue autem & clariſſimè Dionyſius Areopagita in libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, qui illa ſe dicit ſcribere quæ à diuo Paulo præceptore ſuo atque ab alijs Apoſtolis viua voce accepit; nominatim etiam de hac materia ſanctorum oleorum.

Ergo hæc eſt, vt dixi, prima ratio quamobrē hæc olea in magna reuerentia & honore habere debeamus; quia à Domino noſtro & Redemtore Ieſu Chriſto ſunt inſtituta. Omnis enim res commendationem & laudē aut etiam vituperiū habet à primo ſuo auctore. Sępè enim multæ res bonæ, quia inuentæ ſunt & inſtitutæ à malis, & damnatæ memoriæ hominibus, contemtui, odio, & execrationi habentur. Contrà, quæ à claris hominibus inſtituta aut inuenta ſunt, eo ſolo nomine in honore & pretio habentur. Dicimus ſæpe, hoc mihi ab illo ac tali datum vel relictum fuit, ideo ſeruare volo atque in honore habere. Iudæi quanti faciebant omnia quæ à Moyſe illis tradita erant? Ita Græci quidquid Lycurgus aut Solon aliquis inſtituerat, maximi faciebant, propter ſummam illorum hominum ſapientiam & probitatem. Si hæc ita ſunt, quam longe maiori nos facere debemus, in quāto honore habere huiuſmodi olea, vel hoc ſolo nomine, quod à Chriſto Seruatore ac Domino noſtro, nec tantùm ſapientiſſimo homine, ſed Dei etiam Filio, inſtituta nobiſque tradita ac relicta fuerunt.

Iam vero, non eo tantum nomine nobis hæc debent chara eſſe & honorifica, quia à Chriſto inſtituta ſunt; ſed etiam quia ſigna ſunt eius, in eius perpetuam memoriam nobis relicta, à nomine eius & ab officijs eius nomen habentia. Videmus nobiles huius mundi libenter ſymbola habere & arma quædam, quæ cum nomine ipſorum aut ſamiliæ nomine conueniunt. Talia prorſus ſunt hæc ſancta olea, à nobis iam conſecrata. Repræſentant & nomen Chriſti, & officium omne, ac dignitatem, quam geſſit in hoc mundo, atque ad quam obeundam à Patre miſſus fuit. Quid deſignat Chriſtus Græco nomine? Idem nimirum, quod Vnctus: ergo ab oleo, ab vnctione nomen accepit. Videre clariſſime hoc intelligere ex Sacris litteris. Sic ſponſa illa ſanctiſſima illum appellat:

Cant. 1. Oleum, inquit, effuſum nomen tuum; ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. Quam multa ea de re dicenda eſſent, ſed nos hic oportet breues eſſe. Audite Prophetam Regium Pſalmo 44. Vnxit te, inquit, Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Loquitur & de nomine Chriſti, & de officio eius. Quomodo vnctus fuit à Patre cæleſti? Nempe tamquam Rex noſter, tamquam Propheta & Doctor noſter, tamquam Sacerdos noſter. Nam hi tres dignitatis ordines in veteri Teſtamento diuina inſtitutione vngebantur. Sed de his aliàs, fauente Chriſto, latius. Tantùm hoc breuiter dixi pro ſecunda ratione & cauſa, propter quam meritò hæc ſancta olea in honore habere debemus: quia nimirum

mirum pulcherrima ſymbola ſunt nominis & dignitatis Saluatoris noſtri Chriſti.

Tertia ratio proprie ad nos, hoc eſt ad ſalutem & vtilitatem noſtram, pertinet. Inſtituit [illegible] hæc ſacra ſigna Chriſtus, vt audiſtis; meritò igitur illa honorare debemus: ſed magis etiam o[illegible]mur, ſi nouerimus, qua ex cauſa, propter quos, in quotumque vtilitatem & fructum illa inſtituit. Quemadmodum enim omnia fecit & paſſus eſt Chriſtus propter ſalutem el[illegible] ſuorum, ſic etiam hæc ſacra ſigna in ſolam noſtram ſalutem & vtilitatem inſtituit [illegible] in c[illegible]ma remedia, & medicinam ſaluberrimam animarum noſtrarum [illegible]orum v[illegible]m, & remiſſionem peccatorum conſequeremur [illegible]rationem v[illegible] animarum noſtrarum, & Dei gratiam & fauorem; & forte[illegible] contra omnes diaboli tentationes, & pericula huius mundi. Et hinc eſt, qu[illegible] propemodum Sacramentis Eccleſiæ (quæ non aliud ſunt, quàm vaſa gratiæ Dei, & remedia, vt dixi, contra morbos & ægritudines an[illegible] v[illegible]s eſt horum ſanctorum oleorum, vel vnius ſcilicet vel alterius.

Quare, etſi Chr[illegible] quod abſit non amaremus cuius hæc ſigna ſunt, quique hæc inſtituit: tamen ſi nos ipſos amamus, ſi curari volumus a ſpirituali ægritudine noſtra, ſi ſalutem in vita æterna, ſi cum Chriſto ſemper regnare: hæc omnia non contingunt nobis ſine v[illegible] iſtorum oleorum & Sacramentorum, quæ ex illis conſtant. Si per herbam aliquam, aut oleum, aut aliam medicinam ſanati aliquando fuimus à morbo aliquo corporali, a grandi vulnere, aut ſimili malo: quanta cura & ſtudio herbam aut med[illegible] illam ſeruamus, vt alio etiam tempore in neceſſitate nobis vſui eſſe queat! Quis non videat, quin multo maiori cum ratione ſacra hæc noſtræ ſalutis media ac remedia eximio ſint nobis in honore habenda, ac ſingulari veneratione obſeruanda? Quod vt pie efficaciterque faciamus, gratia ſua nos dignetur, ipſe qui omnium bonorum largitor eſt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus; qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

EXHORTATIO *Secunda in eadem Cœnæ nouiſſimæ celebritate: De olei ſacri benedictione eiuſq; myſterio.*

A FRVCTV FRVMENTI, VINI, ET OLEI SVI MVLTIPLICATI SVNT. *Pſalm.* 4.

QVOMODO Prophetæ omnes anhelauerint ad tempus noui Teſtamenti poſt aduentum Chriſti, quanta animi admiratione ac deuotione ſalutauerint eminus bona illa admiranda, quæ futura præuidebant illo tempore in populo Dei; denique quam ingenti lætitia exultauerint, ſi quando illis Deus futuri illius temporis reuelationem aliquam faciebat aut ſignum dabat, ſiue quod ad Chriſtum ipſum, ſeu quod ad eius Eccleſiam pertineret, omnis noui & veteris Inſtrumenti Scriptura declarat, vobiſque opinor ſatis id quoque omnibus notum eſt. Inter omnes autem Prophetas, nemo ferè eſt, qui plura vidit aut prædixit de Chriſto, & de Eccleſia eius, quàm Regius ille Propheta Dauid; vt proinde meritò ſecundo Regum 23. vir ille appelletur, cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob: hoc eſt, cui vni ſingulariter præ ceteris Deus reuelauit myſteria Chriſti redemtoris mundi. Quando autē Chriſti myſteria dico; non illa tantum puto, quæ propriè ad eius perſonam pertinent, v[illegible]am quæ ad Eccleſiam eius, quæque ipſe inſtituit & ordinauit, ad conſeruationem, ſanctificationem, protectionem & multiplicationem Eccleſiæ ſuæ vſque ad finem mundi: hæc enim omnia ad Chriſti myſteria pertinent. Vnde etiam factum, vt nemo ferè Prophetarum aliquid ſingulare de Chriſto prædixerit, quin ſimul etiam aliquid peculiare ſemper adiunxerit de Eccleſia.

Vt ergo ad propoſitum noſtrum veniamus, Dauid iſte magnus Propheta, de quo mox di[illegible] ho[illegible]s omnes Pſal. 4. quem quotidie in Completorio in Eccleſia canimus, adhortatur [illegible] ad v[illegible] pietatem, ad bonam & ſanctam vitam, ſiue (vt ipſe loquitur) ad ſacrificandum Deo ſacrificium iuſtitiæ; tandem ſibi obijcit dictum quoddam hominum mul[illegible] carn[illegible] ſtu[illegible]orum, mundanorum, dicentium ſæpenumerò; Quis oſtendit nobis bona? hoc eſt, q[illegible]us quid bonum aut Deo gratum ſit, quid non? vt tam de-

beamus

beamus eſſe ſolliciti & anxij de bona vita. Quis fuit in cælo, dicunt, qui inde nobis è cæli aliquid attulerit de voluntate Dei? vnde ſcimus, hoc potiùs malum eſſe quam illud. Ita frequenter audimus homines impios, carnales, atheos, garnentes. Illis reſpondet Propheta: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine. Quaſi dicat: O cæci & infelices! qui neſcire vos dicitis quid bonum ſit, quid Deo gratum, quid amplectendum, quid fugiendum: quum Deus ipſe tam apertam ejus rei ſignificationē nobis dederit, primùm naturæ ipſi noſtræ imprimendo clariſſimum ſignum voluntatis ac naturæ ſuæ, creando nos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, & vultu in cælum erecto, non in terram depreſſu more beſtiarum: quo ſolo nos docuit, cæleſtia nobis atque æterna quærenda eſſe, non terrena, peritura, caduca. Deinde verò, lumine etiam Spiritus ſancti ſui accendit corda noſtra, qui purgatos ab omnibus ignorantiæ tenebris, docet omnem veritatem & de omnibus pleniſſime inſtruit, quæ credere, quæ facere debeamus, quid ſectari, quid fugere. Atque ita demum etiam ſingulari lætitia & conſolatione replet corda noſtra, quæ omnem huius mundi vanam & tranſitoriam conſolationem longe ſuperat. Nullum enim venus, nullum maius gaudium, quam probe inſtructum eſſe de voluntate Dei: ſcire, quid credere de eo, quid ſentire debeamus: deinde quid agere vt illi accepti ſimus, vt in eius tutela atque cuſtodia maneamus; & ſicubi pro humana fragilitate offendamus, qua ratione cum illo iterùm in gratiam redire poſſimus.

Pſalm. 4.

Nunc aduertite. Primùm ac Propheta mentionem cœpit facere veræ ac maximæ lætitiæ ex beneficijs cognitionis & gratiæ Dei; ſtatim ſe conuertit ad tempus nouæ Legis, quod verè demum vocatur & eſt tempus gratiæ Dei; ſtatim illi occurrunt Diuina reuelatione ac ſingulari illuſtratione Spiritus ſancti beneficia illa ſumma & inexplicabilia, quæ populus ille dilectus à Deo per Chriſtum illo reciperet tempore, idque præcipuè in vſu & per vſum Sacramentorum illorum quæ Deus id temporis ad cultum ſuum, atque ad populi ſui ſalutem & ſanctificationem inſtitueret. Hoc eſt quod mox dicit: A FRVCTV FRVMENTI, VINI ET OLEI SVI MVLTIPLICATI SVNT. quaſi dicat; Loquor hic de gaudio, quod nunc etiam percipiunt Fideles, ex cognitione & gratia Dei, ex illuſtratione vultus ſui ſuper nos per Spiritum ſanctum: ſed iam longè aliud tempus video per eumdem Spiritum, quo benè aliter magiſque multo lætabuntur Fideles hac ex cauſa, ex conſideratione videlicet ſummæ atque exuberantiſſimæ gratiæ Dei, quæ illis præ nobis continget. O quis illa videbit tempora? quis tantam felicitatem & exultationem ſeruorum Dei contemplari & experiri merebitur? Quis victurus eſt, quando illa faciet Dominus, vt alius Propheta inquit, de eadem re loquens? Quid autē fiet illis, qui tunc viuent? qua ex cauſa tam felices erunt? aut quomodo illis tanta Diuinæ gratiæ opulentia continget? O vir ſecundùm cor Dei; vt Deus venturorum intuitu tam ſingularem indiderit lætitiam cordi tuo? Multiplicabuntur, inquit, à fructu frumenti, vini, & olei ſui. Vtitur enim tempore præterito (Multiplicati ſunt) pro futuro, more Prophetarū, qui ſic loquuntur ob rei, quam præuidēt, certitudinem. Ergo hic prædicit & nominat nobis ſanctus Propheta omnia ferè & maxima noui Teſtamenti Sacramenta, per quæ Chriſtiani modò gratiæ Dei participes fiunt. Scitis enim Sacramentum omnium maximum, atque in quo Sacramentorum auctor omnium continetur, ſacræ nimirum Euchariſtiæ, ex frumento & vino conſecrari. Alia autem multa Sacramenta cōſecrantur ex oleo, vt nunc videtis; Confirmatio nimirum, Ordo, Extrema vnctio. Eiuſdem etiam ſacri olei vſus eſt etiam in Baptiſmo tametſi in eo non conſiſtat præcipua illius Sacramenti materia. Eadem eſt plane Prophetia Ioelis cap. 2. vbi clariſſime de tempore noui Teſtamenti loquitur, ſicut etiam D. Petrus in die Pentecoſtes docebat: Ecce, inquit, ego mittam vobis frumentum vinum, & oleum, & replebimini in illis. Quod hic dicitur, Multiplicati ſunt, ibi dicitur, Replebimini in ijs, ſeu per illa. Quæ duo facile omnes intelligitis eadem pænè eſſe.

Num. 24.

Videamus ergo breuiter, quid ſibi velint iſta. A fructu, inquit, frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt. Quomodo multiplicantur Fideles per Sacramenta noui Teſtamenti? Duobus modis præcipue, numero ſcilicet & merito. Annon meminiſtis quàm admirabiliter Fideles imò creuerint in numero? nunc tria millia accedebant ad Eccleſiam, nunc quinque, nunc hæc ciuitas, nunc illa credebat in Chriſtum: nec vmquam finis aut modus erat creſcendi aut multiplicandi. At quonam modo & quibus medijs? Prædicatione nimirum verbi Dei, & vſu Sacramentorum. De Baptiſmo vtique magna & honorifica fit mentio, quando de multiplicatione Fidelium agitur vt noſtis. Sed non tacentur etiam Sacramenta iſta, quorum hic fit mentio, in frumento, vino, &

no, & oleo. De ſacra quidem Euchariſtia, Actuum 21. Erant, inquit, perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communione fractionis panis, & orationibus. Sacramentum frumenti & vini ſemper Lucas nominat fractionem panis. Quid inde ſecutum eſt, nempe ex orationibus Fidelium & ex vſu fractionis panis? Dominus, inquit, augebat qui ſalui fierent quotidie in idipſum. hoc eſt idem planè cum eo quod hîc Propheta ait: A fructu frumenti & vini multiplicati ſunt.

Sed nihilne vſquam etiam inuenitur de Sacramentis quæ ſunt in oleo; de quibus nunc hîc præcipuè hodie agimus? Maximè. An de hac re tam multa eſſent & tam clara teſtimonia apud Prophetas diuerſos in veteri Teſtamento vt nunc audiſtis; & nihil de eadem re eſſet in Teſtamento nouo? Octauum caput Actuum Apoſtolorum Inter alia clariſſimam huius rei mentionem facit. Quum audiſſent Apoſtoli, qui erant Ieroſolymis, &c. Ibi enim S. Lucas per impoſitionem manuum intelligit Sacramentum Confirmationis, quod in oleo conſiſtit; vt omnes Eccleſiæ Doctores tradunt. Quod Sacramentum à ſolis dari poteſt Apoſtolis, & ab ijs qui in Eccleſia in locum Apoſtolorum venerunt, vt nouiſtis. Sicut autem prædictæ Scripturæ teſtantur, Fideles ita multiplicatos fuiſſe in Iudæa; ſic puſteà eadem ratione ijſdem Sacramentis breui tempore multiplicati fuerunt toto orbe terrarum: vt eadem gratia tandem etiam huc ad finem propè orbis terræ atque ad nos peruenerit. Sit Deus per Filium ſuum IESVM Chriſtum benedictus in ſæcula. Et ſicut numero, ita mirabiliter omnes creuerunt in merito, in ſanctitate, in omni vitæ pietate & probitate. Quòd proficiunt Fideles & progrediuntur de virtute in virtutem, quòd ſemper meliores & ſanctiores euadunt, vnde fit, niſi ex vſu Sacramentorum iſtorum, quæ vera ſunt vaſa gratiæ Dei, & omnium donorum eius?

Iudæi vtcumque olim erant populus Dei electus & benedictus, hæc tamen Sacramenta non habebãt, vnde nec multiplicabantur vnquam, ſed ſemper idem manebant, populus paruus in numero: nuſquam extendebant terminos ſuos, ſed potiùs vt plurimùm à vicinis omnibus nationibus minuebantur. Si quando vnum atque alterum proſelytum facere poterant, vnum atque alterum ex Gentibus ad Legem ſuam & religionem conuertere; multum admodum ſe facere arbitrabantur, valdè eam ob rem gloriabantur. Et ferè tamen duplo illum peiorem reddebant quàm ipſi erant, vt Chriſtus docet. Quid mirum? non illa habebãt Sacramenta, illa adiumenta gratiæ, illa pietatis incitamenta, quæ nos habemus: & vt non creſcebant numero, ita multò minùs merito augebantur. Quid mirum ſi illorum animi fuerint ſemper macilenti & aridi, quum hordeum arroſerint ſemper, cuius ſæpè mentio apud illos eſt in Euangelio? carebant nobiliſſimo & ſuauiſſimo tritico ſacræ Euchariſtiæ Quid mirum ſi triſtes erant in operibus iuſtitiæ, vt Chriſtus docet Matth. 5. non habebant vinum iſtud quod lætificat cor hominis, non bibebant niſi aquam frigidæ Legis, quamque Agar, (à qua deſcendunt, vt Paulus docet) accepit in ſolatium peregrinationis ſuæ, vt eſt Geneſ. 21. Denique quid mirum ſi duri & inclementes ſunt in proximum ſuum, vt omnis Scriptura docet, qui carent oleo, quod lenit omnia, & faciem exhilarat? Nos verò Chriſtiani, qui veſcimur pane filiorum, qui bibimus muſtum efficax, nos, inquam, in quos effuſum eſt oleum Spiritus ſancti, cuius & ſignum & cauſa eſt oleum iſtud, quod nunc conſecrauimus, aliam vitam, alios mores præſtare debemus quàm Iudæi. Vita iſthæc mortalis, quia multis indiget, multis curis ſæpè grauat cor noſtrum; & præcipuè quando multa in mundo aduerſa accidunt, vt nunc fit temporis. Verùm ſi hoc oleo benè vncti ſimus; hoc eſt, ſi gratiam Spiritus ſancti in nobis reſuſcitemus, quam in Sacramento Confirmationis omnes accepimus, & fortiter ac læto animo omnes huius triſtis mundi aduerſitates feremus, & lenes ac mites ſemper noſipſos præbebimus erga proximos noſtros, alioſque etiam in afflictione illorum conſolabimur.

Sunt homines quidam in communi conuerſatione tam tetrici, tam moroſi, qui tam facilè leui verbo aut facto læduntur, quique proximorum ſuorum opera etiam ſemper in peiorem partem interpretantur. Quid de illis dicemus? Quòd videlicet non benè vncti ſunt, non habent olei huius ſuauitatem ac lenitatem, de quo hîc Propheta loquitur. non ſunt de illis, de quibus hîc dicitur: A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt. hoc eſt, non ſunt de filijs noui Teſtamenti, non ergo pertinent ad Chriſtum; Iudæis potiùs ſimiles ſunt, qui non habent Spiritum Chriſti, ſed ſpiritum ſeruitutis. Rurſus alij ſunt immiſericordes erga proximum, qui ſumma atque extrema pauperum & miſerorum hominum inopia ac neceſſitate nihil mouentur: hi etiam non

ſunt benè vncti oleo hoc ſancto. Oleum enim deſignat miſericordiam, qua malum proximi mitigamus, quantum poſſumus, eius neceſſitatem ſubleuamus, aut ſi aliud non poſſimus, conſolamur bonis verbis. Qui tales ſunt, de ijs hîc loquitur ſanctus Propheta.

Notate autem quòd ſignificanter hîc dicitur, Frumenti, vini, & olei ſui. Non ſine cauſa additur illud, Sui: nimirum habet & mundus ſuum prouentú, ſuum nutrimentum, quo augetur in malitia ſua. De frumento & vino mundi nunc nihil dicam, breuitatis cauſa. Sed eſtne etiam aliquod mundi oleum, quod alienum eſt à filijs Dei? Eſt planè. Audite hac de re eumdem Prophetam Pſal. 140. Corripiet me iuſtus in miſericordia & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Quàm multa hîc dicenda eſſent de malo illo, inſalubri, & pernicioſo oleo, ſi tempus pateretur! hîc dicitur, Olei ſui; quod nimirum propriú eſt filijs Dei. Cuius olei virtutem, fructum, conſolationem, ſuauitatem, nutrimentum, nemo nouit niſi ſoli filij Dei, qui eo per Spiritum ſanctum vnguntur & in ſe ſentiunt. Hoc eſt oleum, quod eos ita multiplicat, quod eos in infirmitate carnis fortes, in mundi omni aduerſitate conſtantes, in triſtitia lætos, in ſumma paupertate diuites facit.

Quid nunc ſupereſt, chariſſimi, his auditis omnibus? Vt nimirum vita noſtra reſpondeat Sacramentis noſtris. Qui vno veſcuntur pane cæleſti, vnum & idem guſtant ſpiritale vinum, vno oleo perfruuntur Spiritus ſancti; idem ſentiant, idem credant, idem agant, ſicut vnius ſunt corporis membra. Quid enim proſunt Sacramenta communis fœderis & vnitatis, ſi non adſit vera & ſincera animorum coniunctio? Deus hanc in rem nobis ſuam gratiam, limpidiſſimi ac pinguiſſimi inſtar olei profluentem, elargiri dignetur. AMEN.

EXHORTATIO *Tertia, in olei conſecratione; de ſalutaribus oliua oleíque in Eccleſia myſterijs.*

QVEMADMODVM hîc vidiſtis, chariſſimi, nos magna animi reuerentia, multis deuotis precibus, multiſque adhibitis pijs atque honorificis cærimonijs fructus iſtos oliuæ nobiles, ſacra ſcilicet olea, conſecraſſe, tamquam inſtrumenta quædam futura ex inſtitutione Chriſti & mandato Eccleſiæ eius, tum conſequendæ gratiæ Chriſti, tum operandæ ſalutis ac ſanctificationis noſtræ: ſic ſæpè Scriptura ſacra de oliua arbore, & fructu eius, magna cum laude mentionem facit; ſæpè iuſtos & pios homines oleæ comparat, atque ex oleæ ſimilitudine valdè eos collaudat. Eadem ratione frequenter bona opera noſtra oleo, qui fructus eſt oleæ, nunc gratia Chriſti, nunc bona fidelium opera, quæ fructus illorum ſpiritales ſunt, & per gratiam Chriſti fiunt, comparantur. Sic dicitur in Pſalmo 51. Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei, ſperaui in miſericordia Dei in æternum. Siue enim Dauid illis verbis ſeipſum & quemlibet iuſtum, ſiue ſpem noſtram in Deum, oleæ comparat; vtroque modo apta eſt comparatio. Sic in Pſal. 127. canimus: Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. Non loquitur præcipue Dauid de filijs aut fructibus carnalis matrimonij, ne quis fallatur; neque ex omni coniugio, etiam ſancto & honeſto, naſcuntur filij; nec, ſi naſcantur, ſtatim tales ſunt filij, quales hîc deſcribúntur, boni nimirum ac nouellis oliuis ſimiles: inter alios innumeros exemplú eſſe poteſt Dauid ipſe, Rex ſanctiſſimus; qui hunc Pſalmum compoſuit: ſed loquitur de ſancta Dei Eccleſia & filijs eius. Eccleſia enim & mater noſtra eſt, & vxor noſtra. Hæc enim duo optimè ſimul conſiſtere poſſunt ſecúdùm ſpiritum, tametſi id turpiſſimum eſſet ſecundùm carnem. Eccleſia nos omnes parit Chriſto per ſanctam doctrinam, & Sacramenta Chriſti, tamquam filios ſuos: ea ratione eſt mater noſtra. Nos rurſus ſimul cum Eccleſiæ opera & auxilio, cum precibus, ſacrificijs, Sacramentis, gemitibus eius (vti etiam ſacra Scriptura loquitur) cumque alio eius multiplici adiutorio, alios deinde Chriſto filios parimus &
Galat. 4. lucramur, quantum poſſimus. Filioli mei (inquit Paulus Galatis ſuis) quos iterùm parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. In hac ſpirituali parturitione filiorum, tametſi non ſunt ſæpè parui momenti, quæ nos præſtamus per gratiam Dei, quæque nos cura, diligentia, doctrina noſtra, precibus, laboribus, & ſimilibus rebus afferimus; tamen præcipua laus hîc ſemper debetur auxilio & cooperationi totius Eccleſiæ Dei, vt alibi la-

tiùs

tiùs explicandum eſt. Hac ergo ratione Eccleſia quodammodò eſt vxor noſtra. Iſtud hîc
tantùm vno verbo admonui, vt illud Prophetæ intelligatis: Vxor tua ſicut vitis abun-
dans, & filij tui ſicut nouellæ oliuarum. Cur autem Eccleſiam Chriſti viti comparet;
hic etiam nolumus explicare, quum non ſit ad propoſitum noſtrum. Videamus potiùs
breuiter, quam ob rem filij Eccleſiæ, hoc eſt ſancti & boni fideles, oleis comparentur; de
hac enim re hîc propriè agitur.

Primum igitur obſeruandum eſt, ſanctum Prophetam non quibuſuis oleis ſanctos
homines bonóſve Eccleſiæ filios comparare; ſed nouis ſeu iuuenculis oliuis: Filij tui, in-
quit, ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. In primis enim, tametſi omnes oleę
in vniuerſum ſemper vireſcant, tamen iuniores oliuæ viridiores ſunt quàm aliæ, & hoc
nomine etiam gratiores ac pulchriores. Secundò, vt ſunt viridiores, quòd nimirum me-
liori & abundantiori ſucco atque humore ſint præditæ, ſic firmiores etiam ſunt, minuſ-
que ventorum vi ac tempeſtate lædi poſſunt. Tertiò, quò iuniores ſunt oleæ, modò
ad iuſtam aliquam excreuerint magnitudinem; eò feraciores ſunt, pluresque & melio-
res fructus proferunt. Hæc omnia reperire eſt in veris Eccleſiæ filijs, & pijs Chriſtianis:
nam & virent, & florent ſemper in vera pietate; læto, alacri, ac lubenti animo ſeruien-
tes Deo: & fortiter reſiſtunt omnibus inſultibus ac tentationibus carnis, mundi, diaboli;
& fructus ſemper bonorum operum ſuauiſſimos, pinguiſſimos, præſtantiſſimos & co-
pioſiſſimos proferunt. Et hoc etiam eſt, quòd alterius illius Pſalmi ſententia docet,
quam paulò antè recitauimus, Ego ſicut oliua fructifera in domo Dei. Non cuicumque
oliuæ comparat ſeſe, ſed oliuæ fructiferæ: vt nos doceat, neminem in domo Dei, quæ eſt
Eccleſia, debere eſſe ſterilem, otioſum, pigrum, inutilem; ſed fructum ſemper, & qui-
dem optimum ac ſuauem, proferre. Memores ſemper ſunt illius Scripturæ ac terribilis Matth. 3.
ſententiæ Domini: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem
mittetur.

Dum autem Scripturas ſacras diligenter inſpicio, & quid potiſſimùm de oleis huiuſ-
modi habeant mecum perpendo, inuenio duo quædam de oleis dicta, quæ magnoperè
nobis & cunctis Chriſtianis cauenda ſunt. Quamquam enim olea arbor ſit optima ac
nobiliſſima, tamen inueniuntur interdum oleæ quædam non valde laudabiles. Quem-
admodum & vitis arbor eſt (vt omnes nouimus) præſtantiſſima, & quæ longè ſuauiſſi-
mos ac nobiliſſimos fructus profert: ſed Deus tamen queritur de vinea quadam mala,
quæ pro bonis vuis non niſi labruſcas protulit; quæ ſunt vuæ ſeu grana craſſam & ama-
ram pellem habentia, in quibus nihil ſit boni vini, ſed multum inſipidi ſucci. Sic in primis
de oliua quadam habetur Abacuc 3. cap. Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent ci-
bum. Quid hoc ſibi vult, mentietur opus oliuæ? hoc eſt, fallet dominum ſuum, lactabit-
que eum ſeu lætificabit vanis ſpebus. Olea erat quæ initio æſtatis pulcherrimè florebat,
tota erat cooperta pulcherrimis floribus, ſpem dabat plurimum boni fructus allaturam;
agricola vel dominus eius id videns, vehementer gaudebat, ſperabat ſe plurimum boni
olei ex arbore collecturum: at neſcio quonam modo arbor ante tempus abiecit flores
ſuos, nulluſque inde fructus ſecutus eſt, nihil tandem protulit præter folia. Mala certè,
fallax, & triſtis olea, ac maledictioni quàm proxima.

Audite nunc aliam oleam, non minori dignam vituperio, Ieremiæ 11. Oliuam, in-
quit, vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocauit nomen tuum: ſed (eheu!) ad vo-
cem loquelæ grandis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta eius. Hæc olea non
tantùm pulchra erat admodum & decora viſu, quacumque illam parte aſpiceres, ſed ple-
na etiam erat optimis baccis ſeu oliuis. Sed vide aliud miſerum infortunium: priuſ-
quam fructus illi ad iuſtam maturitatem venirent, & colligi poſſent; tota arbor igne
quodam interiore, miro modo correpta fuit, vt & ipſa tota, & rami eius, & fructus om-
nes breui exaruerint, emarcuerint & perierint.

Quos nobis nunc ſignificant duæ iſtæ infelices oliuæ? Prima illos denotat, qui mul-
ta quidem ſpecioſa promittunt, magnoque ſæpè feruore incipiunt benè viuere, & mira
facturi videntur: ſed repentè, oblata aliqua difficultate, vel tentatione, deficiunt. Hoc
nimirum eſt promittere tantùm pietatis fructum, non præſtare vel proferre. Per ſecun-
dam autem oliuam ſignificantur illi, qui fructum quidem pietatis proferunt, & multa
verè bona opera faciunt: ſed per ſuperbiam vel inanem gloriam, omnium bonorum o-
perum ac laborum ſuorum mercedem perdunt. Prioris oliuæ exemplum fuerunt, qui
dicebant Moyſi, Omnia quæ locutus eſt Deus faciemus, & erimus obedientes. Magna Exod. 24.

 certè

certè & ſpecioſa promiſſio : ſed ex qua nullus planè fructus ſecutus eſt. Simulatque enim Moyſes paululùm ab eis abfuit, mox omnium Dei beneficiorum obliti, ad vitulos aureos
Pſalm. 77. diuinum honorem tranſtulerunt. Ergo dilexerunt eum, inquit Pſalmiſta, in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei. cor enim eorum non erat rectum cum illo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius. Quam multa & præclara nos omnes Deo promiſimus in Baptiſmo, quum primùm acceſſimus ad beneficium gratiæ eius: & tamen quam parum memores ſumus plerique omnes promiſſionis noſtræ, quum ad annos (vt loquimur) diſcretionis peruenimus! Si quando vel in grauem aliquam ægritudinem, vel in ſimile mortis periculum incidimus, quàm multa ſæpè Deo promittimus, ſi nos contingat ad ſanitatem & libertatem peruenire! quam ſeriò pollicemur emendationem vitæ noſtræ, & multa ſimilia. Et tamen quam parum fructus plerunque ex huiuſmodi promiſſione ſequatur, quotidiana docet experientia. Quid hoc aliud eſt, quam quod modo diximus: Mentietur opus oliuæ? Poſterioris oliuæ exemplum eſt Phariſæus ille Lucæ 18. cap. qui multos fructus edebat diuerſorum bonorum operum: ieiunabat ſæpe, decimas ſuas perſoluebat exacte, iuxta Legis præſcriptum; non erat adulter, non raptor, nec alijs multis vitijs inquinatus. Sed quid hæc omnia illi proderant? Ad vocem loquelæ grandis exarſit in illo ignis ſuperbiæ & vanæ gloriæ, qui omnes illos eius bonorum operum fructus exuſſit, atque inutiles reddidit. Quam multis noſtrum etiam aliquid tale ſæpe contingat, non eſt opus commemorare. Certè notum eſt, multos multa ſua bona opera perdere, vigilias ſuas, abſtinentiam, laborem, ieiunium, caſtitatem, eleemoſynam, orationem & ſimilia, quòd hæc omnia vel ex inani gloria præcipue faciant, quæ omnia bona
Hebr. 6. opera noſtra peruertit, vel ex ſimili aliqua praua intentione. De vobis autem, chariſſimi, meliora confido & viciniora ſaluti, vt Pauli Apoſtoli verbis vtar.

Sicut autem ſunt duplicis generis oleæ, vt nunc audiſtis, bonæ & malæ; ita eſt & bonum & malum oleum. loquimur autem hic de rebus ſpiritualibus per corporalia declaratis. De vno oleo loquitur Pſal. 44 Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, præ conſortibus tuis. item Pſal. 88 Oleo ſancto meo vnxi eum. hoc eſt oleum miſericordiæ & clementiæ, quæ Reges præcipuè decet & Sacerdotes; qui in veteri Lege vngebantur. De malo oleo loquitur Pſal. 140. Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. hoc eſt maledictum illud oleum adulationis, ſimulationis, hypocriſis. quod longe abſit ab vnoquoque noſtrûm. Ex prędictis iam etiam conſtat, quales ſunt fructus bonarum olearum in mundo; pingues nimirum, ſuaues, & ad varios bonos vſus accommodi; tales eſſe fructus, hoc eſt, actiones, mores, vitam, atque opera iuſtorum in Eccleſia Dei: & quales effectus oleum operatur in corpore; tales planè gratiam Dei operari in animabus noſtris. Oleum illuminat, ſanat, mitigat, nutrit, penetrat, venena etiam ſæpè ac noxia quæque ex corpore noſtro expellit. Hæc omnia ſpiritualiter in nobis facit gratia Dei, per meritum Chriſti. Cum igitur Sacramenta omnia inſtituta à Chriſto & relicta nobis ſint, propriè tamquam vaſa atque inſtrumenta, per quæ gratiam ſuam multipliciter in nos effundat: liquet hinc etiam, quàm rectè & ſapienter omnia propemodum in oleo inſtituerit. per hæc enim & ſanatur anima noſtra, & illuminatur, & nutritur, & confortatur, & exhilaratur, & totius gratiæ ac fauoris Dei particeps redditur. Precor Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, vt hæc omnia in vobis abundanter Diuina eius Sacramenta operentur. Amen.

EXHORTATIO *Quarta, qua ſequens Prophetæ ſententia ac viſio myſterijs miniſterijsq; Eccleſiæ applicatur*: ISTI SVNT DVO FILII OLEI SPLENDORIS, QVI ASSISTVNT DOMINATORI VNIVERSAE TERRAE. *Zachar. 4. cap.*

OMNIA noui Teſtamenti myſteria, quæ ad Chriſtum & Eccleſiam pertinent, viſa & intellecta fuiſſe & cognita à Prophetis, longo antè tempore in veteri Teſtamento ab iiſdem prædicta & ſcripta, ad teſtificationem veritatis, atque ad æternam memoriam, nemo Chriſtianorum ambigere poteſt, qui aliquid intelligit in religione Chriſtiana atque in ſacris Literis. De hac autem materia, quam hic propriè tractamus, eſt locus admodum egregius ac memora-

morabilis Zachariæ 4.cap. Quem propterea vobis nunc breuiter, ad communem inſtructionem, explicare conſtitui. Scio & aliter poſſe intelligi Scripturam iſtam, quàm quomodo nunc illam interpretabimur: & primum fortaſſis ac litteralem ſenſum eſſe alium, ac de alijs perſonis & rebus agere. Sed & quam modò interpretationem dabimus, bonam, iucundam, apertam, textui ipſi ac verbis Scripturæ conformem, plenamque ædificationis & ſalutaris doctrinæ eſſe, ipſi mecum omnes (non dubito) confitebimini, vbi illam audieritis. Et notum eſt omnia illi populo in figura contigiſſe, vt Paulus clariſſimè docet varijs locis: præcipuè autem 1. Corinth. 10 Galat. 4. Hebr. 7. 8. 9. 10. Reges illorum, Principes, Sacerdotes, Prophetæ, alias ſignificabant perſonas tempore noui Teſtamenti: præcipue autem omnes perſonam Chriſti Saluatoris noſtri, qui ſimul & Rex, & Sacerdos eſt, & Propheta. Templum illorum aliud templum, ſacrificia illorum alia deſignabant ſacrificia. Et quidquid in templo illo fiebat, ad inſtructionem & ſanctificationem populi, alias res præfigurabat longe maioris dignitatis, quas inſtructurus erat Deus & facturus ad ſanctificationem noui populi ſui toto orbe terrarum, poſt aduentum Chriſti.

Videamus igitur, quid viderit & prædixerit Zacharias Propheta, ad propoſitum noſtrum, atque ad rem præſentem, ſi non litteraliter, certe myſtice & ſpiritualiter. Reuerſus eſt, inquit, Angelus, qui loquebatur in me, hoc eſt, qui Diuinam voluntatem & multas res futuras mihi iuſſu Dei reuelabat: & ſuſcitauit me quaſi virum, qui ſuſcitatur à ſomno ſuo. Ad eum modum Angelus Prophetis loquebatur, tamquam aliam illis quamdam mentem, alios ſenſus donando, quum aliquid illis Dei iuſſu reuelare volebat. ſicut accidit nobis vbi à ſomno expergiſcimur: induimus quodammodò mentem & naturam aliam. Et dixit, inquit, ad me: Quid tu vides? & dixi: Vidi, & ecce candelabrum aureum totum; hoc eſt, omni ex parte ex ſolido & puro auro confectum; & lampas eius ſuper caput ipſius. Et ſeptem lucernæ eius ſuper illud, & ſeptem infuſoria lucernis, quæ erant ſuper caput eius, & duæ oliuæ ſuper illud, vna à dextris lampadis, & vna à ſiniſtris. Hæc eſt viſio Prophetæ oſtenſa. Quid vobis videtur chariſſimi? Num intelligitis quid ſibi velit? Non mirum eſt vos non intelligere. Neque ipſe Propheta Zacharias intellexit quum videret, niſi Angelus illi fuiſſet interpretatus. Et tametſi Angelus illi declarauerit quid ſignificent omnia, tamen ipſa etiam Angeli declaratio tam eſt obſcura, nobis ſaltem nunc temporis, vt ægrè intelligere queamus, quid voluerit. Tamen, quod nos nunc dicimus; & huic Scripturæ conforme erit, & alijs multis, vt audietis.

Vidit igitur in primis Propheta candelabrum aureum. Candelabrum deſignat Eccleſiam & ſocietatem Sanctorum, vt clariſſime explicatur Apocal. 2. cap. vbi vidit Ioannes Chriſtum ambulantem in medio candelabrorum aureorum; hoc eſt, vt Angelus ibi Ioanni interpretatur, in medio Eccleſiarum. Ratio autem huius ſignificationis eſt, quia ſicut candelabrum continet & portat lumen, ſeu candelam; ſic Eccleſia portat atque in ſe continet Chriſtum, qui verum eſt lumen animarum noſtrarum, & lux mundi totius. Candelabrum non quæritur propter ſe, ſed propter aliud melius, nempe cauſa lucis aut candelæ, qua carere non poſſumus. Sic Eccleſia non eſt facta, non viuit etiam, aut regitur, vel conſeruatur, propter ipſam: ſed refertur, ac pertinet tota, & quidquid habet, ad gloriam Dei, & propter ſolum Dei honorem facta eſt. Sed quomodo quadrat quòd Eccleſia Chriſtum portat, tamquam candelabrum lucernam? An non potiùs Eccleſia portatur & regitur & conſeruatur à Chriſto: Maximè. Sed ipſe quoque nihilominùs portatur ab Eccleſia, non indigentiæ cauſa, quòd opera vel auxilio Eccleſiæ indigeat; ſed honoris potiùs. ſicut reges quidam magni honoris gratia humeris ſubditorum ſuorum portantur. Nec ſemper etiam in alijs rebus quod aliquid portat aut ſuſtentat dignius eſt eo quod portatur. Baculus ſenem hominem aut imbecillem portat. item equus & currus & nauis & ſimilia hominem portant, non tamquam res homine digniores, ſed tamquam inſtrumenta quibus vtitur homo, ad alias actiones digniores, quæ à mente hominis & ratione proficiſcuntur.

Iam non ſine cauſa dicit Propheta, candelabrum quod vidit totum fuiſſe ex auro puriſſimo. Atque ad ſimilem etiam modum deſcribuntur candelabra illa in Apocalypſi Ioannis, quæ Eccleſias aut ſocietates fidelium denotant, nempe aurea. Tota enim Eccleſia Chriſti, ſeu multitudo electorum, auro conſtat: nec aliud eſt quàm purum aurum. Sic enim illam deſcribit etiam diſertis verbis idem Apoſtolus Ioannes Apocalyp. 21. Et

 meritò

meritò Eccleſia Chriſti aurea dicitur, quia omni parte ſui eſt pretioſiſſima, præcipuè autem, quia fide, ſpe, & charitate prædita: quæ gemmæ ſunt inter alias nullo pretio æſtimabiles, nullique auro comparabiles. Quod autem propriè ad naturam auri pertinet, omnes eius nobiles, bonæ, ac laudabiles conditiones, ſunt longè perfectiùs ſpiritualiter in Eccleſia Chriſti & membris eius. Aurum eſt in primis ardentis naturæ: talis eſt Eccleſia per charitatem. Aurum fulget: ſic fulget Eccleſia per ſapientiam & notitiam ſanctarum Scripturarum; itemque per bonam vitæ ac laudabilem conuerſationem, vt docet Chriſtus Matth. 5. Aurum ſolidum eſt, non leue aut cauernoſum: talis eſt Eccleſia per conſtantiam & patientiam. Aurum puriſſimum eſt, nec læditur ab igne, ſed purgatur: Eccleſia ſumma omnis generis caſtitate prædita eſt, nec vllis perſecutionibus læditur, ſed purgatur potiùs & ſulgentior ac melior redditur. Taceo hic, quòd Eccleſia ſit inſtar candelabri, per iugem in pietate perſeuerantiam, longa; per firmam in Deum ſpem, ſurſum ſemper erecta. de candelabro enim aureo iam ſatis; veniamus ad alia. In ſummitate candelabri videbat Propheta ardentem lampadem. Hæc lampas ſine dubio Chriſtum Dominum noſtrum ſignificat: qui eſt caput Eccleſiæ, & totam illam illuminat atque ex-
Ioan. 8. ornat. Sicut de ſeipſo teſtatur: Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Item Ioannis 1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Vidit ſuper candelabrum ſeptem lucernas, ſeu luminaria, paruas lampades, ex brachijs ſeu ramis candelabri dependentes. Per ſeptem hæc luminaria (vt Angelus poſtmodum Prophetæ declarat) oculi Domini deſignantur, qui diſcurrunt in vniuerſam terram: hoc eſt, ſeptem dona Spiritus ſancti, in electos toto terrarum orbe diffuſa. ſeu potiùs membra Eccleſiæ varia, ſeptiformi ſeu multiplici gratia Spiritus ſancti plena. Sic ferè etiam Ioannes Apocalyp. 1. cap. ſeptem ſpiritus vocat, qui in conſpectu throni Dei ſunt. Quo nomine intelligit Spiritum ſanctum; qui ſeptiformis (vt eſt Iſaiæ 11. cap.) eſt in donis ſuis.

Vidit ſeptem infuſoria candelabro affixa, vt lucernæ ſingulæ ſuum habuerint infuſorium, quo oleum in illa infundebatur, quando opus erat, ne lychni exareſcerent, lumenque deficeret. Quid ſunt hæc infuſoria? Iam propiùs venimus ad præſentem materiam. Significant enim infuſoria hæc, ſeptem Sacramenta noui Teſtamenti, quæ ſunt tamquam vaſa gratiæ Dei, ex quibus oleum in lucernas candelabri infunditur, ne areſcant. Hoc eſt, per quæ membra Eccleſiæ omnia gratiam Spiritus ſancti accipiunt, ne penitus alioqui areſcant & extinguantur. Quomodo poſſet aliqoid dici conuenientius? aut quomodo Propheta ſanctus meliùs aut clariùs naturam & operationem ſeptem Sacramentorum noſtrorum exprimere potuiſſet, quàm appellando illa infuſoria olei; ſeu vaſcula parata ſemper, vt per illa oleum in lampades candelabri infundatur? Quàm aptè enim gratia Spiritus ſancti oleo comparetur, frequenter audiſtis: nec ſemper eadem repetenda ſunt. Et hæc etiam eſt ratio, quamobrem Deus Sacramenta pænè omnia in oleo inſtituerit, vt ſimiliter audiſtis ſæpè. Dicit autem Propheta hæc infuſoria aurea eſſe, ſicut erant omnia propemodum, quæ ad cultum Dei & miniſterium templi pertinebant. Quia Sacramenta noſtra, etſi ex materia conſtent non admodum pretioſa, nempe alia in aqua, vnum in vino, plurima in oleo; tamen aurea & pretioſiſſima dona continent: gratiam nimirum Spiritus ſancti: & homines ijs dignè vtentes totos aureos faciunt, vt iam oſtendimus. Dicit deinde Propheta hæc infuſoria ſuſpenſa fuiſſe ad candelabrum in aureis roſtris ſiue vncis. Quod ſignificat, Sacramenta hæc poſita eſſe in manibus, ac poteſtate Rectorum & miniſtrorum Eccleſiæ, qui illa cõficiunt, tractant, & miniſtrant Fidelibus. Hæc pura ac nobilia infuſoria, ſancta nimirũ ac ſalutaria Sacramenta, & ſignificant gratiam Dei exteriori materia atque vſu ſuo, & continent illam in ſeſe tamquam verum, medicinale, nutritiuum, mitigatiuum oleum; & dignè ſuſcipientibus etiam cõferunt, planeque efficiunt ipſo vſu atque opere (vt vere Eccleſia loquitur) quod ſignificant. Hæc ſunt Sacramenta illa, chariſſimi, hæc neceſſaria illa infuſoria, hæc puriſſima & ſancta olei ſpiritalis vaſcula, quæ vobis hîc ex more & inſtitutione Eccleſiæ, imò ex Chriſti ipſius voluntate præparamus. Quòd ſi oleum in nobis gratiæ Dei habere volumus, ſi nolumus lumen gratiæ & beneficiorum eius in nobis extingui, & fluxum beneuolentiæ eius in nos exareſcere; ex his ſolis infuſoriis & ſacratis vaſculis, hoc eſt, ex his Sacramentis, hauriamus & accipiamus oportet. Hæc enim ſola ad omnem noſtram ſpiritualem neceſſitatem extinguendam, ad illuminationem, ad nutritionem, ad confortationem, ad ſanationem, & recreationem animarum noſtrarum, inſtituit. Qui hæc vel contemnit,

vel

vel negligit, fruſtrà aliunde opem aut remedium aliquod ſalutis expectat.

Sed eſt hic & aliud quiddam quinto loco in viſione Prophetæ noſtri, minimè nobis prætereundum, quando hic præcipue de ſacro oleo agimus. Videbat ſanctus Propheta duas oliuas ad dextram & ſiniſtrã candelabri, vt audiſtis. Hoc nobis vtile admodum eſt intelligere quid ſignificet. Nam & Propheta ipſe vehementer illud intelligere cupiebat; & rogabat Angelum magno mentis ac deuotionis ardore, dicens; Quid ſunt duæ oliuæ iſtæ ad dextram candelabri, & ad ſiniſtram eius? Angelus autem nonnihil Prophetam reprehendit, quod myſterium huius rei non intelligat. Numquid, inquit, neſcis quid ſunt hæc? Et reſpondit Propheta; Non, domine mi. Sic modeſtè reprehendit Angelus hoc loco Zachariam, ſicut Chriſtus interdum in ſimilibus ſuos reprehendit Apoſtolos, quum enim illum nonnumquam in ſimilia interrogarent; Adhuc, inquit, & vos ſine intellectu eſtis. Quibus verbis & Chriſtus Dominus, & Angelus hoc in loco, tum illos quibus loquebantur, tum nos omnes ſerio admonent, vt diligentem operam demus, totamque mentem noſtram grauiter accommodemus, ad intelligenda ſalutis noſtræ myſteria, ſemperque in ſacra doctrina atque in ſacræ Scripturæ intelligentia proficere ſtudeamus.

Sed nunc audiamus, quid dicat Angelus, & quomodo interpretetur duas iſtas oliuas, quas Propheta viderat iuxta aureũ candelabrum. Iſti ſunt, inquit, duo filii olei ſplendoris, qui aſſiſtunt dominatori vniuerſæ terræ. Doctores Eccleſiæ varij hanc Angeli interpretationem variis modis exponunt. Nonnulli enim per duos iſtos filios olei, ſeu ſplendoris, aut olei ſplendentis, Ieſum filium Ioſedech ſummum Sacerdotem, & Zorobabel ſummum ducem populi, tempore Zachariæ Prophetæ, intelligunt; quorum piâ & ſedulâ operâ templum Dei euerſum erigebatur, totuſque populus continebatur in timore & cultu Dei. Alij Moyſen & Eliam interpretantur, qui vnà cum Domino vniuerſæ terræ in ſua transfiguratione apparuerunt, illique in maieſtate aſtiterunt, vt Lucas Euangeliſta teſtatur. Alij Enoch potiùs & Eliam accipiunt; qui cum Deo alicubi & apud Deum viuere adhuc in corpore exiſtimantur. Nonnulli primarios duos Apoſtolos Petrũ & Paulum hic notari arbitrantur. Eccleſia in diuino Officio accõmodat hanc Scripturã duobus præclariſſimis fratribus Ioanni & Paulo, qui ſub Iuliano Imperatore pro fide & religione Chriſti illuſtre martyrium ſubierunt. Sunt qui per duos hoſce filios olei ſplendoris duos ordines prędicatorum veteris ſcilicet ac noui Teſtamenti intelligunt: vt noui Teſtamenti prædicatores a dextris, quia promiſſa ſpiritalia & cæleſtia afferebant; veteris autem à ſiniſtris quod temporalia ac terrena nuntiarent, aſtiterint. Sunt qui vniuerſos electos ac fideles per duas oliuas intelligant, veteris ſcilicet ac noui Teſtamenti. Sed omnes iſtæ interpretationes aliquid habent incommodi: nam omnes iſti vel ad candelabrum ipſum pertinent, ſecundum myſterium, vel ad lucernas eius, vt iam oſtendimus. Per duas autẽ oleas iſtas, quæ ſunt à dextris & ſiniſtris candelabri, aliquid aliud ſignificari videtur. Ad litteram enim ideò illic erant oliuæ illæ ad dextram & ad ſiniſtram candelabri, ne vmquam deficeret oleum ad cultum Dei. Oliuæ enim illæ ſemper virentes & fructificantes nouas ſemper oliuas præbebant ad oleum exprimendum, quo infuſoria replerentur, atque ex infuſorijs infunderetur in lampades candelabri. Breuiter igitur, ſaluis aliorum Catholicorum expoſitionibus & ſententijs, quas omnes libenter ac reuerenter ſuſcipimus; per duas illas oleas intelligo verbum Dei. Primum, quia omnes cõditiones & proprietates, ac tota natura oleæ, ſeu fructus eius, nulli rei magis aptiuſque conueniunt, quàm verbo Dei. Sicut enim oleum ſplendet, lenit, ſanat, illuminat, paſcit, nutrit, exhilarat, &c. ſic hæc omnia ſpiritualiter facit verbum Dei. Cur autem verbum Dei duabus oliuis comparetur, ratio eſt, loquendo de verbo Dei in veteri Teſtamento, quia in duobus hominibus reuelabatur: per Legem nimirum, & per Prophetas. in illis enim duobus tota Scriptura veteris Teſtamenti continetur: vt frequenter eadem Scriptura declarat. Si nunc temporis comparare vellemus verbum Dei duabus oliuis, accommodaremus illud Scripturæ veteris ac noui Teſtamenti Quòd verò dicuntur oliuę illę aſſiſtere Dominatori vniuerſæ terræ ſignificat, verbum Dei ſemper tamquam paratum ſtare in conſpectu eius, ad perficiendum imperium voluntatis eius in vniuerſa terra. Sic Iſaiæ 55. dicitur mitti quocumque Deus voluerit, tamquam videlicet miniſter promtiſſimus voluntatis eius. & Sapientiæ 18. dicitur verbum eius veniſſe à regalibus Dei ſedibus, quibus ſemper aſſiſtit, ſuper Ægyptios; qua nocte Deus primogenita illorum occidebat.

Iam verò, quod ad propoſitum noſtrum attinet; ſicut oliuæ illæ duæ ad hoc erant (vt diximus iuxta ſenſum litteralem, ne vnquam deeſſet oleum infuſorijs, ad nutriendum

lumen candelabri & lampadarum eius, ad cultum Dei; ſic noſtra omnia Sacramenta in nouo Teſtamento, vnde habent perpetuam illã virtutem illuminandi, paſcendi, conſolandi, ſanandi, confirmandi, viuificandi, ſanctificandi nos, niſi à verbo Dei quod in lege & Prophetis, ſeu nunc potiùs in Scripturis veteris & noui Teſtamenti exprimitur? De Baptiſmo loquens Petrus Apoſtolus, 1. Epiſtolę cap. 1. Renati, inquit, non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili, per verbum Dei viui, & permanentis in æternum. Eademque eſt ratio de Confirmatione, & de alijs omnibus Sacramentis ex quacumque materia conſecrentur. Ex quibus omnibus luce meridiana clarius euadit, rectiſſimè ſententiam illam Prophetæ ac viſionem quam tractandam ſuſcepimus, ſacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis ac Verbo Dei, eiuſque miniſterijs, applicari: nobiſque ſummo iure, pro tantis erga nos Dei beneficijs, gratulandum.

EXHORTATIO *Quinta, in qua ſuper Apoſtoli ſequenti ſententia, vocationis Gentium gratia & felicitas explicatur:*

EX NATVRALI EXCISVS ES OLEASTRO, ET CONTRA NATVRAM INSERTVS IN BONAM OLIVAM, ET SOCIVS RADICIS ET PINGVEDINIS OLIVÆ FACTVS ES. *Rom. 11.*

DIVVS Paulus Apoſtolus qui mirabiliter & profundiſſimè inſtructus fuit, prę ceteris etiã ſorte Apoſtolis omnibus, in myſterijs religionis Chriſtianę, & verè à Chriſto vas electionis factus, quum docere cupit Rom. 11. capite quemadmodum gentiles vbique locorum ex Idololatria conuerſi ſint ad cultum & agnitionem Dei, & participes effecti gratiæ Chriſti; pulcherrima ſimilitudine ex agricultura deſumta, rem illam declarat. Dicit, nos omnes qui ex gentibus & infidelibus originem duximus, fuiſſe tamquam arbores infrugiferas & agreſtes; quæ vt primùm ex terra vel ex ſemine ſuo naſcuntur, ſi quos fructus proferunt, non ſunt niſi fructus amari, inſuaues, agreſtes, inſipidi. Quòd ſi quis bonos, ſuaues, ſalubres, & delicatos fructus deſideret; tales fructus non primum naſcuntur ex natura arborum, ſed per inſitionem tantùm habentur. Nimirum ſumuntur ſurculi bonæ & frugiferæ arboris, & in aliam arborem inſeruntur, per quam inſitionem natura arboris prioris veluti tota mutatur, & pro malis, ſilueſtribus, atque inſipidis fructibus, quos antè ex ſeipſa producere tantùm poterat, nunc optimos & ſuauiſſimos fructus profert: quales nimirum fructus ſunt illius bonæ arboris, cuius ſurculum in ſe artificio humano inſertum accepit. Potuiſſet autem Apoſtolus ad eam rem adhibere exemplum malorum aut pyrorum noſtrarum, vel ſimilium; de omnibus enim ferè eadem eſt ratio: ſed vſus fuit exemplo ſibi vel Iudæis ipſis notiſſimo, ex quibus ducebat originem, nempe oleæ. Quàm hoc exemplum præ ceteris optimè conuenit propoſito noſtro, ac rei illi, quam vobis nunc decreui explanare! Dicit Apoſtolus, & rectè admodum, nos omnes, qui ex gentibus originem duximus, naturaliter eſſe non veras & bonas oleas, quę bonos & ſuaues fructus proferunt; ſed malos & agreſtes oleaſtros, malos, inſipidos, amaros fructus proferẽtes. Quales fructus omnes ferimus ex natura noſtra ſine gratia Chriſti? peccati nimirũ, & mortis, vt idem docet Apoſtolus Rom. 6. & 7. & eſt omnibus manifeſtum. Quid amarius morte? Nihil certè, niſi forte peccatum ipſum, quod eſt cauſa mortis. Tales igitur, & tam mali & amari, ſunt fructus noſtri ex origine & natura noſtra, antequam in Chriſto & per Chriſtum renati ſumus. Vt autem bonos & ſuaues & delectabiles fructus feramus, fructus iuſtitiæ, ſanctificationis, ſalutis, & vitæ æternæ; neceſſe eſt, vt in Chriſtum & Eccleſiam eius noua quodammodò natiuitate inſeramur. Sic propriam noſtram malam & vitioſam naturam mutamus atque exuimus; & nouam naturam, bonam, ſuauem & ſalutarem induimus: illiuſque arboris naturæ ſimiles efficimur, in quam inſerimur, ſanctæ nimirum Eccleſiæ; quæ arbor eſt magna admodum & ſancta, extendens ramos ſuos per totum orbem terrarum. Cuius radix eſt Chriſtus Dominus: qui & portat totam arborem, & totam ſimiliter frugiferam facit; omneſque ramos & fructus eius, ſanctos & bonos & ſuaues reddit.

Chriſtus ergo, ſiue Eccleſia eius ſancta, eſt bona, fructifera, ſuauis olea, fructus ſemper optimos & ſuauiſſimos proferens. Quicumque illi oleæ inſertus non eſt, non bonas ac ſuaues oliuas, non bonum itidē dulce aut purū oleum profert; hoc eſt, non eſt vera olea, ſed agreſtis atque ignobilis oleaſter, amaras tantum atque inſipidas baccas proferens; ex quibus itidem non niſi amarus, impurus prorſuſque ignobilis liquor & ſuccus exprimi poteſt. At ſimulatque in Chriſtum & Eccleſiam eius inſerimur; mutata repentè ſilueſtri atque amara, miſera & macilenta natura noſtra, in Chriſti & membrorum (eius quæ nutrit & viuificat, quæq; tamquam radix totius arboris portat ac ſuſtentat) bonā, frugiferam, ſuauiſſimā, & nobiliſſimā naturam conuertimur. Vt autem intelligamus qua in re bonitas & laus naturæ illius noſtræ alterius ſita ſit, quam à Chriſto recipimus; addit Apoſtolus aliud quiddam, dicens, quod per regenerationem iſtam, ſiue inſertionem in Chriſtum, ſocij efficimur pinguedinis eius. Perſtat in ſimilitudine oleæ, cuius præcipua laus eſt, quòd & pinguis arbor ſit ex natura ſua, & pinguem fructum ac liquorem (oleum nimirum) pinguiſſimum proferat. Pinguedo in omni re propemodum commendatur: ſicut contra macies fere in vitio ponitur. Quod pingue eſt, id bene ſe habet vt plurimùm, hilaris ac lætæ naturæ eſt: ſicut è diuerſo macilenti fere triſtes ſunt, male diſpoſiti, ægroti, melancholici. Nemo amat macras carnes, ex illis nec quidquam vtilitatis prouenit in culina, nec aliquid boni nutrimenti aut voluptatis in humano corpore: pingues potiùs carnes, pingues oues & boues, omnes quærimus & amamus. Sic terra macra & ſicca nullos bonos fructus profert. quæ autem vel natura pinguis eſt, aut arte humana talis effecta, optimos illa & plurimos fructus reddit. Hinc Chriſtus Dominus non macilentis aut aridis, ſed diuerſis rebus pinguibus in ſacris litteris frequenter comparatur. Pinguis eſt panis Chriſti, & propterea præbebit delicias regibus: vt canimus in officio de Venerabili Sacramento. Sic Lucæ 15. vitulo Chriſtus comparatur; ſed pingui, & benè ſaginato. Simili ratione, quoniā oleum res eſt pretioſa & variis modis vtilis, propter pinguedinem ſuam, idcircò Chriſtus ab Apoſtolo hìc oleæ arbori comparatur; & ab Dauide Propheta Pſal. 44. oleo vndique perfuſus eſſe dicitur.

Sed quamobrem Chriſtus Dominus pinguis dicitur, aut quanam in re pinguedo eius ſita eſt? Vt id dilucidè intelligamus, quemadmodum quoque nos pinguedinis ſuæ participes faciat, ſicut hìc Apoſtolum dicentem audimus: hæc res in primis ſcitu digna eſt; ac nunc propriè hoc declarare conuenit, quum hæc ſacra olea confecramus. Rebus pinguibus nutrimur & ſatiamur, vt diximus, & omnes nouiſtis. At quis eſt, qui ſolus nos ſatiare poteſt in corpore & in anima noſtra, vt nihil ampliùs deſiderare queamus? nónne Chriſtus Dominus noſter? Nihil perfectè nos nutrit, nihil planè ſatiat deſiderium noſtrum, niſi ſola ſempiterna & ſumma Diuinitas. In illo autem inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis, vt Apoſtolus ait, & firma omnes fide credimus. Hinc clariſſimè etiam dicere audet de ſeipſo: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Hæc eſt ſumma Chriſti pinguedo, pinguedo ſcilicet Diuinitatis ſuæ, qua omnes nutrit, omnes ſuſtentat, omnes viuificat, omnes exhilarat, omnes confirmat, omnes reficit, exſatiat, & exaltat: hìc quidem ex parte, alios magis, alios minus; in futura autem vita perfectè. Huc pertinet, quod dicit Ioan. 11. Ego ſum reſurrectio & vita. Hęc enim omnia conditiones ſunt atque effectus pinguedinis eius.

Coloſſ. 2. *Matth. 11.*

Deinde ſpiritualem pinguedinem præcipuè ac propriè intelligimus ſapientiam, proptereà nimirum quia oleum & pinguedo omnis lucida eſt, & multum affinitatis cum igne habet. vera autem omnis lux animæ noſtrę eſt vera ſapientia. Hinc etiam D. Auguſtinus in Pſal. 62. Eſt quædam, inquit, ſaturitas pinguis ſapientiæ. Sapientia enim illa animæ quæ carent, marceſcunt, & omnino ita exiles fiunt, vt in omnibus bonis operibus citò deficiant: quia non habent pinguedinem ſaturitatis ſuæ. Sicut enim corpus per conuenientem pinguedinem (vt ante diximus) & omnes nouiſtis, bene ſe habet, ſanum eſt, nitidum, lætum, agile, decorum, perfectum: ſic animam noſtram nulla res pulchriorem, ſuauiorem, meliùs contentam, quietam ac diſpoſitam facit, quàm vera ſapientia; qua Deum eiuſque voluntatem cognoſcit, & per Diuinam huiuſmodi lucem, qua illuſtratur, ex humanis etiam & creatis rebus, omnia cognitu neceſſaria. Sicut anima noſtra veritatem ſemper quærit, & nihil æque vt veritatem, imo nihil propriè aliud quàm veritatem, quo plus veritatis cognoſcit, hoc eſt, quo ſapientior fit, quòque propiùs ad cognitionem ſummæ veritatis accedit, hoc magis ſemper in ſeipſa pingueſcit. At in Chriſto Domino ſunt omnes theſauri ſapientię & ſcientiæ; vt Paulus ait, Coloſſ. 2.

Ipſe

Ipſe eſt veritas ipſa, vt dicit Ioannis 14. ipſe eſt ſumma Dei Patris Sapientia. Quanta eſt igitur in illo ſpiritualis pinguedo!

Nomine ſpiritualis pinguedinis intelligere poſſumus omnem gratiam Dei, omnem conſolationem & ſuauitatem, omnem internam animæ pulchritudinem, per quam & viuit, & alitur, & reficitur, & ſplendet, & roboratur, & gaudet, & ſatiatur, ac delectatur anima noſtra, vt corpus decenti pinguedine corporali. Si ita res habet, Chriſtus Dominus plenus eſt gratiæ, vt eſt Ioannis 1. cap. in eo eſt fons bonorum omnium, totiuſque pulchritudinis, ſuauitatis, perfectionis. Et hoc proprie ſignificare videtur Pſalmus ille 44. quem paulò antè meminimus, in quo dicitur Chriſtus vnctus oleo lætitiæ, & gratiæ Spiritus ſancti, præ omnibus hominibus; hoc eſt (vt alibi dicitur) quod dedit illi Deus Spiritum non ad menſuram. Vnuſquiſque noſtrûm, ſuam habet gratiæ Dei (ceu olei ſpiritalis) menſuram; alius maiorem, alius minorem: at Chriſtus homo, in tanta abundantia Spiritum ſanctum accepit, vt nulla ſit in eo menſura gratiæ; vt copia menſuram omnem excedat.

Intelligitis nunc, chariſſimi, qua in re ſita ſit pinguedo Chriſti? Cur panis eius pinguis dicatur, quem edendum dat Fidelibus & commembris ſuis? Denique quamobrem nunc vitulo pingui & ſaginato, nunc oleæ arbori, aut pinguiſſimo oleo comparetur? Si hoc intelligitis; (vt non addubitò) iam ſimul facilè intelligitis quomodo nos pinguedinis ſuæ participes faciat: vt Apoſtolus docet in loco iſto quem tractamus. Tum enim nos participes & conſortes reddit ſanctæ ſuæ & ſpiritalis pinguedinis, quando nobis impertit ſapientiam ſuam, vt cognoſcamus illum, & voluntatem eius, & quæ a Deo donata ſunt nobis. Item, quando alijs multis gratijs ſpiritualis conſolationis & dulcedinis replet animam noſtram. Iterùm, quando nos paſcit ac nutrit in pietate, creſcere & perficere facit in Spiritu & virtute. De huiuſmodi pinguedine, qua in anima noſtra pingueſcimus, ſcriptum eſt clariſſimè in Pſal. 62. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, &c. Poſtremò, ad ſummam & perfectam vſque ſatietatem nos Chriſtus participes efficit totius pinguedinis ſuæ, dum in futura vita ſeipſum nobis oſtendet, qualis eſt, atque ad communionem æternæ ſuæ Diuinitatis aſſumet. Tum ſic pingues erimus omnibus modis iuxta animam & corpus noſtrum; vt pinguedinem illam vmquam amittere & macteſcere ampliùs nequeamus. Id quod hic numquam nobis contingit, ad quamcumque ſpiritalem pinguedinem & perfectionem deueniamus. Semper enim hic locum habet illud Apoſtoli, hoc eodem loco, quem nunc explanamus: Qui ſtat, videat ne cadat. Si inſertus, inquit, es in bonam oliuam, & particeps effectus gratiæ & pinguedinis Chriſti, caue ne vel propter ſuperbiam tuam, vel ingratitudinem, vel negligentiam, vel alia aliqua occaſione, excidaris.

Quòd ſi quis veſtrûm nunc fortè quærat, quoniam neceſſe eſt, ſi fructum aliquem bonum ferre volumus ad ſalutem noſtram, vt Chriſto inſeramur; quando igitur aut quonam modo hæc fiat inſitio: facilis eſt reſponſio; inſitionem hanc fieri per Eccleſiaſtica Sacramenta. Per hæc enim verè coniungimur atque vnimur Chriſto, per hæc gratia eius omnis & ſpiritualis pinguedo in nos defluit, tamquam per vaſa & inſtrumenta; per hæc omnis ſuæ ſanctæ benedictionis & conſolationis nos participes facit. diuerſis quidem modis, per alia atque alia Sacramenta: ſed omnia tamen & ſingula ſuo modo, & pro varia neceſſitate egeſtatis ac ſpiritalis ægritudinis noſtræ, gratiam Dei nobis communicant. Primò autem omnium hæc inſitio ſpiritualis fit in Baptiſmo, quod Sacramentum prima ianua eſt gratiæ Chriſti, per quod primùm ad conſortium meritorum & pinguedinis eius admittimur, & membrum efficimur eius, & corporis eius myſtici, quod eſt Eccleſia; & quæ per magnam illam, ſanctã, & pinguem oliuam ſignificatur, de qua nunc egimus, cuius Dominus noſter IESVS radix & fundamentum exiſtit.

Iam poteſtis igitur etiam intelligere, quoniam niſi Chriſto, qui vera eſt olea, inſeramur, fructum vitæ aut ſalutis ferre nullum poſſumus; deinde, Chriſto atque Eccleſiæ eius, iuxta inſtitutionem & voluntatem ipſius, per Sacramenta inſerimur, vt pinguedinis & gratiæ eius participes efficiamur, ſicut nunc declarauimus: quàm rectè & ſapienter pleraque omnia Sacramenta Eccleſiæ, iuxta eiuſdem Chriſti inſtitutionem, in oleo atque ex oleo conficiantur. Principio enim Baptiſmus ipſe, primum omnium Sacramentum, ritu debito non ſine oleo adminiſtratur, quo infans linitur in vertice & inter ſcapulas & quod propterea propriè Catechumenorum oleum appellatur Confirmatio, quod ſecundum

cundum eſt Chriſtianorum Sacramentum, totum in oleo conſtituitur, idque in oleo omnium pretioſiſſimo, Chriſmate ſcilicet, quod ex balſamo conficitur. Vltimum Chriſtianorum Sacramentum, quod Extremæ vnctionis vocatur, in oleo quoque confertur. Denique Sacramentum ſacri Ordinis, quo illi conſecrantur, à quibus omnia adminiſtrantur Sacramenta, ſimiliter in oleo. Quid hæc ſignificant omnia? niſi, nos per Eccleſiæ Sacramenta inſeri oleæ illi ſacratiſſimæ & pinguiſſimæ, quæ eſt Chriſtus IESVS, eiuſque pinguedinis & gratiæ ſpiritalis participes reddi, vt nunc explicauimus? Quin etiam fieri indem vnumquemque noſtrûm hac ratione oleam pinguem, ſuauem, fructiferam in domo Dei. Sic enim clariſſime loquitur regius Vates ex perſona omnium Fidelium Pſal. 51. Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei, ſperaui in miſericordia Dei in æternum, & in ſæculum ſæculi. Itemque Pſal. 127. Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. Ita Chriſtus Dominus noſter, ſicut nos pinguedinis ac naturæ ſuæ Diuinæ participes facit; ſic etiam in nominis ſui (quo hęc deſignatur ſpiritalis pinguedo & gratia) communionem admittit. Ipſe verè oliua eſt pinguiſſima & ſuauiſſima, vt audiſtis: & tamen nos quoque omnes oliuas efficit, & nomine illo etiam vocari poſſe permittit. Sed hac de re alias fortaſſe aliquando plura.

Pro exhortationis huius clauſula meminerimus ſemper primæ ignobilitatis, ſterilitatis, vilitatis noſtræ; ne vmquam in ſuperbiam efferamur. Deinde verò, ex quanta conditionis vilitate ac turpitudine in quantam honoris dignitatem & eminentiam euecti ſimus per Chriſtum; vt illi numquam non gratias habeamus. Tertiò operam demus ſedulò omni tempore, omni cura & vigilantia, vt in bonis operibus nos exercentes, in hac tanta gratiæ Diuinæ felicitate ac dignitate maneamus. id quod Petrus Apoſtolus dicit; vt per bona opera certam noſtram vocationem & electionem faciamus. Semperque 1. Pet. 1.
verſentur ante oculos noſtros verba D. Pauli in hoc loco quem præ manibus habemus. Vide, inquit, & conſidera etiam atque etiam bonitatem iuxtà & ſeueritatem Dei: in eos quidem qui exciderunt ex oliua iſthac ſancta, nimirum Iudęos & ſimiles, ſeueritatem & iuſtitiam Dei; in te autem bonitatem Dei & miſericordiam. Si quidem, inquit, permanſeris in bonitate illa & gratia Dei; alioquin, & tu excidêris. Abſit à nobis, chariſſimi, abſit procul, melius nobis fuiſſet numquam participes factos eſſe pinguedinis gratiæ & bonitatis eius, quàm gratiam illam noſtra culpa amiſiſſe, aut abieciſſe potiùs. Quartò, nobis ſemper cogitandum per quid ſeu quibus medijs nos Chriſtus gratiæ ſuæ omnis & benedictionis ſuæ participes fecerit: nimirum per Sacramenta, quæ inſtituit ac reliquit Eccleſiæ ſuæ. vt illa quoque numquam non ſummo in honore ac reuerentia habeamus: magnaque animi deuotione, tamquam certa ſalutis noſtræ inſtrumenta ac remedia, ſuſcipere frequenter ſtudeamus: quod nobis concedat Omnipotens. AMEN.

EXHORTATIO *Sexta; ſuper illis verbis Pſalm.* 44. VNXIT TE DEVS, DEVS TVVS, OLEO LÆTITIÆ PRAE CONSORTIBVS TVIS.

IN veteri Teſtamento omnes perſonæ ſummæ dignitatis, tam Eccleſiaſtici ordinis quàm ſæcularis, & quæ electæ à Deo & conſtitutæ erant ad regendum populum; quum primùm initiabantur officio ſuo, ad illudque exercendum mittebantur, Diuina ordinatione ſacro oleo vngebantur. Reges nimirum omnes, & Sacerdotes: iuxta illud Pſal. 88. Inueni Dauid ſeruum meum: oleo ſancto meo vnxi eum. Vnde etiam Dauid ipſe de Saül Rege licet peſſimo dicebat toties: Abſit vt extẽdam manum meam in chriſtum (id eſt vnctum) Domini. Poſteà autem idem honor datus eſt etiam, Deo volente, Prophetis. Quos Deus extraordinaria & ſpeciali vocatione mittebat ad docendum ac regendum populũ ſuum: vt patet in Eliſæo Propheta, quem Deus vngi voluit in Prophetam per Eliam, vt illi ſuccederet. Hinc illud Pſalmi 104. Nolite tangere chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Vnctio autem illa externa ſignificabat in primis, viros illos intus impleri gratia Dei, & corroborari virtute Spiritus ſancti, ad digne obeundum officium, quo Dei voluntate fungebantur. Vnde etiam frequenter fiebat, vt per vnctionem illam mutarentur quodammodò in alios homines, nouamque mentem, cor nouum, ſpiritum nouum accipe-

acciperent; quo noua, inaudita, ſtupenda opera faciebant: vt de Dauide & Saüle eſt in Sacris hiſtorijs. Pręcipue autem vngebantur iſti omnes, in ſignum venturi Saluatoris mundi ac Redemtoris humani generis: cuius omnes iſti in officio ſuo figuram gerebant, vtpote qui futurus erat ſupremus Rex, Sacerdos ſummus, & Propheta ſeu doctor maximus populi ſui; omniaque hæc ſummæ dignitatis officia ſolus geſturus. ſed longè alio ac ſublimiori modo quam iſti omnes. Et hinc etiam, non alio fere nomine à Prophetis, & à toto populo Iſraël vocabatur, quàm Meſſiæ ſeu Chriſti, quod Latine Vnctum ſignificat; quia nimirum futurus erat Rex, Sacerdos, & Propheta ſummus: qui omnes in veteri Teſtamento (vt nunc diximus) vngebantur. Sed quia longè alius Rex, alius Sacerdos, aliuſque Propheta futurus erat, quam omnes præcedentes; hinc longè etiam alio modo, alioque oleo, quàm illi, vnctus fuit. Vnctus enim fuit, in primis, non ab homine aliquo, ſed ab ipſo Deo, vt mox audiemus. deinde vnctus fuit, non externo aliquo materiali, viſibili, aut corruptibili oleo; ſed omni gratia cæleſti, & virtute inuiſibili Spiritus ſancti. Vultis audire quomodo qualique oleo vnctus fuerit Dominus noſter? Spiritus, inquit, Domini ſuper me; eò quòd vnxerit me: euangelizare pauperibus miſit me; vt mederer contritis corde: vt prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem: vt prædicarem annum Domini placabilem, &c. Ergo vnctus fuit à Spiritu, ad annuntiandum omnibus Euangelium, gratiam Dei, remiſſionem peccatorum, vitam & ſalutem æternam. Hoc clarius explicat D. Petrus Apoſtolus Actuum 10. prædicans primam concionem Gentibus: Vos ſcitis, inquit, quid fecerit IESVS à Nazareth ſuperioribus annis per vniuerſam Iudæam & Galilæam: quomodo vnxit illum Deus Spiritu ſancto & virtute. Hoc idem etiam Ioannes Baptiſta de IESV Chriſto Domino noſtro teſtificatus fuerat, quòd dederat illi Deus ſpiritum non ad menſuram; Ioannis 3. Sed omnium pulcherrimè hac de re loqui videtur Propheta Dauid Pſal. 44. qui Pſalmus totus eſt conſcriptus de officio Chriſti, deque ſancto, felici, magnifico, ac beato regno eius; Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi; virga directionis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Hîc in primis docet Propheta, Chriſtum habiturum naturam duplicem, diuinam ſcilicet & humanam. bis enim illum in his paucis verbis Deum vocat: Sedes tua, ô Deus, inquit, in ſæculum ſæculi. ac mox: Propterea vnxit te Deus, Deus tuus. Quòd verò homo quoque futurus eſſet, duplici etiam ratione in his verbis declarat. Primùm, quia dicit, Deum verum fore Deum eius. Deus verò nullius Deus niſi creaturarum ſuarum. Chriſtus autem ſecundùm humanam naturam ſuam creatura eſt: atque ita Deum agnoſcit pro creatore & ſuperiore ſuo. Sic 1. Cor. 3. dicitur eſſe Dei: & ipſemet, Ioan. 20. Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum; Deum meum & Deum veſtrum. Deinde humanam Chriſti naturam deſcribit Propheta, dicens eum vnctum iri. Diuinitas enim vngi non poteſt; hoc eſt, nihil poteſt accipere quod non habuit in ſeipſa, & quodammodò à ſeipſa, iam inde ab æterno. Si ergo Chriſtus vnctus fuit à Deo; neceſſe eſt, eum hominem & creaturam eſſe.

Luc. 4.
Iſa. 61.

Sed examinemus aliquantò diligentiùs hanc Scripturam de vnctione Chriſti. hîc enim omnia habemus deſcripta, quæ ad hanc rem pertinent. Docet Propheta, à quo vnctus ſit Chriſtus, in quem finem, ſeu quam ad rem, quali oleo vnctus ſit: denique, quo modo, & qua menſura vnctus ſit. Vultis ſcire à quo vnctus ſit Chriſtus? à Deo Patre ſuo. Vnxit te, inquit, ô Deus, Deus tuus. hoc ſatis iam explanauimus. Audite nunc quamobrem vnctus fuerit. Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem; propterea vnxit te Deus. Vnctus ergo fuit Chriſtus à Deo, ac donatus omni plenitudine gratiæ, & virtutis Spiritus ſancti, ad promouendam iuſtitiam, pietatem, veritatem, & quidquid ad honorem & cultum Dei pertinet. item, quod hinc conſequitur, ad abolitionem atque extirpationem omnis iniquitatis, impietatis, ſceleris, & peccati. Et hanc etiam ob cauſam dicit virgam Chriſti, virgam eſſe directionis, ſeu directam: hoc eſt, habere eum ſceptrum rectum: ſiue, eſſe Regem omni ex parte ac perfectiſſimè iuſtum, omnique poteſtate ſua vti ad promouendam iuſtitiam. Ceterorum omnium Regum huius mundi ſceptrum ſæpè curuum eſt: multa frequenter in gratiam illorum quos amant, aut quos verentur, faciunt contra rectitudinem ac dictamen iuſtitiæ: magnum ſæpè habent reſpectum perſonarum. Nihil tale in Rege Chriſto. Omne eius iudicium iuſtum eſt: omne ſtudium eius, iuſtitiam defendere, iniuſtitiam punire. Huius rei figuram geſſit Melchiſedech, Rex Salem. Melchiſedech enim interpretatur, Rex iuſtitiæ, vt Paulus docet ad Hebr. Sed quomodo? Nullane ergo in regno Chriſti eſt iniuſtitia? In Eccleſia Chriſti, inter Chri-

ſtianos ſiue Eccleſiaſticos,ſeu ſæculares, nullāne vſquam inuenitur iniquitas? Inuenitur ſane,quod dolendum eſt. Sed primùm hæc iniquitas non placet Chriſto Regi. Nunde-finit ipſe in regno ſuo omnem iniquitatem ſemper ſeueriſſimè prohibere,& nullam iniquitatem multam eſſe patietur. quemadmodum etiam ſemel omnem iniuſtitiam penitus auferet a regno ſuo. Purgabit aream ſuam, inquit Ioannes Baptiſta. & Chriſtus ipſe Matth. 11. In conſummatione ſæculi exibunt Angelis & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & auferent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui operantur iniquitatem.

Sed pergamus, & veniamus propiùs ad propoſitum noſtrum. Quo oleo vnctus fuit Chriſtus? Oleo lætitiæ, inquit Propheta. De hoc oleo nonnihil habet Pſalmus 103. Vt exhilaret faciem in oleo,& panis cor hominis confirmet. Quale oleum, talis virtus, effectus,operatio eius. Oleum externum,ſiue vnguentum quodlibet ex oleo atque ex rebus bene olentibus factum, non poteſt niſi faciem noſtram, corpus ſenſusque exteriores exhilarare. At oleum, quo vnctus fuit Chriſtus, ſicuti aliud longè eſt (vt antè audiuimus) ſic longe alium effectum profert,aliam lætitiam efficit. Hæc eſt virtus & gratia Spiritus ſancti,vt diximus; quæ exhilarat animam & conſcientiam noſtram. Illa demum eſt vera lætitia, quam Chriſtus à Spiritu ſancto pleniſſimè vnctus perfectiſſimam & perpetuam habuit: nos autem illam habemus pro magnitudine, ratione, & menſura vnctionis, quam recipimus à Spiritu ſancto; alius maiorem,alius minorem. Hæc lætitia quam hæc Spiritus ſancti vnctio efficit, poſita eſt præcipuè in ſecuritate conſcientiæ, per remiſſionem peccatorum,in gratia & amicitia cum Deo,in ſpe bona vitę ac ſalutis æternę.Quis explicet vllis verbis, quis cogitatione comprehendat huius lætitię ſuauitatem & magnitudinem? hoc eſt quod Apoſtolus ad Rom. 14. dicit, Regnum Dei eſſe iuſtitiam, & gaudium, & pacem in Spiritu ſancto. Et Iſaias felicitatem regni Chriſti deſcribens, Lætabuntur coram te,inquit,ſicut qui lætantur in meſſe; ſicut exultant victores capta præda.Et Pſalmus 86. Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te. Videamus nunc breuiter,qua menſura vnctus ſit Chriſtus. Hoc indicat Propheta,dicens: Præ conſortibus tuis. *Iſa. 9.*
Senſus eſt,perfecta & pleniſſima vnctione,ſuper omnes alios,vnctum fuiſſe,omnibusque donis & benedictionibus Spiritus ſancti cumulatiſſimè ornatum fuiſſe. Sicuti antè ex Ioanne audiuimus,datum illi fuiſſe Spiritum,non ad menſuram. Singuli Sanctorū ſuam habent menſuram gratiæ Spiritus ſancti, & benedictionis Dei; alius maiorem, alius minorem: vt paulò antè diximus. Sed Chriſti menſura eſt, ſine menſura vnctum fuiſſe.

Secundò, notandum eſt, non dicere Prophetam, quòd Chriſtus Dominus vnctus ſit præ cunctis regni cæleſtis ciuibus, ſiue Angelis ſanctis,ſiue hominibus: qui tamen ſenſus eſt verborum eius, & rei veritas:ſed dicit,vnctum eſſe præ conſortibus ſuis.Qui ſunt conſortes eius? Fratres eius videlicet,filij Dei. Sic loquitur Apoſtolus ad Rom.8. Quos præſciuit & prædeſtinauit,conformes fieri imaginis Filij ſui:vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Qui ſunt fratres eius? Qui & naturæ eius humanæ participes ſunt, & Diuinæ gratiæ. Quotquot autem receperunt eum, dedit illis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Hi nimirum ſunt conſortes Chriſti. Qua in re conſortes? Iam diximus:non modò in humana natura,ſed etiam in Diuina gratia:hoc eſt, in iſta vnctione Spiritus ſancti,qua vnctus eſt Chriſtus. Ergo & nos omnes vncti ſumus, omnes chriſti ſumus: non eſt dubium. Proinde etiam de omnibus rectè dicitur, id quod antè ex Pſalmiſta audiuimus; Nolite tangere chriſtos meos. Quamquam non ita vncti ſumus, vt vnctus fuit Chriſtus. Nos enim pro ſua quiſque menſura & modo vncti ſumus: ipſe autem perfectiſſimè & ſine menſura vt ſæpè nunc audiuimus. Quid præterea hinc ſequitur? Si vncti ſumus omnes cum Chriſto, & participes vnctionis eius; ipſe autem vnctus eſt, vt Rex & Sacerdos, vt audiuimus; ergo nos quoque omnes Reges ſumus, & Sacerdotes. Hoc ſanè etiam eſt veriſſimum. Hoc enim & Petrus Apoſtolus clariſſimè docet,prioris Epiſtolæ ſuæ 2.& Ioannes Apocal.1. Feciſti nos Deo noſtro, inquit, Reges & Sacerdotes; & regnabimus ſuper terram. O dignitatem Chriſtianorum incompatabilem atque inæſtimabilem! Sed quonam modo efficimur huius tantæ dignitatis participes, vt vnà cum Chriſto Domino noſtro in Reges & Sacerdotes vngamur? Per hæc nimirum viſibilia inſtrumenta, per olea hæc benedicta quæ nunc in Dei nomine, ex eiuſque inſtitutione conſecrauimus:ſeu per vſum Sacramentorum,quę ad eum finem Chriſtus propriè inſtituit, vt per illa conſequamur omnem ſpiritualem vnctionem Spiritus *Ioan. 1.*

ſancti, omnem benedictionem & gratiam Dei. Inſtituit illa ferè omnia in oleo: vt nimirum per externam illam vnctionem, internam animæ noſtræ vnctionem & clariùs agnoſcamus, & maiori veneratione proſequamur: qua nimirum ab eo illuminamur ad agnitionem voluntatis eius, purgamur à ſordibus peccatorum, & ſanamur, conſolamur in omni aduerſitate ac triſtitia huius vitæ, contraque omnes mundi, carnis, ac diaboli inſultus ac tentationes firmamur. In his namque externis, & viſibilibus, atque in ſpeciem contemtibilibus ſignis, voluit nos Deus exercere fidem noſtram quamdiu hîc viuimus, noſque in humilitate & obedientia continere. Quòd ſi externa ſigna ſanctorum Sacramentorum eius contemnimus, aut negligimus; vel non vtendo ijs quoties oportet, & neceſſitas noſtra poſtulat, vel non congrua deuotione mentiſque puritate ac reuerentia vtendo; nec hîc Dei gratiam conſequi poſſimus, nec ſpem vllam habere ſalutis æternæ. Auertat hoc ab omnibus, & meliorem nobis mentem donet IESVS Chriſtus Dominus noſter; qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus in æternum. Amen.

EXHORTATIO *Septima ſuper hiſce Geneſios verbis:* EREXIT IACOB LAPIDEM IN TITVLVM, FVNDENS OLEVM DESVPER. *Geneſ.* 28.

INTER cetera quæ de conſecratione Chriſmatis aliorumque Sanctorum oleorum vtiliter dici poſſunt, nec infimum nec minimum eſt, ſcire quænam fuerit in veteri Teſtamento prima omnium figura huius ſacri Chriſmatis: & quiſnam, quo tempore, quonam modo, & qua occaſione primùm vſus fuerit oleo ad rem aliquam Deo dedicandam & conſecrandam, atque ad gratiam Dei inuiſibilem, qua omnia benedicuntur, ſignificandam. Nuſquam autem priùs inuenitur aliqua mentio olei, quàm in Geneſi 28. cap. vbi etiam oleum ad ſacrum ſignum, & ad aliquid externum Deo conſecrandum, adhibetur. Hiſtoria eſt pulchra & memorabilis admodum. Recitabo illam primùm vobis iuxta litteram: deinde eius myſterium, quantum Deo adiuuante potero, explicabo. Audiſtis frequenter, non dubito, quemadmodum Iacob Patriarcha, ad inſtinctum & inſtantiam matris ſuæ, mira quadam calliditate vltimam benedictionem patris ſui admodum ſenis, & morti proximi, ſibi & poſteris ſuis impetrauerit: quæ tamen benedictio fratri ſuo Eſau, tamquam primogenito, ſententiâ etiam patris Iſaac, deberi videbatur. Hiſtoria illa longa eſt & mirabilis, quã hîc breuitatis cauſa referre prætermittimus. Ea re Iacob grauiter offendit Eſau fratrem ſuum: adeò quidem vt Eſau illi propterea mortem minitaretur,
Geneſ. 27. dicens: Venient dies luctus, (hoc eſt mortis) patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Et ſanè tam audax & ferox erat, vt facilè peſſimum propoſitum opere ipſo perfeciſſet; ſi res tota conſilio ſanctorum parentum directa non fuiſſet. Hinc mater, fratrum illorum magno timore correpta, & valdè anxia pro dilecto filio ſuo Iacob, rem ſtatim ad maritum retulit; illique ſuggeſſit, vt filium ſuum Iacob procul foras peregrinatum mitteret: tum vt iram & manus fugeret Eſau fratris ſui, tum vt ex alia regione vxorem ſibi deligeret: erant enim homines prouinciarum illarum in quibus Iſaac habitabat, valdè mali. vnde nec Abraham etiam anteà ex illa gente volebat filio ſuo vxorem accipere. Vocauit igitur Iſaac, hæc audiens, Iacob filium ſuum, illique ſuaſit vt ad tempus proficiſceretur in Meſopotamiam Syriæ, ad domum Bathuëlis, aui ſui materni; ex eiuſque ſtirpe, opportuno tempore, vxorem etiam acciperet. Iacob autem, etſi durum erat, domum paternam parenteſque chariſſimos ſtatim relinquere, ad terramque longinquam & penitus ignotam proficiſci; tamen, quia bonus erat, Deum timens, & obſeruantiſſimus parentum ſuorum, fecit confeſtim quod iubebatur: acceptaque iterùm noua benedictione patris ſui, atque à matre ſua bonis promiſſis confirmatus, quòd non multo pòſt tempore domum reuocaretur, profectus eſt ſtatim in nomine Domini. Quum autem vno atque altero die iter feciſſet, nocte inſtante requieſcere ſtatuit: cumque nec ciuitas ibi aliqua vicina, nec diuerſorium eſſet, in quod ingrederetur; ſub dio illi dormiendum fuit in medio campo. Non dubium eſt, quin vna ex parte magnoperè timeret ſibi per noctem tum à latronibus & malis hominibus, tum à feris beſtijs, quarum multæ & variæ erant in illis prouincijs: ſed quum aliud conſilium non haberet, commiſit ſe Diuinæ curæ ac prouidentiæ.

Ita-

Itaque nuda humo pro lecto vtebatur, pro ceruicali autem vno ex lapidibus, quem fortè ibi reperiebat. in illo reclinans caput ſuum, interque illum & caput nonnihil ex veſtibus ſuis interponens, vt eſt probabile, ita ſe ad dormiendū compoſuit. Et quamuis non valdè molliter requieſceret; tamen, quia feſſus erat ex labore diurnæ profectionis, & quia ſecuram habebat conſcientiam, dulciter admodum & profunde dormiuit, dormienſque incidit in mirabile ſomnium. Videbatur ſibi ſcalam videre altiſſimam, erectam à terra vltra nubes omnes vſque in ipſum cælum: illamque ſcalam plenam vbique multis Angelis, quorum alij à terra in cælum aſcendebant, alij verò per eamdem ſcalam è cælo deſcendebant in terram. In ipſo autem cælo videbat Deum innixum ſummitati ſcalæ, reſpicientem ſe, ſibique loquentem alta voce: Ego ſum Deus Abraham aui tui, & Iſaac patris tui: Terram, in qua dormis, tibi dabo & ſemini tuo: eritque ſemen tuum ſicut puluis terræ. Dilataberis ad Orientem & Occidentem, ad Septemtrionem & Meridiem: & benedicentur in te, & in ſemine tuo, omnes tribus terræ. Et ero cuſtos tuus, quocumque pertexeris; & reducam te in terram hanc: nec dimittam niſi compleuero vniuerſa quæ dixi. O ingentem conſolationem! ô dulciſſimum ſomnium! Quis det nobis, chariſſimi, inter dormiendum ſic ſomniare, loco multorum vel turpium vel terribilium vel inanium ſomniorum, quæ frequenter patimur dormientes? Sed pergamus. Quum ſanctus iuuenis manè expergiſceretur, ſomno ſimul ſomnioque finito, magna admiratione correptus, quòd tales res, tamque altæ & ſancta myſteria in ſomnio ſuo vidiſſet & audiuiſſet, dicebat ſecum: Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Pauenſque, Quàm terribilis eſt, inquit, locus iſte! non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cæli. Surgenſque ſtatim tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper.

Quid longa illa ſcala ſignificet pertingens à terra vſque ad ſupremum cælorum, quid Deus innitens in ſummitate eius, quid Angeli per eam deſcendentes & aſcendentes, nolo nunc attingere, nec multa etiam alia, quæ vel ipſe Dominus Deus, vel dixit & fecit ibi ſanctus hic Patriarcha. Vnum tantùm atque alterum verbum dicam de eo, quòd lapidem illum, quem ſuppoſuerat capiti ſuo ad dormiendum, oleo perunxit, & erexit in titulum. Hoc propriè facit ad propoſitum noſtrum.

Quod ad primum, litteralem, atque hiſtoricum ſenſum attinet; lapidem illum in quo dormierat erexit in titulum. hoc eſt, ita in terram infodit, vt ſuprà extaret, firmuſq; maneret: quemadmodum hodie collocantur in agris lapides, ad agrorum terminos deſignandos, vel in vijs publicis, ad cognoſcenda milliaria. Cur hoc fecit Iacob? Gratitudinis cauſa erga Deum; vt lapis ille eſſet ſibi & poſteris ſuis ſignum & memoriale æternum viſionis cæleſtis quam illic viderat, myſteriorum ad mirabilium quæ diuina reuelatione cognouerat, & promiſſionis maximæ atq; dulciſſimæ quā illic à Deo acceperat; tum priuatim pro ſua perſona, tum in vtilitatem ſeminis ſui, tum præcipuè in ſalutem æternam totius Eccleſię Dei, ex cunctis etiam aliquando Gentibus colligendę. Vocauitque locum illum Bethel; quod ſignificat, Domus Dei. quia nimirum Deus ei illic tam inſigniter apparuerat, oſtenderatque partem gloriæ ſuæ. Quum autem poſtmodum ibi ab incolis regionis illius vrbs extrueretur, quam Luſam vocabant, id eſt, Amygdalum, à multitudine videlicet amygdalarum illic naſcentium; filij Iſraël deinde ingreſſi in terram promiſſam patribus ſuis, omneſque eius vrbes Dei dono atque auxilio occupantes, ciuitatem hanc appellarunt Bethel, nomine videlicet, quo Iacob locum illum primùm vocauerat: de qua ciuitate frequenter mentio poſtmodum fit in Sacris litteris.

Sed cur Iacob lapidem illum ibi in ſignum & memoriā perpetuam collocans perunxit oleo? Ac primùm vnde ibi ſtatim ad manum habuit oleum; quum ſolus ibi eſſet, vt antè audiuimus? Dicere cum quibuſdam, quod ex proxima ciuitate vel hoſpitio attulerit, non eſt admodum probabile; quum ei non luberet vel retrocedere vel procul diuertere extra viam. Veriſimilius eſt, eum aliquid panis & olei, ex more prouinciæ, ſecum habuiſſe pro viatico; indeque ſumſiſſe quantum ſatis erat ad vngendum lapidem. Cur verò vnxerit lapidem illum, multiplex cauſa eſt, & omnis ſacra & myſtica. Vnctio enim illa ſaxi illius nihil penitus faciebat ad ſignum vel memoriam: ſed longè aliud ſignificabat in corde ſancti iuuenis. Primùm enim hoc modo non tantùm lapidem illum, ſed etiam totam illam quodammodò regionem Deo dedicabat & conſecrabat; poſtquam intellexerat ibi Deum poſteà habitaturum, cum ſemine & poſteritate ſua, locumque illum ex toto mundo ſibi veluti in domum & ſanctuarium electurum & habiturum, ibi ſan-

ctificaturum ſibi populum ſuum, omniq́ue externa atque interna benedictione repletu-
rum. Intellexit ergo vir pius, omnem ſanctificationem & benedictionem hominum non
aliunde eſſe, quàm ex vnctione Spiritus ſancti. illam vnctionem ſpiritus ſignificabat per
externam vnctionem lapidis ſui. Quaſi dicere voluiſſet, ſic Deum aliquando hoc in lo-
co effuſurum largiter vnctionem Spiritus ſui ſuper populum ſuum, ſicuti ipſe effuderat
oleum ſuauiſſimum ſuper lapidem: & quemadmodum ipſe in Dei honorem tunc la-
pidem illum vnxerat, ſic poſtmodùm in illa regione Deo templa atque altaria erigenda
eſſe, & ſacro oleo perungenda. Vnde poſteà ipſemet Iacob à Deo iubetur, quum iam-
diu domum reuerſus, auctuſq́ue eſſet Dei benedictione multis prolibus & diuitijs, vt in
eodem hoc loco altare ædificet, Deoq́ue ſuper illud ſacrificium gratiarum & laudis offe-
rat, ibiq́ue deinde habitaret. Hoc vnum eſt. Ceterùm eſt hîc & aliud quiddam, non
minùs imò longè magis notatu dignum.

Accepit hîc Iacob in ſomnio ſuo oraculum à Deo & promiſſionem de Chriſto, mun-
di Saluatore aliquando venturo, ex ſuoq́ue ſemine naſcituro, ad ſalutem æternam hu-
mani generis. Hoc enim ſignificant apertè verba illa quæ dicebat illi Deus inter alia, ex
ſummitate ſcalæ: Benedicentur in te, & in ſemine tuo, omnes tribus terræ. hoc eſt, bene-
dictum ſemen Chriſtus Dominus noſter, qui ſecundùm humanam naturam ex Iacob
Patriarcha deſcendit; cuius merito omnes gentes ac nationes mundi totius ad benedi-
ctionem gratiæ & cognitionis Dei, adeoq́ue ad ſalutem & vitam æternam peruenerunt.
Hinc ipſe Dominus noſter ſæpè, tam in nouo quàm in veteri Teſtamento, per lapidem
Pſal. 117. ſignificatur. In Pſalm. 117. de illo ſcriptum eſt; Lapidem quem reprobauerunt ædifican-
tes hic factus eſt in caput anguli. Daniel quoque Propheta vocat Chriſtum lapidem de
Dan. 2. monte præciſum ſine manibus. Sic ergo Iacob etiam hoc loco, plenus diuina reuelatio-
ne, per lapidem ſuper quo dormierat, quemq́ue in æternam memoriam fidelium om-
nium erexerat, Chriſtum Dominum mundi Saluatorem deſignare voluit. Et videte,
quàm pulchrè figura conueniat, in illo in primis, quòd ſanctus vir illo in lapide requieue-
rat. Vbi, vel in quo requiem veram omnes inuenimus? In ſolo Chriſto, inq́ue gratia &
Ioan. 16. fauore ipſius. In mundo, inquit, preſſuram habebitis, in me verò pacem. O quàm verè
dictum! Dicant nobis amatores huius mundi, vtrùm vel in multitudine diuitiarum quas
tanti faciunt, vel in honore & gloria huius mundi, vel in voluptate carnis, vel in vllis alijs
huius mundi ſolatijs veram animi requiem inueniant. velint, nolint, fateri cogentur
Matth. 11 contrarium. At verum eſt, quod Chriſtus alibi dicit, Venite ad me omnes qui laboratis
& onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & inuenietis requiem
animabus veſtris. Hoc ergo ſignificat, quòd Iacob requieſcebat, & dormiebat ſuauiter
ſuper lapidem ſuum. Illum lapidem vnxit poſteà quum erexit in ſignum. Nimirum
intelligens & ſignificans Chriſtum vnctum fore omni gratia & virtute Spiritus ſancti:
iuxta illud, quod Regius Propheta poſteà de illo cecinit, Pſal. 44. Vnxit te Deus, Deus
tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Sic vnctus fuit Chriſtus oleo gratiæ & virtutis Dei,
vt nos omnes vnctionis ſuæ participes fecerit. De plenitudine eius nos omnes accepimus;
Ioan. 1. inquit Ioannes Apoſtolus. Legant docti Auguſtinum, ſuper locum illum Pſal. 44. quem
nunc nominauimus, & videant, ánne ſic penitus viſionem Iacob & factum eius de vncto
lapide interpretetur, veluti nos iam interpretati ſumus. Vt nihil dicam de ſancto Eu-
cherio, ſimiliter interpretante locum iſtum ſuper Geneſim, alijſq́ue multis probatis
auctoribus.

Sed quid hæc nunc ad inſtructionē noſtram? Quidquid dignitatis & gratiæ, quidquid
priuilegij vel prærogatiuæ habuit Chriſtus à Patre ſuo, id totū pænè dedit nobis. Verùm,
nos hîc agemus de illis tantùm, quæ ſpectant ad rem præſentem. Chriſtus lapis eſt, vt au-
diuimus, lapis inquam angularis & fundamentalis totius ſpiritualis ædificij Eccleſiæ Dei.
Nos quoque omnes lapides ſumus. Non quidem inſenſibiles, ſed viui, qualis eſt Chriſtus
fundamentum noſtrum. Quotquot ſunt fideles, Chriſto per fidē, ſpem, & charitatem ad-
hærentes; tot ſunt lapides viui in Eccleſia Dei. Quemadmodum videmus in huiuſmodi
materiali templo vel ſimili ædificio valdè multos lapides eſſe, magnos & paruos, rotun-
dos, quadratos huius vel illius generis; ſingulos autem ſuo loco, ſuo ordine collocatos: ta-
lis eſt ordo Fidelium omnium in ſpirituali ædificio, Eccleſia Dei. Audite hac de re princi-
pem Apoſtolorum in 1. Epiſtola cap. 2. Ad quem, ait, accedentes lapidem viuum (lo-
1. Pet. 2. quitur de Chriſto) ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & hono-
rificatum; & ipſi tamquam lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritualis, Sacerdotium
ſanctum,

ſanctum, &c. Iam verò Chriſtus Dominus non modò lapis eſt, ſed etiam vnctus lapis: cuius etiam rei rationem audiſtis. ita nos quoque omnes eius gratia vncti lapides ſumus. Vncti, inquam, quemadmodum de Chriſto capite noſtro diximus, omni ſpiritali vnctione Spiritus ſancti, ad ſanctificationem animarum noſtrarum, atque ad ſpem certam vitæ & ſalutis æternæ: vnuſquiſque in ſuo ordine & vocatione. At, quonam modo, & per quæ media participes efficimur ſpiritalis huius vnctionis gratiæ Dei? Per Sacramenta Chriſti, quæ propterea etiam pæne omnia per oleum externum adminiſtrantur; vt nimirum per hoc internam ipſorum & ſpiritalem operationem intelligamus. Et hoc ipſum eſt, quod hîc nunc egimus, vt vidiſtis. Ideò olea hæc in Dei nomine conſecrauimus, vt nobis ſint in omni noſtra ſpirituali neceſſitate inſtrumenta certa ac ſalutaria gratiæ Dei, auxilij, & protectionis eius. Quod nobis haud dubiè continget, ſi frequenter ac deuotè ſanctis Chriſti Sacramentis vtamur. Dominus ſit vobiſcum, Amen.

EXHORTATIO *Octaua ſuper verbis Sponſæ in Cantico Canticorum*; OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM: IDEO ADOLESCENTVLAE DILEXERVNT TE. *Cant.* 1.

MVLTA extant in Sacris litteris ſancta & iucunda colloquia diuerſarum perſonarum inter ſeſe, quæ magnopere ſeruiunt ad ſpiritalem conſolationem, ad doctrinam, ad inflammandam in Deum & proximum charitatem noſtram: ſed nullum eſt pulchrius dulciuſque colloquium, in Scripturis præcipuè veteris Teſtamenti, quàm quod in libro Cantici Canticorum deſcribitur inter Chriſtum & Eccleſiam. Ibi introducuntur duo illi inter ſe colloquentes cum admirabili gratia & voluptate, de mutuo amore quem gerunt ad ſe inuicem. idque ſub figura ſponſi & ſponſæ, vel mariti & vxoris: inter quos eſt communiter maximus & ardentiſſimus amor, multoque maior quàm inter quoſlibet alios homines. Nec malè etiam vel procul ſumta, Chriſtoque & Eccleſiæ applicata eſt ſimilitudo viri & vxoris. Sicut enim maritus & vxor per matrimonium ſunt vna caro; ita Chriſtus filius Dei per incarnationem factus eſt vna caro cum Eccleſia, eiuſdem cum illa naturæ particeps. Vnde Apoſtolus de hac re loquens, Membra, inquit, ſumus corporis eius, de carne eius, & de *Epheſ. 5.* oſſibus eius. Et quemadmodum ex amore ſtatim naſcitur laus (quem enim ſeriò ac vehementer amamus, eum ſemper laudare conamur, & numquam nobis videmur ſatis laudare poſſe;) hinc omnis ferè ſermo Chriſti & Eccleſiæ, in libro illo Cantici Canticorum, eſt de mutua laude. Eccleſia laudat Chriſtum, Chriſtus viciſſim laudat Eccleſiam. Eccleſia multis verbis, varijſque adhibitis parabolis, prædicat pulchritudinem & dignitatem Chriſti ſponſi ſui: Chriſtus viciſſim pluribus ſermonibus, multiſque ſimilitudinibus, ex omni rerum natura deſumtis, pulchritudinem prædicat, fidem, & excellentiam Eccleſiæ ſponſæ ſuæ. Et quidem iure ac meritò prædicat Eccleſia Chriſtum ſponſum ſuum. Laus enim eius tanta eſt vt numquam ſatis aut explicari aut comprehendi queat; nec ab hominibus vllis, nec ab Angelis. Cælum & terram excedit longè lateque laus Chriſti.

At quid eſt in Eccleſia; hoc eſt, in miſeris hominibus, morti & peccato ſubiectis, quod laudari mereatur; & quidem à tali ac tanto laudatore, qualis eſt Chriſtus? Qui vt magnus eſt laudator & præclariſſimus, ſic eſt & veriſſimus atque iuſtiſſimus. Homines frequenter laudando falluntur: multaque laudant, quæ non magna laude, imò quæ magno potiùs vituperio digna ſunt. At quemcumque Chriſtus laudat, is demum dignus eſt qui laudetur. nullum ille poteſt malè vel immeritò prædicare aut extollere. Vnde Paulus iterùm: Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus *2. Cor. 10.* commendat. Quid ergo eſt in Eccleſia, quod à Chriſto laudari tantopere mereatur? Pulchritudo eius, (diximus) puritas, fides ſeu fidelitas in Chriſtum. Nónne omnes confitemur in ſymbolo fidei noſtræ Eccleſiam eſſe ſanctam? Et nónne ſanctitas res eſt pulchra ac laude digna? Eſt profectò. Et ſcimus omnes, Eccleſiam eſſe ſanctam, puram, formoſam, Chriſto ſponſo fidelem, puroque & ſancto amore ſemper illi adhærentem,

ſemperque illi fideliter ſeruientem. Hęc omnia ſunt extra quęſtionem vel controuerſiam, nemo de his dubitat. Sed vnde habet Eccleſia puritatem omnem, & ſanctitatem omnem ſuam, quòd Chriſto tam fideliter ſeruiat, quòd puto illum & feruenti corde nocte dieque adoret; breuiter, omnem laudem & pulchritudinem ſuam? Num à ſeipſa? Minimè. Si Eccleſiam, ſeu Fideles omnes & Chriſtianos in ſeipſis reſpicias, ſiue cum ijs quæ habent à ſeipſis, non modò nihil habent laude dignum, ſed permultum etiam merentur infamiæ & ignominiæ. Non eſt pulchra Eccleſia ex ſeipſa, ſed deformis ac turpiſſima. Heu quis explicare vllis verbis, aut mente comprehendere queat turpitudinem noſtram, quam omnes nobiſcum attulimus ex vtero matris noſtræ? Nec hoc ſolùm, ſed quam noſipſi quoque augemus quotidie peccatis proprijs? Loquimur enim hic (ne quis fortè fallatur) non de externa, ſed de interna; non de corporis, ſed de animæ pulchritudine, ac turpitudine. Vultis ſcire cuiuſmodi ſit ſumma pulchritudo animæ noſtræ quam à nobiſipſis habemus? Num audebo vobis dicere aut nominare, quod tam elate tamen exprimitur in Scripturis ſacris, ad inſtructionem noſtram? Sicut pannus menſtruatæ, in-
Iſa. 64. quit Iſaias Propheta, ſic ſunt vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ. Si tales ſunt iuſtitiæ noſtræ, quid dicemus de manifeſtis iniuſtitijs noſtris? Hoc eſt, ſi talia ſunt opera hominum extra gratiam Dei, quæ bona illis ac iuſta videntur; quid cenſendum de apertis ſceleribus? Ergo nihil habet Eccleſia Chriſti laudabile à ſeipſa, vel ex ſeipſa. Omnis laus eius à Chriſto ſponſo eius eſt: ſi pulchra & formoſa eſt, vt eſt profectò pulchra vt luna, electa vt ſol,
Cant. 6. vt idem liber Cantici Canticorum teſtatur; omnem pulchritudinem ſuam habet ab Chriſto. Si pura, ſi ſancta, ſi ſponſo ſuo fidelis eſt, omnia illa ſoli Chriſto debet accepta ferre: ipſe eam lauit, ipſe mundauit, ipſe ornauit. Sic ipſa confitetur etiam palàm ad
Cant. 1. laudem & gloriam ſponſi, in libro illo ſacro, quem ſæpè iam nominauimus: Nigra ſum, inquit, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem. Verba illius variè exponuntur à ſanctis Doctoribus, ſed bonus & facilis eſt ſenſus inter alios, quem ſanctus Auguſtinus frequenter tradit. Quomodo Eccleſia eſt nigra & formoſa? Duo iſta ſunt velut contraria. Nigra enim & formoſa perinde videtur eſſe ac ſi diceret; Nigra ſum, & alba. quæ duo non poſſunt ſimul eſſe in eodem, non magis quàm calor & frigus. Verum eſt, non poſſunt hæc in eodem eſſe vno eodemque tempore, vt pueri etiam docentur in Logica vel Dialectica; ſed diuerſo tempore, aliaque & alia conſideratione poſſunt rectè de eodem prædicari. Sic Eccleſia Chriſti ſimul & nigra eſt & candida, & deformis & formoſa, ſed alia atque alia ratione. Nigra & deformis eſt ex ſeipſa: candida & formoſa per Chriſtum ſponſum ſuum, & gratiam eius. Si illam conſideres in ſeipſa, & cum ijs quæ a ſeipſa habet; eſt nigra, turpis, inamabilis & impurus coruus: ſi verò illam conſideres, qualis per Chriſtum facta eſt, & cum iis quæ à Chriſto recepit; eſt candida, pura, amabilis & ſuauiſſima columba.
Cant. 2. Quemadmodum etiam illo nomine propterea à Chriſto vocatur; Veni, inquit, ſpecioſa mea, columba mea. Nominat eam vt ipſe eam fecit. Sic frigus & calor, tametſi contraria ſunt (vt diximus & omnes nouiſtis) tamen in eodem eſſe queunt diuerſo tempore, diuerſaque ratione & conſideratione. Probemus hoc in Eccleſia, vt nun egrediamur extra propoſitum noſtrum. Eccleſia Chriſti frigida eſt & calida: frigida ex ſeipſa, calida à Chriſto. Omnes natura frigidi ſumus, & præ nimio frigore rigidi atque immobiles ad omne bonum. Vnde dicitur in ſacro Euangelio de quibuſdam, quod refrigeſcit charitas eorum: quia videlicet nihil boni operentur. Quemadmodum, qui frigore conſtrictus eſt, nihil operari, & vix ſe mouere poteſt; eſtq; velut mortuus. At per gratiam Chriſti, calorem internum & vitam & alacritatẽ recipimus; vt voluntarij, prompti & expediti ſimus ad omne bonum. Ita Diuus Gregorius quodam loco de Maria Magdalena dicit: Quæ priùs peccando frigida remanſerat, poſteà per gratiam Chriſti, & ſanctum amorem fortiter ardebat. Ita, ſicut aqua per ſe ex natura ſua ſemper frigida eſt, ſed per vim ignis fit vt omne frigus perdat & fiat calida; imò feruida interdum & ebulliens præ æſtu: ſic omnium hominum corda naturâ frigida ſunt, & per hoc inepta ad vllam virtutem aut pietatem; ſed per operationem, dulcemque virtutem gratiæ Chriſti, ſeu ſancti Spiritus, qui ignis eſt ſpiritalis, ad omnem virtutem & pietatem incaleſcunt. Quem ſalutarem calorem in ſe ſentiebant duo illi, de quibus ſecunda feria Paſchæ audietis, cum dicerent;
Luc. 24. Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis, cùm loqueretur nobis in via, & aperiret Scripturas? Pro eodem ſancto calore oramus dicentes & clamantes toties ad ſanctum Spiritum: Veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Et notate, quòd ſancta Chriſti ſponſa non dicit, Formoſa ſum, ſed nigra: quod tamen

tamen non malè etiam diceret ; nempe formoſa ſum per gratiam Chriſti, ſed nigra tamen ex meipſa : ſed dicit longè aptiùs, Nigra ſum, ſed formoſa. Nimirum prius nigra, poſteà formoſa. Primùm enim omnes nigri ac deformati ſumus peccato : ſic omnes naſcimur ex parentibus noſtris : poſteà per gratiam Chriſti dealbamur, & formoſi efficimur.

Verùm quorſum hæc omnia nunc temporis & hoc loco? vel quid hęc faciunt ad rem, de qua hic agimus, ad conſecrationē, inquam, Chriſmatis? Non putabam ſanè, cùm primùm cœpi, tamdiu his immorari, neque hæc omnia dicere quæ nunc retuli. mens mea atque intentio erat, explicare vobis ſententiam illam ex Cantico Canticorum: OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM: IDEO ADOLESCENTVLÆ DILEXERVNT TE. Quæ ſententia quàm benè conueniat rebus præſentibus, omnes intelligitis. Laudat Eccleſia Chriſtum à nomine eius : quòd nimirum nomen eius fragrantiam habeat odoris ſuauiſſimi, inſtar pretioſiſſimi vnguenti effuſi. Quam ſententiam, qua tantopere ſponſum ſuum Chriſtum laudat Eccleſia, antequam explicare volui, putabam priùs eſſe breuiter declarandum, quonam modo ſe mutuò laudent in Cantico illo Canticorum Eccleſia & Chriſtus. Vterque enim ad eam rem omnes quodammodò vires ſuas intendit, Eccleſia ſcilicet, vt laudet Chriſtum; & Chriſtus, vt laudet Eccleſiam. Quod vt rectè queamus intelligere, explicandum mihi fuit longe alia ratione Chriſtum laude dignum eſſe, laudarique ab Eccleſia, quàm Eccleſia ipſa à Chriſto laudetur. In quo hactenus immoratus ſui, diutiùs ſanè quàm volui & putaui (iam enim tempus nuſtrum præterijt, & nihil adhuc dixi de eo quod præcipuè dicere volui, quodque ad rem præſentem pertinet.) & tamen non omnino me pœnitet, quòd orationis filo huc pertracti ſumus, & tamdiu manſimus in hac materia. Præterquam enim quòd nec inutilia nec iniucunda ſunt, opinor, quæ audiſtis; non penitus ſunt etiam extra propoſitum noſtrum, & rem præſentem.

Diximus, totam Eccleſiā Dei & nos omnes, ex natiuitate ac natura noſtra, nigros eſſe, impuros, deformes, Deo & omnibus Angelis eius ingratos: per Chriſtū verò, & gratiam eius dealbari, mundari, ornari, & ſanctificari, vt Deo grati, & omni laude digni reddamur. Quomodo & per quid nos Chriſtus ſic lauat, purificat, exornat, ſanctificat? Per Sacramenta ſua, quæ ad hunc propriè finē inſtituit, & reliquit Eccleſiæ ſuæ. Illa autem ſunt, quæ hic confecimus, quorumque hic materiam præparauimus, benediximus, conſecrauimus : vt nimirum inſtrumenta ſint apta & efficacia ad purgationem, illuminationem, & ſanctificationem animarum noſtrarum. Audite hac de re iterùm Paulum Apoſtolum ad Epheſios 5. Viri, inquit, diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſeipſum pro ea; vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ. Ecce, mundat Chriſtus Eccleſiam ſuam, quæ ex ſe immunda eſt. Quomodo mundat? Lauacro aquæ, inquit. Huc lauacrum eſt Sacramentum Baptiſmi. Non quòd illo ſolo Sacramento mundetur Eccleſia; nam omnia ſeptem Sacramenta inſtituta ſunt ad purificationem Eccleſiæ : ſed Paulus ibi ſolùm Baptiſmum nominat, quia illud Sacramentum primum eſt omnium, & ianua ſalutis noſtræ. Denique ſine alijs Sacramentis poteſt ſalus contingere, vt patet in infantibus ſtatim poſt Baptiſmum morientibus, vt alios taceam : at verò ſine Baptiſmo nemo ſaluari poteſt. Generalis enim ſententia eſt, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. *Ioan. 3.* Præterea autē, etſi Baptiſmi Sacramentum in aqua adminiſtretur, & in neceſſitate ſola aqua ſufficiat; aliàs tamen non datur etiam ſine Chriſmate. Baptizati vertex, ſemper in Eccleſia ab initio, Chriſmate linitus fuit, & adhuc linitur. Ad eum finem ſanctum Chriſma hic nunc benediximus, & conſecrauimus, vt vidiſtis : etſi præcipuus vſus Chriſmatis ſit in Sacramento Confirmationis. Det nobis Deus hæc ſigna externa ex oleo conſecrata ita in reuerentia & honore habere, vt verè per illa purgationem, illuminationem, & ſanctificationem animarum noſtrarum obtinere queamus. Amen.

EXHORTATIO *Nona ſuper iiſdem verbis:* OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM: IDEO ADOLESCENTVLÆ DILEXERVNT TE. *Cant.* I.

INTER alia quæ pro concione tractari poſſunt, in conſecratione ſancti Chriſmatis, aliorumque ſacrorum oleorum, cœpi vobis anno ſuperiore dicere, inſignem eſſe ſententiá in principio libri Cantici Canticorum, per quam ſponſa illa ſancta ſanctiſſimum ſponſum ſuum Chriſtum filium
Cant. 1. Dei alloquitur, dicens; OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM, IDEO ADOLESCENTVLÆ DILEXERVNT TE. Quibus verbis non intendit ſponſa ſignificare, quodnam ſit propriú nomen filij Dei, ſponſi ſui. Vt enim ſponſa illa bona & ſancta eſt, ſic eſt & ſapiens admodum, & plena omni ſalutari ſcientia: imò nuſquam eſt vera ſapientia niſi apud illam & in illa. Omnis ſapientia vel ſcientia quæ eſt extra Eccleſiam, ſiue olim in Ethnicis, ſiue in ipſis perfidis Iudæis, ſiue in hæreticis, ſiue in quibuſuis alijs, qui non communicant cum ſponſa Chriſti Eccleſia ſancta, vera eſt potius ignorantia quàm ſcientia. Ergo Eccleſia Chriſti illuminata per gratiam Dei, & per ſanctum Spiritum, in omni cæleſti ſapientia, non ignorat Deo non poſſe tribui aliquod nomen proprium. Non ignorauit hoc vnus quidam olim Eccleſiæ filius & membrum, Salomon ille ſapientiſſimus, qui Prouerbiorum 30. de incomprehenſibili Dei maieſtate ac natura diſputans; Quod nomen, inquit, eſt eius? & quod nomen filij eius, ſi noſti? Vult indicare, impoſſibile eſſe, dicere vel cognoſcere nomen Dei, aut Filij eius. Sic cùm Iacob Patriarcha ſanctus quæreret ab Angelo, in perſona Dei, quicum luctabatur, quod eſſet nomen eius; reſpon-
Geneſ. 32. dit: Cur quæris nomen meum quod eſt mirabile? tam mirabile eſt, vt ſit ineffabile, incomprehenſibile. Tam enim non poſſumus cognoſcere nomen Dei, quàm ſcire non poſſumus vel cognoſcere naturam eius. Cùm ſanctus martyr quidam, Attabus nomine, interrogaretur ab infidelibus; Quod eſt nomen Dei veſtri? Non habet nomen, inquit. Qui plures ſunt, ait, nominibus diſcernuntur; qui vnus eſt, non indiget nomine. Euſebius lib. 5. Hiſtor. Eccleſiaſticæ, cap. 37.

Sed quid ergo eſt, quod ſponſa hîc dicit de filio Dei, ſponſo ſuo; OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM; ſi Deus aut filius eius non habet nomen? Non loquitur de proprio nomine filij Dei, quod nemo hominum nouit vel Angelorum. Ipſe ſolus nouit proprium nomen ſuum qui perfectè nouit naturam ſuam, omnemque excellentiam & perfectionem ſuam. Loquitur in primis de nominibus, quæ nos Deo damus pro notitia exigua, quam de illo deque natura eius habemus, ex affectibus atque operibus eius. Hoc modo atq; ex hac conſideratione nos Deo multa damus nomina. Vocamus eum bonum, quia videmus & experimur, quàm multum boni ab eo proueniat, quàm multa bona operetur. Creatio totius mundi huius, & creaturarum omnium quæ in eo ſunt, nónne res valde bona eſt, imò tamquam mare bonorum omnium? Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona, inquit Scriptura. Quàm bonus eſſe debet in ſemetipſo, qui tam multa bona produxit, idque ex nihilo! Et hinc etiam nomen illud generale in noſtra lingua (quod Teutonici omnes norunt) Godt, ſumtum videtur, nempe Godt quaſi Goedt. Nam hæc conditio, hoc nomen Dei, quod à bonitate eius ſumitur, inter om-
Matth. 19. nia alia illi optimè conuenit. Vnde etiam Chriſtus ait in Euangelio, Vnus eſt bonus, Deus. Ipſe ſolus bonus eſt, verè proprieque loquendo: primùm quia per ſe bonus eſt, cùm omnium aliarum rerum bonitas, à qua bonæ dicuntur, à Deo ſit. Nemo hominum per ſe bonus eſt: imò potiùs per ſe atque ex ſeſe mali ſunt omnes. Vnde etiam Chriſtus
Luc. 11. apertè dicit: Si vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, &c. Deinde, Deus ſolus bonus eſt, quia eſt omne bonum, & ſummum bonum. Quod ſi quis habeat, &
Exod. 33. poſſideat; nihil petat amplius. Sicut Deus ipſe dicebat Moyſi: Ego oſtendam omne bonum tibi. Quando? Cùm illi manifeſtabit ſeipſum, ſicuti eſt; id quod in hac vita non poteſt contingere. Rurſus, nomen Dei eſt, Omnipotens: ſic nos illum frequenter vocamus. Nomen Dei eſt, Æternus; nomen Dei eſt, Sapiens; nomen Dei eſt, Verax; nomen Dei eſt, Iuſtus; nomen Dei, Clemens, & Miſericors. Itaque habet Deus non vnú tantùm nomen, ſed innumera nomina, quę nos illi damus, quibuſq; eú nominamus.

Veniamus

Veniamus iam ad propoſitum noſtrum: Quid dicit ſponſa de nomine filij Dei ſponſi ſui? Oleum effuſum nomen tuum, inquit. Quid vult ſibi illis verbis? Benè poteſt intelligi, non loqui de vno aliquo particulari nomine; ſed de omnibus & quibuſuis Dei nominibus, ex quibus multa iam nominauimus. Comparat omnia Dei nomina oleo, ſiue vnguento. Quare? Quia oleum res eſt guſtu dulciſſima: & vnguentum ex oleo alijſque aromatibus confectum, olfactum, tactum, omnes ſenſus, totum corpus recreat. ſic omnia Dei nomina ſunt plena dulcedinis, plena conſolationis, iucunditatis, voluptatis. Deus dicitur in primis bonus, vt audiuimus. O quàm dulce nomen! quantæ plenum conſolationis & voluptatis! Quare dicitur bonus? vel quis fructum percipit omnem bonitatis eius? Nónne homines? ij inquam homines, qui puro ſunt corde, ſanoque ore, quo bonitatem eius guſtare queant? Cui creauit bona hæc omnia, in toto mundo? cui ſeruauit hactenus, cui rexit, & adminiſtrauit? Nónne nobis? nónne fidelibus & electis ſuis? nónne ſeruis & filiis ſuis? Ex mera bonitate fecit nos, & totum mundum propter nos. Hoc etiam Ethnicus ille Philoſophus intellexit Plato; nihil aliud mouiſſe Deum vt mundum faceret, niſi quia bonus erat. Bonus erat, & bonus eſt, & bonus erit in æternum. Non fecit mundum propter ſe, neq; enim ipſe opus habebat mundo, vlliſve rebus aliis extra ſe, vel præter ſe. Seipſo enim beatus eſt, & à ſeipſo; atque in ſeipſo habet omnia, quæ deſiderare poteſt. Nec pilo vno fuit beatior, felicior, &c. ex omnibus creaturis quas fecit, quàm erat antè: ſed, quia ſumme bonus erat, noluit ſolus beatus aut felix eſſe; multos voluit ſuæ felicitatis participes facere. Bonum enim natura eſt ſui diffuſiuum. Hinc factum eſt, vt Angelos innumerabili multitudine, & homines faceret. Et fecit omnes bonos, ſicut ipſe erat. Neque enim ſummè bonus poteſt aliquid mali facere: ſed homines ſtatim ſeipſos malos fecerunt; & Angeli quidam ſimiliter, qui facti ſunt dæmones.

Iam, quòd Deus homines omnes, quum ſuapte culpa mali facti eſſent, & quidē valdè mali; non penitus reliquit in malitia ſua, ſed iterùm eos refecit, atque ad primæuam bonitatem reduxit; quid mouit eum, niſi bonitas eius? Quòd tanto tempore tam multos malos homines tam patienter fert; quòd patitur nomen ſanctum ſuum ab iis toties tam indignis modis blaſphemari, & non conſumit eos ſtatim, vel fulmine cæleſti, vel terræ hiatu, vel mille aliis modis; quid facit, niſi bonitas eius? Quòd tanto tempore, tot annis, nos expectat ad pœnitentiā; quòd ſimul atque ad eum clamamus ex corde, ſtatim recipit in gratiam condonatque omnia; quid facit, niſi bonitas eius? Denique quòd pro paruis meritis, & minimi temporis bonis operibus noſtris, quæ tamen ipſa non facimus etiam, niſi per gratiam eius, tantam nobis mercedem promittit, ac donat in vita æterna; quid eſt, niſi bonitas eius? O igitur quàm bonus & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus, vt ait Sapiens ille! Quomodo nomen bonitatis eius ſuperat omnem dulcedinem vnguenti ſuauiſſimi! Similis autem eſt ratio de alijs, quæ diximus, cunctis nominibus eius. Dicitur omnipotens. quid ſuauius, vel iucundius pro nobis? Quia enim omnipotens eſt, habet vnde impleat abundè omnem neceſſitatem noſtram, omne deſiderium noſtrum. Rurſus, quia omnipotens eſt, tuetur nos contra omnes hoſtes noſtros. Omnipotentia eius facit, vt dicamus confidenter: Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet cōtra me. Item, Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Quid magis facit ad conſolationem noſtram? Sic, quia verax eſt Deus, ſecurè expectabo euentum & complementum omnium promiſſionum eius. Promiſit ſe recepturum in gratiam pœnitentes: non deſperabo igitur; in quæcumque peccata incidero. Promiſit ſe ſuos non deſerturum in periculis: ergo, in quamcumque aduerſitatem incidero, bona ſpe ero. Verax eſt enim qui promiſit.

Sed Deus iuſtus eſt etiam. Verum eſt. Quid dulcedinis vel conſolationis affert nomen iſthuc? Videtur hoc plenum tantùm formidinis eſſe ac terroris. Nequaquam. In illo Dei nomine, tam multum dulcis vnguenti, tam multum conſolationis eſt, quàm in alijs. Tantùm, ne nos indignos faciamus gratia Dei, & fructu iuſtitiæ eius. Alioqui omnia eius nobis terrori erunt: & meritò. Sed videamus quid ſentiendum ſit de iuſtitia Dei. In primis, quia iuſtus eſt; non obliuiſcetur laboris & patientiæ noſtræ in omnibus aduerſitatibus huius vitæ. Audite quid Paulus dicat Apoſtolus: Non enim iniuſtus eſt *Hebr. 6.*
Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri boni. Neminem ergo pigeat Deo ſeruire. Iuſtus eſt: vnicuique pro bono miniſterio ſuo iuſtam mercedem dabit. Reges huius mundi, & alij multi, iis qui benè & fideliter & longo tempore totaque vita ſua eis ſeruierunt, frequenter

quenter paruam vel nullam mercedem tribuunt: contrà ijs, qui nihil meruerunt, permultum donant. Quid ita? quia iniuſti ſunt. Non ita Dominus Deus, cuius nomen eſt, Iuſtus. Iuſtum eſt apud Deum, ait idem Paulus 2. Theſſal. 1. retribuere retributionem ijs, qui vos tribulant: vobis autem qui tribulamini, requiem nobiſcum, &c. O quomodo gloriatur idem Apoſtolus & confidit in iuſtitia Dei, 2. Tim. 4. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui. tandem: quam (coronã ſcilicet) reddet mihi in illa die iuſtus iudex. Deinde, tam laudabilis eſt iuſtitia Dei, in punitione malorum & impiorum, quàm in coronatione bonorum. Valdè magnam conſolationem accipiunt iuſti & electi Dei, ex eo quòd hoſtes ſui & gloriæ Dei perperui iuſtã tandem peccatorum ſuorum ſententiam & ſupplicium accipiunt in damnatione æterna: quodq́ue tanta illorum impietas non ſemper manet impunita. Sed ea de re hîc multa dicẽda eſſent. Vis non timere poteſtatem, iuſtitiam Dei? Benè fac, & habebis laudem ex ea, &c. Quid autẽ dicemus de illa laude iuſtitiæ Dei; quòd, cùm fideles eius & electi non poſſent pro peccatis ſuis, quæ in Deum commiſerant, ſatisfacere, & tamen eos ſaluare vellet, tranſtulerit omnem ſatisfactionem eorum in proprium filium ſuum, in illumq́ue exercuerit ſeueritatem iuſtitiæ ſuæ; vt & electis ſuis parceret, & iuſtitiæ ſuæ nullam iniuriam faceret? Hæc laus iuſtitiæ Dei, pro electis eius, omnem laudem & admirationem ſuperat. Ergo, quacumque parte Deum inſpicimus, quæcumque in eius nomine conſideramus, omnia ſunt plena conſolationis & ſuauitatis. De omnibus verum eſt, quod hîc dicitur, Oleum effuſum nomen tuum.

Rom. 13.

Sed quid hæc omnia ad propoſitum noſtrum, ad præſentem actionem & conſecrationem ſacri Chriſmatis? Quia Deus tantæ eſt ſuauitatis in natura ſua, inq́ue omnibus operibus ſuis erga electos ſuos; ideò gratiam ſuam nobis communicare voluit, ad ſalutem animarum noſtrarum, pro omni neceſſitate vitæ huius, & auxilio ad vitam æternam conſequendam, per creaturam naturæ dulciſſimæ, id eſt, per oleum. Hinc omnia pænè Sacramẽta, quæ & gratiæ eius inſtrumenta ſunt, & æternæ ſalutis noſtræ, in oleo inſtituit. vt, dum Sacramentis huiuſmodi, quibus carere non poſſumus, ex tã ſuaui materia confectis quotidie vtimur; ſemper ita Diuinæ ſuauitatis, bonitatis, miſericordiæ, & charitatis erga nos recordaremur: illudq́ue recordantes excitemur aſſiduè in amorem eius: amantes autem illum, ab eo viciſſim amemur; omniaq́ue ita ab eo quæ volumus conſequamur. Neque quærit Deus, vt illius recordemur eumq́ue amemus propter ſe. Nihil enim illi vtilitatis accedere poteſt ex amore noſtro. Quòd ſuauitatis eius recordamur, quòd eum diligimus, omnia illa vergunt in vtilitatem & ſalutem noſtram. Ideò ergo nunc & ſacrum Chriſma, & alia ſancta olea, pro materia Sacramentorum, atque ad varios ſacros vſus ſalutis noſtræ, conſecrauimus, vt vidiſtis. Hoc vnum eſt, quod diſcere poſſimus ex verbis iſtis, Oleum effuſum nomen tuum: ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. Latent & alia multa ac maiora myſteria in iiſdem verbis, quæ propiùs faciunt ad hoc propoſitum atque ad conſecrationem ſancti Chriſmatis. Sed temporis breuitas non patitur nos plura adducere. Dominus ſit vobiſcum & cum omnibus nobis: qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

EXHORTATIO *Decima ſuper iiſdem verbis:* OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM: IDEO ADOLESCENTVLÆ DILEXERVNT TE. *Cant.* 1.

AD meliorem intellectum eorum quæ hîc egimus, explicare vobis cœpimus, ſuperioribus annis, Scripturam illã Cantici Canticorum qua ſponſa ſpiritualis ſponſum ſuum, hoc eſt, Eccleſia ſancta Chriſtum, Redemtorem ac Dominũ ſuum, alloquitur dicens: OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM, IDEO ADOLESCENTVLÆ DILEXERVNT TE. Diximus autem atque oſtendimus vobis, hoc optimè competere in omnia Dei nomina, quæ de eo legimus in Sacris litteris; quibus̃ue naturam diuinam vel conditiones & perfectiones eius exprimimus: omnia enim Dei nomina plena eſſe ſuauitatis & conſolationis, inſtar olei. Nolumus illa hîc nunc repetere. Sed quia verba hæc ad Deum diriguntur, eiq́ue tribuuntur, non quatenus

tenus Deus eſt propriè; ſed quatenus eſt Chriſtus Eccleſiæ ſponſus, mediator inter Deum & homines, redemptor humani generis; videndum eſt, quemadmodum hæc verba illi proprie conueniant: & quomodo de illo, deque eius nomine ſpecialiter dicatur, OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM: & hic verus propriuſque ſenſus erit illius Scripturæ. Qui & optimè etiam ac propriiſſime conuenit myſterio atque naturæ Sacramentorum quæ hîc fecimus & conſecrauimus. Vt breues ſimus, pro anguſtia temporis quod habemus; ſcitis, Dominum noſtrum Eccleſię ſponſum, humani generis redemtorem, inter alia multa nomina ſpecialiter habere duplex nomen, vt ferè omnes habent homines. Habet proprium nomen, & cognomen. proprium nomen eius eſt vt ſcitis, IESVS: cognomen verò, ſeu dignitatis atque officij eius, CHRISTVS.

De vtroque hoc nomine veriſſimè aptiſſimeque dicitur, OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM. Sed nos nunc de primo & proprio eius nomine tantùm agemus: de altero, ſeu cognomine eius, ſi vitam nobis dederit Deus, aliàs. Quid ſignificat nomen IESVS? Idem quod Saluator. Hoc docet apertè ſacra Scriptura, imò ipſe quoque Angelus Dei. Cùm enim is Ioſephum, MARIÆ Virginis ſponſum, de puero, quem MARIA eius vxor iamdudum conceperat, gerebatque in vtero ſuo, inſtrueret; quis qualiſque nimirum puer ille & vnde eſſet, & ſimul quo nomine illum appellare oporteret ediceret; nempe vocandum eſſe IESVM, hoc eſt Saluatorem; ſtatim rationem adiecit nominis illius dicens: Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. O ſanctum, ô lætum & iucundum, ô benedictum nomen! ô nomen omni vino, omni ſaccaro dulcius! ô nomen omni ſolatio plenum pro nobis miſeris peccatoribus! ô quam rectè de hoc nomine dicitur, Oleum effuſum nomen tuum: Quid dulcius, quid melius, quid lætius, quid iucundius miſeris, afflictis, oppreſſis, captiuis, mortiſque ſententiam quotidie expectantibus, quàm audire Saluatorem adueniſſe, qui ab omni eos miſeria liberet, in plenamque & perfectam libertatem reſtituat? quique omnes hoſtes eorum, à quibus hactenus tam grauiter oppreſſi fuerunt, & ſemper etiam grauiora minentur, debellaturus ſit prorſus, omnique poteſtate, armis, viribus exuturus? Qui vel in itinere aliquo foris, vel in domo propria inuaditur à latronibus, qui ſpoliant eum omnibus bonis ſuis, quique multa etiam vulnera hîc ibi infligentes, eum minantur occidere; quid magis, imò quid amplius optat vel deſiderat, quàm aduenire Ieſum aliquem vel ſaluatorem, per quem à tanta violentia tantoque periculo liberetur? Et dum fortè fortuna contingit (vt fit interdum) venire quempiam qui opem ferat, quique vel capiat latrones illos, vel fugam cogat arripere, & reddere ac relinquere omnia, quæ furati erant, aut vi abſtulerant: quis explicet lætitiam, quam & in animo ſuo ſentit, & cunctis etiam geſtibus oſtendit is qui ſic liberatur? Hoc nobis Lot pius & iuſtus dicere potuiſſet, poſtquam ab Abraham patruële ſuo è manibus Regum, à quibus tenebatur captiuus, repentè liberatus fuerat. Matth. 1.

Hæc omnia nobis chariſſimi contigerunt. Incideramus in latrones, non quidem carneos [illegible] ſunt omnes homines, ſed longè peiores & potentiores, dæmones videlicet infernales: à quibus ſpoliati atq; exuti eramus cunctis bonis noſtris, quæ receperamus in prima creatione noſtra à patre noſtro cęleſti; bonis externis & internis, bonis corporis & animæ, bonis huius vitæ & futuræ; hoc eſt, temporalis vitæ & perpetuæ. Nec hoc tantùm: ſed vulnerati etiam fuimus ab ijſdem latronibus infernalibus multis plagis mortiferis; non ſolùm in toto corpore, ſed multò magis in anima noſtra, inque omnibus viribus & potentijs eius, hoc eſt, in ſenſibus noſtris, in memoria, intellectu, & voluntate. Et iacebamus ita miſerè affecti longo tempore, multis annorum millibus, ſemiuiui, & veriùs, ſemineces. Sed, ô nos in tanta tamque ineffabili infelicitate fęlices ſupra modum! Venit nobis tandem auxilium: & quidem maius meliuſque auxilium, quàm ſperare vel optare potuiſſemus. Venit auxiliatum nobis bonus Samaritanus. Quid ſignificat Samaritanus? Eſt hoc quoque dulce nomen, & de quo illud etiam rectè dici poteſt: Oleum effuſum nomen tuum. Samaritani nomen haud longè aliud deſignat quàm nomen IESV. IESVS, (vt audiſtis) idem eſt quod Saluator. Quid Samaritanus? idem, quod cuſtos. Videtis quàm pænè eadem ſint Samaritanus & IESVS. Quid enim multo aliud eſt Saluator quàm cuſtos: vel cuſtos quàm Saluator aut Seruator? Et vt intelligatis, Samaritanum hunc cum Ieſu Saluatore noſtro conuenire, non ſolùm in natura & proprietate nominis, ſed in modo etiam & ſimilitudine auxiliandi & ſaluandi: ſicut Chriſtus Ieſus nos ſaluat per oleum & vinum præcipuè; hoc eſt, per Sacramenta quæ omnia pænè in oleo aut vino inſtituit; ita Samaritanus ad curationem vulnerati illius, qui inciderat in latrones,

trones, oleum etiam & vinum adhibuit Ergo Samaritanus ille multis modis vera fuit atque expreſſa figura Iesv Saluatoris noſtri: de quo ſcripta ſunt verba illa quæ nunc vobis exponimus: Olevm effvsvm nomen tvvm.

Nomen Iesv tantæ eſt dulcedinis, inſtar olei, tantæ conſolationis, tam plenum omnis bonæ ſanctæque affectionis, tantæ virtutis & efficaciæ ad mouenda corda, & accendenda in amorem Dei; vt nemo, qui guſtum habet aliquem pietatis, videre, legere, nominare, audire've queat, ſine admiratione, ſine reuerentia erga Deum, ſine deſiderio aliquo erga laudem & gloriam eius. Inde eſt, quòd Apoſtoli omnes, Euangeliſtæ, imò omnes ſancti & pij homines, numquam ſatis nominare poſſunt nomen I e s v; ſemperque illud in ore habent. Quare? Quia ſemper in corde geſtabant, ſemper in cogitatione & memoria. Sicut nominatim de ſanctiſſimo illo Epiſcopo & Martyre Ignatio legimus; quòd poſt mortẽ eius nomen Iesv aureis litteris inſcriptum inueniebatur in corde eius. O quomodo ille ſentiebat in ſeipſo, quòd ſponſa dicit; Oleum effuſum nomen tuum: hoc eſt, plenum fragrantiſſimi odoris ſummæque dulcedinis! Sunt qui numerarunt, quoties inueniatur nomen I e s v in Epiſtolis Diui Pauli; & id legi alicubi, tametſi nunc non memini numeri. Sed hoc ſcio, numerum eſſe maiorem quam quiſquam facilè credat; vt minimum 219. vicibus. frequenter enim in vna ſententia ter quatér've & ſæpiùs etiam repetitum inuenitur apud eum nomen Iesv. Vnde hoc? Ex ſingulari amore, quo proſequebatur nomen & perſonam Iesv. Ex abundantia cordis os loquitur, inquit idem Dominus Iesvs Chriſtus. Quia ergo cor Pauli plenum erat amore Iesv, hinc toties nomen eius in ore habebat. Nec mirum de Paulo & ceteris Chriſti amatoribus in nouo Teſtamento. Idem accidit Prophetis quoque in veteri Teſtamento, cum pæne adhuc ignotus eſſet Chriſtus omniaque eius myſteria. Hinc toties in Pſalmis Dauidicis audimus nomen Saluatoris; quod non aliud eſt, quàm nomen Iesv. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam: & ſalutare tuum da nobis. Viſita nos in ſalutari tuo. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter. Viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Quod idem eſt prorſus cum eo, quod Simeon dicit in Euangelio, Viderunt oculi mei ſalutare tuum: quod paraſti ante
Abac. 3. faciem omnium populorum. Abacuc Propheta: Exultabo in Deo Iesv meo. quaſi dicat: Exultent alij in delicijs ſuis, quas quærunt in hoc mundo, in rebus caducis & perituris, frequenter etiam impuris & noxiis: alij in auro & argento, in multis agris, in magnificis domibus, alij in carnalibus voluptatibus, alij in gratia & fauore principum vel diuitum huius mundi: ego exultabo in Deo Iesv meo; hoc eſt, in ſalutari meo. qui me & à temporalibus malis liberare poteſt & futuris: qui numquam deſerit ſperantes in ſe; & tandem perducit ad ſalutem & felicitatem æternam.

Cauſa verò, cur nomen Iesv omnibus fidelibus & Deum amantibus tam gratum & amabile ſit, magna eſt admodum, & non eſt obſcura nec incognita. Propter ſalutem videlicet quam attulit Iesvs cunctis in eum credentibus, & viuentibus ſecundùm præcepta eius, vt nunc dicimus. Sed in quo ſita ſit illa ſalus, quam attulit mundo Iesvs, & propter quam Iesvs vel Saluator dicitur; hoc Angelus dicit vno verbo, vt antè audiuimus: Quia ſaluum facit populum ſuum à peccatis eorum. Hæc quidem ratio paucis verbis includit haud dubiè omnia, & quidquid ad perfectam ſalutem ac beatitudinem pertinet: attamẽ ea de re permulta eſſent dicenda vt tantæ rei plena habeatur intelligentia. Verùm hoc alteri tempori atque occaſioni reſeruabitur; quia nunc horæ anguſtia premimur. Hoc tantum iam addemus breuiter, omnem ſalutem, quam Iesvs ſeu Saluator affert, nobis conferri per Sacramenta, quæ inſtituit: quorum materiam hîc nunc, ex oleo, iuxta eius voluntatem atq; inſtitutionem, conſecrauimus. Det Deus omnibus nobis ita vti his Sacramentis; hoc eſt, tanta conſcientiæ puritate, tantaque mentis deuotione & gratitudine, vt ſalutem inde iuxta nomen I e s v conſequamur. Amen.

Exhor-

EXHORTATIO *Vndecima. Cur placuerit* CHRISTO, *omnium* SACRAMENTORVM *auctori, pleraque* SACRAMENTA *in oleo conſtituere.*

IN ſermonibus & exhortarionibus, quæ fieri ſolent in conſecratione Chriſinatis, vt non prædicetur extra materiam ſeu propoſitum, prædicandum eſt præcipue de inſtitutione Sacramentorum; & quamobrem Chriſtus maiorem partem Sacramentorum nouæ Legis in oleo & cum oleo adminiſtrari voluerit. Nam ex ſeptem huiuſmodi Saeramentis (non enim ſunt plura) quatuor ſunt, quæ cum ſacro oleo, & ferè etiam cũ Chriſmare, cõferuntur. Nempe Confirmatio, Extrema vnctio, Ordo ſacer, & Baptiſmus; quem primo loco nominare debuimus, ſi reſpiciatur ordo Sacramentorum. Quamuis enim Baptiſmi vera, propria, & ſola materia ſit aqua; tamen quiſquis baptizatur, etiam Chriſmate in verrice vngitur. Ratio eſt igitur hic quærenda, cur placuit Chriſto, omnium Sacramentorum auctori, Sacramenta pænè omnia in oleo inſtituere; & præſertim io Chriſmate, quod maxima ex parte ex oleo conficitur. Huius autem ratio rei intelligi vel explicari non poteſt, niſi natura & conditiones olei explicentur. Proinde neceſſariò in huiuſmodi ſermonibus, ſiue exhortationibus, de oleo eiuſque natura prædicandum. Per oleom enim, & qualitates effectuſque illius, voluit nobis Chriſtus naturam, effectus, & operationes ſpirituales Sacramentorum docere, quæ in oleo inſtituit. Vt ſciamus tales effectus & fructus in anima noſtra Sacramenta operari, quales videmus oleum producere in corpore noſtro, vel in alijs rebus, ad quas adhibetur.

Dicamus igitur nunc iterùm aliquid breuiter de natura & condirionibus olei, ad inſtructionem noſtram, quod Sacramentis noſtris ſalutaribus congruè queat accommodari; vt naturam, vtilitatem, & dignitatem illorum meliùs cognoſcamus. Scitis, oleum inter alias multas bonas & nobiles conditiones, naturæ eſſe lucentis ſiue ſplendentis, magnamque cum luce ſimilitudinem & cognationem habere. Præterquam enim quòd in ſe quodammodò ſplendeat, dum præcipuè aquæ aut ſimilibus rebus ſuperfunditur, vtimur eo io lampadibus vt modico lychno adhibito lucem præbeat & conſeruet. Rurſus, ſi oleum in ignem inijcias, flammam ſtatim excitat; ſi in flammam, multo eam maiorem & clariorem reddit. Et hæc vna eſt cauſa ex multis, quamobrem ſponſa myſtica in Cantico Canticorum nomen ſponſi ſui Chriſti oleo comparat, dicens: OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM. Quæ comparatio, vt intelligatis, quàm vera & apta ſit, dicite mihi, vnde ſtatim poſt mortem Chriſti tam ſubitò nouæ fidei & religionis in mundo lumen
exortum eſt? Ita vt verè tunc completum ſit toro orbe terrarum illud Prophetæ: Popu- *Iſaie 9.*
lus qui ambulabat io tenebris vidit lucẽ magnam; habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt illis. Item, Exortum eſt in tenebris lumen rectis. Vnde hoc factum? Per prædicationem nominis IESV, quod Apoſtoli portarunt & annunriarunt longè lateque vbique locorum. Nónne Deus per notitiam & ſplendorem nominis Chriſti nos quoque
hîc, vt alios omnes fideles alijs locis, è tenebris vocauit in admirabile lumen ſuum, vt *1. Pet. 2.*
Petrus Apoſtolus ait? De quo lumine loquitur? De lumine fidei & cognitionis Dei, voluntatis eius, viæ & rationis omnis conſequendæ ſalutis æternæ.

Hoc lumen cognirionis rerum tam diuinarum & ſalutarium meritò vocat Petrus admirabile. Primùm quidem, quia laus, dignitas, & pulchritudo luminis illius in ſe eſt incomprehenſibilis, inæſtimabilis. Secundò quia mirabili modo, via, ac ratione, ad lumen illud peruenimus. Si vltrò hoc lumen quæſiſſemus, & Deus nobis alicubi occurriſſet ad nos illuminandum, tamen hoc ipſum quoque fuiſſet admirabile. Quia numquam tali tantaque gratia digni fuiſſemus, tametſi illam vltrò petiſſemus. Quanto magis eſt admirabile, quòd ad gratiam illam Deus vltrò nos vocauit, quum nihil de illa vel cogitaremus vel ſomniaremus? quòd tanta luce nos illuſtrauit cùm illam odiſſemus & fugeremus, vltroque oculos clauderemus, ne nobis illuceſceret: Omnis enim qui malè agit, odit lucem; inquit Chriſtus.

Tertiò admirabile eſt lumen iſtud; quia valdè admirabilem nobis conuerſionem facit. Qui priùs erant procliues ad omnẽ peccatorũ turpitudinem, ad ebrietatem, ad impudici-

 tiam,

tiam, ad iniuſtitiam, ad ſuperbiam, ad contemtum aliorum, ad omnem mundi vanitatem & ſtultitiam; ſubitò fiunt amatores ſobrietatis, caſtitatis, iuſtitiæ, humilitatis, charitatis, manſuetudinis, veritatis, &c. ex immundis canibus caſtæ turtures, ex virulentis ſerpentibus ſimplices innoxiæque columbæ, ex crudelibus lupis manſuetę ouiculæ. Paulus Apoſtolus antè totis viribus Chriſtum perſequebatur, & quotquot eum colebant. ecce ſubitò, Chriſtum prædicat eſſe Deum, & relicto priori conſortio diuitum & potentum huius mundi, adhæret pauperibus ac ſimplicibus Chriſti diſcipulis. Non poterat
Act. 9. mundus hoc ſatis admirari. Nónne hic eſt, aiebant, qui paulò antè expugnabat nomen iſtud? & quomodo ſic totus eſt tam repentè mutatus? Talis erat etiam conuerſio Mariæ Magdalenæ, ſubitò mutata in planè aliam & contrariam. Hanc tam admirabilem mutationem facit admirabile illud lumen fidei & gratiæ Chriſti.

Denique admirabile eſt lumen illud, quia ad finē planè modis omnibus admirabilem, hominem perducit. Ad id quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis
Ephes. 5. aſcendit. De tali lumine loquitur Paulus, dicens: Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate. Quomodo? Fructus, inquit, lucis eſt in omni bonitate, iuſtitia, veritate.

O nomen IESV verè oleum, vt ſpōſa inquit; hoc eſt lucens & illuminans omnia inſtar olei in lampade vel in igne! Dum Paulus Apoſtolus hoc nomen prædicatione ſua portauit per totum mundum, vt Chriſtus ipſe futurum prædixit: quid aliud quàm nominis huius radiante ſplendore totum mundum accendit, fugans vbique tenebras infidelitatis
Rom. 15. & ignorantiæ? Hinc eſt quòd paſſim clamet & dicat: Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Item, Surge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Hoc nominis Chriſti lumen tamquam ſuper candelabrum poſuit, ad totum mundum illu-
1. Cor. 2. minandum, quando nihil aliud prædicauit vbique locorum, quàm Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum: vt ipſe teſtatur.

Sed quid eſt quòd dicimus nomen IESV corda, vel mentes hominū, vel totum mundum illuminare? Non ſic eſt accipiendum, quaſi ad ſolum nominis IESV externum ſonum vel auditionem omnis hæc mirabilis illuminatio contingat in mundo, vel in cordibus hominum. Multi enim nomen hoc dulciſſimum & ſalutiferum audiunt, multi enim ore ſonant & proferunt, qui nec nouam inde aliquam lucem, nec vllam omnino ſalutarem ad Deum conuerſionem aut affectionem ſentiant. Sed quum dicimus, nomen IESV Chriſti lucere inſtar olei, aut quempiam intus illuminare, intelligimus, per nomen Chriſti, virtutem ſpiritus & gratiæ eius, qua mentes fidelium in cognitionem & amorem accendit. Item, per nomen Chriſti, intelligimus dignitatem perſonæ Chriſti, maieſtatem & potentiam Diuinitatis eius: item, meritum paſſionis & mortis eius: item, gloriam omnem & poteſtatē, quam velut homo accepit à Deo Patre ſuo ſuper omnes creaturas in cælo & in terra, merito humilitatis atque obedientiæ ſuæ; ſicuti Paulus ea de re loqui-
Phil. 2. tur dicens: Quia humiliauit ſeipſum factus obediens vſque ad mortem: proptereà dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur, &c. Sub quo etiam comprehenditur totum Euangelium eius: poteſtas omnis, quam dedit Apoſtolis ſuis totique Eccleſiæ, ad erectionem, promotionem, adminiſtrationem & gubernationem regni ſui. Denique leges etiam, & Sacramenta, quæ in eumdem finem inſtituit; & ſimilia. Hæc omnia ſpectant ad nomen Chriſti, in eoque includuntur, quando mundus per nomen Chriſti vinci dicitur, conuerti, illuminari, ſanctificari, ſaluari, &c. Et ſic etiā intelliguntur omnes Scripturæ, quæ de nominis Chriſti gloria, virtute, vel operatione loquuntur. In nomine meo dæmonia eijcient. In nomine Ieſu Chriſti ſurge & ambula, dicebat Petrus claudo. Idemque alibi: Non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oportet nos ſaluos fieri. Non aliter itidem intelligere conuenit Scripturam, quam tractamus: Oleum effuſum nomen tuum. Nihil eſt eorum quę iam diximus ad nomen Chriſti pertinere, vel in eo includi, de quo non verè dici queat: Oleum effuſum nomen tuum, & quod non magnam habeat ſimilitudinem cum natura olei: ac nominatim cum luce & claritate olei de qua nunc præcipuè loqui & prędicare cœpimus. Declarabimus hoc breuiter de Sacramentis, quæ eo oleo fiunt, vel in quorum vſu ac adminiſtratione oleum ſiue Chriſma, quod nunc hîc conſecramus, adhibetur. Quæ Sacramenta, ſicuti omnia etiam alia, virtutem omnem & efficaciam habent ad purgationem & ſanctificationem conſcientiæ noſtræ, à nomine Chriſti; hoc eſt, à virtute diuinitatis ipſius, & à merito item paſſionis ac mortis eius.

Multi

Multi & varij ſunt effectus ſalutares, quos operantur Sacramenta in animabus noſtris: ſed inter omnes primus ferè & pręcipuus eſt illuminatio cordis noſtri per fidem, in agnitionem Dei, omniſque voluntatis eius, ad iuſtificationem & ſalutem noſtram. Quemadmodum enim omnia ferè peccata ex tenebris cordis, hoc eſt, ex Dei & voluntatis eius ignorantia, proueniunt; ſic omnia bona, omnis fructus iuſtitiæ & ſalutis æternæ, ex lumine fidei & agnitionis Dei proficiſcuntur. Ad quod diuinum & cæleſte lumen acquirendum nihil æquè nos iuuat atque participatio deuota Sacramentorum Chriſti. In Baptiſmo, quem ſcitis (vt antè etiam admonui) non dari ſine ſacro Chriſmate, ſic illuminantur mentes hominum; vt propterea Baptiſmus olim tam apud Græcos quàm apud Latinos Sacramentum illuminationis communiter vocaretur. Idem fit etiam in vltimo Chriſtianorum Sacramento, Extremæ vnctionis videlicet: quod etiá ſcitis in oleo adminiſtrari; vnde & nomen habet. Effectus illius Sacramenti proprius eſt ægrotum releuare, vt Iacobus docet Apoſtolus: quod non aliud eſt, quàm intus illuſtrare mentem ægroti, vt firma fide, & ſpe, (quæ duæ virtutes præcipua ſunt lumina animæ noſtræ) in Deo recumbat, ſuauiſſimis Dei promiſſionibus ſeipſum conſolando & conſortando.

In Sacramento Ordinis, quod Sacerdotibus per ſacrum Chriſma donatur, quo manus illorum vnguntur, illuminantur Sacerdotes per gratiam Spiritus ſancti, cuius ſacrum Chriſma figuram gerit; vt intelligant rationem & naturam officij ſui, ad doctrinam, inſtructionem & exemplum aliorum. De ijs enim dicitur per Prophetam Malachiam: *Malach.2.* Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt. Sed præcipuum Sacramentum, quod in oleo & ſacro Chriſmate adminiſtratur, Sacramentum eſt Confirmationis. An hoc quoque mentes noſtras olei inſtar illuminat? Declarabo id vobis per quamdã huius Sacramenti figuram deſcriptam in veteri Teſtamento: omnia namque Sacramenta noui Teſtamenti præſignata ſunt iam olim multis pulcherrimis figuris veteris Teſtamenti. Quod ſic facere voluit Deus, vt hac ratione meliùs nobis Sacramentorum noſtrorum dignitatem oſtenderet & commendaret. Quod autem ad Confirmationis Sacramentum attinet, inter alias illius figuras, inſignis extat Exodi 13. Optimus atque omnipotens Deus inter multa alia admiranda opera & miracula quę fecit in gratiam populi ſui Iſrael, cùm educeret eos ex Ægypto, & quadraginta annis ſeruaret in deſerto; hoc quoque eis præſtitit, quòd omni tempore die ac nocte ſuper tantam multitudinem altè in aëre ingentem columnam ſuſpendit, tamquam denſam nubem: quæ per diem illos defendebat ab ardore ſolis, qui alioqui magnus admodum atque intolerabilis fuiſſet in arido patuloq; deſerto; & in nocte, tamquam igne maximo in cælo accenſo, lucem præbebat gratiſſimam. Columnaque illa cæleſtis ſemper antecedebat populum, quocumq; pergendum erat: ita vt quamdiu illa ſe non mouebat, ipſi quoque ſibi quieſcendum eſſe intelligerent; & quò ire videbant columnam, eò ſequendum. Hæc columna in primis optimè aptiſſimeque ſignificabat Spiritum ſanctũ, qui & ignis eſt Diuinus, conſumens & extinguens in nobis humores omnes noxiæ concupiſcentiæ: & lux eſt animarum noſtrarũ, & vmbra in qua pij omnes ſuauiter requieſcunt. Vnde & Gabriel Angelus MARIÆ Virgini dicebat; Spiritus ſanctus obumbrabit tibi. *Luc.1.* Et eſt ductor fidelium atque electorum in deſerto mundi huius ad terram promiſſionis ſupernæ; ſicut ſcriptum: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. *Pſal.142.* Propter hanc autem ſignificationem accommodatur etiam hæc columna congruè admodum Sacramento Confirmationis. Hoc enim Sacramentum propriè & ſpecialiter Sacramentum ſeu donum Spiritus ſancti nominatur, etiam in Scripturis ſacris: vt puta Actuum 8.19. & alijs locis

Sed videamus & alias quaſdam ſimilitudines inter columnam illam & Confirmationis Sacramentũ. Columna illa data ac miſſa fuit cælitus filijs Iſraël, quum primùm mare Rubrum pertranſiſſent. Mare illud Rubrum manifeſtè figura fuit Sacramenti Baptiſmi, vt Paulus etiam aptè declarat, Corinth.10. Et ratio eſt in promtu: ſed nimis longum eſſet hîc referre. Sicut autem filij Iſraël, poſtquam mare Rubrum tranſierant, ſtatim beneficium illud nubis ſeu columnæ cæleſtis à Deo acceperunt: ita primum Sacramentum, quod fideles recipiunt in Eccleſia poſt Baptiſmum, eſt Sacramentum Confirmationis, in quo datur iis ſingulariter Spiritus ſanctus. Denique, ſicut columna illa interdiu Iſraëlitas ab æſtu ſolis, & noctu à tenebris defendebat: ſic in Sacramẽto Confirmationis datur Spiritus ſanctus, quo fideles nunc quidem muniuntur & confirmantur contra ardorem omnium tentationum & perſecutionum quarumlibet, nunc verò illuminantur in mente

aduerſus tenebras omnes errorum & ignorantiæ. Vt & viam ad cæleſtem patriam clarè videant atque agnoſcant;& fortiter conſtanterque percurrant. Sic nimirum ſancta olea, quæ nunc conſecrauimus in vſu Sacramentorum, illuminant multipliciter animam noſtram ad ſalutem æternam. Atque ita intelligitis, quomodo hîc locum habet Scriptura illa; Oleum effuſum nomen tuum: quatenus videlicet naturæ eſt illuminantis. Concedat nobis benigniſſimus Dominus, vt tantis myſteriis Diuina eius bonitate illuminati, purgati,& ſanctificati,ad vitam perueniamus æternam;quò nos per huius deſerti horroris pleniſſimi peregrinationem, lumen gratiæ eius admirabile clementer deducit. Amen.

EXHORTATIO *Duodecima, ſuper verbis,* OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM. *Cant.* I.

MVLTAE habentur multis locis in ſacris Litteris laudes atque encomia olei. ſicut eſt oleũ certè vna ex nobiliſſimis & humano generi vtiliſſimis creaturis quas fecit Deus: de creaturis arborum, fruticum, & plantarum loquendo, vel de illarum fructibus. Vnde & cùm arbores quodam tempore regem ex ſe facere vellent, vt non eſſent minoris dignitatis, quàm beſtiæ terræ, quæ regem habent leonem; vel quàm aues cæli, quarum rex dicitur eſſe aquila; primùm omnium itum eſt ad oleam, illaque primo loco rogata eſt communi arborum omnium nomine, vt dignaretur arborum rex eſſe. quæ prudenter reſpondit, ſe dignitatem illam quæ tale tantumque onus coniunctum habet non quærere,non deſiderare,nec velle accipere. Hiſtoria iſthæc deſcribitur, ne putetis leuem aut ridiculam rem eſſe, non in fabulis Æſopi, ſed in Scripturis ſacris, Iudicum 9. Quam Scripturam hîc tamen explicare nolumus: tantùm breuiter illius mentionem facio,vt intelligatis,Scripturam ſacram valdè laudabiliter & honorificè vbique de olea arbore loqui, ſeu de oleo, quòd ex fructibus arboris illius exprimitur: ſicuti vinũ exprimitur ex fructibus vitis. Sed nuſquam videtur Scriptura plus laudis & honoris oleo tribuere, quàm initio Cantici Canticorum, vbi oleum comparatur nomini Dei, ſeu Chriſti filij Dei Redemtoris mũdi, & ſponſi Eccleſiæ ſeu ſocietatis fidelium & electorum hominum. Oleum effuſum nomen tuum; inquit ibi ſponſa Chriſti, Eccleſia ſancta.

Scitis nihil eſſe in toto mundo maius, laudabilius, excellentius, auguſtius, nomine Dei. Vnde illud Pſal. 112. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum,ex hoc nunc & vſque in ſæculum. A ſolis ortu vſque ad occaſum, laudabile nomen Domini. Nónne ergo valde excellens, & magnæ dignitatis eſſe debet, quod Dei nomini conferatur, vel cui comparetur nomen Dei? Videmus autem ſponſam Chriſti,cùm de dignitate, laude,gloria & excellentia admirabili cogitat nominis Dei, & quærit atque circumſpicit cuinam ex omnibus creaturis nomen Dei quàm optimè comparare queat, nihil inuenire,quod meliùs ad hanc rem ſeruiat quàm oleum. OLEVM, inquit, EFFVSVM NOMEN TVVM: IDEÒ ADOLESCENTVLÆ DILEXERVNT TE.

Sed hîc ante omnia meminiſſe debetis,quod ſuperioribus annis diximus:ſpõſam hanc myſticam loqui non generaliter de omni & quouis nomine Dei, ſed de nomine ſponſi ſui. Quemadmodum etiam non ſimpliciter Deum alloquitur quouis modo conſideratum, nec quamuis Dei perſonam; ſed eam,qui eſt Filius Dei, Deus & homo; & ſecundùm humanam naturam ſponſus Eccleſiæ. De huius nomine hîc propriè loquitur, dicens: Oleum effuſum nomen tuum. Quodnam autem proprium nomen ſit Chriſti Filij Dei ſecundùm humanam naturam ſuam, omnes noſtis. vocatur enim Redemtor & Saluator noſter,Mediator Dei & hominum, vt Apoſtolus ait, proprio nomine IESVS. Quod nomen illi nec à patre eius qui putabatur, nec à matre fuit primùm impoſitum; ſed à Patre ipſius cæleſti, idque non modò ante Natiuitatem eius, ſed etiam priuſquam conceptus eſſet in vtero matris ſuæ; vt hiſtoria docet Euangelica. Sed cur nomen iſthuc
Lucæ 2. comparatur oleo? Quid ſimilitudinis habet nomen IESV cum hac ſubſtantia; vel natura olei cum nomine IESV? Et debemus hîc non modò bonam aliquam & conuenientem ſimilitudinem inuenire inter hæc duo, ſed notabilem etiam, magnam, ſalutarem,& ſingularem ſimilitudinem. Propterea quòd ſponſa Chriſti, inſtructa haud dubiè & illu-

& illuminata à Spiritu ſancto, qui auctor & dictator eſt omnis ſacræ Scripturæ; cùm vellet pulcherrimum, digniſſimum, & excellentiſſimum nomen IESV alicui rei comparare, omnibus alijs rebus & creaturis totius mundi prætermiſſis, elegit oleum, ſiue vnguẽtum ex oleo confectum: illi vni rei alijs præ ceteris omnibus nomen IESV ſponſi ſui comparauit. Et certè valdè benè & prudenter elegit. nulli enim rei meliùs aptiuſque comparari poteſt nomen IESV, quàm oleo: idque propter multas vtiliſſimas & nobiliſſimas conditiones, quę ſunt in oleo. Habet enim oleum multiplicem vſum in vita humana, atque ad ſuccurrendum variæ infirmitati, indigentiæ ac neceſſitati noſtræ. Et quidem vtile eſt oleum ad multos humanæ vitæ vſus etiam ſolum, & ſine adiunctione alterius rei cuiuſquam: valet etiam ad multa dum alijs rebus admiſcetur. Dicunt enim, qui rerum harum periti ſunt, nullum pęnè pretioſum vnguentum fieri, in quemcumque vſum, ſine oleo. Vnguentorum omnium prima ſemper & principalis ſubſtantia eſt oleum. Prout autem oleo aliæ atque alię ſpecies aromaticæ miſcentur, ita fiunt diuerſa genera vnguentorum. Hinc dicitur oleum nardi, oleum myrrhæ, oleum liliorum, oleum balſami, &c. Qua de re habemus hiſtoriam inſignem in ſacris Euangelijs, quæ non malè quadrat propoſito noſtro, ad declarationem virtutis & præſtantiæ olei; atque ad intelligẽdum quàm rectè nomini IESV, nomenque hoc oleo comparetur.

Cùm eſſet IESVS paulò ante mortem & paſſionem ſuam Bethaniæ inuitatus ad cœnam apud Simonem quemdam leproſum, vnà cum Lazaro, quem paulò antè à morte excitauerat; erant ibi quoque ſorores Lazari, Martha & Magdalena. Quarum Martha *Ioan. 12.*
ſuo more Domino miniſtrabat, præerat culinæ & curam gerebat vt conuiuium benè inſtrueretur: Magdalena autem emerat libram vnguenti nardi pretioſiſſimi, quo pedes Domini & caput vnctum veniebat. Quod oleum nardinum non ſolùm erat excellentiſſimi odoris, ad recreationem communem omnium conuiuarum, ſed habebat etiam virtutem ſingularem ad conſortandum corpus labore fatigatum, ad reſtaurationem virium corporis perditarum, adeoque etiam ad reficiendum & exhilarandum ſpiritum & cor recreandum. Sic pia & ſancta Magdalena, magno & ſanctiſſimo amore ardens in Dominum IESVM, & tanti illum faciens, vt putaret ſe numquam illi ſatis poſſe pro eius dignitate præſtare, in quo & minime fallebatur; ſciens Dominum multis laboribus longaque profectione valdè laſſum eſſe, primùm omnium pedes Domini feſſos lauit aqua munda ad hoc præparata: deinde eoſdem terſit capillis ſuis. Quod mirũ videri poteſt, cur ita facere voluerit Magdalena, nempe lotos Chriſti pedes capillis proprijs potiùs quàm linteo aliquo mundo de more abſtergere. Niſi fortè quòd meminiſſet hoc modo peccatorum ſuorum remiſſionem primùm impetraſſe, & quod tunc Chriſto gratum fuiſſe nouerat, putaret nunc quoque ex eadem erga eum bona & ſancta affectione profectum, non ingratum futurum. Lotos autem pedes Domini & abſterſos vnxit deinde pretioſiſſimo vnguento, quod ſecum attulerat. Cumque pedes Domini benè vnctos videret, ſibique multum adhuc vnguenti ſupereſſe, fracto alabaſtro, quidquid vnguenti in imo fundo erat, effudit in caput Domini, vt inde deflueret in totum corpus, cunctaque membra reficeret, vt Matthæus & Marcus teſtantur. Ita factum vt non modò cœnaculum to- *Matth. 26.*
tum & conuiuæ omnes vnà recrearentur ſumma ſuauiſſimi odoris fragrantia, ſed tota *Marc. 14.*
etiam domus, vt Ioannes ait, odore optimo repleretur. O quàm benè ibi locum habebat *Ioan. 12.*
ad litteram quoque illud Cantici: Cum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit o- *Cant. 1.*
dorem ſuum! Qui bonus odor non modò confortauit corpus Chriſti, ſed magnoperè etiam exhilarauit cor & ſpiritum eius: cùm non poſſet illi non eſſe gratiſſimum, quod ſciebat ab optima & ſanctiſſima piæ mulieris affectione proficiſci. Quamuis enim Chriſtus pro ſe non admodum quærebat huiuſmodi commoditatem, ſeu delicias corporis; tamen ſumtus omnes & ſtudia, quæ verè in Dei gloriam ſincero animo referuntur, ſunt illi ſemper gratiſſima. Denique tam lætificauit Chriſtum hæc vnctio, quàm Iudę proditori ſumme diſplicuit; qui nulla affectione erga Dominum tenebatur, nec quidquam boni illi optabat, homo omnium, qui vmquam fuerunt ſub cælo, peſſimus & ingratiſſimus.

Redeamus nunc ad nominis IESV cum oleo comparationem, & ad Scripturam quam tractamus, Oleum effuſum nomen tuum. Audiuiſtis, oleum cum nardo & ſimilibus aromatibus odoriferis miſtum atque compoſitum, corpus laſſum atque infirmum reficere, vires reſtaurare, animumque adeò & cor ipſum ſuauiſſimo odore atque admirabili virtute ſua exhilarare. Vnde & notum eſt, athletas olim apud ethnicos vngi conſueuiſ-

ſe,vt fortiores eſſent ad pugnandum. Huc etiam ſpectant Scripturæ illæ Pſal. 103. Vt exhilaret faciem in oleo. & 108. Genua mea infirmata ſunt a ieiunio,& caro mea immutata eſt propter oleum, id eſt, propter defectum olei: quia longo tempore vnctus non ſum. Denique, huc facit hiſtoria illa 2. Paralip. 28. cùm filij Iſraël magnã multitudinẽ vtriuſque ſexus in bello cepiſſent, fratrum ſuorum regni Iudæ, admoniti a Propheta, omnes domum remiſerunt; priùs tamen cibo refectos & vnctos propter laborẽ & laſſitudinem: vt ibi dicitur. Sed, quid hæc ad propoſitũ noſtrum? Nimirum hæc omnia facit in anima noſtra, admirabili virtute ſua, nomen Iesv: confirmat vires interiores animæ noſtræ, voluntatẽ, intellectum, memoriã; adhæc exteriores quoque, viſum, auditũ, guſtum, tactum, &c. ad officia ſua & actiones omnes ſecundum legem Dei, ad eiuſq́; honorem peragendas; ne aliqua infirmitate deficiant, aut ſuccumbant: imò & animum ac fortitudinem præbet, ad quæuis miracula ad Dei gloriam facienda. Marci vltimo: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, &, ſi mortiferum quid biberint, non
Act. 3. eis nocebit; ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt. In nomine Iesv Nazateni (dicebat Petrus claudo ex vtero matris ſuæ) ſurge & ambula: & ita ſtatim factum eſt.

Denique quis Apoſtolos tam fortes fecit, vt loqui auderent, & prædicare Euangelium coram quibuſuis Regibus & Principibus terræ? Nomen Iesv. Quid eſt autem, quod Fideles omnes in labonoſa via ſalutis, atque in pugna aduerſus peccatum, frequenter valdè laſſos, propter infirmitatem carnis & naturæ corruptionem, adiuuat, confirmat, teſtaurat, redintegrat: Virtus nominis Iesv. Poſtremò, quid bonos omnes Chriſtianos fideles ſeruos Dei, in corde, in omni vitæ huius triſtitia, atque miſeria, lætificat, exhilarat, recreat, vt cum gaudio & exultatione ſpiritus currant per viam mandatorum Dei? Dulcedo ingens & virtus nominis Iesv, quam in ſe ſentiunt. Nomen Iesv eſt omnis fortitudo noſtra: nomen Iesv eſt omnis fiducia, omnis ſpes, omne ſolatium & gaudium noſtrum: nomen Iesv totum mundum exhilarauit. Qui vincti ſedent in carcere mortis ſententiam quotidie metuentes, ſi ſpem habent alicuius liberatoris aduenturi, ad nomen illius, quoties illud audiunt, gaudio exultant. Sic in veteri Teſtamento iuſti omnes, qui ſe exules eſſe ſciebant à cæleſti Paradiſo, abiectos à facie Dei propter peccatum, & in hoc mundo eſſe velut in carcere; quoties nominabatur Meſſias venturus, gaudio exultabant. ſemper habebant in ore ſalutare Dei; quod Iesvm ſignificat, vti ex tota Scriptura ſacra liquet. O quanto maius erat gaudium in Eccleſia Chriſtiana, quando Iesvs mundi Saluator, & humani generis Liberator, iam aduenisse nuntiabatur! Tunc autem verè omnes Domino Iesv dicebant illud Iſaiæ 26. Nomen tuum & memoriale tuum in deſiderio animæ meæ.

Et quonam modo, quibúſve medijs factus eſt mundus particeps virtutis & fortitudinis nominis Ieſu? Quomodo nos iuuat, reficit, reſtaurat nomen Dei infirmitatem & laſſitudinem noſtram? quomodo confortat vires omnes animæ noſtræ? quomodo exhilarat ac lætificat cor noſtrum? Partim per verbum Dei, & prædicationem doctrinæ Euangelicæ; partim verò per gratiam Sacramentorum. Hæc eſt cauſa cur omnia fere Sacramenta noui Teſtamenti in oleo inſtituerit Dominus. atque in illum finem & vſum nunc hęc diuerſi generis olea conſecrauimus; vt ſint vera & certa inſtrumenta, per quæ in interiori homine reficiamur, confortemur, conſolemur, & exhilatemur in omni labore, difficultate & triſtitia huius vitæ: donec perueniamus in vitam æternam. Quam omnibus nobis tandem elargiri dignetur Omnipotens. Amen.

F I N I S.

I N-

INDEX
LIBRORVM ET CAPITVM
PETRI SIMONIS TILETANI
EPISCOPI YPRENSIS.

De VERITATE Libri ſex.

PRIMVS De ſumma, atque æterna Veritate. fol.1.
SECVNDVS De Veritate Religionis. 19.
TERTIVS De Veritate cauſarum, rerumq́; naturalium. 90.
QVARTVS De Veritate morali, quæ virtus eſt. 102.
QVINTVS De mendacio & hypocriſi, vitijs Veritati oppoſitis. 121.
SEXTVS De laude Veritatis, eiuſque præclaris conditionibus. 139.

CAPITA LIBRI PRIMI

De ſumma atque æterna Veritate.

I. *DE Veritate propoſitionis, obiter: tum verò de Veritate æterna.* fol.2.
II. *Ens, vnum, verum, & bonum, in omnibus creaturis inueniri; ſed ſingulariter in Deo.* 4.
III. *Quomodo rectè intelligi ac dici queat, vnum eſſe ente maius & ſuperius.* 6.
IV. *Meliùs adhuc & penitiùs examinantur nomina Dei, ad intelligendam perfectionem ſummam & infinitam naturæ eius. Doceturq́;, quonam modo per quatuor velut gradus, ad caliginem aliquonſque perueniatur, in qua Deus habitat.* 7.
V. *Quæ vtilitas ex iam dictis, ad rectam vitæ rationem ſit capienda.* 10.
VI. *Quomodo, & quamobrem Veritas appropríetur Filio Dei magis quàm Patri, vel Spiritui ſancto.* 11.
VII. *De veritate verborum & promiſsionum Dei.* 14.
VIII. *De veritate minarum ac ſuppliciorum impijs à Deo prædictorum.* 15.
IX. *Differentia gratiæ & veritatis Chriſti, à lege Moyſi.* 16.
X. *Quid per Veritatem in præfatis S. Ioannis ſententijs intelligendum.* 17.

CAPITA LIBRI SECVNDI

De Veritate Religionis.

I. RELIGIO, *res eſt homini naturaliter inſita.* fol.19.
II. *Sententiarum ſelectarum explicatio, quæ religionis naturam ob oculos ſtatuunt: & primum, Quomodo Deus vocetur ſpiritus.* 21.
III. *Quid ſit, Deum in ſpiritu & veritate adorare.* 22.
IV. *Aliæ adhuc interpretationes adorationis Dei in ſpiritu & veritate.* 24.
V. *Quare Deus velit à nobis adorari in ſpiritu.* 26.

VI. *De Dei adoratione in Veritate.* 26.
VII. *Quinque quæſtiones ex iam prædictis emergentes; quarum hoc capite prima diſſoluitur; vt ſequentibus reliquæ.* 28.
VIII. *Quæſtionis ſecundæ declaratio.* 29.
IX. *Tertiæ quæſtionis elucidatio.* 30.
X *Quæſtio quarta declaratur & diſſoluitur.* 31.
XI. *Quintæ quæſtionis ſolutio.* 35.
XII. *Pulchra Veritatis elogia, ex S.Scripturæ ſententijs deſumta.* 36.
XIII. *Quibuſnam à Domino cognitio Veritatis promittatur.* 38.
XIV. *Quomodo Veritas liberet nos: & de varijs ſeruitutis generibus.* 39.
XV. *A quibus ſeruitutis generibus per Chriſtum liberemur.* 40.
XVI. *Quomodo Chriſtus ſit via: & de viæ conditionibus, occaſione ſequentis Chriſti ſententiæ;* Ego ſum via, Veritas, & vita. *Ioan.* 14. 44.
XVII. *Perueniendi deſiderium quò via ducit; & viæ notitia.* 46.
XVIII *Ambulandum nobis per viam, qui Chriſtus eſt.* 46.
XIX. *Quamobrem ſe Chriſtus nominet Veritatem: & Concertatio hæreticorum cum Catholicis, ſuper hac veritate.* 48.
XX. *Amplior explicatio horum trium;* Via, Veritas, & Vita; *ſed primùm, quædam de* Vita: *Et Oratio ad Filium Dei, Chriſtum.* 50.
XXI. *Explicatio ſequentis ſententiæ, per aliquot capita:* Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundnm, vt teſtimoniũ perhibeam veritati, *&c. Et primùm, de differentia Regni Chriſti, à regnis mundanis.* 54.
XXII. *Regnum Chriſti, regnum Veritatis, in ſalutem omni credenti.* 56.
XXIII. *Quam qualémve Veritatem Chriſtus docere venerit.* 57.
XXIV. *Quo teſtimonio indigeat Veritas, cùm ipſa potiùs teſtimonium perhibeat reliquis omnibus.* 58.
XXV. *Omnis, qui eſt ex Veritate, audit vocem meam.* 59.
XXVI. *Quid mouerit Chriſtum, tam ſublimis materiæ, Veritatis nempe diuinæ, mentionem facere coram Pilato.* 60.
XXVII. *Quid ſibi velit, quòd Chriſtus ingreſſum ſuum in mundum, duplici modo loquendi ſignificarit, In hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum.* 61,
XXVIII. *Cur Deus Pater Filio regnum dederit, quod in Veritatis prædicatione conſiſtit; & non potiùs aliquod ſimile aliorum regnorum.* 62.
XXIX. *Excellentia regni ſpiritalis, quoad Veritatis doctrinam & prædicationem, præ regni cuiuſque terreni maieſtate; tum ex dignitate muneris, tum ex eiuſdem vtilitate.* 63.
XXX. *Collatio adminiſtrationis poteſtatis Eccleſiaſticæ, cum adminiſtratione magiſtratus ſæcularis.* 65.
XXXI. *Præcellentia Regni Chriſti, præ omnibus regnis mundi.* 66.
XXXII. *De Pilati interrogatione;* Quid eſt Veritas? *& de cauſis non acceptæ reſponſionis.* 68.
XXXIII. *Quidnam Dominus Pilato reſpondere potuiſſet, quærenti,* Quid eſt Veritas? 72.
XXXIV. *Sententiæ ſequentis excuſſio;* Reuelatur ira Dei de cælis, ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent. *Et paulò pòſt;* Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium. *Rom.* 1. 74.
XXXV. *Sententiæ alterius Paulinæ ventilatio;* Inuiſibilia enim ipſius, *&c. Rom.* 1. 77.
XXXVI. *De lege Naturæ: an, & quantum hominibus contulerit, ad Dei notitiam, & mandatorum obſeruationem.* 79.
XXXVII. Deus omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem Veritatis venire. 1.*Tim.*2. 80.
XXXVIII. Eccleſia Dei, eſt columna & firmamentum Veritatis. 1.*Tim.*3. 81.
XXXIX *Quænam ſit Eccleſia; & quæ eius notæ.* 82.
XL. *De Eccleſiæ, Scripturæq; ſacræ auctoritate: deq; mutuo, quod ſibi inuicem præbent, teſtimonio.* 84.
XLI. *Qua ratione, ſeu per quid fiat, vt Eccleſia ſit columna & firmamentum Veritatis.* 86.
XLII. *Quænam Veritates credendæ ſint de neceſſitate ſalutis.* 87.

CAPITA

CAPITA LIBRI TERTII

De Veritate cauſarum rerumque naturalium.

I. TAMETSI *Veritas cauſarum rerumq́ naturalium, atque eius cognitio, ad ſalutem non ſit neceſſaria; nuſquam tamen rectiùs inuenitur, quàm in Eccleſia Dei, atque apud fideles & electos.* fol. 90.
II. *Qui primi omnium, ſcientiâ rerum naturalium floruiſſe credantur.* 91.
III. *Gentiles admodum ſtudioſi fuerunt Veritatis naturæ, in cælo, terra, mari, rèbuſq́ vniuerſis exquirendæ.* 91.
IV. *De Medicinæ, legum, & Philoſophiæ inuentoribus, & inuentione.* 92.
V. *Naturaliter homo nullius rei amore magis capitur, quàm Veritatis.* 93.
VI. *Quæri ſolet & diſputari; An facilis ſit Veritatis inuentio.* 94.
VII. *Quid cauſæ lateat, cur aliqui nullo modo, aliqui verò non niſi cum maximo labore ad veri cognitionem perueniant.* 96.
VIII. *Iuſto iudicio, tametſi ſecreto, Deus gentiles à notitia ſummæ & ſaluificæ veritatis exclusit, cùm eoſdem ad naturalis veritatis inuentionem, & quidem tam eminentem, admiſerit.* 98.
IX. *Ethnicorum ſapientia ipſis ad ſalutem non profuit; & prodeſt nobis, quibus data non fuit.* 99.
X. *Vt doctrinis gentilium, ita quoque ſcriptis hæreticorum vti licet in bonum, habita legendi facultate.* 101.

CAPITA LIBRI QVARTI

De Veritate morali.

I. ESSE *aliquam veritatem, quæ ſit & dicatur virtus.* fol. 102.
II. *Qualiſnam ſit virtus, Veritas.* 102.
III. *Quid interſit, inter virtutem Veritatis & fidei.* 103.
IV. *Virtus Veritatis magnam habet cum virtute ſimplicitatis ſimilitudinem.* 103.
V. *Veritatis moralis definitio.* 104.
VI. *Veritatis deſcriptio, à varijs: & primùm quidem à nomine Veritatis, &c.* 105.
VII. *Veritatis, per modum proſopopœiæ, deſcriptio.* 106.
VIII. *Falſi delineatio, ad maiorem Veritatis illuſtrationem.* 108.
IX. *Introducitur Veritas de ſe loquens; genus ſuum, ac natales, dignitatem ſuam & præſtantiam, Sapientiæ ipſius verbis enarrans.* 109.
X. *Variæ variorum gentilium Veritatis deſcriptiones.* 110.
XI. *De facultate loquendi, qua præditi ſunt homines; quantum ſpectat ad veritatis elucidationem.* 111.
XII. *Sententiæ ſequentis explicatio & applicatio;* Domine, quis habitabit, *&c.* Qui loquitur veritatem in corde ſuo. *Pſalm.* 14. 113.
XIII. *Sequentis Chriſti ſententiæ declaratio;* Vos ex patre diabolo eſtis, *&c.* in Veritate non ſtetit; quia non eſt veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, *&c. Ioan.* 8. 114.
XIV. *Quo ſenſu dicatur Veritas non eſſe in diabolo.* 116.
XV. *Quamobrem, Deus in veteri Teſtamento, nullos eſſe voluerit ariolos, augures, pythoniſſas, ſimileſq́ mendaces veridicos.* 117.
XVI. *Senſus verborum in prædicta Chriſti ſententia,* Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur. 118.
XVII. *Explicatio poſtremorũ verborum, eiuſdem ſententiæ,* Mendax eſt, & pater eius. 119.

CAPITA LIBRI QVINTI

De mendacio & hypocriſi, vitijs veritati oppoſitis.

I. NVM *omne mendacium ſit ex diabolo: & an ſemper mentiti ſint, qui mentiri ſunt viſi.* fol. 121.

II. *Varia*

II. *Varia mendaciorum genera & gradus.* 124.
III. *De mendaciorum circumſtantijs.* 125.
IV. *Optimum mendacij remedium, lingua moderatio.* 126.
V. *Sequentis ſententiæ elucidatio;* Omnis homo mendax *Pſalm.* 115. 127.
VI. *Quidnam in prædicta ſententia verbis ſit obſeruandum.* 129.
VII. *Qui numquam mentiti ſunt.* 130.
VIII. *Qui ſemper mentiti ſunt, & numquam verum dixerunt.* 132.
IX. *De hypocriſi, eiuſq́; natura.* 132.
X. *Sceleratiſſimi hypocritæ, qui amicitiæ prætextu, alijs nocent; & præcipuè omnium, hæretici.* 134.
XI. *Quamobrem Dominus nullum genus peccatorum tam ſæpè, tamq́; acriter reprehenderit, quàm hypocriſim.* 135.
XII. *Hypocritæ, cùm omnes alios redarguant, ipſi in nullo redargui volunt.* 136.
XIII. *Hypocriſis luculenta deſcriptio.* 138.

CAPITA LIBRI SEXTI

De laude Veritatis, eiuſque conditionibus.

I. VERITAS *fortiſſima, inuicta, perpetua.* 139.
II. *De inuicta Veritatis doctrinæ Chriſtianæ fortitudine.* 140.
III. *An hæreſibus acceptum ferendum, quòd illarum occaſione magis ſit Veritas illuſtrata.* 142.
IV. *Hæreſes omnes admirabili Veritatis potentiâ tandem profligantur.* 142.
V. *Fideles Veritatis amatores, eiuſdem præſidio, in medijs quoque periculis perſiſtunt impauidi, & tandem à Deo beantur.* 143.
VI. *Veritas, vt armis, ita & ſcriptis impugnatur & propugnatur?* 146.
VII. *Propugnanda ac promouenda in omnibus Veritas.* 146.
VIII. *De laude Veritatis, ex tertio libro Eſdræ; fortiſſimum omnium eſſe Veritatem.* 148.
IX. *Sequentium verborum explicatio, pro veritatis encomio;* Omnia opera mouentur, & tremunt eam. 3. *Eſd.* 4. 150.
X. *Proſecutio laudatæ apud Eſdram Veritatis.* 151.
XI. *Veritatis in iudicio præſtantia; citra perſonarum acceptionem.* 152.
XII. *Reliquorum Eſdræ verborum interpretatio, in laudem Veritatis.* 154.
XIII. *Quonam modo conſtet, Veritatem regibus omnibus & mulieribus eſſe fortiorem.* 154.
XIV. *Myſticæ diſputationis de vino, rege, muliere, & Veritate, explicatio.* 156.
XV. *Quis ſit ſenſus huius Prouerbij;* Veritas filia temporis. 156.
XVI. *Alius adhuc eiuſdem Prouerbij ſenſus, & vſus.* 158.
XVII. *Etiam contra diuturnam Turcarum tyrannidem, quemadmodum contra hæreticos omnes, aliquando conſtabit, quòd ſit filia temporis,* VERITAS. 159.
XVIII. *Origo Mahometici regni, qua primùm occaſione prorepſerit.* 160.
X.X. *Petri nauicula (in qua ſola,* VERITATIS *ſedes) omnem perfidiam, contra eam ſe extollentem, inuicta confringet.* 161.
XX. *Nihil euincunt ſigna, quæ Mahomet aliquando viſus eſt facere, in doctrinæ ſuæ confirmationem.* 162.
XXI. *Dicti ſequentis explicatio;* Veritas lucem amat, non quærit angulos. 163.
XXII. *Studium hæreticorum, maximè Anabaptiſtarum, quærendi latebras.* 164.
XXIII. *Numquam hæretici auſi fuerunt, cum infidelitate, gentilitate, vel paganiſmo, aperto Marte pugnare: neque vmquam gentiles conuerterunt.* 166.
XXIV. *Veritas pacifica.* 168.
XXV. *Cùm Veritas odium pariat, eiuſq́; occaſione multa quotidie diſſidia & bella oboriantur; quomodo rectè pacifica dicitur?* 169.
XXVI. *Quia veritas ſe mendacij argui non patitur, ideò bellis obnoxia eſt, tametſi re vera pacifica.* 171.
XXVII. *Contra præſumtam hæreticorum de Veritate iactantiam: vt quaſi cum Chriſto dicere velle videantur; Si veritatem docemus, quare nobis non creditur?* 173.

XXVIII. *Altera præſumptionis hæreticæ portio, cùm dicunt; Si veritatem non docemus, euidentibus argumentis refellamur.* 174.
XXIX. *Quanti ſit roboris argumentum; Doctrina hæreticorum noua eſt, ergo non eſt vera.* 175.
XXX. *Quo ſenſu, Veritas non venit pacem mittere ſed gladium; cùm ſit pacifica.* 177.
XXXI. *Quinam bellorum ac diſsidiorum, occaſione Religionis obortorum, ſint cauſa dicendi, hæreticine an Catholici?* 178.
XXXII. *An tanta hæc Eccleſiæ turbatio, quantam experimur, bona ſit, an verò mala dicenda.* 179.
XXXIII *Religio Chriſtiana bona eſt: doctrina verò hæreticorum mala, pacem Eccleſiæ turbans.* 180.
XXXIV. *Quàm certum eſt, primorum temporum hæreticos fuiſſe ſeductores & deploratos hæreticos; tam certum eſt, & de noſtri temporis ſectarijs.* 181.
XXXV. *Ex modo, quo doctrina hæreticorum in vrbes & prouincias introducta eſt, & poſtmodum ſtabilita ac propagata, conſtat malam illam eſſe, ac pacis perturbatricem.* 182.
XXXVI. *Quàm alienus ſemper fuerit à veris Chriſtianis, turbulentus ille procedendi modus hæreticorum.* 183.
XXXVII. *Doctrina hæreticorum totius diſsidij malorumq́; omnium noſtri temporis cauſa, etiam Eraſmi ſententia.* 185.
XXXVIII. *Doctrinam hæreticorum nihil cum veritate commune habere, eò quod à mendacio patrocinium ſumat.* 185.
XXXIX. *Hæretici, non ſolùm Religionis doctrinam mendacijs ſuis infecerunt; verùm etiam hiſtorias rerum geſtarum, atque adeò ipſam quoque ſacram Scripturam.* 186.
XL. *Pars dialogiſmi iucunda, pro Veritatis innocentia & laude; ceu pacifica.* 188.
XLI. *Sententiæ ſequentis, cum prædictis de pace, conciliatio;* Veritas odium parit. 190.
XLII. *Cuiuſnam culpa fiat, vt Veritas odium pariat; Veritatiſne ipſius, an audire nolentium.* 191.
XLIII. *Qui fieri poteſt, vt quis Veritatem reſpuat, hoc ſolo nomine, quia Veritas eſt?* 192.
XLIV. *Alia ratio, ob quã Veritas odium pariat; camq́; aliqui auerſentur, quia Veritas eſt.* 193.
XLV. *Tertia ratio, cur Veritas non rarò malam gratiam atque odium reportet.* 194.
XLVI. *Veritas ſimplex & inculta.* 195.
XLVII. *Ratio ex D. Paulo profertur; quam ob cauſam, prædicatio Euangelicæ doctrinæ, ſermonis ſimplicitate ſit vſa.* 196.
XLVIII. *Quemadmodum prædicandæ Veritatis ratio ſimplex, ita & ſcribendæ.* 198.
XLIX. *Vtrum Eccleſiaſtica doctrina Veritatiſq́; nuda profeſsio, ſiue in docendo, ſiue in ſcribendo, eloquentiam auerſetur, & damnet.* 200.
L. *Vtrùm Veritati Chriſtianæ implacabile cum ſtudio eloquentiæ ſit diſsidium.* 201.
LI. *Apologia ſimplicitatis loquendi & ſcribendi Theologorum ſcholaſticorum, contra æmulos.* 202.
LII. *Apologiæ prædictæ, pro ſimplicitate loquendi & ſcribendi Theologorum ſcholaſticorum, formatum exemplum.* 204.
LIII. *Veritas ſemper vna eademq́;.* 207.
LIV. *Alius ſenſus prædictæ ſententiæ, Veritas ſemper vna eademq́;.* 209.
LV. *Vt Religionis Catholicæ doctrina ſemper vna eademq́; fuit; ita doctrina hæreticorum ſemper inconſtans & varia.* 209.
LVI. *Inconſtantia & varietas doctrinæ hæreticæ oſtenditur.* 211.
LVII. *De triplici Veritate, vitæ, doctrinæ, & iuſtitiæ: inſtar appendicis operis vniuerſi.* 213.

Veritatis Catholicæ Apologia contra Caluinum.

CAP. I. *Sternitur via ad diſputationem; primùm ob oculos ſtatuendo peruerſum Caluini Nouatorumq́; omnium ſtudium, in diſcordiæ, diſsidiorum, ac ſeditionum ſeminibus iaciendis.* fol. 219.
II. *Catholicorum Epiſcoporum iuriſdictio, quàm æqua ſit; quàm verò iniqua Nouatorum irruptio.* 220.

III. *Mul-*

III. *Multiplex Caluini auaritia per exempla probatur; contra mentitam ipſius huius notæ fugam.* 221.
IV. *Superbia atque ambitio Caluini manifeſtatur; contra prætenſum ipſius modeſtiæ fucum.* 222.
V. *Excipit Caluinus aduerſus præcedentia illi obiecta; eiuſq́ exceptio eliditur.* 223.
VI. *Poteſtas Epiſcoporum Præfectorumq́ Catholicorum quàm in animas fidelium exercent, à Deo eſt: hæretici verò miſerandam in animas carnificinam exercent.* 224.
VII. *Cura cuique ſalutis æternæ cumprimis commendanda.* 225.
VIII. *Quænam, aut vbi, ſeu penes quos ſit Eccleſia Chriſti.* 226.
IX. *Puram doctrinam in ſola Eccleſia eſſe quidem: ſed non eſſe veram & certam notam Eccleſiæ.* 227.
X. *Definitio Eccleſiæ ſecundùm Caluinum improbatur, prolatâ definitione ſecundùm Catholicos.* 229.
XI. *Quo tempore dicant hæretici Eccleſiam declinare atque errare cœpiſſe.* 230.
XII. *Quo tempore Caluinus fateatur veram fuiſſe Eccleſiam, quæ in rectâ fide ac pietate floruerit.* 231.
XIII. *Omnem penè doctrinam, etiam primi illius temporis Eccleſiæ, reijcit Caluinus vt ceteri Nouatores.* 232.
XIV. *Non Patres ſanctos Eccleſiæ, ſed hæreſiarchas antiquos eſſe noſtrorum Sectariorum Patres ac magiſtros.* 233.
XV. *Tria, quibus (etiam Caluini iudicio) conſtat Eccleſia incolumitas.* 234.
XVI. *Vitia Præpoſitorum Eccleſiæ numquam eidem Eccleſiæ placuerunt; ſed ſemper damnauit: neque propter illa ab Eccleſia eſt diſcedendum.* 235.
XVII. *Quàm fideliter, ſcilicet, Caluinus D. Bernardi auctoritatem alleget; quoad Præfectorum Eccleſiæ corruptelam.* 236.
XVIII. *Eximia, ſcilicet, Caluini ceterorumq́ vitæ ſanctimonia & puritas.* 238.
XIX. *Res geſtæ diſcipulorum Caluini in Braſilia.* 240.
XX. *Impura Lutheranorum miniſtrorum vita.* 240.
XXI. *Quàm iniquè nobis hæretici, diſciplinæ defectum obijciant.* 241.
XXII. *Quomodo per Caluinum & eius diſcipulos, corrupta ſit doctrina de Sacramentis.* 242.
XXIII. *Quàm iniuriy ſint Sectary in ſanctas Eccleſiæ cærimonias.* 243.
XXIV *Cærimonias Eccleſiæ plurimùm diſtare à Iudaicis.* 244.
XXIV.* *Cur nunc plures in Dei cultu cærimoniæ, quàm fuerint initio Eccleſiæ.* 246.
XXV. *De cærimonijs Nouatorum, in cultu Dei, & conuentibus ipſorum: quàm diuerſa à cærimonijs Eccleſiæ.* 247.
XXVI. *Vnde, & à quibus petenda ſit recta Scripturæ interpretatio.* 249.
XXVII. *Quomodo Caluinus & ceteri ad Scripturam interpretandum accedant.* 250.
XXVIII. *Verſiones S. Scripturæ, per hæreticos edita, plenæ errorum.* 251.
XXIX. *Quòd Scriptura ſit mutus iudex: & quæ Philoſophia in Scripturis ſacris improbetur.* 252.
XXX. *Leges & conſtitutiones Eccleſiæ, non ſunt contra Verbum Dei, vel promotionem pietatis.* 253.
XXXI *Hæreticos ſeducere homines per inanem & improbatam à Paulo Philoſophiam.* 255.
XXXII. *Omnes penè hæreſes ex Philoſophorum placitis ortæ.* 256.
XXXIII. *Paſtorum concionatorumq́ Catholicorum, cum miniſtris hæreticorum collatio.* 256.
XXXIV. *De vtilitate Scholaſticorum Doctorum in Eccleſia.* 257.
XXXV. *Hæreſes omnes ſpeciem habere magnam cum magia & idololatria.* 258.
XXXVI. *De Iuſtificatione concertatio.* 258.
XXXVII. *Propoſitionum Caluini de Iuſtificatione partim elucidatio, partim confutatio.* 259.
XXXVIII. *Caluini ſententia de Iuſtificatione pugnat cum Pauli ſententia.* 260.
XXXIX. *Senſus verborum Pauli Apoſtoli*: Abraham ſi ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. *ac ſenſus Iacobi*: Abraham nónne ex operibus iuſtificatus eſt? *&c.* 261.
XL. *Soluitur nodus hæreticorum, de Iuſtitia imputatiua.* 262.
XLI. *Imputatæ Iuſtitiæ error expugnatur.* 263.
XLII. *Iuſtitiam noſtram non in ſola peccatorum remiſſione conſiſtere.* 264.
XLIII. *Quid ſit, gratis iuſtificari.* 265.

XLIV. *Ve-*

XLIV. *Veriſsimum eſt, per doctrinam Caluini & ſimilium de Iuſtificatione, ſtudium virtutis ac pietatis extingui.* 266.

XLV. *Dactrina Nauatorum, ſtudium bonorum operum è vita Chriſtianorum tollitur.* 267.

XLVI. *Quid ſentiendum de bonis operibus, quæ iuſtificationem hominis præcedunt.* 268.

XLVII. *Manifeſtus eſt error, fidem numquam eſſe abſque bonis operibus, ſeu bona voluntate.* 269.

XLVIII. *De qua fide loquatur Apoſtolus, qua montes quis transferat.* 270.

XLIX. *Fidem particularem aut hiſtoriam, quam hæretici fingunt, Scriptura non agnoſcit.* 270.

L. *Quamobrem hæretici, omnem fidem volunt eſſe fidem iuſtificantem, & charitate prædıtam.* 271.

LI. *Secundùm Caluinum, omnis iuſtitia quantumlibet ſanctı non eſt aliud coram Deo, quàm mera iniuſtitia.* 272.

LII. *Charitatem rectè dici à Sadoleto primariam cauſam ſalutis noſtræ.* 274.

LIII. *Odıum Caluını in charitatem: & quomodo verba Apaſtoli, quibus charitatem fidei præfert, conetur eludere.* 275.

LIV. *Quare charitas maior ac præſtantior ſit fide ac ſpe.* 276.

XLV.° *Effectus omnes, quos Scriptura fidei tribuunt, æquè vel etiam magis in charitatem quadrant.* 277.

XLVI.° *Multæ magnæq; laudes charitatis, tum in Scripturis, tum in Patribus, ſupra alias omnes virtutes.* 279.

XLVII.° *Operibus pœnitentia Deo ſatisfactionem pro peccatis præberi.* 279.

XLVIII.° *Satisfactio naſtra, virtute ſatisfactianis Chriſti nititur.* 280.

XLIX.° *Nulla fie iniuria ſatisfactioni Chriſti, per ſatisfactiones noſtras.* 281.

L.° *Veterum Patrum de noſtra ſatisfactione teſtimonium.* 282.

LI.° *Quàm clara & conſtans fuerit dactrina Patrum, contra Caluinum in materia de Euchariſtia.* 282.

LII.° *De Tranſſubſtantiatione in materia Euchariſtiæ.* 283.

LIII.° *Vox Tranſſubſtantiatianis rem ſignificatam optimè exprimit: & ab omni Eccleſia veteri pro tali cognita & recepta fuit.* 284.

LIV.° *Ioannes Hus, & Hieronymus de Praga, tranſſubſtantiationem in Euchariſtia docuerunt, & in illius confeſſione mortui ſunt.* 286.

LV.° *Tranſſubſtantiatio in Scripturis fundatur: & Concilijs probatur.* 287.

LVI. *Sacram Euchariſtiam eſſe adarandam.* 288.

LVII. *Doctrinam de Euchariſtiæ adoratione veteres omnes tradiderunt.* 289.

LVIII. *Contra confeſsionem peccatorum coram ſacerdote, octo Caluini propoſitiones erroneæ diſſoluuntur, hoc & ſequentibus aliquot capitibus.* 290.

LIX. *Pudor, qui confeſsioni coniunctus eſt, maximo eſt adiumento ad remiſsionem impetrandam.* 291.

LX. *Exemplum admirabile vtilitatis pudoris in peccatorum confeſsione.* 292.

LXI. *Confeſsianem peccatorum non eſſe tormentum conſcientiæ, ſed ſolatium.* 293.

LXII. *De fide ſpeciali, qua ſala docent hæretici remitti peccata.* 293.

LXIII. *Quid Lutherum mouerit ad hanc inanem fidem excagitandam.* 294.

LXIV. *Doctrina Concilij Tridentini de fide hac ſpeciali.* 295.

LXV. *Falſum eſſe, confeſsionem peccatorum, clades in Eccleſiam importaſſe.* 296.

LXVI. *Hiſtoria Nectarij de confeſsione abrogata, ab hæreticis perperàm intelligitur & profertur.* 297.

LXVII. *Confeſsio peccatorum, in Scripturis fundata: & de clauibus Eccleſiæ.* 298.

LXVIII. *Pro clauium poteſtate, atque peccatorum confeſsione & abſolutione, Patrum auctoritas.* 299.

LXIX. *Idem argumentum alijs adhuc Scripturis Patrumq; auctoritatibus confirmatur.* 300.

LXX. *Error Caluini euertitur, quo remiſsionem peccatorum interpretatur Euangelij prædicationem.* 302.

LXXI. *Diſſaluuntur quinta & ſexta Caluini contra confeſsianem propoſitiones.* 303.

LXXII. *Septima & octaua prapaſitianis Caluini, cantra canfeſsionem euerſia.* 304.

LXXIII. *Inuocatio Sanctorum & preces pro defunctis in charitate fundatæ ſunt.* 304.

LXXIV. *Sanctorum interceſsio nihil derogat patrocinio vnici Mediatoris Chriſti.* 305.

LXXV. *Officia & priuilegia, Chriſto vt mediatori propria.* 306.
LXXVI. *Purgatorium, & preces pro defunctis, omnis agnouit vetus Eccleſia.* 307.
LXXVII. *Ad ſalutem conſequendam, Eccleſiæ eſſe adhærendum, non Nouatoribus.* 308.
LXXVIII. *Octo impietatis monſtra Caluini iudicio in Eccleſia regnantia, eliduntur ſequentibus aliquot capitibus.* 309.
LXXIX. *Caluinus quàm nouo & ſcelerato modo irruperit in miniſterium Eccleſiæ Geneuenſis.* 310.
LXXX. *Sacrificium Miſſæ omnem efficaciam ſuam habet à ſacrificio Crucis.* 311.
LXXXI. *Sacrificium Miſſæ totius antiquitatis teſtimonijs probatur.* 312.
LXXXII. *Nullam eſſe in Eccleſia Catholica Miſſarum nundinationem, quod Caluinus confingit.* 312.
LXXXIII. *Communionem ſub vnica ſpecie, nihil facere contra Chriſti præceptum, vel inſtitutum.* 313.
LXXXIV. *Sanctorum imagines quomodo colantur & adorentur, ſecundùm Scripturam.* 314.
LXXXV. *In Eccleſia primitiua, Chriſti & Sanctorum imagines in honore habitæ fuerũt.* 315.
LXXXVI. *Sextum à Caluino confictum monſtrum proteritur.* 315.
LXXXVII. *Indulgentiæ nullam faciunt iniuriam meritis Chriſti.* 315.
LXXXVIII. *Theſaurus Indulgentiæ inexhauſtus, quis intelligendus.* 316.
LXXXIX. *Indulgentiæ in doctrina S. Scripturæ fundantur.* 316.
XC. *De meritis Sanctorum ſuperabundantibus.* 317.
XCI. *A veteribus Eccleſiæ Patribus agnitæ & vſitatæ Indulgentiæ.* 318.
XCII. *Doctrinam de Indulgentijs, cum S. Scripturæ doctrina conuenire.* 318.
XCIII. *Qualem libertatem docuerint ab initio populum Nouatores.* 320.
XCIV. *Qualem libertatem Chriſtianam attulerit Chriſtus.* 321.
XCV. *Caluini calumniæ in rectores Eccleſiæ diluuntur.* 322.
XCVI. *Verbum Dei non eſt in Eccleſia Catholica ſepulsum, vt cauillatur Caluinus.* 323.
XCVII. *Verbum Dei nuſquam locorum eſt extra Eccleſiam.* 324.
XCVIII. *Charitas apud hæreticos eſſe nequit: & proinde nec verbum Dei, quod illam docet.* 324.
XCIX. *Studium Eccleſiæ, tollendi abuſus.* 326.
C. *Quas Eccleſias Caluinus pro veris agnoſcit.* 327.
CI. *Duplici modo poteſt accidere, vt paſtor Eccleſiæ dicatur lupus.* 328.
CII. *De Antichriſto locus Apoſtoli, in Rom. Pontificem non quadrat.* 329.
CIII. *Poteſtas Præpoſitorum Eccleſiæ, non eſt alligata expreſſis Scripturis.* 330.
CIV. *Traditionum auctoritas, citra expreſſum Scripturæ verbum.* 330.
CV. *Caluinus eſt iniurius & blaſphemus in Eccleſiæ Prælatos, &c.* 332.
CVI. *Spiritus ſanctus plura ſuggeſsit Apoſtolis & Eccleſiæ, quàm quæ Chriſtus expreſſis verbis docuerat.* 332.
CVII. *Quomodo dicitur Eccleſia ius habere iudicandi Præpoſitos, Doctores, & Paſtores ſuos: & num hoc ius ad promiſcuum populum, vel ad Principes aut Magiſtratus ſæculares pertineat.* 333.
CVIII. *Senſus verborum illorum Apoſtoli*: Omnia probate, & quod bonum eſt, tenete. 3.4.
CIX. *Romanus Pontifex eſt ſancti Petri ſucceſſor.* 335.
CX. *Hæreticis non eſt legitima miſsio nec ſucceſsio.* 336.
CXI. *In tentatione de fide vel Religionis veritate, ad Eccleſiam eſt confugiendum.* 337.
CXII. *Decem prædictæ Caluini propoſitiones euertuntur.* 338.
CXIII. *Nullus rectus vſus verbi Dei, nec vlla contra inimici tentationes victoria per verbum Dei, extra Eccleſiam.* 340.
CXIV. *Quomodo Profeſſor quidam Theologiæ in morbo de fide tentatus, ſe non aliter extricare potuerit, quàm credendi ſimplicitate Carbonarij.* 341.
CXV. *Quomodo quidam iuuenis, concionator hæreticus, in nulla ſecta, ſed in ſola fide Catholica, quietem inuenit.* 342.
CXVI. *Quænam ſit illa, vna & vera Eccleſia, in qua ſola ſpes eſt certa ſalutis.* 344.
CXVII. *Quibus ſignis rudiores quique fideles Eccleſiam queant cognoſcere.* 344.
CXVIII. *Quibus ſignis fideles veteris Teſtamenti, rectam ſalutem noſſe & quærere debebant.* 345.

CXIX. *In nouo teſtamento Deus Pater, einſq́ Filius Chriſtus, fœdus ſuum æternum, certamq́ ſalutis & veritatis doctrinam in Eccleſia Romana conſtituit.* 346.
CXX. *Rationis fidei redditio, hæretici & Catholici, coram tribunali Chriſti.* 348.
CXXI. *Quid ad primum articulum Index Chriſtus Caluino reſpondeat.* 348.
CXXII. *Scriptura ſacra peſſimè à Nouatoribus plebi indifferenter propoſita, & in vulgares linguas conuerſa.* 349.
CXXIII. *Scriptura ſacra num intellectu ſit facilis; num verò contrà difficilis.* 350.
CXXIV. *Scriptura ſine magiſtra lecta, ſolet hæreticas facere.* 351.
CXXV. *Lex lux, & verbum Dei lucerna: vnde tamen in illis obſcuritas & difficultas?* 351.
CXXVI. *Pergit Caluinus in ſuo coram Deo iudice proceſſu calumniari.* 352.
CXXVII *In Eccleſia Catholica plurimis modis celebratur memoria Paſsionis & mortis Domini.* 353.
CXXVIII. *Quàm probè agnitum & honoratum in Eccleſia Catholica fuerit Sacerdotium Chriſti.* 354.
CXXIX. *Chriſti Sacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech.* 355.
CXXX. *Quod fiduciam & ſpem ponere liceat in bonis operibus: quadq́ iis Dei gratiam, iuſtitiam, & remiſsionem peccatorum meremur.* 356.
CXXXI. *Caluini fallacia, omnis errorũ ſui culpam in Chriſtum reiicientis: qui ipſi ſic omnia inſpirarit.* 358.
CXXXII. *Quid Caluino ad hanc blaſphemiam reſpondendum.* 358.
CXXXIII. *Iuſta querela & merita indignatio, cõtra ſuperbas Sectariorum nouitates, omnem antiquitatem atque vniuerſitatem contemnentium.* 359.
CXXXIV. *Quomodo Caluinus ſe coram Dei tribunali de ſchiſmate facto excuſare conetur.* 360.
CXXXV. *Ab Eccleſia diſsidet, quiſquis ab eius Præpoſitis diſsidet; ſic & qui ab illis recedit.* 361.
CXXXVI. *Non nos à Caluiniſtis, vlliſve aliis Sectariis, ſed illi à nobis receſſerunt: ſignum eſt igitur, ſecundùm Scripturas, illos eſſe hæreticos & Antichriſtos.* 362.
CXXXVII. *Quàm luctuoſa bella in Galliæ Regno, Caluini conſiliis excitata.* 362.
CXXXVIII. *Controuerſiæ fidei nequeunt ſolo Dei verbo ſcripto terminari, ſed veterum Patrum ſcriptis & traditionibus Eccleſiæ adhibitis.* 363.
CXXXIX. *Exemplum luculentiſsimum, quomodo controuerſia fidei non ſolo verbo Dei, ſed Patrum ſcriptis ſoluantur.* 365.
CXL. *Caluinus, quoties, quotq́ teſtimoniis conuictus fuerit; Eccleſiam tamen audire noluit.* 366.
CXLI. *In hæreticos rectè gladio animaduerti ſolere.* 366.
CXLII. *Caluinum, cum ſuis, ſemper bona pacis conſilia reſpuiſſe.* 367.
CXLIII. *Caluinus ſuos diſcipulos coram Dei tribunali introducit, ſuæ fidei rationem reddentes.* 368.
CXLIV. *Agitatur quæſtio, Quare Caluiniſtæ illis non ſit vſus magiſtris ad perfectiora, qui illum fecerant Chriſtianum.* 368.
CXLV. *Caluiniſtis quoque ſuſpectam primùm fuiſſe nouam dicendi Nouatorum formam.* 370.
CXLVI. *Romanum Pontificem, dici totius Eccleſiæ principem, Petri ſucceſſorem, Chriſti vicarium, non ſunt inanes tituli: ſed vera iuſti debitiq́ honoris encomia.* 370.
CXLVII. *Quàm honorificè de ſummo Pontifice ſenſerit ſcripſeritq́ S. Bernardus.* 371.
CXLVIII. *Quàm magnificè ſenſerit de Rom. Pontificis poteſtate, Eccleſia etiam illa, quam Caluinus ipſe florentem teſtatus eſt.* 372.
CXLIX. *Quantum honoris externi, Romano Pontifici Reges & Imperatores detulerint.* 374.
CL. *Romani Pontificis poteſtas S. Scripturis ſtabilita.* 376.
CLI. *Catholicorum contra Nouatores ab antiquitate defenſio, ei ſimilis non eſt, qua ſe Turcæ, Sarraceni, vel perfidi Iudæi, in ſua ſuperſtitione defenderent.* 377.
CLII. *Diluuntur aliquot adhuc Caluini calumniæ.* 378.
CLIII. *In ſcholis Theologicis ſumma ſemper in quæſtionibus fidem concernentibus pax & concordia: ceterùm de neutralibus aliquando diſputatio.* 379.
CLIV. *Inter Sectarios nihil propemodũ conuenit omnium quæ ad fidei capita pertinent.* 380.
CLV. *Caluinus, cùm negare non poſſet, varias cum nouo ſuo Euangelio ſectas exortas, dicit,*

ſibi hoc cum Chriſto & Apoſtolis fuiſſe commune. 381.
CLVI. *Ex hæreticorum doctrina, non ſolum ſecta variæ, ſed etiam ſeditiones & bella atrociſsima ſunt orta.* 382.
CLVII. *Quinam tot monſtrorum, opinionum, & diſsidiorum cauſa; Catholicine an verò hæretici?* 383.
CLVIII. *A Luthero cœpit omnis innouationis exordium; quoad ſectas & diſsidia: & quidem à paruis initijs.* 384.
CLIX. *Hæretici ſemper ſuis magiſtris doctiores facti, nouas ſectas adinueniunt.* 385.
CLX. *Alia cauſa adinueniendi nouas ſemper ſectas e ſectis: dum aſſerunt, nihil recipiendum niſi quod ſcriptum eſt.* 386.
CLXI. *Vnicus omnium errorum fons, ab Eccleſia doctrinâ recedere.* 387.
CLXII. *Lutherus primùm, quantum potuit, ſeipſum fecit Papam: & ſic poſt illum alij: multi pro vna, & vnico intolerabiliores.* 388.
Concluſio totius Apologiæ. 391.
Epiſtola Iacobi Sadoleti, S. R. E. Cardinalis; cuius occaſione præcedens Apologia conſcripta fuit. 392.

De Epiphania Domini Tractatus.

CAP. I. *Aliarum apparitionum cum iſta collatio.* 401.
II. *Quamobrem feſtum Epiphaniæ tribus ornatum miraculis cenſeatur.* 402.
III. *Quinam & quales fuerint Magi, quotq́ue numero.* 404.
IV. *An Magi, veri nominis Reges extiterint.* 405.
V. *Quo tempore Magi ad Chriſtum venerint.* 406.
VI. *Argumenta in contrarium præcedenti capite prolata, diluuntur.* 407.
VII. *De ſtella, quæ Magis apparuit, qualiſnam fuerit.* 409.
VIII. *An ſtella Magis ab oriente Ieroſalymam ducatum præſtiterit.* 410.
IX. *Cur Magi per ſtellam potiſsimùm ad Chriſti notitiam ſunt adducti.* 411.
X. *Quonam pacto ex ſtellæ contemplatione Magi ad Chriſti agnitionem peruenerint.* 412.
XI. *In Magis vocationem Gentium fuiſſe præſignatam; adeoq́ ipſos earum extitiſſe primitias.* 413.
XII. *Admirandæ bonitatis diuinæ ac miſericordiæ in genus humanum diſpenſatio, D. Proſperi potiſsimùm verbis expoſita.* 414.
XIII. *Gentilitiæ nationis erga Dei benignitatem ingratitudo.* 416.
XIV. *De alijs præterea flagitijs Gentium antiquarum.* 418.
XV. *De cruentis Gentilium ludis alijs, & ſpectaculis.* 419.
XVI. *Alia adhuc dementiæ Gentium argumenta.* 420.
XVI. *Exitioſa falſorum deorum congeries.* 420.
XVIII. *Quàm gratos nos eſſe Deo oporteat, pro eiuſmodi Gentium vocatione.* 421.
XIX. *Vocatio Gentium ex mera Dei miſericordia promanauit, abſque prauijs vllis meritis.* 422.
Tractatus huius concluſio. 423.

De puero IESV cum Doctoribus in templo diſputante, Diſſertatio. 424.

De IESV Chriſti in monte Thabor cum Moyſe & Elia colloquio Tractatus. 446.

De hæreſios hæreticorumq́ue natura Tractatus.

CAP. I. *De vtilitate ac neceſsitate præſentis Tractatus.* 470.
II. *Quidnam ſit hæreſis; quiſve hæreticus dicendus.* 471.
III. *In quo conſiſtat hæc pertinacia, quæ hæreticum facit.* 472.
IV. *Quando cenſeri quis debeat ſufficienter inſtructus; vt niſi aſſentiatur, iudicetur hæreticus, quia pertinax.* 473.

V. Per-

V. *Pertinax atque hæreticus cenſendus, qui Concilijs generalibus ſe non ſubmittit.* 475.
VI. *Pertinacẽ atque hæreticum cenſendũ, qui Romani Pontificis definitiones nõ admittit.* 475.
VII. *Exempla aliquot vocum pertinacis alicuius hæretici.* 477.
VIII. *Diuum Cyprianum numquam fuiſſe pertinacem, proinde nec hæreticum.* 478.
IX. *Obiectionis contra apologiam pro D. Cypriano ſuſceptam manifeſta veraq́; dilutio.* 480.
X. *Vtrùm error ſaltem ille Cypriani, verè hæreſis fuerit.* 481.
XI. *Dilutio obiectiunculæ alterius, ex Innocentij verbis deſumta.* 482.
XII. *Vtrùm ſit cenſendus hæreticus, qui Scripturæ ſacræ contradicit.* 482.
XIII. *An is, qui de fide Catholica ſolummodo dubitat, ſit inter hæreticos recenſendus.* 483.
XIV. *Præcedentis capitis argumentum latiùs explicatur.* 484.
XV. *Quàm grande peccatum ſit hæreſis, quantaq́; eius peruerſitas.* 485.
XVI. *Epitheta in ſacris Scripturis hæreticis attributa, vt & aliæ rationes, hæreſios prauitatem redarguunt.* 488.

Tractatus eiuſdem pars altera.

CAP. I. *Quibus de cauſis Salomon impudicæ mulieri ipſiq́; libidini hæreſim cõparet.* 491.
II. *Quomodo Deus communiter hæreſim puniat libidine.* 492.
III. *Quonam pacto Salomon hæreſim in meretrice depingat.* 493.
IV. *Varietas, & conſtans hæreticorum inſtabilitas, viæ greſsibusq́; meretricis aſsimulatur.* 495.
V. *Fuga hæreticorum commendatur à Salomone, & nouo modo peſtis illa deſcribitur.* 497.
VI. *Perpulchro paradigmate ſcenico, hæreſis ſub meretriculæ perſona & nomine, à Salomone adumbratur: ſed priùs ſeducti per illam conditio.* 498.
VII. *Iam peculiariter hæreſis & meretricis vafricies ac ſubdola agẽdi ratio declaratur.* 500.
VIII. *Falſa ac præpoſtera hæreticorum noua quaſi lucis prætenſio, in tenebricoſa ſua doctrina commendationem.* 502.
IX. *Quæ quantaq́; incurrit pericula & damna, qui ſe ſinit ſeduci ab hæreſi.* 504.
X. *Adhortatio ad cautelam & hæreſeos fugam.* 504.
XI. *Hæretica vt adulterinæ doctrinæ pernicies, & aſſentientis exitium deſcribitur.* 507.

Orationes & Exhortationes ante Epiſcopatum habitę.

ORatio habita in prima Synodo Mechlinienſi: Anno Domini 1570. 509.
Oratio habita ad Clerum, in prima Synodo Diœceſana Gandauenſi, ſub Cornelio Ianſenio, primo Gandauenſium Epiſcopo: Anno Domini 1571. 515.
Exhortatio de ſtudio Sacrarum litterarum amplectendo, otioq́; vitando: ad Paſtores, & Sacerdotes. 521.
Exhortatio de gulæ vitio vitando, ad Paſtores & Clerum. 526.
Exhortatio de caſtitate, ad Sacerdotes & Paſtores. 529.
Exhortatio de auaritia vitanda, ad Sacerdotes & Paſtores. 533.
Oratio funebris, habita in exequijs CORNELII IANSENII, *primi Epiſcopi Gandauenſis, Anno 1576.* 536.
Epitaphium eiuſdem IANSENII. 542.
Concio in feſto omnium Sanctorum, habita coram Vniuerſitate Louanienſi, Anno 1566. quo iconoclaſtæ paſsim in Belgio graſſabantur. 542.
Pius tractatus, De Conceptione B. Mariæ Virginis, qua filium Dei de Spiritu ſancto concepit. 549.
Item de differentia partus Euæ & Mariæ Virginis: deq́; gaudijs Mariæ, & modo quo ſe habuit in partu Chriſti. 552.
De Aſſumtione B. Mariæ: Quare non vnà cum Chriſto in cælum aſcenderit. 554.
De timore Domini, Exhortatio ad Iuuentutem Domus Fratrum habita, in D. Catharinæ feſto, cùm Domus illa in Seminarium Diœceſis Gandauenſis, ſub Cornelio Ianſenio primo ibidem Epiſcopo erigeretur. 557.
Quæſtio Quodlibetica; An aliqua ſit idonea & iuſta cauſa deficiendi à Romana Eccleſia. 560.
An vera Chriſti Eccleſia annexa perpetuò ſit Romana vrbi. 573.
An rectè, qui Romanæ Eccleſiæ adhærent, appellentur Papiſtæ. 574.

Exhortationes ad Clerum, habitæ in Epiſcopatu, die Cinerum.

I. *DE Pœnitentia & vera ad Deũ conuerſione, in capite Ieiunij, ſuper illis verbis Ioëlis* 2. CONVERTIMINI AD ME, *&c.* 576.
II. *De Pœnitentia; quando potiſſimùm nos ad Deum per veram pœnitentiam conuertere debeamus.* 580.
III. *De Pœnitentia: quonam modo quibúſve medijs ſit facienda ad Deum conuerſio. In toto corde, &c.* 585.
IV. *De Pœnitentiæ neceſsitate & fructu.* 590.
V. *De Pœnitentia: 1. Quòd de omnibus peccatis ſimul, nullo excepo, ſeria agenda ſit pœnitentia. 2. Quid nos præcipuè monere debeat ad pœnitentiam. Et 3. Quòd nemo, ſi modò conſultum ſibi velit, pœnitentiam debeat in futurum tempus differre.* 594.
VI. *De effectibus ſeu fructibus Pœnitentiæ.* 599.
VII. *Super illis Eccleſiæ & S. Scripturæ verbis;* MEMENTO HOMO, QVIA PVLVIS ES, ET IN PVLVEREM REVERTERIS. *Geneſ.* 3. 604.
VIII. *Super ijſdem verbis, alia exhortatio.* 608.
IX. *Exhortatio alia, ſuper eodem argumento & ritu illo Eccleſiæ.* 612.
X. *De vera pœnitentia & conuerſione, ſuper illis Eccleſiæ verbis;* EMENDEMVS IN MELIVS, *&c.* 617.

Exhortationes ad Clerum habitæ, Feria quinta ſanctioris Hebdomadæ.

I. *IN die Cœnæ Domini: De olei ſacri benedictione, & Chriſmatis conſecratione.* 621.
II. *De eodem argumento, ſuper his verbis Pſalmiſtæ:* A FRVCTV FRVMENTI, VINI, ET OLEI SVI, MVLTIPLICATI SVNT. *Pſalm.* 4. 623.
III. *De ſalutaribus oliuæ oleiq́; in Eccleſia myſterijs.* 626.
IV. *Super Zachariæ Prophetæ verbis:* ISTI SVNT DVO FILII OLEI SPLENDORIS, QVI ASSISTVNT DOMINATORI VNIVERSÆ TERRÆ. 628.
V. *Super Pauli Apoſtoli ſententia:* EX NATVRALI EXCISVS ES OLEASTRO, ET CONTRA NATVRAM INSERTVS IN BONAM OLIVAM; ET SOCIVS RADICIS ET PINGVEDINIS OLIVÆ FACTVS ES. *Rom.* 11. 632.
VI. *Super illis verbis Pſalm.* 44. VNXIT TE DEVS, DEVS TVVS, OLEO LÆTITIÆ PRÆ CONSORTIBVS TVIS. 635.
VII. *Super hiſce Geneſios verbis:* EREXIT IACOB LAPIDEM IN TITVLVM, FVNDENS OLEVM DESVPER. 638.
VIII. *Super verbis Sponſæ in Cantico Canticorum;* OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM: IDEO ADOLESCENTVLÆ DILEXERVNT TE. *Cant.* 1. 641.
IX. *Super iiſdem verbis,* OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM, *&c.* 644.
X. *Super iiſdem verbis,* OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM, *&c.* 646.
XI. *Cur placuerit* CHRISTO, *omnium Sacramentorum auctori, pleraq́; Sacramenta in oleo conſtituere.* 649.
XII. *Super verbis,* OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM. *Cant.* 1. 652.

F I N I S.

INDEX SENTENTIARVM SACRÆ SCRIPTVRÆ

Quæ paſſim in his OPERIBVS vel explicantur vel vtili quodam modo elucidantur.

Numerus paginam indicat; a. verò, primam eiuſdem paginæ partem; b. mediam; c. denique poſtremam. Porrò adiuncta ſubinde diuerſo charactere tria quatuórve vocabula, ſubindicant, vnde ſententiæ appoſitæ ſenſus & explanatio circa deſignatum ſpatium inchoetur. Plures breuitati conſulentes omiſimus, quas Lector non ſine operæ pretio interpretationis offendet.

EX LIBRO GENESIOS.

CAPITA. I. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. 3. b. & 5. c.

III. Erat ſerpẽs callidior cunctis animantibus. 384. c.

III. Inimicitias ponam inter te & mulierem, &c. 13. c.

III. Ecce, Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum. 506. a b.

III. Quia puluis es, & in puluerem reuertêris. 604. a.

IV. Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear. 589. a.

V. Adam genuit filium, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. 12. a.

VIII. Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. 614. c.

XI. Erat terra labij vnius, & ſermonum eorumdem. *Antequam Lutherus*, &c. 384. & 390. a.

XIV. Melchiſedech protulit panẽ & vinum: erat enim ſacerdos Dei altiſſimi. 355. b.

XV. Credidit Abraham Deo; & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. 262. c.

XVI. Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum. 174. b.

XVIII. Negauit Sara, dicens; Non riſi; timore perterrita. 123. a.

XX. Soror mea eſt: (Abraham de Sara loquens) 123. b.

XXII. Vidit poſt tergum arietem, inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio. 462. b.

XXV. Abraham dedit cuncta quæ poſſederat, Iſaac: filijs autem concubinarum largitus eſt munera. 98. b. c.

XXVII. Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. 638. b.

XXVIII. Erexit Iacob lapidem in titulum, fundens oleum deſuper. 638. a.

XXXII. Vidi Deum facie ad faciem: & ſalua facta eſt anima mea. 431. b.

XXXII. Cur quæris nomen meum, quod eſt admirabile? 644. b.

XXXVI. Fera peſſima deuorauit eum, &c. *In hac etiam vita*, &c. 157. b. c.

XXXVIII. Habeat ſibi meretrix annulum meum, armillam & baculum: certè mendacij arguere nos non poteſt. *Tanta ecce lux*, &c. 127. b.

XLI. Vocauit eum linguâ Ægyptiacâ, SALVATOREM MVNDI. 465. b.

XLIX. Iuda, te laudabunt fratres tui, &c. Ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna: quis ſuſcitabit eum? 465. c.

EX LIBRO EXODI.

CAP. I. Quia timuerunt obſtetrices Deum; ædificauit eis domos, & benefecit eis Deus. 122. a. &c.

III. Qui eſt, miſit me ad vos. 4. b.

III. Poſtulabit mulier à vicina ſua, &c. Et ſpoliabitis Ægyptum. 100. a.

XX. Non videbit me homo, & viuet. 431. a. b.

XXIII. Non ſequêris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio, &c. *Rurſus alij ex commiſeratione*, &c. 152. c.

XXIII. Non miſereberis pauperis in iudicio, vt à vero deuies, &c. *Quod ſpectat*, &c. 216. c.

XXIV. Omnia quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedientes. 627. c.

XXXIII. Ego oſtendam omne bonum tibi. 644. c.

EX LEVITICO.

CAP. IV. Si ſacerdos, qui vnctus eſt, peccauerit; delinquere faciens populum, &c. *Legite Leuitici quartum caput*, &c. 516. c.

x. Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis, &c. *Immò, in veteri Teſtamento*, &c. 527. b.
xvi. Et poſitâ vtraque manu ſuper caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſrael. 462. c.
xx. Sancti eſtote; quia ſanctus ſum ego Dominus Deus veſter; & ſeparaui vos à ceteris, vt eſſetis mei. 516. b.

Ex libro Nvmerorvm.

Cap. xviii. Ne inueniatur in te, qui ariolos ſciſcitetur: nec ſit maleficus, nec incantator, neque qui pythones conſular, &c. 117. b.
xx. Nec ad dexteram nec ad ſiniſtram declinantes. 47. a.
xxi. Si videris in numero captiuorum mulierem pulchram, &c. radet cæſariem, & circumcidet vngues, & deponet veſtem, in qua capta eſt, &c. Et erit vxor tua. 100. b. c.
xxi. Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno. 461. c.
xxii. Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael, &c. *Quantum autem*, &c. 404. c.
xxiv. Quis victurus eſt, quando illa faciet Dominus? *O, quis illa videbit tempora?* 624. b.

Ex Devteronomio.

Cap. i. Quod iuſtum eſt, iudicate; ſiue ciuis ille ſit, ſiue peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum, &c. 152. b.
xiii. Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit à te; niſi vt timeas illum, & ambules in vijs eius; & cuſtodias mandata eius, & cærimonias eius. 510. b.
xvi. Iudices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis. 152. c.
xviii. Nec inueniatur, qui luſtret filium ſuum aut filiam, ducens per ignem. 418. b.
xxi. Maledictus omnis, qui pendet in ligno. 463. a.
xxvii. Maledictus, qui non permanet in ſermonibus legis huius. 462. c. &c.
xxxii. Deum, qui te genuit, dereliquiſti: & oblitus es Domini creatoris tui. 258. b.

Ex libro Iosve.

Cap. i. Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus; vt cuſtodias & facias omnia, &c. 525. b.
vi. Rahab verò meretricem, &c. fecit Ioſue viuere; eò quòd abſconderit nuntios. 122. a. b.

Ex libro Ivdicvm.

Cap. vi. Liberabis Iſrael de manu Madian: ſcito, quod miſerim te, &c. Percuties Madian, quaſi vnum virum. 433. c.
ix. Ierunt ligna, vt vngerent ſuper ſe regem: dixeruntque oliuæ; Impera nobis, &c. 652. b.

Ex primo libro Regvm.

Cap. xvi. Dixit Samuel; Ad immolandum Domino veni, &c. 123. b.
xvii. Numquid canis ego ſum, quòd tu venis ad me cum baculo, &c. *Sic Dauid*, &c. 195. b.
xxv. In die bona venimus, &c. 584. b.

Ex secvndo Regvm.

Cap. i. Os tuum locutum eſt aduerſum te, dicens; Ego interfeci chriſtum Domini. 188. b.
xii. Tu feciſti in abſcondito: ego autem faciam in conſpectu omnis Iſrael; & in conſpectu ſolis huius. *Sed quum Deus*, &c. 158. a.
xvi. Ait rex Dauid Sibæ: tua ſunt omnia, quæ fuerunt Miphiboſeth. 128. b.

Ex tertio Regvm.

Cap. ii. Aſcendit Banaias, & aggreſſus Ioab interfecit (iuxta altare) ſepultuſque eſt, &c. *Veritas, inquit Polydorus*, &c. 158. b.
iv. Habitabat Iuda & Iſrael abſque timore vllo: vnuſquiſque ſub vite ſua, & ficu ſua. 431. c.
xviii. Ait Achab ad Eliam: Tu ne es ille, qui conturbas Iſrael? Et ille ait: Non ego turbaui Iſrael, ſed tu & domus patris tui. 178. b.
xix. Zelo zelatus ſum, pro Domino Deo exercituum. 451. a.
xxii. Remanſit vir vnus, per quem poſſumus interrogare Dominum: ſed ego odi eum; quia non prophetat mihi bonum, ſed malum, Michæas, filius Iemla. 190. c.

Ex qvarto Regvm.

Cap. ii. Aſcende calue, aſcende calue, &c. Egreſſique duo vrſi de ſaltu; & lacerauerunt ex eis quadragintaduos pueros. 466. c.
ix. Hæc eſt illa Iezabel. Præcipitate eam deorſum, &c. *Vt autem*, &c. 155. b.

Ex tertio libro Esdræ.

Cap. iii. Scribentes ſinguli ſuum verbum ſignauerunt, & poſuerunt ſubtus ceruical Darij regis. 148. a.
iii. Super omnia autem vincit Veritas. 109. c.
Item præcipuè. 148. b. &c.
iv. Omnia opera mouentur; & tremunt eam (Veritatem.) 150. b.
iv. Benedictus Deus Veritatis. 154. a. b.
Item. 426. a.

Ex libro Iob.

Cap. ii. Sciſſiſque veſtibus, ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum in cælum: & ſederunt cum eo in terra, ſeptem diebus & ſeptem noctibus. 610. a.
x. Vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. 321. a.
iix. Deridetur iuſti Simplicitas. 104. a.
195. a. b.
xiii. Non venit igitur in conſpectu Dei, omnis hypocrita. 138. b.
xiv. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, &c. 610. b.
xv. Cunctis diebus impius ſuperbit: & numerus annorum incertus eſt tyrannidis eius, &c. *Ita eos perſequitur*, &c. 151. b.
xvii. Putredini dixi; Pater meus es: Mater mea, & ſoror mea, vermibus. 606. c.
xx. Reuelabunt cæli iniquitatem eius, &c. 158. c.

Ex Psalmis.

Psal. ii. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo, ſu-

eo, ſuper Sion montem ſanctum eius: prædicans præceptum eius. 56. c.
II. Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram. 62. b.
II. Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, &c. *Tertiò, Chriſto proprium*, &c. 306. b.
IIII. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui. 79. b. 624. a.
IV. A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt. 643.
XI. Diminutæ ſunt VERITATES, &c. *Ita, licet vna eademque*, &c. 208. c.
XIIII. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, &c. Qui loquitur Veritatem cum proximo ſuo. 113. a. & 214. b. c.
XV. Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear, &c. 467. a. b.
XVIII. A ſummo cælo egreſſio eius. 549. b.
XXIII. Quia ipſe ſuper maria fundauit eum, &c. 388. a.
XXVIII. Vox Domini ſuper AQVAS. 60. a.
XXVIII. Vox Domini in virtute; vox Domini in magnificentia. 107. a.
XXIX. Ego dixi in abundantia mea: Non mouebor in æternum. 528. a.
XXX. Ego dixi in exceſſu mentis meæ: Proiectus ſum à facie oculorum tuorum. 128. a.
XXX. Redemiſti me Domine, Deus VERITATIS. 145. b.
XXXII. Verbo Domini cæli firmati ſunt; & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. 550. a.
XXXVII. Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum. *At, qui ſeruum*, &c. 292. b.
XXXVIII. Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis. *Quamuis autem*, &c. 124. b.
XLIV. Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. 635. c. 636. b.
XLIV. Lingua eius calamus ſcribæ, velociter ſcribentis. 107. a.
XLIV. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, &c. *Quòd ſi Meſſias*, &c. 438. b.
XLVIII. Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit. 600. a.
L. Ecce, in iniquitatibus conceptus ſum. *Non hoc modo*, &c. 152. a.
L. Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. 438. a.
LI Ego autē ſicut oliua fructificaui in domo Dei. 626. b. 635. a.
LXII. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. *Iterùm quando nos paſcit*, &c. 634. b.
LXVII. Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus. 442. b.
LXXI. Reges Tharſis & inſulæ munera offerent: Reges Arabum, &c. 405. c.
LXXI. Deſcendit ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. 550. b.
LXXV. Omnes qui in circuitu eius affertis munera. 147. c.
LXXVI. Numquid enim in ęternū proijciet Deus? *Cuius res figura*, &c. 441. c. 442. a.
LXXVII Dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei. 628. a.
LXXXIV. Veritas de terra orta eſt. 550.
LXXXVI. Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te. 637. b.
LXXXVIII. Inueni Dauid ſeruum meum; oleo ſancto meo vnxi eum. 635. c.
XCIV. Hodie ſi vocem eius audieritis; nolite obdurate corda veſtra. 60. a.
CI. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. 28. c.
CI. Percuſſus ſum, vt fœnū, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum. *Proinde*, &c. 94. a.
CIII. Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatē ſuam. 388. a.
CIV. Vt cuſtodiant iuſtificationes Dei, & legem eius requirant. *Propheta regius*, &c. 323.
CIV. Nolite tangere chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. 635. c.
CV. Commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum. *Sed iam de alio*, &c. 418. a.
CVI. Errare fecit eos in inuio, & nō in via. 505. a.
CIX. Dixit Dominus Domino meo; Sede à dextris meis. 431. a.
CXI. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. 652. b.
CXV. Ego dixi in exceſſu meo; Omnis homo mendax. 127. c. 129. a. &c.
CXVII. Lapidem quem reprobauerunt ędificātes, hic factus eſt in caput anguli. 439. c.
CXVIII. Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum. 46. a.
CXVIII. Propè es tu Domine: & omnes viæ tuæ VERITAS. 52. a.
Item Lucerna pedibus meis verbū tuum. 351. c.
Item Reuela oculos meos; & conſiderabo mirabilia de lege tua. 352. a.
Item. In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? 619. c.
CXXI. Ieruſalem (*Eccleſia*) quæ ædificatur vt ciuitas; cuius participatio eius in idipſum. 384. a.
CXXVII. Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. 626. b. 635. a.
CXXXVIII. Nox illuminatio mea in delicijs meis. 10. b.
CXL. Corripiet me iuſtus in miſericordia: oleum autem peccatoris nō impinguet caput meum. 628. b.
CXLII Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. 651. c.

EX PROVERBIIS SALOMONIS.

CAP. I. O viri! ad vos clamito; & vox mea ad filios hominum. 109. a.
I. Vocaui vos, & renuiſtis: extendi manus meas, & non fuit qui aſpiceret. *O ingrati*, &c. 151. a.
V. Longè fac ab ea viam tuam; & ne appropinques foribus domus eius. 497. c.
VI. Apoſtata, vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur. 497. c.
VII. Dic Sapientiæ, Soror mea es, &c. Vt cuſtodiat te à muliere aliena & extranea. 498. c.
VII. Conſidero vecordē iuuenem, &c. Et ecce, occurrit illi mulier ornatu meretricio. 500. a.
VII. Multos vulneratos deiecit: & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea. 504. c.

VIII. Sa-

VIII. Sapientia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam. 80. c.
VIII. Meum eſt conſilium & æquitas; mea eſt prudentia. 109. a.
VIII. Per me Reges regnant;& legum conditores iuſta decernunt. 155. a.
IX. Quis eſt paruulus? declinet ad me. 507. c.
IX. Mulier ſtulta & clamoſa, plenaque illecebris; & nihil omnino ſciens. 507.
IX. Aquę furtiuę dulciores ſunt,& panis abſconditus ſuauior. 167. c. 508. a. b.
X. In multiloquio non deerit peccatum. 126. c.
XI. Simplicitas iuſtorum diriget eos. *Cùm enim homines*,&c. 195. a. b.
XVI. Miſericordia & veritate redimitur iniquitas. 265. b.
XXI. Vir impius procaciter obfirmat vultũ ſuum: iuſtus autem corrigit vias ſuas. 618. a.
XXIII. Præbe fili mi cor tuum mihi. 25. c.
XXV. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitierit, da illi potum: prunas enim congeres ſuper caput eius. 433. c.
XXVIII. Fugit impius nemine perſequente. *Numquam ſum quieta conſcientia*, &c. 151. b.
XXVIII. Qui pro bucca panis deſerit veritatem. *Quod ſpectat ad veritatem*, &c. 216. c.
XXVIII. Qui abſconderit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit,&c. 291 b.

EX ECCLESIASTE.

CAP. II. Moritur doctus pariter & indoctus; vnuſque eſt interitus ſtulti & ſapiẽtis. 606. b.
III. Omnia tempus habent, & ſuis ſpatijs tranſeunt vniuerſa ſub ſole. 580. b. c.
III. Dixi in corde meo de filijs hominum, vt oſtenderet eos Deus ſimiles eſſe beſtijs. 600. a.

EX CANTICO CANTICORVM.

CAP. I. Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum; egredere, &c. 604 b.
I. Oleum effuſum nomen tuum: ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. 622. c. 641. a. 644. a. 646. c. 649. b. 658. &c.
I. Nigra ſum, ſed formoſa. 642. b.
I. Cùm eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. 653. b. c.
II. Ordinauit in me charitatem. *Quàm male in nos quadrat*, &c. 520. a. b.
II. Veni ſpecioſa mea, columba mea. 642. b.
VI. Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata? 519. b.
VII. Venter tuus, vt aceruus tritici, vallatus lilijs. 557. a.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

CAP. II. Inuidia diaboli, mors introiuit in orbem terrarum. 462. a.
III. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt; & non tanget illos tormentum mortis. 432. b.
V. Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum: Nos inſenſati, &c. *Ergo, vt Chriſtus*, &c. 42. a. b.
V. Ambulauimus vias difficiles; viam autem Domini ignorauimus. 45. c.
VIII. Sortitus ſum animam bonam. 94. b.
IX. Cogitationes mortalium timidæ, &c. Et difficile æſtimamus quæ in terra ſunt. 95. b.
XI. Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuit. *Ad hæc*, &c. 3. c.

EX ECCLESIASTICO.

CAP. II. Væ duplici corde, & labijs ſceleſtis. 104. a.
IV. Non confundaris confiteri peccata tua. *Eſt enim confuſio*, &c. 291.
V. De propitiato peccato noli eſſe ſine metu. *Quibus in verbis*, &c. 296. a.
X. Aues cæli portabunt vocem tuam: & qui habet pennas, annunciabit ſententiam. 158. b.
XV. In medio Eccleſiæ aperuit os eius. 324. b.
XIX. Qui ſpernit modica, paulatim decidit. *Contemnis enim*,&c. 203. b.
XXIV. Ego (inquit Sapientia) ex ore Altiſſimi prodiui. 105. c. & 109. a.

EX ISAIA PROPHETA.

CAP. I. Lauamini, mundi eſtote, & auferte malum cogitationum veſtrarum. 591. b.
I. Cum extenderitis manus veſtras, auertã oculos meos à vobis. 619. a.
V. Væ vobis, qui potentes eſtis, ad bibendum vinum. 528. b.
V. Væ, qui dicitis malum bonum,& bonum malum, &c. 96. a. 217. c. 603. b.
VI. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum. 431. a. b. 518. a.
VI. Væ mihi; quia tacui, &c. 518. b.
VII. Niſi credideritis, non intelligetis. 37. c.
VII. Ecce, Virgo concipiet, & pariet filium; & vocabitur nomen eius Emmanuel. 430. b.
IX. Lætabuntur coram te, &c. Paruulus enim natus eſt nobis, &c. Et vocabitur nomen eius Admirabilis. 428. a.
IX. Populus qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. 649. b.
IX. Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe. *Hæc lætitia*, &c. 637. b.
XXVI. Nomen tuum & memoriale tuum, in deſiderio animæ meæ. *Sic in veteri teſtamẽto*, &c. 654. b. c.
XXVII. In illa die viſitabit Dominus, &c. ſuper Leuiathan ſerpentem vectem. 429. c.
XXVIII. Poſuimus mendacium ſpem noſtram. *Poſtremò eſt aliud*, &c. 185. b. c.
XXVIII. Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? 531. b. c.
XXIX. Populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè eſt à me. 27. b.
XXIX. Væ, qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis cõſilium *De ſceleribus*,&c. 158. c.
XXX. Dicunt Videntibus, Nolite videre; aſpicientibus; Nolite aſpicere ea quæ recta ſunt. Loquimini nobis placentia; videte nobis errores. 192 b.
XXXIII. Angeli pacis amarè flebunt. *Sic autem*, &c. 60. a. b.
XXXV. Lætitia ſempiterna ſuper capita illorum. *Ibi tanta erit*, &c. 44. c.
XLII. Ecce, puer meus, &c. Dedi ſpiritum meum ſuper eum. *Et quid ſi vna*, &c. 437. b.

XLII. Non

XLII. Non erit triſtis, neque turbulentus. 433.b.
XLIII. Ego, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me. 265.b.
XLIV. Deleui vt nubem iniquitates tuas. *Secundò Chriſtus*, &c. 301.a.
XLV. Venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum & lac. 265.b.
LIII. Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum. *Tertiò*, &c. 306.c.
LIII. Sicut ouis ad occiſionem ducetur; & quaſi agnus,&c. 459.b.c.
LIII. Non eſt ſpecies ei, neque decor. 460.a.
LIII. Omnes nos, quaſi oues errauimus; vnuſquiſque in viam ſuam declinauit. 577.
LIX. Corruit in plateis veritas, & iuſtitia non potuit ingredi. 217.a.b.
LIX. Hoc fœdus meum cum eis: ſpiritus meus, & verba mea non recedent de ore tuo, vſque in ſempiternum. 176.c.
LX. Adorabunt veſtigia pedum tuorum, omnes qui detrahebant tibi. 314.b.c.
LX. Non audietur vltrà iniquitas in terra tua. *Hæc eſſe videtur*,&c. 443.a.
LXI. Eò quòd vnxerit me: Euangelizare pauperibus miſit me. *Iam dicite mihi*, &c. 437.c. 636.a.
LXIV. Sicut pannus menſtruatæ, ſic ſunt vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ. 641.a.
LXV. Inuentus ſum à non quærentibus me. *At verò in gentibus*, &c. 423.

Ex Ieremia.

Cap. VII. Templum Domini, templum Domini, templum Domini. 25.c.
VIII. Quare ergo auerſus eſt populus iſte auerſione contentioſa? 577.
XI. Venite, mittamus lignum in panē eius. 461.b.
XI. Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam, vocauit nomen tuum: ſed ad vocem loquelæ grandis, exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta eius. 627.c.
XVII. Quod egreſſum eſt de labijs meis, rectum in conſpectu tuo fuit. *Quis iam non exhorreat*, &c. 120.b.
XVII. Perdix fouit, quæ non peperit. 166.c.
XXII. Terra, terra, terra: audi ſermonem Domini. 608.b.

Ex Threnis Ieremiæ.

Cap. III. Scrutemur vias noſtras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum. *Sed nemo melius*, &c. 619.c. 620.a.b.c.
IV. Spiritus oris noſtri, Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris. 460.a.b.

Ex Barvch Propheta.

Cap. III. Hic eſt Deus noſter; & non æſtimabitur alius aduerſus eum. 430.c.

Ex Ezechiele.

Cap. XVIII. Conuertimini, & agite pœnitentiam: & non erit vobis in ruinam iniquitas. 599.b.

Ex Daniele.

Cap. II. Abſciſſus eſt lapis de monte, ſine manibus. 550.b.
IV. Peccata tua eleemoſynis redime; & iniquitates tuas miſericordijs pauperum. 265.b.
VII. Aſpiciebam, donec throni poſiti ſunt; & antiquus dierum ſedit. *Si Deus nullo*,&c. 431.b.
IX. Septuaginta hebdomadæ abbreuiatæ ſūt,&c. vt conſummetur præuaricatio. 430.a.
XII. Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti. 525.c.
XIII. Deus æterne (inquit Suſanna) qui abſconditorum es cognitor,&c. tu ſcis quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me. *Inuocatur in iudicijs*,&c. 150.a.
XIII. Rectè mentitus es in caput tuum. Ecce enim Angelus Dei, accepta ſententia ab eo, ſcindet te medium. *Quis non facilè*,&c. 150.b.
XIII. Nemo nos videt,&c. Melius eſt mihi, incidere in manus veſtras, quàm peccare in cōſpectu Domini. 559.b.
XIV. Erat idolum apud Babylonios, nomine Bel. 615.b.

Ex Osee Propheta.

Cap. IV. Non eſt veritas, non eſt miſericordia, non eſt ſcientia Dei in terra. *Denique inuocatur Veritas*,&c. 150.a.
VI. Miſericordiam volo, & non ſacrificium. 25.c.
VI. Viuificabit nos poſt duos dies; & die tertia ſuſcitabit nos. *Sed fortè*,&c. 467.b.
XIII. De manu mortis liberabo eos; de morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors [illegible] 442.b.

Ex Ioele.

Cap. II. Conuertimini ad me, in toto corde veſtro. 576.
II. Ecce, ego mittam vobis frumentum, vinum, & oleum; & replebimini in illis. 624.c.

Ex Amos.

Cap. VI. Qui ſicut Dauid putant ſe habere vaſa cantici; bibentes vinum in phialis, &c. Et nihil patiuntur ſuper contritione Ioſeph. 521.b.

Ex Iona.

Cap. II. Et erat Ionas in ventre piſcis, tribus diebus, & tribus noctibus. 468.a.
III. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium. 609.c. 614.a.

Ex Habacvc.

Cap. II. Iuſtus ex fide viuit. 261.b.
III. Deus ab Auſtro, & ſanctus de monte Pharan. 550.b.
III. Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum. 627.b.
III. Exultabo in Deo Ieſu meo. 648.b.

Ex Zacharia.

Cap. IV. Iſti ſunt duo filij olei ſplendoris; qui aſſiſtunt dominatori vniuerſæ terræ. 628.c.
VIII. Veritatē tantùm, & pacē diligite,&c. 168.c.
IX. Ecce, Rex tuus veniet tibi, iuſtus & Saluator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinum, & ſuper pullum, filium aſinæ. 436.c.
IX. Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui, emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. 458.a.

Ex

Ex Malachia.

Cap. i. In omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. 33.b.
i. Ad vos, ô Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, &c. quia offertis ſuper altare meum, panem pollutum. 531. a.
ii. Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam; & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt. *In Sacramento Ordinis*, &c. 651.b.

Ex secvndo Machabæorvm.

Cap.xii. Sancta & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. 307.c. 312.b.
xv. Hic eſt, qui multùm orat pro populo, & vniuerſa ſancta ciuitate, Ieremias, Propheta Dei. *Omnes ſancti, qui de hac vita*, &c. 305 a.b.

Ex Evangelio Matthæi.

Cap. ii. Vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. 62. c. 647.a.
iv. Accedens tentator, dixit: Si filius Dei es; dic, vt lapides iſti panes fiant. 133.c.
v. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquã Scribarum & Phariſæorum, &c. 517.b.
v. Vos eſtis ſal terræ. *At, quo pacto*, &c. 522. b.
vi. Nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes. Exterminant enim facies ſuas. 533.b.
vii. Spatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem; & multi ſunt, qui intrant per eam. 44. c.
vii. Attendite vobis à falſis Prophetis, &c. in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. 534. c.
vii. Nolite ſanctum dare canibus. *Deinde videndum*, &c. 216.b.
ix. Miſericordiam volo, & non ſacrificium. 25.c.
ix. Quorum fidem, vt vidit; dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Vt, quod Lot*, &c. 307. a. 318.a.c.
x. Nihil opertum, quod non reuelabitur; & occultum, quod non ſcietur. 157.a.
x. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine. *Docuit multa ſeorſum*, &c. 564. a.
x. Non veni, pacem mittere, ſed gladium. *Nónne Chriſtus ipſe*, &c. 169.b. 177.b.
xi. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. *Induere nouum hominem*, &c. 619. b.
xii. Sicut fuit Ionas in vétre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit filius hominis. 467.b.c.
xii. Et ecce, pluſquam Ionas hic. 468.a &c.
xii. Surgent Niniuitæ, &c. quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ. 609. c.
xv. Quare vos tranſgredimini mandatum Dei, propter traditiones veſtras? 254. a.
xv. De corde exeunt cogitationes malæ. *Dicitur autem*, &c. 276. c.
xvi. Quid prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur, &c. 225. a. b.
xvi. Tu es Chriſtus, filius Dei viui. 530. b.
xvi. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. 86. b.
xvi. Tibi dabo claues Regni cælorum. 299. a. 301. b.
xvii. Et transfiguratus eſt ante eos. 446.
xviii. Si oculus tuus ſcandalizat te; erue eum, & proiice abs te. 170. b.
xviii. Omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me. 269. a.
xviii. Amen dico vobis, quæ alligaueritis ſuper terram. 299. a.
xviii. Quòd ſi eos non audierit, dic eccleſiæ. 361. c.
xviii. Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli. 578. a.
xix. Vnus eſt bonus, Deus. 644. c.
xxii. Magiſter, ſcimus quia verax es; & viam Dei in veritate doces. 217. b.
xxiii. Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, &c. Quæ dicunt, facite. 322. c.
xxiii. Quicumque iurauerit per templum, nihil eſt, &c. *In illo Sacerdotes*, &c. 534. c.
xxiv. Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. 46. c.
xxiv. Quia abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. 161. c.
xxiv. Si dixerint vobis, Ecce, in deſerto eſt; nolite exire. 564. b.
xxiv. Prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerſo orbe. 176. a. 377. b. c.
xxv. Diſcedite à me maledicti, in ignem æternum. 536. a.
xxvi. Vt quid perditio hæc? Potuit enim venumdari multo, & dari pauperibus. 308.b.
xxviii. Ite, docete omnes, &c. 331. a.
xxviii. Docentes eos ſeruare quæcumque mandaui vobis. 333. a.

Ex Evang. Marci.

Cap. i. Venite poſt me; faciam vos fieri piſcatores hominũ. *Qui enim ſeruandus omnibus*, &c. 411. c.
vi. Non licet tibi habere vxorem fratris tui, &c. Miſſo ſpiculatore decollauit eum in carcere. 188.c. &c.
xiv. Neque ſcio, neque noui quid dicas. Neſcio hominem iſtum. 525. a.

Ex Evang. Lucæ.

Cap.i. Ipſe præcedet ante illum, in ſpiritu & virtute Eliæ. 450. c.
i. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te: & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. 551. a.
i. Erant iuſti ambo ante Deum, ſine querela. 273. b.
ii. Neſciebatis, quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? 424.
iii. Facite fructus dignos pœnitentiæ. *Quò pertinet*, &c. 280. b.
iv. Spiritus Domini ſuper me; eò quòd vnxerit me. 636. a.
vi. Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo; & tunc perſpicies, vt educas feſtucam de oculo fratris tui. 135. b. 136. a
vii. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. 265. b. 269. a.
vii. Hic ſi eſſet Propheta; ſciret vtique, quæ & qualis ſit mulier illa. 136. a. b.
viii. Non eſt enim occultum, quod non manifeſtetur. 164. a.

ix. Filius

IX. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare. 225.c.
X. Olim in cilicio & cinere ſedentes, pœnitentiam egiſſent. 610.a.
XI. Surgent Niniuitæ in iudicio, & condemnabunt generationem iſtam, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ. 609.c.
XI. Et ecce, pluſquam Ionas hîc. 467.468.
XI. Magiſter, hæc dicens, etiam nobis contumeliam facis. 136.b.
XI. Si vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris. 644.c.
XII. Nihil enim opertum eſt, quod nõ reueletur. 164.a.
XIII. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. 590.c.&c.
XV. Gaudium eſt Angelis in cælo, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. 602.a.
XVIII. Non ſum ſicut cæteri hominum, &c. velut etiam hic publicanus. 136.a.
XVIII. Deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam. 279.a.
XXI. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. 189.b.
XXII. Reges gentium dominantur eorum: vos autem non ſic. 49.b.
XXII. Ego pro te rogaui, Petre; vt non deficiat fides tua. 86.b.
XXII. Hoc facite in meam commemorationem. *Iam, ſi orationem*, &c. 517.c.
XXIIII. Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis, cùm loqueretur in via? &c. 642.c.

Ex Evang. Ioannis.

Cap. I. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &c. 12.b.
I. Dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri. 637.b.
I. Quod factum eſt, in ipſo vita erat. *Et ſic D. Auguſtinus, &c.* 3.c.
I. Vidimus gloriam eius, &c. plenum gratiæ & veritatis. 16.a.
I. Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum. 16.a.
I. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. 459.a.b.
III. Qui facit veritatem, venit ad lucem; vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta. *Veritas vita, &c.* 214.a b.
III. Omnis qui malè agit, odit lucem. 228.a.
III. Omnis enim qui malè agit. *Alter huius, &c.* 258.a.163.a.
III. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. 546.c.
III. Videte qualem charitatẽ dedit nobis Deus; vt filij Dei nominemur & ſimus. 599.b.
IIII. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant illum, &c. 21.a.22.&c.
V. Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio. 8.b.
V. Scrutamini Scripturas. *Luberet in hoc*, &c. 200.a.
VII. Numquam ſic locutus eſt homo, vt hic homo. *Alio tempore*, &c. 151.a.
VII. Me odit mũdus; quia ego teſtimoniũ perhibeo de illo, quòd opera eius mala ſunt. 136.c.
VIII. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. *At qua Eccleſia*, &c. 321.c.
VIII. Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis; & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. 36.c.38.c.42.a.43.a. 48.b.426.a.
VIII. Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? 58.b.172.b.173.a.
VIII. Quia veritatem dixi vobis, non creditis mihi. 192.a.
VIII. Vos ex patre diabolo eſtis, &c. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit; quia non eſt veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax eſt, & pater eius. 114.c. 118.c.
IX. Et erat ſchiſma inter illos. 170.b.
X. Fur non venit, niſi vt furetur, & mactet, & perdat. 167.c.327.c.&c.
XI. Non tantùm pro gente; ſed, vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum. *Iam nunc*, &c. 414.a.
XII. Maria accepit librã vnguenti nardi piſtici, pretioſi; & vnxit pedes Ieſu. *Cũ eſſet Ieſus*, &c. 653.b.
XIIII. Qui diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. 275.a.
XIIII. Ego ſum via, veritas, & vita. 12.a. 13.b. 41.a.44. *prolixè* 53.a.
XV. Sine me nihil poteſtis facere. 78.b.
XV. Omnem palmitem, in me non ferentem fructum, tollet eum Pater meus, & in ignem mittet. 270.a.
XVI. Adhuc multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modò. 332.b.
XVII. Hæc eſt autem vita æterna; Vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. *Hæc eſt Chriſtiana religio*, &c. 20.c.
XVIII. Vt ergo dixit eis; Ego ſum; abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. *Veniebant mendaces*, &c. 150.c.
XVIII. Ego in hoc natus ſum, vt teſtimonium perhibeam veritati. 54.a.
XVIII. Regnum meum non eſt hinc; non eſt de hoc mundo. 56.b.&c.
XVIII. Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam. 59.c.
XVIII. Quid eſt Veritas? 68.b.
XVIII. Ego palàm locutus ſum mundo, &c. & in occulto locutus ſum nihil. 163.c.
XX. Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, &c. non credam. 139.a. 140.b.
XX. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. 300.b.c.319.a.
XX. Inſufflauit, & dicit eis; Accipite Spiritum ſanctum. *Secundò Chriſtus.* 301.a.
XX. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. 331.a.
XX. Aſcendo ad Patrem meũ & Patrẽ veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum. 636.b.

Ex Actis Apostolorvm.

Cap. II. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm. 268.c. 280.c.
IV. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. *Antequam Lutherus.* 384.a.
V. Non es mentitus hominibus, ſed Deo. 125.c.
VI. Nos orationi & miniſterio verbi inſtantes erı-

erimos. *Duas eſſe*, &c. 512.a.
vi. Hic Ieſus Nazarenus deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes. 24.a.
viii. Tamquam ouis ad occiſionem ductus eſt. 459.b c.
viii. Ecce, vir Æthiops, venit adorare in Ieruſalem. 514 b.
x. Cecidit ſuper eum (Petrum ſcilicet) mentis exceſſus. 129.b.
x. Orationes tuæ & eleemoſynæ aſcenderunt in conſpectu Dei. *Nec ſufficit.* 268.c.
xiv. Non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda hominum. 78.a.
xvi. Præcipio tibi, in nomine Ieſu, exire ab ea. 117.a.
xvii. Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video. *Qui enim ſeruandus*, &c. 411.c.
xx. Attendite vobis & vniuerſo gregi. *Quemadmodum in corpore*, &c. 334 a.
xx. Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos. 362.b.
xxiv. Sperans (Felix nimirum) quòd pecunia illi daretur à Paulo. 253.c.

Ex Epist. ad Romanos.

Cap. i. Virtus Dei eſt (Euangelium) in ſalutem omni credenti. 65.b.
i. Reuelatur ira Dei, de cælo, ſuper omnem impietatem. 73.b.
i. Inuiſibilia enim ipſius, creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. 77.a.
ii. Iudicabit Deus occulta hominum. *Timeant ergo ſibi*, &c. 158. c.
ii. Gentes naturaliter ea quę legis ſunt faciũt. 80.a.
ii. Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum; ſed factores legis iuſtificabuntur. 261.c.
iii. Arbitramur, hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis. *Hic verus eſt ſtatus diſputationis*, &c. 260. c.
iii. Eſt autem Deus verax; omnis autem homo mendax. 529.b.
iv. Lex enim iram operatur. 27.a.
iv. Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiã, ſed ſecundùm debitum. 261 a.
iv. Si ex operibus Abraham iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. 261.b.
vi. Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. 40.a.
vii. Peccatum non cognoui, niſi per legem. 17.a.
vii. Scimus enim, quòd lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum. 30. c.
viii. Creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis. 40.a. b.
viii. Si autem filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti. 84.b. 599.c.
viii. Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. 99.b.
viii. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterùm in timore. 558.b.
x. Corde enim creditur ad iuſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem. 215.b.
x. Finis enim legis Chriſtus, ad ſalutem omni credenti. 377.b.
xi. Ex naturali exciſus oleaſtro, & contra naturam inſertus in bonam oliuam; & ſocius radicis & pinguedinis oliuæ factus es. 652. b.
xi. Ab ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. 4.c.
xiii. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. 511.a.
xiii. Omnis poteſtas à Deo eſt. 61.b.
xiii. Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis; ſicut in die, honeſtè ambulemus. 619. b.
xiii. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. 646.a.
xv. Dico autem, Chriſtũ Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis, propter Veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones Patrum. 14. c.
xv. Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum. *Nam etſi nulla*, &c. 422.c. &c.
xvi. Per dulces ſermones & benedictiones, ſeducunt corda innocentium. 134.c.

Ad Corinthios 1.

Cap. i. Non in ſapientia verbi, vt non euacuetur crux Chriſti. 196.a.
i. Si quis vobis euangelizauerit præterquã quod accepiſtis, anathema ſit. 332.c.
ii. Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. 21.a.
ii. Non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis. *Perpulchra ſunt.* 196.a.
iii. Dei adiutores ſumus. 316.c. 317. a.
iii. Si autem vos Chriſti: ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundùm promiſſionem heredes. 84.b.
iii. Nõ potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus; tamquam paruulis. 216.a.
iv. Mihi autem pro minimo eſt, &c. qui & illuminabit abſcondita tenebrarum. *Qui ſic venit*, &c. 163.b.
xiv. Si quis videtur Propheta eſſe, aut ſpiritualis; cognoſcat, quæ ſcribo vobis, quoniam Domini ſunt mandata. 512.a.
vi. Fugite fornicationem. 532.a.
vi. Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc & has deſtruet. 607.b.
ix. Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo. 40.b.
ix. Qui altari deſeruiunt, cum altari participant. 315.x.
ix. Sic currite, vt comprehendatis. 317.a.
xi. Oportet hæreſes eſſe; vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis. 141.a. 505.a.b.
xii. Scitis, quoniam ad ſimulacra muta prout ducebamini euntes. 314. b.
xiii. Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil ſum. 270.b. 271.a.
xiii. Maior autem horum eſt charitas. 275.b.
xiii. Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitiæ paruuli eſtote. *Hoc eſt igitur*, &c. 578 a.b.
xiv. Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in vobis. 515.a.

Ad Corinthios 2.

Cap. ii. Cui aliquid donaſtis; & ego. 319.c. 320.a.
iii. Nõ quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt. 78.b.

v. Obſe-

v. Obſecramus per Chriſtum; Reconciliamini Deo. 301.a.
vi. In charitate non ficta. 532.c.
vi. Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? 172.a.
vi. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. 595.b.
xi. Timeo, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua: ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto. 488.c.
xiii. Oramus Deum, vt nihil mali faciatis, &c. Non enim poſſumus aliquid aduerſus veritatem, ſed pro veritate. 146.c.

Ad Galatas.

Cap. ii. Ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. 77.a.
ii. Si per legē iuſtitia; ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. *Et paulò ante*: Scientes, quòd non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem, &c. 261.a.
iv. Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius. 41.a.
iv. An inimicus factus ſum, verum dicens vobis? 190.b.
iv. Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. 626.c.
v. Vos in libertatem vocati eſtis, fratres: tantùm ne libertatem in occaſionem detis carnis. 512.b.
vi. Alter alterius onera portate; & ſic adimplebitis legem Chriſti. 319.a.

Ad Ephesios.

Cap. i. Elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem. 60.b. 38.c.
ii. Et vos cùm eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris. *Conijcite nunc*, &c. 416.c. &c.
iv. Veritatem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia. 214.c. &c.
iv. Loquimini Veritatem, vnuſquiſque cum proximo ſuo. 214.c. 115.b.
iv. Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma. *Atque hinc fit*, &c. 208.a.
iv. Renouamini ſpiritu mentis veſtræ. *Cùm itaque*, &c. 27.c. 125.b.
iv. Alienati à vita Dei, propter cæcitatem cordis ipſorum. 39.c.
iv. Ipſe dedit quoſdam quidē Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, &c. in ædificationem corporis Chriſti. 86.b. 334.b.
v. Aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinent. *Neque verò craſſa*, &c. 517.b.
v. Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. 151.c. &c.
v. Quæ in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere. *Horret Apoſtolus.* 417.a.
v. Hoc ſcitote, quòd omnis fornicator, &c. Nemo vos ſeducat inanibus verbis. 529.c.
v. Membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius. 641.b.
v. Mundans eam lauacro aquæ. 645.b.
v. Auarus (quod eſt idolorum ſeruitus) non habet, &c. 563.a.
vi. Gladium ſpiritus accipite quod eſt verbum Dei. *At Paulus docet.* 338.c.

Ad Philippenses.

Cap. ii. Humiliauit ſemetipſum, &c. Propter quod & Deus exaltauit eum; & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. 650.b.
iii. Si quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus reuelauit. 37.c.

Ad Colossenses.

Cap. ii. Quæ ſunt vmbra futurorum: corpus autem Chriſti. 16.a.
ii. Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiā, & inanem fallaciam. 200.c. 249.c. 252.
iii. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum. 619.b.
iii. Nunc vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cùm autem apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum eo in gloria. *Huius rei exempla.* 157.c. &c.

Ad Thessalonicenses 1.

Cap. ii. Accepiſtis à nobis verbum auditus Dei, non vt verbum hominum, ſed, ſicut eſt, verè verbum Dei. *Quod ex Petro Apoſtolo*, &c. 333.b.
v. Omnia probate, quod bonum eſt tenete. 333.b. 334.c.

Ad Thessal. 2.

Cap. ii. Ita vt in templo Dei ſedeat; oſtendens ſe tamquam ſit Deus. 329.a.

Ad Timotheum 1.

Cap. ii. Leuantes puras manus. 31.c.
ii. Qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem Veritatis venire. 58.a.
ii. Deus omnes homines vult ſaluos fieri, &c. 80.c.
iii. Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum Veritatis. 81.c.
iv. Attendentes ſpiritibus erroris, &c. In hypocriſi loquentium mendacium. 134.b.c.
iv. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinę. Hæc meditare, in his eſto. 327.b.
iv. Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione recipitur. 612.c.
iv. Sanctificatur creatura per Dei verbum, & orationem. 612. 613.
v. Quæ in delicijs eſt vidua, viuens mortua eſt. 611.a.
vi. Præcipio tibi coram Chriſto Ieſu, qui teſtimonium reddidit Pilato, bonam confeſſionem. 58.b.

Ad Timotheum 2.

Cap. ii. A quo captiui tenentur, ad ipſius voluntatem. 311.c.
iii. Vltrà non proficient: inſipientia enim illorum manifeſta erit omnibus. 158.b. 210.a.
ii. Sermo eorum vt cancer ſerpit. *Notandum hic autem*, &c. 166.a.
ii. Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. 317.a.
ii. Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus. 535.c.

III. Proficient in peius; errantes, & in errorem mittentes. *Vnde ſatis liquet*, &c. 212.b.
IV. Erit tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt. *Hic lapſus ex veritate frequentiſſimus eſt.* 116.a.561.c.

AD TITVM.

CAP. I. Amplectentem eum qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem. 525.b.

AD HEBRÆOS.

CAP. I. Chriſtus, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius. 12.a.
IIII. Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. 559.a.
V. Facti eſtis, quibus lacte opus eſt, non ſolido cibo. 216.a.b.
VI. Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operũ veſtri boni. 645.c.
VII. Accedẽs per ſemetipſum ad Deũ. 306.a.&c.
IX. Chriſtus ſemel oblatus eſt, ad multorum exhaurienda peccata. 301.b.c.
IX. Chriſtus aſſiſtens pontifex futurorum bonorum. *Agnouit ſemper Eccleſia.* 355.a.
X. Voluntariè peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia. *At, ſi quis*, &c. 281.a.487.a.
XI. Sine fide, impoſſibile eſt placere Deo. 215.c.
XI. Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula Verbo Dei. 97.a.
XI. Fide Rahab meretrix non periit; excipiens exploratores cum pace. 122.a.
XIII. Chriſtus heri & hodie, ipſe & in perpetuum. 28.c.
XIII. Obedire Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. 334.b.511.a.b.520.c.
XIII. Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris. 511.b.

EX EPISTOLA D. IACOBI.

CAP. I. Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. 104.a.
I. Abraham pater noſter, nónne ex operibus iuſtificatus eſt? 261.c.
II. Tu credis, quòd vnus eſt Deus, benè facis; & dæmones credunt, & contremiſcunt. 79.a. 269.a.b.
II. Fides ſine operibus mortua eſt. *At, quod dicit*, &c. 269.c.
III. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. 131.a.169.a.
V. Sit autẽ ſermo veſter, Eſt, eſt; Non, non 168.b.
V. Elias homo erat ſimilis nobis, paſſibilis. 546.a.

EX EPIST. D. PETRI I.

CAP. I. Renati, non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili; per verbum Dei viui & permanentis in æternum. *Sic noſtra omnia Sacramenta.* 632.a.
I. Per bona opera certam noſtram vocationem & electionem faciamus. 635.b.
II. Vos autem genus electum, regale ſacerdotium. *Quid præterea*, &c. 637.c.
IV. Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei. 333.b.
V. Non vt dominantes in cleros, neque turpis lucri gratiâ. 49.c.

EX EPISTOLA PETRI 2.

CAP. II. Fuerunt pſeudoprophetæ in populo, per quos via veritatis blaſphematur. *Hic lapſus ex veritate.* 116.a.
III. Nouos cælos, & nouam terram, ſecundùm promiſſa ipſius expectamus, in quibus iuſtitia habitat. 193.c.

EX EPISTOLA IOANNIS I.

CAP. I. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. 116.c.117.a.131.a.
II. Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. 11.b.
II. Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. *Tantopere itaque*, &c. 487.b.
III. Non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate. 215.a.
III. Nos ſcimus, quia tranſlati ſumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres. 274.c.
IV. Nolite omni ſpiritui credere: ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt. 333.b.c.
V. Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. 277.a.
V. Filioli, cuſtodite vos à ſimulacris. 314.b.

EX EPIST. IOANNIS 3.

CAP. *vnico*: Maiorem horum non habeo gratiam; quàm vt audiam, filios meos in veritate ambulare. *Veritas vitæ*, &c. 214.a.b.

EX APOCALYPSI.

CAP. I. Feciſti nos Deo noſtro Regnum & Sacerdotium. *Et quantum*, &c. 414.
Quid præterea hinc ſequitur, &c. 637.c.
III. Qui habet clauem Dauid: claudit, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit. *Quibus in locis.* 299.a.
V. Ecce, vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid. *Leonum genus.* 466.a.b.
XXII. Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. 265.b.

INDEX RERVM.

A.

Abraham in admiratione omnium erat, tamquam vir ſapiens in omni re. 91.b.
Abraham dedit filio ſuo Iſaac totam ſuam hereditatem; filijs verò concubinarum dedit munera. Ita fidelibus ſuis dedit Deus Veritatis cognitionem, quæ ad cæleſtem hereditatem ducit; gentilibus verò rerum naturalium cauſas cognoſcere. 98.b.c.
Abſcondita cordium aliquando reuelabuntur. 158.a.&c.
Abuſus Præpoſitorū Eccleſiæ ſemper Eccleſia damnauit, neque idcò à quoquam derelinquenda. 235.b. 321.b.
Abuſus miniſtrorum hæreticorum longè grauiſſimi. 238. 140.&c.
Abuſibus tollendis ſemper inuigilauit Eccleſia. 326.a.
Abuſus Sacerdotum ſemper perſtringunt hæretici, vt cauſam ſuæ ab Eccleſia defectionis. 567.c.
Adam, Salomone multis partibus ſapientia maior, quomodo ita ſit lapſus. 506.a.&c.
Adorandus Deus in ſpiritu & veritate. 22.c.
Ægyptij ſpoliati Iſraelitas ditarunt: ita ſapientes ethnici Chriſtianos. 100.a.
Æternitas gloriæ cæleſtis, quanti facienda mortalibus. Nōn enim falſo. 544.a.
Affectiones malæ & corrupta natura, multùm impediunt veri & boni notitiam. 97.c.
Agareni & Arabes Mahometo regni affectandi occaſio fuère. 160.a.
Agni paſchalis figura in Chriſto adimpleta. 458.b.c.
Alcorani legiſque Turcarum exordium. 160.c.
Alexandri Epiſcopi ſancta ſimplicitas Philoſophū quemdam verè obmuteſcere fecit. 198.a.
Ambulare coram Deo, quid ſit ſecundùm vſum loquendi Scripturæ. 29.a.
Amicus Plato, amicus Socrates; ſed magis amica Veritas. 190.b.
Anabaptiſtæ, præ omnibus hæreticis, latibulis gaudent. 164.c.
Angelorum gaudium ſuper peccatorum conuerſione deſcribitur. 601.a.
Angelorum veritas, ex dono primæ creationis fuit. 115.a.b.
Antichriſtus quàm ſacrilegè Romanus Pontifex ab hæreticis fingatur. 329.
Antichriſtianiſmi Catholicis obiecti merum nugamentum. 363.b.
Antiquitatis auctoritas, qua ſe contra Nouatores tuentur Catholici, non eſt ſimilis ei, qua ſe Turcæ, Saraceni, vel perfidi Iudæi in ſua ſuperſtitione defenderent. 377.a.
S. Antonius ſibi aliquando relictus, vt patientia eius ac fortitudo magis exerceretur. 194.b.
Apelles diſcipulum ſuum lepidè reprehendit; quia formoſam nequiuerat, quòd ornatam pinxiſſet Venerem: ſic quidam Veritatem phalerant. 196.a.
Apologia ſimplicitatis loquendi & ſcribendi Scholaſticorum. 202.c. 204.
Apologia Veritatis Catholicæ, contra Caluinū, &c. 219.
Apparitionum variarum Chriſti collatio, Epiphaniæ feſti occaſione. 401.
Aquæ furtiuæ & panis abſconditus; doctrina hæreticorum. 167.c. 168.a.
Arianorum aſtutia erga D. Baſilium fidemque Catholicam. 172.a.
Arianorum in S. Athanaſium calumnia & machinationes. 140.a.
Ariolos, augures, pythoniſſas, ſimileſque mendaces veridicos cur prohibuit Deus. 117.b. 119.a.
Arma Meſſiæ noſtri regiſque Chriſti non corporalia ſed ſpiritalia. 435. 438.&c.
Artificialia ad intellectum humanum, naturalia ad diuinum referuntur. 3.b.
Auaritia magnum minatur Eccleſiæ detrimentum & exitium, vt olim Spartæ, quod refert Cicero. 535.a.
Auaritia fugienda Iudicibus, quia munera excæcant oculos ſapientum. 153.c.
Auaritia fugienda Sacerdotibus & Paſtoribus. 533.a.
Auarorum exempla, in vetij huius deteſtationem producta. 534.a.
Auarus, & in Deum ingratus & in proximum iniquus eſt. 533.b.
Aues cæli quandoque ſecretum facinus in lucem proferunt. 158.b.
Auguſtini & Hieronymi ſancta & charitatis plena concertatio. 147.a.
Aulicorum fictio & hypocriſis, in ſimulando & diſſimulando. 108.a &c.
Auri conditiones, Eccleſiæ excellentiam, fulgorem, ſoliditatem, &c. deſignant. 630.a.

B.

Babel turris ſtructores, mala pace concordes erant. 170.b.
Bacchanalia, an inter omnia quæ tēpus habent, etiā ſuum tempus habere debeant. 581.b. 583.c.
Balaam, ariolus, num Magis Epiphaniæ originem dederit. 404.c. 405.a.
Baptiſmi virtus & efficacia. 634.c.
Baptiſmi neceſſitas ad ſalutem. 643.c.
Bella quàm luctuoſa per Caluinum in Galliæ regna excitata. 362.c.
Bella & ſeditiones progignit hæreſis. 182.b.c.183. 320. 382.
Bellorum diſſidiorumque cauſa, quinam dicendi ſunt, Catholicine an hæretici. 178 a.
S. Benedictus ſpathario Totilæ, Regis Gothorum, fictionem detexit, dicēs; Depone fili, depone quod geris: nam tuum non eſt. Regem enim ſe ſimulabat. 134.a.
S. Bernardi ad Eugenium verbis nequiter Caluinus abutitur. 236.c. 328.c.
Bernardinus Ochinus apoſtata admonitio & proteſtatio contra nouum papatū, inter hæreticos exſurgentem,

gentem, exemplo Lutheri, Papæ Saxonici appellati. 389. b.
Bezæ Caluini ſucceſſoris vita præſtantia. 239. a.
Bonus abſolutè, ſolus Deus: & quare bonus appelletur. 643. a. &c.
in Braſiliam miſſi Caluiniſtæ, quomodo ſe geſſerint, indéque cum ſumma infamia diſceſſerint. 166. c. & 240.

C.

C*Æleſtis gloria beatitudo prædicta, & completa per Chriſtum.* 442. c. 443. a.
Cærimoniarum vſus quomodo conſiſtat cum adoratione in ſpiritu. 29. b. 31. a.
Cærimoniarum raritas in principio Eccleſiæ, qua de cauſa. 34. a.
Cærimonias Eccleſiæ quàm acriter impugnent Sectarij. 243. c.
Cærimoniæ Caluiniſtarum ridiculæ. 244. b. 247. c.
Cærimonias Eccleſiæ plurimùm à Iudaicis diſtare. 243. c.
Cærimoniæ cur nunc plures, quàm initio Eccleſiæ fuerint. 246. c.
Caligo & lux, quas inhabitat Deus, quomodo intelligenda. 9. b. c. 10. b.
Caluino vnde miniſterium Eccleſiæ Geneuenſis. 219. c. 310. a.
Caluinus Magiſtratum Geneuenſem inuaſit. 220. c. 223. b.
Caluini multiplex auaritia. 221. b. 224.
Caluini ſuperbia, contra prætenſum ipſius modeſtiæ fucum. 222. b.
Caluinus fraternam, aut potiùs paternam, ſancti Bernardi erga Eugenium Papam monitionem, fulmen malitioſe nominat, ac perperàm rapit in calumniam. 236 c. &c.
Caluino quomodo cum S. Bernardo conueniat. 237. c.
Caluini cæterorumque Nouatorum vita ſanctimonia ſcilicet. 238. a.
Caluini odium in charitatem, & quomodo eam impugnat. 273. b.
Caluinus in Apoſtolos & in Spiritum ſanctũ quoque iniurius. 332. a. b.
Caluinus egeſtate compulſus, ad Miſſionem extraordinariam confugit, ſed fruſtrà. 336. b.
Caluinus inducitur cauſam ſuam agens corã Chriſto Iudice. 348. &c.
Caluinus omnem erroris ſui culpam in Chriſtum reijcit, qui ipſi ſic inſpirarit. 358. b.
Caluino quid ad hanc blaſphemiam reſpondendum. 358. c.
Caluini conſilio, quàm luctuoſa bella in Galliæ regno concitata. 362. c.
Caluinus quoties, quotq́ue modis conuictus fuerit, Eccleſiam tamen audire nunquam voluit. 366.
Caluinum cum ſuis ſemper bona pacis conſilia reſpuiſſe. 367. b.
Caluinus diſcipulos ſuos inducit, coram tribunali Chriſti ſuæ fidei rationem reddentes. 366. a.
Caluiniſta rogatur coram Iudice Chriſto, quare non ſit vſus magiſtris ad perfectiora, quorum operâ factus fuerat Chriſtianus. 268. b.
Caluini canes in Eccleſiam Eccleſiæq́ue miniſtros, exſibilantur. 378.
Caluinus, cùm negare nequeat varias cum nouo ipſius Euangelio exortas ſectas, dicit impudens, ſibi hoc cum Chriſto & Apoſtolis fuiſſe commune. 381. b.
Caluinus ſomniat, Magos ad Epiphaniam Chriſti venientes, tam pauperes fuiſſe, vt pedites hoc totum itineris conficere cogerentur. 403. b.
Caluinus Michaelem Seruetum viuum ob hæreſim exuſſit. 571.
Calumnia Caluini in Rectores Eccleſiæ, diluuntur. 322. 332.
Canon Concilij Lateranenſis; Omnis vtriuſque ſexus; *quoad Confeſſionis præceptum, explicatur.* 290. c. &c.
Cantus Eccleſiaſtici cum hæreticorum cantillatione diuerſitas. 248. c.
Caſtitatis, ſacerdotalis præſertim, commendatio. 529. a.
S. Catharina, ſtudioſorum patrona. 557.
Catholici titulus, vt Eccleſiæ ſoli competit; ita fruſtrà ſemper hæretici illum ambiuerunt. 344. b.
Charitatem rectè dici ſalutis noſtræ primariam cauſam. 274. c.
Charitas quare fide ac ſpe maior ac præſtantior. 276. a. 279.
Charitas apud hæreticos eſſe nequit, ac proinde nec verbum Dei, quod illam tantopere docet & inculcat. 324. c.
Chriſmatis excellentia in vſu Sacramentorum. 621. c. 632. a. 635 a. 643. c.
Chriſtiani, ex Chriſti & Apoſtolorum doctrina, modeſti, obtemperantes, pacifici, humiles, &c. 182. b. 183. b.
Chriſtiani in ſpiritu & veritate adorant Deum: Iudæi in templo ſuo, & Samaritani in monte Garizim, toti confidebant. 23. b. c. 27. a. 33. b.
Chriſtianos non Iudaizare, etſi cærimonijs vtantur. 35. b.
Chriſtianæ veritatis inuicta fortitudo, contra Philoſophos, tyrannos, & hæreticos. 140. c.
Chriſtiani quomodo tandem Catholici ſint appellati. 344. b. c.
Chriſtianus non Chriſtianè viuens, tamquam miles deſertor ordinis, meritò iudicandus. 519. c.
Chriſtianus Chriſti libros potiori iure quàm Ciceronianus Ciceronis euoluere debet. 525. a.
Chriſtianorum felicitas, ob tempus gratiæ illis obueniens. 624. b.
Chriſtiani, reges & ſacerdotes per Chriſtum quomodo effecti. 637. b. c.
Chriſti Saluatoris admiranda in genus humanum miſericordia. 647. a. b.
Chriſti & Eccleſiæ indiuidua caſtaq́ue coniunctio. 641. b.
Chriſti fratres, Chriſtiani, duplici de cauſa. 637. b.
Chriſti regnum quàm longè diuerſum ab omnibus alijs regnis. 54. b. 66. a.
Vide *Regnum, ſuo loco.*
Vide *Meſſias, Ieſus.*
ad Chriſtum filium Dei pia oratio. 53. b.
Chriſti regis ſex proprietates eximia. 67. b. c.
Chriſti ortus, vaticinia, miracula, quibus Imperatoribus ab hiſtoricis quibuſdam fuerint attributa. 144. &c.
Chriſti, tamquam vnici Mediatoris, officia & prærogatiua. 306. b.
Chriſti ſacerdotium quantoperè apud Catholicos honoratum. 354. c.

Chriſti

Chriſti ſacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech. 355.b.
Chriſti in terram aduentus, ſeu Meſſia regnum, qualis & quale prædictum. 424.
Chriſti Ieſu, duodecim annorum, cum Doctoribus in templo diſſertatio. ibidem.
Chriſtus magnus bellator & fortis, ſuos ſaluans. 432 b.
Chriſti quàm pura ſacerdotalis caſtitas. Meminerimus, &c. 531.b.
Chriſtus verus noſter Samaritanus. 546.c.
Chriſti, vncti, reges, Sacerdotes, Prophetæ, omnes Chriſtum præfigurantes. 629.a.636.a.
Chriſtus in vncto per Iacob lapide ſignificabatur. 639.c.&c.
Cineres, typus humilitatis, pœnitentiæ, & fragilitatis humanæ. 606.608.& præſertim 611.& 612.
Cinerum vſu, Beli & ſacerdotum ipſius detecta fraus; typo demoliendæ ſuperbiæ, per humilitatem. 615.b.&c.
Communionem ſub vnica ſpecie nihil facere contra Chriſti inſtitutum. 313.a.
Conceptionis B. Mariæ, qua Chriſtum concepit, pius tractatus. 549.
Concilium generale inclamabat Lutherus, ſed fraudulenter. 175.a.
Concilij Tridentini doctrina, de fide ſpeciali hæreticorum. 395.c.
Concio Sapientiæ & veritatis diuinæ. 80.c.105.c.109.a.
Concio blandiloqua hæreſios, ad ſeducendos paruulos & inſtabiles in fide. 507.c.&c.
Vide *Prædicatio, Euangelium, Doctrina, Verbum Dei, &c.*
Confeſſio peccatorum in Scripturis fundata, & de clauibus Eccleſiæ. 298.c.
Confeſſionem peccatorum erroneis octo propoſitionibus Caluinus impugnat. 290.c.
Confeſſioni adiunctus pudor, magno eſt ad remiſſionem adiumento. 291.b.
Confeſſionis publicæ ſtupendum exemplum; ad humilitatis commendationem. 292.a.
Confeſſionem peccatorum non eſſe tormentum, ſed ſolatium conſcientiæ. 293.a.
Confeſſionis magnas eſſe vtilitates, etiam Nouatores quidam fatentur. 293.b.
Confeſſiones peccatorum, clades in Eccleſiam importaſſe, calumnia eſt. 295.c.
Confeſſionis per Nectarium abrogatæ fabula refutatur. 297.a.
Remiſſionem peccatorum Caluinus perperam Euangelij prædicationem interpretatur. 302.a.
Confeſſionis peccatorum aſſertio magis adhuc corroboratur. 305.&c.
Conſcientia peccatorũ inquieta, ſemper metuens, &c. 151.b.
Conſcientiæ tranquillitas, quam Chriſtus nobis donat, omni pace præſtantior. 432.a.640.a.b.
Conuerſionis vera fructus & vtilitas, exemplis illuſtrata. 600.a.&c.
Conuerſionis veræ à peccatis ſeria commendatio. Tempus omnino eſt, &c. 548.c.
Conuerſio mirabilis & ſtupenda pœnitentia cuiuſdam latronis. 292.a.
Conuerſio admiranda cuiuſdam hæretici miniſtri. 342.b.
Conuerſio hominum, Chriſti aduentu & virtute, vt veri Meſſiæ. 434.b.c.435.a.
Conuertendum ad Dominum in toto corde, in ieiunio, &c. 585.592.&c.
Conuerſio vera per lumen gratiæ Chriſti. 649.c.&c.
Conuerti ad Dominum, quid ſit; & ad Conuerſionem exhortatio. 576.&c.
Creatura quomodo gentilibus Deum prædicarunt. 75.b.77.a.
Credenda neceſſariò ad ſalutem, quænam. 87.b.
Credendorum ſex gradus, ex Ioanne Gerſone deſcripti. 87.b.
Cretizare vel Græciſſare, pro mentiri accipitur. 131.a.
Cruce ſe ſignandi vſus antiquus & frequens apud Catholicos. 354.b.
Crucis ac paſſionis Chriſti frequens & varia in Eccleſia memoria & celebritas. 353.
Crucis vſus Eccleſiam cohoneſtat, hæreticos & dæmones torquet. 249.a.
Crucis mors præfigurata, Chriſto vt Saluatori conueniebat. 461.463.
Crux Chriſti quomodo euacuari dicatur ab Apoſtolo 196.b.
Crudelitas hæreticorum in Chriſtianos, æquè nouorum atque antiquorum. 184.
Cultus Dei verus, qualis eſſe debeat. 24.b.26.c.28.a.
Cultus Dei interior & exterior. 29.b.&c.31.a.
Cunctatione quandoque reſtituitur res; ſed plerumque finitur eâdem deperire. 514 a.
D. Cyprianum nunquam fuiſſe hæreticum: ſed eſſe ſanctum & illuſtrem Chriſti Martyrem. 748.
obiectiones contra Cyprianum factæ, diluuntur. 480.b.482.a.
vtrùm error ſaltem ille Cypriani (quo credebat rebaptizandos, ab hæreticis ſemel baptizatos) verè hæreſis fuerit in ſe; & non in ipſo tamen. 481.

D.

D*Amnationis æternæ iuſtitia & poteſtas, à Chriſti Regis maieſtate.* 443.b.c.
Dauidis pœnitentia cum laude expenditur. 618.a.
Dei verus cultus, vera Religio eſt. 19.b.
Dei cognitio quomodo gentilibus innoteſcere potuit. 73.c.75.b.413.b.
Dei admiranda bonitatis diſpenſatio in genus humanum, per gentium vocationem. 414.b.
Deorum falſorum exitioſa congeries. 420.b.
Deus, excellentiſſimè verus, dicendus eſt. 5.b.
Deus ſummè bonus; & ipſum ſummum bonum. 5.b.
Deus, propriè loquendo, ſolus eſt. 6.c.
Deus, quomodo vocetur ſpiritus, & quare. 21.a.
Deus, eſt ente quid maius & superius. 6.b.7.b.
Deus, abſolutiſſimum ens, vnum, verum, & bonum. 4.c.&c.
Deus quomodo in caligine habitare dicatur, cùm habitet lucem inacceſſibilem. 9 b.10.b.
Diabolus, ſeductio, mendacium, & mors: ſicut Chriſtus via, Veritas, & vita. 42.a.
Diabolus, via ad mortẽ per mendacium: ſicut Chriſtus via ad vitam per veritatem. 51.c.
Diabolus, etiam verum aliquando dicens, mentitur. 116.b.
Diaboli miniſtri mendaċes ſemper aliqui fuerunt. 119.a.

Diaboli artificium, peccata priùs extenuantis, & poſt factum exaggerantis. 589.b.
Dialogiſmi pars iucunda, pro Veritatis innocentia & laude cui verò pacifica. 188.b.
Diotimam, ſapientiſsimam feminam, inducit Plato, in conuiuio Socratem admonentem & docentem de pulchro, &c. 74.c.
Diſcurſus doctus & elegans, pro defenſione ſimplicitatis loquendi & ſcribendi Theologorum Scholaſticorum, contra obtrectatores. 202. & præſertim 204.
Diſputantium vnum & idem ſtudium eſſe debet, Veritatem inuenire. 147.a.
Diſputatio trium Iudæorum coram Artaxerxe; de vino, de rege, de muliere; ſed ſuper omnia de Veritate, omnium fortiſsima. 148.b.
Diſputationis eiuſdẽ myſtica interpretatio. 156.a.
Diſputatio Lutheri cum Eckio, quàm mirabilis. 165.c.
Diſputatio alia hæreticorum per Heluetios inſtituta. 166.a.
Diſputationis dilemma fortiſsimum contra hæreticos noſtri temporis. 180.c. &c.
Diſputatio ſimplex & efficax Spiridionis cum Philoſopho in Concilio Nicæno. 197.b.c.
Diſputatio apologetica pro veritate Catholicæ fidei, contra Caluinum. 219.
Diſputatio de Iuſtificatione hominis. 260.c.
Diſputationis & controuerſiæ per Eccleſiæ auctoritatem diremtæ exemplum egregium. 365.
Diſputationes ſcholaſticæ in Eccleſia, quoad Religionis materiam, ſemper pacificæ. 379.a.
Diſputatio Sectariorum, mera Babylonica confuſio, & ſanguinaria conflictatio. 380.
Diſputatio Pueri Ieſu *cum Doctoribus in templo, ex profeſſo deducta.* 424.
Diſputatio hæreticorum per Salomonem in meretrice depingitur. 507.b.a.
Diuitiæ Regis noſtri Chriſti. 435.c.439.a.
Diuitiarum mundanarum inanitas & periculum. 436.a.b.
Docendi munus, regni genus excellentiſsimum in Chriſto fuit. 62.a.63.c. &c.
Docendi munus, Sacerdoti, ac præſertim paſtori, incumbit. 522.b.
Doctor Eccleſiæ, Spiritus ſanctus. 64.b.
Doctores Paſtoribus, & doctrina pabulo, comparantur. 64.c.
Doctrina hæreticorum noua eſt; ergo non vera: eſt irrefragabile argumentum 175.b.566.b.
Doctrina Catholica ab antiquitate ſtabilitas & commendatio. 176.a. &c.
Doctrina olim Chriſtiana à gentilibus, etiam Romanis, mala omnia imputabantur, quæ à Gothis & alijs patiebantur: ita modò Catholicis ab hæreticis. 179.c.
Doctrina & Religio Chriſtiana bona eſt, peruerſa verò hæreticorum, pacem perturbans. 180.a.
Doctrina hæreticorum, ex modo in vrbes irrependi ſeque ſtabiliendi, conuincitur. 181.a.
Doctrina hæreticorum nihil cum Veritate *commune habere poteſt, eò quod à mendacio patrocinium ſumat, eoque nitatur.* 185.c.
Doctrina Chriſtiana in ſimplicitate exteriori interna ſoliditas. 196.a.b.
Doctrina Eccleſiaſtica vtrùm ſcripto vel dicto eloquentiam auerſetur. 200.b.
Doctrina veritas in quo conſiſtat. 215.a.
Doctrinam puram in ſola quidem eſſe Eccleſia; ſed non eſſe notam eius. 227.a.
Doctrinam Eccleſiæ, ſecundum Caluinum vera & probata, ipſemet Caluinus reijcit. 252.
Doctrinam veterum hæreſiarcharum tuentur magna ex parte Nouatores. 233.c.
Doctrina de Sacramentis, quomodo per Caluinum corrupta. 242.
Doctorum Scholaſticorũ in Eccleſia vtilitas. 257.c.
Doctrina Caluini & ſimilium de Iuſtificatione, ſtudium virtutis extinguitur. 266.267.b.
Doctores Eccleſiæ, pro Euchariſtiæ veritate, & Confeſsione peccatorum, ſcribunt: & nihil contra. Vide Euchariſtia, & Confeſsio.
Doctoris Theologi tentatio circa fidem, fide carbonarij ſuperata. 341.c.
Doctrina hæreticorum mirabilis viciſsitudo & varietas, exemplo mirabili teſtata. 342.b.
Doctrinam Eccleſiæ deſerere, vnicus eſt omnium errorum fons & origo. 387.
Doctrinam Chriſti fruſtrà calumniabantur Iudæi. 454.c.
Doctrina, docendi modus, & cathedra hæreticorum, diſtinguuntur. 507.b.
Doctiores alios quare Deus ſimplices, diabolus verò doctos atque eruditos deligat, vbicumque poteſt. 506.b.c.

E.

EBrietatis damna & iuſta deteſtatio, præſertim in Eccleſiaſticis. 527.&c.
Eccleſia Dei, eſt columna & firmamentum Veritatis. 81.c.86.a.
Eccleſia quanã, & quæ eius notæ. 82.c.226.a.227.a.
Eccleſiæ Scripturæque ſacra auctoritas, mutuumq; de ſe inuicem teſtimonium. 84.c.
Eccleſia Catholica proprium, conuertere infideles ad fidem. 167.b.
Eccleſia, vt iudici legitimo, conuenit ferre ſententiam in controuerſis. 174.b.
Eccleſiam vmquam erraſſe vel defeciſſe, nugamentum hæreticorum eſt. 277.a.230.a.241.c.564.b.
Eccleſiæ turbatio, bona ne cenſenda ſit, an ſecus. 179.a.
Eccleſiæ incrementum non mutat ſubſtantiam, vt in homine grandeſcente. 210.b.246.c.
Eccleſiæ dotes & ornamenta, non ſunt propriè notæ eiuſdem. 228.b.
Eccleſiæ definitio Caluini, & Catholica ex aduerſo. 229.b.c.
Eccleſia vera ac florens quando fuerit, ſecundùm Caluini ſententiam. 231.a.
Eccleſiæ incolumitas tribus teſte Caluino conſiſtit. 234.b.
Eccleſia non eſt deſerẽda propter abuſus. 235.b.&c. 561.
Eccleſiæ eſſe adhærendum, non Nouatoribus; ad ſalutem conſequendam. 308.b.
Eccleſiæ Præfecti & Rectores cõtra Caluini calumnias defenduntur. 322.b.
Eccleſias quas pro veris agnoſcat Caluinus. 327.b.
Eccleſia quomodo dicatur ius habere iudicãdi Præpoſitos, Doctores, & Paſtores ſuos. 339.b.
An & ius illud ad Principes & Magiſtratus ſæculares pertineat. 33..b.

Eccleſia

Eccleſiæ adhærens, nequaquam à Deo recedit, ſed ei adhæret. 338.a.
Eccleſiæ in fide acquieſcere, non eſt in hominem recumbere, quemadmodũ Caluinus ineptit. 329.a.b.
Eccleſia ſola Catholica dat pacem & tranquillitatem conſcientiæ. quod pulchrè cuiuſdam hæretici omnia explorantis exemplo confirmatur. 342.b.
Eccleſia illa quænam, in quâ ſola ſpes eſt certa ſalutis. 344.a. 347.a.
Eccleſiam quibus ſignis rudiores quique fideles queant cognoſcere. 344.c.
Eccleſiæ veræ notæ, & adulterinæ hæreticorum. 83.a.b.c. 228.b.
Eccleſiæ cõſeruandæ quantam ſemper Deus curam habuerit. 346.a.&c.
in Eccleſia Romana, tempore noui Teſtamenti, fœdus æternum à Deo conſtitutum, ſalutis, ac veritatis doctrina. 346.c.
Eccleſiam deſeruiſſe, unicus eſt omnium errorum fons. 587.
Eccleſiæ laboranti & periclitanti commiſerandum & ſuccurrendum. Videmus nunc, &c. 547.b.
Eccleſia per candelabrum aureum, Zachariæ Prophetæ viſum, ſignificata. 629.b.
Eccleſiæ laus, qua & Chriſtum ſponſum ſuum laudat, & qua viciſſim ab ipſo laudatur. 641.b.
Eccleſiæ pulchritudo & deformitas ſeu nigredo, diuerſo reſpectu. 642.a.&c.
Eccleſia, quomodo & mater & vxor fidelium dici poteſt. 626.b.
Eccleſia Chriſti, num vrbi Romanæ perpetuò ſit annexa. 573.c.
Eccleſiam deſerendi nulla vmquam ſubeſt iuſta cauſa. 369 c. 561.
Eccleſiæ gubernatio, à Chriſto cõmiſſa vicarijs ipſius in terris. 440.a.&c.
Eccleſiæ ſedandæ egregium Theodoſij ſtratagema & artificium. 365.
Eccleſiæ auctoritas in controuerſijs fidei dirimendis. 174.b. 227.a. 363.c.
ab Eccleſia diſſidet, quiſquis ab eius Præpoſitis diſſidet, quique ab illis diſcedit in negotio fidei ac Religionis. 361.c.
Eloquentia donum longè præclariſſimum. 111 c.
Eloquentiam virùm Eccleſiaſtica doctrina, ſiue in docendo, ſiue in ſcribendo, auerſatur. 200.b. 203. 204.
Elias Chriſtum in multis præclaris præfigurauit. 453.b.c.
Emendare, quid ſit. 619.b.
Emendemus in melius, quæ ignoranter peccauimus: Exhortatione tractatur. 617.&c.
Ens, vnum, verum, & bonum, in omnibus creaturis inueniri; ſed ſingulariter & eminentiſſimè in Deo omnium creatore. 4.c.
Ente quid maius & ſuperius, Deus. 6.b.7.b.
Epaminondas Thebanus Dux numquam mentitus ſcribitur. 131.a.b.
Epiphaniæ myſteria longo tractatu explicantur. 4 1. &c.
Epiphaniæ feſtum quonam modo tribus miraculis ornatum cenſeatur. 402.c.
Epiphaniæ tam miſericorditur Gentibus indulta recognitio, cũ diuina gratiarũ actione. 423.b.&c.
Epiſtola Iacobi Sadoleti Cardinalis, ad ſenatum populumque Geneuenſem, vt à virulenta Caluini doctrina ſibi caueant. 392.
Eraſmi teſtimonio, poſt hæreſeōn irruptionem omnia in deterius abierunt, etiam quoad mores. 322.a.
Eraſmi teſtimonio, Doctrina hæreticorum, calamitatum noſtri temporis cauſa eſt. 185.a.
Eraſmi craſſiſſimus error, quoad Conciliorum Prouincialium approbatorum & non approbatorum diſtinctionem. Cùm igitur Deus, &c. 515 c.
Eraſmi teſtimonium lucuentum de noua hæreticorum religione, omnia deformante prætextu tamen reformationis. 570.b.
Errantis in via v ta, quamprimum ad viã redeundum. 47.a.
Eſſe, & veritas, a nicem diſiungi non poſſunt. Deus æternus, &c. 4.b.
Euangelium, lætum nuntiũ. & quale eſt illud 81.a.
Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoueret auctoritas inquit præclarum illud Eccleſiæ lumen Auguſtinus. 82.b. 227. b.
Euangelij prædicationem malitioſè Caluinus per remiſſionem peccatorum intelligit. 302.a.
Vide *Doctrina, Prædicatio, Verbum Dei, &c.*
Euchariſtiæ fidem quàm vafrè & variè verterit & inuerterit Caluinus. 255.b.
Euchariſtiæ doctrina per Patres tradita, quàm clara contra Caluinũ cæteroſque Nouatores. 281.c.
quo ſenſu dicat Auguſtinus, Chriſtum ſecundùm humanitatem non vbique diffuſum, ſed certo loco conſiſtere. 283.b.
Euchariſtiam certò eſſe adorandam, etiam iuxta veterum aſſertiones. 288.b. 289.c.
Euchariſtiam vnica ſpecie ſumere, nihil facit contra Chriſti præceptum vel inſtitutum. 313.a.
Euchariſtia corporiſque Chriſti dignitas. 518.a.b.

F.

F*Abula de lupo & agno, ſuper aquæ turbatione diſputantibus.* 178.c.
Fabula de lupo cum ouibus, ſuper canum amotione paciſcente. 367.c.
Falſi delineatio, ad maiorem veritatis illuſtrationem. 108.a.
Fictarum rerum à veris, vt verarum virtutum à falſis, diſtinctio. 585.b.
Fictionis & ſimulationis adumbratio perſonalis. 108.a. 132.c.
Fides Chriſtiana, vna, quemadmodum etiam vna veritas. 208. a.
Fide ſola iuſtificari hominem, nuſquam in Apoſtolo Paulo reperitur, ſed contrarium. 260.a.b.
Fidei vocabulo, quid in Epiſtolis Pauli intelligendum, & operum legis. 261.&c.
Fidem numquam eſſe abſque bonis operibus, ſeu bona voluntate, manifeſtus eſt error. 269.c.
Fides qua montes quis transferat, qualiſnam ſit iuxta Apoſtolum. 270.b.
Fidem particularem aut hiſtoricam, qualem hæretici fingunt, Scriptura non agnoſcit. 270.c.
Fidei quotquot tribuuntur à Scriptura effectus, atque, vel etiã magis charitati conueniunt. 277.a.
Fides ſpecialis, quæ docent hæretici peccata remitti, refellitur. 293.c.
quid Lutherum mouerit, vt Fidem hanc inanem excogitaret. 264.c.
doctrina Concilij Tridentini, de Fide hac ſpeciali. 295.c.

Caluinus

Caluinus quoque à veritate compulſus, contra Fidem ſpecialem ſcripſit. 296.b.
in tentatione de Fide, ad Eccleſiam eſt confugiendum, audiendumque quid illa credat. 337.
Fides carbonarij, qua ſe profeſſor quidam Theologia, in fidei tentatione, expediuit, qualiſnam fuerit. 341.c.
Fides Catholica, ſola tranquillam reddit conſcientiam; quod exemplo conuerſi miniſtri hæretici comprobatur. 342.b.
Fidei ratio vtrimque ab hæretico & Catholico coram Dei tribunali redditur. 348.a.
Fides vel Eccleſia deſerenda nulla vnquam ſuppetit cauſa iuſta. 369.b.c.
Figura veteris teſtamenti, promiſſiones erant futurorum. 18.b.
Fornicationis quàm graue peccatum, quamque grauiter à Deo punitum, varijs ex ſacra Scriptura exemplis oſtenditur. 529.c.
Fornicatio fugienda vt anguis; ſiue vt ſcorpio, nuſquam non adhæreſcens. 532.a.
Fornicationis in Sacerdote, quàm grauis ſoleat eſſe pœna, à Iure Canonico indicta. 531.b.
S. Franciſcus corpus ſuum ac ſeipſum, aſinum appellabat, pœnitentiam agens. 615.a.

G.

GAudium prophetatum, quod futurum erat in aduentu Chriſti veri Meßiæ. 429.a.
Gentes idololatræ, inexcuſabiles ſunt corã Deo. 77.a.
Gentes qualiter Deum cognouiſſe potuerunt. 73.b. 75.77.
Gentium ſapientiſsimi colebant quod reprehendebant, quodque culpabant adorabant. 74.b.
Gentiles admodum ſtudioſi indagatores fuerunt cauſarum naturalium. 91.c.
Gentiles iuſto Dei iudicio à notitia ſummæ veritatis excluſit, cùm tamen eoſdem ad naturalis veritatis inuentionem, & quidem eminentem, admiſerit. 98.a.
Gentilium Philoſophorum ſapienter & prudenter dicta, in noſtros ſunt vſus conuertenda. 99.c.&c. 101.a.
Gentium vocatio in tribus Magis præſignata, ipſique primitiæ earum. 413.b.
Gentilium erga Dei benignitatẽ ingratitudo. 416.a.
Gentilium immunditia olim, & inmanitates execranda. 417.418.&c.
Gentilium ſpectacula, & cruenti ludi. 419.c.
Gentilium dementiarum alia adhuc argumenta. 420.a.
pro Gentium vocatione, quàm gratos nos meritò eſſe oporteat. 421.c.
Gentium vocationem varijs modis Scriptura ſancta commemorat. 421.c.
Gentium vocatio ex mera Dei miſericordia promanans, abſque prauijs vllis meritis. 422.
Gladio in hæreticos rectè animaduerti ſolere. 366.c.
Gladius Eccleſiæ non eſt tyrannicus. Vide *Iuriſdictio.*
Gladius Goliæ & Apollonij, Philoſophiam repræſentant. 253.a.
Græciſſare & Cretizare, pro mentiri accipitur. 131.a.
Gratia, qua iuſtificamur, ſecundùm D. Auguſtinum explicata. 264.a.b.
Gratiæ & veritatis Chriſti, à lege Moyſi, differentia. 16.a.
Gratis, quid ſonet vox illa, cùm Scripturæ dicunt, hominem gratis iuſtificari. 264.b.265.a.
Guido de Laiba, ſpecie exteriori vir ſanctus, clam hæreticus, poſt mortem, in oſſium exuſtione, miraculi ſpeciem, dæmonum ope exhibuit; ſed eandem euiciit veritas. 489.c.
Gula vitium cum primis Eccleſiaſticis perſonis fugiendum. 526.
de Gula vitio, eiuſque enormitate, Exhortatio. 526.

H.

HÆreſis vocabulum, olim probroſum nõ erat, vt modò. 471 b.c.
Hæreſis ab electione dicitur, vt apud Philoſophos olim; ita nunc apud hæreticos. 471.a.b.
Hæreſis quidnam ſit, quiſve dicendus hæreticus. 471.c.
in quo conſiſtat pertinacia quæ Hæreticum aliquem faciat. 472.c.
pertinax atque Hæreticus eſt iudicandus etiam, qui Concilijs Generalibus ſe non ſubmittit. 474.a.
item, quicumque Romani Pontificis definitiones non admittit. 475.c.
exempla aliquot vocum arrogantium pertinacis Hæretici, in Luthero & Caluino. 477.b.c.
vtrùm dicendus Hæreticus, qui Scripturæ ſacræ contradicit. 482.b.
an Hæreticus ſit, qui de fide Catholica ſolummodò dubitat. 483.b.
Hæreſis quàm grande & enorme peccatũ ſit. 485.c.
Hæreticus optimus, peior peſſimo Catholico cenſendus. Rectè ergo, &c. 487.c.
Hæretici quare adeò Scholaſticos Doctores oderunt. 257.c.
Hæreſes penè omnes ex placitis Philoſophorum ſunt ortæ. 256.
Hæretici ſeducunt homines per improbatã à Paulo Philoſophiam. 255.
Hæreticorum exoticus Scripturam interpretandi modus. 256.
Hæreticorum diſcors ſententia, de Eccleſiæ (vt ſomniant) defectu vel lapſu. 230.b.
Hæreticus quidam Magiſtrum ſententiarum omnibus hæreſiarchis prætulit, magna cum laude. 213.a.b.
Hæreticorum cum Catholicis concertatio, penes quos ſit VERITAS. 48.c.
Hæretici quàm nihil acquieſcant veritati. 50.a.
Hæretici conantur Eccleſiam obſcurare, imò inuiſibilem facere, vt ſuam obtrudant. 82.c.
Hæreticorum ſcriptis in bonum vti Catholicis licet, vt & Gentilium. 100. & 101.
Hæretici peſsimi, optimi audire deſiderant & videri. 118.c.
Hæreticorum conciones aut ſermones tantùm audire, quàm periculoſum. 118.a.
Hæretici, ſpiritu mendacij & erroris ducuntur, quo pleni ſunt. 119.a.
Hæretici ſunt ſceleratiſsimi hypocritarum 134.b.
Hæretici diligunt oues, ſicut lupi; & ſicut venatur lepores & ceruos. 35.a.
Hæretici, ex qualibus hominibus fiant, teſte D. Auguſtino. 141. & 4[illegible]8.b.
Hæreticiſue acceptum ferendum, quòd illorum occaſione

occaſione veritas magis illuſtretur. 142.a.
Hæreſes vniuerſa admirabili veritatis potentiâ tandem profligantur. 142.b. 159. 161.c.
Hæretici, & cum Catholicis & ſecum diſceptantes, non veritatem ſed ſeſpſos quærunt. 147.b.
Hæretici,inter illos non ſunt, de quibus Pſal. LXXV. *Omnes qui in circuitu eius afferetis munera: ſed quilibet ipſorum ſe in medio ſtatuit, non Eccleſiam,non veritatem,non Chriſtum.* 147.c.
Hæreticorum ſtudium, maximè Anabaptiſtarum, latibula quærere. 164.c.
Hæreticorum parua principia, paulatim ſerpentia. 165.a. 171.b. 321.b.
Hæretici numquã auſi fuerunt,cum gentilitate, vel paganiſmo,aperto Marte pugnare. 166.b.
Hæretici numquam gentiles conuerterunt: quamque infauſto euentu id ſemel in Braſilia præſumſerint. 166.c. 240.
Hæreſis, cùm ſit inops, panes tamen, ſed furtiuos & letales, promittit. 168.a.
Hæreſios argui nemo innocens æquanimiter pati debet. Huc pertinet,&c. 171.b.
Hæreticorum aſtutia & fraudulentia. 172.a. 175.a. 185.c. 187.c.
Hæreticorum deſperata nobiſcum in religione concordia. 172.b. 174.b.
Hæreticorum præſumta de veritate iactantia, refellitur. 173.a. 174.c.
Hæretici nihil habent, ob quod fidem mereantur, ipſiſque credatur, etiam iuratis. 173.c.
Hæretici fruſtra gloriantur;cùm omnimodis ſolidiſſimè ſemper ab Eccleſia refellantur. 174.a.
Hæreticis illud Iſmahelis conuenit: Manus eius contra omnes, &c. 174.b.
Hæreticorum doctrina noua eſt,ergo non vera. Solui nequit argumentum. 175.b.
Hæreticorum doctrina mala eſt, & omnium malorum noſtri temporis cauſa. 179. 180. 321.a.
Hæretici noſtri temporis, antiquorum hæreticorum damnatas opiniones ſuſcitant & tuentur. 180.b.
Hæreticorum antiquorum nominatorum quàm certa damnatio, tam indubitata & Nouatorum. 181.a.
Hæreticorum turbulentus ſpiritus,ſeditionis amans. 18‥b.c. 184 &c. 320.b c. 382.
Hæretici noui,crudelitate antiquos, & gentiles quoque ipſos, præcellunt. 184.a b.c.
Hæretici etiam hiſtorias & Scripturam ſacrã mendacijs ſuis infecerunt. 186.c.
Hæreticæ doctrinæ inconſtantia & varietas. 211.b.
Hæreticorum inter ſe diſſenſio & depugnatio. 212.a.b.c.
Hæreſis vitio applicantur, quæ Salomon de meretrice commemorat. 491.
Hæreſim Deus communiter libidinis vitio punit & cumulat. 492.c.
Hæreſim in meretrice depingendi modus & forma. 495.c.
Hæreticorum varietas & conſtans inſtabilitas, viæ greſſibuſque meretricis comparatur. 495.b.
Hæretici quantopere fugiendi, oſtendit Salomon; & peſtem illam nouo modo depingit. 497.b. 504.c.
ſeductis hominis ab Hæreticis miſerãda conditio deſcribitur. 498.b. 504.a.
Hæreſis ſcenico paradigmate,ſub meretriculæ perſona & nomine, à Salomone adumbrata. 498.
Hæreſis,vt ſcorti, vafricies & ſubdola agendi ratio declaratur. 500.a.
Hæreticorum præpoſtera noua quaſi lucis prætenſio, in tenebricoſâ ſuæ doctrinæ ſucatam commendationem. 502.b.
Hæreticæ, vt adulterinæ doctrinæ pernicies, & aſſentientis exitium deſcribitur. 50 .
quam ob cauſam Deus interdum etiam doctos, ac præſtantes alioquin viros, in hæreſim labi permittat. 504.c. 506.a.
de Origenis in Hæreſim lapſu, mirabilis inter duos Patres diſquiſitio. 506.c. &c.
Hæretici clamoſi, inſtar illius meretricis à Salomone deſcriptæ, pleniſque illecebris. 507.a.
Hæreticorum prætenſi prætextus, ad diſcedendum ab Eccleſia. 561. &c.
Hæretici oſtendant, vnde prodierint; & ſua ipſorum origo eos confundet. 567.a.
Hæreticorum nequitia & ſceleſta viuendi agendique ratio. 570.a. &c.
Hæreſum hæreticorumque principijs ſemper obſtandum. 571.b.
Hæreſes omnes ſpeciem magnam habent cum magia & idololatria. 258.
Hæretici, quamobrem volunt, omnem fidem eſſe iuſtificantem & charitate præditam. 271.c.
Hæreticis nõ adhærendum,ſed Eccleſiæ,ad ſalutem conſequendam. 308.b.
Hæreticorum omnium mater ſuperbia, ideoq; tantopere ipſis exoſa humilitas. 325.a.
Hæreticis non eſt legitima miſſio, neque ſucceſſio. 336.a.
Hæretici cuiuſdam miniſtri admiranda conuerſio. 242.b.
Hæretici à nobis diſceſſerunt,nõ nos ab illis:ergo ipſi ſunt hæretici. 362.b.
in Hæreticos rectè gladio animaduerti ſolere. 366.c. 5‥1.a.
Hæreticorum miſeranda inter ſe conflictatio. 212.a. 308.a.
Hæreticorum doctrina non ſolùm ſectas varias, ſed etiam ſeditiones & bella progerminat 382.a.
Hæretici ſemper ſuis magiſtris doctiores effecti, nouas adinueniunt ſectas. 385.a.
Hæreſer ſiue ſectas ex ſectis ſerendi, varij modi & cauſa. 386.c.
epitheta Hæreticis attributa, aliæque rationes, hæreſios prauitatem coarguunt. 488.b.
Hiſtorias rerum geſtarum mendacijs ſuis hæretici labefactarunt. 186.c. &c.
Hiſtoricorum veritatem impugnantium vanitas & nequitia. 144.b.
Hominis miſera ex natiuitate conditio, & deprauata natura. 96.b. 97.c. 604.b.
Homo naturaliter nullius rei amore magis capitur, quàm Veritatis. 93.c.
Hominum cæcitas & amentia, ſe per ſpiritum erroris ſeduci permittentium. 119.b.
Homo primum à Deo creatus, quatuor ab ipſo accepit ſpecioſiſſimas virgines, Dei filias, conſortio & cuſtodia ipſius vtiliſſimas. 193.c.
Hominum ex hac vita decedentium ſtatus non vniformis. 441.a.
Hominis ingenium rectè, at quare, molæ comparatum. 525.a.
Hominis mater quomodo terra dicitur. 604.b.c.

Homi-

Hominis vilitas & abiectio, ſi naturam conſideras. 616.b.
Honeſtas Sacerdotalis miniſterij, quanti ſit momenti. 516.&c.
Honeſtè vt omnia fiant in Eccleſia, præcepit Apoſtolus. Vt autem quid honeſtum ſit, &c. 516.a.&c.
Honeſti & decori differẽtia, facilius intelligi quàm exprimi poteſt. 516.b.
Hor Abbas tam fuit amans veritatis, vt nũquam mentitus dicatur. 131.b.
Hoſtis maximus humani generis diabolus, regnans per peccatum. 424.b.
Humilitas inuiſa hæreticis, quia ipſorum mater ſuperbia. 325.a.&c.
Humilitatis ſtudium in Eccleſia floret. 326.c.
Humilitas Chriſti, Regis ſupremi, omni maieſtate terrenâ potentior. 437.a.b.
Humilitas Chriſti debebat omnes ædificare, nedum quemquam offendere. 455.a.b.
Humilitas ſimulata hæreticorum, vt magis fallant. 507.c.&c.
Humilitatis typus, puluis & cinis. 604.&c.
Hypocriſis, eiuſque natura deſcriptio. 132.c. 134.&c.138.b.
Hypocriſis, præ omnibus vitijs, acerrimè ſemper à Deo reprehenditur. 135.a.
Hypocrita, vt omnes carpere gaudent, ita ægerrimè ferunt reprehendi. 135.b.136.b.
Hypocritica Pharaonis, vt & regis Achab. & Eſau pœnitentia. 586.a.b.
Vide *Fictio, Fraus.*

I.

IAcobi Sadoleti Cardinalis Epiſtola ad Senatum populumque Geneuenſem, qua illos hortatur à Nouatorum doctrina recedere. 392.
Idola quomodo pagani adinuenerint, atque ita à Dei cognitione deflexerint. 74.a.
Idolorum exitioſa congeries. 420.b.
Ieſus, hoc eſt, Saluator, à quibus ſeruitutis generibus nos liberet. 40.b.41.a.61.c.
Ieſu cum doctoribus in templo diſputatio, cum duodecim eſſet annorum, explicatur. 424.
Ieſu nomen quàm dulce & efficax. 647.650.a.b.
Ieſu nomen oleo effuſo comparatum, prolixè & doctè. 644.&c.647.649.b.650.a.b.652.
Ieſu nomen, quoties in Epiſtolis D. Pauli reperiatur. 648.a.b.
Ieſu nomen, ſub nomine Salutaris à Dauide & alijs frequenter vſitatum. 648.b.
Ieſu nomen, cur omnibus fidelibus & Deum amantibus tam gratum ſit & amabile. 648.c.
Ieſu nomen, quæ, qualia, & quanta complectatur. 650.b.
Ieſu nomen, quas ob cauſas potiſſimùm oleo comparatum. 652.c.&c.
Ieſu Societatis homines, qualem nauent operam in gentium conuerſionem. 166.c.
Iezabelis reginæ nequitia & impietas. 155.b.
Imagines Sanctorum ſecundùm Scripturas faciendæ & colendæ. 314.
Imagines Chriſti & Sanctorum in honore fuerunt habitæ ſemper in Eccleſia. 315.a.
Imitandus nobis Deus, vt perfecti & beati ſimus. 21.a.
Immolationis filiorum olim per ignem, deſcriptio. 418.c.
Immunditiarum gentilium horror, & execranda infamia. 416.417.&c.
Inconſtantia propoſiti boni, tentatione obueniente. 627.c.&c.
Indulgentiæ nullam faciunt meritis Chriſti iniuriam, ſed magis honorant illa. 315.c.
Indulgentiarum inexhauſtus theſaurus quis intelligatur. 316.a.
Indulgentiarum vſus, in Sacra ſcriptura fundatus. 316.c.318.c.
Indulgentiæ veteribus in Eccleſia Patribus vſitatæ. 318.a.
Indulgentiarum occaſione primùm cœpit Lutherus circa fidem naufragare. 384.b.
Infanticidium Herodis, quonam tempore acciderit. 408.b.
Inobedientia crimen quàm graue, & quomodo puniri mereatur. 511.b.c.
Intellectus diuinus & humanus quomodo ſe habeãt ad ſe inuicem. 2.b.&c.
Ioannes Hus & Hieronymus à Praga, in tranſſubſtantiationis confeſſione ſunt mortui. 286 a.
Ioannes Euangeliſta, virginitatis merito, ſubliniorem Theologiam eſt aſſecutus. Quem (inquis) docebis ſcientiam? 531.c.
Iudæorum, etiam Phariſæorum, Scribarum, & Sacerdotum, occæcatus malitia animus, Chriſtum, tot tantiſq; argumentis ſe Meſsiã declarantem, agnoſcere ac recipere detrectauit. 444.445.
Iudæi, ob mortem Chriſto illatam, omnimodo inexcuſabiles. 466.468.
Iudæis omnia dura, arida, agreſtia, ac ſterilia, præ Chriſtianorum felicitate & fertilitate. 625.b.
Iudex controuerſiarum in fide, debet eſſe, non Scriptura, ſed Eccleſia: quod multis probatur de cauſis. 174 b.195.a.252.363.c.
Iudicij, iuris, & iuſtitiæ veritas. 217.
Iudicium coram Dei tribunali inter hæreticum atque Catholicum. 348.a.352.c.
Iudex Chriſtus quid in iudicio Caluino reſpondeat. 248.c.
Iudici ſe Caluinus excuſat de ſchiſmate concitato. 360.b.
Iudicij Eccleſiæ in controuerſis fidei dirimendis excellens exemplum. 365.
Iudex iuſtus, Redemtor noſter, bonis æternam gloriam, malis ſupplicium ſempiternum decernet. 443
Iudicium veritati debet eſſe ſubnixum, citra perſonarum acceptionem. 152.b.
Iudices munera vitent, quæ excæcant oculos ſapientum. 153.c.
Iudicis boni quatuor conditiones. 153.a.
Iudicibus primarijs Ægypti imaginem Veritatis de collo appendebant. 153.b.
Iuriſdictio & poteſtas ſæcularis, quomodo etiam Eccleſiaſticis conueniat. 49.b.
Iuriſdictio Epiſcoporum quàm æqua; quàm iniqua verò Nouatorum irruptio. 220.b.
Iuriſdictio & poteſtas Præfectorum Eccleſiæ in animas fidelium, à Deo eſt. 224.c.
Iuriſdictio & poteſtas Præpoſitorum Eccleſiæ non eſt alligata expreſſis Scripturis. 330.a.

Ius

Ius Eccleſia in ſuos Præpoſitos, Doctores, & Paſtores. 333.b.c.
Iuſtitiæ veritas in quibus conſiſtat. 216.c.
Iuſtitia imputatiua hæreticorum nodus diſſoluitur. 262.c.&c.
Iuſtitiam noſtram non in ſola remiſſione peccatorum conſiſtere. 264.c.
Iuſtitia omnis, ſecundùm Caluinum, non eſt aliud coram Deo, quàm mera iniuſtitia. 272.b.
Iuſtificationis materia ventilata & diſcuſſa. 258.c.&c.
Iuſtificatio, prout à Caluino docetur, pugnat cum Pauli ſententia. 260.a.
Iuſtificatio hæreticorum, ad Epicureiſmum & Atheiſmum ſternit viam. 266.a.b.c.
Iuſtificationis quatuordecim Melanchthonis opiniones, ex Scriptura ſacra collecta. 351.a.
Iuſtitiam quomodo dilexit Chriſtus, iuxta Pſalmiſtam. 44.
de Eccleſia Iuſtitia. 636.c.
an non ſit in Regno Chriſti (quæ eſt Eccleſia) Iniuſtitia. 636.c.
Iuſtitia noſtra, ſicut pannus menſtruata, quomodo intelligendum. 642.b.
Iuſtitia Dei; quomodo nobis bona, ſuauis, atque etiam oleo comparanda. 645.c.

L.

LAmiæ poëticæ nihil in ſeipſis vident; in alijs vero nihil non. 135.c.
Lampas aurea, lucerna, luminaria, apud Zachariam Prophetam, dona Spiritus ſancti in Eccleſia Chriſti ſignificant. 630.a.b.
Lapis Iacob quem vnxit, & Danielis de monte abſciſſus ſine manibus, Chriſtum præfigurabant. 640.a.
Legis & gratiæ differentia. 16. 17.
Legis natura quantum auxilium ad Dei notitiam, & mandatorum obſeruationem. 79.b.
Legis Mahometicæ atque Alcorani exordium & ineptia. 160 c.
Legum inuentores atque artium liberalium. 93.a.
Lex Dei, regula vitæ & conuerſationis humanæ. 214 a.b.
Leges & conſtitutiones Eccleſiæ non ſunt contra verbum Dei. 253.
Lex Chriſti Euangelica, an non ſufficiat ad ſalutem, ſine traditionibus, &c. 335.c.
Lex lux, & verbũ Dei lucerna; vnde ergo in S. Scripturis obſcuritas? 351.c.
Lex per Moyſen data eſt; ſed gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt. 452.c.
Leo Armenus, quàm fraudulento aſtu in iconomachiæ furorem inductus fuerit, ab impio homine, quem ipſe deceptus pro viro ſanctiſſimo habebat. 187.c.&c.
Libertas, qua nos veritas & Chriſtus liberauit. 39.b. 431.b.c.
Libertas, quam ab initio Nouatores populum docuerunt. 320.b. 512.b.
Linguæ encomium, & manuum ſimiliter. 112.a.
Linguæ moderatio, optimum mendacij remedium. 126.c.
Lingua ornatus an Veritati implacabiliter exoſus. 200. 201.
Linguæ vernaculæ in ſacris vſus, apertus abuſus. 248.c.
Loquacitatis, præſertim hæreticæ, vanitas, & inanis præſumtio. 147.a.
Loquendi facultas, qua præditi ſunt homines eloquentes. 111.c.
Lupi & agni odioſa de fonte turbato diſceptatio, hæreticis accommodata. 178.c.
Lupi cum ouibus pactum, ſuper canibus amouendis. 367.c.
Lutherus dedit omnis circa fidem innouationis principium, & quidem paruis initijs. 384.
Lutherus, ſub initium nouæ ſuæ doctrinæ, Romam à Pontifice vocatus, noluit comparere, quia lucem quam oderat fugiebat. 165.c.
Lutherani à quàm exiguis inceperint venenum diffundere. 171.b.
Lutheranorum miniſtrorum vitæ impuritas. 240.c.
Lutheri ſaltabunda præſumtio, dicentis, ſe apertis portis in cælum intraſſe: ad hæc Prophetæ Habacuc verba: Iuſtus ex fide viuit. 261 b.
Lutheri prædicatio Epicuream vitam inducit, teſtibus ipſiuſmet diſcipulis. 266 b.
Lutherum quid mouerit, vt inanem illam fidem ſpecialem excogitaret. 394.c.
Lutheri bonum conſilium, ad Muntzeri Anabaptiſtæ miſſionem explorandam. 336.c.
Lutherus contra Anabaptiſtas ſcribẽs, dicit, falſum eſſe, quod nihil ſit credendum, quàm quod eſt ſcriptum. 387.b.
Lutherus primùm, quantum potuit, ſeipſum fecit Papam: & ſic poſt illum alij, multi pro vno, & vnico intolerabiliores, teſtibus ipſiſmet hæreticis. 388.c.&c.
Lutheri Eccleſia, vbi, quando, quomodo incepit; & Caluinus ſimiliter. 564.a.
Lutheri præclarum de Romano Pontifice teſtimonium. 566.a.
non obſcurius de Romana Eccleſia: neque ab illa propter abuſus diſcedendum eſſe. 569.a.
Lycurgus, vt vini abuſum tolleret, ſtirpitus vites excidit: ita hæretici res ipſas bonas, propter abuſus, è medio tollunt. 568.b.

M.

MAgdeburgenſium Centuriatorum, de nomis Nouatorum Papis, indicium. 389.c.
Magi quinam, quales, quotque numero fuerint in Epiphania Domini. 404.a.
Magiæ ſtudium Chaldæis, Aſſyrijs, & Perſis vehementer cordi fuit. 404.b.
Magi in Epiphania Domini, an veri nominis Reges exſtiterint. 405.
Magi itidẽ iſti, quot numero fuiſſe credãtur. 406.a.
quonam tempore venerint ad Chriſtum adorandum. 406.b.
Magi cur potiſſimùm per ſtellam ad Chriſti notitiam adducendi erant. 411.a.
quonam pacto ex ſtella contemplatione ad Chriſti cognitionem peruenerint. 412.b.
in Magis, vocatio gentium fuit præſignata; ipſique earum fuerunt primitiæ. 413.b.
Magiſtri ſententiarum encomium, ex hæretici ore depromtum. 213.a.b.
Magiſtris ſuis ſemper doctiores hæretici, nouarumque ſectarum inuentores. 385.a.
Mahometicæ ſuperſtitionis diuturnitas vnde proueniat. 159.a.

Mahometici regni origo & progreſſus. 360.a.

Maledictus & maledictũ, quomodo pro nobis Chriſtus, & tamen benedictus in æternum. 463.a.b.

Malefactores, homicidæ, ſures, veritatem fatentes plectuntur: an igitur veritas illis cauſa ſit mortis? Pulchra diſceptatio, in dialogiſmi modum. 189.b.

Manifeſtatio, Vide Apparitio, Epiphania, &c.

B. Mariæ, Deipara Virginis, miſericordia ſingularis. Sed dum, &c. 547.b.

Mariæ Virginis operâ, fictum hæreticorum miraculum merumque præſtigium, in fumum euanuit. 489.c.

Maria, virgo illa, de qua Iſaias: Ecce, virgo concipiet, & pariet filium. 450.b.c.

Maria, quomodo fons gratiæ aliquando nuncupetur. 506.b.

Mariæ conceptio, qua Chriſtum concepit, piè expenditur. 549.

Mariæ & Euæ partus differentia: deque Mariæ gaudijs in partu. 552.b.

Mariæ aſſumptæ ſolemnitas: & quare cum Chriſto non aſcenderit. 554.

Martini Lutheri principia & progreſſus. 271. 275. &c.

Vide Lutherus, & Lutherani.

Martyrum victoria & triumphus per fidem; ſed magis adhuc per feruentem ipſorum charitatem. 277.b.

Martyrum interceſſionibus olim indulgentia data petentibus. 319.b.

Mediatoris Chriſti patrocinio nihil per Sanctorum interceſſionem derogatur. 205.b.

Mediatoris Chriſti officia, & priuilegia propria. 306.b.

Medicinæ inuentores, & artis iſtius exordiũ. 92.b.

Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris; per ternas Exhortationes explicatum. 604. 608. & 612.

Memoria paſſionis Dominicæ plurimis modis in Eccleſia celebratur. 353.b.

Mendacium filia diaboli, Veritati inſidians & inuidens. 110.b.

Mendacium non hoc omne quod falſum eſt. 114.a.

Mendaciũ cùm diabolus loquitur, ex proprijs loquitur: quia mendax eſt, & pater eius. 114.c. 118.c.

Mendaces veridicos olim & ſemper prohibuit Deus. 117.b.

Mendaciorum varia genera & gradus diuerſi. 124.a.

Mendacium omne an à diabolo. 121.b.

Mendaciorum circumſtantiæ ſex conſiderandæ, quò melius caueantur. 125.a.

Mendacij remedium præſtantiſſimum, linguæ moderatio. 126.c.

Mendacem, memorem eſſe oportet; alioqui mendacium mendacio tegendum erit. 209.b.

Mendacij nemo libenter arguitur. Nec veritas hoc ſibi vllo modo permittit impingi. 171.a.

Mendacio vtuntur hæretici; vt re ipſa & exemplis oſtenditur. 185.c. 186.

Mendacij hæretici acutiſſima D. Hieronymi deprehenſio, quoad doctrinā tantummodo. 341.b.

Mendacium aliqui amplectuntur, ſolum quia mendacium eſt. 192.a.c. 193.b. 194.b.

Mendax quiſquis eſt, totam mendacij naturam habet. 208.a.

Mentiri, ſed nullo modo mendaces dici, volunt homines. 127.a.

Mentiti ne ſemper, qui mentiri ſunt viſi. 221.b.

Mentiti qui numquam exiſtimentur. 130.b.

Mentiti qui ſemper, & numquam verum dixiſſe credantur. 132.a.

Menno Anabaptiſta teſtatur, Lutheraniſmũ inducere vitam Turcarum vita deteriorem. 266.c.

Meretrix à Salomone depicta, non Philoſophiam, ſed hæreſim præſignauit. 272.c.

Merita Sanctorum ſuperabundantia, quonam intelligantur. 317.a.

Merita bonorum operum. Vide, Opera, Iuſtificatio, Indulgentia.

Meſſiæ promiſſio, & ſigna aduentus eius. 424.

Meſſias, Chriſtus, Rex Iudæis promiſſus, &c. 428. &c.

Meſſiæ diuitiæ in quo conſiſtant; & quantum nobilitarit paupertatem. 435.b.c.

Meſſiæ promiſſio in Chriſto adimpleta probatur in Transfiguratione. 446. 454. 456.

Minæ à Deo intentatæ, vel impletæ, vel implendæ. 15.c.

Miniſtro-machia, liber elegans de hæreticorum inter ſe digladiatione. 212.a.

Miniſtrorum hæreticorũ impuritas. 238. 240. 570.

Miniſtrorum Eccleſiaſticorum ab hæreticis miniſtris diuerſitas. 248.b. 256.c. 347.c.

Miracula per Chriſtum patranda, per Prophetas prædicta fuerunt. 438.c.

Miraculis tribus quomodo feſtum Epiphaniæ ornatum dicitur. 402.c.

Miracula, ad fidem parentum & veterem confirmandam, nō ad nouitiam probandam, facta ſunt. 369.b.

Miracula non ſunt, quæ Mahomet aliquando viſus eſt facere. 162.b.

Miſericordia, Sanctorum exemplo, laudabilis commendatio: Altera concionis pars, &c. 546.

Miſſarum nullam eſſe in Eccleſia (quod Caluinus calumniatur) nundinationem. 312.c.

Miſſæ ſacrificium omnem ſuam efficaciam habet à ſacrificio Crucis. 311.a.

Miſſionis Apoſtolorum & Eccleſiæ à Chriſto auctoritas. 331.a.

Miſſio atq; ſucceſſio nulla hæreticis legitima. 336.a.

Miſſio extraordinaria, quàm nihil Caluino ceteriſque conueniat. 336.b.

Miſſionis hæreticorum explorandæ argutum Lutheri conſilium, in ipſummet quadrans. 336.c.

Monſtra octo, Caluini iudicio in Eccleſia regnantia, eliduntur. 309.c.

Mors Chriſti, Regis ac Redemtoris noſtri, & tormenta, per Prophetas prædicta, & per figuras ſunt præſignata. 439.b.c. 460. 467. 468.

Moyſes in multis præcipua Chriſti facta præſignauit. 451.a.b.c.

Mulier, Rex, Vinum, fortia: ſed omnium fortiſſimum Veritas. 148.b.

Mulieres quomodo in iſta apud Eſdram diſputatione inique vocentur. 151.c.

Mulieres quo pacto fortiores regibus dicātur. 155.b.

Mulieris nomine & typo, Venerea concupiſcentia rectè deſignatur. 156.a.

Mundus odit Chriſtum, & omnes qui cum Chriſto malitiæ eius mederi ſtudent. 137.a. &c.

Mundus

Mundus amat aſſentatores, qui illum nempe beatum dicunt. 137.c.
Munera vitanda Iudicibus, ne per illa corrumpantur. Solent Iudices, &c. 152.c 155.c.

N.

NAtiuitatis Chriſti lætitia in Deipara virgine. 552.a.
Naturalium rerum cognitio, licet ad ſalutem non ſit neceſſaria, tamen inter fideles perfectiue reperitur. 90.c.
Naturalium rerum ſcientiâ qui primi omnium floruiſſe credantur. 91.a.
Nectarij hiſtoria, de Confeſſionis cuiuſdam abrogatione, quam hæretici contra confeſſionem ſacramentalem producunt, ſincerè refertur & explicatur. 297.a.
Nomen Chriſti & Dei, per oleum effuſum ſignificatur. 644.a.&c.
Nominis Chriſti Ieſu admiranda ſuauitas ac præſtantia. 646.c.&c.
Noſce teipſum: &, Memento te è terra progenitum. 604.
Notæ, ſeu ſigna, quibus fideles veteris Teſtamenti, rectam ſalutem quærere debebant. 345.c.
Notæ Eccleſiæ veræ, & aliæ adulterinæ quas confingunt hæretici. 83.a.&c. 545.b.
Vide, *Eccleſia. Scriptura, Verbum Dei,* &c.
Notæ, ſeu ſigna, quibus potiſſimùm rudiores cognoſcant Eccleſiam. 344.345.c.
Nouam dicendi docendique formam, etiam Caluiniſtis primum ſuſpectam fuiſſe. 570.a.
Nouatores reijciunt omnem penè doctrinam, etiam Eccleſia primitiua probata. 232.b.
Nouatores, Vide *Hæretici, Doctrina, Eccleſia, Religio, Diſputatio.*
Nouè quidem, ſed non noua, in Eccleſia docere conceditur. 176.b.
Nouitas in doctrina Religionis, eam ipſam redarguit & damnat. 175.c.&c.

O.

OBedientia debita ſuperioribus. 321.a.b. 324.c. 328.b.
Obedientiæ laus & commendatio. 510.b.512.a.
Obſequium amicos, veritas odium parit, inquit Comicus. 190.b.
Obſtetrices Hebræorum an à mendacio apud Pharaonem excuſentur. 122.a.&c.
Occaſio labendi in hæreſes & ſuperſtitiones Mahometicas. 161.b.
Odium cùm pariat Veritas, quomodo pacifica prædicatur? 169.a.
Olei triplicis in Eccleſia conſecratio in die Cœnæ Domini, per varias Exhortationes explicata. 621.623.& ſequentibus.
Olei natura, vis, & operatio, myſticè declarata. 625.b.c.626.b.631.c.649.b. & 653.a.
Oliuarum natura, & nouellarum à veteribus apta diſtinctio. 627.a.
Olearum bonarum ab improbatis diuerſitas ex ſacra Scriptura. 627.b.
Olei boni malíq; diſtinctio in ſenſu ſpirituali. 628.b.
Oliuæ duæ, quas Zacharias Propheta vidit, quid ſignificent. 631.a.
Oliuarum inſitio naturalis, & ſecundùm ſpiritum. 632.b.
Oleū pluribus Sacramētis adhibetur. 634.a.649.a.
Oleum lætitiæ quod ſpecialiter appelletur, in Chriſto & in Chriſtianis. 637.a.
Oleo perunctus à Iacob lapis, quomodo Chriſtum ſignificet. 639.b.
cur placuerit Chriſto, omnium Sacramentorum auctori, pleraque illorum in Oleo conſtituere. 649.
Oleo cur nomen Ieſu potiſſimùm comparetur. 652.c. &c. 653.c.
Opera bona reijcientes hæretici, aduentum vtrumque Chriſti inanem reddunt. 259.c.
Opera bona quæ iuſtificationem precedunt, qualianam cenſenda ſint. 268.
Operibus pœnitentiæ ſatisfactionem pro peccatis Deo præberi. 279.c.
Opera bona, quantum fiduciæ ac ſpei ſuo auctori queant concedere. 556.c.
Operibus bonis meremur Dei gratiam, iuſtitiam, & remiſsionem peccatorum. 356.c.
Opera mortifera ſeu mortalia, mortua, & mortificata, quonam modo diſtinguantur. 601.a.
Oraſſe quid Chriſtus credi poteſt in monte Thabor, ante Transfigurationem. 449.b.c.
Orationis occaſione Chriſtus ſe transfiguratum exhibuit in monte Thabor. 449.b.
Ordinatè omnia facienda eſſe iuxta preceptū Apoſtoli. 515.518.c.
Ordinis neceſſitas & præſtantia in cælo, in terra, & in Eccleſia, &c. 519.a.&c.
Origenes quam ob cauſam credatur in hæreſim lapſus, miranda diſquiſitio. 506.c.

P.

PAcem quinam impediant, Catholicíne, an hæretici, quoad diſsidia mutua. 178.a.
Pacifica veritas odium & bellum parit: ſed quomodo? 169.a.190.a.
Pamphilus quidam Romæ mortuus, certis documentis probatur, ſemper mentitus fuiſſe. 132.a.
Panis furtiuus & letalis, doctrina hæreticorum. 168.a.
Papa ſeu Romanus Pontifex, eſt S. Petri ſucceſſor. 335.370.c.565.a.
Papæ auctoritas, cathedra Petri certitudo, & petra ſoliditas, certam reddunt Eccleſiam. 347.a.b.c.
Papæ, ſeu Romani pontificis, Eccleſia capitis, &c. tituli, non ſunt inanes vt Caluinus cauillatur. 370.c.
Papam quàm honorificè laudibus S. Bernardus exceperit, præ veneratione. 371.
Papæ exiſtimatio quanta apud illam olim Eccleſiam fuerit, quam ipſemet Caluinus florentem confeſſus eſt. 372.
Papam Romanum quantopere honorarint Reges & Imperatores. 374.b.
Papæ Romani poteſtas S. Scripturis ſtabilita. 376.a.
Papam ſeipſum Lutherus primùm fecit, vt voluit: & poſt illum alij. 388.c.&c.
Papa Romanus, vt Papa, hæreticus eſſe nequit. 572.b.c.&c.
Papiſtæne rectè vocentur, qui Romanæ Eccleſiæ adhærent. 574.c.
Paradiſus terreſtris figuram prætulit paradiſi cæleſtis: ſicut eiectio parentum ex eodem, è cælo exilium portendebat. Sed iſt reditus per Chriſtum. 441.c.442.a.
Paſſionis Chriſti myſteria in veteri Teſtamento præfigurata & prædicta fuerunt. 460.463.&c.

Paſsionis & mortis Chriſti exceſſus, inter ipſum & Moyſen & Eliam, in monte Thabor tractabatur. 448.c.&c.
Paſsionis Chriſti memoria multimodis in Eccleſia celebratur. 353.b.
Paſtor Eccleſiæ quando dici poſsit lupus. 328.b.
Paſtoralis officij dignitas & iuſta ſollicitudo. 522.a.
Paſtores, Catholici: fures & lupi, hæretici. 220.b. 327.c. &c.
Pater mendacij, diabolus. 119.c.
Patrum antiquorum Eccleſia florentiſsima, de Romano Pontifice honorifica teſtimonia. 372.b.&c.
Patrum Eccleſiæ auctoritas quanti momenti ſit, inſigni exemplo comprobatur. 365.
Paupertatis frugalitatiſque encomia. Quàm parum conſideramus, &c. 535.b.
Paupertatis nobilitas atque opulentia per Chriſtum ſtabilita. 435.c.
Pax, quam Chriſtus nobis contulit, omni pace præſtantior eſt. 431.c.
Pax vera in ſola Chriſti Eccleſia decetur, & eſt. 168.b.
Pax mala illa omnis, quæ extra veritatem & iuſtitiam eſt. 169.c.170.
Pax & concordia doctrinarum, cum hæreticis iniri nequit. 172.a.
Pacem quinam impediant, Catholicine an hæretici, quoad diſsidia mutua. 178.a.
Peccatorum & peccantium ſeruitus miſeranda. 40.a.42.b.
Peccatorum via difficiles & laborioſa. 45.c.
Peccatorum vulnera ſanare venit Chriſtus, vt medicus animarum noſtrarum, vt Samaritanus noſter, & ſaluator. 438.a.
Peccatum nullum tam acriter Deus reprehendit, quàm hypocriſim. 135.a.
Perſeuerandum in via bona, & in opere bono, vſque ad finem. 46.c.
Perſonarum acceptio diligenter Iudici fugienda. 152.b.
Petri nauicula omnem perfidiam in ſe exſurgentem confringet. 161.c.
Philoſophia quæ vana, quæ vera. 43.a.
Philoſophorum antiquorum qualis olim de Deo notitia. 73.b.
Philoſophandi ratio vnde ſumſit exordium. 92.a.b. 93.b.
Philoſophorum inſipiens ſapientia, vt puerorum inſtuſatorum. 99.c.
Philoſophi mirabilis conuerſio, per ſimpliciſſimam S. Spiridionis diſputationem. 197.b.c.
Philoſophiam Ariſtotelicam quàm nequiter & ineptè Lutherus damnare prætenderit. 20 .c.
Philoſophia quænam in Scripturis ſacris prohibeatur. 252.b. 255.
Philoſophia Ariſtotelica, gladio Goliæ & Apollonij comparatur. 253.a.
Philoſophorum placita, ſunt hæreſum fomenta. 256.
Pilati de Chriſto Chriſtique regno percontatio. 56.b.
Pilato cur Chriſtus de tam ſublimi Veritatis argumento fecerit mentionem. 60.c.
Pilati interrogatio; Quid eſt Veritas? Et, cur Chriſtus ei non reſponderit. 68.c.
ilato interroganti quid Chriſtus reſpondere potuiſſet. 72.a.
Pinguedinis corporalis & ſpiritualis gratum indicium. 633.a.
Platonis de vero Deo & ſummo bono ſententia. 74.c.
Pœnitentia & vera conuerſio, quænam ſit: & ad illam exhortatio. 576.
Pœnitentiam agere, in primis eſt ſacerdotum miniſtrorumque Eccleſiæ. 578.&c.
Pœnitentiæ tempus accommodum, præſertim Quadrageſima. 580.b.
Pœnitentia in toto cordi facienda. 585.
de Pœnitentia neceſſitate & fructu. 590.a.
Pœnitentiæ primarij prædicatores, Ioannes Baptiſta, Chriſtus, &c. 591.b.c.&c.
Pœnitentia ſimulatæ varia exempla. 585.&c.
Pœnitentia regum, Saulis & Dauidis, differentia. 587.a.
Pœnitentia Dauidis & Manaſſæ regum. 592.b.
Pœnitentia Iudæ proditoris damnabilis. 588.c.
Pœnitentiæ veræ & fructiferæ varia exempla. 592.&c.
Pœnitentiæ perfectæ commendatio. 594.a.
Pœnitētia neglectæ iactura exemplis propoſita. 598.
Pœnitentiæ fructus & effectus, Exhortatione declarantur. 599.
Pœnitentia exercenda varijs modis in veteri Teſtamento. 609.a 614.b.
Pœnitentia & vera vitæ conuerſio, per Exhortationem commendatur. 617.
Poetarum mendacia & fabulæ (teſte Hieronymo) dæmonum cibi ſunt. 110.b.
Pontifex Romanus: Vide Papa.
Prædicandæ veritatis ratio ſimplex, vt & ſcribenda. 198.b.
Prædicationis Veritatis regnum, ſuper omnia mundi regna. 62.a.&c.
Vide Regnum.
Prædicatio doctrinæ fidei conſtruat Eccleſiam, Deo eam regente & procurante. 86.b.
Prædicator futurus Meſsias prædictus eſt. 437.c.
Prædicatores in Braſiliam miſsi Caluiniſtæ, quàm ſceleſtè ſe geſſerint, nihilque quàm ſummam infamiam & ſcandala pro fructu retulerint. 240.
Vide Doctrina, Euangelium, Verbum Dei, &c.
Promiſsiones Dei omnes, vel adimpletæ vel adimplendæ. 14.a.
Prophetarum prædictiones de Meſsia, in Chriſto adimpletæ. 450.
Proximorum pereuntium commiſerandum. Iſta igitur nos calamitas. 548.b.
Pueri Ieſu duodecim annorum cum Doctoribus in templo diſſertatio, ex profeſſo deducta. 424.
Pulchri admiranda ſapientiſsima Diotima laus & deſcriptio. 74.c.&c.
Purgatoriũ, & preces pro defunctis, omnis agnouit vetus Eccleſia. 307.b.

Q.

QVadrageſima tempus, pœnitentiæ & vera conuerſionis aptiſsimum. 581.
Quadrageſima multis, vt conuertantur, in votis eſt; ſed eſt ferè quæſitus dilationis prætextus. 596.
Quærentes cum Pilato, Quid eſt veritas? & audire nolenter veritatem. 68.c.&c.
Quatuordecim Melanchthonis opiniones de Iuſtificatione ex Scripturis collecta. 351.a.b.
Quæſtiones cuiuſmodi tractata fuiſſe credi poſſunt

inter Chriſtum duodecim annorum, & Doctores in templo. 426.b.&c.
Querela iuſtiſſima, & merita indignatio, contra ſuperbas Sectariorum nouitates, omnem antiquitatem atque vniuerſitatẽ contemnentium. 359.c.
Quinam tot monſtrorum, diſſidiorum, bellorum, & malorum cauſa dicendi ſunt, Catholicine, an verò hæretici. 178.a.383.b.

R.

REformatio. vniuerſa deformans, à Nouatoribus inuecta. 370.b.
Regéſne fuerunt verè Magi in Epiphania Domini. 405.
Reges apud Perſas ferè ſemper Magi, hoc eſt, Sapientes, erant. 405.b.
Regem in vnaquaque familia pridie Epiphania eligi, vnde ortum. 414.a.
Regia Chriſti maieſtas, etiam in æternaliter damnandos ſe extendit. 443.b.c.
Regibus quomodo dicantur fortiores mulieres. 155.b.
Regina Veritas ſeipſam deſcribit per proſopopœiam. 106 b. &c.
Regis typo mundanam potentiam ſignificari. 156.a.
Regni Chriſti octo præcellentes conditiones egregiè explicata. 66.a.
Regni Mahometici origo, progreſſus, diuturnitas, & certus tandem finis. 159. &c.
Regnum Meſſiæ, ſeu Chriſti, quale futurum prædictum erat. 424.429.435.439 a. 440 a.
Regnum Chriſti quàm longè diuerſum ab alijs omnibus mundi regnis. 54.b.56.b.63.b.c.66.a.
Regnum, quod in Veritatis prædicatione conſiſteret, cur Deus Pater Chriſto contulerit. 62.a.
Rex Iudæorum, Chriſtus, &c. 54.b.
Rex, mulier, vinum, fortia tria hæc; ſed fortiſſimum omnium Veritas. 148.b.
Rex, quomodo in hac apud Eſdram diſputatione, iniquus appelletur. 151.c.
Reſurrectio Domini profigurata & prædicta fuit in veteri Teſtamento. 467.a.
Romana Eccleſia ſtabilitas & inuicta conſtantia. 465.b.
Vide Eccleſia, Papa, &c.

S.

SAcerdotij Aaronici quoque Chriſtus ſacrificium adimpleuit. 355 a.
Sacerdotium Chriſti quàm probè agnitum & honoratum in Catholica Eccleſia. 354.c.
Sacerdotium Chriſti ſecundùm ordinem Melchiſedech. 355.b.
Sacerdotum eſt, ante omnes, pœnitentiam agere. 578.b.
Sacerdotum dignitas, nõ ſolùm Regibus & Monarchis, verumetiam Angelis atque Archangelis longè præfertur. 516.b.520.&c.
Sacerdotes gentilium olim, præſertim Ægyptiorum, à maximis viris, diſcendi gratiâ, requirebantur. 524.a.
Sacerdotes propter inſcitiam, fiunt Dei iudicio contemtibiles. 514.b.c.
Sacerdotum caſtitas quantopere neceſſaria. 539.b.
Sacramenta, omniſque de illis doctrina, quomodo à Caluiniſtis turbata. 242.
Sacramenta, quàm concinnè per ſeptem infuſoria aurea lampadarum apud Zachariam Prophetam deſignentur. 630.b.
Sacramẽta nos ad indefeſſam gratiarum actionem, & ſalutis curam, commonefaciunt. 646.b.
Sacramenta, qualia & quanta in nobis operentur. 651.a.
Sacramentorum vſu multiplicantur fideles, & numero & gratiâ. 624.c.&c.
Sacramentum Confirmationis per columnam ignis in deſerto præſignatũ. Quod autem, &c. 651 b.
Sacrificia legis, futurorum erant figuræ & adumbrationes. 457.b c.
Salomon quomodo in tam fœdum idololatriæ errorem prolapſus ſit. 506.a.
Salutis æternæ cura cuilibet eſſe debet cum primis commendata. 225.a.
Samaritani in Chriſto Saluatore noſtro myſterium. 647.c.
Sanctorum inuocatio, contra Caluinum defenditur. 304.c.
Sanctorum intereceſſio nihil derogat patrocinio vnici Mediatoris Chriſti. 305.b.
Sanctorum imagines, quomodo colendæ & adorandæ ſecundum Scripturas. 314.b.
Sanctorum merita ſuperabundantia quæ intelligantur. quoad Indulgentiarum theſaurum. 317.a.
Sanctificantur creaturæ per Dei verbum & orationem. 612.c.
Sanctorum omnium celebritas atque imitatio commendatur. 542.
Sanctos cur aliqui imitari detrectant, excuſationes & prætextus diluuntur. Et quid tandè eſt, &c. 545.a.
Sanguinis ſponſus nobis vere eſt Chriſtus, ſaluator noſter. 4,8.a.b.
Sapientes gentilium, in ſcientia rerum & cauſarum naturalium valdè verſati. 98.b.
Sapientia ethnicorum non ipſis, ſed nobis, quibus data non fuit, ad ſalutem profuit. 99.b.
Sapientia & veritatis concio, ex Eccleſiaſtico 24.& Prouerb. 8. 80.c.150.c.
Sapientia & ſcientia doctrix Veritas. 110.a.
Vide Philoſophi: item Gentes, & Gentiles.
Satiſfactio noſtra, virtute ſatiſfactionis Chriſti nititur. 200.c.
Satiſfactio noſtra Patrum teſtimonio comprobatur. 282.a.
Satiſfactioni Chriſti nulla fit per noſtras ſatiſfactiones iniuria. 281.b.
Schiſma ſuum Caluinus coram Dei tribunali excuſare contendit. 360.b.
ex Schiſmatis naturâ quoque conſtat, vnicum eſſe errorum fontem, ab Eccleſia doctrina & vnione recedere. 388.b.
Scholaſticorum Doctorũ in Eccleſia vtilitas. 257.c.
Scriptura ſacra, eiuſque legitimus ſenſus, in ſola Eccleſia reperitur. 339.b.c.
Scriptura ſacra peſſimè à Nouatoribus plebi indifferenter propoſita & in vulgares linguas tranſlata. 349.c.
Item. An non igitur neceſſitas, &c. 523.b.c.
Scriptura ſacra num intellectu ſit facilis, num potius contrà ſit difficilis. 350.351 a.
Scriptura ſine magiſtro lecta, ſolet hæreticos facere. 311.a.

Scriptura ſacra quare liber hæreticorum vocari conſueuerit. 385.b.&c.
apertiſſima ianua ad nouas ſectas, nihil recipiendo, quàm quod Scriptum eſt. 386.c.
Scriptura, qua contra hæreticos agunt potiſſimùm, ab Auguſtino cuilibet ſtudioſo commendantur. 141.c. 470.
Scripturæ ſtudium Sacerdotibus ac inprimis Paſtoribus apprimè neceſſarium. 522.a.&c.
Scriptura admiranda contra omnis mali genus præſtantia. 522.c.&c.
Scripturæ ſacræ ſoliditas, nõ foris in verbis, ſed intus in rebus ſcrutanda. 200.a.
Scripturæ ſtylus ſimplex, non contemnendus, ſed venerandus. 201.a.&c.
Scripturæ libri ſacrilegè ab hæreticis mutilantur, agitantur. 227.b.
Scripturæ interpretatio, vnde & à quibus petenda. 249.c.
Scripturam interpretandam quomodo Caluinus cæterique ſuſcipiant. 250.
Scripturæ verſiones, per hæreticos editæ, erroribus & corruptelis plenæ. 251.349 c.
Scriptura eſt mutus iudex, ideoq́ue idoneus. 252.
Scripturæ ſacræ, non in legendo, ſed in intelligendo, conſiſtunt. 324.a.
Scripturæ librorum Eſdræ auctoritas, circa trium de fortiſſimo diſputationem. 148.b.
Scripturæ ſacræ auctoritas, cum Eccleſiæ auctoritate collata. & de teſtimonio, quod ſibi inuicem præbent. 84.c.
Scripturæ ſacræ gratiâ non eſt quòd hæreticis fides habeatur. 174.a.
Scripturam & verbum Dei ſcriptum volunt hæretici ſolum habere iudicem. 174.b. 227.b.
Scripturam ſacram quoque ſuis mendacijs infecerunt hæretici. 186.c.
Scripturæ ſacræ ſimplicitas & virtus admiranda. 198.b.&c.
Vide Verbum Dei, Euangelium, Doctrina, Prædicatio, &c.
Seditionis & ſeductionis pericula & principia. Ad hæc, &c. 160 a.
Seneca, Romanorum illuſtris Senator & Philoſophus, quod culpabat, adorabat. 74.b.
Seruitus mera, libertas illa quam Nouatores docent. 321.b.
Seruitutis varia genera. & à quâ nos Chriſtus ſeu Veritas liberauit. 39.b. 40.b.
Simeon Salus, omnis generis ſapientia & gratia refertus, ſapiens Deo, ſtultus mundo, mirabili modo ſignificat qua de cauſa Origenes in hæreſim fuerit lapſus. 506.c.
Simplicitas, ceu Veritatis ſoror; ita vna cum altera conuenit. 103.c.195.a.
Simplicitatis diuina energia, in conuertendis mundi ſapientibus. 197.b.c.
Somnium & viſio Iacob, erectâ in cælum ſcalâ, quid deſignet. 639.&c.
Spiridionis Epiſcopi ſimplicitas Philoſophum vicit & conuertit. 197.b.c.
Spiritus Deus; & quid in Scripturis, vocabulo Spiritus intelligatur. 21 a c.
in Spiritu adorandus Deus: & quomodo id fiat. 21.23.&c. 26.&c.
Spiritus filiorum Dei, à ſeruitute liberat. 41.b.
Spiritus ſanctus plura ſuggeſſit Apoſtolis, quàm ipſe Chriſtus verbis diſertis expreſſerat. 332.b.
Spiritus ſanctus per columnam ignis in deſerto præfiguratus. 651.b.
Spiritus mendacij in miniſtris diaboli, patris ipſorum. 119.a.
Spiritus turbulentus, & ſeditioſus, hæreticis proprius. 183.185.
Spiritus probandi ſunt, ſi ex Deo ſunt. 533.b.c.
Stella, quæ Magis apparuit, qualiſnam fuerit. 409.
num Stella, Magis ab Oriente Ieroſolymam vſque, ducatum præſtiterit. 410.c.
Stellâ cur Chriſtus potiſſimùm Magos ad ſui notitiam adduxerit. 411.
Succeſſio nulla legitima, vt neque miſſio, hæreticis. 336.a.
Superbia mater omnium hæreticorum; hinc nec humilitatem, nec charitatem, nec verbi Dei verum ſenſum habere poſſunt. 325 a.
Superbi per montes deſignantur, vt humiles per valles. 434 c.
Superbia hominis mortalis retunditur, humilitatis obiectu. 606.608.612.

T.

TAcendi ſtudium, & diligens linguæ cuſtodia. 126.c.
Templa, cœnobia, vaſtata ab hæreticis, doctrinam eorum teſtantur & produnt. 182.c.
Templorum noſtrorum figura, cum hæreticorum tugurijs non concordat 247.c.
Temporis filia, quare Veritas appelletur. 156.c.
Temporis ratio habenda quàm maximè. 580.c.&c.
Tempus ſuum vnicuique rei opportunum. 580.b.
Tentationes Satanæ, variæ; in fidei materia, &c. 337. & ſequentibus.
Tentatus Theologiæ profeſſor in negotio fidei, ſe carbonarij cuiuſdam ſimplici fide tutatus eſt. 341. c.
Teſtimonium Veritati perhibetur; & Veritas omnibus. quo ſenſu. 58.c.
Theodori Bezæ condignum elogium. 570.a.
Theonas, trium millium Monachorum Archimandrita, nunquam mentitus fertur. 131. b.
Timor, ſeu metus, Veritatis coniux, vt Nabal Abigaelis. 106.b.
Timoris Domini, per integram Exhortationem, commendatio. 557.
Traditionum & Conſtitutionum Eccleſiæ auctoritas. 255.&c.321.b.330.c.
Traditionum ac Patrum in Eccleſia auctoritas, in controuerſis dirimendis. 363.c.
Transfigurationis myſterium, præſertimq́ue Chriſti cum Moyſe & Elia colloquiū, ex profeſſo prolixè tractatur. 446.
duabus potiſſimùm de cauſis Chriſtus ita coram ſuis Transfigurari voluit. &c. 446.c.
quare Chriſtus teſtes adhibuerit Moyſen & Eliam. 447.
quale fuerit Chriſti cum Moyſe & Elia colloquium. 448.b.c.
orationis occaſionem Chriſtus in Transfigurationis vſum accepit. 449. b.
Trãſlationes S.Scripturæ per hæreticos factæ, fraudulentæ. 251.
Tranſſubſtantiatio in materia Euchariſtiæ, ſeria,

bona,

bona, ſcitu neceſſaria. 183. c. &c. 287. b.

Tranſſubſtantiationem Ioannes Hus & Hieronymus de Praga docuerunt, & in eius confeſſione ſunt mortui. 286. a.

S. Trinitatis hoſtes hæretici Trinitarij, blaſphemi. 386.

Trinitatis vocabulum, & eam adorandi in Eccleſia ritus, Caluinum malè habuit. 386 a.

Turcarum tyrannidem, quantumvis diuturnam, Veritas tandem ſuperabit. 159. a.

Turcarum ſuperſtitioſa religio, vnde tam diuturna cenſeatur. 159. a.

Turcici regni exordium, & progreſſio. 160 a.

V.

V*Erbum Dei non eſt in Eccleſia ſepultum, vt cauillatur Caluinus.* 323. b.

Verbum Dei purè prædicatum, non eſt nota Eccleſiæ. 227 a.

Verbum Dei non poteſt eſſe index controuerſiarum in fide, ſed Eccleſia. 227. a. 174 b. 363 c.

Verbum Dei non poteſt eſſe apud Sectatores. 323. c.

Verbum Dei nuſquam locorum, extra Eccleſiam. 324. b.

Verbo Dei quo pacto armati eſſe debent fideles, præſertim idiotæ, contra tentationes in fide. 338. c.

Verbum Dei, quod habet Eccleſia indubitatum, æquè certò non habent hæretici. 339. b.

Verbi Dei nullus rectus vſus extra Eccleſiam. 340. c.

Verbum Dei lucerna, vnde igitur in ipſo intelligendo obſcuritas? 35:. c.

Verbum Dei duabus Zachariæ Prophetæ oliuis comparatur. 631. c.

Vide *S. Scriptura, Euangelium, Doctrina, Index, Fides, &c.*

Veridicos mendaces, pythoniſſas, & id genus homines, prohibuit Deus. 117. b.

Veritas rei, ſeu naturæ: & Veritas intellectus, ſeu propoſitionis. 2. b.

Veritas cur magis approprietur Filio Dei, quam Patri, vel Spiritui ſancto. 11. c.

Veritas verborum & promiſſionum Dei. 13. c. 14. a.

in Veritate adorari vult Deus. Quomodo id fiat; & quare ſic velit. 26 a.

Veritatis elogia, ex S. Scriptura ſententijs deſumta. 36. a. 139. a.

Veritas liberatrix à varijs ſeruitutis generibus. 34. 43.

Veritatem quam qualémve Chriſtus docere venerit. 57. b.

Veritas quo teſtimonio egeat, cùm ipſa det omnibus teſtimonium. 58. c.

Veritatis tam ſublimem materiam cur Chriſtus Pilato propoſuit. 60. c.

Veritatem pauciſſimis eſſe cordi & gratam, immò toti mundo quaſi exoſam, prolixe docetur, ſuper verbis Pilati; Quid eſt Veritas? 70. b. &c.

Veritatem quanam de neceſſitate ſalutis credenda. 87. b.

Veritas cauſarum rerumque naturalium, tametſi ad ſalutem non ſit ſcitu neceſſaria; nuſquam tamen rectius inuenitur, quàm in Eccleſia Dei, atque apud fideles. 90. b. c.

Veritatis amore magis, quàm aliarum rerum, homo naturaliter capitur. 93. c.

Veritas, vitæ animæ eſt; vt cibus corporis. 94. a.

Veritatis inuentio an facilis, an verò in altiſſimo puteo demerſa lateat. 94. c.

Veritas, aureus ille ramus; in medijs ſiluis inuentu difficilis. 95. a.

Veri cognitio, cur quibuſdam nullo modo, quibuſdam verò non niſi magno labore contingat. 96. a.

Veritas moralis, quæ & virtus eſt. 102 a. &c.

Veritatis & fidei virtutes quomodo differant. 103. b.

Veritatis virtus magnam habet cum ſimplicitatis virtute ſimilitudinem. 103 c.

Veritatis deſcriptiones, à varijs variæ. 105. b. 110. c.

Veritatis, per modum proſopopœiæ, deſcriptio. 106. b. 109. a.

Veritatem inter & metum coniugium, Abigaëlis & Nabalo comparatum. 106. b.

Veritatis vſus cum proximo, quàm neceſſarius. 113 a. b.

Veritas non omnis dicenda & propalanda. 113. c.

Veritas in qua Angeli boni ſteterunt, & diabolus non. 115. a. b. 116. b.

Veritas fortiſſima, inuicta, perpetua. 139. a.

Verum loqui, & mentiri tamen, quomodo conſiſtant. 116. b c.

Verum qui ſemper locuti, & numquam mentiti dicantur. 130. b.

Veritas tandem vniuerſas hæreſes admirandâ potentiâ profligat. 142. b.

Veritatis hoſtes acerrimi, in S. Scriptura Veritate diuinitùs recenſentur. 143. b.

Veritatis amatores, ab eadem ſemper proteguntur ac liberantur. 143. c.

Veritas vt armis, ita ſcriptis, impugnatur & propugnatur. 144. a.

Veritas in omnibus contra omnes propugnanda ac promouenda. 146. c.

Veritas, fortiſſimũ omnium, iuxta trium Iuuenum apud Eſdram diſputationem. 148.

Veritatis laudes & encomia. 150. 151. &c.

Veritatem regibus & mulieribus eſſe fortiorem, quomodo conſtet. 154. c.

Veritas quomodo filia temporis nuncupetur. 156. c. 158. a.

Veritas non ita ſemper occultari aut opprimi poteſt, quin tandem emergat. 157. a. &c.

Veritas lucem amat: non quærit angulos. 163. a.

Veritas pacifica, tametſi ipſius occaſione belligeretur. 168. b.

Veritas, cùm odium pariat, quomodo pacifica prædicetur. 169. a. 190. a 193 a. b.

Veritas ſe mendacij argui non patitur: hinc bella & tumultus. 171. a.

Veritas triplex, Vitæ, Doctrinæ, & Iuſtitiæ. 213. c.

Veritas non venit pacem mittere, ſed gladium, & tamen pacifica. 177 b.

Veritatis confeſſio, mortem adducit: & tamen pacifica veritas. 188. b.

Veritas, vt odium pariat, cuiuſnam culpâ fiat; Veritatiſne, an veritatem audire nolentium. 191. b.

Veritatem quidam oderunt & audire nolunt; ſolùm, quia veritas eſt. 192. a c. 193. b. 194. b.

Veritas ſimplex & inculta, quoad ornamentorum phaleras. 195. a.

Veritatis prædicandæ, vt & ſcribendæ ratio ſimplex. 198.*b.*
Veritati vtrum implacabile cum eloquentiæ ſtudio diſſidium. 200.*b.* & 201.*a.*
Veritas ſemper vna eademque. 207.*c.* 209.*a.*
Veritatis admiranda vis, per guttur quoque ſuorum hoſtium interdum erumpens. 390.
Viſio Dei qualis hic obtingere poteſt in vita. 431.*b.*
Vitæ præſentis breuitas & finis incertitudo cogunt ſaluti attendere. 556.*b.*
Vitæ præſentis lubricitas & fallacia cogunt ad reſipiſcentiam. 597.*b.c.*607.*c.*
Vitæ humanæ fragilitas & vilitas. 610.*b.*616.*b.c.*
Vocatio gentium, miranda Dei bonitas & diſpenſatio in genus humanum. 413.& 414.*b.*
Vide *Gentes, Magi, Epiphania, Stella, &c.*
Via, Chriſtus; & de varijs vijs. 44.*a.*
Via peccatorum difficilis; via virtutum facilis: quomodo? 45.*b.c.*
Via, veritas, & vita, Chriſtus. 44.*a.*47.*c.* &c.
Vicarij Chriſti in Eccleſiæ adminiſtratione, Apoſtoli, eorumque ſucceſſores. 440.*a.*
Victoria fidei, & Victoria charitatis. 277.*a.b*
Vinum, Rex, mulier; ſed fortiſſimum omnium Veritas: Diſputatio. 148.*b.*
Vinũ, quomodo in diſputatione illa, apud Eſdram, iniquum dicatur. 151.*c.*
Vinum myſticâ ſignificatione ſapientiam mundanam repræſentat. 156.*a.*
Vita, Chriſtus: & de triplici vitâ, in S.Scripturis nota. 50.*c.*
Vita, in herbis, in homine, in Angelis, in Deo, differentia. 8.*a.* &c.
Vita veritas in quibus conſiſtat. 214.*a.* &c.
Vitæ Caluini & ſimilium puritas. ſcilicet. 238.
Vitam Epicuræam, Turcicâ peiorem, laxam per omnem modum, introducere hæreticos. 266. 267. &c.
Vita æternæ beatitudo & gloria, prædicta, & adimpleta. 442.*c.*&c.
Vnum, quomodo ente maius & ſuperius eſſe dicatur. 6.*b.*

Z.

Zelus Eliæ, zelum Chriſti præfigurauit. 451.*a.*

ERRATA.

Pag. 31. *lin.* 13.	Benedad	*lege*	Benadad
45. *lin.* 3.	ſolidus		ſtolidus
100. *lin.* 3. *à fine*	vnguinum		vnguium
118. *lin.* 26.	tangit		tingit
152. *lin.* 33.	accipetis		accipietis
157. *lin.* 21.	omnis		omni
167. *lin.* 6.	Sapientiæ 4.		Prouerb. 9.
189. *lin.* 22.	Lucæ cap. 2.		Lucæ cap. 21.
268. *lin.* 34.	valeret		valet
288. *lin.* 5.	corpuis		corpus
308. *lin.* 14. *à fine*	ſentire me		ſentire ne
311. *in margine*	*dele*		Philip. 7.
313. *in margine*	Rom. 9.		1. Cor. 9.
318. *in margine*	Matth. 8.		Matth. 9.
320. *lin* 8. *à fine*	ſubſiſtit		ſubſtitit
323. *lin.* 24.	quamquam		quamque
341. *lin.* 9. *à fine*	non niſi		niſi
451. *lin.* 7.	tria		trigintatria
467. *lin.* 29.	ha-		habet
lin. 31.	*dele*		bet
486. *lin.* 23.	ætotius dificij		totius ædificij
547. *lin.* 18. *à fine*	expendat		expandat
550. *in margine*	Abac. 4.		Abac. 3.
559. *in margine*	Dan. 14.		Dan. 13.
669. *lin.* 16.	*dele*		ad
577. *lin.* 15.	vt eſt		eſt vt
584. *lin.* 20.	1. Reg. 5. cap.		1. Reg. 25. cap.



IN CONCIONATORVM GRATIAM, ADMONITIVNCVLA.

QVANTVM vtilitatis & commodi Concionatores ex hoc opere conſequi valeant, facillimè ipſa docebit experientia, ſi quis nouerit vti. Nam ita propemodum vniuerſa ſunt concionibus concinnandis accommoda; vt ſelectâ hinc inde partim ex Indice Scripturarum vnâ atque alterâ ſententiâ, cum argumento tractando congruente; partim ex Indice rerum vno atque altero loco communi, eôdem ſpectante; futurum ſit facilè vtcumque experto, doctam & vtilem inde concionem conficere. Sin autem quis nec huic meo dicto, neque idem experto fidem adhibeat; periculum ipſe, animi gratiâ, ſemel atque iterùm faciat; & expertus fatebitur.

IOANNES DAVID SOC. IESV.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, *Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Priuilegio cautum eſt; nequis*, Petri Simonis Tiletani Epiſcopi Yprenſis de VERITATE Libros ſex, & reliqua eius quæ ſuperſunt multæ eruditionis & pietatis Opera, *præter voluntatem Ioannis Moreti, typographi Antuerpienſis, intra decennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſa, in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ*, 1. *Septembr.* M. DC. VII.

Signat.

S. de Grimaldi.

Et in Concilio Brabantiæ,

Buſchere.

SEX LIBRORVM DE VERITATE

APPROBATIO.

VBi Reuerendiſſimus, & in omni ſcientiarum genere feliciter verſatus, D. Petrus Simonis, Ypreņſium Epiſcopus, omnigenis variæ eruditionis floſculis VERITATEM adornaſſet, ac veluti depinxiſſet: viſum illi eſt, cenſuræ noſtræ iudicio eam induſtriæ ſuæ lucubrationem probandam contradere. Quam ſanè non illubenter accepi, tum vt viro mihi amiciſſimo, & de Bacherio benè merito, gratificarer; tum etiam quòd certò ſperarem, candidum ac diligentem Lectorem eam euoluendo perlegendoque bonas horas non malè collocaturum. Quapropter, cenſeo opus iſtud prælo quàm correctiſſimo propediem admouendum, vt maiori cum fruge euulgetur, ac in manus hominum exeat: præſertim cùm nihil vel ſcandali vel erroris contineat.

F. Petrus Bacherius S. Theolog. Profeſſor, Dominicanus.

RELIQVORVM OPERVM APPROBATIO.

IN his R^mi ac Doct^mi Domini PETRI SIMONIS Ypreņſium Epiſcopi Operibus, *Veritatis Catholicæ Apologia contra Caluinum*, *Tractatu de Epiphania Domini*, *Diſſertatione de Pueri Ieſu cum Doctoribus in templo diſputante*, *Tractatu de* IESV *Chriſti cum Moyſe & Elia Colloquio*, itémque *de Hæreſios Hæreticorumq; natura*, *Orationibus* denique *& Exhortationibus varijs*, nihil reperi quod non fidei orthodoxæ & ſanctis moribus ſit conſentaneum: imò multum vnumquemque in iiſdem confirmant & roborant: ac proinde prælo atque omnium lectione digniſſima iudico,

Martinus Baccius Tiletanus, Eccleſiæ Cathedralis Ypreņſis Archipresbyter & Librorum Cenſor.

62078



3426